SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

DOMINI CLEMENTIS PAPÆ XI.

CONSTITUTIO *UNIGENITUS*

Theologicè propugnata.

TOMUS SECUNDUS

Cum Synopsi.



ROMÆ
Apud Jo: MARIAM SALVIONI Typographum VATICANUM
In Archigymnasio SAPIENTIÆ.
MDCCXIX.
SUPERIORUM FACULTATE.

APPROBATIO

Illustrissimi, ac Reverendissimi Domini

THOMÆ PHILIPPI DE ALSATIA DE BOUSSU,

Dei, & Apostolicæ Sedis gratiâ Archiepiscopi Mechliniensis, Primatis Belgii, Sanctissimi D. N. D. CLEMENTIS PAPÆ XI. *Prælati Domestici, ad Exercitus Cæsareo-Regios Delegati Apostolici, Sacræ Cæsareæ, Catholicæque Majestatis Actualis Intimi Consiliarii.*

CUm Tomus primus Operis, cui titulus *Sanctissimi* D. N. CLEMENTIS PAPÆ XI. *Constitutio* UNIGENITUS *Theologicè propugnata* cumulatissimè satisfecerit & votis, & expectationi bonorum omnium, imò totius Ecclesiæ Catholicæ, cujus dignissimi Præsules disertis, & toto orbe notissimis testimoniis, memoratæ Constitutioni debita cum reverentia sese pridem subjecere; obtrectatores verò, & legitimæ authoritati exiguo numero repugnantes, vel inviti agnoverint propositionum eo tomo clarè, eruditè, & copiosè expensarum, latè serpens venenum, ut sperare liceat, & ipsos demum ab erroribus revocatum iri: Author autem in hoc secundo Tomo, ejusque *Synopsi* eadem methodo, & authoritatum, argumentorumque robore, novæ hæresis latibula omnia excutiat; fraudibus, tricis, ac cavillationibus larvam detrahat; Scripturas Sacras, Concilia, Patres, & Theologos Catholicos justissimè vindicet; verbo ea omnia hic etiam egregiè præstet, quæ in primi Tomi approbatione distinctiùs recensuimus, hanc alteram operis numquam satis laudandi partem, ut doctrinâ æquè, ac priorem, solidâ, & pari eruditione refertam, adeoque, & ipsam Ecclesiæ utilissimam in publicam lucem quantocyùs emittendam judicamus.

Datum Mechliniæ in Palatio Nostro Archiepiscopali 10. Septembris 1718.

Thomas Archiepiscopus Mechliniensis

De mandato Illustrissimi, ac Reverendissimi Domini Archiepiscopi præfati
B. De Ruddere Secretarius.

APPROBATIO

Illustrissimi, ac Reverendissimi Domini

THOMÆ JOSEPHI A MONTIBUS,

Dei, & Apostolicæ Sedis gratiâ Archiepiscopi Seleuciæ; Sanctissimi Domini Nostri Domini CLEMENTIS PAPÆ XI. *Episcopi Assistentis, & Prælati Domestici; Sacrosanctæ Archibasilicæ Lateranensis in Urbe Canonici, Episcoporum Examinatoris, & Congregationis Sacrorum Rituum Consultoris.*

LIber, cui hæc Epigraphe, *Sanctissimi Domini Nostri D.* CLEMENTIS PAPÆ XI. *Constitutio* UNIGENITUS, *theologicè propugnata, Tomus secundus cum Synopsi*, laudabile prorsùs continet argumentum, tantique Scriptoris eruditione validissimè roboratum. In eo, religiosâ simul modestiâ, & fortitudine, totus est more scholastico, stricto videlicet pugione, in solidè defendenda Sanctarum Scripturarum momentis, Patrum utriusque linguæ sententiis, atque stabilitis in illorum doctrina rationibus, Vicarii Jesu Christi Constitutione irrefragabili: quam ubique consonam Catholicæ veritati, vel ipsâ luce clariùs, demonstrat: & profectò quis sapiens censeat sanum in Fide, aut in morum sanctimonia tutum, quod summus Ecclesiæ Hierarcha non probaverit? Quis non morbosum, ac reprobum, quod idemmet Supremus Dominici gregis Pastor, & Rector repudiaverit? Quandoquidem Divinus humani generis Assertor omne hujuscemodi judicium circa nostræ Religionis negotia dedit Petro, ejusque legitimis Successoribus, Divi Cypriani Episcopi, & Martyris cordatissimis verbis: *Cunctos vos veræ Sapientiæ cultores fidenter admoneo, & pariter, Consulo, nè perniciosis vocibus temerè credatis, nè fallacibus verbis consensum facilè commodetis, nè pro luce tenebras, pro die noctem, pro cibo famem, pro potu sitim, venenum pro remedio, mortem pro salute sumatis. Nec ætas vos eorum, nec authoritas fallat; qui ad duorum presbyterorum veterem nequitiam respondentes, sicut illi Susannam pudicam corrumpere, & violare conati sunt, sic & hi adulterinis doctrinis Ecclesiæ pudicitiam corrumpere, & veritatem Evangelicam violare conantur. Clamat, & dicit Dominus: nolite audire sermones pseudo-prophetarum, quoniam visiones cordis eorum frustrantur eos. Loquuntur, sed non ab ore Domini. In Ecclesiam lapsos reducere, & revocare promittunt, qui de Ecclesia recesserunt. Deus unus est, & Christus unus, & una Ecclesia, & Cathedra una, super Petrum Domini voce fundata. Aliud Altare constitui, aut Sacerdotium novum fieri, præter unum Altare, & unum Sacerdotium, non potest. Quisquis alibi collegerit, spargit. Adulterum est, impium est, sacrilegum est, quodcumque humano furore instituitur, ut dispositio divina violetur. Procul ab hujusmodi hominum contagione discedite, & sermones eorum, velut Cancrum, & pestem, fugiendo vitate; præmonente Domino, & dicente; Cæci sunt, & duces cæcorum; cæcus autem cæcum ducens, simul in foveam cadent.* Cypriano Martyri adjungo Sanctum Maximum Monachum Græcum, itemque Martyrem; qui epistolâ suâ, cedro sanè digna, hortatur Petrum Illustrem, nè Pyrrho Constantinopolitano, ab Apostolica Sede damnato, deferat honorem, vel impendat titulos, homini doctrinam sanam profitenti, convenientes; rationemque adjicit in hæc verba: *Obsecro, benedicte Domine mi, præcipere omnibus, nè Pyrrhum Sanctissimum, vel almificum nominent. Neque enim tale quid sacra Regula*

D. Cypriani ad Plebem de quinque Presbyteris Schismaticis factionis Felicissimi Epistola 40.

S. Max. Mart. Epist. ad Petrum Illustr. apud Combefis to. 2. pag. 76.

eum vocari permittit. A cuncta enim cecidit sanctitate, qui nimirum ab Ecclesia Catholica sponte prosilit. Non enim fas est, illum ex quacumque laude cognominari, qui jam olim damnatus est, & abjectus ab Apostolica Sede Romanæ Urbis, ob externæ sensum opinionis, donec ab ea recipiatur, conversus ad ipsam: immo ad Dominum Deum nostrum per piam confessionem, & orthodoxam fidem, qua sanctificationem recipiat, sanctumque vocabulum. Itaque si vult hæreticus non esse, neque audire; non isti, aut illi satisfaciat; superfluum quippe hoc, & irrationabile est: quia, sicut uno contra eum scandalizato, omnes scandalizati sunt; ita quoque uno satisfacto, omnes proculdubio satisfiunt. Festinet pro omnibus Sedi Romanæ satisfacere. Hac enim satisfacta, communiter ubique omnes pium hunc, & orthodoxum prædicabunt. Nam frustrà solummodò loquitur, qui mihi similes suadendos, ac surripiendos putat, & non satisfacit, nec implorat Sanctissimæ Romanorum Ecclesiæ Beatissimum Papam, id est, Apostolicam Sedem, quæ ab ipso Incarnato Dei Verbo, sed & omnibus Sanctis Synodis, secundùm Sacros Canones, & terminos, universarum, quæ in toto terrarum orbe sunt, sanctarum Dei Ecclesiarum, in omnibus, & per omnia percepit, & habet imperium, authoritatem, & potestatem ligandi, & solvèndi. Cum hoc enim ligat, & solvit etiam in Cœlo Verbum, quod Cœlestibus Virtutibus principatur. Si enim alios quidem satisfaciendos ducit, & Beatissimum Romanorum Papam nequaquam implorat, simile quiddam agit ei, qui fortè homicidii, vel alterius cujusdam criminis redarguitur, & insontem se, non ei, qui secundùm leges judicandi jura sortitus est, exhibere festinat: sed tantùm inutiliter, & sinè lucro aliis, & privatis hominibus munditiam monstrare sui satagit actus, qui nullam habeant se solvendi à crimine potestatem &c. Hæc, quæ Plebi suæ Cyprianus, unique Petro Illustri Maximus scripsere, saluberrima monita, mihi imprimis, cunctisque Fidelibus velim altissimè impressa perpetuò inhærere. Quapropter Tomum hunc secundum, uti & priorem, errores à Sede Apostolica justissimè condemnatos, argumentis non uni scholæ propriis, sed universæ Ecclesiæ Catholicæ communibus invictissimè debellantem, Reipublicæ Christianæ perutilem, libenter, atque avidè amplector; utque dignos tanti authoris laboribus fructus referat, etiam in animis adversariorum, vehementer exopto, ac propterea luce publica dignissimum censeo, salvo semper Majorum, ad quos pertinet, judicio.

Romæ secundâ Maji Sancto Athanasio Catholicæ Religionis acerrimo Propugnatori sacrâ, anno 1719.

Thomas Josephus Archiepiscopus Seleuciæ.

APPROBATIO

Illustrissimi, ac Reverendissimi Domini

HENRICI JOSEPHI

Dei, & Apostolicæ Sedis gratiâ Episcopi Brugensis, perpetui, atque hereditarii Flandriæ Cancellarii &c.

CUm à nata hæresi Janseniana, non frustrà tortuoso colubro in varios gyros, & Cavillationum deflexus eunti comparatâ, hujus defensores *iisdem artibus, quibus olim Pelagius, & Cœlestius* (prout Episcopi Galliarum literis secundâ Septembris 1656. datis significabant Alexandro VII. Pontifici maximo) *grassati fuerint, ut incautorum, & simplicium animis illuderent*; singulari profectò est extollendus præconio utilissimus, & gloriosus illorum zelus, qui, prout S. Augustinus Pelagianorum, ita defensorum istorum artes, & versutias nativis coloribus descriptas omnium oculis subjiciunt; Quippe *Ecclesiæ victoria est*, magno hæreticorum Antagonista Sancto Hieronymo teste, *horum artes, & sententias prodidisse*. Nos igitur, quos charitatis non minùs, quam veritatis amantes plurimùm miseret Gallorum istorum, qui Quesnelli, defensorum hæreseos Jansenianæ modò Coryphæi, artibus illusi, cæcumque ejus ducatum miserè sequentes, contra stimulum calcitrant, & à Constitutione UNIGENITUS appellantes ruunt in profunda mortis per præcipitia falsitatis, applaudimus, & gratulamur ardenti zelo, quo flagrat auctor elaborati, cedroque digni operis, cui titulus, *S. D. N.* CLEMENTIS PAPÆ XI. *Constitutio* UNIGENITUS *Theologicè propugnata cum Synopsi*, cujus Tomum secundum jam luce publica donandum gaudemus. Quisquis opus illud non studio partium, sed sincero indagandæ veritatis amore consuluerit, aut consulturus est, agnoscere tenebitur, *quòd verè ibi sit fons Jacob*, cujus salubribus aquis si laventur, & acuantur eorum, quorum jam meminimus, ludificati oculi, clarissimè conspicient, proscriptas centum, & unam Quesnelli in novum testamentum observationes non continere fontem aquæ vitæ, aut fontem Salvatoris, è quo hauriendæ sunt in gaudio aquæ ad salutem; sed Cisternas, Cisternas dissipatas, atque aquas Geon turbidas, & repletas cœno doctrinæ jam à Summis Pontificibus, Sancto Pio V., Gregorio XIII., Urbano VIII., Innocentio X., Alexandro VII., Clemente IX., Alexandro VIII., & Innocentio XII. Solennissimis Constitutionibus reprobatæ. Limpidissimæ aquæ hujus *fontis Jacob* spectatum dabunt, quòd tenebrio ille Quesnellus morem hæreticorum secutus fuerit, qui, ut Sanctus Athanasius ait Epistolâ ad Episcopos Ægypti, & Libyæ: *Verbis Scripturarum se audent adornare, at voces quidem proferunt; verum autem celant sensum, atque hoc pacto singuli, proprio commento insidiosè obtecto, eorum, quos in errorem inducunt, fiunt homicidæ*; periculum istud ut avertatur, etiam atque etiam optamus, ut omnium oculos sive in veritatis patrocinium; sive in cæcitatis remedium opus hoc subeat, tamquam saluberrimus fons è montibus sanctis dimanans, & lætificans Civitatem Dei salientibus in salutem aquis, utque super his ita feratur Spiritus illuminans sensus, & corda, ut, qui modò aberrant, ad viam veritatis revertantur, fateanturque cum Sancto Augustino, *nihil gloriosiùs quàm subjici, & vinci à veritate*.

Ita dabamus Brugis in Palatio nostro Episcopali hac die 20. Octobris 1718.

Henricus Josephus Episcopus Brugensis.

IMPRI-

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendissimo Patri Sacri Palatii Apostolici Magistro.

Th. Cervinus Episcopus Heraclea Vicesger.

APPROBATIONES

SECUNDI TOMI CUM SYNOPSI.

EX commissione Reverendissimi Patris Magistri Sacri Palatii Apostolici accuratè, & magna cum voluptate perlegi secundum Tomum, cui titulus: *Sanctissimi D. N. Domini* CLEMENTIS PAPÆ XI. *Constitutio* UNIGENITUS *theologicè propugnata*, ubi eruditus Author, quemadmodum etiam in priore tomo præstiterat, juxta communes, & concordes scholarum omnium Catholicarum, nominatim Seraphicæ, & Angelicæ sententias, singularum Propositionum damnatarum virus clarè, solidèque detegit, ac tanto rationis, & authoritatis pondere opprimit, ut nihil ultra desiderari posse videatur, sive ad confundendam Hæreticorum pertinaciam, sive ad confirmandos in antiqua fide Catholicos, sive denique ad manifestandam toti mundo præfatæ *Constitutionis* justitiam, & necessitatem: quapropter opus hoc cum sua Synopsi prælo dignissimum judico.

Ex Aracæli die 25. Aprilis anni 1719.

Fr. Joannes Antonius de Panormo Ordiais Minoram, S. Romanæ, & universalis Inquisit. Qualificator, & Consult. Congreg. Sacrorum Rituum.

COnstitutio UNIGENITUS considerata in semetipsâ est seipsâ inexpugnabilis: Propositionum intuitu ferè omnium, facillimè, ac brevi prorsus compendio demonstratur invincibilis: contra cæteras non rejicit aliquantò studiosius propugnantis obsequium. Vinci ideò in se non potest, quòd Dei verbo maneat in æternum firma: *Et cum in aliis partibus*, inquit Angelicus Magister, *vel nulla fides sit, vel sit commista multis erroribus; Ecclesia tamen Petri & fide viget, & ab erroribus munda est. Nec mirum, quia Dominus dixit Petro Luc. 22 Ego rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua.* *Opusc. de expos. Symbol. Apost.* Et alibi apertiùs: *Universalis Ecclesiæ fides non potest deficere, Domino dicente Luc. 22. Ego pro te rogavi, Petre, ut non deficiat fides tua.* *2.2.q.2.a.6.* Ut nempe propterea quasi synonymè nominibus Ecclesiæ universalis, & Petri usus fuerit, quòd Petri, & Successorum ejus, definitivè docentium, quid de fide sit tenendum, fides est, quam tenetur Ecclesia tota suscipere.

Similiter, dum ad eos comparatur, qui fide sunt robusti, propriâ dumtaxat origine se tuetur invictissimè: *tractatu longo*, ait S. Cyprianus, *atque argumentis opus non est. Probatio est ad fidem facilis compendio veritatis. Loquitur Dominus ad Petrum, Ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super istam Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non vincent eam.* *De Unit. Eccl.*

Propugnatur nihilominus, prolixis etiam tractatibus, ut ad retinendam fidem, quam Dei gratiâ susceperunt, juventur infirmi, in quos sæpe valent hæreses, nihil valentes in fortes. *Mirum scilicet*, inquiebat Tertullianus, *ut malam vires suas habeat: nisi quòd hæreses apud eos multùm valeant, qui in fide non valent. In pugna pugilum, & gladiatorum, plerumque non quia fortis est, vincit quis, aut quia non potest vinci; sed quoniam ille, qui victus est, nullis viribus fuit: adeò idem ille victor benè valenti postea comparatas, etiam superatus recedit. Non aliter hæreses de quorumdam infirmitatibus habent, quòd valent, nihil valentes, si in benè valentem fidem incurrant.* *De Præscript. c. 3.*

Ergo adversùs dissidentes, qui subdolis locutionibus, & scriptis Ecclesiæ sapientiam, atque patientiam exercere nunquam cessant, propugnetur Constitutio, nè simplicium, infirmorumque fidem pessumdent, perdant, vel corrumpant. Descendat in aciem fortis Athleta, in quem nihil valeant Adversantium fraudulentæ machinæ. Veniat in certamen, eorum comprimens conatus, qui contra Sancti Petri Cathedram, contra Ecclesiam Catholicam superba colla subrigunt. Accedat inconcussis argumentorum armis accinctus, potens exhortari in doctrina sana, debiles corroborare, convincere inobedientes, vaniloquos, maledicos, mendaces, seductores, dicentes, & docentes, quæ non oportet, & domos subvertere molientes universas.

Author operis, cui titulus, *Sanctissimi Domini Nostri Domini* CLEMENTIS PAPÆ XI. *Constitutio* UNIGENITUS *theologicè propagaata*, ut ex ipsa inscriptione liquet, hanc propugnandi provinciam assumpsit, & feliciter prosecutus est in primo tomo usque ad Propositionem damnatam 37. Romæ impresso anno 1717. Huic nunc succedit secundus, quem cum Synopsi, ipse jussu Reverendissimi Patris Fr. Gregorii Selleri Sacri Apostolici Palatii Magistri seriò examinavi, sequentesque vidi usque ad 62. damnatas Propositiones, confutatas validissimè, earumque contradictorias lucidissimè firmatas omni argumentorum genere, quo res fidei, ad fidemque spectantes possunt demonstrari; præsertim verò Sanctorum Augustini, & Thomæ, quibus ubique redundat, authoritatibus, non in alienos detortis sensus, ut detorquere solent adversarii, sed juxta genuinam utriusque Sancti Magistri mentem sincerè productis, & expositis.

Eâdem itaque approbatione, qua primum tomum approbavi, cujusque fragmentum *Monito* ad Lectorem secundo tomo præfixo voluit Author insertum, hunc eumdem secundum tomum approbo, & commendo, præclarissimumque, & Christianæ Reipublicæ perutilem, prælo, luceque publicâ, ac immortalitate dignum censeo.

Ex Conventu S. Mariæ supra Minervam die 28. Aprilis 1719.

Fr. Augustinus Pipia Ord. Præd. Sac. Congreg. Indicis Secretarius, ac S. Romanæ, & universalis Inquisitionis Qualificator.

IMPRIMATUR,

Fr. Gregorius Selleri Sac. Palatii Apostolici Magister Ord. Prædic.

MONITUM
AD LECTOREM.

V*Ix lucem aſpexerat Tomus prior, cùm Hollandiæ nova publica divulgarent, velut ex Urbe nuntiatum, prodiiſſe à me tomum pro Conſtitutione* UNIGENITUS, *atque iſtiuſmodi eſſe, ut exercitium præbiturus eſſet ingeniit eruditorum, ac typis. Effectum vaticinii, aut minarum expectavi hactenus pede firmo, certus ſtare promiſſis, quæ in Tomi primi Monito præmiſeram, me fore in defendendo opere, ſi aggrediendi adverſariis animus eſſet, haud ſegniorem, quàm fuerim in ſuſcipiendo. Nihil autem hoſtile, nihil adverſum comparet hactenus præter mediam paginam in Documento Paſtorali Gallico, ubi triplex occurrit accuſatio. I. Quòd ſuſtineam dogmata Ludovici Molinæ de divinæ gratiæ auxiliis maximè immoderata* le Moliniſme le plus outrè. *II. Quòd de differendâ abſolutione aſſertiones laxas, & ſcandalo obnoxias tradam, ipſiuſque Bullæ ſtabiliam authoritate. III. Quòd propoſitiones aliquas damnem, quas veluti licitas, & orthodoxas agnoverat inſtructio Paſtoralis Antiſtitum, qui Conſtitutionem* UNIGENITUS *admiſere.*

Ad primum quod attinet accuſationis caput, nequaquam mihi conſcius ſum, ullam à me in toto priore volumine traditam Molinæ Sententiam, ipſi, aut Scholæ Societatis propriam, aut non communiſſimam Eccleſiæ. Centenos poſſem ex omni ſchola, & ordine proferre hujus encomii ultro mihi attributi teſtes. Quos Reverendiſſimus P. Magiſter S. Palatii ſtatuit illius operis Cenſores, fuere duo Scholæ Thomiſticæ Doctores graviſſimi, quorum alter Epiſcopus tunc electus, nunc etiam conſecratus eſt: alter Sac. Congregationis Indicis Secretarius; uterque S. Officii Qualificator, & inter eos, qui Propoſitionum Queſnellianarum interfuere examini. Non eſt autem veriſimile, quòd Moliniſmum maximè immoderatum *tantis fuiſſent proſecuti elogiis. Poſterior Cenſorum ex S. Dominici familia ſic approbationem ſuam de me loquens concludit:* Tantâ denique ſe gerit erga Catholicorum Scholas modeſtiâ, & obſervantiâ, ut firmam ipſe ſpem conceperim, etiam Thomiſticæ Alumnos hoc volumen haud parvi facturos. Sic enim Author totam hanc materiam pertractat, ut legenti clarè conſtet, ex nullius particularis Scholæ placitis pendêre damnatorum Articulorum confutationem, aut Conſtitutionis Apoſtolicæ æquitatem ſicut reipſa non dependet; quandoquidem tam pro Conſtitutione, quàm contra

quem-

quemvis è damnatis Articulis argumenta in omnium catholicorum Sententiâ exhibet invicta. Hoc itaque opus planè ingeniosissimum, & grandi eruditione refertum, publicis typis dignum, & Christi fidelibus perutile censeo. Ex Conventu S. Mariæ supra Minervam die 26. Aprilis 1717. Fr. Augustinus Pipia Ordinis Prædicatorum Sacræ Congregationis Indicis Secretarius, ac Sanctæ Romanæ, & universalis Inquisitionis Qualificator. *Neque librum levi oculo percurrerat, sed* semel, *inquit*, & iterum examinavi.

Illustrissimo Teronio, qui prior Censorum fuerat, ad Urbevetani Episcopatus administrationem profecto successit Reverendissimus P. Jo: Antonius de Panormo Ordinis Minorum Observ. aliàs Commissarius Generalis, nunc Congregationis Sacrorum Rituum Consultor, S. Officii Qualificator, atque ad Propositionum Quesnellianarum examen pariter à Pontifice delectus. Is antequam Tomum secundum examinandum susciperet, accuratè legerat priorem; in secundi autem approbatione, ut principio relata est, istud in utroque Tomo præcipuè laude dignum censuit, quòd juxta communes, & concordes Scholarum omnium Catholicarum, nominatim Seraphicæ, & Angelicæ Sententias, singularum Propositionum damnatarum virus clarè, solidèque detegat. *Simile de utroque Tomo judicium continet approbatio Illustrissimi Seleuciæ Archiepiscopi. Scio, Adversario Antistiti rebus maximis occupato, cujus nomine triplex illa contra me accusatio edita est, non fuisse otium legendo meo operi viris Principibus nimium prolixo. Sed neque legerint Theologi ejus: aut contra perspectissimam sibi veritatem Præsuli imposuerint, quemadmodum imposuisse eos aliàs in re gravissima, utpote causa fidei circa secundum Quesnelli Articulum, convici. Expetere saltèm hic mihi liceat, ut ex toto meo priore, vel etiam præsenti volumine, una proferatur Molinæ propria enunciatio, quamque Scholæ Angelicæ, aut Seraphicæ Professor approbare non potuerit, ut jam vidimus, accurato præmisso examine, tomum utrumque tantis elogiis celebratum.*

Pro secundo accusationis capite adducitur, quòd initio Tomi primi Unigenitum Dei Filium *alloquens dixeram:* Articulus 87. & 88. præsentis temporis Ecclesiam accusat, veluti *ignorantem*, quid sit *peccatum, & vera pœnitentia*, quando peccata confitentes, & contritos *statim restituit possessioni bonorum illorum, quibus eos peccatum spoliaverat.* Vult eos Quesnellus aliquamdiu separationis istius ferre confusionem: vult dari animabus tempus portandi cum humilitate, & sentiendi statum peccati: vult eis passim differri absolutionem; atque ita dari tempus petendi spiritum pœnitentiæ, & contritionis, & incipiendi ad minus satisfacere justitiæ Dei, antequam reconcilientur. Hunc modum author (Quesnellus) pronuntiat *plenum Sapientia, Lumine, & Charitate.* Hanc tu, bone Jesu, Sapientiam, hoc lumen, hanc charitatem Quesnelli ignoraveris; certè secutus non es, qui quorum compunxeras animos, non dimisisti reconciliationis gratiâ vacuos: non eam distulisti, donec satisfactionibus se aliquo tempore exercuissent. Sapiens quoque Sponsa tua Ecclesia Spiritûs tui probè conscia, & imitatrix oppositam Novatorum regulam neque sequitur, neque approbat, Alexandro VIII. Pontifice damnante inter 31. Propositiones 16. 17. & 18., duobus recensitis Quesnelli Articulis consentientes. *Perspicis hic, Lector, à me reprehendi minimè dilationem absolutionis in pluribus circumstantiis utilem, & necessariam; Sed regula solùm mihi displicet à Quesnello absque limitationis indicio tradita, ut absolutio differatur. Perspicua mea expressio, & fortè benigna nimium damnati dogmatis interpretatio est,* vult passim absolutionem (*confitentibus*) differri; *Antistitis verò hic mihi oppositi* Instructio Pastoralis *meam quidem, sed truncatam principio, & fine refert Sententiam; principio quidem, ex quo pateat, qua ratione damnabilis visa fuerit Quesnelli opinio, quòd*

nempe

nempe regulam statuat, juxta quam non aliquando solùm, sed passim absolutio differenda sit. *Omittitur quoque finis, quo dicta mea, & maximè Apostolicam* Clementis XI. *definitionem confirmo Authoritate* Alexandri VIII. Pontificis damnantis inter 31. Propositiones decimamsextam, 17. & 18. duobus recensitis Quesnelli Articulis consentientes. *Quòd autem damnata utraque Quesnelli enuntiatio proscriptis illo Alexandri Diplomate Articulis continеatur, sola eorum lectio convincit:* 16. Ordinem præmittendi satisfactionem absolutioni induxit non politia, aut institutio Ecclesiæ; sed ipsa Christi lex, & præscriptio; naturâ rei idipsum quodammodo dictante. 17. Per illam praxim mox absolvendi, ordo Pœnitentiæ est inversus. 18. Consuetudo moderna quoad administrationem Sacramenti Pœnitentiæ, etiamsi eam plurimorum hominum sustentet authoritas, & multi temporis diuturnitas confirmet, nihilominus ab Ecclesia non habetur pro usu, sed abusu. *Excerpti fuerant hi Articuli ex Libro Antonii Arnaldi* de frequenti communione: *unde & duo Quesnelliani surculi nati sunt. Denique judicium meum de utroque Quesnelli Articulo prorsus consonat Sententiæ, quam contra eosdem tulerant centum Galliarum Antistites; quadraginta videlicet* Pastorali *Parisiis edita* Instructione, *quam mox sexaginta alii approbavere.* Non sinè dolore accepimus (*inquiunt*) perstrictos fuisse nonnullorum oculos malignâ luce aliquot Propositionum, quæ per speciem revocandæ veteris disciplinæ, cui semper à fidelibus honorem haberi par est, præsentem Ecclesiæ praxim in administrando Pœnitentiæ Sacramento condemnant. Si earum author Pastoribus agendi cum pœnitentibus modum proposuisset, qualem tradidere Sancti Patres; qualem S. Carolus præscripsit in suis illis regulis, & axiomatibus, quæ Summi Pontifices approbarunt, itemque Galliæ Antistites in Cleri comitiis habitis anno 1656. & 1700., ut referunt Acta comitiorum Cleri Gallicani 6. Martii 1656. & Acta 1700. fol. 617.; Si oculis subjecisset veterem Ecclesiæ severitatem, quæ graviorum criminum reos salutaribus exercebat pœnis, antequam illos absolveret, ut ævi nostri fideles hoc spectaculo, & primorum exemplis Christianorum incitati ponerent in beneficii, & lucri loco, præsentis indulgentiam Ecclesiæ, quæ illos in gratiam restituit ante exhibitam satisfactionem; Si dixisset, differendam multis in casibus, & in pluribus circumstantiis absolutionem, non possemus ejus doctrinam, pietatemque non laudare. Nunc verò istis æquissimis limitibus non se continens, differri absolutionem, & aliquam saltèm satisfactionis partem ante absolutionem persolvi sic jubet, ut eam velit generalem esse legem, nullâ exceptione adhibitâ, nullo temperamento. Quid hoc est, nisi præsentem Ecclesiæ usum condemnare, ac per nomen arctioris, falsæque disciplinæ, novam inducere, quæ plurimis in occasionibus non levem saluti animarum creare perniciem posset?

Hanc vim, & Sententiam apparet esse propositionum condemnatarum. In iis tanquam agendi norma statuitur, *modum esse plenum Sapientia, Lumine, & Charitate, dare animabus tempus portandi cum humilitate, & sentiendi statum peccati, petendi spiritum pœnitentiæ, & contritionis, & incipiendi ad minus satisfacere justitiæ Dei, antequam reconcilientur.* Prop. condem. LXXXVII. Nullum inter peccatores ibi ponitur discrimen, quamvis, ut præscriptæ à S. Carolo regulæ monent, multùm diversa ratione tractandi sint, pro diversâ scilicet ratione peccati, & variâ pœnitentium indole, animo, ac statu. Quis de peccatoribus universè pronuntiaverit, *dandum esse illis tempus portandi cum humilitate, & sentiendi statum peccati,* hoc est, differendam illis semper absolutionem, nec admittendos ad reconciliationis divinæ beneficium, antequam saltèm inceperint debitas justitiæ divinæ pœnas luere? Quid ejusmodi propositionibus indicatur, nisi præire absolutioni satisfactionem oportere; idque à peccatoribus in summi beneficii loco ponendum, quòd pars tan-

tum aliqua satisfactionis obeunda ipsis imponatur, antequam vinculis delictorum solvantur? Quis autem non videt, hac ratione tolli, contra Concilii Tridentini mentem sess. XIV. Cap. VIII. discrimen inter pœnitentiam *medicinalem* certis in circumstantiis necessariam, aut utilem ad præparandum reconciliationi peccatorem; & pœnitentiam *satisfactoriam*, quæ debitam Divinæ Justitiæ, condonatâ jam culpâ, pœnam solvit? Non inficiamur, Fratres Charissimi, contingere aliquando posse, ut non expediat statim restitui in possessionem bonorum, quibus nos peccatum spoliavit. Hujus generis sunt immania quædam scelera, aut publica; item inveterata peccandi consuetudo, occasionis proximæ periculum, restitutio, vel mutuæ gratiæ redintegratio negata, perperamve dilata; quotiescumque demum pœnitens non satis instructus, aut minùs præparatus esse cognoscitur: verùm accidere contra potest, ut peccator ad ea bona fruenda votis omnibus aspirare debeat. Ille peccati naturam, & gravitatem, ac pœnitentiæ vim salutarem probè intelligit, qui peccati pondus excutere, & animi vulnera Sacramenti remedio sanare festinat. Ut igitur differatur absolutio, id non oritur ex ipsiusmet peccati, ac pœnitentiæ natura, & conditione, adeò ut nulla pœnitentia censeatur vera, nisi satisfactio, saltèm inchoata, præcedat absolutionem; nulla vera absolutio, nisi quæ satisfactionem sequatur. Hæ propositiones errorem Petri Uxamensis refricant, tam luculenter anno millesimo quadringentesimo vigesimo octavo condemnatum Tom.III. Concil. Hispaniæ apud Cardinal. de Aguirre pag.686. per Bullam Sixti IV. confirmantis judicium Carilli Archiepiscopi Toletani, laudatum à facultate Theologiæ Parisiensi an. 1641. 18. Julii in censura Libri, cui nomen impositum erat *verus Pacificus*, in quo iidem errores continebantur.

Quid sibi vult *quartus decimus gradus conversionis peccatoris* Propos. condem. LXXXIX., quo illi jus, ut rei Divinæ intersit, tribuitur dumtaxat post reconciliationem? Hoc videlicet, significatur, non posse peccatorem sacrificanti Sacerdoti operam dare ante suum cum Deo reditum in gratiam, & donec impositam sibi pœnam impleverit, quæ secundùm veterem usum impleri priùs debebat, quàm peccator absolveretur. Hoc verò dicere, nonne hominis est præsentem disciplinam condemnantis, quæ non modò fas, jusque vult esse peccatoribus, ut intersint divino Sacrificio; verùm etiam quæ illos urget, ac porrò imperat, ut diebus Dominicis, ac Festis rem divinam frequentent; sperans nimirùm, fore ut aspectus divini mysterii mentes ipsorum salutari percellat metu, excitetque eorumdem fidem, quâ impulsi postulent à Deo *Spiritum contritum, & humiliatum*, quod verum cordis sacrificium est.

Concilium Tridentinum sacris Altaribus non submovet nisi peccatores publicos, ac notorii criminis reos: *Neminem qui publicè, & notoriè criminosus sit, aut sacro Altari ministrare, aut sacris interesse permittant sess.* XXII. *Decr. de obser. & evit. in celebratione Missæ*. Cujus temeritatis est, peccatores universos, quibus peccati publicè cogniti infamia inusta non est, sacrificio prohibere? Idem Concilium præcipit *sess.* XXIII. *de reform. cap.*18., ut flagitio publico contaminati, publicâ quoque pœnitentiâ plectantur; relictâ nihilominus Episcopis potestate, genus illud pœnitentiæ publicæ in aliud secretum commutandi, quando ita magìs judicaverint expedire. At Concilii Patres de publicis tantùm peccatoribus sunt locuti, ac nè illud quidem totum, pœnitentiæ publicæ nomine, intellexerunt, quod usurpabatur disciplinæ veteris more, atque instituto. Placebat S. Carolo, ut Confessariis noti essent Pœnitentiæ Canones; eo nempe consilio, ut cognoscerent peccatores, quid ab ipsis disciplina vetus exegisset: nolebat tamen, ut Confessarii suo arbitratu omnem veterum Canonum severitatem exprimerent. Quis est, qui meritò damna-

tas

tas propositiones non judicet, quæ contrariam Concilii Tridentini placitis, & usui præsenti Ecclesiæ disciplinam obtrudunt?.

Apostolus monet, inquit Concilium Tridentinum sess. xxiv. Dec. de Rep. c. 8., *publicè peccantes palàm esse corripiendos; Quando igitur ab aliquo publicè, & in multorum conspectu crimen commissum fuerit, unde alios scandalo offensos, commotosque fuisse non sit dubitandum; huic condignam pro modo culpæ pœnitentiam publicè injungi oportet, ut quos exemplo suo ad malos mores provocavit, suæ emendationis testimonio ad rectam revocet vitam. Episcopus tamen publicæ hoc pœnitentiæ genus in aliud Secretum poterit commutare, quando ita magìs judicaverit expedire.* Nos verò, Fratres charissimi, libenter doctrinam, & normam illius Concilii Romani *Epist. Cleri Romani ad S. Cyprian. Tom. 1. Concil. Labb. pag. 663.* amplectimur, quo docemur, *curandum anxiè nobis esse, ut nec pronam nostram improbi homines laudent facilitatem, nec verè pœnitentes accusent nostram quasi duram crudelitatem.* Eandem in administrando Pœnitentiæ Sacramento temperatam lenitate, ac severitate moderationem nostri nobis Libri Rituales commendant.

Hactenus Galliarum Episcopi, ut minùs centum, si Instructionis *approbatores publici autboribus jungantur. Huic Antistitum sensui pronus subscribo, neque in meo opere reperies quidquam illi contrarium: in Quesnello non impugno aliud, quam temeritatem Regulæ, qua confitentibus statuitur* differenda passim, *& quasi semper* absolutio; *Praxim istiusmodi dico neque à Christo adhibitam, neque Ecclesiæ suæ traditam; quam verò nunc Ecclesia sequitur, esse multorum seculorum sapientissimo usu, & Sedis Apostolicæ definitionibus consecratam.*

Tertium sequitur accusationis caput de propositionibus à me condemnatis, quas Constitutioni adhærentes Episcopi *in sua Pastorali Epistola admiserunt; quænam verò propositiones eæ sint, non indicat accusatio, nec mihi divinare facile est. Non alias mea lucubratio Propositiones damnat, quàm* 101. *quæ Constitutione Apostolica proscribuntur:* 40. *quoque Episcopi* P*arisiis congregati non Pontifici solùm, & Regi Christianissimo fecere fidem de admissa à suorum singulis Constitutione absque ullius exceptione Articuli; sed etiam Literas dedere encyclicas ad reliquos Galliarum Antistites, quibus eos ad sibi consentiendum invitant, præscripta hac admissionis formula, ut qui sensu unanimes essent, forent etiam professione concordes. Formula sic habet:* Omnibus perpensis, invocato Sancto Dei nomine, nos assentientes iis, quæ jam à prædictis Dominis Cardinalibus, Archiepiscopis, & Episcopis constituta, & sancita sunt, eorumque sententiam amplectentes, declaramus, à nobis agnosci summa cum voluptate, in Constitutione Pontificis Maximi doctrinam Ecclesiæ: accipi à nobis submissè, ac reverenter Constitutionem Summi Pontificis Unigenitus Dei Filius datam 8. Septemb. anni 1713., condemnari à nobis librum *Observationum Moralium*, & centum atque unam Propositiones ex illo excerptas, eo modo, & iisdem notis affectas, quibus à Pontifice condemnatæ sunt. Prohibemus cunctis fidelibus utriusque sexûs nostræ Diœceseos, nè doceant, scribant, loquanturve de istis Propositionibus aliter, quâm eâdem Constitutione præscribitur &c.

In ipsa 40. *Antistitum Epistola, qua memorata ad reliquos formula mittitur*, Doctrinam ejus (*inquiunt*) summa cum voluptate agnovimus in ejus (Clementis XI.) Constitutione, illamque submissè, ac reverenter acceptavimus: Librum *Observationum Moralium* in Novum Testamentum condemnavimus, & centum, atque unam Propositiones ex illo decerptas, eo modo, ac iis affectas notis, quas iisdem Summus Pontifex in Bullâ suâ inussit.

Ultra centum Gallorum Antistitum tenemus Documenta Pastoralia, quibus acceptatio Constitutionis fit, & Diœcesanis præcipitur absque ullius exceptione Articuli.

 ticuli.

ticuli. Tenemus denique ipsius Regis Christianissimi testimonium, ac voluntatem in Diplomate dato Versaliis die decima quarta Februarii 1714., & in publicas Parlamenti tabulas relato die 15. ejusdem mensis. Agens de relata ad suam Majestatem narratione Præsulum Parisiis congregatorum, Ex eâ (*inquit Rex*) narratione non sinè voluptate perspeximus, ab iis agnitam in Bulla Pontificiâ Ecclesiæ doctrinam, acceptatam eandem Constitutionem eâ, quâ par est, erga Caput Ecclesiæ visibile reverentiâ, & obsequio, simulque nos rogarunt, ut illam, edito Regio diplomate, promulgari toto regno, & eidem obtemperari juberemus. Cùm verò nihil sit nobis optatius, quàm authoritatem nostram conferre ad evellendos errores, fidei, & Ecclesiæ tranquillitati contrarios, ut hactenus fecimus, & officii nostri ratio postulat; his de causis ediximus, & declaravimus, edicimus, & declaramus hoc Diplomate manu nostra obsignato, volumus, nobisque placet, ut Constitutio Summi Pontificis in forma Bullæ, huic affixa Diplomati, ac Sigillo minore Cancellariæ obsignata, & per memoratos Archiepiscopos, atque Episcopos nostri regni, Parisiis jussu nostro congregatos acceptata recipiatur, & promulgetur, mos ei geratur, & vim suam omnem secundùm scripti formam, ac tenorem obtineat: itaque hortamur, ac porrò injungimus omnibus Archiepiscopis, & Episcopis nostri regni, ut eam recitandam in omnibus suarum Diœceseon templis, referendam in Ecclesiastici sui fori tabulas, & æqualiter ubique observandam curent, quemadmodum in prædicto Præsulum congregatorum cœtu constitutum fuit. Præterea volumus, & præcipimus, ut memoratus liber à Bulla condemnatus, itemque scripta quælibet composita, & in lucem edita ad defensionem aut ipsius libri, aut Propositionum per dictam constitutionem damnatarum, sint, maneantque suppressa, & prohibita: vetamus nè quis ea vendat, imprimat, ac nè apud se quidem servet. Qui secus faxit, pœnas dabit, quæ cæteris exemplo, & documento sint. Illa verò scripta qui penès se habent, eadem jubemus deferant in tabularia nostrorum, qui juri dicundo præsunt, administratorum, in iis, ubi degunt ipsi locis; ac Magistratibus, civilisque disciplinæ Præfectis imperamus, ut omni studio, & vigilantiâ provideant, nè quid contra præscriptas hìc à nobis leges peccetur. Prohibemus pariter, nè quis imposterum componat, imprimat, distrahatve ulla scripta, literas, aut alia quævis opera quocumque prædita nomine, quamcumque in formam edita, quibus prædictum librum propugnet, aut illi faveat, vel Propositiones in eo condemnatas renovet, ac restituat: in delinquentem animadvertetur, ut in quietis publicæ perturbatorem &c.

Submissio tunc integra Constitutioni Pontificiæ, & Edicto Regis præstita fuit à supremo Galliæ Senatu, à Sorbona, & Episcopis ferè omnibus. Si autem post obitum Regis verè Christianissimi, & cui religionis incolumitatem debet Gallia, aliqui ex iis qui condemnationem Propositionum antea admiserant, acceptationem retractaverint, vel ad minorem restrinxerint propositionum numerum; non mihi vertendum fuit piaculo, quòd in oppugnandis Propositionibus judicium sectatus fuerim Apostolicæ Sedis, ipsorumque ei adhærentium Gallicanorum Antistitum ferè omnium, & universæ extra Franciam Ecclesiæ, Propositiones omnes, & singulas rejicientis. Si etiam aliqui ex iis, qui Constitutioni adhæserint, articulos quosdam nominatim rationibus insectantur, aliis quodammodo silentio præteritis, non illud veluti eorum approbatio est censendum. Testantur hoc de se quadraginta Episcopi, quorum celeberrima Instructio Pastoralis est. *Ibi sub finem ajunt*: Cæterùm si excutere Propositiones v. xxviii. xliii. lviii. lxx. lxxi., & alias aliquot, earumque errores percensere omisimus, ea nobis causa fuit, quòd illarum virus ita manifestum est, ut absque probationibus, & declarationibus, in oculos etiam vulgi fidelium incurrat. *Denique, si in Propositionibus*

bus oppugnandis circa unam fortè, alteramve, rationis aliquid, vel explicationis appareat diversæ, non ideo Propositiones ipsi approbant, quas ego dignas censeo anathemate; sed uti in expositione fieri assolet Scripturarum, quisquis interpretes legerit, locis innumeris inveniet commentarios ab invicem innocuè discrepantes, & ubi nullus sit, qui detestabili sacrilegio aliquam repudiet sacri Codicis enuntiationem; ita quoque diversa Quesnellianorum dogmatum explicatio non propterea illorum approbationem in alterutra interpretum parte significat. In Scripturarum textibus approbandis, & damnandis manifestè oppositis, catholicos convenire semper oportuit universos; in eorum tamen explicationibus, ut Patres sæpe dissentiunt, ita faciliùs alicubi conceditur in suis cuilibet sensibus abundare. Et quidem istiusmodi adhibita à me hactenus fuit damnatorum dogmatum interpretatio, ut & sensui eorum obvio, & toti apprimè congruat authoris systemati, neque Instructioni *quadraginta Antistitum, aut aliorum ipsis consentientium sim contrarius. Non enim omnia, quæ subinde diversa sunt, invicem opponuntur; sed ut præscindentium dicitur non esse mendacium, ita sæpe disparata inter se facilè composueris. Affirmare itaque minimè vereor, nullum à me veluti Constitutione* Unigenitus *proscriptum exagitari Articulum, quem Constitutio non damnaverit, omnesque obedientes Pontifici Antistites non rejiciant.*

Hæc repellendæ accusationi triplici, nullis stabilitæ rationibus abunde sufficiunt. Si Instructio Pastoralis *altera, quæ ab adversante nobis Antistite promittitur, plus forsitan contra me accusationis, aut argumenti quidpiam attulerit, respondebo, qua cœpi demissione, ac reverentiâ, quam Adversarii dignitas postulat; quanquam nec propter eam doctrina sana, & catholica destitui debeat defensione. Fallitur autem cum suis Quesnellus; si, quem desperaverit rationibus posse convinci, unius putaverit authoritate Antistitis opprimendum. Dum enim ad Concilium is provocat futurum, quod pluribus apparet ætate nostra imaginarium, appellare nobis jure licitum erit potiore, à paucorum authoritate Præsulum ad cæteros Christiani orbis, etiam Episcopos, Archiepiscopos, Cardinales, Sedem Apostolicam, atque omnem ei obedientem Ecclesiam, omnibus hominibus visibilem, omnibus patentem fidelibus, qui supremi audire vocem Pastoris non detrectaverint.*

Quæ supersunt minutiora ab aliis opposita expediam breviùs. Offendit aliquos nominis mei in Operis fronte suppressio: Immeritò offenderit Quesnellianos, quibus editione anonymorum operum nihil est familiarius. Catholicis verò Regulam Indicis ex ignorantia objicientibus, ipsam exhibeo regulam de impressione Librorum §. 1. Nullus liber in posterùm excudatur, qui non in fronte nomen, cognomen, patriam præferat authoris. Quod si de authore non constet, aut justam aliquam ob causam, tacito ejus nomine, Episcopo, & Inquisitori liber edi posse videatur, nomen illius omnino describatur, qui librum examinaverit, atque approbaverit. *Approbatorum nomina plura, & majoris, quàm opus fuerat, authoritatis, descripta dedi, in operis principio. Mei autem reticendi nominis ratio probata fuit ipsi Episcoporum Episcopo; quod facilè credet, quisquis mea Romæ, & Vaticanis typis edi meminerit. Expertus pridem fueram in aliis à me editis contra Jansenistas, & Quesnellianos Lucubrationibus, solam nominis Jesuitici umbram sufficere, ut censeatur Liber doctrinam ubique defendere Molinisticam; quamvis nec ulla usquam mentio ejus sit, nec ulla occurrat enuntiatio, quæ non in scholis omnibus etiam Molinisticæ oppositis habeatur communissima. Ideò mox ab edito priore tomo, cura adversariis fuit, in authorem inquirere studiosiùs, & Jesuitæ expressum nomine Gazettis Hollandicis propalare. Hac scilicet notitia habita, vel supposita, non opus videbitur multa voluminis lectione, & vix levi intuitu, ut proclametur Molinismi summum quodammodo apicem superasse* (le Molinisme le plus outrè) *etsi nè gradum*

qui-

quidem attigerit infimum, ut cuilibet oculos suos, non infida hostium testimonia consulenti perspicuum est.

Eadem Novorum Relatio ex Urbe scriptum memorabat, successurum primo tomo alterum, & dein tertium, in quorum compositione partem non exiguam habiturus esset N. N. alterius ordinis Religiosus, cujus scilicet nec verbum hactenus ullum est, nec erit in posterum toto opere. Verùm Jansenistæ licèt toti ex fraudibus, & mendaciis consuti, non tamen ea profundere solent inutiliter, sine commodo suo, vel sibi adversantium detrimento. Quale autem hic speraverint, ipsa satis indicat Relatio; sed quæ, pro sperato fructu, meritam eis creaverit iniquitatis infamiam. Mihi satis est, detexisse mendacium de extraneo isto tomi secundi, & qui sequetur, tertii adjutorio. De quibusdam textuum ex Gallico versionibus monendus es Lector, quas non semper versiones esse indico: non te commoveat, si, cùm recurrunt sæpius, non iisdem semper vocibus translati sint: non existimes citationis errorem; non enim interpretationum fides voc abulis circumscribitur; Sed sensibus; neque prolixiorum operum Scriptores meminisse semper possunt, aut operosiùs quæritare, quæ alibi in ejusdem textus Gallici translatione adhibuerint verba.

In prima Operis conceptione decreveram tomis prioribus complecti Articulos plures, quàm commodum postea visum fuerit. Spero autem 39. reliquos, utpote minùs obnoxios disputationibus, & minùs capaces defensionis seriæ, non majorem, quàm fit primi, & secundi, facturos molem tomo tertio. Hunc confido me anno proximo typis daturum. Interim solatio mihi potius est, quàm dolori triplex memorata contra priorem tomum objectio, quæ, ut jam vidimus, nihil continet accusationis solidæ; &, cùm adversarii ad criminationes comparatissimi, nihil odiosius repererint, quod arguendum, magni Antistitis vellent inseri Instructioni; *non leve mihi innocentiæ apparet argumentum, fiduciamque auget fore, ut & pacificè permittatur operis prosecutio; ac tandem plurimi, quibus intellectum non obcæcaverit corruptio voluntatis, æquitatem ubique perspiciant Constitutionis, damnentque pertinaciam Novatorum: ac denique ex omnibus conclusionem eliciant prorsùs oppositam, ei quæ accusanti me Antistiti placuit de generalis necessitate Concilii. Utinam illi tantum otii, & propensionem Deus tribuat, ut benignis oculis dignetur duos, qui pro Constitutione jam editi sunt, tomos, & secuturum, superis faventibus, tertium! Non dubito, quin excitandi sint in eo ampliùs, quos olim tam salubriter conceperat, contra Jansenianam hæresim spiritus, dicturusque sit cum Augustino lib.4. contra 2. Epist. Pelag. cap. ultimo.* Haud verò Congregatione Synodi opus erat, ut aperta pernicies damnaretur, quasi nulla hæresis aliquando nisi Synodi congregatione damnata sit; cùm potiùs rarissimæ inveniantur, propter quas damnandas necessitas talis exstiterit.... Verùm istorum superbia, quæ tantum se extollit adversùs Deum, ut non in illo velit, sed potiùs in libero arbitrio gloriari; hanc etiam gloriam captare intelligitur, ut propter illos Orientis, & Occidentis Synodus congregetur. Orbem quippe catholicum, quoniam Domino eis resistente, pervertere nequeunt, saltèm commovere conantur; cùm potius vigilantia, & diligentia Pastorali, post factum illis competens, sufficiensque judicium, ubicunque isti lupi apparuerint, conterendi sint, sive ut sanentur, atque mutentur, sive ut ab aliorum salute, atque integritate vitentur. *Fiduciam mihi de adversante Antistite non levem conciliat ejusdem ad Sanctissimum Dominum Nostrum epistola anni 1711., ubi de Clero Gallicano in Comitiis congregato anno 1796. ita testatur:* Certum illi fuit, Pontificiis Decretis adversùs Jansenium nihil deesse, ut universam Ecclesiam obligent, & circa illa nec appellationem admitti, nec mutationem expectari posse. Idem, & de Apostolicis adversùs Bajum, Molinosium, & librum vulgò dictum *les Maixmes des Saints*, definitionibus professurum

fuisse

fuisse Clerum existimo; si de illis actum fuisset. *Quæ quomodo cohæreant cum iis, quæ de Constitutionibus contra Bajum* Instructio Pastoralis *enuntiat, alii viderint. Sed & à Baji, & Jansenii dogmatibus, nè Quesnellus quidem Articulos à* CLEMENTE XI. *proscriptos secerni volet, neque velle posset, nisi ridiculè, & vel à Theologiæ tironibus sibilo excipiendus. Jansenismum Quesnelli toto ostendimus superiore volumine: Bajanismum ubique exhibet præsens. Sola remanet disparitas, quòd Bajus, & Jansenius judicio se Pontificis submiserint; Quesnellus contra Pontificem, contra totius Christiani orbis extra Galliam Episcopos, & in ipsa Gallia ferè omnes, contra adhærentem Pontifici Ecclesiam universam, errores contumax Summo fidelium infideliumque scandalo tueatur. Quæ Clementinam inter Constitutionem contra Quesnellum, & Superiorum Pontificum contra Bajum, & Jansenium ab adversante Antistite proferuntur discrimina, quasi Clementis Bulla superioribus inferior sit, authoritatisque faciliùs elidendæ, parum conveniunt allegantis sapientiæ, dignitati, minùs etiam religioni: neque iis refellendis distrahi me expedit ab instituto damnata dogmata insectandi; quorum ubi exitiale virus ostenditur, Constitutionis æquitas hoc ipso, & necessitas stabilitur invictissimè, dissilitque sponte, & in auras dispergitur omnis adversantium machina, ex quibuscumque conflata obtentibus, sive de licito subinde appellationum usu à Pontificis sententia ad Synodum Oecumenicam, sive de non sufficiente Constitutionis Apostolicæ in universa Ecclesia admissione: Quibus adde, si volueris, centena alia damnatis Articulis æquè extrinseca. Cùm enim doctrinæ malitiam neque abstergere valeant, neque imminuere; patet, frustranea esse, & ad scopum, quò collimant omnia, defensionem videlicet proscriptorum dogmatum, prorsùs inutilia. Spem de adversario Antistite non leviter auget, quod is non privatis solummodo literis ad Regis Christianissimi gloriosæ memoriæ Ministrum; sed in ipsa etiam, qua redarguor* Instructione Pastorali, *profiteatur se* quoad doctrinæ substantiam cum Episcopis Bullam admittentibus convenire. *Quod si verum est, judicet ejus pietas, an propter phrasium diversitatem, ubi sensuum concordia est, æquum sit tantis Ecclesiam concutere motibus, non absque exitio plurimorum. Quibus autem jus est, & potior authoritas figendi normam locutionibus de rebus Sacris, & dogmaticis? Paucisne unius Regni Episcopis, an Sedi Apostolicæ cum universa ei obediente Ecclesia? Verùm tanta in retinendis omnibus, ut apparet hactenùs, Quesnelli Articulis veluti immeritò damnatis obfirmatio, sinistram parere nata est de animi quoque sensibus suspicionem; quam utinam* Instructio Pastoralis, *quæ promittitur, altera efficaciùs amoliatur; præstetque integrè, quod data ad Episcopum Aginnensem epistola ante Constitutionem idem Præsul addixerat. Loquens illic de Apostolica Sede,* Teneor *(inquiebat)* manere *(circa eam)* in subordinatione legitima, & exercere charitatem nullis limitibus circumscriptam. Nemo me conspiciet unquam schisma facientem in Ecclesia, neque induci patiar propter librum Religioni non necessarium... Si eum à Sanctissimo Patre in forma solita censuris affici contingeret, Constitutionem admitterem omni veneratione possibili; foretque mihi certè gaudio minimè fucato, proficere documentis à Summo Pontifice traditis: ducerem mihi quoque honori non vulgari, didicisse à Sanctissimo Domino accuratum loquendi modum de materia momenti adeò gravis, tamque obnoxiâ errandi periculo. *Ea tunc spes, & promissio data est minimè occulta; sed ita, ut ejus fama ad Aulam, ipsumque Regis Solium perveniret: unde Romam usque, & ad Sedem Apostolicam certissimis nuntiis perlata, ædificationi fuerit omnibus, & lætitiæ non minori. Prodeunte dein ex Voto Regis, atque ipsius, ut apparet, Antistitis, Apostolica Constitutione, eatenus hic promisso stetit, quòd eodem, quo Constitutio emanaverat, anno 1713. eodem mense Septembri quatuor Quesnelli tomos proscripserit; sed altum tenens de propositionibus silentium. Sic autem in publico*

præ-

præfatur diplomate: Sentimus, nobis incumbere obligationem exequendi promissa, quòd futuri essemus primi in abdicando à nobis libro; si eum Pontifex condemnaret. Obligationem præterea agnoscimus in omni rationum genere fundatam, testandi nostram erga visibile Ecclesiæ Caput reverentiam atque submissionem. *Hanc Roma, hanc Gallia ferè universa, hanc reliquus orbis catholicus votis ardentissimis exoptat videre, facto tandem ampliori, &, quod tantum decet Antistitem, magìs conspicuo adimpleri.*

DECLARATIO AUTHORIS.

DIsputatorem Theologum, non Fidei Definitorem ago. Ideo quidquid censuram Propositionis cujuscumque determinatam alicubi sapere videbitur, non plus eam valere cupio, quàm allegata secundùm meam sententiam argumenta probaverint. Neque enim is ego sum, qui Summi Pontificis mentem scrutari audaciùs præsumam circa id, quod ipsi declarare non placuit. Sanè cùm ex ipsis Constitutionis Apostolicæ verbis pateat, censuras varias Propositionibus *respectivè* inflictas fuisse, non singulis singulas *determinatè* applicatas, *dicendum est* (ut præclarè in simili monet Suarez de Gratia part.1. Proleg.6. cap.2. num.8.) *Apostolicam Sedem non tam fuisse solicitam de illa particulari applicatione censuræ quoad speciem, vel gradum ejus, quàm de exterminanda, & abolenda tota illa doctrina, sicut statim fecit, illam damnando, & in posterum interdicendo. Ad hunc autem finem sufficiens fuit illa generalis censura, licèt plura membra contineat; quia qualibet nota illarum sufficit, ut doctrina ipsa circumscribatur, etiamsi propria nota, & censura uniuscujusque Propositionis per regulas Theologiæ ad singulas applicanda Doctoribus Theologiæ permittatur. Neque est novus hic modus damnandi pravam aliquam doctrinam, quæ plures continet: nam simili modo damnavit Leo X. articulos Lutheri in sua Bulla, & Concilium Constant. articulos Joannis Vviclef, & Joannis Hus sess.8. & 15.*



SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

CLEMENTIS XI.

PONTIFICIS MAXIMI

CONSTITUTIO UNIGENITUS,

Providè, ac justissimè damnans Propositiones centum & unam, excerptas ex Libro Gallico *Observationum Moralium in Novum Testamentum*,

Theologicè propugnata.

Trigesimaoctava Propositio damnata.

Peccator non est liber, nisi ad malum, sinè gratia Liberatoris. *Observat. Mor. Lucæ* 8. *vers.* 9.

CAPUT I.

Propositio refellitur.

1 ERror hic accedit proximè ad Bajanum 27. *Liberum arbitrium sinè gratiæ Dei adjutorio, nonnisi ad peccandum valet*; utque ejusdem est particeps malitiæ, ita paribus olim à Sede Apostolica censuris profligata est. Quomodo igitur in mentem venire Quesnello potuit, in opere mystico, quo Lectorem suscipit pietatis sensibus instituendum, sive, ut ait, *Christianis considerationibus*, imò *Christianæ ethicæ compendio*; in tali, inquam, opere instaurare percussos pridem anathemate errores, atque inter cæteros hunc in lucem protrudere, qui damnationis suæ sententiam ipsâ fronte præsefert, *Peccator non est liber, nisi ad malum, sinè gratia Liberatoris*? Quod enim discrimen sufficiens est inter hunc, & Bajanum à tribus primùm Romanis Pontificibus proscriptum?

Nam, licèt Quesnelli enunciatio restringatur ad *peccatorem*, à quo præscinditur in Bajanâ, non tamen ea qualiscumque limitatio propositionem eximit à censurâ. Cur enim actus; qui ex se, & fine suo minimè malus est, in peccatore vitiosus fiat, si vitio careat in justo? Apud Augustinum, & omnes Theologos Catholicos virtutes, & vitia finibus discernuntur, non subjectis. Vel cur nullus peccator, maximè qui peccandi consuetudine irretitus non est, exercere valeat opus innoxium absque gratiæ auxilio; si solo voluntatis arbitrio perficiat justus? Sed neque illi, qui ex frequentibus vitiorum actibus pravos habitus contraxêre, sic ab iis illiciuntur ad malum, ut nullo tempore bonis intrà naturæ ordinem exercitiis, aut conatibus locus relinquatur. Quid in hoc Quesnelli principio misertimus peccator agat? Quò se vertat sinè gratiâ Liberatoris? A Deo petere illam nec precibus, nec lacrymis potest, nec ulla ratione se ad eam accipiendam disponere, ut fides docet contra Semipelagianos: nullum quoque opus bonum naturalis ordinis, nullum indifferens juxta articulum meditari: *Non enim est liber, nisi ad malum*.

Quesnello hìc applicaret Ennodius Ticinensis, quod scripsit olim in Epistola ad Constantium: *Inventus est, qui arbitraretur, in una tantum parte, quæ deterior est, eligendi*

datam esse licentiam. O schismaticam propositionem, quæ juxta Apocalypsim scriptas habet in fronte blasphemias! Quæ ista libertas est, ubi hoc solum datur velle, quod puniat? Aut quare electionem nominat, ubi unam tantùm partem asserit esse concessam?

Libertatem nempe *ad malum* solummodo, vocare debuit inevitabilem ad malum necessitatem. Quomodo enim si malum nec impedire possim, nec suspendere, ad illud liber prædicor? Quid aliud est ad malum constringi necessitate, quàm ab eo abstinere non posse? *Quis autem peccet in eo, quod nullo modo caveri potest? Peccatur autem; caveri igitur potest*, teste Augustino libro de natura, & gratia cap.67.

At, inquit Quesnellus in *Protestatione*, non assero malum nullo modo à peccatore vitari posse, sed *non posse sinè gratia Liberatoris*. Hanc quandocumque Liberator concesserit, tunc à malo poterit abstineri. Facilè Lector intelligit, quæ ea sit peccatorem consolandi, vel Deum à duritie vindicandi ratio; qualis nempe, si præciperetur homini volatus, &, cùm non volaret, suppliciis infelix addiceretur æternis; quia volare potuisset, si alæ, quas Deus concedere poterat, sed nè offerre quidem voluit, adfuissent. Sic omnes peccatori motus concupiscentiæ pravi imputari possent; quia Deo modus illos impediendi non deest. Verùm libertas ad demeritum requisita non salvatur iis mediis, quæ Deus in sua habeat potestate, nisi homini cùm agendum est, utcunque offerantur parata, neque per ipsum steterit, quin saltèm petendo impetret. Sic Augustinus lib.3. de libero arbitrio cap.18. *Ista causa est voluntatis, si non ei* (tentationi hic, & nunc) *potest resisti, sinè peccato ei ceditur; si autem potest, non ei cedatur, & non peccabitur.*

2 Frustrà Quesnello objicies, sequi ex articulo necessitatem peccandi, quoties gratia peccatoribus defuerit; nam ex Magistro suo Jansenio editionis Lovan. col. 870. didicit *inductam esse peccandi necessitatem* absente gratia, imò quoties eâ præsente, ardentior insurrexerit concupiscentia. *In Jansenii* autem *sensu nihil non esse Catholicum*, atque id *demum credi cœpisse ab Orbe Catholico*, Quesnellus magnificè jactat lib. *Notarum in Epistolam Martini Steyaert* paginâ 18. Si ægrè tulerimus, ita subrui in peccatoribus libertatem, reponetur illud Jansenii lib. 8. de gratia Christi capite 19. col. 869. *Nulla necessitas actibus voluntatis liberis formidanda est; sed sola coactio, & necessitas violentiæ.*

Præiverat Bajus propos.39. *Quod voluntariè fit, etiamsi necessariò fiat, liberè tamen fit*. Verùm hic inexcusabilem Quesnellum reddit trium Pontificum conculcata Authoritas. Et quomodo damnationem evadet Propositionis inter Jansenianas hæreticas tertiæ, *Ad merendum, & demerendum in statu naturæ lapsæ, non requiritur libertas à necessitate, sed sufficit libertas à coactione*?

Excusationem erroris sui Quesnellus frustrà petierit ex eo, quòd peccator, delinquendo, in eam dicatur se necessitatem conjicere; nam, quidquid sit de peccatoribus, qui voluntate propriâ ceciderunt; undenam illis omnibus libertatem accerset ad novum demeritum sufficientem, qui Baptismo in infantiâ non initiati, nec primo rationis diluculo, juxta Quesnellum, gratia donantur? Num forsitan ex libertate Adami? Ita quidem doctus est à Jansenio, qui lib. 3. de gratia Christi cap. 26. referens hanc Augustini definitionem ex libro de duabus animabus capite 11. *Peccatum est motus voluntatis, unde liberum est abstinere*; sic notat: *quam definitionem sæpe* (Augustinus) *protestatur, nulli peccato, nisi solius primi hominis convenire; quia cætera ita peccata sunt, ut simul sint præcedentium supplicia delictorum*. In iis igitur, qui sinè Baptismo ad usum rationis perveniunt, neque statim juxta Quesnellum beneficio gratiæ potiuntur, nec illud ipsis accipere liberum est; eodem judice, peccata prima personalia, ac dein reliqua ex illis nascitura, non aliunde libertatem accipiunt, quàm ex ea, quæ fuerat in Adamo: atque ita Alexandri VIII. non effugiunt adversarii censuram latam in primum articulum manifestè hæreticum inter 31. *In statu naturæ lapsæ ad peccatum formale, & demeritum, sufficit illa libertas, qua voluntarium, ac liberum fuit in causa sua peccato originali, & voluntate Adami peccantis.*

3 Denique tam absonus Propositionis à CLEMENTE XI. damnatæ error adversatur Doctori Angelico, & quibus non Theologis Catholicis? Profectò S.Thomas non adeò infirmam, non adeò peccato vitiatam, & quodammodò pessumdatam agnoscit lapsi hominis naturam, ut absque gratiæ auxilio non possit opus aliquod præstare innoxium 1. 2. qu.109. art.2. *Natura humana per peccatum non est totaliter corrupta, ut scilicet toto bono naturæ privetur. Potest quidem etiam in statu naturæ corruptæ per virtutem suæ naturæ aliquod bonum particulare agere*. Eâdem quæst. art.5. *Sinè gratia homo*

non

non poteſt mereri vitam æternam ; poteſt tamen facere opera perducentia ad bonum aliquod homini connaturale . Ubi quidem à juſtis , & peccatoribus præſcinditur; quia in utriſque eadem eſt ratio ; ſed & alibi peccatores exprimit, ut 2. 2. qu. 10. art.4. *Manifeſtum eſt , quòd Infideles non poſſunt operari bona opera , quæ ſunt ex gratia , ſcilicet opera meritoria ; tamen bona opera , ad quæ ſufficit bonum naturæ , aliqualiter operari poſſunt ; unde non oportet , quòd in omni ſuo opere peccent* .

Ibidem inquit Doctor Angelicus : *Ad tertium dicendum , quòd per infidelitatem non corrumpitur totaliter in Infidelibus ratio naturalis , quin remaneat in eis aliqua veri cognitio , per quam facere poſſunt aliquod opus de genere bonorum* .

Præterea S. Bonaventuram , Scotum , Gabrielem , Richardum, Durandum, Ruardum Tapperum contra Lutherum de libero arbitrio art.7. Joannem Wigghers,& quotquot Catholici poſt Sancti Pii V. Bullam , quæ incipit : *Ex omnibus afflictionibus* , de hac materia ſcripsêre , agnovêre in omni homine rationis compote poteſtatem exercendi opera quædam intrà naturæ ordinem immunia à peccato , ſinè omni gratia. Cùm enim Sanctiſs. Pontifex damnaverit hanc Baji Propoſitionem 27. *Liberum arbitrium , ſinè gratia Dei adjutorio , nonniſi ad peccandum valet* , quis probè Catholicus licitum ſibi ſtatuat , cenſuram reſtringere ad ſolos juſtos , quaſi adhuc vera ſit , vel tolerabilis aſſertio de omnibus peccatoribus , quòd *liberum* eorum *arbitrium , ſinè gratia Dei adjutorio , nonniſi ad peccandum valeat* , ſive, ut Queſnellus ſcribere audet : *Peccator non ſit liber , niſi ad malum , ſinè gratia Liberatoris* ?

Ea nempe temeritas Janſenianis , & Bajanis , cum cæteris Hæreticis , propria , & communis eſt, ut Conſtitutiones Pontificias flocci faciant , de cenſuris minimè ſoliciti . Queſnellum non agnoſcere hic diſcrimen juſtos inter, & peccatores , patet ex Propoſitionibus , quæ in Conſtitutione *Unigenitus* proximè ſequuntur; in illis enim nulla eſt ad peccatores limitatio . Quapropter in præſenti articulo non exprimitur *peccator* veluti enunciationis , aliàs nimiùm amplæ , reſtrictio ; ſed propter circumſtantiam textûs ſacri de energumeno miſerrimè agitato , qui peccatoris figuram exhibet , non juſti .

Non in ſolo 27. inter Bajanos , articulo proſcripta videri potuit Queſnelli Propoſitio ; ſed etiam in hoc 28. *Pelagianus error eſt dicere , quod liberum arbitrium valet ad ullum peccatum vitandum.* Et in 37. *Cum Pelagio ſentit, qui boni aliquid naturalis , hoc eſt quod natura ſolis viribus ortum ducit, agnoſcit.*

4 Hactenus Propoſitio ſecundùm ſe ſolummodò expenſa, meritò apparuerit abſurda , & omni probo Catholico deteſtabilis ; ſi verò eam ſenſu acceperis , qui ab Authore intenditur , longè magis horrifica complectitur monſtra errorum , hæreſumque . Quam ſcilicet gratiam Queſnellus intelligit ? Non aliam , quam ut Propoſitione 37. exponitur, *Omnipotentem* , ſive , ut explicat Propoſitio 11. *Gratia non eſt aliud , quàm voluntas Omnipotentis Dei , jubentis , & facientis , quod jubet* . Propoſ. 10. *Gratia eſt operatio manus Omnipotentis Dei , quam nihil impedire poteſt , aut retardare* . Quotieſcumque igitur tale peccatori defuerit auxilium , cui nihil poſſit reſiſtere, poteſtne ſponte fluere conſecutio evidentior , quàm peccatores omnes delinquere neceſſariò , ſi gratiâ , voluntatem boni indeclinabilem inferente, caruerint?

Imò inſuperabilem ingerit omnis Queſnelli gratia neceſſitatem ; quandoquidem juxta ipſum , eliminato omni ſufficiente auxilio Propoſ. 23. *Deus ipſe nobis ideam tradidit omnipotentis operationis ſuæ gratiæ , eam ſignificans per illam, qua creaturas è nihilo producit , & mortuis reddit vitam* . Quem locum relinquit talis gratia libertati ? Unde peccator adultus diſponere ſe ad juſtificationem nunquam poterit , nunquam ſalutarem agere pœnitentiam , ſi gratia adfuerit ; vel, ſi defuerit, à peccatis perpetuò cumulandis ſe continere . Ad ſalutiferam enim pœnitentiam requiritur libertas non coactionis ſolummodò expers , ſed etiam ſimplicis neceſſitatis , ut contra hæreſim Janſenii plures Romani Pontifices definivêre. Non poſſe autem peccatores ſinè gratiâ aliud , quàm malum agere, perſpicua Queſnelli hìc aſſertio eſt : *Peccator non eſt liber , niſi ad malum , ſinè gratia Liberatoris* .

Plurimùm creſcet peſtilentium Conſectatiorum copia ; ſi præſenti articulo junxeris vigeſimumoctavum : *Prima gratia, quam Deus concedit peccatori, eſt peccatorum remiſſio.* Sequetur enim Propoſitio 25. inter Bajanas : *Omnia opera Infidelium ſunt peccata , & virtutes Philoſophorum ſunt vitia* . Conſtat quippe, Infideles in peccatorum numero eſſe non infimos ; ideoque juxta utrumque Queſnelli articulum, & omni deſtitutos eſſe gratiâ , & omni libero, præterquam ad peccandum , arbitrio . Neceſſe igitur fuerit omnia

omnia eorum opera peccatis, & virtutes annumerare vitiis. In hoc supposito pariter *Necesse est Infidelem in omni opere peccare*: quod est damnatum ab Alexandro VIII. Propositione 8. inter 31. Accedit deterior inter damnatas à Sancto Pio Propos. 35. *Omne, quod agit peccator, vel servus peccati, peccatum est*. Et 40. *In omnibus suis actibus peccator servit dominanti cupiditati*. Quæ quidem enunciatio utraque insigniter hæretica est; palmam tamen ei eripit Quesnelliani dogmatis perversitas, dum non solùm omnia peccatoris opera jubet accenseri peccatis; sed & negat aliud esse posse; quia juxta Quesnellum peccatori nulla nisi *ad malum* libertas est, absente gratiâ, quæ omnibus deest peccatoribus ante justificationem, *si prima gratia, quam Deus concedit peccatori, est peccatorum remissio*, ut tradit Quesnelli artic. 28.

Adversatur insuper damnata Propositio Sancto Hieronymo, qui in Ezech. cap. 29. ait: *Ex eo, quod Nabuchodonosor mercedem accepit boni operis, intelligimus, etiam Ethnicos, si quid operis boni fecerint, non absque mercede Dei judicio præteriri*. Atqui Nabuchodonosor, cæterique Ethnici, & Infideles carent gratiâ, quæ sit peccatorum remissio; proinde juxta Quesnellum, nullâ præventi sunt gratiâ Salvatoris. Non igitur ad malum solummodo liberi sunt absque gratia Salvatoris; nisi Quesnellus plures alios à se errores abdicaverit, nempe vigesimumoctavum, quòd *prima gratia, quam Deus concedit peccatori, sit peccatorum remissio*; 26. *Quòd nullæ dentur gratiæ, nisi per fidem*; 27. *Quòd Fides sit prima gratia, & fons omnium aliarum*; 29. *Quòd extra Ecclesiam nulla conceditur gratia*.

Iterum Hieronymus in cap. 22. Matth. *Hunc*, inquit, *locum pleniùs tractat Apostolus ad Romanos, quod gentes naturaliter facientes ea, quæ legis sunt, condemnent Judæos, qui scriptam legem non fecerint*. Tum subdit: *Inter ipsos quoque Ethnicos est diversitas infinita, cùm sciamus quosdam esse proclives ad vitia, & ruentes ad mala: alios ob honestatem morum, virtutibus deditos*. Carent omnes isti gratiâ Liberatoris, Quesnello judice; se à Hieronymo in exponendis Scripturis Doctore maximo, non ad solum malum liberi sunt.

Idem Sanctus in caput 1. ad Galatas: *Multi*, inquit, *absque fide, & Euangelio Christi, vel sapienter faciunt aliqua, vel sanctè, ut parentibus obsequantur, ut inopi manum porrigant, non opprimant vicinos, non aliena diripiant, &c.*

Recentiores aliqui in Augustino plurimum versati, ut Stephanus De Champs de hæresi Janseniana lib. 3. disp. 8. c. 12. observant, *gratiam Christi, Salvatoris, Liberatoris*, propriè loquendo in Augustini, & Discipulorum ejus sententia non dici omnem gratiam merito Christi comparatam; sed eam solummodo, quæ Mediatoris notitiam, & fidem involvit. Quo supposito, evidens est, Ethnicos illos Salvatoris gratiam non habuisse, utpote operantes *absque fide, & Euangelio Christi*: fecêre tamen, & *faciunt aliqua vel sanctè, vel sapienter*, juxta Hieronymum, saltèm non *malè*; unde non peccatorum omnium libertas sinè gratia Liberatoris ad solum *malum* restringitur.

Consentit S. Chrysostomus in illud epistolæ ad Philippenses cap. 3. *Non habens meam justitiam*, ubi observat: *rectè dixit non habens meam justitiam; idest non illam, quam meis sudoribus, ac laboribus comparaveram; sed quam ex gratia inveni*. Et paulò post: *Dei autem dona longo intervallo antecedunt utilitatem rectorum factorum, quæ ex nostro studio profecta sunt*. Habemus hic Pauli peccatoris justitiam quamdam naturalem, sudoribus, ac laboribus comparatam; distinctamque ab ea, quam invenit postmodum ex gratia Liberatoris.

Libro Josue cap. 2. & 3. Rahab meretrix, quantumvis nota esset ejus impudicitia, neque duceretur Salvatoris gratiâ, potissimum in hypothesi Propositionis 28. quòd prima gratia peccatoris sit ipsa peccatorum remissio; tamen in hoc laude, & præmio digna judicatur, quod missos à Josue exploratores servaverit.

Exodi cap. 1. Obstetrices Ægyptiæ, etsi Deum verum, non ut oportuit, colerent, neque Liberatoris gratiâ potirentur in Quesnelli sententia, quam ex Proposit. 28. jam retuli; tamen parcendo Judæorum infantibus consecutæ sunt à Deo præmium, ut capite illo dicitur: *Bene ergo Deus fecit Obstetricibus, & ædificavit eis domos* mercedem misericordiæ, quæ proinde peccatum esse non potuit. Aliunde tamen illæ peccatis obnoxiæ erant, neque juxta Quesnellum præditæ *gratia Liberatoris*.

6 Sed nova secta nullis facilè Patrum, aut Scripturarum textibus flectitur, nisi authoritas accesserit Augustini. Quomodo autem Quesnellum latêre potuerunt tot Sancti Doctoris sententiæ tam perspicuæ, quæ pro bonis quibusdam impiorum, & Infidelium operibus passim obviæ sunt? Quæ opera esse ex *gratia Liberatoris* non asseret Quesnellus, nisi subrutis pluribus

suis;

fuis, quas adduxi Propofitionibus.

Celebris eft Auguftini locus libro de Spiritu, & litera cap. 27.: *Deum verum veraciter, juftèque non colentium, quædam facta vel legimus, vel novimus, vel audimus, quæ fecundùm juftitiæ regulam non folùm vituperare non poffumus; verùm etiam meritò, rectèque laudamus; quanquam, fi difcutiatur quo fine fiant, vix inveniantur, quæ juftitiæ debitam laudem, defenfionemque mereantur: Verumtamen non ufque adeò in anima humanâ imago Dei terrenorum affectuum labe detrita eft, ut nulla in ea velut lineamenta extrema remanferint; unde meritò dici poffint, etiam in ipfa impietate vitæ fuæ facere aliqua legis, vel fapere.* Etfi *vix inveniuntur*, quæ debitam juftitiæ laudem mereantur, inveniuntur tamen juxta Auguftinum aliqua opera in infidelibus, liberatoris gratiâ juxta Quefnellum non adjutis, *quæ debitam juftitiæ laudem, defenfionemque mereantur*.

Eodem lib. 28. rurfus de Ethnicis ait, *Ipfi homines erant, & vis illa naturæ inerat eis, quâ legitimum aliquod anima rationalis, & fentit, & facit; fed pietas, quæ in aliam vitam transfert beatam, & æternam, legem habet immaculatam, & convertentem animas, ut ex illo lumine renoventur.* Si in Ethnicis vis naturæ infit, quâ legitimum aliquod anima rationalis facit, perfpicuum eft, peccatores vi naturæ poffe aliquod legitimum facere, adeóque finè liberatoris gratia. Dein fequitur: *Sicut enim non impediunt à vita æterna juftum quædam peccata venialia, finè quibus hæc vita non ducitur; fic ad falutem æternam nihil profunt impio aliqua bona opera; finè quibus difficillimè vita cujuslibet peffimi hominis invenitur.* Andit Quefnellus Auguftinum aliqua in impiis bona opera prædicantem, in quibus tamen non eft gratia Liberatoris, fi prima gratia, quam Deus peccatoribus tribuit, fit reconciliatio.

Epiftola 99. ad Evodium de quibufdam Ethnicis olim Romanis ait: *Illi, excepto Dei cultu, in quo erraverunt, colentes vana, quæ publicè colenda fuerant inftituta, & creaturæ potiùs, quàm Creatori fervientes, in cæteris moribus parfimoniæ, continentiæ, caftitatis, fobrietatis, mortis pro patria falute contemptûs, fervatæque fidei, non folùm civibus; verùm & hoftibus imitandi proponuntur.*

Epift. 5. ad Marcellinum: *Rempublicam primi Romani conftituerunt, auxeruntque virtutibus, etfi non habentes veram pietatem erga Deum verum, quæ etiam illos in æternam Civitatem poffet falubri religione perducere ...... Deus enim fic oftendit, quantum valerent civiles etiam finè vera religione virtutes.* lib. 5. de Civit. cap. 12. *Romani juftitiâ, & actibus ftrenuis promeruerunt à Deo imperium.* Promereri imperium non potuere peccatis: oportet igitur Idololatras illos, vel habuiffe gratiam liberatoris, quam eis negant Quesnelliani articuli vigefimus fextus 27. 28. 29., vel peccatores etiam finè liberatoris gratia non ad folum malum effe liberos; quod negat articulus præfens trigefimus octavus.

Epift. 130. de Polemone juvene aliàs voluptatibus dedito, dein converfo ad continentiam, nondum tamen ab infidelitatis tenebris ad fidem, ita fcribit Auguftinus: *Polemo ergo fi ex luxuriofo continens factus, ita fciret cujus effet hoc donum, & Deum abjectis fuperftitionibus gentium piè coleret, non folùm continens, fed etiam veraciter fapiens, & falubriter religiofus exifteret: quod ei non tantùm ad præfentis vitæ honeftatem; verùm etiam ad futuram immortalitatem fervtret.*

Denique lib. 4. contra Julianum cap. 3., etiam *ipfa bona opera, quæ faciunt infideles, non ipforum funt; fed illius qui bene vtitur malis.*

Auguftinum præclarus fequitur difcipulus S. Fulgentius lib. de Incarnatione, & gratia cap. 26. dicens: *Aliqua quidem bona, quæ ad focietatis humanæ pertinent æquitatem, infidelibus ineffe poffunt; fed, quia non charitate fiunt, prodeffe non poffunt.*

7 Non eft hìc filentio prætereunda Quefnelli mirifica in Scripturarum interpretationibus ars, fæpe à me aliàs notata, eliciendi è facris eloquiis quæcumque præconcepta Baji, & Janfenii dogmata; qui videtur præcipuus Quefnelli fcopus fuiffe in adornandis ad novum Teftamentum *obfervationibus*. Quod quidem eo præftat verborum lenocinio, ut facilè incauti credant, fi non dictatum à Spiritu Santo, faltèm Divinis oraculis effe conforme, quod tantâ vocum dulcedine, tantâ pietatis fpecie viderint inftillatum.

Præfenti ftabiliendo errori opportuna vifa eft hiftoria de Energumeno Luc. 8. v. 29. *Præcipiebat enim* (Chriftus) *fpiritui immundo, ut exiret ab homine: multis enim temporibus arripiebat illum, & vinciebatur catenis, & compedibus cuftoditus, & ruptis vinculis agebatur à dæmonio in deferta.* Si iterum ab uno facto particulari ad univerfale dogma; ab uno energumeno ad peccatorem quemlibet; à dominatu, quem exercet diabolus in corpus, poteftas ejus in omnes animas peccato fubditas colligenda fit; Lutherus, Calvinus, Bajus, Janfenius, ampliorem, quàm optaverant, nacti funt differninandis errori-

erroribus campum. Probabitur scilicet, peccatorem quemlibet non solâ necessitate, sed etiam coactione ad malum impelli, ut energumenum in saxa, in ignem, & in deserta. Sic enim Lutherus tomo 3. de Servo arbitrio. *Sequitur necessariò nos operari: necessariò dico, non coactè ..... hoc est homo cùm vacat spiritu Dei, non quidem violentiâ, velut raptus obtorto collo nolens facit ....., sed sponte, & libenti voluntate facit.* Ibidem *facimus volentes, & lubentes pro natura voluntatis, quæ si cogeretur, voluntas non esset; nam coactio potiùs est, ut sic dicam, noluntas.*

Calvinus lib. 2. Instit. cap. 2.; *Liberi ergo arbitrii hoc modo dicitur homo; non quia liberam habeat boni æquè, ac mali electionem; sed quia malè voluntate agit, non coactione. Optimè id quidem, &c.* Lib. 2. de liber arbitr. contra Pighium, *si coactioni opponitur libertas, liberum arbitrium esse fateor, & constanter assevero, ac pro hæretico habeo, quisquis secus senserit.*

Jansenium in hoc, utì in multis aliis Calvini sequacem dedi superiùs: quapropter, si ex hoc Quesnelli oraculo quæras, nullamne agnoscat malorum actuum in peccatoribus libertatem? Lib. 6. de gratia Christi cap. 35. & 37. suscipit demonstrandam volitionis cujusque libertatem, etiam illius, quam nos habere necesse est. Et lib. 8. cap. 20. *In nobis,* inquit, *non solùm ipsa potentia voluntatis, quæ de se ad malum flexibilis est, sed & pondus ad peccandum remanet* (videlicet concupiscentia in peccatum inclinans) *quæ est peccandi potestas perfectissima.* Si flexibilitas in malum, & pondus concupiscentiæ, ad libertatem demeriti capacem sufficiat, & quidem in illa flexibilitate, & in illo pondere sit potestas peccandi perfectissima, qualiscumque eam comitetur coactionis expers necessitas; perperam Lutherus, & Calvinus tanquam liberi arbitrii hostes ab Ecclesia repelluntur.

8 Quesnellum verò quis in Ecclesia retineat, tot indè Romanorum Pontificum, atque ipsius Tridentinæ Synodi sententiis expulsum! Duo hic apparent Canones clarissimi inevitabile in ejus caput immittentes *anathema*: quintus scilicet, & septimus sessionis sextæ: *Si quis liberum hominis arbitrium, post Adæ peccatum amissum, & extinctum esse dixerit, aut rem esse de solo titulo, imò titulum sinè re ..... anathema sit.* Et: *Si quis dixerit opera omnia, quæ ante justificationem fiunt, quacumque ratione facta sint, verè esse peccata, vel odium Dei mereri, aut quantò vehementiùs quis nititur se disponere ad gratiam, tantò eum graviùs peccare, anathema sit.* Quid enim juxta Quesnellum libertatis superest, aut quid operis ante justificationem immune à peccato? Libertatem homini adimit, præterquam ad malum, absente gratiâ; ita fert præsens articulus: *Peccator non est liber, nisi ad malum, sinè gratia Liberatoris.*

Libertas, quæ hic tribuitur ad malum est res de solo titulo, imò titulus sinè re in hujus sententia Novatoris. Non enim concedit vitandi criminis potestatem; sed solam inter crimina electionem. Hanc si libertatem ad peccandum vocare placuerit, dic etiam hominem ad moriendum esse liberum, cui capite plectendo concederetur electio inter secures geminas, vel cui, dum constringendæ essent fauces laqueo, eligendi inter laqueos tribueretur potestas; vel dejiciendo è rupe, sinistri, vel dexteri lateris, unde præceps agendus esset, designatio relinqueretur. Si talem Quesnellus liberum ad moriendum dixerit; repugnante omni sano judicio, liberum etiam vocare poterit hominem ad peccandum, quoties gratiâ defecerit. Sed patietur simul hac ratione liberum arbitrium solo titulo esse, *imò titulum sinè re.*

Nè tantillum quidem libertatis homini relinquit Janseniana Quesnelli novitas, ut inter crimina optionis facultas sit, etsi fallaci professione vocetenus tribuatur. Tantùm meminerit Lector hujus Janseniani cardinis, in quo tota nova hæresis vertitur: *Quod amplius nos delectat, secundùm id operemur necesse est,* ubi, ut ipse explicat Jansenius, de indeliberata delectatione, sive cœlesti gratiæ, sive terrenâ concupiscentiæ agitur, quæ ardore, sive robore alteram superans, abripit voluntatem necessariò ad consentiendum. Quæ ratio si valeat in certamine carnem inter, & spiritum; evidens est, obtinere locum pariter in prælio gulam inter, & avaritiam: libidinem, & superbiam: idem est de vitiis cæteris, ut quorum indeliberata delectatio major sit, voluntatem in assensum pertrahat necessariò; honorem nempe suum prostituet superbus, ut libidini obsequatur, si hujus stimulus fortior sit: amor pecuniæ gulam frænabit in avaro, vel pecuniam prodiget ut gulæ serviat, si hujus tentationis supervenerint majores blanditiæ. Et quidem in his omnibus nulla intelligitur eligendi libertas, ubi victrix delectatio necessitate determinat.

Sic & in actibus bonis nunquam concesserit Jansenius, aut Quesnellus, quòd inspirante victrice gratiâ eleemosynam, in pote-

poteſtate hominis ſit, eam prætermittere, & ejus loco eligere caſtitatem, vel ad quodcumque aliud bonum opus gratiam convertere. Minùs etiam in libero arbitrio eſt omne opus ſalutiferum omittere, quando juxta art. 10. *Gratia eſt operatio manûs omnipotentis Dei, quam nihil impedire poteſt, aut retardare*: juxta 11. *Gratia non eſt aliud, quàm voluntas omnipotentis Dei, jubentis, & facientis, quod jubet*. Et pluribus iſtiuſmodi prætermiſſis, artic. 23. omnem humani arbitrii cum gratia concurſum liberum perſpicuitate maximâ evertit, dicendo: *Deus ipſe nobis ideam tradidit omnipotentis operationis ſuæ gratiæ, eam ſignificans per illam, quâ creaturas è nihilo producit, & mortuis reddit vitam*: in neutro enim operationem liberam eſſe creaturæ, ſed utramque Numinis ſolius, notiſſimum eſt vel pueris, nec ullus unquam vocavit in dubium.

In nulla itaque actione hominis poſt Adæ peccatum inveniri libertas juxta Queſnellum poterit: atque ita *liberum hominis arbitrium poſt Adæ peccatum amiſſum, & extinctum fuerit: res modò eſt de ſolo titulo, imò titulus ſinè re*. Sed non eſt res de ſolo titulo, nec titulus ſinè re, quod Queſnellus incurrit 5. Canonis Tridentini *Anathema*, neque inane eſt Canonis 7. *Si quis dixerit, opera omnia, quæ ante juſtificationem fiunt, quacumque ratione facta ſint, verè eſſe peccata; vel odium Dei mereri, Anathema ſit*. Iſtud autem totum abſque ambagibus enuntiat Queſnellus, qui poſtquam articulo 28. dixerat, *prima gratia, quam Deus concedit peccatori, eſt peccatorum remiſſio*, nunc ait, *peccatorem non eſſe liberum niſi ad malum ſinè gratia Liberatoris*: quod quid aliud eſt, quam & peccatorem, quamdiu peccator eſt, nullam habere gratiam, & ſinè hac omnia ejus opera eſſe peccata, nec aliud eſſe poſſe?

At qui fieri potuit, ut Queſnellus non viderit affirmari hic à ſe *omnia opera, quæ ante juſtificationem fiunt, eſſe peccata*, imò quod deterius eſt, non poſſe eſſe niſi peccata? Non eſt veroſimile, Theologum adeò veteranum, & novæ Eccleſiæ Doctorem maximum tam eſſe in Romanæ Eccleſiæ Canonibus peregrinum, ut ignoraverit decantatiſſimum illud contra Lutherum anathema: *Si quis dixerit opera omnia, quæ ante juſtificationem fiunt, verè eſſe peccata, anathema ſit*.

Quomodo fieri poteſt, ut Queſnellus anathema in ſententiam ſuam tam manifeſtè, & ſponte proſiliens non videat? Viderit indubiè iſta ſcribens, ſed Tridentinæ Synodi hìc ut ſæpe alibi, deſpexerit auctoritatem; Sic novæ ſectæ ſecundus poſt Janſenium Patriarcha Joannes Vergerius Abbas Sancyranus diſcipulis inculcare ſolitus erat: *Habenda fides non eſt Concilii Tridentini Definitionibus; quia celebratum non fuit juxta normam Conciliorum veterum: Concilium illud Pontificis, & Scholaſticorum fuit, qui doctrinam Eccleſiæ multum immutaverant*. Ita ex ore ipſius Sancyrani ſe audiviſſe teſtati ſunt Sebaſtianus Epiſcopus Lingonenſis, & Joannes de Jovaud Ciſtercienſis Ordinis Abbas, & Secretarius. Janſeniſtarum adversùs Tridentinam Synodum obtrectationes traxere originem à Michaele Bajo; ab ipſis verò Lovanienſibus Theologis ad Salmanticenſium, & Complutenſium judicium delatæ ſunt, atque Cenſuris illic convenientibus perſtrictæ.

CAPUT II.

Solvuntur objectiones petitæ ex Scriptura ſacra.

1 INitium objectionum ducitur ab illo Joannis cap. 8. v. 34. *Omnis, qui facit peccatum, ſervus eſt peccati*, verſ. 36. *Si ergo vos filius liberaverit, verè liberi eritis*.

Duram peccati ſervitutem agnoſcimus ex Prov. cap. 5. v. 22. *Iniquitates ſuæ capiunt impium, & funibus peccatorum ſuorum conſtringitur*. Iſaiæ 5. v. 18. *Væ qui trahitis iniquitatem in vinculis vanitatis, & quaſi vinculum plauſtri peccatum*; Unde meritò exclamat Auguſtinus tract. 41. in Joannem. *O miſerabilis ſervitus! Servus hominis aliquando ſui domini duris imperiis fatigatus, fugiendo quieſcit: Servus peccati quò fugit, ſecum ſe trahit, quocumque fugerit. Non fugit ſe ipſam mala conſcientia: non eſt quò eat: ſequitur ſe, imò non recedit à ſe; peccatum enim quod facit, intus eſt*.

Quin, & dicimus cum S. Ambroſio in Pſalmum 118. Serm. 12. quòd quò pluribus indulget homo criminibus, eò pluribus ſubjicitur Dominis: *Non poteſt*, inquit Sanctus, *Deo dicere Secularis, tuus ſum. Plures enim Dominos habet. Venit Libido, & dicit, meus es; quia ea, quæ ſunt corporis, concupiſcis. Venit Avaritia, & dicit, meus es; quia argentum, & aurum quod habes, ſervitutis tuæ pretium eſt. Venit Luxuria, & dicit, meus es; quia unius diei convivium pretium tuæ vitæ eſt. Venit Ambitio, & dicit planè meus es: neſcis quòd ideo imperare aliis te feci, ut mihi ipſe ſervires? Neſcis quòd ideo poteſta-*

testatem in te contuli, ut me a te subjicerem potestati? Veniunt omnia vitia, & singula dicunt, meus es. Quem tanti tempetunt, quàm vile mantipium est!

Hic modò ex adversariis quærendum est, an hominem tot vitiis obnoxium, existiment tot peccatis delinquere in singulis operibus? insanum foret asserere, & mortalium omnium experientiâ convincitur falsitas. Aliud igitur est, peccati servum esse, & manere subditum servituti, quamdiu peccatum habitu perseverat; aliud servitutem in omnes influere actiones, ut à peccatis perpetrandis continuò novis abstinere miser nequeat; sed opus quodcumque ratione vigili exercitum, peccati maculam contrahat; nisi supernaturalis gratiæ præveniatur auxilio.

2 Damnati erroris perversitas, ut magìs eluceat, & omni intellectui sano incutiat horrorem, statuamus hominem Christianis moribus, & pietate conspicuam hactenus vitam egisse; Sed casu prorsus insolito, & tentatione vehementi in peccati consensum uno momento prolabi, cujus quidem eum mox pœniteat; nondum tamen ita, ut ad obtinendam reconciliationis gratiam satis sit; præsertim in Bajanorum, & Jansenistarum sententia, penès quos *charitas illa, quæ est plenitudo legis, non est semper conjuncta cum remissione peccatorum*, quæ est propositio Baji 32., & quam ibidem sequitur 33. *Catechumenus justè, rectè, & sanctè vivit, & mandata Dei observat, ac legem implet per charitatem ante obtentam remissionem peccatorum, quæ in Baptismi lavacro demum percipitur*. Præcedit trigesima prima: *Charitas perfecta, & sincera, quæ est ex corde puro, & conscientia bona, & fide non fictâ, tam in Catechumenis, quàm in Pœnitentibus potest esse sinè remissione peccatorum*.

Rationem Bajus cum sibi adhærentibus dat, quod *Contritio non tantùm debeat esse dolor de peccatis appretiativè summus; sed, & intensivè*; qualis fuit in Apostolorum principe, & Magdalena, ad cujus doloris, & amoris magnitudinem certum est paucissimos pervenire. Et quis sibi fidat quasi ad eum perfectionis gradum sua contritio pertigerit?

3 Quapropter Sapientia, & Salutis amor, cuilibet dictat recursum celerem ad pœnitentiæ Sacramentum; hic quoque adigit illum religio, nè maneat in perpetua peccandi necessitate, si *prima gratia, quam Deus concedit peccatori, est peccatorum remissio* juxta articulum 28., & juxta præsentem *Peccator non est liber nisi ad malum sinè gratia liberatoris*. Sic antequam reconcilietur, necesse est peccet in omni opere deliberato, neque se ad pœnitentiam, & reconciliationem disponere ullatenus valeat: vel omnis, si quis possibilis fuerit, ejus conatus, omnis ejus dispositio, semper necesse est numerum augeat peccatorum. Quis talis doctrinæ barbariem non detestetur?

Crescit verò ejus crudelitas, si Jansenianam in administrando pœnitentiæ Sacramento praxim dogmatibus junxeris. Si enim memoratus peccator pœnitens ad Sacramenti Ministrum Quesnellianum accesserit, non est quòd absolutionis beneficium, quantumcumque contritus expectet illicò; sed audiet tono gravi sibi nuntiari: *Ignoramus, quid sit peccatum, & vera pœnitentia, quando volumus statim restitui possessioni bonorum, quibus nos peccatum spoliavit, & detrectamus separationis istius ferre confusionem*, ut definir Quesnellus articulo 88. & pariter articulo 87. *Modus plenus sapientiâ, lumine, & charitate est dare animabus tempus portandi cum humilitate, & sentiendi statum peccati, petendi spiritum pœnitentiæ, & contritionis, & incipiendi ad minus satisfacere justitiæ Dei, antequam reconcilientur*.

Istud Quesnellus didicit à Magistro suo Antonio Arnaldo in fallaci opere *de frequenti Communione*, quod vocari oportuit, *de Communione rarissima*. Inde excerpti fuere tres articuli sequentes inter 31. ab Alexandro VIII. condemnatos. 16. sic habet: *Ordinem præmittendi satisfactionem absolutioni induxit non politia, aut institutio Ecclesiæ; sed ipsa Christi lex, & præscriptio; naturâ rei idipsum quodammodo dictante*. 17. *Per illam praxim mox absolvendi, ordo pœnitentiæ est inversus*. 18. *Consuetudo moderna quoad administrationem Sacramenti pœnitentiæ, etiamsi eam plurimorum hominum sustentet authoritas, & multi temporis diuturnitas confirmet, nihilominus ab Ecclesia non habetur pro usu, sed abusu*. Quarum, & plurium damnatio propositionum in tantas furias egit Arnaldum, & Quesnellum, ut in eam calamos uterque strinxerit, editis in lucem libris, quibus nihil cogitari potest adversùs Sedem Apostolicam contumeliosius.

Pontificem verò Decreti Authorem Ludovicus Du Vaucel, ficto *Waloni* nomine Jansenistarum in Urbe Causidicus, excommunicatum declaravit, declinans solemnes ejus post obitum exequias, sibique ejus ad aras interdicens memoriam. Certum de his testimonium habetur ex ipsius Waloni literis in Quesnelli supellectile à Mechliniensi Archiepiscopo deprehensis.

4 Cùm

4 Cùm autem rigidi isti pœnitentiæ præcones absolutionem canonicam, quæ, urgentibus olim pœnitentiæ canonibus, differebatur mensibus, & annis, confundant cum absolutione, quæ Sacramento propria est; hanc quoque ipsi tanto tempore suspendi cuperent. Neque attendunt, quanta indè, si præsentem simul articulum retineas, pœnitentium animas sequatur pernicies. Si enim *peccator non est liber nisi ad malum sinè gratia liberatoris*, neque hæc confertur ante justificationem [juxta art. 28. *Prima gratia, quam Deus concedit peccatori, est peccatorum remissio;*] necesse est omnia interim ejus opera esse peccata. Atque adeò ipsa absolutionis in annos aliquos retardatio quantam delictorum multitudinem quotidie cumulabit! Is fructus novi rigoris est.

Imò quidquid operum pœnitentialium agere toto illo tempore quis visus fuerit, peccati maculâ conspergetur, & quò peccator magis operabitur pro obtinenda reconciliationis gratia, eâ reddet se perpetuò magis indignum, utpote augendo semper novorum numero delictorum. At, inquit Quesnellus, ex æterni verbi oraculo discimus: *Si vos filius liberaverit, verè liberi eritis*.

Sic est, non nisi Dei filius peccatores à peccatis liberare potest; sed libertatem hanc adultis peccatoribus absque eorum cooperatione, & præparatione non præstat, ut ex Concilio Tridentino discimus sess. 6. cap. 5. quod est de *necessitate præparationis ad justificationem in adultis, & unde sit:* cap. 6. præscribitur præparationis modus.

Quomodo autem disponere se peccator aliquis ad justificationem poterit, si omnia ante reconciliationem sunt peccata, sive, ut damnatis Quesnelli vocibus iterum loquar, si *peccator non est liber nisi ad malum sinè gratia liberatoris; & prima gratia, quam Deus concedit peccatori, est peccatorum remissio*?

5 Denique objecta temerè Christi sententia ex Euangelio Joannis ad præsentem minimè attinet quæstionem. Quòd enim *omnis, qui facit peccatum, servus sit peccati*, verissimum est apud omnes; sed non sensu hæretico Lutheri, & Quesnelli, quasi *omne quod agit peccator, vel servus peccati, peccatum sit*, qui est inter damnatos à S. Pio articulos trigesimusquintus. Conditio ista *sinè gratia liberatoris* in Quesnelliano articulo haberi debet pro non addita, vel additâ tantùm ad fallendum, cùm excludatur clarissimè omnis gratia per hunc 28. *Prima gratia, quam Deus concedit peccatori, est peccatorum remissio*: ubi evidens est, *gratiam Liberatoris* cùm statu peccati minimè consistere, si gratia, & quidem prima, fit ipsa reconciliatio.

Homo deditus gulæ, abdominis servus dicitur; non tamen ita, ut in omnibus prorsus actibus istud vitium sectetur; idem est de superbiâ, avaritiâ, odio, & quibuscunque criminibus, quæ sibi consentientes efficiunt servos.

Neque Catholicus quisquam dubitat, quin solus Dei filius nos possit à peccati servitute miserrimâ liberare. Nam neque peccatorum jugum, quod ultro suscepimus, vel à primo impositum parente est, excutere possumus absque Servatoris auxilio, neque sinè eo diu in justitia nos continere. Sed neque ad ullum actum salutiferum, vel quomodocunque disponentem ad justitiam, ulla nobis sinè gratia libertas est.

Unde non leve scandalum Belgis fuit novaturiens *Theologiæ compendium* à Quesnelli discipulo, seu cliente compositum, in quo pag. 24. ea protruditur assertio; *Neque tamen est, quod sinè gratia sufficiente non essent liberi ad supernaturalium præceptorum adimpletionem*. Compendium quidem istud Romæ damnatum est; sed Quesnellus in mendaci sua *Romana Ecclesiæ, & Summorum Pontificum defensione* pag. 46. & 47. Compendii patrocinium suscipit, fingens Romam immeritò illud proscripsisse; sed retractasse sententiam: quod dignum Quesnelli ingenio commentum est.

6 Objicitur, & illud Apostoli Rom. cap. 7. v. 14. *Ego autem carnalis sum, venumdatus sub peccato*. In quem locum ita Sanctus Thomas: „ Potest hoc verbum dupliciter exponi, uno quidem modo, ut „ Apostolus loquatur in persona hominis „ in peccato existentis: & ita hoc Augustinus exponit in lib. 83. Quæstionum. Postea verò in libro contra Julianum exponit hoc, ut Apostolus intelligatur loqui in persona sua, idest hominis sub gratia constituti. Prosequamur ergo, declarando qualiter hæc verba, & sequentia, diversimodè possunt utroque modo exponi, quamvis secunda expositio melior sit, „ Cur Adversarii, qui se SS. Augustini, & Thomæ discipulos esse tantâ confidentia jactant, non sequuntur interpretationem, quam Angelicus prædicat *meliorem*, & Augustinus ætate provectior lib. 6. contra Julianum capite 11. & lib. 1. Retractationum cap. 23. amplexus tribuit Sanctis Hilario, Gregorio Nazianzeno, Ambrosio, quamque secuti sunt Hieronymus lib. 2. contra Pela-

Pelagianos, Gregorius Magnus lib. 19. Moralium cap. 6., S. Anselmus, Primasius, & cum Schola Thomistica interpretes passim.

Hac autem explicatione supposita, quòd scilicet *Apostolus loquatur in persona sua, id est hominis sub gratia constituti*; verba Apostoli non pertinent ad peccatorem, de quo præsens asserit articulus, *peccatorem non esse liberum, nisi ad malum sinè gratia Liberatoris*.

Accipiamus tamen verba Apostoli de peccatore venumdato sub peccato non solùm originis; sed etiam propriæ voluntatis; qua indè ratione adversarii conficient, omnem hominem peccatorem delinquere in omnibus prorsus actibus; nec aliud posse quàm peccare, deficiente ad omnem actum alium libertate, nisi liberatoris gratiâ fulciatur? Liberum hominis arbitrium peccato infirmum redditur; sed non extinguitur penitùs: ratio offuscatur; sed non omnino tollitur, quin aliquid subinde ad bonum naturæ pertinens, viribus humanis cum Dei concursu solito, intrà naturæ limites valeat operari. Figmentum nempe Novatorum ridiculum est, quemlibet peccatorem ita esse venumdatum sub peccato, ut nullum prætereat momentum temporis, quin vehementibus adeò urgeatur concupiscentiæ stimulis, ut nec stare possit, nec sedere, nec movere pedem, vel manum, nec studiis applicare animum, nec arte mechanica exercere corpus, quin in peccata semper nova consentiat.

Contumeliosa, temeraria, ac falsa in peccatores omnes criminatio est. Nos erga adversarios, etsi non uno crimine infames, Schismaticos, hæreticos, odio furentes adversùs communem Christianorum omnium Patrem, & omnem ei obedientem Ecclesiam, erimus benigniores, quàm ut in omni prorsus opere eos existimemus novo se irretire delicto, nec ullas dum vigilant, iniquo odio, ac furori concedere ferias.

7 Jeremiæ cap. 13. *hæc dicit Dominus: Sic putrescere faciam superbiam Juda, & superbiam Jerusalem multam; populum istum pessimum, qui nolunt audire verba mea: & ambulant in pravitate cordis sui, abieruntque post deos alienos; ut servirent eis, & adorarent eos*. Tum aliquantò post: *Si mutare potest Æthiops pellem suam, aut pardus varietates suas, & vos poteritis bene facere, cum didiceritis malum*. Quærendum hic ab adversariis textum hunc intorquentibus, an sentiant omnibus, & singulis peccatoribus, vel unico delicto mortifero inquinatis competere exprobationes, quascumque Deus sceleribus idololatriæ, & aliis gravissimis inquinatissimo populo ingerit?

Demus etiam, quod à veritate maximè alienum est, de quolibet hic Prophetam agere peccatore, vel ejus verba posse omnibus applicari; quomodò hinc eruitur omnia, & singula peccatorum opera alicujus noxæ labe infici, absente gratia liberatoris? Sinè hac non posse illos ad justitiam converti, non posse ex peccatoribus fieri Sanctos, omnis fatetur Catholicus contra Pelagium. Sed & constanter Ecclesia tenet contra Calvinum, Bajum, Quesnellum, quòd non omnia peccatoris opera, etiam merè naturalia, sint peccata. Non enim ratio, lumen naturæ, & liberum arbitrium, quolibet peccato, etsi infirmius redditum, penitùs extinguitur, ut nihil velle, aut operari valeat naturæ conveniens, & innocuum, nisi concurrerit omnem naturæ ordinem transcendens Liberatoris auxilium.

Nihil, ut patet, damnato articulo simile continet Jeremiæ, sive Dei per ipsum loquentis, sententia, aut quiscunque alius Divini Codicis textus. Verùm adversariis facilius est, & ad fallendos simplices magìs idoneum, sacras lacinias temerè excerptas congerere, quàm ratione solidâ, vel utcunque probabili ostendere damnati articuli cum sacro Codice consensum.

Responsionem nostram de Scripturis terminet, & adversariorum reprimat temeritatem S. Gregorius Magnus homilia 27. in Evangelium Joannis cap. 15. v. 12. *Sunt nonnulli, qui diligunt proximos; sed per affectionem cognationis, & carnis, quibus tamen in hac dilectione sacra eloquia non contradicunt; sed aliud est, quod sponte impenditur naturæ, aliud, quod præceptis Dominicis ex charitate debetur obedientiæ*. Nihil igitur præsidii Quesnello est in sacris eloquiis.

CAPUT III.

Responditur ad objectiones desumptas ex Concilio secundo Arausicano, & Epistola Synodali Africanorum Antistitum in Sardinia exulum.

1 NOn plus patrocinii inveniet Quesnellus in Conciliis, & traditione. Lubenter subscribimus Arausicanæ Synodi secundæ canoni 13. sic definienti: *Arbitrium voluntatis in primo homine infirmatum, nisi per gratiam Baptismi, non potest reparari: quod amissum,*

non-

nonnisi, à quo potuit dari, potuit reddi: unde ipsa veritas dicit, si vos filius liberaverit, liberi eritis.

Nemini quoque catholico displicere potest ista ejusdem Synodi conclusio; *secundum suprascriptas sanctarum Scripturarum, vel antiquorum Patrum definitiones hoc, Deo propitiante, & prædicare debemus, & credere, quòd per peccatum primi hominis ita inclinatum, & attenuatum fuerit liberum arbitrium, ut nullus postea aut diligere Deum, sicut oportuit, aut credere in Deum, aut operari propter Deum, quod bonum est, possit, nisi gratia eum, & misericordia Divina praevenerit.* Quis Orthodoxus dubitet post adeò disertas contra Pelagium definitiones, quin nemo possit credere, diligere, aut quidpiam boni operis facere propter Deum, *sicut oportuit, nisi gratia eum, & misericordia Divina præveneris?*

Sed quo Canone docemur, nihil agnoscere medium inter bonum salutiferum, & peccatum, ut ex eo quod nihil boni sinè gratia fieri valeat *sicut oportuit* ad salutem, vel justitiam, statim inferre necesse sit, nihil sinè gratia fieri posse nisi peccatum? Bona naturæ sinè gratia, post Sanctos Patres Angelicus, & Seraphicus Doctores sanctissimi, & qui non Scriptores Catholici, præsertim post iteratas toties contra Baji articulos Sedis Apostolicæ sententias profitentur?

Si erubescere novissent Adversarii, hanc nobis conclusionem Synodi non objicerent, quam & evidens est non suffragari præsenti articulo, & directissimè refragari vigesimo octavo. Quomodo enim *prima gratia, quam Deus concedit peccatori, est peccatorum remissio, si nullus aut diligere Deum sicut oportuit, aut credere in Deum aut operari propter Deum, quod bonum est, possit, nisi gratia eum Divina praevenerit?* Si & impossibilis sit peccatoris adulti reconciliatio sinè fide prævia, & aliis bonis actibus ad justificationem disponentibus, qui actus, ut Arausicana docet conclusio, ab ipsa debent Divina gratia præveniri? Quesnellus autem tam mirabilis Philosophus, quàm novaturiens Theologus, effectum statuit causâ, & dispositionibus anteriorem; remissionem scilicet peccatorum ante ullius boni operis exercitium, quod absque *praveniente gratia* esse non potest juxta Concilium, & Fidem Catholicam; juxta Quesnellum verò justificatio, utpote prima gratia, omnem præcedere debet bonam hominis operationem.

2. Novum temeritatis, sed & pessimæ fidei argumentum est objectio Epistolæ Synodicæ Africanorum Antistitum cap. 5.: sic ibi legitur: *Proindè sciendæ est, dilectissimi, & recto tenore vera fidei profitenda, tam humani arbitrii egena paupertas, quàm Divina gratia indeficiens largitas. Quid enim habes, inquit Apostolus, quod non accepisti? Quid gloriaris quasi non acceperis? Ante largitatem quippe gratia est in homine quidem liberum arbitrium; sed non bonum; quia non illuminatum: proinde nisi gratia detur, bonum ipsum arbitrium non habetur; sic namque est liberum hominis arbitrium absque dono gratia, sicut est oculus sinè luce; nam, & oculus ad videndum factus est; sed nisi lumen acceperit, non videbit........ Sicut ergo corporis oculus, semper indiget lumen accipere, ut ipsum possit aspicere; sic & libero arbitrio hominis nulla potest gratia suffragari cognitio, nisi detur ipsius gratiæ spiritualis infusio.*

Hactenus Epistola, in qua nihil est, quod non ultro omnes catholici fateantur, & prædicent. Qua verò ratione definitioni Pontificiæ opponitur? Ex Quesnelliani nempe articuli damnatione sequitur, liberum arbitrium, dum aliqua innocuè operatur, posse esse sinè gratiâ; Unde Janseniani perfidè inferunt, CLEMENTEM XI. definire, quod liberum arbitrium, & homo possit esse bonus sinè gratia; sed quis hominem unquam appellari audiit bonum, ex eo quòd non omnia prorsus opera ejus mala sint? Bonum ex integra causa dicitur, malum ex singulis defectibus. Sinè dubio liberum arbitrium adeò sinè gratia non est bonum, ut, si gratia habituali caruerit, simpliciter malum sit, & peccati veneno, ac turpitudine inquinatum. Si gratia defuerit actualis, habitualis bonitas non diu conservabitur, nullumque interea actum præditum bonitate morali, & ad veram, ac salutarem justitiam pertinentem elicere homo poterit.

Alioquin justitiam aliquam latè dictam, & à sanctitate, quæ ex gratia est, distinctam in Paulo asserit S. Chrysostomus ad Philipp. cap. 3. ubi explicans illud, *non habens meam justitiam*, ait: *rectè dixit* (Apostolus) *non habens meam justitiam; idest non illam, quam meis sudoribus, ac laboribus comparaveram; sed quam ex gratia inveni.* Et mox: *Dei autem dona* (seu opera facta ex gratiâ) *longo intervallo antecedunt utilitatem rectorum factorum, quæ ex nostro studio profecta sunt.*

Et ipse Augustinus libro de Spiritu, & litera cap. 28. de Judæis ait: *Ipsi homines erant, & vis illa natura inerat eis, qua legitimum aliquod anima rationalis & sentit, & facit; sed pietas, qua in aliam vitam trans-*

transfert beatam, & æternam, legem habet immaculatam, & convertentem animas, ut ex illo lumine renoventur. Ubi vident adversarii vi naturæ posse aliquid legitimum fieri ab iis, qui nec simpliciter boni sunt, nec immaculati, nec Divino renovati lumine.

Ibidem Augustinus: in impiis, & pessimis hominibus aliqua bona opera ad salutem æternam nihil profutura prædicat. Longè igitur aliud est, liberum arbitrium sinè gratia non esse, nec dici simpliciter bonum; aliud, omnia liberi arbitrii opera absque gratiæ auxilio esse peccata.

3 Et quis præter Quesnellum, atque ejus Sectatores, tam spuriòs Sancti Thomæ, quàm Augustini discipulos, refugiat profiteri cum Angelico 1. 2. quæst. 109. art. 5. Sinè gratia hominem posse facere opera perducentia ad bonum aliquod homini connaturale: sicut laborare in agro, bibere, manducare, & habere amicum, & alia hujusmodi, ut Augustinus dicit in tertia responsione contra Pelagianos. (idest lib. 3. Hypognostici cap. 4.)? quod opus, etsi pridem relatum inter Augustini opera, ipsius esse non creditur hoc tempore; agnoscit tamen vel ipse Jansenius, doctrinam libri esse Augustinianæ consonam.

Sic ergo Auctor Hypognostici: Esse fatemur liberum arbitrium omnibus hominibus habentibus quidem judicium rationis; non per quod sit idoneum, quæ ad Deum pertinent, sinè Deo aut inchoare, aut certè peragere; sed tantùm in operibus vitæ præsentis, tam bonis, quàm etiam malis. Bonis dico, quæ de bono naturæ oriuntur, idest, velle laborare in agro, velle manducare, & bibere, velle habere amicum, velle habere indumenta, velle fabricare domum, uxorem velle ducere, pecora nutrire, artem discere diversarum rerum bonarum, velle quidquid bonum ad præsentem pertinet vitam; quæ omnia non sinè gubernaculo Divino subsistunt; imò ex ipso, & per ipsum sunt, & esse cœperunt. Bona scilicet in genere naturalium, quæ, ut res omnes à Deo conditæ, ejusdem semper providentiæ subduntur, &, ut auctor loquitur, non sinè Divino gubernaculo subsistunt.

Rursus S. Thomas 2. 2. quæst. 19. art. 4. ait: Infideles bona opera, ad quæ sufficit bonum naturæ, aliqualiter operari posse. Ibid. Per infidelitatem non corrumpitur totaliter in infidelibus ratio naturalis, quin remaneat in eis aliqua veri cognitio, per quam facere possunt aliquod opus de genere bonorum. Non propterea tamen infideles boni sunt, aut eorum liberum arbitrium, tot criminibus corruptum, simpliciter vocabitur bonum. Quòd igitur ab Africanis Episcopis liberum arbitrium dicatur sinè gratia non esse bonum, minimè juvat adversarios, ut indè statuant, nihil boni, etiam connaturalis, imò nihil nisi malum, sinè gratia fieri à libero arbitrio posse.

4 Innumeris pridem edoctus experimentis, quoties apud Jansenistas lego sententiarum ex Patribus citatas lacinias, punctis aliquot interpositis, quæ omissionem significant, suspicari cogor truncationem, non vitandæ causâ prolixitatis, sed occultandi luminis malè agentibus odiosi. Novum hujus fallaciæ specimen in præsentis citatione epistolæ manifestum est; ubi omissa sunt, quæ restituo: Illa autem est lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc Mundum: Illuminat autem hominem, se ipsum dando per gratiam; quæ juncta cum Divina gratia indeficiente largitate, verbis anterioribus prædicatâ, subruunt plurimos Quesnelli articulos, Deique adversùs ejus blasphemias, bonitatem demonstrant.

Si enim ea sit Divinæ gratiæ indeficiens largitas; si illa lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc Mundum, illuminans hominem, se ipsum dando per gratiam omni homini venienti in hunc Mundum, Paganis, Judæis, Hæreticis, Schismaticis, peccatoribus, etiam se non convertentibus, corruunt necessariò articuli sequentes: vigesimussextus, Nulla dantur gratiæ, nisi per fidem: 27. Fides est prima gratia, & fons omnium aliarum: 28. Prima gratia, quam Deus concedit peccatori, est peccatorum remissio: 29. Extra Ecclesiam nulla conceditur gratia: 33. Proh! quantum oportet bonis terrenis, & sibimetipsi renuntiasse, ad hoc, ut quis fiduciam habeat, sibi, ut ita dicam, appropriandi Christum Jesum, ejus amorem, mortem, & mysteria, ut facit S. Paulus, dicens, qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me.

Prætereo propositiones plures, quibus omnis gratia asseritur efficax, omnipotens, suprema, sinè qua confiteri Christum nunquam possumus, & cum qua nunquam illum abnegamus; quæ est propositio nona.

Vident adversarii, Africanos Patres alienissimos esse ab ea Quesnelli, & Arnaldi dutitie, qua statuunt, Paganos, Judæos, Hæreticos, aliosque hujus generis nullum omnino accipere à Jesu Christo influxum, adeòque hinc rectè inferri, in illis esse voluntatem nudam, & inermem sinè omni gratia sufficienti, quæ novitas, imò hæresis meritò damnata est ab Alexandro VIII. art. 5. inter 31., cui prorsus congruit damnata à CLEMENTE XI. propositio 29. Extra Ecclesiam nulla conce-

ceditur gratia; dum autem accedit 38. *peccator non est liber nisi ad malum sinè gratia liberatoris*, nexu insolubili trahit secum hæresim octavam, memorato Alexandri diplomate prostratam: *Necesse est, infidelem in omni opere peccare*. Imò necesse est, peccatorem quemlibet in omni actu delinqnere, quamdiu peccatorum ei remissio non conceditur, quæ iterum hæresis inevitabilis Quesnello est, quamdiu articulum præsentem, & 28. obstinatus defenderit, *Prima gratia, quam Deus concedit peccatori, est peccatorum remissio*.

Antequam Africanos antistites dimittam, alia Quesnelli hæresis, quæ Constitutione UNIGENITUS proscribitur, indicanda est, eodem, qui nobis objicitur loco, ab iisdem refutata Episcopis. Dicunt illi: *Nisi gratia detur, bonum ipsum arbitrium non habetur, & libero arbitrio hominis nulla potest gratia suffragari cognitio, nisi detur ipsius gratia spiritualis infusio*. Procul igitur abigatur propositio Quesnelli 11. *Gratia non est aliud, quàm voluntas Omnipotentis Dei jubentis, & facientis, quod jubet*. Voluntas enim Dei nobis non datur, non infunditur; sed neque gratia, cujus est *indeficiens largitas illuminans omnem hominem venientem in hunc Mundum*, est semper *omnipotens, & faciens quod jubet*.

5 Non magis stabiliendo contra Constitutionem errori servit Epistola Petri Diaconi ad eosdem Antistites. Adversariis placet potissimùm hæc Epistolæ lacinia: *Itaque Serpentis astutiâ depravatus, sponte Divinæ legis depravator effectus est: & ideo secundùm quod ei prædictum fuerat, justo judicio Dei, mortis pœnâ damnatur, totusque, id est, secundùm corpus, & secundùm animam in deterius commutatus, amissâ libertate propriâ, sub peccati servitio mancipatur*.

Sic est, homo sponte Divinæ legis depravator, seu transgressor effectus, Divino judicio ita in deterius est mutatus, ut se mancipans peccati servitio, amiserit libertatem propriam ad Divinæ legis observationem, ut verba objecta indicant, & magis colligitur ex sequentibus, quæ callido ab adversariis consilio supprimuntur: *Ut ergo falsa libertas, inquit Diaconus, fieret vera libertas, id est, ut humana libertas fieret CHRISTIANA LIBERTAS, eadem libertas liberatore indiguit, quo posset per ejus gratiam ab occupationibus humanis aversa, EA COGITARE, ET DESIDERARE, QUÆ PERTINENT AD VITAM ÆTERNAM. Sinè hac igitur gratia potest quidem cogitare, & desiderare HUMANA: non autem potest cogitare, aut velle Divina: quorum primum est, & præcipuum fundamentum, & crepido quodammodo, sive omnium bonorum origo, credere in Dominum gloriæ crucifixum*. Ubi evidens est concedi homini lapso libertatem *ad humana*, non solùm mala, sed etiam innoxia intra limites naturæ; tantùm autem negari *libertatem Christianam* sinè gratia; libertatem scilicet *cogitandi, & desiderandi, quæ pertinent ad vitam æternam*. Talis sinè gratia libertas Pelagiana est, quam Petrus Diaconus, & cæteri post Augustinum Catholici perpetuò impugnarunt.

CAPUT IV.

Diluuntur, quæ Adversarii objiciunt ex Augustino.

1 Libro 4. contra Julianum Pelagii Sectatorem cap. 3. sic illum S. Doctor alloquitur. *Quoniam saltèm concedis, opera Infidelium, quæ sibi eorum videntur bona, non tamen eos ad salutem sempiternam, regnumque perducere; Scito nos illud bonum hominum dicere, illam voluntatem bonam, illud opus bonum sinè Dei gratia, quæ datur per unum Mediatorem Dei, & hominum, nemini posse conferri, per quod solùm homo potest ad æternum Dei donum, regnumque perduci*. Semper igitur mente fixum teneamus, ab Augustino, & ejus discipulis, *illud bonum hominum dici, illam voluntatem bonam, illud opus bonum, per quod solùm homo potest ad æternum Dei donum, regnumque perduci*. Et simul *illud bonum hominum illam voluntatem bonam, illud opus bonum sinè gratia, quæ datur per unum Mediatorem Dei, & hominum, nemini posse conferri*. Unde patet, Hipponensem Antistitem cum Angelico, Seraphico, & cæteris Doctoribus Catholicis optimè conciliari, ut non negetur homini lapso omnis operis innocui potestas sinè gratia Mediatoris; sed potestas boni istiusmodi *operis, per quod homo potest ad æternum Dei donum, regnumque perduci*.

Julianus, & Pelagius, negato originis peccato, Baptismum non ad illius remedium, sed ad salutem ex Dei tantummodo ordinatione necessarium prædicabant, ut Christi populus, & Ecclesia hoc veluti signo discerneretur ab extraneis. Quo signo cum carerent Infideles, & sinè fide impossibile sit placere Deo, statuebant in eis Julianus, & Pelagius bona opera, quæ defectu Baptismi, & fidei salvare Infideles non possent; sed quæ, si in baptizatis, & Fidelibus fuissent, potuissent conducere ad salutem, quam-

quamvis elicita sinè gratia Mediatoris: quod Augustinus, & omnes Catholici pernegant.

Objicitur ex Augustini Enchiridio c.30. *Quid enim boni operari potest perditus, nisi quantum fuerit à perditione liberatus? Nunquid libero voluntatis arbitrio? Et hoc absit; nam libero arbitrio malè utens homo, & se perdidit, & ipsum. Sicut enim qui se occidit, utique vivendo se occidit: sed se occidendo non vivit; nec se ipsum potest resuscitare, cùm occiderit: ita cùm libero peccaretur arbitrio, victore peccato amissum est & liberum arbitrium.*

Aptissima Augustini comparatio est; quemadmodum enim suo corpori vitam adimens, non potest ademptam restituere; ita qui animæ suæ mortem peccando intulit, non potest eam suâ industriâ depellere, animumque ab illato interitu vindicare; sed potentiori ad hoc indiget subsidio Salvatoris. Unde & apud Augustinum statim sequitur: *A quo enim quis devictus est, huic & servus addictus est; Petri certè Apostoli est ista sententia; quæ cùm vera sit, qualis, quæso, potest servi addicti esse libertas, nisi quando eum peccare delectat? Liberaliter enim servit, qui sui Domini voluntatem libenter facit: ac per hoc ad peccandum liber est, qui peccati servus est; unde ad justè faciendum, liber non erit, nisi à peccato liberatus, esse justitiæ cœperit servus. Ipsa est vera libertas propter rectè facti lætitiam, simul & pia servitus propter præcepti obedientiam. Sed ista libertas ad bene faciendum, unde erit homini addicto, & vendito, nisi redimat ille, cujus illa vox est: Si vos filius liberaverit, tunc verè liberi eritis? Quod antequam in homine fieri incipiat, quomodo quisquam de libero arbitrio in ipso bono gloriatur opere, qui nondum liber est ad operandum bene?*

Hic iterum perspicuum est, boni operis nomine ab Augustino intelligi opus veræ *justitiæ*, & *piæ servitutis propter præcepti obedientiam*. Ad hoc liberi non sumus sinè gratia: & quidem libertatis nomine sive in bonis, sive in malis actibus, non sola hic intelligitur agendi facultas; sed animi ad agendum propensio, & in actione *lætitia*, quæ circa peccata obvenit iis, qui seculo, & rebus inanibus addicti sunt: circa opus autem justitiæ non primo statim accidere solet conversionis initio. Quis dubitet Catholicus, quin talis in *pietatis* operibus libertas à gratia sit, sed de bonis ad *justitiam*, & *pietatem* non pertinentibus, nulla hic Augustino contra Pelagium disceptatio est.

3 Censebat nempe Pelagius, teste Augustino lib. de natura, & gratia cap. 16., ad opera salutaria non requiri gratiam: *Nè fiat*, inquiebat Pelagius, *injuria libero arbitrio*; *quod sibi sufficit possibilitate naturæ ad implenda omnia præcepta justitiæ*. Et quamvis legem, atque doctrinam requireret, quâ discere posset, quæ agenda sint; his tamen cognitis, ajebat Pelagius sibi sufficere naturam, ut viam justitiæ, & salutis cognitam ingrederetur.

Sic Pelagianorum nomine Augustinus lib. de gratia Christi cap. 41. *Ut videlicet tanquam viâ demonstratâ, qua ambulare debeamus, jam viribus liberi arbitrii, adjutorio nullo alterius indigentes, sufficiamus nobis, nè deficiamus in via.*

Et lib. 4. ad Bonifacium cap. 2. *Dicunt, liberum arbitrium non periisse, cùm loquatur Dominus per Prophetam: si volueritis, & audieritis me, quæ bona sunt terræ, edetis: si nolueritis, & non audieritis, gladius vos comedet.* Sicut nempe hominis voluntas ad malum sibi sufficit, ita sibi eam sufficere arbitrabantur ad bonum quodcunque, etiam salutiferum, testante de eis Augustino lib. 1. cap. 1. & 3. *Hæc est quippe eorum intentio, qua gratiam destruere moliuntur..... dedit eis potestatem Filios Dei fieri...... ut igitur & hoc sciant ad gratiam pertinere, legant, quod ipse Dominus ait: Nemo potest venire ad me, nisi pater, qui misit me, traxerit eum... idipsum aliis verbis repetendo, in eo, quod ait, nisi fuerit ei datum à Patre meo...... Datur ergo potestas, ut Filii Dei fiant.... quæ potestas, nisi detur à Deo, nulla esse potest ex libero arbitrio; quia nec liberum in bono erit, quod Liberator non liberaverit...... Nemo igitur potest habere voluntatem justam, nisi nullis præcedentibus meritis acceperit veram, hoc est gratuitam desuper gratiam.. Hoc isti nolunt elati, & superbi.*

Denique ibidem cap. 3. prosequens, docet Augustinus, *non posse captivam voluntatem, nisi Dei gratiâ respirare in salubrem libertatem*, *quod evertit hæresim Pelagianam.* De salubri scilicet libertate, sive ad opera salutifera, quibus ad Christum omnis veræ justitiæ fontem, & præmium perveniatur æternum, Catholicæ Ecclesiæ adversùs Pelagium doctrina, atque contentio fuit.

4 Idem testatur alter Pelagianæ hæreseos debellator, & Augustini, ut omnes agnoscunt fidissimus Discipulus S. Prosper. Prolixior ejus, sed & luce meridianâ clarior sententia est in epistola ad Rufinum de gratia, & libero arbitrio, sub initium „ „ Pelagianæ (inquit) hæresis, quo dog„ mate Catholicam fidem destruere adorta sit,

„ sit, & quibus impietatum venenis viscera „ Ecclesiæ, atque ipsa vitalia Corporis „ Christi voluerit occupare, notiora sunt, „ quàm ut opere narrationis indigeant. „ Ex his tamen una est blasphemia, ne- „ quissimum, & subtilissimum germen alia- „ rum, qua dicunt: Gratiam Dei secun- „ dùm merita hominum dari. Cùm enim „ primùm tantam humanæ naturæ vellent „ astrucre sanitatem, ut per solum liberum „ arbitrium posset assequi Dei regnum; eò „ quòd tam plenè ipso conditionis suæ „ præsidio juvaretur; ut habens naturaliter „ rationalem intellectum, facilè bonum „ eligeret, malumque vitaret: & ubi in „ utraque parte libera essent opera volun- „ tatis, non facultatem bis, qui mali sunt, „ ad bonum deesse, sed studium. Cùm er- „ go, ut dixi, totam justitiam hominis ex „ naturali vellent rectitudine, ac possibili- „ tate subsistere, atque hanc definitionem „ doctrina sana respueret, damnatum à „ Catholicis sensum, & multis postea hæ- „ reticæ fraudis varietatibus coloratum, „ hoc apud se ingenio servaverunt, ut ad „ incipiendum, & proficiendum, & ad „ perseverandum in bono, necessariam „ homini Dei gratiam profiterentur. Sed „ in hac professione, quomodo vasa iræ „ molirentur irrepere, ipsa Dei gratia vasis „ misericordiæ revelavit. Intellectum est „ enim, saluberrimèque perspectum, hoc „ tantum eos de gratia confiteri, quod „ quædam libero arbitrio sit magistra, se- „ que per cohortationes, per legem, per „ doctrinam, per creaturam, per contem- „ plationem, per miracula, perque terro- „ res extrinsecus judicio ejus ostendat, „ quo unusquisque secundùm voluntatis „ suæ motum, si quæsierit, inveniat: si „ petierit, percipiat: si pulsaverit, in- „ troeat. Quia scilicet gratiæ ipsius voca- „ tio hoc primum circa nos agat, ut no- „ stræ facultatis arbitrium admoneat, nec „ alind sit gratia, quàm lex, quàm Pro- „ pheta, quàm Doctor, cui circa omnes „ homines per universum mundum com- „ mune, & generale sit studium, ut qui „ voluerint credere, & qui crediderint, „ justificationem merito fidei, & bonæ vo- „ luntatis accipiant: ac si gratia Dei, se- „ cundùm hominum meritum tribuatur: „ atque hoc modo gratia non sit gratia; „ quia si meritis redditur, & non ipsa est „ bonorum creatrix, frustrà gratia nomi- „ natur. Has autem versutias, &c.

5 Manifestum itaque est, non de bonis actibus ad pietatem, & beatitudinem nihil conducentibus, sed de actibus salutiferis Augustino, & Discipulis ejus adversùs Pelagianos controversiam fuisse; unde frustrà nobis intorquetur illud Augustini ad Bonifacium lib. 1. cap. 3. „ Quæ potestas „ (ut „ fiant filii Dei) „ nisi detur à Deo, nulla „ esse potest ex libero arbitrio; quia nec „ liberum in bono erit, quod Liberator „ non liberaverit; sed in malo liberum „ habet arbitrium, cui delectationem ma- „ litiæ, vel occultus, vel manifestus de- „ ceptor inseruit, vel sibi ipsi persuasit. „ Non itaque, sicut dicunt nos quidam di- „ cere, & iste audet insuper scribere, „ omnes in peccatum veluti inviti carnis „ suæ necessitate coguntur; sed si jam in „ ea ætate sunt, ut propriæ mentis utantur „ arbitrio, & in peccato sua voluntate re- „ tinentur, & à peccato in peccatum sua „ voluntate præcipitantur, neque agit in „ eis etiam qui suadet, & decipit, nisi ut „ peccatum voluntate committant, vel „ ignorantiâ veritatis, vel delectatione „ iniquitatis, vel utroque malo, & cæci- „ tatis, & infirmitatis. Sed hæc voluntas, „ quæ libera est in malis, quia delectatur „ malis, ideo libera in bonis non est, quia „ cœlesti delectatione non afficitur.

De quibus bonis hic iterum assertio Augustini est? De cœlestibus nempe, vel ad ea disponentibus, ad quæ cælestis delectatio conducit. Quod adversarios hæc objicientes latere minimè potuit, cùm ex verbis immediatè præcedentibus manifestum sit, agi de *potestate*, quam Verbum caro factum omnibus se recipientibus *dedit*, *Filios Dei fieri*, ut testatur in Euangelio Joannes. Quis dubitet, quin potestas, *ut fiamus filii Dei*, vel quibuscunque ad hoc operibus nos disponamus, sit ex gratia? De inferioris ordinis actibus, etsi bono naturæ convenientibus, sed nihil seu prope, seu eminus conferentibus, aut disponentibus ad pietatem, & salutarem justitiam, nulla hìc Augustino cum Pelagianis disceptatio fuit.

6 Nihilominus alterum ex ejus libro de correptione, & gratia cap. 1. spiculum in nos vibrant adversarii. Illic scilicet Sanctus Doctor: *In bono autem*, inquit, *liber esse nullus potest, nisi fuerit liberatus ab eo, qui dixit: Si vos filius liberaverit, tunc verè liberi eritis..... Hanc fidem, quæ sinè dubio vera, & Prophetica, & Apostolica, & Catholica fides est, &c.*

Opem ferre cupio adversariis, & lucem argumento addere ex antecedentibus. Sic ibi prætetea legitur: *Dominus autem ipse non*

non solùm ostendit nobis, à quo malo declinemus, & quod bonum faciamus, quod solùm ostendit legis litera; verùm etiam adjuvat nos, ut declinemus à malo, & faciamus bonum, quod nullus potest sinè spiritu gratiæ: quæ si desit ad hoc lex adest ut reos faciat, & occidat: propter quod dicit Apostolus litera occidit; spiritus autem vivificat. Qui ergo legitimè lege utitur, discit in ea malum, & bonum, & non confidens in virtute sua confugit ad gratiam, qua præstante declinet, à malo, & faciat bonum. Quis autem confugit ad gratiam, nisi cùm à Domino gressus hominis diriguntur, & viam ejus volet? Ac per hoc & desiderare auxilium gratiæ, initium gratiæ est; de quo ait ille: Et dixi nunc cœpi, hæc mutatio dexteræ excelsi. Liberum itaque arbitrium & ad malum, & ad bonum faciendum confitendum est nos habere; sed in malo faciendo liber est quisque justitiæ, servusque peccati; in bono autem, &c.

Videre hìc Adversarii nolunt; quia tenebras ignorantiæ, & errores præ veritatis luce voluntariè cæci diligunt; sed satis perspicit Lector Catholicus, ad quæ bona opus esse gratiâ doceat Augustinus; de iis bonis loquitur, quæ cuicunque obtigerint, efficiunt, ut eorum numero comprehendantur, de quibus æterna veritas dixit, esse *vere liberos*; quia eos *Filius liberavit*, *quos spiritus vivificat*, *qui lege legitimè utuntur*, qui non confidentes in virtute sua, *confugiunt ad gratiam*, *qua præstante*, *declinant à malo*, *& faciunt bonum*: *quorum ita gressus à Domino diriguntur*, *ut viam ejus velint*; *qui desiderant auxilium gratiæ*, *qui dicunt*: *nunc cœpi*, *hæc mutatio dexteræ Excelsi*. Potestne Augustinus clariùs, quasi digito monstrare, quod bonum intelligat, de quo mox concludit nos opus habere auxilio gratiæ? De bono scilicet veræ pietatis, & ad salutem, seu prope, seu eminus disponente.

7 Ad tale bonum gratiam requiri, rectè asserit Augustinus: *Hanc fidem esse sinè dubio veram, Propheticam, & Apostolicam, & Catholicam*. Cùm autem Baji, & Jansenii asseclæ persuadere volunt, hæc tam magnifica prædicata convenire sententiæ à tot Pontificibus proscriptæ, vix scio, an hæc hæreticis propria impudentia, Theologis Catholicis non risum potiùs moveat, quàm indignationem? Omnes nempe præter Quesnelli asseclas ignorant, aut negligunt *fidem*, quam Augustinus affirmavit *sinè dubio veram*, *Propheticam*, *Apostolicam*, *Catholicam*, atque adeò hæc ad solos Lutheranos, & Quesnello similes apostolos, derelictâ Romanâ Ecclesiâ, migraverit. Hanc enim fidem non solùm CLEMENS XI. nescit, atque ei obediens Ecclesia; sed nescīverunt, imò prohibuerunt, damnaruntque tres alii pridem Pontifices maximi Sanctus Pius, Gregorius XIII., & Urbanus VIII.

Oppositam esse omnium Theologorum contra unum Gregorium Ariminensem conqueritur Lutherus in Epistola de disput. Lypsica: *Certum est*, inquit, *modernos cum Scotistis, & Thomistis in hac re, idest de libero arbitrio, & gratia consentire, excepto uno Gregor. Ariminen. quem omnes damnant, qui & ipse eos Pelagianis deteriores esse, & rectè, & efficaciter convincit. Is enim solus inter Scholasticos recentiores cum Augustino, & Apostolo consentit. Nam Pelagiani, etsi sinè gratia opus bonum fieri posse asseruerint, non tamen sinè gratia cœlum obtineri posse dixerunt. Idem certè dicunt Scholastici, dum sinè gratia opus bonum; sed non meritorium fieri posse docent.*

Ita Lutherus. Videant itaque Adversarii, quo duce contra omnes Scholasticos, contra tot Summos Pontifices, & Ecclesiam pugnent. Unicum inter Scholasticos, & contra omnes invenit hæresiarcha Gregorium Ariminensem: inter antiquos Augustinum sibi vindicat, & Apostolum; utrumque etiam suum ubique esse mentiuntur Jansenistæ.

8 De Gregorio Ariminensi fatendum est, eum placita subinde securum esse duriora, & singularia, quæ, si tot Pontificum contra Bajum, & Jansenium definitiones ipsi videre licuisset, castigasset indubiè, ut cum Ecclesiâ sentiret: interim Lovaniensis aliquis (Gregorii dicam an Jansenii discipulus?) citatur à Cardinale Aguirre Theologiæ S. Anselmi disp. 22. sect. 1. sic asserens: *Cornelius Jansenius discipulum egit non solius Augustini Hipponensis; sed etiam Gregorii Ariminensis; nullam enim, aut certè vix ullam capitalem conclusionem ex Augustino elicuit Jansenius, quam non ante in terminis elicuerit Gregorius*. Hæc ille Lovaniensis tunc juvenis, & ante Pontificias contra Jansenii hæresim sanctiones, quas dein reveritus ab errore creditur resipuisse.

In communi tradenda sententia Angelicum, Subtilem, Seraphicum, Albertum magnum, & eorum cum cæteris Scholasticis Sectatores, præiverat Scholasticorum omnium Dux, & Magister sententiarum in 2. dist. 26. capite 8. ubi citans Augustinum, veluti ex ejus mente asserit: *In homine præcedere quadam bona ..... etiam ex solo libero arbitrio, quibus tamen vitam non merentur, nec gratiam, qua justificatur.*

9 Præ-

9 Præcipuam errandi occasionem videntur Adversarii accepisse ex illo Augustini ad Bonifacium lib. 3. cap. 8.: *Liberum arbitrium captivatum non nisi ad peccandum valet; ad justitiam verò nisi divinitus liberatum, adjutumque non valet*. Non attendunt scilicet ad scopum authoris, & statum controversiæ. Contendebat Pelagius sicut ad peccatum, ita ad justitiam sufficere sibi liberum arbitrium, ut vidimus supra ex Augustini lib. 4. ad Bonifacium cap. 2. & omnibus ea Pelagii sententia comperta est adeò, ut à nemine vocetur in dubium. Augustinus verò solùm ex duobus concedit, quod deterius est, videlicet assertam ad peccandum sinè gratia potestatem.

10 Quemadmodum si quis Titii ignorans indolem, munificentiam ejus prædicet; alius avaritiam perspectam habens, respondebit Titium aliud non novisse, quàm corradere pecuniam: quo responso indubiè non negatur in Titio rerum omnium aliarum notitia; sed, quòd in præsenti de ejus liberalitate, vel avaritia quæstione, nihil habeat prioris, totus avaritiæ vitio immersus.

Sic de homine superbo dicitur, quòd non noverit, nisi superbire; de iracundo non aliud, quàm ulcisci; de contentioso non aliud, quàm rixari; de mendaci non aliud, quàm mentiri; de guloso non aliud, quàm sectari escam, & potum: quibus indubiè locutionibus non intenditur cæterorum prorsus omnium actuum aliò pertinentium exclusio; sed tantummodo bonitatis, seu virtutis, vitio memorato oppositæ; ut dicatur superbus ignorare demissionem animi; iracundus longanimitatem, & mansuetudinem; contentiosus pacem, mendax veritatem, gulosus sobrietatem, & temperantiam.

Ita Pelagio affirmanti, posteros Adæ sicut ad peccandum non indigent Dei præveniente, & adjuvante auxilio; ita neque indigere ad operationem justitiæ; respondet Augustinus, ex duobus illis non nisi unum, scilicet peccatum libero arbitrio sinè gratia convenire.

11 Cùm Adversarii Eminentissimum Aguirre alibi audiri cupiant ab omnibus, responsionem ejus accipiant disput. 118. sectione 7. „ Respondeo (inquit) Conciliorum, & Patrum testimonia nullatenus adversari nostræ sententiæ, nec tangere controversiam præsentem, ut sæpe in superioribus ostensum fuit, & præsertim disput. 117. à num. 19. Item solùm loquuntur adversùs Pelagium de necessitate gratiæ ad omnia, & singula opera conferentia, seu qualitercunque disponentia ad æternam salutem; non autem de iis, quæ moraliter bona sunt intrà naturæ ordinem, & nullatenus idonea ad salutem obtinendam, præsertim facilia, & exigui momenti; quod plane fateri tenentur adversarii. Primò; quia Concilia, & PP. solùm damnant iis locis errorem Pelagii, & sequacium: atqui error Pelagii non in eo consistebat, quòd negaret necessitatem gratiæ ad singula opera moraliter bona; alioqui quotquot eam negamus, saperemus cum Pelagio, quæ est propositio 37. à Pontificibus damnata in Michaele Bajo; sed in eo, quòd negant necessitatem gratiæ ad omnia, ac singula bona opera, quæ conferunt, aut disponunt ad æternam salutem. Concilia igitur, & PP. solùm damnant negantes gratiæ necessitatem ad omnia, & singula opera conferentia, aut disponentia ad æternam salutem; non verò ea, quæ intrà naturæ ordinem moraliter bona sunt..... Itaque uno ferè verbo omnibus testimoniis, quotquot objecta sunt, & pluribus aliis, quibus impetimur ab adversariis, satisfieri potest, asserendo in iis solùm affirmari, gratiam Dei necessariam esse ad singula opera conferentia aliquid utilitatis, vel dispositionis proximæ, aut remotæ in vitam æternam: non autem ad singula bona opera intrà naturæ ordinem contenta, & nullatenus conducentia ad æternam salutem. Hæc enim, si facilia sint, absque ullo speciali auxilio, seu gratiâ theologicè dictâ, fieri possunt semel, aut iterum cum generali auxilio, & concursu Dei: quam solutionem paucis complexus est Div. Thom. quæst. 24. de verit. art. 14. in fine, ubi cùm proposuisset plura argumenta ex testimoniis Patrum, quibus videtur exigi gratia ad omne opus bonum, respondet: *Ad ea verò, quæ sunt in contrarium adducta, patet solutio: quia vel procedunt de bono meritorio; vel ostendunt, quòd sinè operatione Dei homo nullum bonum opus potest facere*. Circa verba autem illa Concilii Arausicani secundi Canonis 22. in objectione relata, vide quæ diximus supra num. 36. & infra disp. 21. num. 24. Itaque si quando insinuatur in Conciliis, aut testimoniis PP., etiam ad opera qualibet bona intrà naturæ ordinem, necessarium esse adjutorium Dei, dicendum, præeunte D. Angelico verbis nuper allegatis, non esse sermonem de speciali auxilio, aut gratia; sed solùm *de operatione Dei*, sivè adju-

„ adjutorio Dei anthoris,& perfectoris na-
„ turæ rationalis, quo semper ad singulos
„ bonos actus excitat, movet, ac con-
„ currit.

12 Hactenus Cardinalis, de cujus sententia, & adhibita Conciliorum Patrumque interpretatione quidquid sit, ea mihi ad damnati articuli subversionem minimè opus est, ad quam Patrum, & Scholasticorum traditio,totiusque Ecclesiæ consensus, cum Sanctissimi pariter, ac Doctissimi Pii V. definitione, à Gregorio XIII., & Urbano VIII. novis Constitutionibus confirmatâ abundè sufficiunt. Ad dejiciendos autem adversarios sufficeret argumentum, quod *ad hominem* Scholastici nuncupant.

Certissimum scilicet est Scripturis, & SS. Patribus, etiam Augustino, ex Constitutionibus Pontificum, & totius Ecclesiæ doctrina, actiones aliquas esse in peccatoribus, & infidelibus à vitio immunes. Tales, S. Hieronymo teste, fuere auxilium à Rege Babylonis, & copiis ejus populo Judæorum præstitum adversùs Tyrios, uti &, Scripturâ docente, Obstetricum Ægyptiarum erga Judæorum infantes misericordia; quæ Deo commendatione, & temporali præmio digna visa sunt; quemadmodum, teste Augustino, actus strenui Romanorum: Castitas Polemonis Gentilis ab eodem Sancto laudata est, & meritò visa donum Dei. Neque ullus Catholicus post repetitas toties contra Bajum definitiones Apostolicas asserere audeat, *omnia opera infidelium esse peccata, & virtutes Philosophorum esse vitia*. Porrò juxta plures Quesnelli articulos nullam isti omnes habuere gratiam. *Fides* enim juxta articulum 27. *est prima gratia, & fons omnium aliarum*. Art. 29. *Extra Ecclesiam nulla conceditur gratia*. Art. 28. *Prima gratia, quam Deus concedit peccatori, est peccatorum remissio*. Oportet igitur, vel tres illos expungere articulos, & cum eis vigesimum sextum, qui vigesimo septimo consentit, *Nullæ dantur gratiæ nisi per fidem*: vel nuntium remittere huic 38. *Peccator non est liber, nisi ad malum, sinè gratia liberatoris*. Rectiùs verò Quesnellus exemplo Catholicorum omnium, tam hunc, quàm priores quatuor articulos excuteret: cur enim ad præsentem articulum abjiciendum non sufficiant, præter authoritatem CLEMENTIS XI. trium ejus Decessorum S. Pii V., Gregorii XIII., Urbani VIII. contra eundem errorem sapientissimæ sanctiones?

S. Pio V. Pontifici, quo plura sæcula non tulere doctiorem, Magistri sui Angelici sententia, Bajano opposita errori, perspectissima fuit: & quid magìs contrarium communi omnium mortalium sensui, & dictamini rationis, quàm omnem hominem; vel, ut præsens contendit articulus, omnem peccatorem inevitabili ad peccandum propelli perpetuò necessitate, ut sola unius præ altero delicti electio relinquatur, nec standi quidem, vel sedendi, vel manum movendi, aut pedem sinè novo peccato, liberum ulli peccatori sit absque supernaturali gratia liberatoris? Apage istiusmodi exoticas novitates, quæ fallaci obtentu commendandæ liberatoris gratiæ, perniciosissimas ingerunt peccatoribus excusationes, sopiendis conscientiæ remorsibus, & inducendæ vitiorum licentiæ peropportunas.

Plures texunt Hexapla hic contra censuram Apostolicam objectiones; sed aranearum telis fragiliores, quas levi tactu, vel flatu diffringi mox perspicies; si hoc unum memoriâ teneas, eos, qui ad pompam longâ serie, describuntur Patres, agere de libertate operum ad pietatem, & salutarem justitiam pertinentium, quæ nullus catholicus negat egere auxilio gratiæ.

CAPUT V.

Nihil communi doctrinæ contrarium tradunt Patres cæteri, aut Scholastici.

1 Augustinum sequitur S. Prosper, ex cujus Epistola ad Rufinum adducitur ab adversariis illud capitis noni, ubi de libero arbitrio Sanctus ait: *Donec sinè Deo solum fuit, mortuum fuit justitia, vixitque peccato: ubi ipsum illuminavit misericordia Christi, erutum est à regno diaboli, & factum est regnum Dei; in quo ut permanere possit, nè eâ quidem facultate sufficit sibi; nisi indè accipiat perseverantiam, unde accepit justitiam.*

Immediatè præcesserat: *Gratia igitur Dei quoscunque justificat, non ex bonis meliores; sed ex malis bonos facit, postea per profectum ex bonis factura meliores.* Quis iterum orthodoxus dubitet, quin liberum arbitrium hominis in Adamo lapsi, quamdiu sinè Deo, seu Dei gratiâ solum est, mortuum sit justitiæ, vivatque obnoxium peccato, neque eruatur à regno Diaboli nisi per gratiam? Sinè hac Christi misericordia à servitute Diaboli non transferimur ad *regnum Dei*: neque in hoc *regno*, quod in terris est, *permanere* solo libero arbitrio sinè gratia possumus; maximum enim Dei, & gratiæ donum est *perseverantia*. Ex quibus omnibus, & ex eo quod immediatè præcedit de libero arbitrio per se invalido, ut

à pec-

à peccato finè gratia se liberet, manifestum est, Prosperum minimè asserere, quòd omnis omnino peccatoris actio finè gratia fit peccatum, neque in ullo apice adversariis suffragari.

2 Non plus præsidii ipsis est in illo Gelasii Pontificis ad omnes per Picenum Episcopos cap. 3.: *Solus utique* (Salvator) *venit quærere, & salvare quod perierat; ut libertas, quæ per temerariam fuerat decisa superbiam, instauretur reparata per gratiam, mutuàque vice humanæ voluntatis arbitrium, sicut sequendo diabolum, captivitatem meruerat sempiternam, sic reformatæ subsequendo libertatis autherem, amissum rediret ad præmium. Hinc est quòd ipse Dominus ait: CUM VOS FILIUS LIBERAVERIT, TUNC VERE LIBERI ERITIS.*

Agi hìc de libertate solùm ad opera salutaria patet, tum ex ipsa objecta Capituli sententia, tum ex ejusdem Capituli initio: *Jam toto mundo cognita, atque convicta Pelagianorum deliramenta circumfert* (Seneca Pelagianus,) *quibus dicunt, quòd homo per liberum arbitrium, quod corrupit, fœdavit, ac perdidit, bono suffragante naturæ, beatus efficiatur*. Qui venit quærere, & salvare quod perierat, libertatem ad opera salutifera, quam per peccatum amisimus, venit nobis redditurus per gratiam; ita *à captivitate dæmonis liberati, sequimur libertatis authorem, amissumque redimus ad præmium*. Hinc, ut ipse Dominus ait, tunc verè, & salubriter liberi eritis ad opera salutaria, & beatitudinem, cùm vos filius liberaverit: ita cum suo Seneca convincitur Pelagius, & omnes ejus discipuli, qui dicunt, hominem per liberum arbitrium, quasi fœdatum, ac perditum peccato non esse, bono suffragante naturæ *beatum effici*.

Nullus igitur Gelasio sermo est de operibus, sive indifferentibus, sive bonis intrà naturæ ordinem, nihil conducentibus ad salutem; sed de iis, quibus filium *sequimur, amissumque redimus ad præmium, quo beati efficiamur*. Hæc planissima, & verbis expressa clarissimis, Sancti Pontificis sententia est, in nihilo favens barbaræ novitati, quæ perpetuam homini necessitatem imponat delinquendi, quoties aliquid intrà naturæ ordinem concursu Dei ordinario, vel qualicunque naturæ limites non excedente operatur.

3 Eadem est doctrina Innocentii Pontificis ad Concilium Milevitanum scribentis Epistolam, quæ inter Augustinianas est 182. aliàs 93. *Quid enim*, inquit, *acerbius in Deum fingere* (Pelagiani) *potuerunt, quàm cùm adjutoria Divina cassarent, causamque Divinæ, id est, quotidianæ precationis auferrent: hoc est dicere, quid mihi opus Deo? Meritò in hos dicat Hymnidicus: Ecce homines, qui non posuerunt Deum adjutorem sibi. Negantes ergo auxilium Dei inquiunt, hominem sibi posse sufficere, nec gratiâ hunc egere Divinâ, quâ privatus necesse est diaboli laqueis irretitus occumbat, dum ad omnia vitæ perficienda mandata, solâ tantummodo libertate contendat.* Hinc meritò exclamat S. Pontifex: *O pravissimarum mentium perversa doctrina! Adverte tandem, quòd primum hominem ita libertas ipsa decepit, ut, dum indulgentiùs frenis ejus utitur, in prævaricationem præsumptione conciderit: nec ex hac potuit erui, nisi ei providentiâ regenerationis statum pristinæ libertatis Christi Domini reformâsset adventus.*

Quærere hìc ex adversariis liceat, quò divinam, & quotidianam precationem dirigant? Nonne ad ea obtinenda auxilia, quibus justitiam salutarem, ipsamque beatitudinem consequantur? Eam precationem, tanquam minimè necessariam, auferunt Pelagiani, viamque sternunt homini, ut in hanc consentiat blasphemiam: *Non est mihi opus Deo, dum ad omnia vitæ perficienda mandata solâ tantummodo libertate contendit. Ea verè pravissimarum mentium perversa doctrina est*, nihil commune habens cùm illa Ecclesiæ; quæ, præeuntibus tot Summis Pontificibus, creditur, *liberum arbitrium absque gratia Dei adjutorio*, ad aliquid ampliùs, quàm *ad peccandum valere*: atque id non in solis justis habere locum; sed etiam in peccatoribus.

Adamus suis præfidens viribus ad mandata Dei implenda, & perseverandum in justitia non duxit sibi orandum necessariò; unde gratiam, & justitiam amittens, in eam incidit servitutem, ex qua non nisi Divino liberatoris auxilio emergere valuit.

Sed quid hæc omnia conferunt ad probandam contra tot Apostolicas definitiones, contra mortalium omnium sensum, contra ipsum quodammodo naturæ lumen, supernaturalis gratiæ necessitatem ad opera quæcunque naturalia, & Divinis non adversantia præceptis?

4 Eadem est sententia Fulgentii, qui exemplo, & rationibus Augustini Pelagianos acerrimè impugnans lib. de Incarnatione, & gratia cap. 19. ait: *Ex quo enim primus homo naturam suam voluntariè vitiavit, atque oppressit infirmitas, nisi Divina gratia medicamento præventum in unoquoque hominem sanetur, atque adjuvetur liberum indesinenter arbitrium: est quidem liberum;*

non tamen bonum: est liberum; non tamen rectum: est liberum; non tamen sanum: est liberum; non tamen justum. Et quantò magis à bonitate, rectitudine, sanitate, justitiaque liberum, tantò magis malitiæ, perversitatis, infirmitatis, utque iniquitatis mortifera servitute captivum, servus est peccati: & à quo quis devictus est, huic & servus addictus est ...... Servire igitur justitiæ non potest, qui justitiæ liber est; quia, quamdiu est peccati servus, non nisi ad serviendum peccato reperitur idoneus: Ab ista servitute peccati nemo liber efficitur, nisi qui liberatoris Christi gratiâ liberatur.

Juxta commune placitum, sententia cujuscunque authoris, & verborum ejus significatio *ex causis est assumenda dicendi*. Pelagianos aggreditur Fulgentius: &, ut illi viribus arbitrii tribuebant sufficientem ad quæcumque opera salutifera potestatem, contra illos ait Sanctus, quòd postquam arbitrium peccato primi hominis vitiatum est, oppressumque infirmitate, præveniri debeat Liberatoris medicamine, ut sanetur, & adjuvetur; quod sinè illo *liberum* quidem; *non tamen bonum sit, non sanum, non rectum, non justum*. Nemo scilicet ex eo hominis animum appellaverit *bonum, sanum, rectum, justum*, quòd non in omni prorsus opere peccet; quòd aliquando manum, vel pedem liberè moveat; quod rigens frigore ad ignem accedat, agrum colat, plantet arborem, ædificet domum, vel aliud ad naturæ bonum conducens, vel fortè indifferens exerceat opificium absque fine perverso. De talibus hic operibus nulla cura Fulgentio est, nec rixa cum Pelagio, possintne fieri subinde innoxiè absque supernaturali gratiæ auxilio; sed, an hoc necessarium sit ad ea, quibus arbitrium hominis constituitur *bonum, sanum, rectum, & justum*. Ad talia meritò asserit, requiri gratiam, sinè qua non ad bonitatem, sanitatem, rectitudinem, justitiam, esse peccatorem liberum declarat; sed ad contraria iis peccata.

Neque officit, quod dicitur: *Quamdiu est peccati servus, non nisi ad serviendum peccato reperitur idoneus. Ab ista servitute peccati nemo liber efficitur, nisi qui Liberatoris gratiâ liberatur*, quod totum in sensu Fulgentii verissimum est: nempe, initâ inter duos illos dominos *peccatum*, & *justitiam* comparatione; peccati servus, cùm sinè gratia servire nequeat justitiæ, non est idoneus nisi ad serviendum peccato. Sed non excluditur quodcunque opus ad justitiam nihil pertinens, & vel ad naturæ solummodò conducens bonum, vel fortè, ut alii censent, indifferens. Aliàs Fulgentii sententia probaret nimium, & in plura induceret superiorum Pontificum anathemata, totius pridem Ecclesiæ firmatissima consensu. Non enim peccator à servitute diaboli liberari dicitur, nisi dum per gratiam justificatur; si igitur donec *Liberatoris gratia liberetur, non nisi ad serviendum peccato reperiatur idoneus* sensu adversarii, sequetur propositio inter damnatas à S. Pio trigesimaquinta: *Omne quod agit peccator, vel servus peccati, peccatum est*. Et 40. *In omnibus suis actibus peccator servit dominanti cupiditati*. Præcesserat Tridentinum Concilium contra Lutherum sess. 6. can. 7.: *Si quis dixerit opera omnia, quæ ante justificationem fiunt, quacunque ratione facta sint, verè esse peccata......, anathema sit*. Et antea Concilium Constantiense contra Joannem Hus.

5 Ad augendum objectionum numerum, & inani ostentatione multitudinis fallendos simplices, adducitur etiam S. Thomas, Bonaventura, atque ipse Author libelli piissimi de imitatione Christi.

Ex Angelico objicitur illud 1.2. qu. 109. art. 6. ad 1.: *Dicendum, quòd conversio hominis ad Deum fit quidem per liberum arbitrium, & secundùm hoc homini præcipitur, quod se ad Deum convertat. Sed liberum arbitrium ad Deum converti non potest, nisi Deo ipsum ad se convertente, secundùm illud Jeremiæ 31. Converte me, & convertar, quia tu Dominus meus es*. Non possumus ad Deum converti, sive justificari, atque adeò ad æternam disponi beatitudinem sinè gratia.

Unde mirabilis iterum, & nemini hactenus cognita adversarii dialexis: infert ergo, *Peccator non est liber nisi ad malum sinè gratia Liberatoris*. Quæ consecutio, ut fieret legitima, indiguit subsumpto, quod hactenus probatum non est, nec ulla ratione fiet unquam probabile; videlicet, non posse dari opus medium inter supernaturalem ad Deum conversionem, & peccatum. Subsumptum istud velut erroneum post laram à tribus Pontificibus contra Baji articulos sententiam, universa rejicit, ac detestatur Ecclesia. Quæ enim excogitari potest connexio clarior, quàm subsumpti illius cum hoc Baji errore 27.: *Liberum arbitrium sinè gratiæ Dei adjutorio non nisi ad peccandum valet*? Oppositum ex lucidissimis Patrum, & S. Thomæ sententiis confecimus superiùs, ubi Quesnellianæ propositionis 38. censura æquissima demonstrata est. Ita mecum Thomistæ consensu cum cæteris Catholicis unanimi Doctorem Angelicum intelligunt, & sequuntur.

6 Dum

6 Dum nobis Hexapla objiciunt etiam S. Bonaventuram, an Hexaplorum Author Seraphicum vigilans legerit, est cur dubitem. Si enim attentionis adhibuerit vel minimum, effugere oculos ejus non potuit hæc conclusio, quæ velut titulus distinctioni 28. ab adversario citatæ præmittitur: *Hominis liberum arbitrium in puris naturalibus constitutum cum generali Dei influxu, tametsi difficulter, potest tamen facere opus bonum morale, quod non disponit ad gratiam*. Dein sequitur ipsa distinctio cum fundamentis utriusque sententiæ, ut apparet, invicem opposita. Tum Sanctus more suo sententiam sibi eligit, & stabilit propriam, argumenta illi antea objecta dissolvens. Hoc adversarius ignorans; vel, quod deterius est, dissimulans fide pessimâ, objectionem Seraphici Lectoribus obtrudit pro assertione. Quomodo enim fieri potest, ut Theologus Seraphicum in Magistrum sententiarum legens, non videat, in distinctione qualibet priùs referri sententiam adversam cum rationibus, quas dein aggreditur repellendas? Similem passim cæteri libros sententiarum interpretandi iniêre rationem, etiam in ipsa *Summa* Angelicus. Audiendus itaque est Bonaventura, cùm ad eum adversarii, seu ignorantis, seu impudentis confidentia provocet.

RESPON.: Ad prædictorum intelligen-
„ tiam est notandum, quòd opus aliquod
„ tripliciter potest dici bonum, uno modo,
„ bonum simpliciter, & hoc est bonum,
„ quod est ordinatum ad finem; & tale est
„ bonum, quod est meritorium; & in hujus-
„ modi bonum non potest liberum arbi-
„ trium lapsum absque auxilio gratiæ gra-
„ tum facientis. Secundo modo aliquod
„ dicitur bonum ex hoc, quod aliquo mo-
„ do de congruo disponit ad bonum: &
„ tale est bonum, quòd fit extra charita-
„ tem; nihilominus tamen cum recta in-
„ tentione, & in tali non potest liberum
„ absque munere gratiæ gratis datæ, per
„ quod illuminetur, & excitetur, ut velit
„ facere aliquid, quod sit Deo placitum...
„ Non est parvum donum gratiæ cogno-
„ scere ipsum munus gratiæ, & cognosce-
„ re, quòd sine gratia homo salvari non
„ possit.

„ Tertio modo dicitur aliquod bonum;
„ quia in finem est ordinabile, & habet
„ aliquam ordinationem intrà se, sive ex
„ transitu super materiam debitam, sicut
„ pascere esurientem, sive ex debita cir-
„ cumstantia superaddita; videlicet, cùm
„ hoc faciat cùm exigit tempus, & locus,
„ & opportunitas; ad illud autem genus
„ boni complendum, etsi gratia gratis da-
„ ta sit necessaria ad hoc, quod fiat facili-
„ ter; circumscripto tamen omni munere
„ gratiæ, & libero arbitrio relicto in puris
„ naturalibus, per naturale judicatorium, &
„ instinctum posset in tale bonum Deo coo-
„ perante, sicut cooperatur aliis creaturis;
„ nam sine primo Agente nullum agens
„ potest agere, sicut suo loco infra manife-
„ stabitur......

„ Ad præsens autem tantùm dixisse suffi-
„ ciat, quòd liberum arbitrium solâ Dei
„ cooperatione absque munere gratiæ, li-
„ cet difficiliter, potest exire in aliquod
„ bonum morale; per illud tamen nec dis-
„ ponitur ad gratiam, nec ad gloriam;
„ quia non in finem ultimum ordinatur;
„ licèt sit ordinabile: & istud concludunt
„ rationes ad primam partem inductæ, &
„ ideo concedendæ sunt. In bonum autem,
„ quod ducit ad bonum perfectum sive me-
„ rito congrui, sive merito condigni, non
„ potest absque auxilio Dei, sicut expresse
„ dicunt authoritates Sanctorum ad con-
„ trariam adductæ, & sic omnes intelligen-
„ dæ sunt, &, quòd isto modo debeant in-
„ telligi, planum est. Nam, si liberum ar-
„ bitrium in solis naturalibus suis relinqua-
„ tur, adhuc remanet ei rationis judicium,
„ per quod cognoscit, parentes esse hono-
„ randos, & constat, quòd, si habet hoc
„ naturale judicatorium, per illud, per
„ quod potest nosse parentes esse honoran-
„ dos, per illud potest cogitare; &, cùm
„ habeat naturalem instinctum, potest etiam
„ id velle: &, cùm habeat exteriora orga-
„ na sibi subservientia, potest opere imple-
„ re; sed prout illud facit judicium ratio-
„ nis rectæ absque munere gratiæ, non di-
„ rigit ad obtinendum finem, qui Deus est,
„ & mercedem æternæ beatitudinis, quam
„ nosse non potest, nisi Deus revelaverit.

Hactenus S. Bonaventura, cujus prolixam adeò sententiam describere volui, ut tam luculenta manifestatio veritatis confundat adversarii in objiciendis Authoribus temeritatem, &, si frons Janseniana erubescere nesciat, saltèm Lector catholicus convincatur de fide pessima novæ Sectæ, quæ istiusmodi fraudibus ad circumveniendum simplices opus habeat. Magìs verò stupenda est ejusdem Sectæ seu impudentia, seu stultitia, quòd, cùm notissima omnibus in Theologia Scholastica non omnino rudibus sit ea S. Bonaventuræ, Scoti, & ipsius Scholæ nobilissimæ sententia; non vereatur Doctorem Seraphicum sibi palàm fingere suffragantem.

Pro-

Profectò non potuit pejus causæ suæ consulere, quàm diremptionem litis ad ejus deferre tribunal, quem constat, non solùm pro nobis sententiam pronuntiasse, sed respondisse etiam ad quæcumque sive ex Scripturis, sive ex Patribus objiciuntur, ut Lector ex prolixa Seraphici textus à me relata lacinia facilè colligit; & cætera *Distinctionem* illam adire volentibus aperta sunt.

Addo, liberaliorem in nos hìc esse Bonaventuram, & reliquum cum Scoto, Gabriele, Durando, Richardo, Guilielmo Herius Erudito Iprensium Antistite, numerosissimum Scotistarum exercitum, quàm nobis contra adversarios opus sit. Non enim CLEMENTIS XI. contra præsentem Quesnelli articulum definitio, uti neque S.Pii V., Gregorii XIII., Urbani VIII. contra Baji 27. videtur clarè exigere opera bona moraliter sinè gratia; sed, si in rigore utraque accipiatur definitio, videtur sufficere, si admiseris dari posse innoxia, seu expertia peccati, ut subruatur error Quesnelli statuens, *peccatorem non esse liberum, nisi ad malum, sinè gratia Liberatoris*, cui clarissimè consonat error Baji: *Liberum arbitrium sinè gratiæ Dei adjutorio non nisi ad peccandum valet*. De operibus moraliter bonis intrà ordinem naturæ videbimus, ubi, discussis adhuc quatuor proximis ad eandem materiam pertinentibus articulis, occurret refutanda Quesnelli protestatio.

7 Ad fraudis, & ineptiarum complementum, opponitur nobis ex Opusculo de Imitatione Christi lib. 3. cap. 55.: *Opus est gratia tua, & magna gratia, ut vincatur natura ad malum semper prona ab adolescentia sua*. Perpetua illa naturæ in malum propensio non in ea intelligenda est latitudine, quasi homo rationis compos omni temporis momento, vel concupiscentiæ stimulis agitetur, vel supernaturali illustretur lumine in intellectu, & piis motibus excitetur in volunrare, quod non solùm omnium mortalium repugnat experientiæ; sed plurimis Quesnelli articulis apertissimè adversatur. Nam, ut alios omittam, juxta 29.: *Extra Ecclesiam nulla conceditur gratia*; juxta 28. *Prima gratia, quam Deus concedit peccatori, est peccatorum remissio*. An igitur omnia, quæ extra Ecclesiam, vel etiam in Ecclesia à peccatoribus se non convertentibus fiunt, liberi arbitrii opera absque supernaturalis gratiæ auxilio peccata sunt? Vide quanta hinc prorumpat damnatorum pridem dogmatum colluvies: Sic *omnia opera Infidelium sunt peccata, & Philosophorum virtutes sunt vitia*, qui est Bajanus error 25.: Sic *omne, quod agit peccator, vel servus peccati, peccatum est*, quæ propositio hæretica est, & inter damnatas eisdem Constitutionibus 35., cui consentit hæc 40. *In omnibus suis actibus peccator servit dominanti cupiditati*.

Quantumvis absurda, & execrabilia ea consectaria videantur, Quesnello tamen sancta sunt, juxta quem prop. 45.: *Amore Dei in corde peccatorum non ampliùs regnante, necesse est, ut in eo carnalis regnet cupiditas, omnesque actiones ejus corrumpat*. Unde pariter necesse est, ut, amore Dei non amplius regnante in corde peccatorum nulla detur gratia, atque ita ex duplici capite deficientis charitatis, & gratiæ, omnis Peccatorum actio peccatum sit. Præterea juxta Quesnellum omnia opera, etiam in justis sunt peccata, quæ non sunt charitas, vel à charitate non imperantur, sive ut dicitur prop. 44.: *Non sunt nisi duo amores, unde volitiones, & actiones omnes nostræ nascuntur; amor Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur; & amor, quo nos ipsos, ac mundum diligimus, qui quod ad Deum referendum est, non refert, & propter hoc ipsum fit malus*; atque adeò non fit ex gratia: unde, absente actu charitatis, & ejus imperio cùm omnis actio Quesnello peccatum sit, non fit ex gratia. Sic neque timor, neque spes sinè *amore* Dei super omnia, *qui omnia agit propter Deum*, immunis esse poterit à delicto; quia tum auxilio gratiæ, tum impetio destituitur charitatis.

8 Ut autem ad locum de *Imitatione Christi* redeamus, non dicitur, quòd sinè gratia semper peccemus; sed, quòd *natura ad malum semper prona sit*, propter concupiscentiæ habitum, qui non omnibus momentis temporis in motus prosilit, hominem in singulis actibus excitans, & stimulans ad peccatum: ipse quoque piissimus Scriptor loco cit. non asserit, nihil boni operis fieri posse ab homine sinè gratia; sed, quòd *modica vis, quæ remansit, sit tanquam scintilla quædam latens in cinere; hæc est ipsa ratio naturalis, circumfusa magnâ caligine, adhuc judicium habens boni, & mali; veri, falsique distantiam; licèt impotens sit adimplere omne, quod approbat, nec pleno jam lumine veritatis, nec sanitate affectionum suarum potiatur*. Sic est: modica vis, quæ remansit, quæ est ipsa ratio naturalis, adhuc judicium habens boni, & mali; veri falsique distantiam, *impotens est adimplere omne, quod approbat*; sed non propterea juxta Scriptoris hujus mystici sententiam est impotens adimplere aliquid, quantumvis facile, neque velle aliquid quantum sufficit, ut in eo opere non pecce-

peccetur. Nihil igitur hic eft, quod de fe non fateatur omnis catholicus, etfi remotiffimus ab errore 38., quo omnis prorfus actio peccatoris libera adftringitur peccato, fi non eliciatur auxilio gratiæ.

Lubet adverfario objectiones concludere hac oratione Ecclefiæ, ex Officio Dominicæ 2. Quadragefimæ: *Deus, qui confpicis omni nos virtute deftitui, interiùs, exteriufque cuftodi, ut ab omnibus adverfitatibus muniamur in corpore, & à pravis cogitationibus mundemur in mente.*

Precationem hanc non minùs Catholicus adhibet, quàm Janfenianus; Verùm quis fanæ mentis cum Quefnello afferat, omnes omnino, qui, five ex Sacri Ordinis, five ex Beneficii Ecclefiaftici debito, five ultro hanc orationem recitant abfque fupernaturali gratia, neceffariò peccent? Quot orationes, quot verfus ex pfalmis recitat peccator, tot juxta Quefnellum peccata certiffimè committit; cùm enim, juxta articulum 28. *Prima gratia, quam Deus concedit peccatori, fit peccatorum remiffio*, quamdiu non juftificatur, caret omni gratia; cùm igitur, juxta art. 38. *peccator non fit liber, nifi ad malum, finè gratia Liberatoris*, deberet, quifquis peccati lethiferi fibi confcius eft, neque ad fufficientem pœnitentiam ftatim difpofitus, fibi cavere ab omni precationis formulâ, ab omni opere mifericordiæ, & cujufcunque virtutis moralis; faltèm quoties ad illud lege non obligabitur; aliàs, Quefnello judice, toties delictorum aucturus numerum, quot opera qualiacunque libero exercuerit arbitrio. Unde dormiendum perpetuò peccatoribus effet, vel ab omni folicitè opere defiftendum.

Talia opinionum monftra ignoravere majores noftri, neque nos hactenus in Ecclefia audivimus, donec novi morum, & fidei Magiftri, novum procudêre Moralis Euangelicæ compendium, novas, ut vocant, Cogitationes Chriftiana, quæ nulli hactenus inciderant Chriftianos, faltèm in Romana Ecclefia, & extra Sectam Lutheri, & Fanaticorum; ad quorum caftra magnis paffibus properant Janfeniftæ, five hypocritæ Quefnelliani.

Trigefimanona Propofitio damnata.

Voluntas, quam gratia non prævenit, nihil habet luminis, nifi ad aberrandum; ardoris, nifi ad fe præcipitandum; virium, nifi ad fe vulnerandum: eft capax omnis mali, & incapax ad omne bonum. *Obferv. Mor. Matth. 20. verf. 4.*

CAPUT I.

Damnatus Articulus confutatur.

1. DOMINUS Vineæ loco cit. aliis, quos videt ftantes in foro otiofos, dicit: *Ite & vos in vineam meam*: ex quo Quefnellus affertionem errori fuo contrariam colligere debuiffet. Nam, etfi otiofi illi, antequam conducerentur à Vineæ Domino, nihil potuerint ab eo mereri, nullum exigere ftipendium, non tamen eis deerant bene operandi vires, & induftria. Unde, fi quid obfervationis verifimilis eruere Quefnellus voluiffet, dicere poterat, nos ante Divinæ gratiæ vocationem nihil quidem mereri poffe; fed tamen non omni bene agendi poteftate deftitui. Verùm cui propofitum eft, errores ex Scripturis exfculpere, necefsè habet occafiones, quas non invenit, fibi fingere, invito fpiritu veritatis, qui erroribus patrocinari non potuit.

Non hic contra folos peccatores, ut fuperiori Articulo; fed contra omnes, etiam juftos fententiam Quefnellus pronunciat, quòd, antequam gratiæ auxilio præveniantur, nullis, nifi ad peccandum, viribus polleant. Videtur hanc novitatem accepiffe à Janfenio, qui libro 4. de ftatu naturæ lapfæ cap. 18. dicit: *Ita peccato periit libertas arbitrii ad faciendum bonum, ut ante gratiam propriè dictam non fit liberum à peccando abftinere; fed quocumque fe verterit homo, hic & nunc in fingulis actibus quadam humanis viri-*

viribus insolubili peccandi necessitate teneatur. Et tomo 3. lib. 1. cap. 4. *Itaque libertas ad faciendum bonum, & ad abstinendum à malo interiit; & loco libertatis, peccandi necessitas consecuta est. Voluntas enim concupiscentiæ imperio, & ponderi ita indesinenter servit, eodem planè modo, quo voluntas Beatorum in omnibus omnino motibus servit Divinæ charitati.*

Quod hic à Jansenio clarè quidem; sed simplicius proponitur, à Quesnello copiosiùs, & multiplici ornatum metaphorâ inculcatur; talibus obducta fucis erroris scabies fallit incautos, & phalerata, ac fucata turpitudo diligitur.

2 Nimiam hanc à natura lapsa contumeliam rejecit pridem Angelicus Doctor 1.2. quæst.109. art. 2. dicens: *In statu naturæ corruptæ etiam deficit homo ab hoc, quod secundùm suam naturam potest, ut non possit totum hujusmodi bonum implere per sua naturalia; quia tamen natura humana non est totaliter per peccatum corrupta, ut scilicet toto bono naturæ privetur, potest quidem etiam in statu naturæ corruptæ per virtutem suæ naturæ aliquod bonum particulare agere, sicut ædificare domos, plantare vineas, & alia hujusmodi: non tamen totum bonum sibi connaturale, ita ut in nullo deficiat: sicut homo infirmus potest per se ipsum aliquem motum habere; non tamen potest perfectè moveri motu hominis sani, nisi sanetur auxilio medicinæ.*

Angelicum antecessit Magister Sententiarum in 2. dist. 26. cap. penultimo, qui citans Augustinum, sic ex ejusdem mente pronunciat: *Viam ante gratiam prævenientem, & operantem, qua voluntas bona præparatur in homine, præcedere quædam bona ex Dei gratia, & libero arbitrio: quædam etiam ex solo libero arbitrio; quibus tamen non meretur vitam, nec gratiam, qua justificatur.* Et paulò post: *Non negamus autem multa ante hanc gratiam ab homine fieri bona per liberum arbitrium, ut tradit Divus Augustinus, &c.*

Idem docet S.Bonaventura in 2.dist.28. artic.2. quæst. 3. Alexander Alensis 4. par. quæst.24. memb.4. art.3. Albertus Magnus in 2. dist.28. art.1. ad ult. Scotus, Durandus, Abulensis, Cajetanus, Dominicus Soto, Gonnet, Salmanticenses, Cardinalis Bellarminus, Cardinalis Aguirre, & cæteri Doctores communissimè contra paucos.

Cornelius à Lapide in illud Apostoli Rom. 2. *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt*: post varias loci hujus interpretationes, *planiùs* (inquit) *& pleniùs ad literam S. Chrysostomus, Theodoretus, Theophylactus, Oecumenius, Primasius, Sedulius, Haymo, Cyprianus lib. 3. ad Quirinum cap.99. Hieronymus ad Algas. qu.8. (S.Augustinus etiam expositionem hanc admittit, licèt priorem præferat) Dominicus Soto, Cajetanus, & passim recentiores accipiunt hunc locum Apostoli de gentibus in gentilismo viventibus. Ita debere accipi, patet ex voce* NATURALITER, & QUÆ LEGEM NON HABENT, *scriptam scilicet Moysis, vel Christi, ... quasi dicat* (Apostolus) *Nolite superbire, ò Judæi, contra, & supra gentes propter legem Mosaicam; quasi auditores legis justificentur; gentes enim non habentes scriptam legem, illam naturaliter habent inditam, quæ eos dirigit, & impellit, ut pleraque opera legis naturalis perficiant naturaliter, idest, ductu, lumine, & virtute naturæ..... Gentes autem, licet faciant ea, quæ legis facilia sunt, ut honorare parentes, dare eleemosynam, cavere furta, & cædes; non tamen possunt totam legem facere, & implere sinè fide, & gratia Christi.*

3 Non parum ponderis hæc explicatio nacta est ex auctoritate S.Pii V., Gregorii XIII., Urbani VIII. damnantium hos Baji artic. 22. *Cum Pelagio sentiunt, qui textum Apostoli ad Romanos 2.* GENTES, QUÆ LEGEM NON HABENT, NATURALITER, QUÆ LEGIS SUNT, FACIUNT, *intelligunt de gentibus, fidei gratiam non habentibus.* 28. *Pelagianus est error dicere, quòd liberum arbitrium valet ad ullum peccatum vitandum.* 29. *Non soli fures ii sunt, & latrones, qui Christum viam, & ostium veritatis, & vitæ negant; sed etiam quicunque aliunde, quàm per ipsum in viam justitiæ, hoc est aliquam justitiam, conscendi posse docent:* 30. *Aut tentationi ulli sinè gratia ipsius adjutorio resistere hominem posse, sic ut in eam non inducatur, aut ab ea non superetur.* 36. *Amor naturalis, qui ex viribus naturæ exoritur, ex sola philosophia, per elationem præsumptionis humanæ, cum injuria crucis Christi defenditur à nonnullis Doctoribus.* 37. *Cum Pelagio sentit, qui boni aliquid naturalis, hoc est, quod ex natura solis viribus ortum ducit, agnoscit.*

4 Cardinalis Bellarminus libro 5. de gratia, & libero arbitrio cap.9. communem sententiam confirmat etiam hac ratione, ut appatet, evidenti: *Quod*, inquit, *possit homo suis viribus non apponere circumstantiam finis mali, imò etiam dirigere opus in finem bonum secundùm rationem, manifestum est; nam si potest suis viribus operari malum arduum, & naturæ contrarium; cur non potest* ope-

operari bonum facilè, congruumque naturæ? Si potest ex. gr. suis viribus, sinè auxilio gratiæ projicere omnia bona sua in mare, vel ipse se occidere, à quo natura abhorret, cur non poterit paucos nummos largiri indigenti, vel hominem à præcipitio revocare ex misericordia, ad quam prope natura ipsa compellit? Et, si potest interroganti, falsum de industria respondere, cur non poterit respondere verum, si nihil indè lucretur, aut perdat?

Verùm, quidquid sit de hac communiore, & rationi maximè consentaneâ opinione; cùm tamen ei Catholici aliqui refragentur, causati Bajanos articulos, quos recensui, non propter dogma; sed propter censuras condemnari, iis tantummodo inhærebo principiis, quæ prorsus indubitata sunt, & à solis rebellibus Sedi Apostolicæ Novatoribus valeant impugnari.

Supponamus, quod contendunt aliqui, Divum Thomam libero arbitrio, absque auxilio gratiæ, tantùm concedere actiones bonitate naturali prææditas, non tamen morali honestate, non ad virtutem pertinentes, atque id indicare exempla ab Aquinate superiùs proposita, *de ædificandis domibus, plantandis vineis, & alia ejusmodi*. Quòd talia saltèm naturæ bona innoxia operari possimus absque supernaturali auxilio, consentiunt cum Aquinate omnes Catholici, Pontificiis Constitutionibus obedientes; nam hæc Bajana Propositio 27. *Liberum arbitrium, sinè gratiæ Dei adjutorio nonnisi ad peccandum valet*, à tribus olim fuit Pontificibus damnata.

5 Dices: Theologi insignes negant dari opera indifferentia in individuo, asserentes opera omnia debere bona esse moraliter, & honesta; aliàs, quæ omni caruerint honestate, esse otiosa, & non vacua omni vitio. Atqui Theologi etiam aliqui, quorum doctrinam non præsumitur Sedes Apostolica damnare voluisse, tradunt, omnem actum honestum, seu moraliter bonum esse ex gratia. Videtur itaque posse innoxiè sustineri sententia, affirmans omnem actum immunem à peccato esse ex gratia.

Respondeo, admissâ majore, dissimulatâ quoque, quæ minimè certa est, minore, negando sequelam. Argumenti vitium est, quod ex duobus divisim tolerabilibus concludatur sensus compositus, quo argumentandi genere nullum est insipientius; inducere enim natum est errores, atque hæreses in omni materia apertissimas. Exemplum obvium est in prædeterminatione physica, quæ à gravibus Theologis asseritur, ut necessaria ad salvandam rationem causæ primæ in Deo, & ad exercitium libertatis in creatura: ab aliis autem, etiam non levibus Theologis negatur tanquam destruens libertatem hominis; &, ubi de materiali peccatorum sermo est, ut non conveniens eum sanctitate Dei. Quam utriusque partis sententiam si combinare volueris, atque indè concludere velut probabile, dari prædeterminationem physicam, quæ libertatem hominis evertat, & supremi Numinis sanctitatem; reclamabunt meritò utriusque partis Theologi, & conclusionem arguent stultitiæ, similem ei, qua in Philosophicis, ex eo quòd probabile sit, dari in continuo puncta indivisibilia, & rursum probabile sit, non dari, concludas, probabile esse dari simul & non dari in continuo puncta indivisibilia. Quis denique sive in Theologicis, sive in Philosophicis tractatus est, in quo non occurrunt quæstiones plurimæ problematicæ, quæ exercendis ingeniis serviunt, & in utramvis partem cum plausu inter Scholasticos defenduntur; sed, ut dixi, divisim; non componendo manifestè opposita?

Sive igitur negaveris opera prorsus indifferentia, asserens non carere vitio, quæcunque destituuntur honestate; sive affirmaveris; omne opus honestum esse ex gratia; modo utrumque jungere non præsumpseris, negationem scilicet omnis actûs indifferentis cum assertione necessitatis gratiæ ad omnem actum à vitio immunem, non ero difficilis, ut agnoscam non esse evidens, quòd censurâ feriaris, sive à CLEMENTE XI. sive à S. Pio V. Gregorio XIII. & Urbano VIII.; quanquam nec dissimulandum sit, tutiorem videri, atque à damnationis periculo remotiorem sententiam, quæ admittit opera aliqua honesta solis elicita viribus naturæ, concurrente Deo, & auxilium subministrante intrà ordinem naturæ: de quo amplior sermo fiet postmodum.

6 Tam absona verò est præsens 39. Propositio, ut, quamvis concederem, omnem actum immunem à peccato in peccatoribus esse ex gratia, nè tunc quidem sequeretur, illam admittendam esse, ac defendendam. Ex præcedenti enim Propositione suppositâ, tantùm in rigore, prosiliret necessitas consequens peccandi, absente gratia; non verò antecedens, & propriè dicta, qualis introducitur à propositione, quæ statuit, hominem gratiâ destitutum nihil *habere luminis, nihil virium, nisi ad peccandum*.

Præterea, si homo suis viribus relictus, cum Dei auxilio naturali nihil agere possit,

nisi malum, erit tunc liberum arbitrium sinè libertate. Nam, ut cum Sancto Anselmo monet Angelicus in 2. sentent. dist. 17. q. 1. art. 1., *posse peccare non est libertas arbitrii, nec pars libertatis*. Atque ita juxta Adversarios necessitatem quoque bonis operibus affingentes, *liberum arbitrium erit res de solo titulo, imò & titulus sinè re*; quod anathemate perculit Tridentinum sess. 6. de justificatione canone 5. Nec inter ipsa quidem peccata supererit homini electio; si præcipuum Jansenismi fundamentum steterit de necessitate sequendi semper majorem delectationem indeliberatam, quæ sive à gratia sit, sive à concupiscentia, neutra indeterminata est; sed ad certam seu boni, seu mali speciem alliciens.

7 Denique, si ex Adversario quæsieris, quam gratiam exigat velut necessariam, ut opus aliquod sit liberum à peccato, respondet Propositione 42. *Sola gratia Christi reddit hominem aptum ad sacrificium fidei; sinè hoc nihil, nisi impuritas, nihil, nisi indignitas*; ubi vides, sinè gratia fidei omnia statui peccata: requiritur præterea gratia charitatis per Proposit. 46., juxta quam omnia sunt cupiditas, vel charitas: *Cupiditas, aut charitas usum sensuum bonum, vel malum faciunt*.

Nè verò autumes, charitatis nomine non intelligi ab Authore virtutem Theologicam propriè dictam, & justificantem, Propositio 44. ait: *Non sunt, nisi duo amores, unde volitiones, & actiones omnes nostræ nascuntur; amor Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur; & amor, quo nos ipsos, ac mundum diligimus, qui quod ad Deum referendum est, non refert*. Hinc iterum sequitur non exigua dogmatum damnatorum series. Inter Bajana est vigesimumquintum. *Omnia opera Infidelium sunt peccata, & virtutes Philosophorum sunt vitia*. 35. *Omne, quod agit peccator, vel servus peccati, peccatum est*. 40. *In omnibus suis actibus peccator servit dominanti cupiditati*.

Duo posteriores articuli in Baji operibus non reperiuntur, neque ipsi tribuuntur à Pontificibus damnantibus Propositiones 79. *in sensu ab assertoribus intento*. Quia tamen constat, plerasque Baji esse, denominatione sumptâ à parte longè maxima, vocantur passim articuli Bajani. Inter illos est 38. præsenti Quesnelliano, prout hic exponitur, prorsus consentiens: *Omnis amor creaturæ rationalis, aut vitiosa est cupiditas, qua mundus diligitur, quæ à Joanne prohibetur; aut laudabilis illa charitas, qua per Spiritum sanctum in corde diffusâ Deus amatur*. Talem scilicet charitatis gratiam Quesnellus pariter requirit, ut actio quælibet à peccato eximatur. Continet eadem Quesnelli sententia, eodem accepta sensu, Bajanam 16. *Non est vera legis obedientia, quæ fit sinè charitate*.

8 Accedit è damnatis ab Alexandro VIII. Propositionibus hæc septima inter 31. *Omnis humana actio deliberata est Dei dilectio, vel mundi: si Dei, charitas Patris est; si mundi, concupiscentia carnis, hoc est, mala est*.

Sequitur & IX. *Revera peccat, qui odio habet peccatum merè ob ejus turpitudinem, & disconvenientiam cum natura, sinè ullo ad Deum offensum respectu*.

X. *Intentio, qua quis detestatur malum, & prosequitur bonum, merè ut cœlestem obtineat gloriam, non est recta, nec Deo placens*.

XI. *Omne, quod non est ex fide Christiana supernaturali, quæ per dilectionem operatur, peccatum est*.

XII. *Quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor, deficit etiam fides: & etiamsi videantur credere, non est fides Divina, sed humana*.

XIII. *Quisquis, etiam æternæ mercedis intuitu Deo famulatur, charitate si caruerit, vitio non caret, quoties intuitu licèt beatitudinis operatur*.

XIV. *Timor gehennæ non est supernaturalis*.

XV. *Attritio, quæ gehennæ, & pœnarum, metu concipitur sinè dilectione benevolentiæ Dei propter se, non est bonus motus, ac supernaturalis*.

Omnes illos justissimè damnatos articulos Quesnellus ad vitam revocat, quando nullam liberi arbitrii actionem patitur à peccato eximi, præter eam, quæ fit ex gratia, eâque minimè vulgari; sed ex gratia charitatis, sive amoris Dei super omnia, & justificantis, sive ut Propositio 44. explicat, *amoris Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur*.

Evolutum hic habes Lector, & luci fulgentissimæ expositum non leve iniquitatis mysterium, quòd novi Divinæ gratiæ Præcones, obtentu cœlestis muneris mortalibus commendandi, & reprimendæ humanæ superbiæ, ipsi hostes Divinæ gratiæ infensissimi deprehendantur; demissionem verò animi salutarem cum cæteris virtutibus moralibus, imò & Theologicis, solâ oretenus retentâ charitate, eliminant, & quidem à se vitiorum notatas infamiâ inter peccata rejiciunt, veluti ad nihil conducentes, *nisi ad nostram*

noſtram condemnationem, ut tradit Propoſitio 40.

9 Profectò, ſi hominibus lapſis non alia præparata ſit gratia, multum à veritate Catholica aberraverit Tridentinum Concilium, quando ſeſſ. 6. præparationem ad juſtificationem tot actibus charitati præviis deſcriptam Eccleſiæ tradidit; cùm ab una debuiſſet charitatis gratia ducere initium; cæteris, quæ ab illa imperatæ non fuerint, inter peccata relegatis; ſiquidem, juxta Articulum 44., *non ſunt*, *niſi duo amores*, *unde volitiones*, *& actiones omnes noſtræ naſcuntur*; *amor Dei*, *qui omnia agit propter Deum*, *quemque Deus remuneratur*; *& amor*, *quo nos ipſos*, *ac mundum diligimus*, *qui quod ad Deum referendum eſt non refert*, *& propter hoc ipſum ſit malus.*

Si alia non detur in hominibus operatio immunis à peccato, quam talis amor Dei, & proinde non alia gratia, oportet Deum manu parciſſimâ gratias hominibus elargiri; præſertim ſi his junxeris aliam Queſnellianæ gratiæ prærogativam, quòd debeat eſſe *Omnipotens*, ut ab Adami ſecernatur auxilio, & *digna* ſtatuatur *Filio Dei*, juxta Articulum 37., quòd debeat eſſe talis *operatio manûs Omnipotentis Dei*, *quam nihil impedire poteſt*, *aut retardare*, juxta Articulum 10. cujus gratiæ inaudita hactenus deſcriptio fuerat; quam tamen velut à Deo acceptam proponit Articulus 23. *Deus ipſe nobis ideam tradidit omnipotentis operationis ſuæ gratiæ*; *eam ſignificans per eam*, *quâ creaturas è nihilo producit*, *& mortuis reddit vitam*. In quibus Dei operationibus quam partem habet liberum hominis arbitrium? Nullam penitus: ita nec ullam in operatione gratiæ, ſi congrua ejus idea in geminis illis Dei operationibus ab ipſo Deo nobis tradita cenſeatur.

Si tali gratia voluntatem præveniri oporteat, nè *incapax* ſit ad *omne bonum*; ſi abſque ea voluntas *nihil habeat luminis*, *nihil virium*, niſi ad *omne malum*, evidens eſt, excludi, rejici à Queſnello omnem gratiam ſufficientem. Patet enim à ſufficientis gratiæ natura longiſſimè abeſſe chimæricum iſtud auxilium, quod *nihil luminis* præſtaret, *nihil virium*; ſed animnm relinqueret *incapacem ad omne bonum*. Nulla itaque, juxta Queſnellum, libertas ad bonum eſt, nulla poteſtas exercendi qualiſcunque operis ſinè peccato, niſi cum talis voluntatem prævenerit gratia, cui non magis poſſit reſiſtere, quàm res creanda ſuæ productioni; aut quilibet mortuus reſuſcitationi. Nonne igitur manifeſtum eſt, confirmari ab Adverſariis hæreſim Lutheri, & Calvini in Tridentino Concilio damnatam, de ſubverſione libertatis, ſive de inani libertatis nomine, & *titulo ſinè re*?

Quomodo verò Deus, & qua æquitate exprobrabit reprobis in judicio omiſſionem operum miſericordiæ, quando illi *nihil ad ea virium habuerint*, *incapaces ad omne bonum*; ac proinde nè petere quidem auxilium ſufficiens potuerint, & petendo obtinere? Si iſtam dogmatum abſurdiſſimorum fodinam profundiùs ſcrutari voluero, perverſitatem nulla exhauriet oratio. Iſtud modò ſatis ſit animadvertere, quòd libertatis deſtructio à Queſnello, & ejus Sodalibus tentata, latiſſimam pandat januam excuſandis criminibus, & inducendæ libertinorum flagitioſiſſimæ licentiæ, depoſitâ omni curâ bonorum operum, & ſalutis.

10 Vociferabuntur illi quidem, conſectariis nimiùm odioſis ſuam à me exagitari ſententiam; nimiùm ejus duritiem exaggerari. Ego verò ejuſmodi vociferationibus minimè commoveor: oſtendant, ſi poſſint, extendi à me quidpiam ultra limites veritatis, & non legitimo, ac facillimo deductum ratiocinio: quin penè vereor nè tam perſpicua appareant conſectaria, ut importunus videar, & ſupervacaneus eorum inculcator; cùm Lectori cuilibet ultro ſint patula.

Quia tamen debitores ſumus non ſolis Theologis; ſed & hujus ſcientiæ imperitis, quorum fortè fides tot Novaturientium fraudulentis ſcriptionibus periclitatur, memorari juvat conſecutiones abſurdas, etſi clariſſimas, quæ Adverſarios palàm convincant cæcitatis, ſi eas non proſpexerint; vel, quod de aliquibus magis credibile eſt, impietatis, ſi videntes minimè deteſtati ſint.

Ita non defuerant orienti primum Quietiſmo patrocinantes plurimi ex ignorantia, aliqui ex malitia, qui perſuadere omnibus conarentur, ſpurciſſima, quæ ex novæ iſtius Theologiæ myſticæ ſyſtemate colligebantur conſectaria, eſſe potius figmenta ingeniorum Michaeli Molinos adverſantium, quàm fœtus legitimos Quietiſmi. Hac fraude tecti circumvenerunt multo tempore innumeros, atque ipſorum ſupremorum judicum diu ſuſpendêre ſententiam. Sic hæreſes paſſim ſceleratiſſimæ non omne pravitatis ſuæ venenum produnt illicò; ſed prima Hæreſiarcharum cura eſt, patronorum multitudinem, & potentiam conquirere, ut eâ ſtabiliti, & ſecuri, foràs tandem protrahant, invitiſque ſu-

superis spargant publicè, quæ subdolo dudum occultavère consilio.

CAPUT II.

Solvuntur Objectiones desumptæ ex Scripturis.

1 Genes. cap. 8. v. 21. dicitur: *Sensus enim, & cogitatio humani cordis in malum proni sunt ab adolescentia sua.*

Hebraicè est *figmentum cordis humani*, sive sentatio, & cogitatio in malum pronæ sunt propter concupiscentiam ad malum inclinantem: sed præter eam est in homine ratio, & voluntas, quæ legitimum aliquid velle, & operari potest, teste Augustino lib. de Spiritu, & litera cap. 28. de Judæis dicente: *Ipsi homines erant, & vis illa naturæ inerat eis, qua legitimum aliquid Anima rationalis & sentit, & facit.*

Consentit Angelicus 1. 2. qu. 109. art. 5. *Sinè gratia homo non potest mereri vitam æternam; potest tamen facere opera perducentia ad bonum aliquod homini connaturale.*

S. Bonaventura in 2. dist. 28. art. 3. qu. 3. *Hominis liberum arbitrium in puris naturalibus constitutum cum generali Dei influxu, tamensi difficulter, potest tamen facere opus bonum morale, quod non disponat ad gratiam, nec ad gloriam.*

Aliud igitur est, asserere, quòd sensus, & cogitatio humani cordis in malum pronæ sint ab adolescentia sua, ut ait Scriptura; aliud, quòd ratio, & voluntas hominis in malum semper consentiat. Sed neque cogitationes pravæ, & alii similes animi, aut corporis motus exsurgunt momentis singulis, ut omnium hominum convincit experientia. Apostolus ad Titum cap. 1. ex vetere dicto vocat *Cretenses semper mendaces, malas bestias, ventres pigros*; Quod nullus Interpretabitur, quasi nullum umquam verbum veritati consonum ex ore ullius prodeat Cretensium.

De Jansenistis vulgatissimum pridem in Galliis proverbium fuit, IL MENT COMME UN JANSENISTE, *Mentitur instar Jansenistæ*; quod quidem mentiendi vitium Jansenistis familiare, uti aliàs Cretensibus statuitur; sed non generale adeò, ut omnia eorum dicta inter mendacia referantur.

Ipse diabolus mendaciorum pater quantumlibet in ea semper pronus, aliquid subbinde veritati consentaneum enuntiasse deprehenditur.

Deum quoque in Genesi non de peccatis agere, sed de sensuum in peccata propensione, rectè colligunt interpretes, ex eo quod rationem adferat commiserationis: atque hæc, inquit Cornelius à Lapide, est apposita ratio, cur Deus dicat, se misereri hominum, ut ampliùs eorum peccata non puniat diluvio; quia scilicet homines à nativitate infirmi, debiles, & proni sunt ad malum. Malitia verò ipsa, & peccata non misericordiam Dei provocant; sed iram, atque ultionem; ideò non delictum, sed infirmitas hominis, & misera in peccatum propensio velut excusatio allegantur. Propensio autem illa, quæ habitus quidam est, frequentes motus elicit; non tamen omni prorsus tempore, & in operibus mortalium singulis. Sed & in furta, vel libidinem, vel quæcumque alia vitia pravo concupiscentiæ habitu inclinantur plurimi, qui in ea vitia non perpetuò consentiunt; cùm nè continuis quidem ad ea motibus pulsentur, neque excitentur cogitationibus.

Sed præ Ecclesiæ catholicæ sensu, & interpretatione, placet adversariis commentum Calvini lib. 2. Institutionum cap. 3. de homine sic pronuntiantis: *Gravi telo confoditur ejus ingenium; cùm omnes, quæ indè prodeunt cogitationes, ut stulta, frivola, insana, perversa irridentur*; quas, & similes hæreticorum censuras facilè spernit Ecclesia. Si autem Jansenistæ Calvinum sequi pergant, contemptis tot Romanis Pontificibus, qui Baji, & Quesnelli sententiam condemnarunt, dispiciant, an cujus sequentur vestigia, non debeant exitum pertimescere.

2 Non plus nobis obest illud Jeremiæ cap. 12. vers. 9.: *Pravum est cor hominis, & inscrutabile; quis cognoscet illud*? Ad quod priusquam directiùs respondeam, petere ab adversariis liceat, ut quod in Hexaplis dignum judicaverint adversùs Constitutionem argumentum, ad legitimam istud formam aliquam reducere conentur, & non tumultuario semper opere inconditam nobis objiciant locorum congeriem; ad quam explicatione debita cum definitione Pontificia conciliandam, non adeò opus est studio, quàm ad percipiendam aliquam oppositionis speciem.

Et quidem ad præsentem articulum, quod attinet, quis sani judicii ex hoc antecedente: *Pravum est cor hominis, & inscrutabile* concludat: ergo *voluntas, quam gratia non prævenit, nihil habet luminis, nisi ad aberrandum; ardoris, nisi ad se præcipitandum; virium, nisi ad se vulnerandum: est capax omnis mali, & incapax ad omne bonum?* Notissimum axioma est, *bonum* dici *ex integra*

gra causa; malum ex singulis defectibus. Unde, etsi cor hominis Divino oraculo enuntietur pravum, non ideo tamen omnia humani cordis prava sunt opera. Sic hominis injusti non omnia opera sunt iniqua: hominis impudici non omnia verba, non omnes cogitationes, non omnes actus labe impudicitiæ maculata sunt.

Ita S. Chrysostomus Hom. 67. ad Populum Antiochenum sub initium ait: *Nec potest malus omnino malus esse; sed & evenit, ut habeat aliquid boni: neque bonus esse bonus omnino; sed & nonnulla solet habere peccata.*

Et S. Augustinus lib. de Spiritu, & litera cap. 28.: *Sicut non impediunt à vita æterna justum quædam peccata venialia, sinè quibus hæc vita non ducitur; sic ad salutem æternam nihil prosunt impio aliqua bona opera, sinè quibus difficillimè vita cujuslibet pessimi hominis invenitur.*

Idem sentiunt Tertullianus de corona Militis cap. 6.; S. Hieronymus in Ezechielis cap. 29., & in cap. 22. Matthæi; Fulgentius lib. de Incarnatione, & gratia cap. 56.; Et quis non Sanctorum Patrum, aut Scholasticorum?

Respondere adversarii non possunt, bona illa, si quæ sint impiorum, esse ex gratia; sic enim necesse foret, corruere propositiones eorum complures; in primis 28.: *Prima gratia, quam Deus concedit peccatori, est peccatorum remissio.* Et, cùm de infidelibus æquè, ac fidelibus, imò de infidelibus præcipuè Augustinus, ac cæteri Patres loquantur, dum bona aliqua, etiam impiis tribuunt, deberent adversarii rejicere propositionem 26.: *Nulla dantur gratiæ, nisi per fidem*: 27. *Fides est prima gratia, & fons omnium aliarum*: 29. *Extra Ecclesiam nulla conceditur gratia.* Quæ propositiones non casu excidêre Quesnello; sed cui consilium, ac decretum fuit omnia Jansenii placita suis inserere *Observationibus*, non potuit illud tam adamatum, & inculcatum à Jansenio præterire: neque in tenebris relinquere illud Magistri sui Arnaldi, ab Alexandro VIII. inter 31. nova dogmata proscriptum: *Pagani, Judæi, Hæretici, aliique hujus generis nullum omnino accipiunt à Jesu Christo influxum; adeòque hinc rectè inferes, in illis esse voluntatem nudam, & inermem sinè omni gratia sufficienti.*

Quid itaque sibi vult hæc adversariorum objectio: *Pravum est cor hominis, & inscrutabile?* Vel enim indè confici volunt, omnia humani cordis opera esse prava; vel aliqua tantùm, quantumvis multa, & plurima. Si omnia; in multiplex incidunt anathema, Luthero pridem, ut antiquiora taceam, ab Ecclesia inflictum. Si non omnia, sed plurima tantùm humani cordis opera accusanda duxerint, non sequitur conclusio illimitata, qua adversarii opus habent, ut damnato patrocinentur articulo, qui omnes hominis actus gratiâ destitutos annumerat peccatis.

Locum Jeremiæ sic interpretatur Angelicus: *Pravum est* (cor hominis) *id est, multis malitiis involutum*, non quod præter malitias nihil prorsus contineat. Cornelius à Lapide, „ *Pravum*, „(inquit), „Chald. *Dolosum*; „ Græcè *Profundum*; Hebraicè *Versutum*, „ versipelle, fraudulentum, anfractuosum, „ fallax: quasi dicatur sinuosum, & mille „ cogitationum, cupiditatum, & desiderorum secretis diverticulis, sinibus, recessibus instar labyrinthi implexum, & „ perplexum. Inferunt hæretici: ergo homo post lapsum nequit bene agere; sed „ tantùm malè, puta fallere, mentiri &c. „ Respondeo, „(inquit Cornelius), „negando „ consequentiam. Dicitur enim homo fallax, non quia semper fallit; sed quia facilè, & sæpe fallit.

3 Opponunt Hexapla etiam illud ex Euangelio S. Joannis cap. 3. vers. 27.: *Non potest homo accipere quidquam, nisi fuerit ei datum de Cælo.* Et ex Epistola Jacobi cap. 1. vers. 17.: *Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est, descendens à Patre luminum.*

In priorem locum ita S. Thomas ex Chrysostomo: *Si præclara sunt, quæ Christi sunt: Si omnes ad eum currunt, mirari non oportet; Deus enim est, qui hoc facit.* Quandoquidem cursus ad Christum est opus salutiferum, non est dubium, quin sit ex gratia; Sed inter illud, & opus diabolicum ab Angelico Doctore supra, & ab omnibus Catholicis agnoscitur actus medius contra errores Baji à tribus Summis Pontificibus, atque universa Ecclesia condemnatos, inter quos est 27. *Liberum arbitrium sinè gratiæ Dei adjutorio, non nisi ad peccandum valet.*

Circa locum Jacobi ait S. Thomas: *Hic ostendit* (Apostolus) *quòd Deus est largitor omnium bonorum, & quòd omnia bona sunt à Deo........ dicit ergo omne datum optimum. bona sunt temporalia; optima gratuita. Vel potest exponi totum de naturalibus: bonum est quòd sumus; melius, quòd vivimus; optimum quòd intelligimus. Donum perfectum* interpretatur Angelicus cœlestem gloriam. Si totum exponi possit de naturalibus, inter quæ optimum est, quod intelligimus; quomodo intelligere illud naturale, & naturalis

lis omnis intelligendi voluntas mala sunt? *Naturale* autem, ut patet, accipitur absque supernaturali graria. Unde minimè necessarium fuit, ut *omne datum optimum* Hexapla verterent *toute grace excellente*; quasi diceretur *omnis gratia excellens*, de qua in Sacro Textu nulla fit mentio.

Sed ea est novorum istiusmodi interpretum industria, ut expressionem *omnis dati*, in *gratiam* convertant, quo persuadeatur simplicibus, nullum datum esse à Deo sinè gratiæ auxilio, nullum actum bonum intrà ordinem naturæ. Sed & quæ alia Scriptura Sacra est, quam Jansenistarum æquè, ac Calvinistarum ingenium non noverit unius, alteriusve vocis mutatione suis erroribus accommodare? Quanquam neque sic adversarius, quod speraverat, acquireret damnato articulo firmamentum; quis enim sanæ mentis non videat, media posse esse plurima inter *gratiam excellentem*, seu gratiæ excellentis opera, & peccatum? Sive igitur Scripturam acceperis, ut habet vulgata, & probatissima editio, sive ut corruptio gallica; non ex eo, quòd *omne datum optimum* intelligeretur *excellens gratia*, consecutio foret, nisi insanissima: igitur omnis voluntatis actus absque gratiæ subsidio peccatum est, sive, ut damnata statuit propositio: omnis *voluntas, quam gratia non prævenit, nibil babet luminis, nisi ad aberrandum; ardoris, nisi ad se præcipitandum; virium, nisi ad se vulnerandum*. Inter *excellentes gratias* non habetur à S. Gregorio in cap. 15. Joan. illa *proximorum dilectio per affectionem cognationis, & carnis; cui tamen sacra eloquia non contradicunt*: ac proinde dilectio ista peccatis minimè accensenda est; uti neque agricultura, acquisitio amici, & alia ad bonum naturæ pertinentia, qualia superiùs à S. Thoma ex hypognostici authore referuntur, & agnoscuntur ab omnibus Scholasticis, Bajanismi, aut Jansenismi fuligine non maculatis.

CAPUT III.

Refelluntur Objectiones reliquæ.

1 Torquetur in nos illud Augustini de natura, & gratiâ cap. 22. *Nec cogitat* (Pelagius) *prævaricatorem legis quàm dignè lux deserat veritatis; qua desertus utique fit cæcus, & plus necesse est offendat, & cadendo vexetur, vexatusque non surgat*. Scopus Augustini est, contra Pelagium ostendere, quòd dentur peccata, quæ simul præcedentium sint supplicia delictorum. Doctrinam catholicam demonstrat exemplo Philosophorum, qui, teste Scripturâ, *evanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum*, ac tandem in pœnam superbiæ traditi sunt *in desideria cordis illorum, in immunditiam &c.*

Ex similibus tum Scripturarum, tum Augustini textibus collegerat Calvinus lib. 3. Institut. cap. 14.: *Quando naturalibus dotibus censendi sunt* (homines;) *à vertice capitis ad plantam usque pedis scintilla boni non reperietur*. Calvinum secutus Michael Bajus propositione inter damnatas vigesimâseptimâ *liberum*, inquit, *arbitrium sinè gratiæ Dei adjutorio non nisi ad peccandum valet*. Jansenius, quasi retractationis Bajanæ immemor, inter cæteros Theologi istius errores, quos *magno cum Catholicorum scandalo, & authoritatis dictæ Sedis* (Apostolicæ) *contemptu contra præfatas damnationes, & prohibitiones defendit, malo in scandalum totius Reipublicæ Christianæ, & fidei Catholicæ perniciem vertenti*, uti Urbanus VIII. Constitutione IN EMINENTI gravissimè, & meritò conqueritur; Jansenius, inquam, inter errores Baji cæteros, etiam hunc temere resuscitat lib. 4. de statu naturæ lapsæ cap. 18., cujus verba superiùs retuli.

Quapropter Quesnellus, cujus consilium fuit, *Observationibus* suis *moralibus* omnes Jansenii inserere opiniones, à quantumcunque multis olim Pontificibus damnatas, etiam hanc prætermittere noluit; odiosiùs, quàm in Jansenio reperiatur, eam restituens: *Voluntas*, inquit, *quam gratia non prævenit, nibil habet luminis, nisi ad aberrandum; ardoris, nisi ad se præcipitandum; virium, nisi ad se vulnerandum: est capax omnis mali, & incapax ad omne bonum*.

Nunc quod ex Augustini sententia erro ri fundamentum obtenditur, discutiamus. Ait Sanctissimus Doctor, peccatores, Divinæ gratiæ deserente lumine obcæcatos, non multo tempore posse à novis abstinere delictis; sed labi sæpius, & in obvia impingere præcepta, ut cæcos oculis corporis, vel in tenebris ambulantes, cespitare, offendere, cadere frequentiùs necesse est. Verùm, ut nullus quantumlibet cæcus, omni momento, & singulis labitur gressibus; ita desumpta à cæcitate similitudo adeò non stabilir errorem damnatum, ut eum potiùs subruat. Quemadmodum enim, deficiente corporis lumine, deficientibus etiam oculis, superest homini mens, & ratio, eum dirigens, ut quotidiana demonstrar experientia, cæcos plurimos ambulantes, nec à via aberrare sem-

ſemper, nec labi, aut offendere perpetuò; ita intellectus, & ratio naturalis, fugiente etiam ſupernaturali lumine, adhuc homini præſto eſt, quà cùm Divino intrà naturæ ordinem auxilio ſubinde à novo peccato declinare, & innoxium aliquid, ac humanæ conveniens naturæ valeat operari, teſte ipſo Hipponenſium Antiſtite ſæpius citato: *Ipſi homines erant, & vis illa natura inerat eis, qua legitimum aliquid anima rationalis & ſentit, & facit*. lib. de Spiritu, & litera cap. 28.

Auguſtino conſentiens Angelicus ait: *Sinè gratia homo poteſt facere opera perducentia ad bonum aliquod homini connaturale* 1. 2. quæſt. 109. art. 5., & præmiſerat artic. 2.: *Natura humana per peccatum non eſt totaliter corrupta . . . . . . poteſt quidem, etiam in ſtatu naturæ corruptæ, per virtutem ſua natura aliquod bonum particulare agere*.

Plura ex Angelico dedi contra Propoſitionem 38. cap. 1. Imò, inquit Seraphicus diſt. 28. art. 2. qu. 3.: *Hominis liberum arbitrium in puris naturalibus conſtitutum cum generali Dei influxu, tametſi difficulter, poteſt tamen facere opus bonum morale, quod non diſponat ad gratiam, nec ad gloriam*.

2 Profectò omnes homines ſibi mentis oculos, ſeu rationem, & mentem ipſam eruere oporteret in Novatorum gratiam, ut ſplendentem adeò non perſpicerent falſitatem: *Voluntas, quam gratia non prævenit, nihil habet luminis, niſi ad aberrandum; ardoris niſi ad ſe præcipitandum; virium, niſi ad ſe vulnerandum*. Non vident adverſarii, quantam inferant naturæ hominum contumeliam, qua animum noſtrum ad Dei conditum imaginem, naturâ ſuâ ſtatuunt brutis animantibus quodammodo deteriorem?

Præcellit quidem mens noſtra, eò quod ratiocinari valeat; virtutem, & Deum ipſum cognoſcere: verùm, ſi nihil horum poſſit ſinè peccato, dum ſolis conſiderantur ſuis prædita viribus, etiam ſuccurrente Deo, quantum poteſt intrà ordinem naturæ; videtur optabilius homini, eâ tunc poteſtate carêre; nam poſſe delinquere non eſt perfectio; ſed defectus: &, aliud natura nunc non valeat, quàm Deum perpetuò offendere, unde & gravibus fiat obnoxia ſuppliciis, longè major ſtatuitur naturæ noſtræ rationalis calamitas, quàm beſtiarum; quis enim non amet potiùs nihil habere virium, quàm viribus pollere ſolummodo ad peccandum? Cur homines furore percitos arctiſſimis vinculis conſtringimus; niſi ut vires ſuas exercere non poſſint; quia in miſera illa corporis, & animi diſpoſitione nihil ardoris habent, niſi ut ſe præcipitent; virium, niſi ut ſe & alios vulneribus conficiant? Viribus noxiis, & non niſi ad nocendum idoneis carere melius eſt, quàm abundare.

3 Quapropter talis ab Eccleſia Catholica non creditur natura hominis, etiam in hoc ſtatu: adverſarii nè poſſibilem quidem credunt, quam Deus conderet ab initio: unde eſt Bajana propoſitio 55. *Deus non potuiſſet ab initio talem creare hominem, qualis nunc naſcitur*; quæ propoſitio etſi inter eas ſit, quæ *aliquo pacto ſuſtineri poſſent* (non enim creari homo ab initio potuit cum peccato) tamen *in rigore*, prout à Scholaſticis in controverſiam vocatur, *& in proprio verborum ſenſu ab Aſſertoribus intento*, juſtiſſimè à Pontificibus proſcripta eſt.

Errori fundamentum præbuit ratiocinatio, qualis eſt illa Janſenii tom. 2. col. 775. Editionis Lovanienſis: *Status animi ſinè bona voluntate, ſinè charitate, ſinè ſapientia conditi non poteſt authorem habere Deum; Deo enim eſſet voluntarius, non creaturæ; unde Deo, non creaturæ imputari deberet perverſitas ejus, & quidquid ſcelerum ex illa creatæ voluntatis inſtitutione naſceretur; quæ quidem eſſent materialiter ſcelera creaturæ; vera tamen ſcelera, ac peccata Dei*. Eſſent ſolùm materialiter ſcelera creaturæ juxta Janſenium, quia non libera; utpote elicita ſinè gratia, ſinè qua nequeunt evitari. In præſenti verò lapſorum hominum ſtatu voluntaria ſunt, ac libera; quia juxta Janſenium rurſus, & Queſnellum ea peccandi neceſſitas ſolùm conſequens eſt, & præcedentium pœna delictorum.

Acquieſcere non poſſum; nam, quidquid ſit de peccatoribus, undenam juſtis, & recentiſſimè juſtificatis, vel baptizatis in infantia, libertatem acceſſes, dum, ubi primùm ad uſum rationis veniunt, labuntur, ut conſtat labi plurimos? Omni efficaci, &, juxta adverſarios, omni ſufficienti gratiâ deſtituti fuêre ante omne peccatum, præterquam originis, quod in Baptiſmo, ſeu primâ juſtificatione remiſſum eſt. Remiſſum autem non poteſt formalem malitiam, quam amplius non habet, tribuere actibus ſecuturis. Si itaque juſtis illis peccantibus ſinè ulla gratia, juxta Queſnellum, nil luminis, nil virium fuerit, niſi ad delinquendum, quomodo ea peccandi neceſſitas voluntaria, libera, & ſolùm conſequens appellatur? Quia, inquiunt Adverſarii, libertas, quæ omnibus Adami poſteris in primo parente fuit, ſufficere illis debet, ut ad peccatum, & demeritum imputetur, quid

quidquid inpoſterum contra Dei legem committitur. Audio: atque ea pridem fuit Janſenii, & omnium ei adhærentium ſententia; ſed jure maximo, & primo loco inter triginta & unam damnata eſt ab Alexandro VIII. neque dubium, quin inter eas ſit, quas Pontifex cenſuit *hæreticas*. Sic illa exprimitur: *In ſtatu naturæ lapſæ ad peccatum formale, & demeritum ſufficit illa libertas, qua voluntarium, ac liberum fuit in cauſa ſua, peccato originali, & voluntate Adami peccantis*.

4 Rurſus igitur contra adverſarios, & invictiſſimè concluditur; quòd, ſi *voluntas, quam gratia non prævenit, nihil habeat luminis, niſi ad aberrandum; nihil virium, niſi ad ſe vulnerandum*, ut contendit Queſnellus, jam pariter nihil ſit, unde primis juſtorum, ſeu juſtificatorum lapſibus conciliet libertatem; non enim ex gratia efficaci, quam conſtat defuiſſe: non ex ſufficiente, quæ à Queſnello, & ejus ſodalibus rejicitur: abſque omni autem gratia, juxta novos illos Scholarum, & Eccleſiæ Reformatores, non ſolùm nulla datur libertas ad bonum; ſed nihil prorſus virium, niſi ad malum; atque ita quamdiu gratia ſuſpenditur, neceſſe eſt neceſſitate propriè dictâ, & antecedente peccare, & demereri in omni opere.

Verùm, dimiſſis Novatoribus, ſequamur Auguſtinum lib. 3. de libero arbitrio cap. 18. *Iſta cauſa eſt voluntatis; ſi non ei poteſt reſiſti, ſinè pecato ei ceditur*.

Ibid.: *Quis peccet in eo, quod nullo modo caveri poteſt? Peccatur autem: caveri igitur poteſt*. Quis porrò peccati vitandi modus, ubi nihil virium eſt, niſi ad ſe vulnerandum?

Ejuſdem lib. cap. 1.: *Si naturâ, vel neceſſitate iſte motus exiſtit, culpabilis eſſe nullo pacto poteſt*. Evidens autem foret peccandi neceſſitas in rationis compote; cui nihil virium niſi ad delinquendum, ſuppeteret: perſpicua igitur eſt Auguſtini ſententia, quòd, ſi abſque gratia nihil virium ſit, niſi ad peccatum, ei ſinè culpa à deſtitutis gratiâ hominibus cedatur; neque culpabilis ullo pacto eſſe motus poſſit, ubi nihil virium eſt ad impediendum.

Quare vel in hominibus abſque gratia agnoſcendum eſt aliquid virium, quo à peccato abſtinere valeant contra errorem propoſitionis 39., vel, ſi quid contra Dei legem neceſſariò committitur, deficientibus omnibus ad non peccandum viribus, à culpa & demerito eximendum eſt, Auguſtino judice.

5 Agnoſcis hìc Lector ſolitam Janſeniſtarum impudentiam, in objiciendo nobis Auguſtino, cujus ſolius principia certiſſima ſubruendo damnato dogmati abundè ſufficiunt. Auguſtinum quoque, vel ſe ipſos deſerere coguntur in aſſertis à S. Antiſtite virtutibus Romanorum; atque agnoſcere in illis actus innoxios ſinè gratia, vel hanc etiam in infidelibus profiteri. Perſpicua enim eſt Auguſtini ſententia, Romanis idololatris vires fuiſſe non ſufficientes ſolummodò; ſed etiam efficaces ad præclara illa facta, quibus non tantùm ab ipſo S. Doctore laudem; ſed etiam à Deo temporale præmium, tantamque Imperii amplitudinè promeriti ſint, ut contra ſuperiorem articulum ex lib. 5. de civit. cap. 12., & aliis Auguſtini textibus demonſtratum eſt.

Nulla hic via patet adverſariis, qua elabantur; non enim potuêre actus iſti inter delicta numerari; cùm nihil magis impium ſit, quàm fingere Deum approbantem, & remunerantem præmio peccata: neque ea Romanorum opera ab adverſariis tribui poſſunt ſupernaturali gratiæ auxilio, quod à Judæis, Paganis, Hæreticis, & quibuſcunque Infidelibus penitùs excludunt: nempe propoſitione 27. *Fides eſt prima gratia, & fons omnium aliarum*. Prop. 26. *Nullæ dantur gratiæ niſi per fidem*. 29. *Extra Eccleſiam nulla conceditur gratia* 27. *Prima gratia, quam Deus concedit peccatori, eſt peccatorum remiſſio*. Non potuit igitur ſinè Sacrilegio Auguſtinus epiſtola 130. Polemonis ethnici caſtitatem vocare *donum* Dei, ſi cum Queſnello exiſtimaverit, eſſe peccatum; quia, juxta Queſnellum, non fuerit ex gratia; hac autem, inquit, dum non prævenitur voluntas, *nihil habet luminis, niſi ad aberrandum; nihil virium, niſi ad ſe vulnerandum*.

6 Non magìs nobis refragatur Author Librorum de Vocatione Gentium lib. 1. cap. 8. dicens: *Qui* (Deus) *ſi non operatur in nobis, nullius poſſumus participes eſſe virtutis. Sinè hoc quippe bono nihil eſt bonum: ſinè hac luce nihil eſt lucidum: ſinè hac ſapientia nihil ſanum: ſinè hac juſtitia nihil rectum*. Ubi patet, non de gratia ſermonem eſſe, ſed de Deo ipſo, *qui operatur in nobis: ſinè hoc bono* ſupremo, *nihil eſt bonum*; ſunt autem multa bona ſinè gratia: *Vidit enim Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona. Sinè hac* increata *luce nihil eſt lucidum*: ipſe eſt *lux vera*, illuminans omnem hominem: ipſe eſt *ſapientia*, ſinè qua nihil eſt rectum.

De Deo autem quis dubitet, quin ſit ipſe fons bonorum omnium, qui operatur om-

omnia in omnibus: quin omnia per ipsum facta fint, & fine quo factum fit nihil: quin in ipso vivamus, moveamur, & simus: quin nullis operationibus, præsertim bonis, nisi Deo cooperante, sufficiamus? Sed nemo sapiens indè concludet, nullum esse bonum naturalis ordinis, ad quod vel minimum nobis lumen, & aliquod, quantumvis parum, virium sit à Deo concessum, absque gratia supernaturali. Schola Thomistica, Scotistica, & quævis alia Catholica cum suis Principibus, etiam Doctore Seraphico, & Magistro Sententiarum, meritò credunt, *finè summo bono nihil esse bonum*; imò Deum concurrere ad actiones omnes, seu liberas, seu necessarias creaturatum; longissimè tamen absunt à novo, & damnato dogmate, quo statuitur, nihil esse, nisi malum, nihil luminis, nihil virium in homine, etiam justo, & sancto; nisi ad peccandum, quoties non adfuerit gratiæ supernaturalis auxilium.

Notari etiam meretur, quod in citato capite præcedit: *Nec quia spiritu Dei agitur* (homo præventus gratia) *ideo se putet liberum arbitrium non habere, quod nè tunc quidem perdidit, quando Diabolo voluntate se dedit, à quo judicium voluntatis depravatum est, non ablatum. Quod ergo non ereptum est per vulnerantem, non tollitur per medentem. Vulnus sanatur, non natura removetur*. Removetur autem natura, & liberum arbitrium eripitur; si *judicium voluntatis* adeò depravatum sit, ut *voluntas, quam gratia non prævenit, nihil habeat virium, nisi ad se vulnerandum* peccato. Nam, ut cum Anselmo Angelicus docet in 2.sentent. dist. 17. quæst. 1. artic. 1. ad 3. *Posse peccare non est libertas arbitrii, nec pars libertatis*: unde, si damnatus subsisteret articulus, natura libertatis, seu libertas naturalis periisset, *perditum esset liberum arbitrium*; quod tamen Author Operis de Vocatione Gentium negat.

Et sanè ad conversionem Gentium minimè accommodata foret Authoris sententia; si cum Quesnello doceret, voluntatem hominis, etiam justi, & sancti, hoc ipso, quo supernaturalis gratiæ auxilium suspenditur, nihil habere luminis, nihil virium, nisi ad peccandum; atque hoc auxilio carere omnes prorsus homines ante fidem, & extra Ecclesiam. Quid, inquient Gentes, sibi vult, & quo probabili argumento nititur iam exotica, & omni rectæ rationis dictamini contraria doctrina, quæ naturam hominis bestiis adeò deteriorem reddat, ut, sublato omni, præterquam ad peccandum, libero arbitrio, continuam inducat delinquendi necessitatem? Ut omnes, & singulos actus liberos, sive naturæ sustentationi necessarios, sive utilitati proximi, rationis lumini, & rum privatæ, tum publicæ honestati convenientes, de turpitudine accuset, etiam illos, ad quos Deus sapientissimus, & sanctissimus concursum præbuerit, non qualemcunque infimi ordinis; sed optimum, quem intrà naturæ humanæ limites præstare soleat, aut forsitan possit?

Quapropter ista Quesnelli novitas Gentibus, Judæis, Hæreticis prædicata non potest non præcones suos justo exponere ludibrio, uti scandalo, & execrationi est. Cui autem religionis, & Ecclesiæ amanti non moveat bilem, quòd propter istiusmodi pravitatis fæcem ab Hæreticis, & Hæresiarchis turpissimis Luthero, atque Calvino haustam, à tot Pontificibus pridem percussam anathemate, universa hodiedum conturbari debeat Ecclesia?

8 Ex eodem Libro de Vocatione Gentium cap. 6. refertur contra nos, quod sequitur. *Hæc itaque voluntas vaga, incerta, instabilis, imperita, infirma ad efficiendum, facilis ad audendum, in cupiditatibus cæca, in honoribus tumida, curis anxia, ... nihil in suis habet viribus, nisi periculi facilitatem; quoniam voluntas mutabilis, quæ non ab incommutabili voluntate regitur, tanto citiùs propinquat iniquitati, quanto acriùs intenditur actioni*.

Ut aliquam argumenti speciem præseferret citario, ubi Author dicit, *infirma ad efficiendum*, Adversarius Gallicè verrit *sans force*; quasi Author diceret, *finè viribus*. Non deerat Gallicum *foible*, respondens propriè Latino, *infirma*; sed exigebat Quesnelli Propositio, ut, quamvis repugnante bona fide, *voluntas* diceretur *nihil habere virium*. Istud scilicet non leve commodum habent Hæretici ex versionibus Scripturarum, & Patrum in linguam vulgarem, ut quam puderet corruptionem inducere sacris Textibus mutatione verborum, translationibus faciliùs inferant, Lectoresque paucissimi, & difficillimè observent.

Infirmam itaque esse finè gratia voluntatem agnoscimus; non omnibus omnino ad cavendum peccatum viribus destitutam. Hac similitudine desumpta ab infirmitate corporis, utitur S. Thomas 1.2. quæst. 109. art. 2. quòd scilicet, sicut infirmus corpore non potest omnes motus exercere, quos poterat sanus; retinet tamen vires aliquas, etsi debiles, quibus motus aliquos eliciat; ita pariter voluntas peccato primi hominis læsa

læsa contraxit infirmitatem virium; sed non omnimodam extinctionem. Idem Tridentina Synodus docet sess.6. de justific. cap.1. *Liberum*, inquit, *arbitrium minimè extinctum est*; *viribus licèt attenuatum*. Et can.6. anathema infigitur ei, qui *amissum*, *& extinctum esse dixerit*. Patet hinc latissimum discrimen, inter *infirmam* esse, *& nihil habere virium*: discrimen scilicet, quantum inter errorem à Concilio Oecumenico prostratum anathemate, & dogma Catholicum ejus Concilii authoritate confirmatum.

9 Asserit quidem Author Libri de Vocatione Gentium: *Voluntatem nihil in suis habere viribus*, *nisi periculi facilitatem*. Sed plurimum differt periculi facilitas, à continua peccandi certitudine, & necessitate; ut necesse foret, voluntatem sinè gratia peccare in omnibus actibus deliberatis, quando nihil haberet virium, nisi ad se vulnerandum.

10 Neque suffragatur Adversario, quòd in fine dicitur: *Voluntas mutabilis*, *quæ non ab incommutabili voluntate regitur*, *tantò citiùs propinquat iniquitati*, *quantò acriùs intenditur actioni*. Nullus enim Theologus ignorat specialem Dei erga aliquos providentiam etiam citra infusionem supernaturalis auxilii; frænando nempe tentatorem Diabolum, continendo corpus, & impediendo concupiscentiæ motus, avertendo pravos socios, mille alia avertendo peccatorum pericula, & occasiones. Quem autem Deus tali providentiâ non dignatur, sed propter peccata fortè præcedentia permittit periculis, & propriæ infirmitati, quibus non lapsibus exponitur! Sive, ut citatus Author enunciat: *Voluntas mutabilis*, *quæ non ab incommutabili veritate regitur*, *tantò citiùs propinquat iniquitati*, *quantò acriùs intenditur actioni*; quia sic à Deo deserta, inter innumeras peccatorum illecebras, quò pluribus implicatur negociis, & pluribus intendit actionibus; ut infirmus, claudus, cæcus, quò amplius intendunt cursui, frequentioribus se committunt lapsuum periculis: hoc tamen discrimine, quod lapsus illi corporis non semper liberi sint; sed ex antecedente sæpius proveniant, & physica necessitate: peccata autem semper libertatem exigant, & necessitatem patiantur solummodo consequentem.

Potest itaque *voluntas*, *quæ ab incommutabili veritate regitur*, à peccatis plurimis præservari, etiam absque continuo gratiæ supernaturalis auxilio. Quâ suppositâ Dei erga homines non paucos providentiâ, evidens est, voluntatem eorum posse actus aliquos exercere innocuos; atque ita enunciationem Quesnelli prorsus illimitatam, & significatione universalem, nulli rationis compoti apparere posse verisimilem. Quanquam neque ad singularem Dei providentiam recurrere necesse est, neque ad solos justos, & pravâ peccandi consuetudine non irretitos; cùm nemo, quamdiu in hac vita est, & ratione præditus, reperiatur, de quo absque temeritate intolerabili asseri valeat, quòd nullam unquam naturalis ordinis actionem eliciat, ac nè manum quidem, vel pedem moveat absque peccato.

Inter centum & unum Articulos, qui Constitutione *Unigenitus* feriuntur, nonnulli quidem subdoli sunt, plerique errorem, nec pauci hæresim suam apertissimè produnt; sed nescio, an ab ullius, quàm à præsentis dogmatis veneno, communis mortalium sensus, & recta ratio magis abhorreat; atque indè forsitan minùs nocere natus error est, quòd nimiùm manifestus sit; ut meritò dubites, num insaniæ minus contineat, quàm pravitatis. Infert gravissimam naturæ hominis contumeliam, dum nihil in ea virium agnoscit, nisi ad peccandum, ac proinde nos quoad naturalia bestiis omnibus statuit deteriores. Verùm ad assentiendum errori adeò incredibili, oportet lumen naturæ, & rationem omnem in Novatorum gratiam extinguere.

11 Clamant nihilominus Adversarii, se in hoc Articulo Ducem sequi S. Prosperum Augustini Discipulum Carmine de Ingratis cap. 22. sic monentem:

Edite constanter naturæ vulnera victa:
Exutam virtute animam, cæcataque cordis
Lumina, & in pœnam propriam jaculis superantis
Armatum arbitrium nunquam consurgere posse:
Inque novos lapsus semper nitendo revolvi:
Cui sua sit laqueus sapientia, morsque subactum
Detineat, nisi vera salus ex munere Christi
Adsit, & oppressam dignetur gratia mentem.

Et cap.45. de Voluntate Humana Christum ita Sanctus alloquitur:

Quæ sine te quid agit? nisi quò procul exulet à te

Præ-

Præcipites semper calles, & devia motu
Ingressura suo; nisi fessam tu bone, & ægram
Suscipias, referas, foveas, tuearis, honestes.

Non ex solius Prosperi; sed etiam Scripturarum, & totius sacræ Traditionis doctrina discimus confiteri naturæ à peccato superatæ vulnera, animam virtutibus spoliatam, & mentis oculos obcæcatos: liberum quoque arbitrium saucium, ac prostratum, viribus propriis absque Dei gratia *nunquam posse consurgere*. Cùm autem dicitur liberum arbitrium, *in novos lapsus semper revolvi*, vox *semper* non intelligitur in rigore metaphysico, vel physico absque intermissione; sed moraliter, & usu apud homines familiari; sicut & in Scripturis, ut supra monui, occurrit sæpissimè. Quis Psalmistam aliter intelligat, cùm ait: *Semper laus ejus in ore meo. Peccatum meum contra me est semper. Quomodo dilexi legem tuam Domine? Tota die meditatio mea est. Super inimicos meos prudentem me fecisti mandato tuo, quia in æternum mihi est. Anima mea in manibus meis semper: & legem tuam non sum oblitus. Hæreditate acquisivi testimonia tua in æternum, quia exultatio cordis mei sunt.* Quibus omnibus, & centenis ejusmodi locis voces *semper*, *æternum*, *totâ die*, non inferunt omne tempus nullâ interpositâ subinde morâ continuum: neque afficiunt necessariò omnes prorsus actiones liberas; cùm non sit verisimile, Davidem, quantumvis Sanctum, à peccatis saltèm levibus, & quotidianis fuisse immunem, aut laudem Dei in ore ejus, & corde adeò sonuisse perpetuam, ut nunquam ab ea mens, aut lingua cessaret: neque quòd adulterium, & homicidium ita animo ejus perennibus obversaretur cogitationibus, ut pœnitentia nullis intermissa fuerit temporis momentis.

Sic igitur *liberum arbitrium* à Prospero dicitur sinè gratia in *novos semper lapsus nitendo revolvi*, sicut homo libidini deditus in carnis semper sordibus volutari, avarus semper inhiare lucris, cholericus semper irasci, turbulentus semper rixari, loquax mulier semper garrire; ubi ridiculus nimiùm sit, qui vocem *semper* absque omni prorsus aliorum subinde occurrentium actuum interpositione intelligi oportere contenderit. Sic in loco Prosperi significantur frequentissimi voluntatis humanæ sinè gratia relapsus, non tamen ita continui, ut nullus interim possit dari actus innoxius, ut *liberum arbitrium sinè gratia Dei adjutorio nonnisi ad peccandum valeat*, quod à tribus olim Summis Pontificibus anathemate damnatum est; vel, quod deterius foret, nullas voluntas sinè gratia vires vel minimas, sive *nihil* prorsus *virium habeat*, *nisi ad* peccandum.

Denique nullo modo verisimile est, Sanctum Prosperum, quem ipsi Adversarii prædicant fidum Augustini Discipulum, hic à sui, & communis descivisse sententia Magistri, qui, ut supra monuimus, lib. de spiritu, & litera cap. 28. de Judæis, ait: *Ipsi homines erant, & vis illa naturæ inerat eis, qua legitimum aliquod anima rationalis, & sentit, & facit*: in quo, ut in cæteris passim, Hipponensem secutus Aquinas, de Infidelibus quoque asserit 2.2. quæst. 10. art. 4., quòd *bona opera* (non meritoria, quæ gratiam exigunt) sed naturalia, *ad quæ sufficit bonum naturæ, aliqualiter operari possint*. Non ergo, absente gratia, viribus omnibus, *nisi ad se vulnerandum*, penitùs destituuntur. Et 1. 2. quæst. 109. art. 2. *Natura per peccatum non est totaliter corrupta, ut scilicet toto bono naturæ privetur. Potest quidem etiam in statu naturæ corruptæ per virtutem suæ naturæ aliquod bonum particulare agere*: cui cum Scoto consentit Doctor Seraphicus; neque ullum cognovi Catholicum Bajanis non afflatum novitatibus, qui hic Scholæ Principibus refragetur.

12 Secunda Prosperi sententia non aliud significat, quàm prior: unde ad illam quoque facilè applices quidquid de priore disserui: in istis scilicet, & similibus Patrum locis magna naturæ in peccatum proclivitas, & lapsus, absque auxilio gratiæ frequentissimi significantur; non tamen sinè ulla interruptione continui, seu quasi nullus subinde medius intercederet actus cum deliberatione innocuus; multò minùs, quasi ad ullum istiusmodi actum *nihil* omnino *haberetur virium*. Quæ novitas non solùm à supremis Ecclesiæ Judicibus, & Theologiæ Magistris arguitur erroris, sed omnium, ni fallar, hominum repugnat sensui, ut certissimè opponitur lumini, & rationi naturali.

13 Ultimum Hexaplorum præsidium est in Oratione Dominicæ 14. post Pentecosten: *Custodi Domine, quæsumus, Ecclesiam tuam propitiatione perpetua; &, quia sinè te labitur humana mortalitas, tuis semper auxiliis & abstrahatur à noxiis, & ad salutaria dirigatur.*

Juxta Orationem Ecclesiæ, sinè Divino auxilio *labitur humana mortalitas*; sed non dicitur *in singulis actibus*, quod Adversarius in versione Gallica perfidè addit *tombe à chaque pas*, quasi Ecclesia enuntiaret *labitur singulis gressibus*. Quæ hæresis simili interpretandi, & corrumpendi licentiâ stabiliri non poterit? A Sancto Pio V., Gregorio XIII., Urbano VIII. damnatur utraque hæc Propositio: *Omne, quod agit peccator, vel servus peccati, peccatum est*; & : *In omnibus suis actibus peccator servit dominanti cupiditati*. Concilium quoque Tridentinum sess. 6. de justificatione can. 7. ferit anathemate omnem, qui dixerit, *opera omnia, quæ ante justificationem fiunt, quacunque ratione facta sint, verè esse peccata*. Propositiones tamen infinitis Patrûm, & Scripturarum textibus stabilire facillimum erit, si ubicunque asseritur homines peccare, addatur *in singulis actibus*: *in singulis gressibus*: A CHAQUE PAS.

Quis Catholicus non detestatus est Lutheri perfidiam, dum, ubi in Scriptura reperit, *Fidem justificare*, addere ausus est *solam*? Ipsos dein Lutheri discipulos puduit iniquitatis tam horridæ; sed eam Augustini Batavi discipuli censuere imitandam, non in solius hujus defensione Articuli; sed & alibi sæpius, ut ex occurrentibus subinde speciminibus præsens Constitutionis propugnatio demonstrat.

Quadragesima Propositio damnata.

Sinè gratia nihil amare possumus, nisi ad nostram condemnationem. *Observat. Moral. 1. Thessalon. 2. vers. 18.*

CAPUT I.

Propositio confutatur.

1 Adeò hic non mitescit Quesnellus, ut in miseram hominis naturam redditus sit ferocior. Non enim omne solummodo bonum carentibus gratiâ abjudicat, nec solùm continuis eos onerat peccatis; sed omnes eorum actus damnatione dignos enuntiat: quod quid aliud est, quàm quod à Pio V., Gregorio XIII. & Urbano VIII. proscribitur art. 20. *Nullum est peccatum ex natura sua veniale, sed omne peccatum meretur pænam æternam*? Et 67. *Homo peccat, etiam damnabiliter, in eo, quod necessariò facit*?

2 Pridem Jansenius pro se, & suis sequacibus, etiam hodierno Observationum Moralium Authore respondit Libro 4. de Statu naturæ lapsæ cap. 25. *Doctrina nostra non est comprehensa illâ propositione, quam proscripsit Pius V., & Gregorius XIII. Homo peccat, etiam damnabiliter, in eo, quod necessariò facit. Necessitas enim à nobis tradita, solùm est necessitas in genere, ex qua fit, ut non possint homines ante gratiam agere, nisi malè. Hæc autem non impedit, quo minùs in peccatis singularibus perpetrandis liberam, & indifferentem ad faciendum, & abstinendum habeant voluntatem.*

Et cap. 19. Ipse sibi objiciens: *Si non est libertas abstinendi à peccato, sed peccandi necessitas in voluntate, jam peccatum non erit peccatum; quod enim necessarium est, hoc ipso non est peccatum. Respondetur*: (inquit) *hoc argumentum, sicut à Scholasticis intelligitur necessitas peccandi, & libertas abstinendi, nullam omninò vim habet adversùs nostram sententiam. Ipsi enim peccandi necessitatem vocant, qua quis ad hoc peccatum, quod hic, & nunc perpetratur, ita determinatur, ut ab eo abstinere non possit: libertatem autem dicunt, qua istud potest facere, & à peccando abstinere. Hujusmodi autem faciendi necessitatem neque tribuimus libero arbitrio, neque ab eo tollimus ejusmodi libertatem abstinendi. Sed hæc est necessitas, quam peccato advectam esse profitemur, quòd liberum arbitrium ita rerum terrenarum cupiditate captivum sit, antequam Fide Creatoris charitateque liberetur, ut, quoquoversum sese verterit, in genere necesse sit, illud malè agere; sic tamen ut in singulari nullum peccatum ita necessariò perpetret, quin ab eo possit abstinere.*

Respondeo primò, non magnum hominibus, absente gratia, solatium fore ex eo, quòd neque hoc determinatè, neque illo peccato necessariò constringantur; sed inter peccata, ob quæ damnari debeant, electio permittatur; neque hæc libertatis species à Deo duritiem, & quodammodo perfidiam amoliretur; si, postquam per Apostolum 1. Cor. 10. vers. 13. promisit, *Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione proventum, ut possitis sustinere*, gratiam denega-

negaret, qua absente non possemus non succumbere peccato, & quidem lethifero, quod damnationem mereatur; relictâ solâ peccati unius lethiferi præ altero electione: quòd nempe solatium, ut aliàs indicavi, simile esset ei, quod à latronibus occidendo concederetur, relictâ solùm inter gladios, vel glandes quibus trajiciendus esset, vel inter lapides, quibus obruendus, electione.

Quomodo Joan. 5. versic. 3. dicitur; *Mandata ejus gravia non sunt*? Quomodo ipse Christus Matth. 11. vers. 28. testatur: *jugum enim meum suave est, & onus meum leve*; si non solummodo nullum sit, quod absque supernaturali auxilio observari valeat; sed etiam tale auxilium, plurimis, ac sæpissimè, &, nullo eorum præcedente demerito, subtrahatur? Non enim ad meram speculationem pertinent propositiones istæ: *Peccator non est liber, nisi ad malum, sinè gratia liberatoris. Voluntas, quam gratia non prævenit, nihil habet luminis, nisi ad aberrandum; ardoris, nisi ad se præcipitandum; virium, nisi ad se vulnerandum: est capax omnis mali, & incapax ad omne bonum. Sinè gratia nihil amare possumus, nisi ad nostram condemnationem*. Non, inquam, propositiones istæ merè hypotheticæ sunt, metaphysicæ, & à rerum existentiâ abstractæ; sed morales sunt, & ad mores maximè pertinent, ac tales ab ipso *Observationum Moralium* Authore in eodem *Christiana Ethica compendio* intelliguntur.

Suâ quoque experientiâ quilibet compertum habet, gratiam non dari omni momento; cum enim ea in supernaturali mentis illustratione, & piâ voluntatis excitatione consistat, quis, etiam justus, illam in se sentiat semper? Quoties innocuè distrahitur, etiam religiosus, & pius studiis Logicis, Physicis, Mathematicis; Secularis civilibus, œconomicis, mechanicis, in quibus non semper locus est Divinis inspirationibus, & pertinentibus ad pietatem? Ideone in omnibus actibus peccare omnes dicendi sunt? imò *nihil posse amare, nisi ad suam condemnationem*?

3 Respondeo secundo, fraudem esse, Theologis, & magis Episcopo Jansenio indignam; quam enim is electionem inter peccara nobis liberam fingit; quando illud Augustini ex *enarratione* in Epist. ad Gal. *Quod ampliùs nos delectat, secundùm id operemur necesse est*, interpretatur de delectatione indeliberata, & necessitate antecedente, quod ab Augustino dictum constat de delectatione deliberata, & necessitate tantummodo consequente? Jansenius perpetuum adstruit in natura lapsa certamen delectationem inter cœlestem gratiæ, & terrenam concupiscentiæ, utramque indeliberatam, & consensu hominis anteriorem; ita ut quæcumque, & quandocumque ardentior, seu fortior fuerit, consensum voluntatis abripiat necessariò.

Sed, inquit, peccatum luxuriæ vitari poterit motivo avaritiæ, vel peccatum avaritiæ motivo luxuriæ, & sic de cæteris. Verùm etiam hic imponit Jansenius turpiter, nec fraudem suam ignorare potuit. Quomodo enim motivo avaritiæ superare in ejus sententia possum tentationem luxuriæ, Si hæc me magis, quàm avaritia delectaverit; vel contra? Nam juxta principium ejus famosum, & totius Jansenismi fundamentum: *Quod ampliùs nos delectat, secundùm hoc operemur necesse est*. Evidens igitur est, nullam inter peccata nobis electionem relinqui, nisi famoso principio nuntius remittatur, &, fundamento subruto, totum Jansenismi ædificium suis sepeliatur ruinis.

4 Desperato omni alio subsidio, Jansenius confugit ad necessitatem Dæmonum, ac damnatorum, quos, ait amare non posse, nisi malum; & tamen verè semper delinquere: quod applicari jubet nobis Viatoribus, qui sinè gratia nihil nisi ad nostram damnationem diligere valeamus.

Hoc Calvinianorum, & Jansenistarum spiculum infracturus Stephanus De Champs lib. 3. disp. 4. cap. 7. ita præfatur. *Postquam Calvinus irrito conatu Sanctorum Patrum authoritatem Catholicis opposuit, ipsos etiam Dæmones subsidio advocare, atque, ut illi Hosantius exprobrat, ab iis arma, quibus in veritatem acerbiùs invehatur, mutuari decrevit. Jubet, ut omnia damnatorum scelera, blasphemas voces, furiosa in Deum odia, horrenda, planèque desperata consilia spectemus: tum exclamat, certiùs esse, quàm ut negari possit, in iis omnibus summam peccati malitiam cum summa peccandi necessitate conjungi. Hanc principis sui vocem Calviniana omnis natio summa veneratione excipit, atque id unum, hoc præcentore, varii per Europam vociferantur: Diabolus semper malè agit, & tamen verè peccat*.

Summa verò responsionis ferè continetur his Eminentissimi Bellarmini verbis libro 5. de Gratia, & libero arbitrio cap. 14. *Ad tertiam Calvini objectionem de peccatis Dæmonum, & bonis operibus Angelorum, respondeo, tam Angelos Sanctos, quàm malos Dæmones respectu finis ultimi non habere liberum arbitrium à necessitate, sed solùm à coactione: tamen respectu mediorum liberum arbitrium*

bitrium etiam à necessitate habere; quia multa faciunt, quæ possunt non facere, & contra: & in hujusmodi Dæmones verè peccare, & bonos Angelos opus verè laudabile facere; quamvis nec pœna, nec præmium essentiale crescere possit; cùm utrique sint in termino, & omnia ipsorum opera ad exercitium damnationis, vel gloriæ sempiternæ pertineant. Itaque propositio illa Calvini: Dæmones semper necessariò malè agunt: in aliquo sensu falsa est, in aliquo vera: Verum siquidem est in genere, eos non posse, nisi malè agere: falsum tamen est in particulari, omnia mala, quæ faciunt, illos necessariò facere: possent enim, ut diximus, multa non facere, quæ faciunt, & ideò non necessitate, sed voluntate peccata committunt.

Amplector doctissimi Cardinalis responsum, atque indè Jansenianæ objectionis machina diffringitur; nam, quæcunque damnati committunt veri nominis peccata, & novam continentia malitiam, prætermittere possunt; non enim peccatum novum, & distinctum ab eo, quo se in damnationem liberè conjecêre, contrahunt, Deum super omnia non amando, non sperando, neque eliciendo istiusmodi actus supernaturales, ad quæ nullum auxilium sufficiens, seu datum, seu oblatum eos habere compertum est. At in Janseniano principio delectationis indeliberatæ ad omnem actum necessariæ, & ineluctabilem imponentis necessitatem (quoties nempe delectatione opposità fortior est) nullus designari poterit actus humanus, cui libertas à necessitate competat; nullus, inquam, etiam versans circa objectum indifferens, sive in natura lapsa, sive in integra, quod postremum Jansenius negatum vellet: sed suo laqueo constringitur. Nam lib. 4. de gratia Christi cap. 7. dicit: *Delectationem, ut quis bonum velit, non ex natura boni, aut supernaturalis operis; sed potius ex conditione volendi necessariam esse. Voluntas enim sinè delectatione velle, aut moveri nullo pacto potest; quod sanè respectu cujuslibet operationis locum habet.* Unde sponte sua fluit hæc argumentatio: nullus consensus voluntatis dari potest sinè prævia delectatione indeliberata: de hac Jansenio sermonem esse inter omnes convenit, & testatur ipse lib. 4. de gratia Christi cap. 11. his verbis: *Dicimus itaque, delectationem istam, seu suavitatem in Augustino celebrem, esse partim primum illum, & indeliberatum affectum animæ, qui actualis complacentia est: partim etiam secundum, qui desiderium indeliberatum dicitur.*

Ibidem de delectatione gratiæ ait: *delectationem istam cœlestem secundùm Augustini mentem esse actum vitalem, & indeliberatum animæ; & quidem amoris, ac desiderii præcedentis consensum.* Atqui, juxta Jansenium, *quod magis nos delectat*, delectatione ista indeliberatâ, *secundùm hoc operemur necesse est.* Igitur, juxta præcipuum Janseniani systematis axioma, nullus datur actus hominis liber circa quodcunque versetur objectum, & quibuscunque in circumstantiis.

Supponamus tamen, Quesnellum tam horrificis perculsum consectariis ab hoc Jansenii placito de victrice delectatione indeliberatâ ad omnem hominis consensum necessariò præviâ, & necessitatem inferente, velle recedere. Supponamus etiam singulos actus, qui sinè gratia *ad nostram* eliciuntur *condemnationem*, esse liberos, quos constat in Quesnelli systemate esse maximè necessarios; attamen adhuc Quesnelli propositio jure optimo proscribitur, non solùm quia falsa; sed etiam quia Divinæ Sapientiæ, bonitati, imò justitiæ, & sanctitati derogat. Facilè enim Quesnellus, & quivis alius agnoscet, homines, etiam justos, & recenter justificatos non habere omni momento illustrationes intellectûs supernaturales, & pias ejusdem ordinis in voluntate excitationes, presertim dum variis, ut supra deduxi, studiis distrahuntur: experientiâ de hoc convincimur nimiùm frequenti. Præterea, quidquid sit de opinione, possibilem statuente omissionem puram liberam, non videmur unquam mente, & ratione vigili absque omni prorsus amore, seu volitione esse moraliter posse.

Semper igitur homines etiam justi, absente actuali gratia, necessitatem quamdam habent amandi ad suam condemnationem; licèt necessitas tantùm generica foret, relictâ abstinendi à peccatis singulis facultate; quemadmodum si, ut diximus, damnato ad mortem relinquatur inter supplicia eligendi potestas, ut singula quidem divisim; non tamen simul omnia valeat evitare. Itane Deus deserat filios, & amicos, quos se non deserturum, nisi priùs deseratur, & dixit, & per Tridentinam Synodum in Sancto Spiritu congregatam confirmavit? Itane fidelis est, ut non patiatur nos tentari ultra, quàm possumus sustinere, sed faciat etiam cùm tentatione proventum, quod fidejussore Apostolo promissum credimus? Fierine poterit, ut simul nos destituat omni gratiæ auxilio, sinè quo impedire non possumus, quin amemus ad nostram condemnationem? Quid enim juvat, nos singula divisim peccata posse effugere, si quacumque demum ex parte in condemnationem ruamus necessario?

rio? Novitas hæc eft inter Catholicos inaudita, nec in Ecclefia tolerabilis, in Deum contumeliofa, & in hominibus impedire nata, nè de Deo, & Salvatore noftro fentiant in bonitate. Denique fubrutâ Divinorum promifforum fide, fpem dejicit, charitatem extinguit. Sanctorum Patrum teftimonia, damnato errori adverfantia dabo ad propofitionem 42.

6 Interim adeunda nobis Scriptura eft, ex qua *Obfervationis* Author fe tantum thefaurum eruiffe fignificat. Eft autem Epiftola prima ad Theffalonicenfes cap. 2. verf. 18. *Quoniam voluimus venire ad vos: ego quidem Paulus, & femel, & iterum; fed impedivit nos Satanas*. In quem locum fic interpres Angelicus „ SED IMPEDIVIT NOS SATHANAS, id eft, procurando impedimenta, fortè per aeris tempeftates. „ Apoc.7. *ifti funt Angeli, qui tenent ventos*.

Et S. Bafilius Reg. brevior. interrogatione 272. ad quæftionem *quæ, & quomodo Pauli, & aliorum Sanctorum bona opera impedire poffit Satanas*, fic refpondet: *Rectè facta, quæ in fola animi voluntate pofita funt, hæc nullo modo impedire Satanas poteft. Quæ verò ejufmodi, ad quæ confequenda neceffaria eft etiam opera corporis, in his plerumque etiam Deus nafci impedimenta permittit, vel probandi, vel detegendi causâ illius, qui impeditur: ut vel fi à recto propofito defliterit, convictus, qualis fit, detegatur; ut hi, qui fupra petram fuerant feminati, qui ad modicum tempus fufceperunt quidem verbum cum gaudio, exortâ autem tribulatione ftatim recefferunt: vel, fi in recto perfeveraverit, clariùs appareat ftudium ipfius in rectè factis: ut ipfius Apoftoli, qui cùm fæpe Romam petere decreviffet, & prohibitus effet, ut ipfe faffus eft, tamen eatenus in ea voluntate non deftitit, quoad etiam effecit, quod ftatuerat*.

Ex eo igitur, quòd diabolo fæpe permittatur, ut ventos, & tempeftates aëris excitare valeat, & opera externa impedire, colligit Quefnellus, poteftatem Diaboli in voluntatem noftram, ut *finè gratia nihil amare poffimus, nifi ad noftram condemnationem*. Sed tale in voluntates noftras dominium, talem diaboli poteftatem negat S. Bafilius, nec ullus Pater, vel Scripturarum interpres, vel Theologus orthodoxus agnofcit.

7 Non levibus incrementis augetur propofitionis malitia, & error, fi fenfus Authoris attenditur. Janfenium Quefquelli præcurforem, & Magiftrum fe explicantem audiamus lib.4. de Statu naturæ lapfæ cap.19. *Hæc eft neceffitas, quam peccato advectam effe profitemur; quòd liberum arbitrium ita rerum terrenarum cupiditate captivum fit, antequam fide Creatoris, charitateque liberetur, ut, quoquo, verfum fefe vertat, in genere neceffe fit, illud malè agere*. Ubi non qualifcumque gratia fufficit, ut quis evitare valeat illam peccandi continuò neceffitatem; fed requiritur gratia *Fidei*, & *Charitatis*, qua liberum arbitrium, aliàs captivum, à terrenarum rerum cupiditate liberatur; quod auxilium, ut patet, eft efficax, & juftificans.

Id aliis Verbis, fed fenfum eumdem inferentibus Quefnellus exponit propofit. 44. dicens: *Non funt, nifi duo amores, unde volitiones, & actiones omnes noftræ nafcuntur; amor Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur; & amor, quo nos ipfos, ac mundum diligimus, qui, quod ad Deum referendum eft, non refert, & propter hoc ipfum fit malus*. Ubi patet, amorem Dei juftificantem, five *qui omnia facit propter Deum, quemque Deus* remuneratur, à Quefnello præfcribi, ut poffit actus aliquis à peccati macula liberari, & quidem lethiferâ *noftram* inferente *condemnationem*, ut præfens habet propofitio. Quid autem horrificum magis, quàm omnia ftatui peccata mortifera, quæ non funt amor Dei fuper omnia, & juftificans, vel ab eo non impetantur? Hinc intelligimus, cur prop.45. dicatur: *Amore Dei in corde Peccatorum non ampliùs regnante, neceffe eft, ut in eo carnalis regnet cupiditas, omnefque actiones ejus corrumpat*. Nulla itaque gratia, præterquam amoris Dei in corde regnantis, & omnia agentis propter Deum, poteft actionem immunem reddere à peccato gravi, quo damnationem mereamur.

8 Quantam ea novitas fecum trahit feriem dogmatum profcriptorum à pluribus olim Pontificibus! Sanctus Pius V., Gregorius XIII., Urbanus VIII. confixere inter Bajanos articulos hunc 16. *Non eft vera legis obedientia, quæ fit finè charitate*. Indubiè non foret ea vera legis obedientia; fi omnis actio mala effet, quæ non *nafcitur ex amore Dei omnia agente propter Deum, quemque Deus remuneratur*: & quidem qualifcunque legis obedientia, quæ fit fine charitate, *noftram* mereretur *condemnationem*. Hinc Lector perfpicis, qualem poftulet Quefnellus gratiam, ut amor aliquis damnationi noftræ non ferviat: cujufcunque virtutis moralis, aut etiam Theologicæ gratia, fi charitatis abfuerit, minimè actionem eximet à delicto mortifero. Imò negat Quefnellus fuppofitum, videlicet, ullam gratiam effe poffe finè charitate, five amore Dei, qui omnia agit propter Deum. Continetur hic per-

perspicuè Bajanus articulus 38.: *Omnis amor creaturæ rationalis aut vitiosa est cupiditas, qua Mundus diligitur, quæ à Joanne prohibetur; aut laudabilis illa charitas, quâ per Spiritum Sanctum in corde diffusâ Deus amatur*. Cui prorsus consonat propositio 7. ab Alexandro VIII. damnata: *Omnis actio deliberata est Dei dilectio, vel Mundi; si Dei, charitas Patris est; si Mundi, concupiscentia carnis, hoc est, mala est*.

9. Prop. ibid. proscripta: *Revera peccat, qui odio habet peccatum merè ob ejus turpidinem, & disconvenientiam cum naturâ, sinè ullo ad Deum offensum respectu*. 10. *Intentio, qua quis detestatur malum, & prosequitur bonum merè, ut cælestem obtineat gloriam, non est recta, nec Deo placens*. 13. *Quisquis etiam æternæ mercedis intuitu Deo famulatur, charitate si caruerit, vitio non caret, quoties intuitu licèt beatitudinis operatur*.

Atrocior est Quesnelli sententia, non solùm exigens respectum ad Deum offensum, sed talem necessariò postulat relationem, talem amorem, *qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur*: cujus prætermissio peccatum minimè leve est, sed quod damnationem mereatur. Spei quoque intentio, & ex ea tam mali detestatio, quàm boni prosecutio sinè amore Dei super omnia adeò non est recta, ac Deo placens, quin & ipsa damnationi subjaceat, juxta articulum Quesnelli 40., si eum in sensu Authoris acceperis. Eodem sensu complectitur articulus propositionem 15. memorato Alexandri VIII. diplomate profligatam: *Attritio, quæ gehennæ, & pœnarum metu concipitur sinè dilectione benevolentiæ Dei propter se, non est bonus motus, ac supernaturalis*; si enim omnis actio sit mala, quæ non nascitur ex amore Dei, qui omnia agit propter Deum; evidens est, attritionem illam tali destitutam dilectione, remotissimam esse à ratione boni motûs, ac supernaturalis, ac proinde non esse ex gratia, sinè qua, juxta præsentem Quesnelli articulum: *Nihil amare possumus, nisi ad nostram condemnationem*. Hinc *timor gehennæ non est supernaturalis*, quæ propositio inter damnatas ab Alexandro VIII. est 14., timor enim ille, atque omnes virtutes morales, nisi ex charitate natæ fuerint, juxta Quesnelli art. 44. peccata sunt; non itaque sunt ex gratia, ideóque ad nihil boni conducere possunt, sed tantum *ad nostram condemnationem*, juxta articulum quem hic impugnamus 40.

Quinimò inter Virtutes Theologicas prima dum à charitate sejungitur, è numero virtutum expuncta, in cloacam vitiorum à Quesnello abjicitur. Damnaverat Alexander VIII. inter Proposit. 31. hanc 12. *Quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor, deficit etiam fides; &, etiamsi videantur credere, non est fides divina, sed humana*; imò, Quesnello Judice, diabolica. Non enim est ex gratia, sinè qua omnis actio ipsi peccatum est, & damnationem inferens; fidem autem illam ex Divinæ gratiæ auxilio non posse profluere manifestum est, si vera fuerit Quesnelli Propositio 44. *Actiones omnes nostras* ab amore Dei super omnia non progenitas, ablegans inter fœtus amoris proprii, & mundani, indéque contrahentes malitiam: *Non sunt, nisi duo amores, unde volitiones, & actiones omnes nostræ nascuntur; amor Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur; & amor, quo nos ipsos, ac mundum diligimus, qui, quod ad Deum referendum est, non refert, & propter hoc ipsum fit malus*.

Propositio 11. ab Alexandro VIII. damnata enuntiat: *Omne, quod non est ex fide Christiana supernaturali, quæ per dilectionem operatur, peccatum est*. Quesnellus addit, esse peccatum mortiferum, juxta præsentem articulum, *sinè gratia nihil amare possumus*, nihil velle, nisi agere, *nisi ad nostram condemnationem*.

Non posse fidem sinè charitate esse Christianam, & supernaturalem, sive non posse esse ex gratia, monemur articulo ejusdem 44. jam relato, quia talis fides, non *nascitur ex amore Dei*, *qui omnia agit propter Deum*; ideóque juxta adæquatam actionum omnium humanarum divisionem, à novo hoc Theologo traditam, & in Ecclesia Catholica hactenus ignotam, proficiscitur *ex amore, quo nos ipsos, ac mundum diligimus, qui quod ad Deum referendum est, non refert, & propter hoc ipsum fit malus*. Ex tali autem corrupta origine proveniens fides non potest esse *ex gratia*, atque ita nec ad justitiam, nec ad salutem disponere; sed *nostram* solummodo inducere condemnationem.

Denique, si nec Deus est, nec religio, ubi non est charitas juxta articulum 58. necesse est fidem, & spem expertem charitatis exulare à religione, *non esse ex gratia*, sinè qua omnis humana actio, juxta præsentem articulum, *nostra condemnatio est*. Plura alia à CLEMENTE XI. proscripta dogmata, & doctrinæ Ecclesiæ adversantia cum hoc errore nexu indissolubili connexa esse, facillimè Lector deprehendet; potissimùm in iis omnibus Propositionibus, quæ de timore enuntiant, aut charitate.

9 Aliud

9 Aliud modò principium indicandum superest, quo præsens articulus in sensu Authoris intellectus, errores plures hæreseos, aliisque censuris gravissimis dignos in se contineat, vel vinculo sibi colligatos attrahat inextricabili. Nè autem Adversarius clamitet, mentem suam exponi à me duriùs, malo eam ipse nobis explicet, utpote quam nemo potest habere exploratam magis, atque perspectam. Quæramus igitur ex ipso, quid nomine gratiæ, sinè qua *nibil amare possumus, nisi ad nostram condemnationem*, à Lectoribus velit intelligi.

Sed, ni fallar, mirabitur, nos solis lumen requirere, dum splendidissimè fulget meridie: tam didacticè, inquiet, tam claræ, tam uberes, a me in ipsis censurâ notatis Propositionibus redditæ fuêre descriptiones, explicationes gratiæ, tantâ phrasium, & figurarum illustrium varietate inculcatæ, ut in hoc Theologiæ mysticæ fines quodammodo excessisse videar, & penès paucos fortè Scholasticos reperiatur idea gratiæ expositionibus declarata magis perspicuis. Proposit. 11. *Gratia non est aliud, quàm voluntas omnipotentis Dei, jubentis, & facientis, quod jubet.*

Proposit. 10. *Gratia est operatio manûs omnipotentis Dei, quàm nihil impedire potest, aut retardare.*

Proposit. 17. *Gratia est vox illa Patris, quæ homines interiùs docet, ac eos venire facit ad Christum: quicunque ad eum non venit, postquam audivit vocem exteriorem Filii, nullatenus est doctus à Patre.*

Proposit. 19. *Dei gratia nihil aliud est, quàm ejus omnipotens voluntas: hæc est idea, quàm Deus nobis tradit in omnibus suis Scripturis.*

Proposit. 20. *Vera gratiæ idea est, quòd Deus vult sibi à nobis obediri, & obeditur: imperat, & omnia fiunt: loquitur tanquam Dominus, & omnia sibi submissa sunt.* Habemus hic ab ipso Authore Observationum Moralium dilucidè expositum, quid nomine gratiæ intelligat, & à Lectoribus concipi desideret. Plures aliæ ejusdem Authoris Propositiones, quas Constitutio *Unigenitus* refert, ac prohibet, in eundem sensum confluunt, ut cuilibet inspicienti manifestum est.

Resumamus itaque præsentem Propositionem 40. & cum explicationibus ab ipso nobis Authore traditis expendamus. *Sinè gratia* (quæ juxta Proposit. 11. *non est aliud, quàm voluntas omnipotentis Dei jubentis, & facientis, quod jubet*) *nihil amare possumus, nisi ad nostram condemnationem.* Atque ita sinè gratia efficaci non solùm nihil boni agere possumus; sed etiam nihil, nisi malè, imò mortiferum.

Rursus *sinè gratia* (quæ juxta Propos. 10. *est operatio manûs omnipotentis Dei, quàm nibil impedire potest, aut retardare*) *nibil amare possumus, nisi ad nostram condemnationem.* Unde iterum sinè gratia efficaci, imò certissimam inferente necessitatem, nullum possumus operari bonum; sed malum solummodo: neque illud leve; sed quod damnationem mercatur.

Sinè gratia (quæ juxta Proposit. 17. *est vox illa Patris, quæ homines interiùs docet, & eos venire facit ad Christum, adeò ut, quicunque ad eum non venit, postquam audivit vocem interiorem Filii Dei, nullatenus sit doctus à Patre*) *sinè gratia*, inquam, hic descripta, *nibil amare possumus, nisi ad nostram condemnationem*; adeóque sinè gratia efficaci non solùm nihil boni agere possumus; sed nihil, nisi peccatum grave, & damnationi obnoxium.

Sinè gratia Dei (quæ juxta Proposit. 19. *nibil aliud est, quàm ejus omnipotens voluntas*; & cujus, juxta Proposit. 20., *vera idea est, quòd vult sibi à nobis obediri, & obeditur; imperat, & omnia fiunt; loquitur tanquam Dominus, & omnia sibi submissa sunt*) *nibil amare possumus, nisi ad nostram condemnationem*: sive absque gratia efficaci nihil boni fieri potest, nihil nisi malum grave, & inferorum inducens supplicia.

Vis plura? *sinè gratia* (quâ, juxta Prop. 25 *Deus illuminat animam, & eam sanat æquè ac corpus sola sua voluntate; jubet, & ipsi obtemperatur*) *nihil amare possumus, nisi ad nostram condemnationem*: quæ assertio est ejusdem significationis cum hac: Sinè efficaci gratia nihil operari possumus, nisi damnabile. *Sinè gratia* (cui, juxta Proposit. 16. nullæ *non cedunt illecebræ, quia nihil resistit omnipotenti*) *nibil amare possumus, nisi ad nostram condemnationem*; idest absque efficienti gratia nihil fieri potest boni, nihil præter peccatum, quo damnatis perpetuò adscribamur. *Sinè gratia* (qua, juxta Proposit. 18. *semen verbi manu Dei irrigatum semper affert fructum suum*) *nibil amare possumus, nisi ad nostram condemnationem*: quod idem est, ac si dixeris, sinè gratia efficaci nihil fieri posse boni; sed malum tantummodo æternis dignum cruciatibus.

Sinè gratia (quæ juxta Proposit. 37. differt à gratia Adami, per hoc in primis, quod sit *gratia omnipotens, & digna Filio Dei*) *nibil amare possumus, nisi ad nostram condemnationem*: ubi iterum sinè gratia effi-

efficaci nihil boni facere possumus, sed malum solummodo, quo damnationi subjiciamur.

Si in tanta Quesnelliani sensûs luce, quidpiam præterea luminis, sive amplioris explicationis desideres, pro intelligenda gratiæ cujuslibet Christianæ omnipotentia, traditur art. 23. Imò *Deus ipse nobis ideam tradidit omnipotentis operationis suæ gratiæ, eam significans per illam, quæ creaturas è nihilo producit, & mortuis reddit vitam*. Propos. 24. *Justa idea, quam Centurio habet de omnipotentia Dei, & Jesu Christi in sanandis corporibus solo motu suæ voluntatis, est imago ideæ, quæ haberi debet de omnipotentia suæ gratiæ in sanandis animabus à cupiditate*.

10 Tot propositionibus expositâ à Quesnello gratiæ suæ ideâ, patet luculentissimè primò, quòd dum Prop. 40. ait: *Sinè gratia nihil amare possumus, nisi ad nostram condemnationem*, ferat damnationis sententiam in amorem omnem, qui non elicitur auxilio gratiæ, cujus ideam nobis tot descriptionibus, tam multiplici phrasium, & figurarum varietate declaratam, ornatamque exhibuit.

Patet secundò, gratiam juxta descriptiones, & ideas omnes ab Authore propositas, inculcatas, non esse aliam, quàm efficacem, omnipotentem, insuperabilem.

Patet tertiò, quòd Propositio 40. asserens, nos *sinè gratiâ* tot descriptionibus expositâ, *nihil amare posse, nisi ad nostram condemnationem*, definiat nos sinè hac eadem gratia non solùm nihil boni agere, nullum præceptum servare actu, & re ipsa; sed neque *posse*.

Patet quartò, negari *justis cadentibus gratiam, sinè qua nil boni facere poterant*; quæ est ipsa Propositio, quam in *expositione fidei* Gerberoniana Eminentiss. Parisiensium Archiepiscopus Cardinalis de Noailles censuris gravissimis, etiam hæreseos, & totius Jansenismi virus complectentem profligavit anno 1696. Hinc iterum intolerabilis, & simplicium Lectorum animis perniciosissima convincitur levitas, & negligentia, vel perfidia eorum, quos Cardinalis ille adhibuit ad *Observationum Moralium* correctionem; præsertim ad omittendum in novis editionibus, quod asseritur de necessitate gratiæ efficacis, requisitæ juxta Quesnellum æquè, ac Gerberonum, non solùm ut opus qualecunque bonum fiat; sed etiam ut fieri possit; quam hæresim nonnisi semel, iterumve, quasi ad Lectorem, ipsumque Eminentissimum fallendum sustulerint, in aliis plurimis relinquentes intactam.

Patet quintò, in hoc Quesnelli hæresim Gerberonianâ deteriorem esse, quòd Gerberonus tantùm affirmaverit, sinè gratia efficaci nihil boni fieri posse, Quesnellus *nihil fieri*, aut *amari posse, nisi ad nostram condemnationem*.

11 Denique præsens Quesnelli Propositio, secundùm se, & in sensu obvio pridem damnata fuit non solùm à S. Pio V., Gregorio XIII., Urbano VIII., in hoc Baji articulo 27. *Liberum arbitrium sinè gratiæ Dei adjutorio, non nisi ad peccandum valet*; nec solùm censuris gravibus notata antea fuerat ab Academiis Hispanicis, quarum judicium facilè despiciet Quesnelli temeritas; sed etiam à celeberrima Galliarum Facultate Theologica Parisiensi plusquam à sesqui sæculo inter hæreses rejecta est, quando à Bajo Lovanii tradita, à Franciscanis Patribus fuerat denuntiata. Audiamus Decretum: „Anno 1560. die Jovis 27. mensis „ Junii sacratissima Theologiæ Facultas Pa„ risiensis, post Missam apud Collegium „ Sorbonæ ex more celebratam, in eodem „ Collegio per juramentum congregata est „ in materia Fidei super Propositionibus „ infrascriptis, per eandem Facultatem „ cum matura deliberatione Magistrorum „ nostrorum censurâ notatis, quas Frater „ Petrus de Quercu Guardianus Con„ ventûs Nivellensis Ordinis Fratrum „ Minorum S. Francisci, & Frater Ægi„ dius de Querceto Guardianus Athensis „ prædictæ Facultati miserunt, sigillis præ„ dictorum Conventuum signatas, rogan„ tes obnixè, ut super iis dicta Facultas „ censuram ferret . . . .
„ . . . . . .
„ 4. Propos. *Liberum arbitrium ex se non* „ *potest, nisi peccare: & omne opus liberi ar*„ *bitrii sibi dimissi est peccatum mortale, aut* „ *veniale*. Censura: *Hæc Propositio utrâque* „ *sui parte est hæretica*.
„ 5. Propos. *Homo faciendo, quod in se* „ *est, peccat, & non potest non peccare, fa*„ *ciendo, quod in se est*. Censura: *Tota hæc* „ *Propositio est hæretica*„. Cæteras aliò pertinentes prætereo.

Conferat modò Lector utramque Propositionem censurâ hæreseos à Sorbonicis damnatam, aut conferat Quesnellus ipse eum quadragesima à CLEMENTE XI. proscriptâ; certus sum discrimen aliud non designandum, quàm quod Quesnelliana enuntiatio durior sit ex eo, quòd, ubi utraque Bajana præsciudebat à malitia gravi, vel levi, gravem determinet Quesnellus, statuens nos *sinè gratia nihil amare posse*, *nisi*

nisi ad nostram condemnationem. Unde & manifestum fit, non posse Propositionem hanc inter obices numerari, ob quos hujus temporis Sorbona Constitutionem Apostolicam, à se priùs solemni judicio receptam, mutatâ nunc sententiâ, suspendat, nisi & in hoc sententiam mutarit, ut damnatam à majoribus hæresim reducere velit, non levi famæ suæ, & honoris pristini detrimento; nec minore fidei, & religionis.

CAPUT II.

Solvuntur Objectiones.

1 ROman. 3. *Quid ergo? Præcellimus eos? Nequaquam. Causati enim sumus, Judæos, & Græcos omnes sub peccato esse; sicut scriptum est, quia non est justus quisquam, non est intelligens, non est qui requirat Deum. Omnes declinaverunt: simul inutiles facti sunt. Non est qui faciat bonum, non est usque ad unum...... Scimus autem, quia quæcunque lex loquitur, iis, qui in lege sunt, loquitur: ut omne os obstruatur, & subditus fiat omnis mundus Deo... Omnes enim peccaverunt, & egent gloriâ Dei*, seu gratiâ, ut cum peccatorum venia justitiam consequantur, & salutem. De his nemo Catholicus dubitat. Sed neque ullus, saltèm post Sancti Pii V. Constitutionem, à Gregorio XIII. & Urbano VIII. confirmatam, quæ incipit: *Ex omnibus afflictionibus*, sic locum Apostoli explicat, ut significet, nos *sinè gratia nihil amare posse, nisi ad nostram condemnationem*.

Efferebant se Judæi quasi præ gentibus meriti, ut sibi potiùs, quàm illis annuntiaretur Euangelium, propter legis observationem, ex qua pondus sustinuerant minimè leve. Verùm eorum superbiam reprimens Apostolus, docet, universa legis opera adeò non mereri justificationem, ut nè ad eam quidem ullatenus disponant sinè Christi gratiâ; sinè hac neque à delictis pristinis liberamur, neque sinè novis multo tempore perdurabimus. Sed nullum in Pauli sententia verbum est, quod gratiam ad eum provehat necessitatis gradum, ut sinè ea nè minimum quidem actum innocuum, & immunem à condemnatione exercere valeamus.

Illud: *Non est qui faciat bonum, non est usque ad unum*, sic interpretatur Angelicus „ Potest uno modo intelligi extensivè, „ quasi diceret præter unum, qui scilicet „ solus fecit bonum redimendo humanum „ genus...... Vel potest intelligi inclu- „ sivè, quasi dicat, nec etiam unus est pu- „ rus homo qui faciat bonum, scilicet per- „ fectum „. Ita Divus Thomas, cujus inconcussæ, & tutissimæ interpretationi lubenter subscribimus. Sed indè non sequitur, bonum imperfectum naturæ quidem conducens; sed ad beatitudinem, vel ad justitiam nihil conferens fieri à puro homine, & naturæ viribus non posse: minùs etiam sequitur, nullum sic fieri posse opus, vel amari, nisi quod condemnationem mereatur.

Audiatur quoque Angelici interpretatio circa illud: *Non est justus quisquam*: „ Dupliciter potest intelligi; uno modo, „ quòd intelligatur, nullus est justus in se, „ ex se ipso; sed ex se quilibet est pecca- „ tor; ex solo autem Deo habet justi- „ tiam........ Alio modo, quòd nullus „ est quantum ad omnia justus, quin ali- „ quod peccatum habeat, secundùm illud „ Proverb. 20. Quis potest dicere mundum „ est cor meum. Ecclesiastes 7. Non est „ homo justus in terra, qui faciat bonum, „ & non peccet. Tertiò, etiam potest in- „ telligi, ut referatur ad populum malo- „ rum, inter quos nullus est justus....... „ Sed primi duo sensus magìs sunt secun- „ dùm intentionem Apostoli, & hoc idem „ dicendum est in sequentibus„. Habemus hic itaque etiam eorum, quæ in Apostoli epistola sequuntur, & citantur ab Adversariis, explicationem Sancti Thomæ minimè suffragantem Quesnello, neque censuræ CLEMENTIS XI. contrariam. Duo enim priores sensus ab Angelico probati velut genuini, & magis conformes menti Apostoli sunt; primus: *Quod nullus sit justus in se, ex se ipso; sed ex se*, à sua origine *quilibet est peccator*, & pergit esse, propriâ voluntate, & malitiâ sæpe labens; non tamen in omnibus necessariò actibus; *ex solo autem Deo habet justitiam*; quod omnis profitetur Catholicus; uti & quod secundus habet Angelici, & juxta eum, Apostoli sensus, *quòd nullus est, quantùm ad omnia justus, quin aliquod peccatum habeat*. Imò & secundùm Divina oracula septies, idest sæpiùs, cadit justus; quo solo dejicitur Quesnelli articulus in sensu obvio, & rigido acceptus; non enim septies cadit justus peccato, quo damnationem mereatur; atqui tamen omne, quod committimus malum, etiam levissimum, amamus non ex gratia: ruit igitur Quesnelli assertio, omne quod amamus sinè gratia, amari ad nostram condemnationem.

Sed neque ex relato, vel quolibet altero sacri Codicis textu ostenditur, omnem actum sinè gratia elicitum, esse perversum, neque posse omnino à malitia, & supremi offensione Numinis esse immunem. Plures ejusdem Apostolici textûs Interpretes, ut Augustinus, Chrysostomus, Theodoretus, Theophylactus, Oecumenius videri possunt apud Cornelium à Lapide, è quibus nè unus quidem damnato patrocinatur errori. Ei prorsus oppositum ostendi superiùs Aquinatem, Bonaventuram, Scotum, Magistrum Sententiarum, quos cæteri sequuntur Scholastici, ut nominati Scholasticorum Principes institêre vestigiis Patrum, quorum aliquos præcipuæ apud omnes anthoritatis dedi in oppugnatione Propositionis 38.

Secundò: Repulsi Adversarii à Scripturis, confugiunt ad celebrem illum Concilii Arausicani locum, qui est can. 22. *Nemo habet de suo, nisi mendacium, & peccatum; si quid autem habet homo veritatis, atque justitiæ, ab illo fonte est, quem debemus sitire in hac eremo, ut ex eo quasi guttis quibusdam inrorati, non deficiamus in via.*

Concilium ait, nihil in nobis boni esse, quod non sit à Deo, sive ut Authore naturæ, sive ut Largitore gratiæ: peccatum autem, & mendacium, cùm nihil bonitatis habeant, integra à nobis sunt; non enim Deus iniquitatem vult, aut operatur; quare idem Concilium sub finem declarat: *Hoc etiam secundùm fidem Catholicam credimus, quòd accepta per baptismum gratiâ, omnes baptizati, Christo auxiliante, & cooperante, quæ ad salutem pertinent, possint, & debeant, si fideliter laborare voluerint, adimplere. Aliquos verò ad malum Divinâ potestate prædestinatos esse, non solùm non credimus; sed etiam, si sunt, qui tantum malum credere velint, cum omni detestatione illis anathema dicimus.* Si crimen sit dignum anathemate, asserere aliquos ad malum Divina potestate prædestinatos esse, nefas profectò est, asserere mendacium, & peccatum esse à Deo. Est quidem utrumque à diabolo ad illud homines alliciente, & instigante; sed ab hominibus libero illud consensu operantibus.

Mendacium itaque, & peccatum propriè nostrum est, nullam in eo partem sibi vindicante Deo; sed prohibente, & gravissimis ulciscente suppliciis: natura verò nostra, & quidquid eam necessariò comitatur, aut sequitur, authore Deo, bonum est; vidit enim Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona. Cætera, quæ à libero hominis arbitrio pendent, & quacunque ratione habentur bona, sive in genere morali, sive physico solùm, etiam illa participatio quædam Divinæ bonitatis sunt, Deoque debentur accepta. Solum mendacium est, & peccatum, quod neque totum, neque partim adscribitur Deo; sed totum hominis est, & suadentis diaboli, atque hic quidem canonis Arausicani sensus planus apparet, & obvius: ex quo, ut patet, nihil erui potest, quod damnato faveat articulo, rejicienti inter peccata condemnationi obnoxia omnem liberi arbitrii amorem, seu actionem, quæ non fuerit ex gratiâ.

Præcipuus tamen, &, ut complures magni nominis Authores existimant, unicus Concili scopus fuit, considerare duo actuum humanorum genera, bonorum ad veram justitiam, & salutem conducentium, & bonis istis adversantium malorum. De duobus enim istis, & solis contentio erat Catholicis adversùs Pelagianos hæreticos, & iis oppositos à fide Catholica pariter aberrantes Prædestinatianos. Inter hæc igitur duo operum genera, malum non ad Deum; sed ad hominem pertinere Concilium definit; alterum autem genus Deo potiùs, quàm homini tribuendum. Quid enim istiusmodi boni est, quod non accepimus à Deo, nos ultra naturæ vires, & ordinem elevante?

Verissimum est, quod docet S. Gregorius magnus lib. 33. Moralium cap. 20.: *Bonum, quod agimus, & Dei est, & nostrum: Dei per prævenientem gratiam, nostrum per consequentem liberam voluntatem; si enim Dei non est, unde ei gratias in æternum agimus? Rursum, si nostrum non est: unde nobis retribui præmia speramus? Quia ergo non immeritò gratias agimus, scimus quòd ejus munere prævenimur; & rursum, quia non immeritò retributionem quærimus, scimus quòd subsequente libero arbitrio bona elegimus, quæ ageremus.*

Augustinus de Spiritu, & litera cap. 34.: *Misericordia Dei prævenit nos; consentire autem vocationi Dei, vel ab ea dissentire propriæ voluntatis est.* Quod iterum ibi S. Doctor inculcat.

Idem lib. 1. ad Simplicianum quæst. 2.: *Ut velimus, & suum esse voluit, & nostrum: suum vocando, nostrum sequendo.*

Lib. 1. Retract. cap. 23.: *Utrumque* (credere, & sperare) *nostrum est, propter arbitrium voluntatis; & utrumque tamen datum per spiritum fidei, & charitatis ..... eadem regulâ, & utrumque ipsius est, quia ipse præparat voluntatem; & utrumque nostrum, quia non fit, nisi volentibus nobis.* Aliud non volunt Arausicani Patres, ubique Hipponensis Antistitis sectantes vestigia. Denturne actus

medii

medii vitiofos inter, & falutiferos, ut nulla tunc Catholicos inter, & hæreticos difceptatio fuit, non attinebat ad Concilium examinare.

3 Quæro ex adverfariis, an charitas nullam in nobis fuperare valeat tentationem? Affirmabunt indubiè poffe; imò foli charitati virtutem tribuunt vitandi peccata. Prop. 45.: *Amore Dei in corde Peccatorum non amplius regnante, neceffe eft, ut in eo carnalis regnet cupiditas, omnesque actiones ejus corrumpat.* Et tamen S. Auguftinus ferm. 45. aliàs 12. ex Sirmondianis ait: *Timor hominum fortè corpus poteft ab immunditia temperare, animam autem non nifi timor Dei.* Quemadmodum igitur non patientur Quefnelliani, hinc inferri quidpiam contra charitatem, quafi non poffit ipfa animam ab immunditia temperare; fed refpondebunt, excludi folummodo timorem mundanum, five hominum, ratione fubjectæ materiæ; quia inter duos iftos folùm timores, non autem charitatem, aut aliarum actus virtutum illic ab Auguftino inftituitur comparatio.

Eadem pro nobis valet hìc refponfio, comparationem ab Araufícano Concilio fieri folùm inter actus veræ juftitiæ, five falutiferos, & peccata: hæc fola dicit ad hominem unicè pertinere; illos autem Deo tanquam authori præcipuo tribuendos: ubi evidens fit præcifio ab actibus mediis vitia inter, & opera ad veram fpectantia juftitiam, ac falutem. Similes loquendi modos hominibus paffim familiares effe atque ufitatiffimos, oftendi ad Propofitionem 38. in folutione objectionum circa fententiam Auguftini.

4 Nunc verò Concilii Araufícani authoritas, in ipfos convertenda eft adverfarios. Concilium declarat: Se *fecundùm fidem Catholicam credere, quòd acceptâ per Baptifmum gratiâ, omnes baptizati, Chrifto auxiliante, & cooperante, quæ ad falutem pertinent, poffint, & debeant, fi fideliter laborare voluerint, adimplere; aliquos verò ad malum Divina poteftate prædeftinatos effe, non folùm non credimus; fed etiam fi funt, qui tantum malum credere velint, cum omni deteftatione eis anathema dicimus.* Ubi Sacra Synodus fupponit, & apertè indicat, quòd omnes rationis compotes, qui fanctificantem gratiam in Baptifmo receptam nondum peccatis actualibus perdiderunt, poffint, ac debeant velle fideliter laborare, atque ea, quæ ad falutem pertinent, adimplere; alioqui enim fallax effet Synodi declaratio, & fequeretur, aliquos ad malum Divina poteftate prædeftinatos effe: Defereret juftos illos Deus, antequam ab iis defereretur, neque fidelis effet ejus per Apoftolum denunciata promiffio, quòd faltèm fideles, & juftos non fit paffurus tentari fupra quàm poffint fuftinere. Contingit autem, plurimos omiffione præcepti cadere, & deficere à Juftitia. Edifferat igitur hìc nobis adverfarius, quomodo juftis illis poffibilis fuerit præceptorum obfervatio; quomodo non ceciderint neceffariò, quomodo liberi à neceffitate fuerint, cùm demererentur? Et quidem neceffitas illa propriiffimè antecedens eft in adverfarii fenfu; cùm fit defectu virium neceffariarum, atque fufficientium.

Quòd enim efficaci gratia caruerint, patet ex omiffione præcepti; fufficiens juxta adverfarios non datur: tertium genus gratiæ ab omnibus excluditur Theologis; effet enim fruftraneum, & indignum Dei fapientiâ. Abfque omni autem gratia adeò nihil boni fieri poteft, ut nihil amari valeat, nifi ad peccatum, inquit Quefnellus: *Nihil amari, nifi ad condemnationem.* Ita Propofitio 40. accipiendo nomen gratiæ, juxta fignificationem Authoris, & ideam variis Propofitionibus ab ipfo nobis traditam, ut retuli fuperiori capite, inducit Propofitiones complures tum in Bajo, tum in Janfenio damnatas, clariffimifque Tridentini Concilii, Scripturarum, ac Patrum definitionibus repugnantes.

Denique Araufícanum Concilium non agere de *veritate* mathematica, logica, & fimili naturam folummodo intrà naturales terminos ornante; fed de ea, quæ ad fidem, & religionem pertinet, colligitur ex circumftantiis; cùm ftatim ei jungatur *juftitia*, ad quam hominem difponit, & quòd à Deo non tamquam naturalium bonorum fonte; fed fupernaturalium profluat: iftum fcilicet *debemus fitire in hac eremo, ut ex eo, quafi guttis quibufdam inrorati non deficiamus in via.*

5 Neque favet damnato articulo illud Profperi in Epiftola ad Rufinum cap. 17. de libero arbitrio: *Quod utique cùm folum effet, fibique permiffum, nonnifi in fuam perniciem movebatur.* Ut mens Profperi magis eluceat, verba ejus præcedentia audiantur. *Nimium verò ineptè, nimiumque inconfideratè ab adverfantibus dicitur, quòd per hanc Dei gratiam libero nihil relinquatur arbitrio: quamvis enim in parvulis per Baptifmum tranfeuntibus manifeftiffimè nullum opus, nulluf que appetitus eorum voluntatis exiftat, & plerofque utentes quidem libero arbitrio; fed averfos à vero Deo, vitamque in flagitiis exigentes, regeneratio in ipfo, exhalandi fpiri-*

spiritûs fine sanctificet; tamen, *si eam filiorum Dei partem, quæ ad pietatis opera reservatur, pio consideremus intuitu, nonne in eis non peremptum inveniemus liberum arbitrium, sed renatum? Quod utique &c.* ut supra.

Ex his patet etiam Prospero sermonem esse *de pietatis operibus*, & ei contrariis peccatis, non de actionibus mediis, & bonitatem solùm physicam continentibus; sed neque de moraliter bonis, intrà naturæ ordinem, quæ ad justitiam, ac sanctificantem gratiam minimè disponant. Omne scilicet Sanctorum Patrum studium fuit promovendæ pietatis, justitiæ, salutis, & operum eò quaqua ratione spectantium, ideòque avertendi homines à peccatis saluti, atque justitiæ adversis.

Ex duobus igitur, ut supra de Arausicano Concilio notavi, operum generibus, solùm posterius homines finè gratia amplectuntur: hoc sensu dicitur, quòd *liberum arbitrium, cùm solum esset, sibique permissum, nonnisi in suam perniciem*, non verò *in opera pietatis*, ac beatitudinem *moveretur*. Unde meritò Divinæ gratiæ dignitas, & beneficentia contra ejus obtrectatores defenditur.

A Pelagianis scilicet accusabatur doctrina Ecclesiæ de necessitate gratiæ ad pietatis, & salutis studium requisitæ, quasi liberum indè destrueretur arbitrium: pro doctrina Catholica cum cæteris Sanctis Patribus pugnans hic Augustini discipulus, illo utitur argumento: Quamvis, inquit, in parvulis, quibus Baptismi gratia sanctificans obvenit, *nullum opus* liberum, *nullusque appetitus eorum voluntatis existat*, non tamen per gratiam privantur libero arbitrio, utpote cujus hactenus nullus eis usus fuerat: Et quamvis *plerosque adultorum utentes quidem libero arbitrio; sed aversos à vero Deo, vitamque in flagitiis exigentes, liberatrix regeneratio in ipso exhalandi spiritûs fine sanctificet*, atque ita exercendæ hic imposterum libertatis tempus futurum non sit; non tamen est regenerationis gratia, quæ ipsis tunc libertatem adimat, cùm animas à captivitate, & servitute dæmonis eripiens transferat in feliciorem libertatem filiorum Dei. *Si* verò, inquit Prosper, *eam filiorum Dei partem, quæ ad pietatis opera reservatur, pio consideremus intuitu, nonne in eis non peremptum inveniemus liberum arbitrium; sed renatum?* Sicut enim peccatum mors animæ est, ita & liberi arbitrii.

Peccato igitur per gratiam expulso, uti reviviscit anima, & regeneratur, ita pariter liberum arbitrium vitæ restituitur meliori; nam quisquis peccati vinculo semel constrictus est, non potest ab ea servitute, & morte se voluntatis arbitrio finè gratiæ auxilio liberare, neque peccati extinguere reatum, vel ullatenus imminuere: nihil veræ justitiæ proprium, vel eidem, ac beatitudini viam aperiens operari. Hæc ei liberatio obvenit, & libertas restituitur per gratiam, estque longè melior, ac felicior illâ, quæ absente gratia fuerat; tunc enim *liberum arbitrium cùm solum esset, sibique permissum, nonnisi in suam movebatur perniciem*. Ubi evidens est, non de omnibus omnino vitæ humanæ actionibus decidi, quòd finè gratia perniciem inferant; sed quòd, ubi de operibus ad pietatem, ac salutem, vel ad interitum conducentibus agitur, sola posterioris generis in hominis potestate sint absque gratia.

6 Vibratur in nos illud Augustini serm. 122. de diversis, juxta editionem veterem, juxta novam autem serm. 23. super Psalm. 72. cap. 13.: *Quidquid enim bene amas, amas charitate*; Et ex Epist. 177.: *Sola charitas non peccat*. Quæ cùm charitatem potiùs respiciant, quàm præsentem de gratia quæstionem, remitti possent ad sequentes de charitate quæstiones. Interim tamen permittere nolim, ut sub speciosa charitatis umbra pestilens hæresis nidificet, qua vix alia magis fœta est impietate, & nequitiâ. Utramque Augustini sententiam nobis ingerunt Hexapla, nullo addito explicationis verbo, unde avulsorum textuum obscuritati lucis aliquid accedat, vel apparens mitigetur durities. Volunt itaque adversarii, utramque Hipponensis sententiam in sensu proprio, & obvio quantumvis rigido, intelligi; atque indè sic concludi pro damnato Quesnelli articulo: si, *quidquid bene amas, ames charitate*; si etiam *sola charitas non peccet*, quam constat finè omni gratia esse non posse, evidens est, finè gratia non elici actionem bonam, vel immunem à peccato.

Infringitur argumentum, si in Augustini hic sententia, charitatis nomine non accipias actum virtutis theologicæ, sed latissimâ significatione actum ex fine, seu intentione qualibet honesta, quo modo Patres aliqui subinde loqui visi sunt cum Hipponensium Antistite. Homil. 38. ex quinquaginta, sermone 52. de tempore, & serm. 1. feria 4. post Sexagesimam, ubi *Licita est*, inquit, *humana charitas, qua uxor diligitur, illicita qua meretrix, vel uxor aliena. Licitam ergo charitatem habete, humana est; sed ut dixi, licita est, non solùm autem ita licita est,*

est, ut concedatur; sed ita licita est, ut, si defuerit, reprehendatur. Liceat vobis humana charitate diligere conjuges, diligere filios, diligere amicos vestros, diligere concives vestros &c. Sed videtis, istam charitatem esse posse, & impiorum; idest Paganorum, Judaeorum, Haereticorum.

Et S. Gregorius magnus Homil. 27. in Euangelia: *Sunt nonnulli, qui diligunt proximos; sed per affectionem cognationis, & carnis; quibus tamen in hac dilectione sacra eloquia non contradicunt*. Dilectionem illam, quae est *per affectionem cognationis, & carnis*, non dicent adversarii esse supernaturalem, sive ex gratia. Idem est *de charitate humana*, qua etiam ab *impiis Paganis, Judaeis Haereticis diliguntur conjuges, filii, amici, concives &c.*

Talis charitas quantumvis hic licita praedicetur, non tamen ab adversariis admittitur, veluti procedens ex gratiâ, utpote quorum est famosa Propositio quinta inter 31. ab Alexandro VIII. condemnatas: *Pagani, Judaei, Haeretici, aliique hujus generis nullum omnino accipiunt à Jesu Christo influxum; adeòque hinc rectè inferes, in illis esse voluntatem nudam, & inermem sinè omni gratia sufficienti*. Quam Propositionem Antonius Arnaldus Quesnelli Doctor domesticus contra inflictum à Pontifice anathema audacissimè defendit. In *Difficultatibus propositis Domino Steyaert*, parte 9. pag. 219., & sequentibus. *Obtestor*, inquit, *omnes ratione utentes, ut considerent, quomodo fieri posset, ut aliquis Propositionis illius quintae censuram componeret cum hoc S. Augustini axiomate, quo ad defendendam Ecclesiam adversus Pelagianam haeresim utitur: GRATIA NON DATUR SECUNDUM MERITA*.

Et pag. 222.: *An igitur oportet nuntium remittere omnibus gratiae adversùs Pelagianos, & Semipelagianos defensoribus; quia hi conciliari nequeunt cum quodam Inquisitionis decreto tot aliunde vitiis laborante?*

Nos verò opus minimè censemus singulari rationis acumine, ut axioma istud concilietur cum censurâ Pontificiâ, quam Arnaldus solitâ fallendi arte mavult adscribere solis Sacrae Inquisitionis administris: quid enim connexionis verae, vel apparentis habet damnata illic propositio cum relato Patrum axiomate? Omnes Catholici agnoscunt, Gratiam *non secundùm merita dari*, & quidem nullis minùs secundùm merita datur, quàm *Paganis, Judaeis, Haereticis, aliisque hujus generis*, utpote quos constet, omni prorsus supra naturae ordinem merito destitutos esse, & demeritis plenos. Concessio igitur sufficientis gratiae in istiusmodi infidelibus minus periculi habet, nè credatur esse propter merita, quàm quae est in fidelibus, ac justis.

Redeamus ad oppositam nobis ab adversariis charitatem. Non patiuntur, eam intelligi in lata adeò significatione, ut humanam etiam, & viribus naturae elicitam complectatur, qualem ipsi nullam à vitio absolvunt. Sed charitatem à se ex Augustino allegatam volunt accipi in sensu magis restricto pro actu virtutis supernaturalis, qui sinè gratia esse non potest. Tunc sensus erit: *Quidquid bene amas*, sive prout oportet, *amas charitate*, seu amore supernaturali: *Sola charitas* istiusmodi *non peccat*. Haud refragabor, modò pariter admiseris Augustinum, ut diu Rhetoricam artem publicè professus est, atque indè figuras Rhetorices in promptu habuit; in posteriore sententia adhibuisse Synechdochen, qua contentum pro continente accipitur, charitas pro eo, qui charitate praeditus est, quam interpretationem ipse S. Doctor suppeditat, cùm tract. 9. in Epist. Joannis ait: *Dicitur proficere in te charitas, quia tu in ea proficis*.

In priore sententia *bene amare* significat amare sicut oportet ad justitiam, & salutem. Verum enim est ad talem amorem, ad talia opera requiri supernaturalis gratiae auxilium. Juxta posterioris sententiae Synechdochen, solus charitatem habens non peccat; peccato scilicet gravi, à quo solo peccatoris in significatione obvia desumitur nominatio. Solus autem charitatem habens non peccat, itaut simul charitatem retineat. Atque haec est charitatis prae caeteris omnibus virtutibus, etiam theologicis, excellentia, quòd nullum in eodem homine peccatum mortiferum patiatur: hoc sensu vera est Augustini assertio: *Sola charitas non peccat*. Potest quis largiri eleemosynam pauperi, honorare parentes, administrare justitiam, credere in Deum, sperare etiam beatitudinem, & ex infirmitate labi in delictum, quo Divinâ excidat amicitiâ; at Deum amare super omnia, quod charitati proprium est, non potest, & simul amicitiae ejus nuntium peccando remittere.

7 Ad similem locutionis Augustinianae interpretationem nulli magis obstringuntur, quàm qui nobis ista objiciunt adversarii. Qui enim discipulorum S. Augustini nomine prae caeteris gloriantur, atque illud sibi velut antonomasticè proprium tribuunt, quomodo aliàs sanctissimum Doctorem ab erroribus, suorumque subversione

ne sensuum vindicabunt? Romanos idololatras fuisse expertes charitatis; prout hæc virtus theologica est, omnes fatentur nobiscum adversarii: atque hi potissimùm agnoscere debent, quibus *prima gratia est fides*, qua Romanos illos caruisse nemo negaverit. Et tamen, Augustino Judice, aliqua *bene amarunt*, quantum sufficit ad non peccandum, imò ad promerendum à Deo præmium temporale, ut dicitur lib. 5. de Ciuit. cap. 12.: *Romani justitiâ, & actibus strenuis promeruerunt à Deo Imperium*. Non tamen bene amarunt bonitate, quæ ad salutarem justitiam, & beatitudinem promovere eos posset.

Epist. 5. ad Marcellinum: *Rempublicam primi Romani constituerunt, auxeruntque virtutibus: etsi non habentes veram pietatem erga Deum verum, quæ etiam illos in æternam Civitatem posset salubri religione* (& charitate) *perducere*. Perspicuum igitur est, Romanos illos quantumvis impios, & verâ destitutos uti religione, ita & charitate, non omnibus tamen juxta Augustinum deliquisse actibus, atque amasse aliqua non ad suam condemnationem: sed vel in Supremi Numinis tribunali laude, & præmio digna, etsi non beatitudine.

Amor, quo ab impudicitia conversus Polemo castitatem prosequitur, estne amor ad veram pertinens charitatem? Negant omnes Theologi, atque in primis adversarii, quia constat, charitatem propriè dictam finè vera fide esse non posse, quæ Polemoni, etiam casto, & castitatem amanti defuit. *Si* enim inquit Augustinus epist. 130. *ex luxurioso continens factus, ita sciret, cujus esset hoc donum, & Deum abjectis gentium superstitionibus, piè coleret, non solùm continent, sed etiam veraciter sapiens, & salubriter religiosus existeret: quod ei non tantùm ad præsentis vitæ honestatem; verùm etiam ad futuram immortalitatem serviret*.

Hic itaque continentiæ amor in Polemone *Donum* Dei fuit, adeòque innocuus; Deo enim iniquitas, velut ab eo donata, non adscribitur absque blasphemia; uti & blasphemia est, asserere, quòd in Romanis ea fuerint peccata, quæ amplitudine Imperii Deus velut præmio remuneratus est. In his tamen omnibus nè mica quidem veræ charitatis, quæ virtus theologica sit, reperietur. Manifestum itaque est, in Augustini sententia posse esse opera innoxia; imò apud Deum laude, & præmio digna, finè charitate.

8 Cæcitate quoque mirabili adversarios impediri diceres, nè percipiant, quot damnatis olim opinionibus Augustinum jubeant patrocinari, nisi aliunde patesceret eos, non damnationis ignorantia laborare; sed contemptu, & temeritate, dum quascunque Constitutiones Apostolicas suis erroribus infestas impugnare palàm audent, proterere, & dilacerare? Quæ quidem Schismaticorum, atque Hæreticorum indoles est, contra quos proinde superiorum Pontificum authoritatem, ac definitiones frustrà producimus, quas ab iis floccifieri nimis exploratum est. Non tamen illæ nobis prætereundæ sunt silentio, ut novorum dogmatum horror incutiatur, saltèm Fidelibus, quibus aliqua salutis cura est, & Sanctionum Apostolicarum reverentia.

Inter proscriptas à Pio V. Sanctissimo Pontifice, & eruditissimo Aquinatis Discipulo Propositio hæc conspicitur 16. *Non est vera legis obedientia; quæ fit finè charitate*. 38. *Omnis amor creaturæ rationalis, aut vitiosa est cupiditas, qua Mundus diligitur, quæ à Joanne prohibetur; aut laudabilis illa charitas, qua per Spiritum Sanctum in corde diffusâ Deus amatur*. 27. *Omnia opera infidelium sunt peccata, & virtutes Philosophorum sunt vitia*. 40. *In omnibus suis actibus Peccator servit dominanti cupiditati*. 35. *Omne, quod agit Peccator, vel servus peccati, peccatum est*. Quomodo autem possit esse vera legis obedientia finè charitate, si finè hac *nihil amare possumus, nisi ad nostram condemnationem*, ut ex Augustini sententia elicere gestiunt adversarii? Juxta eundem ipsorum sensum inter laudabilem charitatem, & vitiosam cupiditatem, seu peccatum, non dabitur actus medius. Nihil quoque apparet evidentius, quàm omnia infidelium opera esse peccata, & virtutes Philosophorum esse vitia, si omnia, quæ charitas non operatur, vitiis accensenda sint.

In eadem hypothesi necesse est, omnia, quæ agit Peccator ante pœnitentiam, esse peccata; imò ad pœnitentiam disponere se numquam poterit, nisi priùs Deus infuderit charitatem. Damnatus etiam ab Alexandro VIII. inter 31. articulos fuit hìc quintus, quem superiùs retuli: *Pagani, Judæi, Hæretici, aliique hujus generis, nullum accipiunt à JESU Christo influxum; adeòque hinc rectè inferes, in illis esse voluntatem nudam, & inermem finè omni gratia sufficienti*. Si nempe, quemadmodum prætendit objectio, gratia cum charitate confunditur, & quidquid non fit ex charitate, ex gratia fieri minimè valeat, imò peccatum sit; patet, Judæos, Paganos, Hæreticos, aliosque id generis,

neris, quos constat charitate vacuos esse, expertes quoque haberi omnis gratiæ, nullumque accipere à Jesu Christo influxum; sed *voluntatem in illis esse nudam, & inermem, sinè omni gratia sufficienti.*

Ibid. proscriptus legitur articulus VII.: *Omnis humana actio deliberata est Dei dilectio, vel Mundi; si Dei, charitas Patris est; si Mundi, concupiscentia carnis, hoc est mala est.*

VIII. *Necesse est, infidelem in omni opere peccare.*

IX. *Revera peccat, qui odio habet peccatum ob ejus turpitudinem, & disconvenientiam cùm natura, sinè ullo ad Deum offensum respectu.*

X. *Intentio, quâ quis detestatur malum, & prosequitur bonum merè, ut cœlestem obtineat gloriam, non est recta, nec Deo placens.*

XI. *Omne, quod non est ex fide Christianâ supernaturali, quæ per dilectionem operatur, peccatum est.*

Hos omnes articulos congruere sensui objicientium nobis utramque Augustini sententiam, nè ipsi quidem negare volent, & omnibus palàm est.

Duodecimus illic articulus est: *Quando in magnis Peccatoribus deficit omnis amor, deficit etiam fides, & etiamsi videantur credere, non est fides Divina; sed humana.* Quomodo, omni deficiente amore, esset fides Divina? Hæc necessariò est ex gratia, non potest autem ex gratia esse quidquam damnabile, quale juxta adversarios est quidquid volumus, quidquid agimus sinè gratia.

XIII. *Quisquis etiam æternæ mercedis intuitu Deo famulatur, charitate si caruerit, vitio non caret, quoties intuitu licèt beatitudinis operatur.*

XIV. *Timor gehennæ non est supernaturalis.*

XV. *Attritio, quæ gehennæ, & pœnarum metu concipitur, sinè dilectione benevolentiæ Dei propter se, non est bonus motus, ac supernaturalis.* Prætermitto Propositiones alias neque numero pauciores, neque malitiâ minùs detestabiles damnatas à CLEMENTE XI., scilicet post quadragesimam omnes usque ad sexagesimam octavam.

9 Ne verò cuiquam dubium incidat, an adversarii, dum ad præsentis articuli confirmationem adferunt geminas ex Augustino de charitate sententias, forsitan charitatis nomine aliud intelligant, quàm actum tertiæ virtutis theologicæ, qui communi usu, & consuetudine significatur, ipsi expressionibus clarissimis se aperiunt, asserentes, omnia esse peccata, præter amorem Dei, & quæ ex amore illo velut unico humanorum actuum fonte innoxio dimanaverint, ut enuntiat articulus 44. *Non sunt nisi duo amores, unde volitiones, & actiones omnes nostra nascuntur; amor Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur, & amor, quo nos ipsos, ac Mundum diligimus, qui quod ad Deum referendum est, non refert, & propter hoc ipsum fit malus.* 45. *Amore Dei in corde Peccatorum non ampliùs regnante, necesse est, ut in eo carnalis regnet cupiditas, omnesque ejus actiones corrumpat.* Plures illic ejusdem sensûs articulos quivis legere potest, atque indè perspicere, me verba adversarii non odiosiùs interpretatum, neque ex illis consectarium ullum, nisi ratione legitimâ, facili, & cuivis obviâ deduxisse.

Quadragesimaprima Propositio damnata.

Omnis cognitio Dei etiam naturalis, etiam in Philosophis ethnicis, non potest venire, nisi à Deo: & sinè gratia non producit, nisi præsumptionem, vanitatem, & oppositionem ad ipsum Deum, loco affectuum adorationis, gratitudinis, & amoris. *Observat. Moral. Rom.* 1. *v.* 19.

CAPUT I.

Aperitur error, & confutatur.

1 O*Mnem cognitionem Dei, etiam naturalem, etiam in Philosophis ethnicis, non posse venire, nisi à Deo,* libenter agnoscimus. Neque Propositio propter hanc partem configi potuit, vel accusari. Nec tamen frustrà pars ea innocua cum posteriore damnabili exprimitur; sed ut posterioris sensus, & malitia ampliùs elucescat. Si enim cognitio illa nonnisi Deum habere valeat Authorem, non potest

esse, nisi bona; *Vidit enim Deus cuncta, quæ fecit, & erant valde bona*. Genes. 2. Credimus quoque Christo Servatori dicenti Lucæ 6. vers. 43. *Non est enim arbor bona, quæ facit fructus malos, neque arbor mala faciens fructum bonum*.

Citat Quesnellus epistolam Pauli ad Romanos cap. 1. vers. 19. ut locutionis suæ tam incongruæ appareat fundamentum. Dicit illic Apostolus de Infidelibus, qui veritatem Dei in injustitia detinent, *quod notum est Dei, manifestum est in illis; Deus enim illis manifestavit*. Hic quidem, Aquinate interprete, video, quòd Deus Gentilibus se revelaverit, *vel interiùs infundendo lumen, vel exteriùs proponendo visibiles creaturas, in quibus sicut in quodam libro, Dei cognitio legeretur*. Dein justissima ab Apostolo contra eos vibratur sententia, quòd *sint inexcusabiles; quia, cùm cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt; sed evanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum*.

In quod iterum S. Thomas: *Cognoverunt eum sicut omnium bonorum causam; unde ei in omnibus gratiarum actio debebatur, quam tamen ipsi non impendebant; sed potiùs suo ingenio, & virtuti suæ sua bona adscribebant.... in cogitationibus suis evanuerunt, in quantum in se ipsis, & non in Deo fiduciam habebant, sibi, & non Deo bona sua adscribentes*. Ubi quidem eos Dei donis abusos conspicimus, & quæ ad gratitudinem eos excitare debuissent, eorum malitiâ in superbiæ materiam fuisse conversa: sed non ideo Dei cognitio, quæ bona, & à Deo data fuit, hanc in eis, si propriè, & dignè de Dei donis loqui voluerimus, *produxit* impietatem, & superbiam; sive, ut Quesnellus ait, *præsumptionem, vanitatem, & oppositionem ad ipsum Deum*.

Minùs verò tolerabile est, quòd dicitur, *cognitionem Dei, sinè gratiâ, non producere, nisi præsumptionem*, &c. Quidni enim illa cognitio causa fuerit, cur aliqui, etiam Infideles, plura de Deo non infideliter scripserint, quædam monita ad honestatem vitæ, & Dei cultum conducentia dederint; nonnulla etiam operati sint, quæ non vituperationem mereantur; sed laudem? Sic Marcus Tullius in Somnio Scipionis hortatur ad conservandam, juvandam patriam, tutandam, ac bene administrandam Rempublicam, motivo placendi Deo: *Nihil est enim*, inquit, *illi Principi Deo, qui omnem hunc Mundum regit, quod quidem in terris fiat acceptius, quàm concilia, cœtusque jure sociari, & gubernari*. Hæc Marcum Tullium supernaturali gratiâ instructum scripsisse minimè statuet Quesnellus, apud quem *prima gratia est fides*.

2 Absonum magìs in damnato errore est, quòd eandem calumniam præsumptionis, vanitatis, oppositionis ad ipsum Deum, inferat omnibus actibus, qui ex cognitione Dei oriuntur, etiam in ipsis fidelibus, & justis; si absque supernaturali gratiæ auxilio proveniant. Non enim ad solos Philosophos ethnicos limitatur Quesnelli assertio; neque ad solam Dei cognitionem naturalem; sed ad omnem prorsus, & ad quoscunque homines extenditur; vocabulo *etiam* non restrictionem significante; sed ampliationem; ut sensus sit, *omnis Dei cognitio*, omnis de Deo cogitatio, sive naturalis fuerit, sive naturæ ordine superior, *non potest venire, nisi à Deo, & sinè gratia non producit, nisi præsumptionem, vanitatem, & oppositionem ad ipsum Deum, loco affectuum adorationis, gratitudinis, & amoris*.

Exotica etiam ex hac parte videtur assertio, quòd, postquam declaravit Author, se *de omni Dei cognitione* agere, cujuscunque generis, aut ordinis fuerit, sive intrà, sive extra naturæ limites, affirmet, quod *sinè gratia non producat, nisi præsumptionem*, &c. Potestne *omnis cognitio Dei*, etiam supernaturalis esse *sinè gratia*?

Præscindamus à quæstione Scholastica, sive de re sit, sive magis de nomine, an habitus acquisitus, quem frequentes actus ex gratia concepti progenuerant, supernaturalis dicendus sit, an naturalis: neque disputemus, quo nomine appellanda sit ex tali habitu orta cognitio: sufficit nobis sensus Authoris, & obvia Propositionis significatio, quòd *omnis cognitio Dei*, sive naturalis, sive supernaturalis fuerit, *sinè gratia*, ad actus alios excitante, *non producat, nisi præsumptionem*, &c. Quid autem horribilius, quàm quòd omnes, etiam Christiani, Catholici, & doctrinæ per omnia sanæ Doctores, qui ex frequentibus de Deo cogitationibus partim gratiâ, partim studio elicitis, habitus nacti sunt de Deo, ejusque perfectionibus facilè disserendi, peccent, quoties de Deo sinè gratiâ loquuntur, aut scribunt, quodque ipsa Dei cognitio, quantumvis bona, aut sancta, istorum omnium, & minimè levium causa peccatorum sit?

3 Quæres, an dogmatis damnati Author inter *omnes cognitiones Dei* comprehendat etiam fidem? Ut sonat generalis enuntiatio, eam excludere non potest. Cùm tamen non afferat simpliciter, & absolu-

solutè, quod *omnis cognitio Dei producat præsumptionem, vanitatem, & oppositionem ad ipsum Deum*; neque quòd *producat* quidpiam *sinè gratia*; sed tantùm, quòd *sinè gratia non producat, nisi præsumptionem*, &c., propositio æquivalet huic hypotheticæ, omnis *cognitio Dei*, *si*, vel quando *sinè gratia producit aliquid*, *istud non est aliud*, *quàm præsumptio*, &c. Ratio non intelligendi aliter Propositionem, est non solus illic enuntiandi modus; sed etiam Propositio 51. *Fides justificat*, *quando operatur*; *sed ipsa non operatur*, *nisi per charitatem*: non posse autem charitatem esse sinè gratia, satis constat; unde, si fides non operetur, nisi per charitatem, evidens est, fidem sinè gratia nihil producere.

Quamvis autem à sana Theologia alienum sit, quod Propositione 51. de fide contra omnes Scholasticos affirmatur, ut loco proprio ostendemus; nolim tamen præsentis articuli atrocitatem ampliùs, quàm verba postulent, exaggerare. Sufficit illi malesana sua perversitas, qua non solos Philosophos ethnicos; sed Theologos quoque omnes Christianos, Catholicos, pios, & religiosos, quoties ex cognitione Dei, de eo loquuntur, aut scribunt, *sinè gratia*, *præsumptionis* arguit, *vanitatis*, & *oppositionis ad ipsum Deum*; &, si non peccatorum simul omnium, semper tamen necessariò aliquorum.

Profectò si ea sit mortalium omnium de Deo sinè gratia cogitantium, loquentium, scribentium conditio, quis non tutiùs sibi ducet, ab omni de Deo lectione, sermone, scriptione, imò cogitatione abstinere, nisi quando Deus illam nobis sinè nobis infundere voluerit, atque ad lectionem, sermonem, scriptionem, singulari pietatis stimulo se homo senserit excitari? Quisquis Theologus, seu Magister, seu Discipulus scholasticis, ac difficillimis de Deo quæstionibus incumbit, si, absente gratia, semper in præsumptionem incidat, vanitatem, oppositionem ad ipsum Deum, melius sibi statuet imposterum omnem de Deo cogitationem, omne de Theologicis studium dimittere. Ita, communes in Scholis dissertationes, inter quas intellectus speculationum difficultatibus absque pietatis dulcedine passim distrahitur, notam præsumptionis non effugiunt.

4 Tam Magistri itaque passim, quàm Discipuli à scholis, & studio Theologiæ, cæteri quoque mortalium à lectionibus, concionibus, & quibuscunque de Deo colloquiis, vel etiam cogitationibus averten-

tur; paucos saltèm si exceperis electos, quos singularis Dei benevolentia continuis pietatis motibus destinat inflammandos.

Si tot infamium Authores libellorum, qui contra Bullam UNIGENITUS quotidie prodeunt, *nonnisi præsumptionem*, *vanitatem*, expectiantur, cum de Deo, & ejus gratia sinè gratia scribunt, hos detestabiles suæ pervicaciæ tribuere debent fructus; non Dei, Divinorumque cognitioni, quam Dei munere acceperunt.

5 Error hic surculus quidem est articuli inter Bajanos 27. *Liberum arbitrium*, *sinè gratiæ Dei adjutorio*, *nonnisi ad peccandum valet*, quàm, spretâ trium Summorum Pontificum censurâ, mordicus sustinere in multis Propositionibus ausus est *Observationum Moralium* Author, atque nunc magis execrabili temeritate contra CLEMENTIS XI. Constitutionem defendere non veretur. Plures alii in Bajo damnati articuli connexionem cum præsenti Quesnelliano necessariam habent, saltèm exceptis quibusdam verborum aculeis, quibus Adversarios suos Bajus pungit atrociùs, ut cum Propositione XXVIII. ait: *Pelagianus est error dicere, quòd liberum arbitrium valet ad ullum peccatum vitandum*.

XXXVI *Amor naturalis, qui ex viribus naturæ exoritur ex sola Philosophia, per relationem præsumptionis humanæ, cum injuria crucis Christi defenditur à nonnullis Doctoribus*.

XXXVII. *Cum Pelagio sentit, qui boni aliquid naturalis, hoc est, quod ex naturæ solis viribus ortum ducit, agnoscit*.

LXV. *Nonnisi Pelagiano errore admitti potest aliquis usus liberi arbitrii bonus, sive non malus* (sinè gratia) *& gratiæ Christi injuriam facit qui ita sentit, & docet*.

Præterea XXII. XXIX. XXX. Juxta Quesnellum quicunque usum aliquem liberi arbitrii, & cognitionis etiam Dei, & ab ipso Deo inspiratæ defendunt, quoties nempe ad usum illum non concurrerit supernaturalis gratiæ auxilium, nihil defendunt, *nisi præsumptionem*, *vanitatem*, *& oppositionem ad ipsum Deum*.

6 Cùm autem Quesnellus nullam gratiam admittat in Infidelibus, nullam in peccatoribus, qui non convertuntur, quid faciet Obstetricibus Ægyptiis à sacra Scriptura laudatis, quod ex timore Dei infantes Hebræorum exitio studiosè subduxerint? Evidens est, quòd cognitio Dei in Obstetricibus illis, sub peccato infidelitatis manentibus, aliud produxerit, quàm præsumptio-

nem, vanitatem, & oppositionem ad ipsum Deum: hæc enim vitia neque Scriptura laudaret, neque Deus remuneraretur præmio naturalis ordinis; nempe ædificatione domorum Exodi cap. I. *Quia timuerunt Obstetrices Deum, ædificavit eis domos*. Quem quidem timorem dicent alii, fuisse ex gratia; sed hæc locum non habet in damnato Quesnelli systemate, nullam Infidelibus, Paganis, Judæis, Hæreticis, nullam peccatoribus in peccato manentibus gratiam concedente.

Ad sapientum, imò mortalium omnium judicium provoco, ut de hoc exemplo pro merito statuant: hominem, ut supra, exhibeo probè Catholicum, de Deo cogitantem, de sapientia ejus infinita, de providentia omnia gubernante, de beneficentia erga homines, de justitia bonis præmia largiente, malis infligente supplicia nunquam terminanda; quæ ex scientiæ habitu tum fide, tum studiis comparato cogitat, absque ullo novo supra naturæ ordinem concurrente gratiæ auxilio.

Dispiciat modò quilibet rationis compos, cur talis innocua; imò utilis ad impediendas tentationes, & suggestiones plurimas impias, cogitatio *producere* debeat crimina, quibus à damnato articulo maculatur? Quæ proportio causæ adeò bonæ ad effectus pessimos? Attendat quoque Lector, quod superiùs indicavi, eandem ab hoc articulo calumniam inferri cognitionibus, etiam supernaturalibus, & ex gratia progenitis; nempe quòd sinè gratia excitante, & concurrente ad aliquod virtutis exercitium, *non producant, nisi præsumptionem, vanitatem, & oppositionem ad ipsum Deum*. De eo scilicet, quod sive ex habitu scientiæ, sive ex gratia, de Deo mente concepimus, non possumus absque novo gratiæ auxilio verbum ore proloqui, vel mandare scripto, nisi hoc ipso statim invadat nos *præsumptio, vanitas, oppositio ad ipsum Deum*.

7 Denique plurimùm crescere necesse est Propositionis horrorem, ubi perpenderis, quid nomine gratiæ novus Theologus intelligat; non enim instinctus ullus ad Dei, suppliciorumque perennium timorem, sinè charitate excitans, gratiæ nomine juxta Quesnellum dignus est; sed inter bestiarum sordes abjicitur. Sic Propositione 66.: *Qui vult*, inquit, *Deo appropinquare, nec debet ad ipsum venire cum brutalibus passionibus, neque adduci per instinctum naturalem, aut per timorem, sicut bestiæ; sed per fidem, & per amorem sicut filii*. Imò timor ille, & quiscunque ad eum motus necessariò sceleratus, & impius est, juxta Propositionem 67. *Timor*, enim, *servilis non sibi repræsentat Deum, nisi ut Dominum durum, imperiosum, injustum, intractabilem*. Quapropter Proposit. 62. *Qui à malo non abstinet, nisi timore pœnæ, illud committit in corde suo*

Prop. 60. *Si solus supplicii timor animat pœnitentiam, quò hæc est magis violenta, eò magis ducit ad desperationem*.

Fallimur quoque, si putamus, gratiæ nomine à Quesnello comprehendi excitationes ullas, aut motus ad castitatem, ad temperantiam, misericordiam, & quascunque appellamus virtutes morales, aut consilia Evangelica, sinè amoris Dei super omnia motivo. Sinè hoc apud Quesnellum adeò non merentur cœlestis gratiæ appellationem, ut damnabilis potius cupiditatis illecebræ sint. Nam adæquata, juxta ipsum humanorum actuum divisio est, quod charitas necessariò sint, aut cupiditas. Sic Propositio 46. *Cupiditas, aut charitas, usum sensuum bonum, vel malum faciunt*. Prop. 44. *Non sunt, nisi duo amores, unde volitiones, & actiones omnes nostræ nascuntur: amor Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur; & amor, quo nos ipsos, ac Mundum diligimus, qui, quod ad Deum referendum est, non refert, & propter hoc ipsum fit malus*.

8 Hinc satis perspicimus, nullam à Quesnello, etiam ad fidem, & spem, nisi ex charitate elicitam, agnosci vocationem sanctam, nullum auxilium gratiæ; utramque enim, quam virtutem theologicam omnes Catholici nuncupamus, ille inter vitia recenset, tum Propositionibus iam citatis, tum hac 45. *Amore Dei in corde Peccatorum non amplius regnante, necesse est, ut in eo carnalis regnet cupiditas, omnesque actiones ejus corrumpat*. Prop. 47. *Obedientia legis profluere debet ex fonte, & hic fons est charitas: quando Dei amor est illius principium interius, & Dei gloria ejus finis; tunc purum est, quod apparet exterius; alioquin non est, nisi hypocrisis, aut falsa justitia*.

Qualis itaque esset gratia, ubi charitas non regnat? Ut sinè charitate nihil est nisi cupiditas, qua actio quælibet corrumpitur; quiscunque motus, quæcumque excitatio animum ad alios actus, quàm charitatis impulerit, non potest esse auxilium gratiæ; sed est necessariò incentivum *cupiditatis, falsæ justitiæ*, atque *hypocrisis*. Prop. 49. *Ut nullum peccatum est, sinè amore nostri, ita nullum est opus bonum sinè amore Dei*: quomodo igitur posset esse gratia ad ullum opus, præterquam charitatis, aut ab ea impe-

imperatum; si nullum est opus bonum, sinè amore Dei? Prop. 57. *Totum deest Peccatori, quando ei deest spes: & non est spes in Deo, ubi non est amor Dei*; nempe benevolus, qui propriè charitas appellatur, ut habet Propositio 58. *Nec Deus est, nec religio, ubi non est charitas*. Si nihil in Peccatore sit absque spe, neque hæc esse possit sinè charitate; frustranea sinè ea erit omnis gratia; &, ut parum, vel nihil utilis omnis actus est, qui neque ad religionem ulla ratione pertinet, neque ad Deum, ad quid boni posset gratia sinè charitate conducere?

9 Sensus itaque Authoris est, quòd *omnis cognitio Dei non possit venire, nisi à Deo,* quodque *sinè charitatis gratia* (qua vel charitas ipsa elicitur, vel actus ab ea imperatus) *non producat, nisi præsumptionem, vanitatem, & oppositionem ad ipsum Deum*. Alia enim gratia, juxta Quesnellum neque datur, neque dari potest; cùm omnis alius actus huic Theologo *malus* sit; ad malum autem dari gratiam non posse, in omnium sententia manifestum est, neque ab ullo rationis compote vocari potest in dubium: aliàs Deus naturâ perfectissimus statueretur author peccati.

Si autem *omnis cognitio Dei sinè gratia* charitatis, & quidem re ipsa charitatem efficiente, vel actum à charitate imperatum (Nam gratia sufficiens præter efficacem, juxta Quesnellum in hoc statu nulla est) si, inquam, *omnis cognitio Dei, sinè* tali *gratia non producat, nisi præsumptionem, vanitatem, & oppositionem ad ipsum Deum*, evidens est, *omnem Dei cognitionem* in infidelibus, charitatis, & conversionis efficacem gratiam non habentibus, aliud non producere, quàm præsumptionem &c. Cùm verò, etiam fatente Quesnello, *Omnis* ea *cognitio non possit venire, nisi à Deo*; quomodo Deum hic Theologus vindicabit à crimine, cujus ipsum statuit in hominibus authorem; infundentem scilicet sui cognitionem sinè gratia, atque adeò principium peccati efficax, & necessarium?

Porrò si cognitio Dei bona, & quæ non nisi à Deo est, effectum pariat tam perversum in Philosophis Ethnicis, qualem producent in ipsis cognitiones cæteræ, & longè inferiores? Non poterit sic evitari Propositio Baji 25. *Omnia opera infidelium sunt peccata, & Philosophorum virtutes sunt vitia*, quam proscripsêre pridem tres Summi Pontifices. Neque declinabit Quesnellus censuram recentiùs ab Alexandro VIII. latam adversùs octavum hunc articulum inter 31.: *Necesse est infidelem in omni opere peccare.*

Sed quænam vel in ipsis fidelibus cognitio, vel cogitatio peccatum non pariet sinè memorata gratia charitatis? Ipsa fides, quantumvis sancta Dei cognitio, si ad spem excitet sinè tali gratia, non efficiet *nisi præsumptionem, vanitatem, oppositionem ad ipsum Deum*.

Quis denique virtutis actus, solam si exceperis charitatem, à vitio liberabitur? Omnis enim virtutis actus à cognitione oritur, & quidem, si actus religionis, aut virtutis theologicæ sit, profluit à cognitione Dei; si autem omnis cognitio Dei sinè illa gratiâ nihil suggerat, nihil instillet, nisi peccatum, quid melioris fructûs proferent cognitiones creaturarum? Plura sunt consectaria virulenta, quæ ex præsenti articulo, si non solùm in sensu obvio, sed & authoris accipiatur, manifestè profluunt. Sed eorum iniquitatem minimè aversantur novi Ecclesiæ, & fidei Catholicæ reformatores.

Supersedeo hic cumulandis argumentis theologicis, quæ pro operibus intrà naturæ ordinem bonis doctissimè traduntur à Scholasticis, apud quos passim obvia conspici possunt; nominatim apud Cardinalem de Aguirre Theologiæ S. Anselmi totâ disputatione 118., ubi sectionis primæ titulus est: *Posse naturam hominis lapsam simpliciter, & expeditè agere unum vel aliud bonum opus ex facilioribus in genere moris, & sterile ad salutem, cum Divino adjutorio quidem; verùm absque speciali auxilio, sive gratia per Christum. Probationes ex Conciliis, ac Patribus*. Sectionis 2. titulus: *Eadem doctrina luculenter demonstratur ex apertissimis testimoniis S. Augustini, cujus authoritate potissimùm abutuntur Adversarii*. Verùm instituto meo sufficit Constitutionis defensio, & damnatarum impugnatio Propositionum, intactis Catholicorum inter se dissidentium opinionibus.

CAPUT II.

Convelluntur adversantium argumenta desumpta ex Scripturis Sacris.

1 DE cognitione Dei, quæ fuit in Philosophis Ethnicis ita testatur Apostolus Epist. ad Romanos cap. 1. vers. 19., & sequentibus: *Quod notum est Dei, manifestum est in illis, Deus enim illis manifestavit. Invisibilia enim ipsius à creatura Mundi per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur. Sempiterna quoque ejus virtus, & Divinitas; ita ut sint inexcusabiles;*

quia

quia cùm cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt; sed evanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum: dicentes enim, se esse sapientes, stulti facti sunt, & mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & serpentium.

Habemus quidem hic Philosophos abutentes cognitione, quam de Deo ex creaturis hauserant concurrente cœlesti lumine, quod in ipsis impietatis tenebris à Patre luminum, ejusque clementissimo filio, illuminante omnem hominem, non omnino subtrahitur. Sed in universa Pauli sententia nihil video, quod superbiam Philosophorum, & vanitatem imputet cognitioni Dei divinitùs acceptæ, tamquam fonti, & origini vitiorum; multo minùs asseritur ab Apostolo, cognitionem illam sinè gratia nihil præter crimina producere.

Audiatur Angelicus interpres, qui in verba immediatè præcedentia, *QUI VERITATEM DEI IN INJUSTITIA DETINENT*, ait: *Vera Dei cognitio, quantum est de se, inducit homines ad bonum; sed ligatur quasi captivitate detenta per injustitiæ affectum*, & hominum perversitatem. Audis Quesnelle? *Vera Dei cognitio*, & quidem, *quantum est de se, inducit homines ad bonum*. Non igitur *omnis Dei cognitio, quantum est de se*, & præscindendo à gratia, inducit homines ad peccata, sive ut absurdissima tua statuit interpretatio, *Sinè gratia non producit, nisi præsumptionem, vanitatem, & oppositionem ad ipsum Deum*. Pergit Angelicus in sequentibus, Ethnicorum illorum crimina tribuere, non cognitioni Dei sinè gratia, sed malesanæ eorum voluntati, cognitionem Dei minimè volentium, sivè, ut Apostolus loquitur, *non probantium*, quo peccarent liberiùs.

Vers. 28.: *Et sicut non probaverunt Deum habere in notitia, tradidit illos Deus in reprobum sensum, ut faciant ea, quæ non conveniunt*. In quod ita S. Thomas: *Quamvis lumine rationis, & per creaturas visibiles veram Dei cognitionem habere potuerunt; tamen, ut liberiùs possent peccare, non probaverunt, idest non approbaverunt, ut ipsi haberent Deum in sui notitia*. Jobi 22.: *Dixerunt Deo, recede à nobis, scientiam viarum tuarum nolumus*. Non igitur ipsa Dei cognitio tot in eis patravit flagitia; sed nè ab illis, horrorem incutiendo, averteret, voluntariè ab impiis ipsa Dei cognitio repulsa, & quasi suffocata est.

2 Pulcherrimus hic occurrit locus Chrysostomi Homilia 3. in Epistolam ad Romanos. Sic Apostolum alloquitur: „ Tu „ porrò mihi adstruito, probato, ac declarato, quòd cognitio de Deo illis manifesta fuerit, & quòd sponte sua illam prætermiserint...... Quid enim eo die dicent gentiles? Te ignoravimus? Itane verò non exaudistis cœlum, vocem ab aspectu emittens? Non exaudistis compositam rerum omnium harmoniam tubâ illustrius clamantem?...... *ut sint inexcusabiles*: quamquam non hoc nomine fecit Deus, etsi hoc usuvenit; non enim ut ipsos defensione privaret, doctrinam tantam in medium proposuit; verùm ut ipsum cognoscerent; ingrati autem effecti se ipsos defensione privarunt....... quòd Dei notitiam habuerint, neque tamen notitiâ, ut decuit, usi fuerint..... Isti iter ad cœlum ferens aggressi, à se lucem cùm ademerint, ac pro ea cogitationum tenebris se involverint..... naufragium infestissimum fecerunt.... Deus eos dimisit, qui admittere ipsius præcepta noluerunt; sed statim inter primos „ (hoc est, ipsi primi) „ defecerunt, cùm ipse partes suas omnes explevisset. Contemplare porrò: pro doctrina Mundum in medium proposuit: Dedit mentem, & cogitationem, quæ posset quod conveniens erat, intelligere: nullâ re hujusmodi ad salutem usi sunt, qui id temporis vixerunt homines: quin potiùs, quod acceperunt, id detorquentes, in contrarium inverterunt.... Reliquum erat missos facere, quod & fecit. „ Et Homil. 4. „ Mundum ipsum Apostolus in medium adduxit, & cogitationem item humanam, dicens, quod intellectu dato à Deo, per ea quæ viderentur, poterant ad ipsum Opificem, veluti manu præeunte perduci, quod cùm in animum sibi inducere noluissent, manserunt indigni, qui veniam assequerentur.

Habemus itaque, docente Chrysostomo, & apud eum Paulo Apostolo, quod Gentilibus istis, *cognitio Dei manifesta fuerit, & quòd sponte sua illam prætermiserint*, atque indè *sint inexcusabiles*; *quamquam non hoc nomine*, seu sine ea visibilia *Deus fecerit, ut essent inexcusabiles*; *verùm ut ipsum cognoscerent*; *ingrati autem effecti se ipsos defensione privarunt, quòd Dei notitiam habuerint*; *neque tamen notitiâ, ut decuit, usi fuerint*; *naufragium infestissimum fecerunt*, non ipsâ Dei cognitione eos in scopulos impellente, sed liberâ suâ voluntate: *Intellectu enim dato à Deo, per ea, quæ viderentur, poterant ad ipsum Opifi-*

Opificem velut manu præeunte perduci ; quod cùm in animum sibi inducere noluissent, manserunt indigni, qui veniam assequerentur.

Hæc igitur indignitas non orta est ex cognitione Dei, quasi ea nonnisi crimina produceret sinè gratia, ut effutit Quesnellus, sed ex eo, quod homines *ingrati* acceptâ à Deo *notitiâ*, *non*, *ut decuit*, *usi fuerint* : *nulla re hujusmodi ad salutem usi sunt*. Quâ cùm eos *uti decuerit*, ac ipse Deus partes suas omnes expleverit, procul dubio uti potuerant. Verùm, *iter ad Cœlum ferens aggressi*, *à se* lucem cùm abegerint, pro ea cogitationum *tenebris se involventes*, *naufragium infestissimum fecerunt*. Quos autem, & quandonam Deus deseruit ? Respondet Chrysostomus : *Deus eos dimisit, qui admittere ipsius præcepta noluerunt*, *cùm ipse partes suas explevisset*. Hinc homines illi post tanta à Deo præstita beneficia, *ingrati*, *manserunt indigni qui veniam assequerentur*, ac denique *se ipsos defensione privarunt* ; sive, ut Apostolus ait, suâ culpâ redditi *sunt inexcusabiles*.

Quot hìc ex Chrysostomo verba retulimus, tot spicula configunt adversarios, etiam authoritate Apostoli, cujus sensu S. Patriarcha, & Ecclesiæ Doctor probatissimus loquitur. Nusquam hic Ethnicorum crimina, & infelicissimum salutis *naufragium* tribuuntur cognitioni Dei sinè gratia ; sed eorum malitiæ ; *quòd*, cùm cognitio de Deo illis manifesta fuerit, spontè sua illam prætermiserint, atque *à se lucem ademerint*, *pro ea cogitationum tenebris se involventes*, indè factum ait, ut *sint inexcusabiles* : Dei nempe, quam omnino ignorare non poterant, notitiam sibi intolerabilem, ut liberiùs peccarent, voluntatis pervicaciâ suffocabant, juxta illud Psalmi 52. : *Dixit insipiens in corde suo, non est Deus*. Alia Chrysostomi ratio omnem Ethnicis excusationem eripiens est, quòd *Dei notitiâ*, *uti decuit*, *usi non fuerint*, atque *ipsius præcepta noluerint admittere*, quemadmodum poterant, *cùm ipse partes suas explevisset*.

3 Quomodo verò adversarius Ethnicos illos unquam convincere, vel ulla probabili ratione accusare poterit, velut *inexcusabiles*, quales meritò declarat Apostolus ? Si contra Supremum Urbis, & Orbis Tribunal Pontificium Quesnellus excipiat, neque communi stare velit Episcoporum, & Academiarum ferè omnium, quâ damnatur sententiâ ; si, quoniam ita lubet, imaginarium expectetur generale Concilium, Lectoris ego cujuscunque Catholici judicium non refugio. Quesnellus enuntiat, quòd *Omnis cognitio Dei etiam naturalis, etiam in Philosophis Ethnicis, non possit venire nisi à Deo, & sinè gratia non producat, nisi præsumptionem, vanitatem, & oppositionem ad ipsum Deum*. Aliam autem in hoc statu *gratiam* non agnoscit Prop. 37. quàm *omnipotentem*, sive ut Propositione 2. ait, *quæ sit principium efficax boni cujuscunque generis, necessaria ad omne opus bonum*, adeò, ut *absque illa non solùm nihil boni fiat, sed nec fieri possit*.

Accusantur autem Ethnici ab Apostolo, *quòd, cùm cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverint*, &, ut in præsenti declaratur articulo, quòd fuerint pleni *præsumptione, vanitate, & oppositione ad ipsum Deum*: quorum causa fuerit *cognitio Dei*, quæ quidem *venire non potest, nisi à Deo* ; sed *sinè gratia non producit, nisi vitia* jam memorata. Nunc igitur quæro, num Ethnici illi glorificare Deum potuerint? Potuêre juxta omnes Catholicos ; nam alioqui accusatio minimè esset æquitati consentanea, teste Augustino lib. de Natura, & Gratia cap. 67. : *Quæcunque ista causa est voluntatis, si non potest ei* (tentationi) *resisti, sinè peccato ei ceditur... quis enim peccat in eo, quod caveri nullo modo potest* ? Et cap. 69. : *Eo ipso, quo firmissimè creditur, Deum justum, & bonum, impossibile non potuisse præcipere, hinc admonemur, & in facilibus quid agamus, & in difficilioribus quid petamus*.

Verùm in hoc novi Theologi, qui se Augustini Discipulos præ cæteris ambitiosiùs prædicant, Magistrum deserentes, statuunt, eosdem Ethnicos neque Deum glorificare potuisse, neque tamen ab omissionis crimine liberari. Non potuêre Ethnici glorificare Deum ; quia cognitio ad glorificationem necessaria *sinè gratiâ, non producit, nisi* vitia, *Deo opposita*. Imò, juxta Propos. 2.: *Sinè gratia efficaci non solùm nihil boni fit ; sed nec fieri potest*. Efficacem gratiam defuisse, ex effectibus demonstratur. Quæ itaque ratio, quæ species justitiæ Ethnicos reos facit omissionis, quam impedire nequiverint ? Sed neque avertere à se potuêre *præsumptionem*, *vanitatem*, *oppositionem ad ipsum Deum*, utpote profluentes ex ipsa *cognitione Dei*, quæ nonnisi à Deo venire potest, & sinè gratia nonnisi fructus illos *producere* nata est. Gratiam fuisse à Deo denegatam, certissimum est Quesnello, qui omnem ab hoc statu amovet præter *omnipotentem* Proposit. 37. & juxta definitionem gratiæ traditam Propos. 11. *Gratia non est aliud, quàm voluntas omnipotentis Dei, jubentis, & facientis, quod jubet* : & Prop. 10.

Gratia

Gratia est operatio manûs omnipotentis Dei, quam nihil impedire potest, aut retardare. Absente itaque gratia, quibus viribus potuêre Ethnici impedire, nè cognitio Dei produceret *præsumptionem, vanitatem, & oppositionem ad ipsum Deum*, si cognitio illa sinè gratiâ aliud producere idonea non sit?

Non potuêre etiam sinè gratia productioni talium fructuum obicem ponere, quia Propos. 38. *Peccator non est liber, nisi ad malum, sinè gratia Liberatoris.*

Propos. 39. *Voluntas, quam gratia non prævenit, nihil habet luminis, nisi ad aberrandum; ardoris, nisi ad se præcipitandum; virium, nisi ad se vulnerandum: est capax omnis mali, & incapax ad omne bonum.*

Propos. 40. *Sinè gratia nihil amare possumus, nisi ad nostram condemnationem.* Quomodo igitur Ethnici, qui juxta Quesnellum gratia caruerunt, poterant sinè ea aut glorificare Deum, aut *cognitionem Dei* frænare à propagatione malorum fructuum, quos solos sinè gratiâ *producit*?

4 Joan. 9. vers. 41. testatur æterna veritas: *Si cæci essetis, non haberetis peccatum;* & cap. 15. vers. 22. *Si non venissem, & locutus eis fuissem, peccatum non haberent;* videlicet infidelitatis; quia credere non potuissent. Ethnicis pariter ab Adversario objectis *glorificatio Dei*, uti & fuga *præsumptionis, vanitatis, & oppositionis ad ipsum Deum*, impossibilis sinè gratia fuit, quæ miseris illis juxta eundem nunquam obtigit; nam Prop. 26. *Nulla dantur gratiæ, nisi per fidem;* Prop. 27. *Fides est prima gratia, & fons omnium aliarum.* Quapropter, dum, Christo judice, absolvendi essent Judæi propter credendi impossibilitatem, *si cæci essent, &* Christus *eis locutus non fuisset*, ratione prorsus simili excusationem mererentur Ethnici, tum quòd Deum non glorificaverint, tum quòd cognitio Dei, quæ *non poterat venire, nisi à Deo*, non produxerit in ipsis, nisi *præsumptionem, vanitatem, & oppositionem ad ipsum Deum;* cùm glorificatio Dei, & fuga memoratorum criminum tam impossibilis in Adversariorum hypothesi Ethnicis fuerit, quàm Judæis illis fuisset impossibilis Christiana fides. Certus sum, nihil verisimilis rationis ab Adversariis adferendum, quo in suis principiis Ethnicos magis reos agant, quàm Judæos, quos Christus censuit in declarata à se hypothesi absolvendos.

Ita, dum Quesnellus adversùs Ethnicos adeò immitis est, ut omni penitùs eos destitui velit gratiæ auxilio, & damnare propter peccata, quæ vitare non potuerint, non videt, quantam Deo inferat injuriam, dum eum crudelem adeò statuit, ac tyrannum, ut majorem partem mortalium gravissimis addicat Inferorum suppliciis ob peccata, quæ juxta novos Theologos liberum non fuerit peccantibus evitare. Sic Christus non *omnium hominum* Redemptor, & Salvator fuerit; ut Apostolus prædicat, & Ecclesia Catholica credit; sed *solùm Fidelium*, quod ab Alexandro VIII. frendentibus frustrà Jansenistis, Proposit. 4. inter triginta & unam sapientissimè damnatum est.

Longè pluribus odiosissimis Consectariis campum pandit prima ista Adversariorum objectio, quâ nullam protrudere poterant imprudentiùs. Verùm in bonum Ecclesiæ permittit Divina providentia, ut ab Hæreticis Fides Catholica argumentis futilibus impugnetur; unde Scriptoribus Orthodoxis nascatur occasio, doctrinam contra eos salutiferam fortiùs stabiliendi.

5 Objicitur 2. dictum Apostoli epist. 1. ad Corinth. cap. 1. vers. 19. *Perdam sapientiam sapientium, & prudentiam prudentium reprobabo.* Quæ verò hic sapientia Deo displicet? Quæ reprobatur prudentia? Num ea, quæ non potest venire, nisi à Deo, ut *cognitio Dei*, quam damnata accusat Propositio? Nam si sapientiam mundanam, carnalem, impiam, prudentiam similiter anti-Christianam, & diabolicam Apostolus redarguit, nihil præsidii hinc eruet Quesnellus ad confirmationem sui erroris, & blasphemiæ adversùs sanctam Dei, & *nonnisi à Deo* inditam *cognitionem.* Doctrina hic Apostoli plana est, sensus omnibus compertus. *Nota*, inquit, Cornelius à Lapide, *Paulum referre ad universum genus sapientiæ sæcularis, id quod Propheta* (Isaias cap. 29. v. 14.) *propriè de Judæorum sapientia, qua Pharisaica erat, dixit; est enim par quoad hoc utriusque, imò omnis sapientiæ sæcularis ratio; quasi dicat: Faciam, ut sapientia sæculari homines ad salutem uti nolint. Sed*, inquit ibidem, Sanctus Ambrosius, *scientia Piscatorum stultam fecit scientiam Philosophorum*, mundanam scilicet, & Christo oppositam.

Contra eandem sapientiam S. Paulinus epist. 27. ad Aprum, qui ex profano Causidico ad vitam monasticam conversus recenter fuerat, scribit: *Gratulor, quòd illam reprobatam à Deo sapientiam respuisti, & cum parvulis Christi, quàm cum sapientibus mundi habere consortium maluisti. Indè etiam hanc gratiam mereris à Domino, ut te oderint homines; quod non fieret, nisi verus imitator Christi esse cœpisses.*

Nemo

Nemo clariùs Doctore Angelico, cui cæteri Interpretes consentiunt: „ Est autem „ (inquit) considerandum, quòd homines, „ quantumcunque mali, non totaliter Dei „ donis privantur, nec in eis dona Dei re- „ probantur; sed in eis reprobatur, & per- „ ditur, quod ex eorum malitia procedit. „ & ideo non dicit simpliciter *perdam sa-* „ *pientiam*; quia omnis sapientia à Domino „ Deo est, ut dicitur Ecclesiast. Sed *perdam* „ *sapientiam sapientium*, idest, quam sa- „ pientes hujus mundi adinvenerunt sibi „ contra veram sapientiam Dei; quia, ut „ dicitur Jacobi 3. Non est ista sapientia „ desursum descendens; sed terrena, ani- „ malis, diabolica. Similiter non dicit, „ *reprobabo prudentiam*; nam veram pru- „ dentiam sapientia Dei docet; sed dicit, „ *prudentiam prudentium*; idest, quam illi, „ qui se prudentes æstimant, in rebus mun- „ danis prudentiam reputant, ut scilicet „ bonis hujus mundi inhæreant; vel quia, „ ut dicitur ad Roman. 8. Prudentia carnis „ mors est: & sic propter defectum sapien- „ tiæ reputant impossibile, Deum hominem „ fieri, mortem pati; secundùm humanam „ naturam: propter defectum autem pru- „ dentiæ reputant inconveniens fuisse, „ quòd homo sustineret crucem confusio- „ ne contemptâ.

Non est hìc multâ opus disquisitione, ut inter *cognitionem Dei* ab Adversario accusatam, & *sapientiam sapientium* ab Apostolo reprobatam diversitas appareat. Cognitio, de qua agit damnatus à Pontifice articulus, est *cognitio Dei*, quæ *non potest venire*, *nisi à Deo*; quæ verò ab Apostolo reprobatur, à Deo esse non potest, utpote Deo contraria, sive, ut Angelicus notat, est *sapientia*, *quam sapientes hujus mundi adinvenerunt sibi*, *contra veram sapientiam Dei*: *non est ista sapientia desursum descendens*; *sed terrena*, *animalis*, *diabolica*. Si de hac asseruisset Quesnellus, quòd *non producat*, *nisi præsumptionem*, *vanitatem*, *& oppositionem ad ipsum Deum*, *loco affectuum adorationis*, *gratitudinis*, *& amoris*: omnes in ejus sententiam pronissimi ivissent Catholici; ut nullus est, qui Aquinatis contra eam sapientiam, & prudentiam censuris non libentissimè subscribit. Verùm nihil indè conficitur pro defendendis Quesnelli contra Dei cognitionem undequaque bonam, contra salutiferum, & adultis omnibus necessarium Dei donum iniquissimâ accusatione, & blasphemiâ. Quod à sancto Dei munere *sapientiam sapientium*, nempe *terrenam*, *animalem*, *diabolicam* secernit, idem ab illo separat *prudentiam prudentium* reprehensam ab Apostolo, & ab Angelico convenientibus supra coloribus depictam.

6 Pergunt nihilominus Janseniani opponere nobis etiam illud ex eadem Epistola ad Corinth. cap. 3. vers. 19. *Sapientia hujus mundi stultitia est apud Deum*; *scriptum est enim*: *comprehendam sapientes in astutia eorum*. Solutionem jam perspicit Lector tum ex superioribus, tum ex ipsis objecti textûs vocibus; agit enim Apostolus contra *sapientiam hujus mundi*, quæ stultitia est apud Deum, & sicut juxta Salvatoris testimonium, non potest arbor mala bonos fructus facere, nec arbor bona malos, disparitas arboris dissimilitudinem fructuum demonstrat. *Sapientia* mundi indubiè mala est, utpote *stultitia apud Deum*; quid igitur miri si illa nonnisi *præsumptionem* pariat, *vanitatem*; & ex pluribus vitiis compositam *oppositionem ad ipsum Deum*?

At ex quo Sancto Patre, aut alio Interprete Catholico Quesnellus didicit nomine *sapientiæ mundanæ*, quæ apud Deum stultitia est, comprehendi cognitionem Dei nonnisi à Deo hominibus inditam? Quem unquam audiit iisdem onerantem criminibus donum Dei, seu *cognitionem Dei*, nonnisi à Deo inditam, & sapientiam hujus mundi suggestam à Diabolo; sive, ut meritò S. Jacobus vocat, *terrenam*, *animalem*, *diabolicam*?

Describit hanc pluribus S. Gregorius lib. 10. cap. 16. in cap. 12. Jobi „ Hujus mun- „ di sapientia est, cor machinationibus te- „ gere, sensum verbis velare; quæ falsa „ sunt, vera ostendere; quæ vera sunt, falsa „ demonstrare. Hæc sibi obsequentibus præ- „ cipit honorum culmina quærere, adeptâ „ temporalis gloriæ vanitate gaudere, ir- „ rogata ab aliis mala multipliciùs redde- „ re: cùm vires suppetunt, nullis resistenti- „ bus cedere; cùm virtutis possibilitas de- „ est, quidquid explere per malitiam non „ valent, hoc in pacifica possessione simu- „ lare „. Talis sapientia meritò stultitia est apud Deum: neque in solis moribus perversa est; sed etiam adversa fidei. Sapientia enim mundi impossibile reputat SS. Trinitatis Mysterium, peccatum originis, Incarnationem Dei, passionem, & mortem pro hominibus, & alia plurima revelata à Deo, & credenda ab omnibus Christianæ fidei axiomata, in quibus etiam Jansenistarum supra Christi Vicarium, & Ecclesiam sapere volens Pharisaica prudentia fallitur, & in exitium pertrahit incautos: quam quidem, ut mater superbia genuit, sequitur non dissimilis soboles vitiorum, quæ vix faciliùs,

liùs, quàm marini littoris arenas numeraveris. Non ita cognitio Dei ab ipso infusa Numine, quâ in se optimâ si homines ad crimina abutantur, sive absuerit, sive adfuerit gratia, non istud ex cognitionis indole oritur; sed mortalium perversâ, & liberâ voluntate.

7 Denique arripiunt Adversarii ex eadem ad Corinthios Epistola cap. 8. vers. 1. *Scientia inflat, charitas verò ædificat.* Scientiæ inflantis nomine intelligi ab Apostolo omnem Dei cognitionem, quæ non potest venire, nisi à Deo, hactenus non audiveram, nec in ullo legeram Scripturarum Interprete. Inter cognitiones Dei, quæ nonnisi à Deo venire possunt, indubiè comprehenditur Divina fides; hac autem homines reddi tumidos, nullus Catholicus asseruerit, multò minùs est mens Apostoli.

Scientia inflare dicitur, sicut litera, seu Scriptura sacra occidere; non velut causa peccati; sed occasio, non per se, & à se data, sed ab hominibus perperàm accepta. Scientia, præsertim de Deo, & quæ non potest venire, nisi à Deo, ut non conceditur, nisi ad usum bonum, talem unicè postulat; abusus verò à malitia hominum est, quod indicat Apostolus statim vers. 2. *Si quis autem se existimat scire aliquid, nondum cognovit, quemadmodum oporteat eum scire.* Ubi scientia approbatur, & simul de bono usu, seu modo, & fine honesto, ac salutifero admonemur.

Ita Sanctus Bernardus serm. 36. „Vides „ quoniam non probat (Apostolus) multa „ scientem, si modum sciendi nescierit. „ Modus est, ut scias, quo ordine, quo „ studio, quo fine, quæque nosse opus: „ quo ordine; ut id priùs, quod maturiùs „ ad salutem; quo studio; ut id ardentiùs, „ quod vehementiùs ad amorem: quo fine; „ ut non ad inanem gloriam, curiositatem, „ aut aliquid simile; sed tantùm ad ædificationem tuam, vel proximi; sunt namque „ qui scire volunt eo fine tantùm, ut sciant, „ & turpis curiositas est; & sunt, qui scire, „ volunt, ut sciantur & ipsi, & turpis vanitas est...... & sunt, qui scire volunt, „ ut scientiam suam vendant, & turpis „ quæstus est; sed sunt quoque qui scire „ volunt, ut ædificent, & charitas est: & „ item scire volunt, ut ædificentur, & prudentia est. Horum omnium soli ultimi „ duo non inveniuntur in abusione scientiæ; quippe qui ad hoc volunt intelligere, ut bene faciant „. Abusus itaque scientiæ, non scientia ipsa reprehenditur.

Apostolo occasio scribendi fuit dissidium Corinthiorum, quorum aliqui idolothytis, sive cibis dæmoni oblatis vescebantur, quòd non differrent ab aliis cibis, nec quidquam in se continerent Numinis, vel religionis, & prorsus numerandi essent inter adiaphora; unde velut idiotas, & præposterè religiosos irridebant eos, quos peccati metus ab istiusmodi dapibus absterrebat. Quamvis autem in se comestio illa, non illicita esset, ut tamen vitaretur pusillorum offensio, & scandalum infirmorum, qui fortè ad declinandas irrisiones contra conscientiam comederent, Apostoli esum illum Antiochenis, à quibus consulti fuerant, prohibuerunt: quod præceptum dein ceteræ Ecclesiæ ob Apostolorum reverentiam amplexæ sunt, ad annum Christi 57.

Non igitur scientiam illam de manducatione idolothytorum per se non illicitâ Apostolus reprehendit; sed ejus abusum, quod contra debitam proximo charitatem, non tantùm ei scandalo essent comestione; sed etiam exprobrationibus illum ad iracundiam provocarent; contra quos Paulus vers. 15. sic Corinthios saluberrimo tum monito, tum exemplo instituit: *Si esca scandalizet fratrem meum, non manducabo in æternum*, etiam carnem qualemcunque vulgarem, & maximè innoxiam.

Ita Chrysostomus, „ Hoc Magistri optimi est officium, suo exemplo docere, „ quæ præcipit: & non dicit sive justè, sive „ injustè; sed quomodocunque. Et non „ dico, inquit, idolothyton, quod & propter aliam causam prohibetur; sed si, „ quod licet, & permittitur, scandalizat, „ etiam illo abstineo; neque una, aut altera die; sed toto vitæ tempore; non „ enim, inquit, manducabo carnes in æternum, & non inquit, nè perdam fratrem: „ sed simpliciter, ut non scandalizem; „ nam ultimæ amentiæ est, quæ Christo „ pretiosissima sunt, & talia, ut eorum „ gratiâ mortem obire non recusaverit; ita „ nos despectissima arbitrari, ut escis propterea non abstineamus,„. Verùm hanc *ultimam amentiam* non parit ipsa scientia, seu cognitio veritatis; multò minùs *cognitio Dei, quæ non potest venire, nisi à Deo*; sed eorum imprudentia, temeritas, malitia, qui tum hic, tum alibi rebus optimis, & à Deo ad fines optimos datis, ad suum, & aliorum interitum abutuntur.

Quis Hæreticus sic non abutitur Scripturis sacris, atque ipsis revelatis sanctissimis Fidei nostræ Mysteriis? Arius, & Nestorius in Divinis oraculis legunt: *Pater major*

major me est: hinc infert Arius, Filium esse creaturam, & Patre in omnibus minorem; Nestorius, Christum hominem esse merum hominem. Origenes Deo revelante didicerat, *Deum velle omnes homines salvos fieri, esse Salvatorem omnium hominum*, bonus adeò, & fervens Catholicus, ut, Patre ad martyrium proficiscente, retineri à Matre nonnisi dolo, & quodammodo vi potuerit; postea tamen ingenio nimiùm præfidens, inter errores cæteros è Scripturis præposterè intellectis credere cœpit, omnes aliquando reprobos ex Inferorum suppliciis liberandos. In hanc hæresim non deductus est à Divinis codicibus, non à veritate, non à saluberrima ejus divinitùs inspirata cognitione, & fide, quam etiam à piis parentibus, & præceptoribus hauserat, *Deum velle omnes homines salvos fieri*, atque *esse Salvatorem omnium hominum, maximè Fidelium*; sed à præsumptione sua, & temeritate, qua se supra cæteros Fidei Interpretes, Magistros, atque Ecclesiæ Præpositos extollere paulatim cœpit, in memoratum errorem, & alios complures miserrimè pertractus est; non inquam, cognitionis à Deo datæ vitio; sed suâ nimiâ animi elatione, & præfidentiâ.

Sic, quot errores, & hæreses in Quesnello damnat Ecclesia, is quidem dura cervice, & incircumcisis auribus, linguâ, & calamo contra Sedem Apostolicam, contra obsequentem ei Orbem Catholicum indocilis retinet, ac tuetur; sed hanc ejus instar equi indomiti mordentis fræna, & recalcitrantis, rebellionem cum tot malesanis *protestationibus*, *querelis*, *appellationibus* nemo Catholicus tribuet Scripturis sacris, neque cognitioni Dei, quæ nonnisi Deum habuit authorem; sed interpretis temeritati: neque ea totius factionis *præsumptio*, *vanitas*, *& oppositio ad ipsum Deum*, *loco affectuum*, *adorationis*, *gratitudinis*, *amoris*, humilitatis, & obedientiæ prodeunt ab ipso cœlesti *cognitionis Dei* munere; sed à vitio, ut dixi, abutentium rebus saluberrimis contra earum naturam, donantisque Numinis sanctissimam voluntatem.

CAPUT III.

Sancti Cyprianus, Hieronymus, Augustinus, Author Librorum de Vocatione Gentium, adversario eripiuntur.

1 PRimùm sibi Adversarii arrogant Sanctum Cyprianum *de bono patientiæ* numero 1. dicentem: *Hanc* (sapientiam) *se sectari Philosophi quoque profitentur; sed tam illic patientia falsa est, quàm & falsa sapientia. Unde enim vel sapiens esse, vel patiens possit, qui nec sapientiam, nec patientiam Dei novit? Quando ipse de iis, qui sibi sapere in mundo videntur, moneat, & dicat: Perdam sapientiam sapientium, prudentiam prudentium reprobabo.* Addi ex eodem Sancto merebatur, quod hic sequitur: *Reprehendam sapientiam in astutia eorum......Si sapiens ille est, qui est humilis, & mitis; Philosophos autem nec humiles videmus esse, nec mites, sed sibi multùm placentes, & hoc ipso, quòd sibi placeant, Deo displicentes, apparet, illic veram non esse sapientiam, ubi sit insolens affectatæ libertatis audacia, & exerti ac seminudi pectoris inverecundia.*

Nihil hic Cyprianus docet, nisi consonum Apostolo, quem superiore capite ostendimus, nihil tradere, quod damnato faveat articulo, nihil, quod latæ adversùs eum sententiæ refragetur; ubique enim de astutiâ, & nonnisi falsæ nuncupationis sapientia sermo est, sive, ut adductus cap. superiore interpres Angelicus loquitur, *de sapientia, quam sapientes hujus mundi adinvenerunt sibi contra veram sapientiam Dei*: Denique, ut ibidem ait, *de sapientia terrena, animali, diabolicâ*.

Nihil sceleratæ huic, & diabolicæ sapientiæ commune est cum *cognitione Dei, quæ non potest venire, nisi à Deo*, &, ut *omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est, descendens à Patre luminum*, Jacobi 1.; nec nisi bonum ex fonte illo purissimo profluere potest. Quomodo igitur Adversariis in mentem venit cœleste munus cum diabolico confundere, atque in eorundem trahere criminum societatem? Tales profectò damnati dogmatis vindiciæ aliud apud Catholicum, & prudentem Lectorem efficere nequeunt, nisi, ut authores suos de impio Hæreticorum spiritu, & fide pessimâ ampliùs convincant.

Tot autem satyrarum infamium contra Sedem Apostolicam, & sanctissimam ejus

Constitutionem Scriptoribus non minùs convenit illud Cypriani, quàm Philosophis; ex eo quòd eos *nec humiles videmus esse, nec mites, sed sibi multùm placentes, & hoc ipso, quòd sibi placeant, Deo displicentes; apparet, illic veram non esse sapientiam, ubi sit insolens affectatæ libertatis audacia*. Si Adversarius viderit, nimis conspicuam hic suorum commilitonum exprimi imaginem, satis intelligo, cur posteriorem sententiæ partem duxerit prætermittendam.

2 Sanctus Hieronymus Epist. 4. aliàs, ut in Hexaplis citatur, 95. ad Rusticum Monachum, *Philosophi*, inquit, *Seculi solent amorem veterem amore novo, quasi clavum clavo expellere: quod & Assuero Regi septem Principes fecere Persarum, ut Vasthi Reginæ desiderium, aliarum puellarum amore compescerent; illi vitium vitio, peccatumque peccato medicantur: nos amore virtutum vitia superemus*. Nihil hic, ut patet, *de cognitione Dei, quæ non nisi à Deo venire potest*; proinde non in illam conjiciuntur crimina, quæ conjicit Quesnellus, quasi illa *sinè gratia non produceret, nisi præsumptionem, vanitatem, & oppositionem ad ipsum Deum*. Philosophi vitium vitio medicantur; ideone peccati causa est *Dei cognitio nonnisi à Deo proveniens*, nec nisi bona, &, teste Angelico in cap. 1. Epistolæ ad Rom., *quantum est de se, inducens homines ad bonum*?

Adeò autem cognitio illa à producendis criminibus aliena est, ut Philosophi, quò peccarent liberiùs, eam tenebris involvere conarentur, & quasi suffocare, sive, ut de iis Apostolus ait memorato capite, *veritatem Dei in injustitia detinent*, veluti captivam, nè vires suas exercere possit, atque ipsos à vitiis absterrere; sive, ut Aquinatis ibi verbis utar: *Vera Dei cognitio, quantum est de se, inducit homines ad bonum; sed ligatur quasi captivitate detenta per injustitiæ affectum*, ex libero hominis arbitrio, & pravitate proficiscentem.

Ibid. ad vers. 28.: *Quamvis lumine rationis, & per creaturas visibiles, veram Dei cognitionem habere potuerunt; tamen, ut liberiùs possent peccare, non probaverunt, id est non approbaverunt, ut ipsi haberent Deum in sui notitia. Jobi 22.: Dixerunt Deo, recede à nobis, scientiam viarum tuarum nolumus*. Quamvis igitur adversariis concederem, peccare Philosophos Ethnicos in omnibus actibus, ut ex Hieronymo elicere frustrà conantur, nihil indè argumenti legitimi fieret ad confirmandam Quesnelli contumeliam adversùs cognitionem Dei, quasi rea foret gravissimorum criminum, & oppositionis ad ipsum Deum.

Verùm, neque asserit Hieronymus infideles illos peccare in omni opere; sed, inquit, *Philosophi Seculi solent amorem veterem amore novo, quasi clavum clavo expellere*. Ubi quid fiat communiùs, non quid semper, exprimitur: ideo fortè adversarius passim intentus, ut proscriptam Baji à tribus Pontificibus doctrinam resuscitet, maluit truncatam Hieronymi sententiam sic referre, *Philosophi Seculi vitium vitio, peccatumque peccato medicantur*.

Non adeò Hieronymus in Ethnicos durus est, ut omnia eorum opera, etiam naturalia peccati accuset. In cap. 22. Matthæi ait: *Inter ipsos quoque Ethnicos est diversitas infinita; cùm sciamus, alios esse proclives ad vitia, & ruentes ad mala; alios ob honestatem morum virtutibus deditos*. Et in Ezechiel. cap. 29. vers. 18.: *Perspicuum est, condemnari nos comparatione Gentilium, si illi lege faciant naturali, quæ nos etiam scriptâ negligimus: de quo plenissimè ad Romanos Paulus Apostolus disputat*. Atque hæc Hieronymus occasione Nabuchodonosoris, qui Judæis adversùs Syrios opem tulerat, cui Deus propterea, quemadmodum, & ejus Exercitui, mercedem decernit temporalem: unde statim sic colligit Sanctus Doctor: *Ex eo, quòd Nabuchodonosor mercedem accipit boni operis, intelligimus, etiam Ethnicos, si quid boni fecerint, non absque mercede Dei judicio præteriri*.

Isthæc bona adversarius non tribuet operationi gratiæ, nisi renuntiaverit pluribus suis articulis, quibus post Jansenium asserit, *Nullas dari gratias, nisi per fidem: Fidem esse primam gratiam, & fontem omnium aliarum*. Vide Propositionem 26., & 27., quò confluunt etiam Prop. 28. & 29. Monitum Hieronymi, ut *amore virtutum, vitia superemus*, forsitan ideo ab adversario prætermissum est, quia contrarium communissimo novæ Ecclesiæ dogmati, quod Alexander VIII. proscripsit inter 31.: *Revera peccat, qui odio habet peccatum merè ob ejus turpitudinem, & disconvenientiam cum natura, sinè ullo ad Deum offensum respectu*. Pontificiam autem contra illum, & cæteros articulos censuram, flocci faciens Quesnellus sustinere mordicus pergit, non dari medium cupiditatem inter, & charitatem Prop. 46.: *Cupiditas, & charitas usum sensuum bonum, vel malum faciunt*; quod pluribus Propositionibus magnâ phrasium varietate infarcire nititur, de quo frequens tractatio erit Prop. 44., & multis sequentibus.

3 Non plus præsidii adversariis est in Augustino, dum libro 13. de Trinitate cap. 18.

cap. 18. dicit: *Illi autem præcipui gentium Philoſophi, qui inviſibilia Dei per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpicere potuerunt; tamen, quia ſinè Mediatore, id eſt ſinè homine Chriſto philoſophati ſunt, quem nec venturum Prophetis; aut veniſſe Apoſtolis crediderunt; ſed veritatem detinuerunt, ſicut de illis dictum eſt, in iniquitate*. Quæ quidem ſententia in Hexaplis refertur mutila, omiſſis non ſolùm: *Quem nec venturum, Prophetis; aut veniſſe Apoſtolis crediderunt*; ſed etiam, quæ ſequuntur; nè, quidquid aliàs tenebrarum pareret mutilati textûs brevitas, ipſis Auguſtini vocibus depellatur.

Sic ibi proſequitur Sanctus: *Non potuerunt enim in his rerum infimis conſtituti, niſi quærere aliqua media, per quæ ad illa, quæ intellexerant, ſublimia pervenirent: atque ita in deceptores dæmones inciderunt, per quos factum eſt, ut immutarent gloriam incorruptibilis Dei in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis &c.* Ex utraque parte ab adverſario reſciſsâ colligimus, Dei cognitionem, quæ non niſi à Deo eſt, & proinde bona, non fuiſſe cauſam criminum, de quibus Philoſophi ab Auguſtino, & Apoſtolo accuſantur; ſed ea imputanda primùm eorum nequitiæ, qua factum eſt, ut Mediatorem, *nec venturum Prophetis, aut veniſſe Apoſtolis crediderint*. Dein ſucceſſit altera impietatis origo, quam in pœnam præcedentis perfidiæ Deus permiſerit: *In deceptores dæmones inciderunt, per quos factum eſt, ut immutarent gloriam incorruptibilis Dei in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis*, præcipites in turpiſſimam idololatriam, & vitiorum omnium eam comitantium barathrum. Quid igitur hìc pro ſtabiliendo contra definitionem Apoſtolicam errore, quòd *omnis cognitio Dei, quæ non poteſt venire niſi à Deo, ſinè gratia non producat, niſi præſumptionem, vanitatem, & oppoſitionem ad ipſum Deum*?

4 Non magis favet adverſario author librorum de Vocatione gentium, dum lib. 1. cap. 4., non primo, ut in Hexaplis citatur, dicit: *Cùm . . . . . quidam inviſibilia Dei per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpexerint, non agentes gratias tamen Deo, nec confitentes illum ſibi eſſe hujus facultatis authorem; ſed in ſemetipſis gloriantes, quaſi ad veritatis inſpectionem ſuis ſtudiis, atque rationibus propinquaſſent, evanuerunt in cogitationibus ſuis, &, quod illuminante Dei gratia invenerant, obcæcante ſuperbiâ perdiderunt*. Meritò quidem hac privatione, & aliis ſuppliciis ea ingratorum ſuperbia, & præſumptio punita eſt. Verùm in tota ſententia nullum verbum eſt, quo hæc vitia tribuantur Deo, vel ejus ſanctiſſimo, & ſupernaturali dono, quòd ex *illuminante Dei gratia* eſſe pius Author affirmat; unde magis patet blaſphemia adverſarii tot criminibus cœleſte munus onerantis, ut illis liberet Gentilium impietatem.

Perſpicit hìc etiam Queſnellus, eâdem authoritate, ad quam pro defenſione præſentis articuli temerè confugit, errorem ſuum 26., & 27. de negata infidelibus omni gratia clariſſimè convelli; ſi enim in Philoſophis Idololatris, quam de Deo in rebus viſibilibus notitiam quæſiverant, non niſi *illuminante Dei gratiâ invenerint*, non potuit in illis *fides eſſe prima gratia, & fons omnium aliarum*; atque ita alienum à veritate eſt, *nullas dari gratias, niſi per fidem*. Corruit, & Propoſitio 28. *Prima gratia, quam Deus concedit Peccatori, eſt peccatorum remiſſio*. Et 29. *Extra Eccleſiam, nulla conceditur gratia*.

Paulò poſt verba ab adverſario citata, ſic pergit Sanctus Author: *Cùm ergo tales in amorem ſui recidunt, & ita ſibimet placent, ut totum, quod in ſe laudabile judicant, non ad dona Dei referant; ſed ſibi vindicent, & ſtudio propriæ voluntatis adſcribant, procul ab illa ſpiritali exulant voluntate, & nihil in ſe habentes, quo ad vitam provehantur æternam, incipientes in ſemetipſis etiam illa temporalia Dei dona corrumpere, & à bono earum uſu in conſuetudinem innumerabilium tranſire vitiorum*.

Non igitur cognitio Dei, quæ in Philoſophis temporale Dei donum eſt, *producit præſumptionem, vanitatem, & oppoſitionem ad ipſum Deum*; ſed ipſa Philoſophorum ſuperbia, qua paulatim *incipiunt in ſemetipſis, etiam illud temporale Dei donum corrumpere, & à bono ejus uſu in conſuetudinem innumerabilium tranſire vitiorum*. Ubi ſupponitur aliquis priùs fuiſſe in illis Philoſophis *bonus uſus* illius Divini muneris, ſeu cognitionis Dei; non enim poteſt fieri tranſitus à termino, qui numquam fuit: ſupponitur quoque rurſus in Philoſophis illis aliqua fuiſſe gratia, non ſolùm ea, *quâ illuminante*, cognitio Dei concepta eſt; ſed etiam illa, qua *bonus ejus uſus* eſſe cœperat; niſi abdicare adverſarii malint tot articulos, quibus non niſi malum, ſinè gratia in humanis actibus agnoſcunt, ut videre eſt in Propoſitione 38. 39. 40., & præſente 41.; quapropter niſi affectata adverſùs Eccleſiam ſapientia adverſarium obcæcaſſet, locum de Vocatione gentium minimè fuiſſet auſus in ſui contra Conſtitutionem adducere patrocinium.

CA-

CAPUT IV.

Sanctus Fulgentius ab impacto errore Propositionis 41. vindicatur.

I. Denique nec Sanctus Fulgentius damnato dogmati suffragatur *de Veritate prædestinationis* lib. 1. cap. 22., & 23. agens de Philosophis, de quibus Apostolus ad Rom. 1. vers. 23.: Sic nempe Sanctus Augustini discipulus in fine cap. 22.: *Illa itaque manifestatio, qua cognoverunt Deum, qui cognitum non dilexerunt, gratiam non habuit, qua Deus sic cognoscitur, ut ametur.*

Cap. 23. initio: *Quia ergo gratiam non acceperunt, propterea cognoscentes Deum, gratias non egerunt:&,quia vasa iræ fuerunt, aptata in interitum, hoc in eis operata est illa manifestatio, qua Deum cognoverunt, ut cognoscendo superbirent, non,ut, se humiliando diligerent.*

Hucusque est adversariorum citatio: nos verba Sancti prosequamur: *Tali ergo cognitione* (qualem habuêre Philosophi) *ablata excusatio est, non collata salvatio. In hac autem revelatione, quam gratia Dei in vasis misericordiæ operatur, simul homini Divinitus agnitio Dei, dilectioque confertur. Illi enim, qui non sunt electi, inexcusabiles sunt; electi autem inaccusabiles fiunt..... in vasis ergo misericordiæ reatus naturalis humili, quam gratia spiritalis donat, fide, & charitate solvitur; in vasis autem iræ superbâ cognitione nutritur. Per illam cognitionem* (superbam scilicet) *cæcum cor à semetipso inflatur ad mortem; per hanc autem divinitus illuminatur, & humiliatur ad vitam: illâ ergo cognitione cor obscuratur insipiens, dum quod Dei est, homo sibi superbus assignat: hac autem accipit lumen, ut hoc ipsum, quod Deum cognoscit, ac diligit, non ex possibilitate naturæ, neque ex auditu legis, neque ex sua voluntate; sed ex Dei dono sibi inesse non ambigat, semperque humilis esse meminerit, ne superbus amittat, quod indignus accepit. Cognitio ergo illa peccato adjecit prævaricationis reatum; ista removet a Peccatore superbiam: illa justè damnat; ista gratis justificat.*

2 Ante omnia hic memineris, Lector, Sanctum Fulgentium, ut vel ex libri titulo patet, agere *de Veritate prædestinationis*, atque hanc urgere vehementissimè contra Pelagianos ejus hostes implacabiles. Adde quod ait S. Thomas in cap. 1. Joan. lect. 7.: *Antiquos Doctores, & Sanctos, emergentes errores circa fidem ita fuisse persecutos, ut interdum viderentur in errores labi contrarios;* Et quæst. 5. de malo att. 2. ad 1.: *Sancti tali modo loquendi usi sunt, ut detestabilem redderent errorem Pelagianorum.* Pridem S. Basilius Dionysii Alexandrini partes suscipiens, teste Photio in Bibliotheca codice 232., *Defendit illum non ut impia sentientem; sed quod nimio Sabellium impugnandi studio, verbotenus videretur in contrariam deflexisse opinionem.* De ipso Augustino ait S. Bonaventura in Breviloquio par. 3. cap. 5.: *Hoc credendum est, sensisse Augustinum; licèt verba ipsius exteriùs propter detestationem erroris Pelagianorum aliud sentire videantur. Ut eos reduceret ad medium, abundantiùs declinavit ad extremum, plus dicens, & minus volens intelligi.*

Idem pluribus Patribus evenisse, *cùm adversùs Ecclesiæ hostes pugnam conferrent,* observaverat Theodoretus tom. 4. pag. 170. atque hac familiari usus erat similitudine à secutis dein passim Scriptoribus adoptatâ: *Quod ipsum,*inquit, *agricolis quoque stirpium cultoribus usu venit, qui, cùm incurvam aliquam plantam viderint, non solùm ad rectam normam erigunt, sed etiam ultra directum in partem alteram deflectunt; ut ex vehementiore in contrariam inclinatione ad rectum statum perducatur.*

Aliam rationem addit Augustinus lib. 1. contra Julianum defendens Chrysostomum alicubi duriùs locutum: *Cur*, inquit, *putamus eum ita locutum, nisi quia disputans non se aliter intelligi arbitrabatur, & tali quæstione nullus pulsabatur: vobis nondum litigantibus, securiùs loquebatur.*

Sic quoque S. Anselmus libro de Sacramento Altaris cap. 13., cui titulus: *In legendis Patrum scriptis esse opus multâ vigilantia, Hæreticorumque impugnationibus inexpugnabilem stare fidem nostram*, Augustini insistens vestigiis, ait; *Jam postquam ex confragosis locis hucusque evasimus, considerare libet attentiùs, cur super hac re in Sanctorum Patrum tractatibus reperiantur sententiæ tam dubiæ, tam scrupulosæ, & quæ etiam sibi invicem contrariæ videntur, ut non solùm, qui contendendi intentione illas congregant, materiam in eis inveniant errandi, sed & qui ex eis adstruere velint Catholicam fidem, non facilè queant se indè expedire .... Plurima in scriptis suis reliquerunt, quæ loco suo, suo sensu bene dicta, ab eis, qui contendere, vel errare amant, eruta de locis, per se videntur aliud sonare, quàm sonent, unde assumpta sunt, & quàm senserunt, qui scripserunt. Sed ut multa de eadem re ab eis relicta sunt, quæ bene dicta; sed obscuriùs* (utpo-

(utpote ab eis, qui ut homines, venturas omnes errorum calumnias non poterant prævidere) malè intellecta materiam errandi, vel contendendi perditis videntur præstare.

3 Hæc in gratiam Fulgentii, quem Hexaplorum Author in damnationis consortium trahere conatur. Nunc Sancti Patris verba, & sensum propiùs inspiciamus: *Manifestatio, quâ* (superbi Philosophi) *cognoverunt Deum, qui cognitum non dilexerunt, gratiam non habuit, qua Deus sic cognoscitur, ut ametur*; ubi agi de gratia efficaci perspicuum est; sufficiens nempe amorem, seu actum non tribuit; sed amandi, seu cujuscumque boni operis exercendi facultatem: ad stabiliendam autem *prædestinationis veritatem*, afferenda fuit gratia efficax, quæ proprius prædestinationis effectus est. *Quia ergo* (hanc) *gratiam non habuerunt, propterea cognoscentes Deum, gratias non egerunt*, quas agere debuerunt, & potuerunt: aliàs non fuissent reprehensione digni, aut supplicio, ut rectè observat S. Epiphanius in hæresi Pharisæorum, quæ est 16.: *Propterea, quod possit homo peccare, & non peccare, ab aliis peccatorum supplicia sumantur; alius verò laudem referat rectè factorum.*

Augustinus lib. 2. de gestis cum Felice Manichæo cap. 4.: *Habet unusquisque in voluntate, aut eligere, quæ bona sunt, & esse arbor bona; aut eligere, quæ mala sunt, & esse arbor mala ...... Hoc ergo Dominus dicens, Aut facite istud, ostendit esse in potestate, quod facerent; & quia, si bonum eligerent, præmium illius acciperent: si malum eligerent, pœnam illico sentirent.*

Et Gregorius Magnus lib. 33. Moralium cap. 20.: *Ideo* (Philosophi illi, & quicunque reprobi) *nequaquam Cœlestis patriæ præmia æterna percipiunt, quia ea, dum promereri poterant ex libero arbitrio contempserunt.*

Rursus omni homini Augustinus denuntiat lib. 50. Homiliarum Hom. 16.: *In tuo arbitrio Deus posuit, cui pares locum, Deo, an diabolo*. Et lib. 3. de libero arbitrio: *Ista causa est voluntatis; si non ei* (tentationi) *potest resisti, sinè peccato ei ceditur*. Si non potest servari præceptum, sinè peccato omittitur. Unde si omnis gratia sufficiens, qua Philosophi possent pro accepta *Dei cognitione* gratias agere, eis fuisset penitùs denegata, debitum istud grati animi officium innocuè omisissent; satis scilicet omni Catholico exploratum est, gratias illas sive à Christiano, sive ab Ethnico non posse Deo, sicut oportet, agi solis liberi arbitrii viribus, absque omni supernaturalis ordinis auxilio.

4 Captata ab Adversario obscuritas præcipuè sita est in verbis Fulgentii sequentibus: *Et, quia vasa iræ fuerunt aptata in interitum, hoc in eis operata est ista manifestatio, qua Deum cognoverunt, ut cognoscendo superbirent, non ut se humiliando diligerent*. Ubi *operata est* apud omnes Catholicos, & quibus aliqua S. Fulgentii est reverentia, non potest significare causam propriè dictam; sed occasionem tantummodo; sicut ab Apostolo *operari* accipitur in Epistola ad Romanos cap. 4. vers. 15.: *Lex enim iram operatur*; non quasi lex sit causa transgressionis, atque indè sequentis iræ, & vindictæ Divinæ; sed quia, ubi lex non est, non potest esse prævaricatio, & quia lex peccatum patefacit, ut ait Apostolus: *Concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret, non concupisces*. Rom. 7. vers. 7.

Sic iterum Apostolus Epistola prima ad Corinth. cap. 3. vers. 6. enuntiat: *Litera enim occidit*; non quòd lex mortem inferat, sive corpori, sive animæ; sed utriusque mortis occasio sit transgressoribus; quatenus ipsis occasio transgressionis est, juxta illud: *Nitimur in vetitum semper*: lex autem Mosaica supplicium mortis præscribebat delinquentibus. Non itaque lex causa peccati, annexique supplicii erat; sed liberum hominis arbitrium, ac temeritas.

Causam pro occasione exprimere hominibus familiare est, & vulgi quoque usu receptum: sic nimia parentum, & Magistrorum lenitas, dicitur corrumpere juventutem: *Blanda Patrum segnes facit indulgentia natos*. Istiusmodi vulgari usui se non solum SS. Patres subinde, sed & Scripturæ accommodant. Videri potest Cornelius à Lapide in Epistolas Pauli inter canones verborum vigesimo quarto, & apud eum Cyrillus, Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius in Joannis cap. 12. vers. 38. Hæreticis verò proprium est, utpote firmandæ hæresi semper intentis, Scripturarum, & Patrum effata de occasione peccati convertere in causam.

Sic Calvinistæ *Contra-remonstrantes* dicti, in specimine Amstelodamensi artic. 52., propter ea, quæ de vasis iræ, de Deo reprobos indurante, & de similibus in Epistola ad Romanos, in Augustino, & aliis tum Scripturis, tum Patribus, præsertim contra Pelagianos scribentibus leguntur, ita colligunt: *Alloquitur verbo suos reprobos Deus; sed ideo, ut surdiores fiant: accendit suum lumen, ut cæciores fiant: docet eos, ut hebetiores maneant: medetur eis, nè sanentur.* Lutherus tom. 3. præfatione in vetus Testamen-

mentum: *Dicimus legem bonam, & utilem; sed in bono sensu; scilicet ad revelandas, & augendas spirituales transgressiones.*

Hos secutus Jansenius tom. 3. lib. primo cap. 8.: *Lex justitiam reddidit difficiliorem, & quasi muro interposito impossibilem.* Ita necessitatem peccandi hominibus imposuit, & Deum legis Authorem, facit etiam Authorem peccati. Tam insignium Magistrorum premens vestigia adversarius, vult *manifestationem Dei, & cognitionem, quæ non potest venire, nisi à Deo*, propriè dictam causam fuisse *superbiæ*; quia à Fulgentio dicitur hoc in Philosophis *operata manifestatio, quæ Deum cognoverunt, ut cognoscendo superbirent*. Verùm cùm satis usitata sit locutio, tam in sacris, quàm profanis sermonibus, ut *operari*, & voces similes præseferentes actionem, non causam significent, sed conditionem solummodo, vel occasionem, ut omnes Sacri Interpretes contra Hæreticos consentiunt; nihil prohibet, hunc tribui verbis Fulgentii sensum; *quia vasa iræ fuerunt aptata in interitum*, illa Dei manifestatio, quâ Deum cognoverunt, occasio illis fuit, ut cognoscendo superbirent, manifestatione, & cognitione bonâ ad præsumptionem, & interitum perperàm abutentes. Sic Lucifer ex donis adeò excellentibus, cum quibus à Deo conditus erat, superbiens se perdidit. Daniel seni perfido, & libidine æstuanti exprobrabat, *species decepit te*; non quòd Susannæ castissimæ pulchritudo tanti facinoris in eo, & ejus socio causa fuerit; sed occasio, non præbita à Susanna; sed ab eis scelestissimè accepta.

5 De vasis iræ, & modo, quo Deus peccatores illos indurat, præclara est, & prorsus Angelico Doctore digna explicatio, quæ ab eo traditur in caput 9. Epistolæ ad Romanos lect. 3., ubi dicit „ Alio modo
„ potest intelligi *excitavi te* in peccatum,
„ ut deterior fias. Quod quidem non est
„ intelligendum hoc modo, quòd Deus in
„ homine causet malitiam; sed est intelli-
„ gendum permissivè; quia scilicet ex justo
„ suo judicio permittit aliquos ruere in
„ peccatum propter præcedentes iniqui-
„ tates: tradidit illos Deus in reprobum
„ sensum. Sed aliquid amplius videtur mi-
„ hi in hoc esse intelligendum, quia vide-
„ licet instinctu quodam interiori moven-
„ tur homines à Deo ad bonum, & ad ma-
„ lum. Unde Augustinus dicit in libro de
„ Gratia, & libero arbitrio cap. 20. *Quòd*
„ *Deus operatur in cordibus hominum ad in-*
„ *clinandas eorum voluntates, quocunque*
„ *voluerit, sive ad bona pro sua misericor-*
„ *diâ, sive ad mala pro meritis eorum.* Unde
„ & Deus .... dicitur etiam suscitare
„ aliquos ad malum faciendum. Ad bona
„ inclinat hominum voluntates directè, &
„ per se, tanquam author bonorum; ad
„ malum autem dicitur inclinare, vel su-
„ scitare homines occasionaliter; in quan-
„ tum scilicet Deus homini aliquid propo-
„ nit, vel interiùs, vel exteriùs, quod,
„ quantum est de se, est inductivum ad
„ bonum; sed homo propter suam mali-
„ tiam perversè utitur ad malum ......
„ Deus, quantum est de se, interiùs insti-
„ gat hominem ad bona, puta Regem ad
„ defendenda jura regni sui, vel ad pu-
„ niendum rebelles. Sed hoc instinctu bo-
„ no homo malus abutitur, secundùm ma-
„ litiam cordis sui .... & hoc modo circa
„ Pharaonem accidit; qui cùm à Deo exci-
„ taretur ad regni sui tutelam, abusus est
„ hac excitatione in crudelitatem. Secun-
„ dò, oportet considerare, quo fine Deus
„ ista partim faciat, & partim permittat.
„ Est enim considerandum, quòd Deus
„ operatur in creaturis ad suam manifesta-
„ tionem, secundùm illud supra cap. 1. *In-*
„ *visibilia Dei per ea, quæ facta sunt, intel-*
„ *lecta conspiciuntur*. Unde & hujusmodi
„ excitatio in hoc ipso ordinatur, *ut osten-*
„ *dam in te virtutem meam*. Sic igitur pa-
„ tet, quod quantum ad hoc, non est iniqui-
„ tas apud Deum, quia utitur creaturâ suâ,
„ secundùm ejus merita, & gloriam suam,
„ & in hoc eodem sensu potest exponi, si
„ dicatur: *Posui te*, idest ordinavi mali-
„ tiam tuam ad gloriam meam; Deus enim
„ malitiam ordinat, sed non causat ......
„ Deus non dicitur indurare aliquos dire-
„ ctè, quasi in eis causet malitiam; sed in-
„ directè, in quantum scilicet ex his, quæ
„ facit in homine intus, vel extra, homo
„ sumit occasionem peccati, & hoc ipse
„ Deus permittit. Unde non dicitur indu-
„ rare, quasi immittendo malitiam; sed
„ non apponendo gratiam ..... Sic ergo
„ intelligendum est, *quem vult indurat* per
„ suam justitiam; quia illi, quos indurat,
„ hoc merentur, ut indurentur ab ipso, ut
„ supra 1. capite dictum est „. Hactenus Sanctus Thomas. Eandem esse Fulgentii sententiam, facilè demonstro.

6 Cùm ex allegatis evidens sit, esse usu receptissimum, ut quis facere dicatur, non solùm ea, quorum causa est; sed etiam quorum sola occasio, vel quæ permittit, ut qui canem furentem solvit, dicitur eum in viatorem immittere: qui homini volenti se præcipitem agere, viam aperit: qui volenti occi-

occidere gladium porrigit, mortem quodammodo inferre censebitur.

Sic libro 2. Regum cap.26. refertur: *Addidit irasci furor Domini contra Israel, commovitque David in eis dicentem: Vade numera Israel.*

Et eodem libro cap. 16.: *Dominus præcepit Semei, ut malediceret David.*

Psalm. 104. De Ægyptiis Dei Populum persequentibus dicitur: *Convertit cor eorum, ut odirent Populum ejus.* Ubi mera permissio, & subinde quædam occasio, non autem causa peccati tribuitur Deo, ut affirmant, & insaniunt Calvinistæ, Beza, & similes blasphemantes hæretici.

Sed & hinc evanescit difficultatis umbra, quam parere videbatur *manifestatio*, qua Philosophi cognoverunt Deum, & quæ hoc in eis operata dicitur, *ut cognoscendo superbirent*, ubi non statuitur causa, seu finis à Deo intentus cognoscentium Philosophorum superbia; sed ejus solummodo Divina permissio allegatur, & superbiendi accepta à Philosophis occasio, qua pro sua perversitate usi sunt, dum uti poterant, ac debebant ad agendas Deo gratias pro cœlesti munere, quod in suum stulti converterunt exitium. Penès Interpretes Catholicos certissimum, imò & lippis, & tonsoribus notum est, vocem *ut* maximè diversimodè adhiberi, etiam pro *ita ut*, quo factum, & eventus, non semper ratio movens, seu finis, & causa operis indicatur.

Perspicuum id est in duobus posterioribus exemplis à me ex Sacro Codice descriptis: *Dominus* præcepit Semei, ut malediceret David: ubi non ideo Deus permisit, ut malediceret; sed permisit maledictionem, sive non impedivit; ita scilicet se habuit, ut illum sequi siverit perversi animi propensionem. *Convertit Deus cor eorum* [Pharaonis, & ei adhærentium] *ut*, summa crudelitate, & pertinaciâ *odirent Populum ejus*; non ita, ut Deus illorum odium voluerit; sed quòd illi similes fuerint puero dyscolo, qui monitis, minis, castigationibus etiam deterior efficitur, non Parentum, aut Magistrorum vitio, multò minùs intentione; sed propriâ perversitate. Ita obduratis, & obcæcatis contigit Ægyptiis, quos Deus dicitur suis erga Judæos beneficiis in rabiem quodammodo egisse, & reddidisse deteriores: ubi conspicitur eventus infelix, & abusus Ægyptiorum detestabilis, Deo permittente, sed minimè volente. De significatione variâ vocis *ut*, & qualis hic à me adhibita est, videri potest Cornelius à Lapide in verborum canone 24. superiùs citato. Exempla profana obvia dabunt cum Calepino, & Thesauro linguæ latinæ cæteri Grammatici.

Porrò sensum à me Fulgentio datum, ipsius planè menti congruere, persuadent circumstantiæ, & indubitata ejus alibi testimonia. Ex verbis enim ab adversario objectis ipse Sanctus mox concludit: *Tali ergo cognitione ablata excusatio est, non collata salvatio . . . . . Illi enim, qui non sunt electi, inexcusabiles sunt. Reatus naturalis in vasis iræ superba cognitione nutritur: per istam cognitionem cæcum cor à semetipso inflatur ad mortem . . . . . Illâ ergo cognitione cor obscuratur insipiens, dum quod Dei est, homo sibi superbus assignat . . . . . Cognitio ergo illa adjecit prævaricationis reatum: illa justè damnat.* An hæc omnia cum sensu, qui Fulgentio ab adversariis affingitur, subsistant, nullius ratione utentis Catholici refugio judicium.

Producuntur ad confirmandum hunc articulum damnatum: *Omnis cognitio Dei, etiam naturalis, etiam in Philosophis Ethnicis, non potest venire nisi à Deo, & sinè gratia non producit, nisi præsumptionem, vanitatem, & oppositionem ad ipsum Deum, loco affectuum adorationis, gratitudinis, & amoris.* Supponunt itaque adversarii, Philosophis istis omnem penitùs gratiam defuisse; nam si adfuisse supposueris, mutabitur casus articuli, & status tollitur controversiæ. Accedit, quòd fides sit prima gratia, juxta Propositionem 27. unde patet, nullam Ethnicis, qui non convertuntur, juxta Quesnellum posse in Divinæ gratiæ collatione partem obtingere.

Præterea cùm penès art.11.: *Gratia non sit aliud, quàm voluntas omnipotentis Dei jubentis, & facientis, quod jubet*, & juxta art.10. *Gratia sit operatio manùs omnipotentis Dei, quam nihil impedire potest, aut retardare*, evidens est, quòd, si aliquam habuissent Philosophi gratiam, hæc omnem in ipsis fuisset obedientiam tunc possibilem operata. Sinè tali autem cœlesti auxilio non fuêre Ethnici liberi *ad affectus adorationis, gratitudinis, & amoris*, quantumvis ab eis debitos Deus exigeret; nam juxta articulum 38.: *Peccator non est liber, nisi ad malum, sinè gratia Liberatoris*. Ethnicos illos Peccatores fuisse, nec vulgaribus passim contaminatos criminibus, satis exploratum est. Imò in omnibus, sive Peccatoribus, sive Justis, artic.39.: *Voluntas, quam gratia non prævenit, nihil habet luminis, nisi ad aberrandum; ardoris, nisi ad se præcitandum; virium, nisi ad se vulnerandum: est capax omnis mali, &* inca-

incapax ad omne bonum. Art.40.: *Sinè gratia nihil amare possumus, nisi ad nostram condemnationem.*

8 His positis, edisserant nobis adversarii, qua ratione Sanctus Fulgentius contra Ethnicos istos concludere potuerit, quòd *tali cognitione sit ablata excusatio*: quòd cognitio illa *adjecerit pravaricationis reatum*, siquidem absque gratia, qua supponit eos adversarius caruisse, nihil libertatis, nihil virium habuerint; nisi ad malum, & ad novum perpetuò *adjiciendum pravaricationis reatum*, novam *condemnationem*. Ecquid cognitio illa miseris contulit, quo continere se possent, aut impedire, nè illa Dei cognitio peccato originis *adjiceret* semper novæ *pravaricationis reatum*? Non enim potuêre debitos *adorationis*, *gratitudinis*, *amoris affectus* elicere sinè gratia, quâ supponitur eos fuisse penitùs destitutos? Quomodo autem sinè illa ab *errando*, à se *pracipitando*, à se *vulnerando*, ab accersenda sibi nova *condemnatione* avertere se potuêre? Si non potuerint, quæ æquitatis regula postulat, aut patitur, eos quasi novæ continuò prævaricationis reos agi, & suppliciis puniri, quibus nulla excogitari valeant atrociora? *Ad merendum, & demerendum in statu natura lapsa requiri libertatem à necessitate*, neque *sufficere libertatem à coactione*, ex Hæreseos censura contra tertiam Jansenii Propositionem didicimus; imò naturæ lumine id nobis inditum est, & mortalium omnium consensu à principio stabilitum.

Justissimæ rationis ductum, ut solet, sequitur S. Thomas in quæstionibus disputatis, quæstione de malo quæst. 6. de electione: *Quidam* (inquit) *posuerunt, quòd voluntas hominis ex necessitate movetur ad aliquid eligendum: nec tamen ponebant, quòd voluntas cogeretur; non enim omne necessarium est violentum . . . . . Hæc autem opinio est haretica, tollit enim rationem meriti, & demeriti . . . . . Si enim non sit liberum aliquid in nobis; sed ex necessitate movemur ad volendum, tollitur deliberatio, exhortatio, praceptum, & punitio, & laus, & vituperium.*

Sensus itaque, quem adversarii tribuunt Fulgentio, ut eum damnati errore dogmatis irretiant, neque cum Doctore Angelico, neque cum admissis pridem ab Ecclesia constitutionibus Pontificum, neque cum rationis naturalis dictamine, & sanâ doctrinâ, neque cum objecti textûs circumstantiis, aut secum ipso illic Fulgentio conciliatur.

Mentem quoque suam proscripto articulo contrariam, alibi verbis conspicuis apertissimè declarat. Sic lib. 1. ad Monimum c.13.: *Potuit* (Deus) *sicut voluit pradestinare quosdam ad gloriam, quosdam ad pœnam. Sed quos pradestinavit ad gloriam, pradestinavit ad justitiam, quos autem pradestinavit ad pœnam, non pradestinavit ad culpam; posset enim peccatum aliquod ex pradestinatione Dei esse, si posset aliquis hominum justè peccare: nullus autem hominum justè peccat, quamvis eum Deus justè peccare permittat.*

Et aliquantò post: *In Sanctis coronat Deus justitiam, quam eis gratis ipse tribuit, gratis servavit, gratisque perfecit. Iniquos autem condemnabit pro impietate, vel injustitiâ, quam in eis ipse non fecit. In illis enim opera sua glorificat, in illis autem opera non sua condemnat.*

Similia traduntur cap.21. Si quos prædestinavit Deus ad pœnam, non prædestinaverit ad culpam; neque posset prædestinare magis ad peccatum, quàm homines possint peccare justè: si & in hominibus condemnat Deus *opera non sua*; si neque impietatem, & injustitiam ipse faciat, evidens apparet, quòd juxta Fulgentium non possit Deus infundere peccatum, sive per se immediatè, sive media cognitione à se pariter infusa: aliàs censeretur peccatum opus ipsius Dei. Neque Deum quispiam ab hac macula vindicaret, dicendo, quòd ideo ista cognitio pariat peccatum, nec aliud quàm peccatum; quia nulla comitatur eum gratia, quæ posset effectum istiusmodi impedire. Talis enim concessio gratiæ in solius Dei potestate fuit: neque hanc à Deo homo valuit impetrare. Sic itaque Deus semper manet author criminum, quæ in judicio condemnat: *iniquos autem* suppliciis addicens, *condemnabit pro impietate, vel injustitia, quam in eis ipse fecerit*: utrumque fidei contrarium est; utrumque à Fulgentio disertissimè negatur.

CAPUT IV.

Præoccupatur scrupulus circa rigidam Quesnellianæ sententiæ acceptionem.

1 CHristianorum hominum, maximè piorum, ingenium, charitatis regulas præ oculis habens, *de proximo non cogitat malum*, quæcunque facta, vel dicta in benigniorem, quantum veritas patitur, interpretatur partem: cùm igitur istud Fulgentii, quòd in vasis iræ, seu Philosophis Ethnicis *manifestatio, qua cognoverunt*

runt Deum, operata in illis sit, ut cognoscendo superbirent, interpretemur benigniùs, non quasi manifestatio illa Dei fuerit causa superbiæ; sed tantùm occasio ab induratis Ethnicis perperàm accepta; cur, inquies, non similis interpretatio verbis tribuitur Quesnellianis? Non patitur hoc usus Ecclesiæ, non patiuntur leges, tum civiles, tum Ecclesiasticæ non patiuntur circumstantiæ; non patitur denique Quesnellus ipse.

Contensonus, quem prætensi Augustini discipuli magnis encomiis prædicare solent, dissertatione de gratia pag. 624.: *Solis*, inquit, *sacris literis, solis Sanctorum Patrum dictis Ecclesia hanc debet reverentiam, ut difficilia, & obscura eorum verba inquisitis reconditis eorum sensibus explicet; piisque interpretamentis exponat*. Quæ verba ex Contensono referens, & approbans Cardinalis de Aguirre, adversariis etiam ipse pretiosus, in Theologia S. Anselmi disput. 135. sect. 4. in fine sic concludit: *Quare frustrà aliqui idipsum fieri exoptant cum Jansenio*. Addamus ob rationem non disparem, & cum Quesnello. Ab eodem Eminentissimo citatur eruditissimus Goddoy, qui dum prima parte disp. 26. num. 25. piâ, & rationi consonâ interpretatione exposuit quædam S. Hieronymi dicta, duriore ab aliis accepta sensu, subjungit: *Multoties Patres aliquem impugnantes errorem, in oppositum inclinare videntur verbis adeò claris, ac sunt alia, quæ in hæreticis reperiuntur. Quo non obstante Patres catholico sensu explicantur, & hæreticorum verba accipiuntur, ut sonant; quia eorum mens est suspecta, nec de illa curatur in sanum sensum reducendâ &c.*

Sic pridem S. Athanasius, cùm quidam è Patribus viderentur asserere, *Dei filium arbitrio, & voluntate gigni à Patre*, atque eo mirificè exultarent Ariani, abutentes ad negandam Filio Divinitatem, eos facilè reprimit Oratione 4.: *Hoc*, inquit, *si quis ex orthodoxis simpliciter diceret, nihil esset, quod malè suspicareris de hoc dicto; quippe ibi bona mens superaret simpliciorem loquendi modum: nunc quia hæreticorum ea vox est, omniaque hæreticorum verba suspecta sunt, non id faciunt sinè perversitate animi*.

In jure quoque communi fundatum est, quòd sermonis obscuri interpretatio fieri debeat contra proferentem l. *Veteribus*, ff. de pact. l. *Labeo scribit*, ff. de contrahent. empt. l. *Si arborem* §. *Hac lex*. Et ibi Bart. de servi. urbi. prædi., & infra eod. vers. 7. interpretatio fit contra eum declarare appellationem: in spec. de appella. §. 4. vers. *quid si quis*.

Idem in cæteris observatur, potissimùm ubi proferens suspectus est: &, ut notat Procurator Fiscalis in Processu juridico contra Quesnellum apud Archiepiscopum Mechliniensem, seu *Causâ Quesnelliana* art. 4. pagina 182. „ Hoc insuper „ inquit, „ rogatum „ velim, ut extracta, quæ hic subjungam, „ non singula separatim conspiciantur; sed „ conglobata cum reliquis Jansenismum „ sapientibus appendantur in statera. Hac „ adjuncta consideratione, quod à Viro ta„ li, qualem jam exhibui, & etiamnum „ exhibiturus sum, sint studiosè conscri„ pta, atque terminis hinc indè involuta, „ valde ambiguis, & æquivocis. Nam quod „ verba, quæ duplicem habent sensum, si „ à suspecto proferantur, in deteriorem „ partem intelligenda sint, in jure proba„ tum habemus. C. *Aut facta* §. *Persona*, „ ff. de pœn. l. *Quod si nolit* §. *Qui mancipia* ff. de ædil. Edict. Auth. *quibuscunque*, „ C. de Sacris hic Can. *Si quis Anglor*. 56. „ dist. &c.

2 Sed hæc omnia à me ex abundanti, ut dicitur, non ex necessitate allegata sunt. Non enim hic Quesnelli sententia obscura est, sed adeò perspicua, ut applicari ei quodammodo possit, quod de verbis Christi Eucharistiam instituentis dicitur, & indè formatur à Catholicis contra Calvinistas argumentum: Supposito nempe, quod evidens est, Mysterium istud omnipotentiæ Dei minimè repugnare, ac proin factum potuisse à Christo hominibus revelari: tum quæritur, quibus demum aliis verbis oportuisset uti Christum, ut istud Apostolis denuntiaret; quàm dicendo: *Hoc est Corpus meum, quod pro vobis tradetur*.

Simili modo quæri potest de Quesnelli sententia, quomodo clariùs exprimi debuit, vel potuit, ut significaretur omnis cognitio Dei sinè gratia esse causa peccati, quàm asserendo adeò didacticè, & cum emphasi: *Omnis cognitio Dei, etiam naturalis, etiam in Philosophis ethnicis, non potest venire, nisi à Deo, & sinè gratia non producit, nisi præsumptionem, vanitatem, & oppositionem ad ipsum Deum*? Non potuit mens authoris nobis declarari apertiùs, aut fortiùs inculcari. Non tantùm ait, illam sinè gratia cognitionem producere peccata, sed nihil producere præterea: *Non producit, nisi præsumptionem, vanitatem, & oppositionem ad ipsum Deum*. Non ita Sanctus Fulgentius, cujus locutionem simplicem, sed aliquatenus obscuram, ad sanum sensum determinant circumstantiæ.

Denique Quesnellus ipse in *Querela*, & pro-

protestatione pag. 47. ubi compendio colligit, & defendere conatur, quod pluribus in Constitutione propositionibus damnatum est, circa materiam de libertate sinè gratia: pag. 154. & aliquot vicinis, ubi propositionum earumdem vindicias instituit uberiores, propositionem referens 41. sensum ejus obvium à se intentum fuisse minimè inficiatur, neque in dubium revocat; sed unica ejusdem sensûs, quantis potest viribus propugnandi cura est. Verùm quæ hìc supervacanea aliquibus videri poterit animadversio, de non tribuendo Quesnelli propositionibus sensu benigniore, quàm obvia verborum significatio, & sermonis proprietas postulet, etsi circa Sanctos Patres aliud suadeat reverentia, & usu apud Theologos receptum sit, non tamen inutilis Lectori erit pro aliarum quarundam propositionum intelligentia, quarum sensus fortè videbitur obscurior, aut alicujus S. Patris, quoad verborum corticem, in damnatam novitatem propensio; quem aliunde constat, vel meritò supponitur noluisse à communi cæterorum Patrum, & Ecclesiæ sententia declinare.

Quadragesimasecunda Propositio damnata.

Sola gratia Christi reddit hominem aptum ad sacrificium Fidei: sinè hoc nihil, nisi impuritas, nihil nisi indignitas. *Observat. Moral. Actorum* 11. *vers.* 9.

CAPUT I.

Propositionis secundùm se, & in sensu obvio intellectæ impugnatio.

1 PRopositionis pars prior vacat crimine: posterior verò indubitatam merita est damnationis sententiam. Novum enim, & minimè obscurum specimen præbet irreverentiæ, & rebellionis contra Apostolicam Sedem. Quomodo scilicet Author ignorare potuit his verbis, *sinè sacrificio Fidei, nihil nisi impuritas, nihil nisi indignitas*, contineri articulum Baji 25. trium olim Romanorum Pontificum Constitutionibus damnatum: *Omnia opera Infidelium sunt peccata, & Philosophorum virtutes sunt vitia?* Quomodo latere Quesnellus potuit, hunc esse inter cæteros, de quibus Urbanus VIII. Bulla IN EMINENTI gravissimè conqueritur, quod compertum fuerit in libro Jansenii: *Multas ex Propositionibus à prædecessoribus*, inquit, *nostris olim, ut præfertur, damnatis contineri, & magno cum Catholicorum scandalo, & authoritatis dictæ Sedis contemptu, contra præfatas damnationes, & prohibitiones defendi..... malo in scandalum totius Reipublicæ Christianæ, & Fidei Catholicæ perniciem vertente?* Sed ista trium Pontificum authoritas, & Constitutiones quælibet Apostolicæ nihili sunt apud Quesnellum, quoties damnatis Baji, & Jansenii opinionibus adversantur.

Non pluris facit summos Ecclesiæ Patres, & Doctores sanctissimos, quidquid *inconcussis* eorum, & *tutissimis dogmatibus*, alibi se gloriari mentiatur. Legerit indubiè in Magistro Angelico 2.2. qu. 10. art. 4. Corp. *Manifestum est, quòd Infideles non possunt operari bona opera, quæ sunt ex gratia; scilicet opera meritoria: tamen bona, ad quæ sufficit bonum naturæ, aliqualiter operari possunt; unde non oportet, quòd in omni suo opere peccent*; sive non oportet, quod in operibus eorum nihil sit, nisi impuritas; nihil, nisi indignitas; quamvis nullum penès eos sit *sacrificium Fidei*.

Ibid. ad 3. *dicendum, quòd per infidelitatem non corrumpitur totaliter in Infidelibus ratio naturalis, quin remaneat eis aliqua veri cognitio, per quam facere possunt aliquod opus de genere bonorum.*

Idem 1. 2. qu. 109. art. 2. Corp. *Natura humana per peccatum non est totaliter corrupta, ut scilicet toto bono naturæ privetur; potest quidem etiam in statu naturæ corruptæ per virtutem suæ naturæ aliquod bonum particulare agere*. Magistrum Angelicum sequuntur omnes genuini ejus Discipuli; secuti etiam videntur Tridentini Patres, dum sess. 6. cap. 2. docent, *prævaricatione Adæ in posteris liberum arbitrium minimè extinctum esse, viribus licet attenuatum, & inclinatum*. Præcesserat Concilium Arausicanum 2. cap. 2.

Alter, cujus *tutissima, & inconcussa* dogmata tanto strepitu Quesnellus, & Socii ejus passim sibi, & Jansenio vindicant, est Doctorum aquila Augustinus. Hic autem procul absuit à durissima Quesnelli contra Infideles sententia, quamvis extimo verbo-

rum

rum cortice subinde loqui obscuriùs videatur. Clarissimè nos docenti auscultemus de Polemone Gentili Epist. 130. *Polemo ergo si ex luxurioso continens factus, ita sciret, cujus esset hoc donum, & Deum, abjectis superstitionibus gentium, piè coleret, non solùm continens, sed etiam veraciter sapiens, & salubriter religiosus existeret, quod ei non tantùm ad præsentis vitæ honestatem; verùm etiam ad futuram immortalitatem serviret.* Polemo sacrificium Fidei non obtulit utpote Infidelis; aliquid tamen præter *impuritatem*, & *indignitatem* in eo agnovit Augustinus, videlicet *continentiam*, & quidem talem, quæ *donum* Dei erat, non igitur *impuritas*, nec *indignitas*; sed virtus moralis, quæ ad *præsentis vitæ honestatem* serviret.

Lib. 5. de Civit. cap. 12. *Romani justitiâ, & strenuis actibus promeruerunt à Deo imperium.* Quid ergo? an Deus præmium tribuit *impuritati*, vel peccato? Id sinè manifesta impietate, & blasphemiâ nemo dixerit.

Epist. 5. ad Marcellinum: *Rempublicam primi Romani constituerunt, auxeruntque virtutibus; etsi non habentes veram pietatem erga Deum verum..... Deus enim sic ostendit, quantum valerent civiles, etiam sinè vera religione virtutes.* Et Epist. 99. *Ut excepto Dei cultu, in quo erraverunt..... in cæteris moribus parsimoniæ, continentiæ, castitatis, sobrietatis, mortis pro patria salute contemptûs, fervatæque fidei, non solùm civibus, verùm & hostibus imitandi meritò proponantur.* Virtutes civiles, quas Deus approbat, & donat præmio, quæ non solùm civibus, sed etiam hostibus meritò imitandæ proponuntur, *nihilne* sunt, *nisi impuritas, nihil nisi indignitas*?

Lib. 1. de peccatorum meritis, & remissione cap. 22. *Unde fit ut homo ab ineunte ætate..... ad virtutes cæteras provectior, aptiorque consurgat, & tamen eo loci sit, ubi ei prædicari gratia Christiana non possit.*

Lib. 4. contra Julianum cap. 3. *Etiam ipsa bona opera, quæ faciunt Infideles, non ipsorum sunt, sed illius, qui bene utitur malis.* Libro de spiritu, & lit. cap. 26. de Infidelibus, ait: *In numero etiam hominum impiorum, nec Deum verum veraciter, justèque colentium, quædam facta legimus, vel novimus, vel audivimus, quæ secundùm justitiæ regulam non solùm non vituperare possumus; verùm etiam meritò, justèque laudamus; quanquam si discutiatur, quo fine fiant, vix inveniuntur, quæ justitiæ debitam laudem, defensionemque mereantur.* Etsi vix inveniuntur, inveniuntur tamen, judice Augustino, aliqua, quæ juxta justitiæ regulam vituperari non possunt; verùm etiam meritò, justèque laudantur; imò quæ discusso etiam quo fine fiant, justitiæ debitam laudem, defensionemque promerentur. Videt itaque Quesnellus, quem sibi adversarium priùs debellare debeat, si omnia Infidelium opera velut impura, & indigna expugnare voluerit.

Eodem libro cap. immediatè sequenti de Infidelibus, dicitur: *Ipsi homines erant, & vis illa naturæ inerat eis, qua legitimum aliquod anima rationalis & sentit, & facit.* Dein additur: *Sicut enim non impediunt à vita æterna justum quædam peccata venialia, sinè quibus hæc vita non ducitur, sic ad salutem æternam nihil prosunt impio aliqua bona opera, sinè quibus difficillimè vita cujuslibet pessimi hominis invenitur.* Augustino subscribit celebris ejus Discipulus S. Fulgentius lib. de Incarnatione, & Gratia cap. 26. dicens: *Aliqua quidem bona, quæ ad societatis humana pertinent æquitatem, Infidelibus inesse possunt; sed quia non charitate fiunt, prodesse non possunt.*

3 Utrumque præivit Hieronymus, quem Augustinus coluit velut Magistrum. Sic igitur Hieronymus in cap. 22. Matth. *Hunc locum*, de bonis operibus Infidelium, *plenius tractat Apostolus ad Romanos, quòd Gentes naturaliter facientes ea, quæ legis sunt, condemnent Judæos, qui scriptam legem non fecerint.* Dein subdit: *Inter ipsos quoque Ethnicos est diversitas infinita, cùm sciamus alios esse proclives ad vitia, & ruentes ad mala; alios ab honestatem morum virtutibus deditos.*

Idem in cap. 1. Epist. ad Galatas: *Multi*, inquit, *absque fide, & Euangelio Christi vel sapienter faciunt aliqua, vel sanctè, ut parentibus obsequantur, ut inopi manum porrigant, non opprimant vicinos, non aliena diripiant, &c.* Idem in Ezechiel. 29. vers. 18. *Perspicuum est, condemnari nos comparatione Gentilium, si illi lege faciant naturali, qua nos etiam scriptâ negligimus, de quo plenissimè ad Romanos Paulus Apostolus disputat.*

Ibidem. *Ex eo, quod Nabuchodonosor mercedem accipit boni operis, intelligimus etiam Ethnicos, si quid boni fecerint, non absque mercede, Dei judicio præteriri.* Nabuchodonosorem illum Ethnicum tunc fuisse non solùm ex Hieronymo discimus, sed apud omnes indubitatum est, & tamen absque fidei sacrificio non omnia, quæ fecit velut *impura*, & *indigna* à Deo reputata sunt; sed nonnulla etiam laude, & præmio compensata, Sancto Hieronymo teste in cap. 29. Ezech.

Præterea authorem operis imperfecti in

in Matth. homilia 25. Tertullianum de Corona Militis cap. 6. Chrysostomum, &c.

Neque fingi potest, quòd in memoratis Infidelibus, quoties operis quidpiam innocui, vel etiam laudabilis fecerint, actus fuerit aliquis fidei Divinæ; tunc enim Infideles esse desiissent, quod est contra suppositum Patrum, & sacrorum Interpretum.

4 Quid autem persuadere Adversario potuit *Observationem Moralem* adeò exoticam, adeò contrariam non solùm Sanctis Patribus, & Doctoribus Ecclesiæ, sed ipsis Scripturis, & Dei testimoniis maximè perspicuis, ac propterea à tribus pridem Romanis Pontificibus meritissimè damnatam? Citat Act. cap. 11. vers. 9. *Respondit autem vox secundò de cœlo: quæ Deus mundavit, tu commune nè dixeris.* Sensus est, quòd, abrogatâ lege Mosayca, desinerent animalia esse immunda; atque id applicatur Cornelio Gentili, qui inter Gentiles morum honestate celebratus, & Judæis benefaciens, ab ipsis vicissim amabatur: nunc singulari gratia ad fidem, & Ecclesiam conversus, non ut impurus à Petro respui debuit; sed ut mundatus benignè suscipi.

Gentiles ante conversionem immundos esse quis Catholicus negaverit? Sed aliud est, peccatorem esse; aliud peccare omnibus actibus. Primùm de Infidelibus omnes fatentur, alterum soli asserunt Novatores, & proscripti ab Ecclesia Hæretici. Quem scilicet Quesnellus à Scriptura, & Patribus errorem minimè didicit, accipere potuit traditum à Jansenio, Bajo, Calvino, Luthero, & horum sequacibus. Baji articulum 27. damnatum superiùs descripsi. Jansenius eundem ab inferis revocavit libro 3. de Gratia Christi Salvat. cap. 11. sic enuntians: *Tertiò probavimus fusè in præcedentibus, nullum omnino bonum moraliter opus, hoc est nullum opus, quod non sit peccatum, ab Infidelibus posse fieri, sed quidquid faciant, quoquo modo se vertant, quamcumque rectam meditentur operationem, totum in eis perversi amoris cupiditate contaminatum esse.* Quam novitatem solitâ sua confidentia tribuit Augustino dicens lib. 4. de statu naturæ lapsæ cap. 3.: *Mentem quippe suam* (Augustinus) *qua sentit omnia omnino opera infidelium esse vera peccata, nec esse posse nisi peccata, tantâ manifestatione declaravit, ut, si solis radiis eam scribere voluisset, vix arbitror illustriùs eam nobis depingere potuisse.*

Calvinus in Antidoto Concilii Trident. sess. 6. in Canonem 7.: *Sinè qua* (fide, inquit) *quæ videntur bona opera, in peccata vertuntur.* Et lib. 3. Instit. cap. 14.: *Est maledictum, nec modo nullius ad justitiam pretii; sed certi in damnationem meriti, quidquid cogitat, meditatur, perficit homo, antequam Deo per fidem reconcilietur.*

Lutherus in Epist. ad Galatas capit. 4.: *Opera extra fidem facta, ut maximè in speciem sancta videantur, sub peccato, & maledicto sunt.*

Kemnitius in Examine Tridentini in sessionem sextam Can. 1., & 7.: *Infidelium opera non inter verè bona opera; sed inter peccata recensenda sunt.*

Bucerus in Epist. ad Romanos cap. 14. vers. 23. *Quod fide caret, non modò ingratum, sed & abominabile est coram Deo.*

Hos Duces, hos Magistros sequi Quesnellus, quàm Apostolicam Sedem, & Ecclesiam maluit.

CAPUT II.

Gravior accusatio Propositionis acceptæ juxta sensum ab Authore intentum.

1 Dogma horridum impugnavi hactenus, uti sonat solummodo, & intellectum significatione obviâ; ubi verò ex circumstantia Authoris sensus integer redditus fuerit, necesse est crescat novitatis horror, quantum ejus venenum nocentius apparebit, præsentiusque inferens exitium.

Ad *sacrificium*, scilicet fidei, *sinè quo nihil, nisi impuritas, nihil, nisi indignitas*, Authori non sufficit fides Divina, & Christiana qualiscunque, etiam mortua, & expers charitatis; sed ab eo requiritur talis, quam charitas imperet, aut comitetur; nam, ut Propositio 58. enuntiat, *nec Deus est, nec religio, ubi non est charitas.* Ubi autem nec Deus est, nec religio, quod potest esse *sacrificium fidei*? Sacrificium est actus religionis, & cultus Deo debitus, quo creatura supremo Domino honorem exhibet, suamque profitetur submissionem. At Proposit. 54. *Sola charitas est, quæ Deo loquitur, eam solam Deus audit.*

Propos. 56. *Deus non remunerat, nisi charitatem; quoniam charitas sola Deum honorat.* Quale foret sacrificium fidei, quod Deum non honoraret? Religionis sacrificium non exhibens Deo honorem, sive cultum, est homo sinè anima, & res quælibet absque prædicato, quo præcipuè constituitur.

Per *sacrificium fidei* ab Authore intelligitur non fides iners, & otiosa; sed hominem Deo sacrificans, atque adeò operans. *Fides*

Fides autem *non operatur, nisi per charitatem*, juxta Propositionem 51.

2 Imò fides sinè charitate esse non potest, tum per Propositionem 58. *Nec Deus est, nec religio, ubi non est charitas*: tum per 57. *Totum deest peccatori, quando ei deest spes; & non est spes in Deo, ubi non est amor Dei*. Ubi totum deest, non potest intelligi superesse fides, quæ justitiæ recuperandæ radix à Catholicis censetur.

Juxta Propos. 49. *Ut nullum peccatum est sinè amore nostri, ita nullum est opus bonum sinè amore Dei*. Fingere autem fidem, sive *sacrificium fidei*, quod non sit opus bonum, esset fingere hominem non rationalem; quapropter Quesnello non potest esse *sacrificium fidei*, nisi quòd comitem habeat *amorem Dei*. Rursus juxta Propos. 46. *Cupiditas, aut charitas usum sensuum bonum, vel malum facit*. Si sensuum, cur non & cæterarum animæ facultatum? Si autem adæquata sit, ut Quesnellus statuit, humanorum actuum divisio, sintque boni omnes, & soli, qui profluunt ex charitate, relictis cæteris cupiditati, ejusque maculatis vitio, fides, quæ charitatis fœtus non est, necesse est pertineat ad cupiditatem, quod clarissimè confirmat Propositio 45. *Amore Dei in corde peccatorum non amplius regnante, necesse est, ut in eo carnalis regnet cupiditas, omnesque actiones ejus corrumpat*. Inter actiones carnali cupiditate corruptas, non potest esse locus fidei, quæ donum Dei est, & actus virtutis Theologicæ; cùm igitur *sacrificium fidei*, sinè quo *nihil est, nisi impuritas, nihil, nisi indignitas*, debeat esse actus bonus, laudabilis, supernaturalis, evidens est, ab Adversario non intelligi actum carnali contaminatum cupiditate; sed amoris erga Deum in corde regnantis imperio elicitum.

Eòdem conspirat Propos. 44. *Non sunt, nisi duo amores, unde volitiones, & actiones omnes nostræ nascuntur: amor Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur; & amor, quo nos ipsos, ac mundum diligimus, qui, quod ad Deum referendum est, non refert, & propter hoc ipsum fit malus*. Si volitiones, & actiones omnes nostræ oriantur, vel ex amore Dei sanctò omnia agente propter Deum, quemque Deus remuneratur, vel ex amore mundi illicito, malitiam derivante in volitionem omnem, & actionem ex se progenitam, evidens est, & religiosum fidei sacrificium, & volitionem illud imperantem, debere profluere ex amore Dei omnia agente propter Deum; aliàs *fidem*, & ejus *sacrificium* inter vitia numerandum. Propos. 47. *Obedientia legis profluere debet ex fonte, & hic fons est charitas. Quando Dei amor est illius principium interius, & Dei gloria ejus finis, tunc purum est, quod apparet exteriùs; alioquin non est, nisi hypocrisis, aut falsa justitia*. Sacrificium itaque fidei, sinè quo nihil est, nisi impuritas, nihil, nisi indignitas, non est Quesnello fides qualiscunque; sed talis, quæ profluere debeat ex charitate, sinè qua non vera fides erit, sed hypocrisis.

Quanta hinc series deducitur, imò spontè prosilit damnatorum dogmatum! Damnatorum, inquam, non à solo CLEMENTE XI.; sed pridem à Sancto Pio V., Gregorio XIII., Urbano VIII., Alexandro etiam VIII! Nam ultra Bajanum 25. *Omnia opera Infidelium sunt peccata, & Philosophorum virtutes sunt vitia*, sequitur 27. *Liberum arbitrium, sinè gratiæ Dei adjutorio, nonnisi ad peccandum valet*. Liberum enim arbitrium, sinè gratiæ Dei adjutorio, non valet ad offerendum Deo *sacrificium fidei*, ut autem sinè hoc nihil est, nisi impuritas, nihil, nisi indignitas, quid nisi peccatum esse potest? Ad quid liberum arbitrium valere, nisi ad peccandum? Præterea plures Baji articulos eundem errorem majore ingerentes temeritate, nec sinè gravi in Doctores Catholicos censurâ.

Temperantiùs; sed non multò saniùs loquitur Bajus art. 38. *Omnis amor creaturæ rationalis, aut vitiosa est cupiditas, quâ mundus diligitur, quæ à Joanne prohibetur; aut laudabilis illa charitas, quâ per Spiritum Sanctum in corde diffusâ Deus amatur*.

Consentit Quesnelli Propositio 42. exigens in omnibus actionibus *sacrificium fidei* ex *Christi gratia*, sive, ut monet Propos. 46. profluens ex charitate, vel, ut habet Propos. 44. *ex amore Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur*. Qui proinde amor Dei aliquo modo perfectus, & super omnia est.

Succedit Art. 7. inter 31. ab Alex. VIII. proscriptos: *Omnis humana actio deliberata, est Dei dilectio, vel mundi; si Dei, charitas Patris est; si mundi concupiscentia carnis, hoc est mala est*. Artic. 8. *Revera peccat, qui odio habet peccatum merè ob ejus turpitudinem, & disconvenientiam cum natura, sinè ullo ad Deum offensum respectu*. Artic. 10. *Intentio, qua quis detestatur malum, & prosequitur bonum, merè ut cœlestem obtineat gloriam, non est recta, nec Deo placens*. Artic. 11. *Omne, quod non est ex fide Christiana supernaturali, quæ per dilectionem operatur, peccatum est*. Artic. 13. *Quisquis etiam æternæ mercedis intuitu Deo famulatur, charitate si carue-*

caruerit, vitio non caret, quoties intuitu litèt æternæ Beatitudinis operatur.

In his omnibus actibus non reperitur *sacrificium fidei*, elicitæ *ex Dei amore, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur*, sinè quo, juxta Quesnelli Prop. 44. *Volitiones, & actiones omnes nostræ malæ sunt*, sive ut enunciat Propositio præsens 42. *Nihil est, nisi impuritas, nihil, nisi indignitas*: juxta hanc *timor gehennæ non est supernaturalis*: & *attritio, quæ gehennæ, & pænarum metu concipitur sinè dilectione benevolentiæ Dei propter se non est bonus motus, & supernaturalis*: qui sunt articuli 14., & 15. eodem Alexandri VIII. Diplomate proscripti. Sed hujus Decreti apud Quesnellum nulla est authoritas, quin & propter illud ipsius Pontificis memoria in nova Ecclesia est abominabilis: Catholicis verò Theologis vel propterea in benedictione est, quòd illam triginta capitum hydram è Janseniani colubri cineribus in Belgii, & Galliæ exitium redivivam, Vaticani fulmine prostrarit, excusseritque, nunquam apud Catholicos renascituram.

5 Nondum finis impiis è præsenti Quesnelli dogmate se protrudentibus consectariis: Bajanus articulus 58. erat *Peccator pænitens non vivificatur ministerio Sacerdotis absolventis; sed à solo Deo, qui pænitentiam suggerens, & inspirans vivificat eum, & resuscitat; ministerio autem Sacerdotis solus reatus tollitur*. Requiritur nempe in Baji, & Quesnelli systemate ad sacerdotalem absolutionem prævia in pœnitente dispositio, in bonis fidei, & pœnitentiæ, non qualibuscunque actibus consistens; sed, cùm *nihil, nisi impuritas; nihil, nisi indignitas* sit in humanis actibus absque *sacrificio fidei*, & quidem *natæ ex amore Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur*, apparet evidens, exigere Quesnellum dispositionem justificantem, antequam effectum obtineat absolutio; quo supposito nunquam illa remittit peccatum, nisi antea pœnitentis actibus condonatum: nunquam Peccatores Deo reconciliat; sed justificatis iteratam solummodo absolutionem non necessariam impendit. Unde desineret, & Sacramentum istud esse humano generi necessarium, quasi altera post naufragium tabula: quod institutioni Christi, & Tridentinæ Synodi declarationi minimè consonare, universa hodie Orthodoxorum agnoscit Ecclesia. Aliàs neque Sacerdos unquam propriè posset retinere peccata, neque desineret pœnitens semper esse coram Deo justificatus, sive Sacerdos seriò, sive joco absolveret: quæ omnia definitionibus Tridentini sess. 14. cap. 1. 2. 3. 5. 6., & Can. 1. 2. 3. 9., & 10. minimè conveniunt.

Non tamen existimo, hæc à me collecta ex novo dogmate consectaria, quantumvis fidei nostræ, & doctrinæ sanæ adversantia, novis Theologis displicere; cùm & pro sui perspicacitate ingenii satis videant necessariam eorum cum suis principiis conventionem, & præcipui novæ Ecclesiæ fundatores ea statuerint inter prima reformationis capita.

Sic Claudius Segnenot ejusdem cum Quesnello instituti, & fidei, libro de virginitate pag. 122. 126. 128.: *Attritio*, inquit, *non sufficit; sed contritio ex perfecta charitate absolutè necessaria est ad recipiendum Sacramentum Pænitentiæ*.

Pag. 129. 130.: *Absolutio nihil est aliud, quàm declaratio peccati remissi*.

Sorbona verò anno 1638. primâ Junii, & rursus prima Julii de duobus his articulis ita censuit: *Hæ propositiones sunt quietis animarum perturbativæ; communi, & omnino tutæ praxi Ecclesiæ contrariæ; imminuunt efficaciam Sacramenti Pænitentiæ, & insuper temerariæ sunt, & erroneæ*. Authorem carcer Regius, *Bastille* vulgò, compescuit, quo tempore Joannes Vergerius Abbas Sancyranus totius novæ reformationis fons, & oraculum, comprehensus est, atque ad carcerem Parisiis vicinum prope Vincennensem silvam delatus est.

Illustrissimus Dominus Sebastianus Episcopus Lingonensis, ejus aliquando fautor, dein novitatum horrore perculsus, adversùs eum testis irrefragabilis, hæc se ab ipso audivisse commemorat, in declaratione scripto tradita Supremo Galliæ Cancellario anno 1636. die 11. Junii: *Sacramentum Pænitentiæ non delere peccata: sumptionem Eucharistiæ plus valere ad delenda peccata, & disponendum hominem ad beatam mortem, quàm confessionem: ideo magis expedire peste infectis, aliisque moribundis administrare Sacramentum Eucharistiæ, quàm Pænitentiæ: verba absolutionis non operari peccatorum remissionem, sed declarare tantùm. Contritionem ad Sacramentum Pænitentiæ omnino necessariam esse, ut peccata remittantur: verba Concilii Tridentini explicanda esse de contritione, ut à quibusdam Lovaniensis Academiæ Doctoribus explicantur; aut dicendum quòd Concilium in hoc articulo erraverit: Non posse haberi fidem ejusdem Concilii definitionibus; quia celebratum non fuerit juxta normam Conciliorum veterum*: & aliquantò supra: *Concilium Tridentinum non fuisse verum*

Con-

Concilium, utpote cujus definitiones circa Sacramentum Pœnitentiæ, & alias materias, novis dogmatibus apertè nimiùm adversantur. In quam tandem labyrinthum novitatum Quesnelliani dogmatis filo deducimur!

5 Redeamus ad caput controversiæ, *Sacrificium fidei, sinè quo nihil, nisi impuritas; nihil, nisi indignitas*. Novitatis hujus originem deducere possem à Luthero in Gen. cap. 8. Kemnitio examine Tridentinæ sessionis 6. canonis 1., & 7., Melanchtone in Epist. ad Romanos cap. 14., Calvino lib. 3. Institutionis capite 14., Chamiero lib. 4. cap. 6.

Sed nimiùm fortè odiosa nomina aversatus Quesnellus mavelit audire Jansenium dogmatis præsentis, & annexorum plurium Authorem. Sic igitur is lib. 3. de gratia Christi capite 21. ostendendum suscipiens omnia Infidelium opera esse peccata, ait: *Quamdiu Infideles manent, ipsis principiis faciendi moraliter boni carent. Hæc autem principia duo sunt. Primum est dilectio Dei, seu justitiæ* (increatæ) *quæ in omni opere, etiam moraliter bono dominari debet, atque ita dominari, ut nisi adsit, non nisi peccatum futurum sit opus, quod ex alia quacumque dilectione nascetur . . : . . . Secundùm principium boni operis, quo infideles carent, est fides veri Dei, & Christi ejus, sinè qua fide impossibile est, vel servare legem, vel cavere peccata.*

Lib. 5. de gratia Christi cap. 6.: *Nullam ipse* (Augustinus) *agnoscit fidem veram, atque Christianam . . . . nisi ex Dei charitate dimanet.*

Cap. 7. *Amor Dei, nisi voluntatem hominis ad credendum flectat, non erit fides Christiana; sed vel dæmonum pœnarum timore, vel carnalis ex mundi amore, quorum neutra est fides, qua Fideles nuncupamur.*

6 Eodem modo Quesnellus, nisi, inquit, *volitio* quâ imperatur *sacrificium fidei*, sive ipsa *actio*, quâ *sacrificium* istud constituitur, *nascatur ex amore Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur*, qualecunque illud nobis visum fuerit, *Nibil est, nisi impuritas; nihil, nisi indignitas*. Nos verò Divinis Scripturarum oraculis, traditioni Patrum, Pontificum definitionibus, Theologorum omnium Catholicorum contra Jansenianos, & Bajanos consensui absque erroris periculo credimus, dari opera innoxia sinè fide; atque hanc existere posse sinè charitate, ut definit Tridentinum sess. 6. canone 28., & Apostolus, ipso teste Augustino lib. 15. de Trinitate cap. 18.: *Fides juxta Apostolum esse potest sine charitate*;

sed de hoc ampliùs nobis differendum occurret Proposit. 44. & sequentibus.

Interea hic silentio non prætereundum, quòd adversarii duriorem in se ipsos, quàm existiment, aut velint, sententiam ferant. Bellarminus enim lib. 6. de gratia, & libero arbitrio cap. 3. cum reliquo Theologorum exercitu propugnat receptissimum contra Hæreticos dogma, nullam in eis quamdiu obstinati permanserint, posse esse veram fidem, etiam circa articulos, circa quos ab Ecclesia non dissentiunt. Quod autem Quesnellus, & ei adhærentes à me *haretici* vocentur, ignoscere debent, quando adeò publica est eorum in defendendis tot erroribus impiis, & hæreticis ab Ecclesia damnatis pertinacia: damnatis, inquam, non minori authoritate, studio, solemnitate, quàm plures aliæ olim hæreses proscriptæ sunt, quas nemo postea Catholicus recipere ausus sit. In sua igitur contumacia perdurantes adversarii ad offerendum *fidei sacrificium* minimè comparati sunt, ac proinde, quid in ipsis, juxta Propositionem 42. esse poterit, *nisi impuritas, nisi indignitas*? Quanta itaque continuò sibi accumulant demerita, quanta supplicia, præsertim is, qui octogesimum supergressus annum non alio, quàm *Andilii, & Arnaldi* (adeóque Jansenii) *doctrina lacte enutritus est*, quemadmodum de Quesnello, & ejus sociis gloriatur, totius Quesnelliani Ordinis nomine Præfatio, sive Epistola dedicans theses Andegavensi Episcopo, & refertur in Processu juridico, seu *Causâ Quesnellianâ* pag. 32.

CAPUT III.

Propositioni 42. frustrà patrocinium quæritur in Scripturis.

1 NOn sola *Hexapla*, sed & quæ suppetias illis recentiùs tulit *Propositionum in Constitutione CLEMENTIS XI. damnatarum collatio cum quibusdam Sacræ Scripturæ locis, ac SS. Patrum testimoniis*, initium hîc ducunt ab illo Epistolæ ad Hebræos cap. 11. vers. 6. *Sinè fide impossibile est placere Deo*: quod uterque Jansenianus interpres damnato dogmati tam apertè suffragari autumat, ut sola textus Sacri relatio sufficiat ad convincendam de calumniâ Pontificiam censuram. Verùm neque ego, neque alius hactenus, præter Jansenistas, sive in versu illo, sive in toto capite, quidpiam deprehendere possumus, quod damnato suffragetur articulo. Argumentum capitis est: Hebræos Apostolus in fide

Christi corroborat ad persecutionum tolerantiam, explicando quid fides sit, quanta certissimè promittat bona, quàm ardua, & heroica fecerint, vel perpessi sint olim Fideles, fide, & spe cœlestis gloriæ excitati. Et quidem vers. 5. dicitur: *Fide Enoch translatus est, nè videret mortem, & non inveniebatur; quia transtulit illum Deus; ante translationem enim testimonium habuit placuisse Deo*. Tum sequitur vers. 6.: *Sinè fide autem impossibile est placere Deo*. Hoc Sacro Textu utitur Tridentinum sess. 6. cap. 8. dicens: *Fides est humanæ salutis initium, fundamentum, & radix omnis justificationis; sinè qua impossibile est placere Deo, & ad filiorum ejus consortium pervenire*. De eo nemo Catholicus dubitat. Verùm aliud est, hominem placere Deo, aliud actionem ejus aliquam non displicere. Quamdiu Peccator criminis reus est, Divinæ manet obnoxius indignationi, atque vindictæ. Possunt tamen interim reperiri in impio opera quædam misericordiæ, temperantiæ, castitatis.

Fatetur id Augustinus lib. de Spiritu, & litera cap. 28. dicens: *Sicut non impediunt à vita æterna justum quædam peccata venialia, sinè quibus hæc vita non ducitur; sic ad salutem æternam nihil prosunt impio aliqua opera bona, sinè quibus difficillimè vita cujuslibet pessimi hominis invenitur*. Ut nempe aliud est, hominem bonum esse, aliud bonitatem inesse alicui ejus operi; ita potest opus aliquod non displicere Deo, etsi propter alia displiceat operans: atque hìc placere potest propter inhærentem justitiam, etsi opus ejus propter venialem malitiam displiceat.

Sinè operibus bonis nullus Peccator ad justificationem se præparat; ita Tridentinum sess. 6. cap. 6.: *Disponuntur autem ad ipsam justitiam, dum excitati Divinâ gratiâ, & adjuti, fidem ex auditu concipientes, liberè moventur in Deum, credentes, vera esse, quæ divinitus revelata, & promissa sunt...... &, dum Peccatores se esse intelligentes, à Divinæ justitiæ timore, quo utiliter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se convertendo, in spem eriguntur, fidentes, Deum sibi propter Christum propitium fore, illumque tamquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt; ac propterea moventur adversùs peccata per odium aliquod, & detestationem; hoc est, per eam pœnitentiam, quam ante baptismum agere oportet &c.* Tum statim sequitur initio cap. 8.: *Hanc dispositionem, seu præparationem justificatio ipsa consequitur*. Placet scilicet Deo Peccatoris, etiam inchoata pœnitentia, & ad justificationem conatus, ac præparatio, etsi is nondum justificatus, adhuc odio habeatur, & damnationi subjaceat. Pari ratione ex eo, quòd impossibile sit, hominem placere Deo sinè fide, & sinè ea semper maneat damnationi obnoxius, minimè sequitur de omni opere, quòd nisi eliciatur ex fide, à Deo nequeat approbari; sed inter peccata rejiciatur.

2 Oppositum nos docent ipsa Scripturarum oracula. Ezechielis cap. 29. laudat Deus, & dignum judicat præmio temporali auxilium, quod infidelis Nabuchodonosor Judæis præstitit adversùs Tyrum. In quem locum Sanctus Hieronymus sic animadvertit: *Ex eo, quòd Nabuchodonosor mercedem accepit boni operis, intelligimus, etiam Ethnicos, si quid operis boni fecerint, non absque mercede Dei judicio præteriri*. Ubi apparet evidens, sinè fide opus Deo placuisse, etsi non placuerit operans infidelis. Sic & quem adversarius citari libenter audit Cardinalis Aguirre Theologiæ Sancti Anselmi disputatione 130. sect. 5. discutiens: *An omnia opera Infidelium sint peccata*, pronuntiat ex Scripturis, Patribus, etiam Augustino, esse *quædam opera Infidelium bona*, tum n.46. ait: *Nostra, & communis sententia colligitur ex variis Scripturæ locis, in quibus legitur remuneratio aliqua, vel præmium à Deo collatum infidelibus ob quædam opera; veluti Obstetricibus Ægyptiis, quibus, propterea ædificavit Domos, ut habetur Exodi 1.: deinde Rahab meretrici, Josue 2. & 6.; ac præterea Nabuchodonosori, de quo legitur Ezechielis 29. accepisse mercedem sui operis à Deo, quoniam cum Exercitu suo laboravit in devastando Tyro. Patet verò, ea opera ab iis infidelibus relata non fuisse in Deum ex fide, præsertim per dilectionem operante: nec Deum conferre præmium aliquod, etiam temporaneum, nisi propter opera moraliter bona*.

Omni certissimè exceptione major, etiam apud adversarios debet esse Sanctus Thomas fidelissimus Scripturarum, & Augustini interpres, nè ab ipso quidem recusatus Jansenio: quæstionem, ubicunque occurrerit, pro nobis dirimit clarissimè, ut cap. sequenti verbis ejus copiosiùs demonstrabo.

Nunc solùm audiatur in cap. 14. Epistolæ ad Rom. lect. 3. explicans illud Apostoli: *Omne autem, quod non est ex fide, peccatum est*, quæ sententia, inter eas meritò numerabitur, quas indocti, & instabiles ad suum aliorumque depravant interitum; vix ulla est enim, qua novatores abutantur magis contra Apostolicas in præsenti materia Sanctiones. Sic autem S. Thomas loco citato, „ Potest hic fides dupliciter accipi: uno

modo

„ modo de fide, quæ est virtus: alio modo „ secundùm quòd fides dicitur conscientia, & hæ duæ acceptiones non differunt, „ nisi secundùm differentiam particularis, „ & universalis. Id enim, quod uniuersaliter de fide tenemus, puta usum ciborum „ esse licitum, vel illicitum, conscientia „ applicat ad opus, quod est factum, vel „ faciendum. Dicitur ergo ideo eum, qui „ manducat, & discernit, esse condemnatum; quia hoc non est ex fide, imò est „ contra fidem, id est contra veritatem fidei, & contrà conscientiam facientis. „ Hebr. 11.: *Sinè fide impossibile est placere Deo*. Et quòd hæc sit sufficiens causa „ condemnationis, ostendit (Apostolus) „ subdens: *Omne autem, quod non est ex fide, peccatum est* . . . . . Dicendum est, „ quòd aliter se habet fidelis ad bonum, „ & infidelis ad malum. Nam in homine, „ qui habet fidem formatam, nihil est damnationis; sed in homine infideli cum „ infidelitate est bonum naturæ: & ideo, „ cùm aliquis Infidelis ex dictamine rationis aliquod bonum facit, non referendo „ ad malum finem, non peccat . . . . . . „ Cùm verò infidelis aliquid agit, ex eo „ quòd infidelis est, manifestum est quòd „ peccet. Unde in glossa: cùm dicitur: opus „ omne, quod non est ex fide, peccatum est, „ sic est intelligendum, omne quod est „ contra fidem, vel contra conscientiam, „ peccatum est; etsi ex genere suo bonum „ esse videatur; puta si Paganus ad honorem suorum Deorum virginitatem servet, vel eleemosynam det, hoc ipso „ peccat.

Quando igitur infidelis administrat justitiam, vel eleemosynam dat, vel honorat parentes, vel abstinet à luxuria, ab ebrietate propter honestatem naturalem, juxta Angelicum non peccat, neque ab Apostolo condemnatur. Non est itaque eur *sinè sacrificio fidei, nihil sit nisi impuritas, nihil nisi indignitas*. Sinè fide quidem impossibile est placere hominem Deo, quia nemo sinè fide bonus est, seu justus, nemo sinè peccato, sive originis, sive propriâ voluntate contracto: sinè fidei actu nemo se ad justitiam disponere potest, declarante Apost. Hebr. 11. vers. 6.: *Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, & inquirentibus se remunerator sit*. Verùm opera aliqua possunt esse rationi naturali conformia, & fine quidem ad supernaturalem ordinem non evehi, sed nec ullius vitii labe ex nlla circumstantia contaminari, teste Angelico jam relato; cui cum Scoto, & Bonaventura passim omnes contra Bajanos, & Jansenianos Scholastici consentiunt; nec ullus hodie dissentire potest Catholicus.

Præluxere SS. Patres, etiam Augustinus, & Fulgentius, quos sibi patronos adversarii perperàm adsciscunt, ut sequenti capite fiet manifestum. Interea dum hìc de Scripturarum intelligentia disceptatur, dimissis novatoribus, Duces hactenus allegatos scientiâ, & sanctitate clarissimos, ac proinde tutissimos semper teneamus dicentes cum maximo Scripturarum interprete Hieronymo in caput primum Epistolæ ad Gal.: *Multi absque fide, & Euangelio Christi, vel sapienter faciunt aliqua, vel sanctè, ut parentibus obsequantur, ut inopi manum porrigant; non opprimant viduas, non aliena diripiant* &c. quæ igitur dementia est, omnia ista sinè fidei sacrificio vocare impuritatem, & indignitatem, repugnantibus Scripturis, traditione Patrum, Apostolicis contra Bajum, & recentiores, definitionibus, Scholasticorum Principum, & cum eis Theologorum omnium, atque adeò Ecclesiæ sententiâ universæ. Nos huic, dimissâ Hæreticorum, & novaturientium turbâ, securi adhæreamus.

3 Reliqua, quæ objiciuntur Scripturarum testimonia nonnisi levi oculo perrranseunda sunt, utpote ad præsentem controversiam minimè pertinentia. Psalm. 4. versic.6.: *Sacrificate sacrificium justitiæ*. Psalmo 50. versic. 18.: *Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum, & humiliatum Deus non despicies*. Act. 15.: *Fide purificans corda eorum*.

Revereor ubique Divini Spiritûs per Hagiographos loquentis sanctissima testimonia; sed stultè ab adversariis tentatam eorum ad damnati articuli applicationem teferre absque tædio, & indignatione non possum. Quid enim ea habent connexionis cum damnato dogmate; sive hoc in significatione verborum simplici, & obvia intelligatur, sive in sensu authoris, qui prioris malitiam non imminuit, sed longè deterioribus extendit incrementis?

Confer, si lubet, Lector Catholice, textus singulos, cum Quesnelli sententiâ, & hanc ex illis, quâ vales arte, deducere stude, fallor, si non operam perdi censueris, atque adversarios istiusmodi vindiciarum ratione ineptissimâ causam suam non defendere, sed prodere desperatam. Deus à nobis postulat *sacrificium justitiæ*: ergo, inquiunt adversarii, omnis humana actio, omnis volitio, quæ non est ex *gratia*, & *sacrificium fidei*, non est nisi imputitas, nisi indignitas. Alibí dicitur:

Misericordiam volo, & non sacrificium: ergo omnis alia præter misericordiam volitio, non est, nisi impuritas, nisi indignitas: *sacrificium Deo spiritus contribulatus* est; ideone omne præter spiritum contribulatum, est peccatum? Matth. 5. monemur: *Estote perfecti, sicut Pater vester cælestis perfectus est.* Sed non propterea omnis actio inferioris ordinis perversa est. Lucæ 12. dicitur: *Vendite, quæ possidetis, & date eleemosynam*; num propterea castitas, temperantia, mansuetudo &c. omnia, præter paupertatem voluntariam, & eleemosynam, *nil, nisi impuritas, sunt*; *nil, nisi indignitas*?

Ex illa quidem Christi sententia præceptum paupertatis omnibus impositum credidit Pelagius cum suis, ut testantur Hilarius, & Augustinus Epist. 89. ad Hilarium: *Hoc enim posuisti eos dicere, divitem manentem in divitiis suis, Regnum Dei non posse ingredi, nisi omnia vendiderit*: quos sic Augustinus redarguit: *Isti desinant contra Scripturas loqui, & in suis exhortationibus ad majora sic excitent, ut minora non damnent*; quia, ut observat Sanctus Gregorius lib. 19. Moralium cap. 11., *Ecclesia sic scit superiora bona suscipere, ut noverit etiam inferiora venerari, quatenus nec summa æquet infimis, nec rursum ima despiciat; dum summa veneratur.*

Affectus cognationis, & carnis, cujus idem meminit Gregorius Homil. 27. in Euangelia, non videtur esse ex supernaturali gratia, certè non est *sacrificium fidei*: nihilominus ait: *Sunt nonnulli, qui diligunt proximos per affectionem cognationis, & carnis, quibus tamen in hac dilectione sacra eloquia non contradicunt*. Oblationem justitiæ, & cordis contribulati Deo gratum esse Sacrificium, & gratius sacrificio taurorum, omnes agnoscimus; uti neque à Deo despici cor contritum, & humiliatum; sed nonne oculis præditum esse oportuit plusquam lynceis, qui in istiusmodi Scripturarum sententiis detexerit obligationem perpetuæ fidei, perpetuæ contritionis?

In Actis Apostolorum, quod ab Adversariis citatur, est Christianorum dissidium, an iis, qui ex gentibus conversi ad Christum fuerant, præcipi deberet circumcisio, & reliquæ observatio legis, de quo in Apostolorum Concilio Petrus sententiam dicit pro gentibus ab hoc onere liberandis, quòd, à Deo *fide purificatis* eorum cordibus, & Spiritu Sancto donatis, non esset, cur censerentur ampliùs immundi, aut cogerentur gemere sub jugo legis, *quod*, inquit Petrus, *neque Patres nostri, neque nos portare potuimus*, & à quo suos Christus voluit liberari. Nunc vim argumenti nobis oppositi, si potes, Lector concipe: *Corda eorum*, qui ex gentibus ad Christi Ecclesiam accessêre, *Deus fide purificavit*: omnia igitur opera sive Fidelium, sive Infidelium, nisi quæ *sacrificium fidei* purificaverit, sunt impura, imò *nihil* in iis *est*, *nisi impuritas*; *nihil*, *nisi indignitas*. Ad Christi Ecclesiam accedentes purificati fuêre gratiâ sanctificante; ideone absque hac omnia opera sunt peccata? Ita redibunt eliminata pridem ab Ecclesiæ finibus, Baji, & Sociorum ejus dogmata complura supetiùs relata, quæ non est opus hìc repetere.

Nihil stolidius, quàm ex eo, quòd boni quidpiam de virtute aliqua prædicetur, statim omnes alios mortalium actus contemnere, & accusare de vitio, ut hic Adversarius ex eo, quod Deus *corda per fidem purificet*, actus cæteros sinè fide arguit impuritatis adeò, ut *nihil, nisi impuritas sint, nihil, nisi indignitas*. Eleemosyna extinguit peccatum, sive, ut dicit Angelus Tobiæ cap. 12. vers. 8. *Bona est oratio cum jejunio, & eleemosyna*. Vers. 9. *Eleemosyna à morte liberat, & ipsa est, quæ purgat peccata*: ideone omnia peccati labe inquinantur, quæ non sunt eleemosyna, oratio, vel jejunium?

I. Corinth. 13. dicit Apostolus: *Charitas patiens est, benigna est, charitas non æmulatur, non agit perperàm, non inflatur, non est ambitiosa*: è quibus excellentibus charitatis encomiis nemo sapiens inferat; igitur quoties charitatis actus non comitatur, fides, spes, & quæcunque aliæ virtutes, aut virtutum opera, vitiis laborant charitati contrariis; fides, & spes, sinè charitate, impatientes sunt, duræ sunt, æmulantur, agunt perperàm, sunt ambitiosæ. Denique, si talis arguendi, & Scripturas interpretandi ratio legitima habeatur, quæ tandem hæresis adeò malesana est, quæ ex Scripturis sibi patrocinium vindicare non æquè, ac Adversarius valeat? Si ex eo, quod Deus *corda fide purificaverit*, rectè inferatur, quòd sinè fide perpetuò iterata, nihil in actibus nostris sit, nisi impuritas; nihil, nisi indignitas, oportebit quoque repetere sæpius Baptismum; quia etiam Baptismo purificati fuimus.

CA-

CAPUT IV.

Non suffragatur Adverſariis S. Auguſtinus; ſed opponitur certiſſimè, uti & S. Thomas.

1 PEnuria textuum Propoſitioni 42. affinium videtur Adverſarios adegiſſe, ad reducendum alienos de operibus ſinè gratia, quos locis propriis ad ſuperiores Articulos expendens, à damnatorum dogmatum erroribus vindicavi; quapropter, nè repetitionibus nimiis fruſtrà Lectoris oculos fatigem, ſolis inhærebo hic Auguſtini, & dein aliorum Patrum ſententiis, quæ pro fide adferuntur ad omnem actum ſive bonum, ſive innoxium, ſi Adverſariis credimus, neceſſariâ: unde confirmari videatur præſens Queſnelli enuntiatio, quòd ſinè ſacrificio fidei *nihil ſit, niſi impuritas; nihil, niſi indignitas.*

Sanctus Auguſtinus in Pſalm. 31. Enarratione 2. (apud me eſt in Præfatione): „ Debemus nulla opera præponere fidei, „ ideſt, ut ante fidem quiſquam dicatur „ bene operatus. Ea enim ipſa opera, quæ „ dicuntur ante fidem, quamvis videantur „ hominibus laudabilia, inania ſunt. Ita „ mihi videntur eſſe, ut magnæ vires, & „ curſus celerrimus præter viam. Nemo „ ergo computet bona opera ſua ante fi„ dem. Ubi fides non erat, bonum opus „ non erat; bonum enim opus intentio fa„ cit: intentionem fides dirigit „. Quid autem intentionem Adverſarii hic minimè bonam dirigat, manifeſtum eſt; fides nempe peſſima. Non enim ignorare potuit, Auguſtinum agere de operibus bonis ad juſtitiam conducentibus. Talia negat ſinè fide, & ante fidem eſſe. Verùm quid indè ad ſtabiliendum articulum, quòd *ſinè ſacrificio fidei nihil* ſit in humanis actibus, *niſi impuritas; nihil, niſi indignitas*, ſive, quòd omnia opera ſinè fide ſint peccata, ut cum Bajo, Janſenio, Calvino, Luthero Queſnellus perſuadere fruſtrà Eccleſiæ conatur?

Præfationem citatam ſic Auguſtinus orditur: „ Pſalmus gratiæ Dei, & juſtificatio„ nis noſtræ, nullis præcedentibus meritis „ noſtris; ſed præveniente nos miſericor„ dia Domini Dei noſtri, commendatus „ maximè ore Apoſtolico, ſicut præcedens „ hunc Pſalmum lectio nobis intimavit, à „ noſtra tenuitate ſuſceptus eſt, cum veſtra „ charitate tractandus „. De hac operum bonitate, nempe ad juſtificationem, & beatitudinem, ſeu *Regnum* Cœlorum pertinente tota Auguſtini procedit oratio: „ Audiamus, inquit, vocem Dei dicentem no„ bis: Nè declines in dexteram, vel ſini„ ſtram: nè præſumas ad regnum de juſtitia „ tua: nè præſumas ad peccandum de miſe„ ricordia Dei...... Iterum dico, quod „ breviter fixo animo teneas: nè præſumas „ ad Regnum de juſtitia tua: nè præſumas „ ad peccandum, de miſericordia Dei.... „ Hunc Pſalmum ad hanc gratiam pertine„ re, qua Chriſtiani ſumus, teſtatus eſt „ Apoſtolus Paulus: unde ipſam lectionem „ vobis legi voluimus. Hoc dixit Apoſto„ lus, cùm commendaret juſtitiam, quæ ex „ fide eſt; adversùs eos, qui gloriantur de „ juſtitia, quæ eſt ex operibus, hoc ait: „ Quid ergo dicemus, inveniſſe Abraham „ patrem noſtrum ſecundùm carnem? „ Si enim Abraham ex operibus juſtifi„ catus eſt, habet gloriam; ſed non ad „ Deum. Avertat à nobis ipſe Deus ta„ lem gloriam; & illud potiùs audiamus: „ Qui gloriatur in Domino glorietur. „ Multi enim gloriantur de operibus, & „ invenis multos Paganos propterea nolle „ fieri Chriſtianos, quia quaſi ſufficiunt ſibi „ de bona vita ſua. Bene vivere opus eſt, „ ait; quid mihi præcepturus eſt Chriſtus? „ Ut bene vivam? Jam vivo bene....... „ Non autem ſic pater noſter Abraham. „ Hæc autem ſententia Apoſtoli ad hoc „ vult intentionem noſtram dirigere. Quia „ enim fatemur & ipſa eſt fides noſtra de „ ſancto Patriarcha, quì placuit Deo, ut „ diſcamus eum, & noverimus ad Deum „ habere gloriam, ait Apoſtolus: Certè „ notum eſt nobis, & manifeſtum, quo„ niam Abraham ad Deum habet gloriam. „ At ſi ex operibus juſtificatus eſt Abra„ ham, habet gloriam; ſed non ad Deum. „ Ad Deum autem habet gloriam: non er„ go ex operibus juſtificatus eſt Abraham. „ Unde juſtificatus eſt? Sequitur, & dicit, „ unde. Quid enim Scriptura dicit: ideſt, „ unde dicit Scriptura juſtificatum Abra„ ham? Credidit autem Abraham Deo, „ & reputatum eſt illi ad juſtitiam; ergo ex „ fide juſtificatus eſt Abraham „.

Hæc prolixiùs ex Auguſtino deſcribere volui, ut, ſi Adverſarius erubeſcere neſciat, Lector impudentiam ejus deteſtetur, quæ decerptam ex Sancto Antiſtite laciniam contra ejus mentem toties inculcatam ipſo, qui objicitur, loco, in damnati erroris conſenſionem pertrahere audeat; quaſi omnem actum ſinè fide non ſolummodò nihil ad juſtitiam, & beatitudinem conferre docuiſſet; ſed omni prorſùs bonitate laudabili,

bill, & honestate carere; imò *nihil esse*, *nisi impuritatem*; *nihil*, *nisi indignitatem*. Fixum scilicet Novatoribus est, damnatum in Bajo, & resuscitatum à Jansenio articulum adversùs Ecclesiam rursus erigere, & summâ contra S. Pium V., Gregorium XIII., Urbanum VIII. pertinaciâ sustinere: *Omnia opera Infidelium sunt peccata*, *& virtutes Philosophorum sunt vitia*.

2 Si objectam Augustini sententiam, *ubi fides non erat*, *bonum opus non erat*, juxta ipsius Authoris sanctissimi iteratam toties declarationem, intelligere Adversarii noluerint; ut in ore duorum maximè irrefragabilium Doctorum stet inconcussa interpretatio; audiatur Angelicus hanc ipsam Augustini assertionem referens, & exponens in lib. 2. Sentent. dist.40. *Ubi fides non erat*, *bonum opus non erat*, *idest*, inquit, *meritorium*; pro pleniore autem intelligentia remittit nos ad *distinctionem sequentem*. Illic articulo 2. quæritur, *utrum aliquis actus in Infidelibus possit esse bonus*, *quorum intentio non est per fidem directa*: Et præmissis more suo rationibus adversantium: *Sed contra*, inquit, *non est consilium*, *nisi de bono*; *sed Infidelibus consulitur*, *ut aliqua de genere bonorum faciant*; *ergo illorum actus non omnes sunt mali*. *Praterea nihil laudabile est*, *vel laudatur*, *nisi bonum*; *sed sancti*, *ut Hieronymus*, *& Augustinus sæpe laudant aliquos Gentiles de aliquibus operibus*; *ergo aliqua opera ipsorum fuerunt bona*. Ad quod ex Glossa apponitur in margine ab eximio Doctore ejusdem Ordinis Prædicatorum Patre Joanne Nicolai: „ Sic enim Hierony-
„ mus lib. 1. contra Jovinianum cap. 27.
„ Gentilium quarundam fœminarum pudi-
„ citiam laudat. Et in Ezech. 29. ex eo,
„ quòd Nabuchodonosor *mercedem accepit*
„ *boni operis*, infert, Ethnicos quoque, *si*
„ *quid boni fecerint*, *non absque mercede*
„ *judicio Dei præteriri*. Et Augustinus lib.
„ de spiritu, & litera cap. 27. *Impiorum*,
„ *nec Deum verum veraciter*, *justèque co-*
„ *lentium quædam facta legimus*, *vel novi-*
„ *mus*, *vel audimus*, *quæ secundùm justitiæ*
„ *regulam non solùm vituperare non possu-*
„ *mus*, *verùm etiam meritò*, *rectèque lau-*
„ *damus* „. Augustino sapientior Quesnellus, non solùm laudare non audet aliquas; sed apertè vituperat, & damnat omnes Infidelium actiones, velut *impuritate*, & *indignitate* abominabiles.

Ut autem plenâ luce donetur communis, & sana Ecclesiæ doctrina contra Bajanos, ac Jansenistas, Quesnellum præcipuè utriusque agminis Hæretici antesignanum, audiendus est Aquinas; nemo enim ratiocinatur solidiùs; nemo distinctiùs, & clariùs evolvit, quidquid Novaturientium calliditas, quorum omnis in tricis, & tenebris spes est, obscurare nititur, atque confundere.

Sic itaque loco citato Angelicus explicat, & dirimit Quæstionem: „ Omnis actus,
„ in quantum est actus, habet quamdam
„ essentialem bonitatem, secundùm quod
„ omne ens bonum est; sed in aliquibus
„ actibus superadditur quædam bonitas ex
„ proportione actûs ad debitum objectum,
„ & secundùm hoc dicitur actus *bonus ex*
„ *genere*; & ulterius ex debitâ commensu-
„ ratione circumstantiarum dicetur *bonus*
„ *ex circumstantia*: & sic deinceps quous-
„ que perveniatur ad ultimam bonitatem,
„ cujus humanus actus est susceptivus, quæ
„ est ex ordine in finem ultimum per habi-
„ tum gratiæ, & charitatis: & ideo actus
„ eorum, qui gratiam, & charitatem non
„ habent, hoc modo bonus esse non po-
„ test: & hæc est bonitas, secundùm quam
„ actus meritorius dicitur; sed substracto
„ posteriore, nihilominus remanet priùs,
„ ut in libro de causis dicitur. Unde
„ quamvis ab Infidelium actibus substra-
„ hatur ista bonitas, secundùm quam actus
„ *meritorius* dicitur, remanet tamen boni-
„ tas alia, vel *virtutis politicæ*, vel *ex cir-*
„ *cumstantia*, vel *ex genere*: & ideo non
„ oportet, quòd omnis eorum actus sit ma-
„ lus; sed solùm, quòd sit deficientis boni-
„ tatis..... Ad primum ergo dicendum,
„ quod cùm dicitur, *omnis vita Infidelium*
„ *peccatum est*, non est intelligendum hoc
„ modo, quòd omnis actus eorum pecca-
„ tum sit; sed quia semper cum peccato
„ vivunt: quia infidelitas est tale pecca-
„ tum, quo retento, nullum aliud remit-
„ titur. Vel dicendum, quòd intelligitur
„ de illis actibus, ad quos ex sua infideli-
„ tate impelluntur; ut est adorare idola,
„ & abstinere à cibis prohibitis in lege,
„ quasi non sit eis licitum vesci; & hoc
„ videtur intendere Apostolus.

„ Ad 2. dicendum, quòd fides dirigit
„ intentionem in finem ultimum; sed ratio
„ naturalis, vel prudentia potest dirigere
„ in aliquem finem proximum: &, quia ille
„ finis proximus est ordinabilis in finem
„ ultimum, etiamsi actu non ordinetur;
„ ideo in Infidelibus, quorum actus per
„ vim rationis in talem finem diriguntur,
„ possunt aliqui actus esse boni; sed defi-
„ cientes à perfecta bonitate, secundùm
„ quam actus est meritorius.

„ Ad

„ Ad 3. dicendum, quòd sicut ali„ quid participat bonitatem, ita etiam „ Deo est acceptum: & ideo actus illi „ enuntiantur Deo accepti simpliciter, qui „ meritorii sunt, completam bonitatem ha„ bentes. Sed tamen etiam actus alii, se„ cundùm quod sunt boni ex genere, vel „ ex circumstantia, Deo placent; non ta„ men sicut remunerabiles æterno præ„ mio.

„ Ad 4. dicendum, quòd non obliga„ mur ad hoc, quòd quilibet actus actu di„ rigatur in finem illum, in quem non po„ test, nisi fides dirigere; quia præcepta „ affirmativa non obligant ad semper, „ quamvis semper obligent: & ideo non „ oportet, ut actus Infidelium, qui in „ finem illum non est ordinatus, semper sit „ peccatum; sed solùm pro tempore illo, „ in quo tenetur actum suum in finem ulti„ mum referre.

„ Ad 5. dicendum, quòd Infideles „ non semper ex infidelitatis errore, finem „ sibi præstituunt; sed aliquando ex vero, „ & recto judicio rationis. Et ideo non „ oportet, quòd in quolibet actu peccent; „ sed tunc solùm, quando ex errore finem „ sibi præstituunt „. Quod ita explicat Glossa in margine addita. „ Seu quando „ illud, quod aliunde bonum erat, *stultâ*, „ *& noxia faciunt voluntate*, ut Augusti„ nus contra Julianum lib.4. cap.3. intelli„ gendum urget „.

Circa responsionem Angelici ad primum: *Et hoc videtur intendere Apostolus*, sic notat iterum Glossa: „ Cùm id escarum, „ quæ idolis immolatæ sunt, occasione di„ cat, ut ex præcedentibus patet. Quam„ vis nec de Infidelibus tantùm hoc intel„ ligit; sed potiùs de illis Christianis, qui „ illas escas contra conscientiam comede„ bant, ut pro conscientia fides intelliga„ tur; unde præmittit (Apostolus) *qui dis„ cernit, si manducaverit, damnatus est*, „ *quia non ex fide* „.

3 Non solùm hìc Augustini, atque ipsius Apostoli mentem dilucidè propositam, & ab Angelico interprete, & præclaro ejus Discipulo abundantissimè expositam habemus; sed etiam præoccupata, atque elisa Adversariorum argumenta omnia, quæ stabiliendo errori ab ipsis poterant excogitari. *Si ab Infidelium actibus subtrahitur*, solummodò *ista bonitas, secundùm quàm actus meritorius dicitur, remanet tamen bonitas alia, vel virtutis politicæ, vel ex circumstantia, vel ex genere, & ideo non oportet, quòd omnis eorum actus sit malus; sed solùm, quòd sit deficientis bonitatis*; deficientis nempe à bonitate *meritoria*. Sed quomodo sinè *sacrificio fidei*, ut statuerat Quesnellus, *nihil est, nisi impuritas; nihil, nisi indignitas*; si ad bonitatem immunem à peccato sufficit, quòd *ratio naturalis dirigat intentionem in finem aliquem proximum, qui ordinabilis est ad finem ultimum*; etsi reipsa *non ordinetur*? Si & ideo *in Infidelibus possunt aliqui actus esse boni*, esse *accepti Deo*, illi *placere*, quamvis non ut eos æterno præmio remuneretur; quomodo in illis nihil est, nisi vitium, nihil, nisi peccatum, sive, ut Quesnellus ait, *nihil, nisi impuritas; nihil, nisi indignitas*? Impuritatem, & indignitatem *bonam* fingere, insania est; *Deo acceptam*, ac *placentem*, blasphemia, &c.

Nihil superest, nisi, ut ipsum, quem nobis Adversariorum temeritas intorquet Augustinum, in damnati Articuli certissimam convertamus perniciem. Si ab hoc Sancto Hipponensium Antistite agnosci demonstravero in Infidelibus obcæcatis, laude dignas virtutes, continentiam, quæ Dei donum est, justitiam, & actus strenuos, quibus à Deo præmium meruerint temporale, indubiè apud omnes rationis compotes causam evicero: videlicet, non omnes mortalium actus *sinè fidei sacrificio impuritatem esse, atque indignitatem*.

Dedi sæpiùs Augustini Epistolam 5. ad Marcellinum; & lib.5. de Civit. cap.12. de approbatis à Deo, & temporali præmio donatis quibusdam Infidelium actionibus. Epistolam quoque 130. ubi Augustinus laudat hominis Ethnici continentiam, & prædicat velut *donum Dei*, ideòque remotum à vitio. Lib. 1. de peccatorum meritis cap.22. *Unde fit, ut homo ab ineunte ætate ad virtutes cæteras provectior, aptiorque consurgat; & tamen eo loci sit, ubi ei prædicari Christiana gratia non possit*?

4 Præterea, quod de quibusvis impiis Sanctus Doctor libro de spiritu, & lit. cap.26. ait: „ Ipsi homines erant, & vis „ illa naturæ inerat illis, qua legitimum „ aliquid anima rationalis & sentit, & fa„ cit; & sicut non impediunt à vita æterna „ justum quædam peccata venialia, sinè „ quibus hæc vita non ducitur, sic ad sa„ lutem æternam nihil prosunt impio ali„ qua opera bona, sinè quibus difficillimè „ vita cujuslibet pessimi hominis inveni„ tur „. Præmiserat Sanctus loquens de Infidelibus: „In numero etiam hominum im„ piorum, nec Deum verum veraciter, ju„ stèque colentium, quædam facta legi„ mus, vel novimus, vel audivimus, quæ „ se-

„ secundùm justitiæ regulam, non solùm „ vituperare non possumus; sed etiam me- „ ritò, justèque laudamus: quanquam, si „ discutiatur, quo fine fiant, vix inveniun- „ tur, quæ justitiæ debitam laudem, defen- „ sionemque mereantur „.

Quid ad hæc Adversarii? Num dicent Augustinum *virtutes* omnes Romanorum Infidelium cum Michaele Bajo vitia vocasse? Sed istud nullâ veri specie allegabitur, ad quod necesse foret, Ethnicos illos, quidquid laudabiliter extrinsecùs gessère, sine corrupisse perverso: nunquam scilicet administrasse justitiam, nunquam detulisse honorem parentibus, nunquam succurrisse pauperi, nunquam abstinuisse ab homicidio, ab ebrietate, à luxuriâ, quia ita convenit naturæ, rationi, honestati; sed semper stimulante, vel idololatriæ crimine, vel nescio cujus concupiscentiæ vitio; quod etsi sæpius concurrisse diffitendum non sit, omnibus tamen prorsus actionibus scopum fuisse nemo affirmaverit absque temeritate, & calumnia; imò blasphemia. Nam Augustinus ea, quæ sine fieri perverso censuisset, *virtutes* simpliciter appellare non poterat, nec Deus præmio remunerari. Quis sapiens Virginum Vestalium impiam, & falsis dicatam Numinibus continentiam virtutibus annumeret? Quis datam puellæ pauperi pecuniam ad ejus seductionem, virtutem nominet misericordiæ?

Quapropter rectiùs Augustinus negat virtutibus posse esse finem malum lib. 2. de lib. arb. cap. 19.: *Virtutes*, inquit, *quibus rectè vivitur, magna dona sunt; species autem quorumlibet corporum, sinè quibus rectè vivi potest, minora bona sunt; potentiæ verò animæ media bona sunt. Virtutibus nemo malè utitur; cæteris autem bonis, idest mediis, & infimis, non solùm bene, sed etiam malè quisque uti potest: & ideo virtute nemo malè utitur; quia opus virtutis est bonus usus istorum, quibus etiam non bene uti possumus; nemo autem bene utendo, malè utitur*. Non itaque justitiam, & actus Romanorum strenuos, quos Augustinus meritò virtutibus adscribit, existimare potuit sine pravo fuisse elicitos: aliàs enim Romani malè usi virtutibus fuissent, quod toties Doctor sanctissimus inficiatur. Et quomodo absque impietate, & blasphemia asserere poterat: *Romanos justitiâ, & actibus strenuis promeruisse à Deo imperium*, si eorum justitiam, & actus strenuos vera vitia credidisset, sive, ut Quesnellus loquitur, *nihil, nisi impuritatem, nihil, nisi indignitatem*? Profectò sic ista Augustini sententia de Romanis à Deo Imperium promeritis, dignior atheo foret divinitatem destruere volente, quàm Doctore Catholicissimo.

5 Meritò autem Augustinus loco ab adversariis objecto ait: *Noli de tuo retribuere, non vult Deus de tuo sibi retribui; si de tuo sibi retribuis, peccatum retribuis; omnia enim, quæ habes, ab illo habes; tuum peccatum solum habes; non vult sibi retribui de tuo, de suo vult*; quia quidquid boni habes, sive supernaturalis ordinis, sive naturalis, à Deo est; in solo peccato nullam sibi Deus partem vindicat; istud à te solo est. Non ita se res habet, inquit adversarius; sed quidquid Augustinus Dei esse enuntiat, seu Dei donum, intelligit supernaturale ex gratiâ propriissimè dicta concessum, utpote *sacrificium fidei*, vel actus à fidei profluens imperio; nam *sola gratia Christi reddit hominem aptum ad sacrificium fidei: sinè hoc nihil, nisi impuritas: nihil, nisi indignitas*.

Ita quidem Quesnellus; sed nos bona etiam inferiora, & ordinis solummodo naturalis dari ex ipso didicimus Augustino; nam & in Romanis Ethnicis virtutes aliquas agnoscit, quas meritò *bonas* vocat, & quibus *à Deo promeruerint Imperium*, absque tamen *sacrificio fidei*, ut manifestum est. Provenêre autem bona illa à supremo bonorum omnium Fonte, uti & Polemonis castitas, quæ absque fidei sacrificio fuit *donum Dei*, juxta Hipponensem, apud quem etiam *species quorumlibet corporum, bona* quædam *sunt*, etsi virtutibus *minora*; *potentiæ verò animæ media bona sunt*, & quæcumque alia ex his dimanantia, quædam sunt supremi, & increati boni participatio, ipsius beneficentiæ favore præstita. Universim itaque, & non de solis bonis supernaturalibus dicere potuit Apostolus: *Quid habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis*? Solum hominis est mendacium, & quodcumque peccatum, quod nihil rei est, & in quo Deus nullam sibi partem tribui patitur, totum relinquens instigatori diabolo, & malesano diabolum sequenti arbitrio hominis. Hæc uti à nullo ignorantur Theologo, adversarios latère non possunt, nisi novitatis, seu amore, seu furore cæcutire constituissent.

Verùm in hoc, & aliis non magis Augustiniani sunt, quàm Pontificii, quidquid ad circumveniendos simplices aliud buccinent, veri utriusque authoritatis contemptores, sanæ doctrinæ in centenis capitibus corruptores, & quantum in ipsis est, subversores fidei; perturbatores Reipublicæ, & Ecclesiæ, cujus Capiti publicè rebelles

les funt. Quantumvis autem hæretici; non tamen finè omni *gratia* funt; fed in eis veræ *facrificium fidei* nullus agnofcet Catholicus; non tamen propterea eos à capire ad calcem ita deliburos criminibus arbitramur, ut nihil prorfus boni operis in eis fit, vel innoxii, quafi abfente *facrificio fidei*, nihil remanferit, *nifi impuritas*; *nihil, nifi indignitas*. Ita nos quidem benigniores in adverfarios fumus, quàm ipfi in fuo fyftemate patiantur.

CAPUT V.

Non favet Adverfariis S. Profper.

1 HIc Sanctus Auguftini Difcipulus Carmine de ingratis capit. 17. ait:

„ Ufque adeò donum eft, quod creditmus; & data gratis

„ Gratia, non meritâ dirat mercede vocatos:

„ Nec iuftorum operum difcernir facta; fed omnes

„ Sola ex immundis mundos facit.

Fides itaque eft donum Dei, & data gratis gratia, quæ *fola ex immundis mundos facit*: quæ Profperi fententia vehementer placet Lutheranis, & Calviniftis foli gratiæ abfque liberi cooperatione arbitrii juftificationem tribuentibus. Verùm nè in ifto quidem falfo, & à mente Profperi alieniffimo fuppofito probatur Quefnelli articulus ftatuens, quòd *finè facrificio fidei* ex gratiâ provenientis: *Nihil fit, nifi impuritas*; *nihil, nifi indignitas*,

Aliud fcilicet eft, folâ gratiâ homines *ex immundis mundos fieri*, ut ait Profper; aliud, quòd adverfarius ftatuit, omnes actus immundos effe finè gratiâ. Abfque fide nemo à commiffis criminibus purgatur; fed non ideo crimen eft, aut vitium, quidquid extra fidem agitur. Si adverfarius inrer hæc duo difcrimen non percipit, oportet eum novitatis amor non fide folùm, fed & rationis naturalis lumine privaverit. Idololatriæ facrilegium nifi feriâ ad fidem converfione, & pœnitentiâ non abftergitur; ideòne omnes interim actus novum idololatriæ contrahunt reatum? Luxuriæ in hærefi commiffæ macula non abftergitur quamdiu homo in hærefi permanferit; fed non propterea omnis ejufdem hæretici actio, vel volitio ad luxuriam refertur. Quod in particularibus iftiufmodi criminibus apertum eft, ad cætera quoque viria facilè applices.

Quòd autem Janfenius poft Bajum, & utriufque in hærefi, non in fubmiffione fectaror Quefnellus, exiftiment, infidelem ficut à peccaris priftinis liberari finè gratia, & fide non poteft, ita non poffe vel uno puncto temporis, dum vigilat, à novo crimine, vel delicto abftinere, exiftimant nullâ ducti ratione, repugnante naturæ lumine, damnante, cum tribus contra Bajum Pontificibus, Ecclefiâ univerfâ. Sola Auguftini, & Profperi perperàm intellecti præpoftera interpretatio, ut mos communis hæreticorum eft, contra omnia Ecclefiæ anathemata velut fcuto à Quefnello apprehenditur; fed irrito, ut patet, molimine. Hexaplis hìc facilè condono, quòd in verfione primi verfûs addiderint: *par une bonté pure*, ita exigente metro, & rhyrmo Gallico; fed additiones fimiles fieri in Scripturæ Sacræ verfionibus, quæ fiunt oratione foluta, minus tolerabile eft. Exemplum de verfionibus damnatis Montenfi, & Catalanenfi videri poteft Tomo fuperiori in Prologomenis capit. 16. pag. 90. col. 1.

2 Alia nobis objicitur Profperi fententia lib. contra Collatorem cap. 28. „ Puto au„ rem iftum (Caffianum) verifimilitudine „ decipi, & in fpecie falfarum errare vir„ turum, dum ea bona, quæ non poffunt, „ nifi ex Dei munere haberi, etiam in im„ piorum animis æftimat reperiri; ideo fci„ licet, quia multi eorum fint juftitiæ, „ temperantiæ, continentiæ, & benevolen„ tiæ fectatores: quæ omnia non fruftrà „ quidem, neque inutiliter habent, mul„ tumque ex eis in hac vita honoris, & „ gloriæ confequuntur; fed quia in iis ftu„ diis non Deo, fed diabolo ferviunt, licèt „ habeant temporalem de vana laude mer„ cedem; ad illam tamen beatarum virtu„ tum non pertinent veritatem: Et ita ma„ nifeftiffimè patet in impiorum animis „ nullam habitare virtutem; fed omnia „ opera eorum immunda effe, atque pollu„ ta, habentium fapientiam non fpirita„ lem, fed animalem; non cœleftem, fed „ terrenam; non Chriftianam, fed diabo„ licam; non à Patre luminum, fed à Prin„ cipe tenebrarum; dum & ipfa, quæ non „ haberent, nifi danre Deo, fubdunt ei, qui „ receffit ab eo.

Et cap. 26. ait „ Vita, fenfus, & ratio, „ cæteraque corporis, atque animi bona, „ etiam malis, vitiofifque non defunt; fed „ non in illis veri boni perceptio eft, quæ „ mortalem vitam honeftare poffunt, æter„ nam autem conferre non poffunt. „ Peccata nè præfentem quidem vitam propriè honeftant. Quis Sanctus dicet, caftitatem in ho-

in honorem idolorum, seu dæmonum susceptam, esse *honestam*, vel *honestam* esse sublevationem puellæ pauperis ad castitatis ejus excidium perfido animo destinatam? Istiusmodi criminibus nè præsens quidem vita *honestatur*; sed redditur abominabilis.

Talis est omnis impiorum, & infidelium actio, quatenus infidelium, & impiorum, sive impio, & infideli animo imperata. Pelagianorum fuit error stolidus, quòd bonitatem operum officiis metirentur, de finibus parum solliciti. Contra Sanctus Augustinus libro 4. adversùs Julianum cap. 3.: *Virtutes*, inquit, *discernuntur finibus, non officiis*. Ideo ait, *virtutes istæ*, ut à Pelagio vocabantur, *tali fine turpes, atque deformes sunt; & ideo nullo modo germanæ, veraque virtutes*. Hunc finem clariùs significat infra dicens: *Virtute civili, non verâ, sed verisimili, dæmonibus, vel humanæ gloriæ serviebant*.

3 Ita quoque Sanctus Thomas Augustinum intelligit 2. 2. quæst. 23. art. 7., & in cap. 14. Epistolæ ad Romanos Lect. 3. „ Cùm dicitur, omne, quod non est ex fide, peccatum est, sic intelligendum est: „ Omne, quod est contra fidem, vel conscientiam, peccatum est, etsi ex genere suo bonum videatur: puta, si Paganus ad honorem suorum Deorum virginitatem servet, vel eleemosynam det, „ hoc ipso peccat: quia omnis infideliter vivens, vel agens peccat. „ Hac etiam ratione Prosper loquitur „ Quia, in iis studiis non Deo, sed diabolo serviunt; licèt habeant temporalem (ab hominibus) de vana laude mercedem; ad illam tamen beatarum virtutum non pertinent veritatem: & ita manifestissimè patet, in impiorum animis, nullam habitare virtutem; sed omnia opera eorum immunda esse, atque polluta, habentium sapientiam non spiritalem, sed animalem; non cœlestem, sed terrenam; non Christianam, sed diabolicam; non à Patre luminum, sed à Principe tenebrarum: dum & ipsa, quæ haberent, nisi dante Deo, subdunt ei, qui primus recessit ab eo. „ Ubi in primis verissimum est, quod in impiis, & infidelibus, quamdiu tales permanserint, non sint virtutes ad veram justitiam, & beatitudinem pertinentes; sive, ut Prosper ait, eorum studia *ad illam beatarum virtutum non pertinent veritatem*.

Secundò agnoscimus, *omnia eorum opera esse immunda, & polluta*, quæ proveniunt *à sapientia animali, terrena, diabolica, non à Patre luminum, sed à Principe tenebrarum; dum & ipsa, quæ non haberent, nisi dante Deo, subdunt ei, qui primus recessit ab eo*, ut ipsesse S. Prosper explicat, & omnes hoc tempore Doctores tum Angelicum; tum Seraphicum sequentes intelligunt, uti & quicunque alii Catholici contra Bajanos, Jansenianos, sive Lutheri, & Calvini discipulos scripsêre: quod tamen non impedit, quin aliquæ in impiis, & infidelibus volitiones, & actiones sint innocuæ, bonæ, honestæ, sive, ut Prosper loquitur, quædam *corporis, atque animi bona, quæ mortalem vitam honestare possunt*; quamvis in iis *veri boni* ad beatitudinem conducentis *perceptio non sit*, sive, ut idem explicat, *ad illam beatam virtutum non pertineant veritatem*. Sic Author operis imperfecti in Matth. hom. 25.: *Si infidelis fecerit opus bonum, hic ei prodest opus ipsius, & hic ei reddit Deus bona pro opere suo: in illo autem seculo* (futuro) *nihil ei prodest*.

4 Aliàs dedimus, & Hieronymum in caput Ezechielis 29. dicentem: *Ex eo quòd Nabuchodonosor mercedem accipit boni operis, intelligimus, etiam Ethnicos, si quid boni fecerint non absque mercede Dei judicio præteriri*: non absque mercede scilicet temporali, sicut Nabuchodonosoris, illo Ezechielis capite descripta merces, solummodo temporalis fuit; qualis fuit etiam *Romanorum*, qui, teste Augustino lib. 5. de Civit. c. 12.: *Justitia, & actibus strenuis promeruerunt à Deo Imperium*. Mercedis autem quantùlibet exilis retributio est approbatio operis, quam perfectissima Dei sanctitas, & sapientia crimini, vel delicto etiam minimo concedere nunquam potest; unde evidens est Sanctorum Patrum, atque ipsius Scripturæ significatione obviâ acceptæ testimonio, non omnia Infidelium, etiam in infidelitate adhuc manentium, opera esse peccata; non quidquid fit *fine sacrificio fidei, esse impuritatem, & indignitatem*.

5 Explicandum superest ex sententia Prosperi, *dum & ipsa, quæ haberent, nisi dante Deo, subdunt ei, qui primus recessit ab eo*. Corpus scilicet, & animam cum suis facultatibus, subdunt diabolo. Præterea subdunt ei inspirationes bonas; & excitationes, quas à Deo acceperant ad bonum, convertunt in usum pravum, & à Dei voluntate maximè alienum, ut Sanctus Thomas pulcherrimè explicat, in caput nonum Epistolæ ad Rom. lect. 3. „ Ad malum (inquit) „ dicitur Deus inclinare, vel suscitare hominem occasionaliter, in quantum scilicet Deus homini aliquid proponit, vel interiùs, vel exteriùs, quod, quantum est de se, est inductivum ad bonum; sed homo propter suam malitiam perversè utitur ad malum .... Dedit ei Deus locum

„ locum pœnitentiæ, & ille abutitur eo in „ in fuperbiam. Et fimiliter Deus,quantum „ eft de fe, interiùs inftigat hominem ad „ bonum; Puta Regem ad defendendum „ jura Regni fui, vel ad puniendum rebel- „ les; fed hoc inftinctu bono malus homo „ abutitur fecundùm malitiam cordis fui „ .... Hoc modo circa Pharaonem „ accidit, qui, cùm à Deo excitaretur ad „ Regni fui tutelam, abufus eft ad crude- „ litatem „ perperàm fcilicet fubfumendo, atqui Populus Ifrael Regno meo infidiatur, violat jura, turbat quietem publicam: ex quo falfiffimo fubfumpto fequebatur non minùs iniqua conclufio; igitur Populus Ifrael vexationibus affligendus eft, laboribus opprimendus, extirpandus fuppliciis. Ut autem nemo repente fit peffimus, fieri potuit, Pharaonem primis inftinctibus bonis affenfum liberum, & innocuum præftitiffe, quo nempe judicaret, fibi convenire Regni, & quietis publicæ defenfionem, eamque liberà decerneret voluntate, quæ quamdiu in generali ftetit propofito, præfcindente à cafibus, quibus decretum illud Dei peffimè applicatum eft, innocua erat, laudabilis, & à Deo infpirata.

6 Exemplum aliud ftatui poteft in Polemone, ad cujus à luxuria converfionem obtinendam Deus ufus eft Xenocrate Philofopho, qui rationibus Philofophiæ, & Polemonis ingenio convenientibus oftenderet luxuriæ turpitudinem, & virtutis ei oppofitæ honeftatem perfuaderet, addente Deo illuftrationes in intellectu, & motus in voluntate congruos, quos five naturalis, fiue fupernaturalis ordinis vocaveris, Deus adhibuit ad extrahendum juvenem è cœno carnalium voluptatum. Succeffu propofitum Dei non caruit: horrorem Polemo tam turpis vitii concepit, ut ab eo quidem animum deinceps averteret; fed nondum à cultu falforum Numinum,ad quorum forfitan ardentiorem tranftulit adorationem, quem à voluptatibus abftraxerat affectum; quafi vel Idolis acceptum deberet, vel fuis viribus comparaffet continentiam, quæ veri donum fuerat Conditoris, tefte Auguftino Epiftola 130.

Quamdiu igitur Polemo Idolorum cultui adhæfit, veri infcius Benefactoris, ad eum pertinere potuit reprehenfio Profperi: *Dum & ipfa, quæ non haberent, nifi dante Deo, fubdunt ei, qui primus receffit ab eo*.

Nolim ab hac reprehenfione penitùs eximere, etiam *Romanos*,qui *juftitiâ,& actibus ftrenuis promeruerunt à Deo Imperium*, tefte Auguftino fupra: & qui juxta eundem Epiftola 5. ad Marcellinum: *Rempublicam conftituerunt auxeruntque virtutibus, etfi non habentes veram pietatem erga Deum verum, qui etiam illos in æternam Civitatem poffet falubri religione perducere .... Deus enim fic oftendit, quantum valerent civiles, etiam finè vera religione virtutes.* Nolim, inquam, etiam hos prædicare liberos à reprehenfione, quam Ethnicis intorquet fæpius Profper, quòd *ipfa, quæ non haberent, nifi dante Deo, fubderent ei, qui primus receffit ab eo.* Ut enim Romani ifti cum *juftitiâ, & ftrenuis fuis actibus* retinuerunt falforum adorationem Numinum, fieri natum eft, ut, quæ à Deo vero acceperant beneficia, ab Idolis fibi proveniffe arbitrarentur, aut fingerent; indéque inanes Deos, & in eis dæmonem colerent impenfiùs. Verùm non iftud eft, de quo Catholici cum hæreticis, & Conftitutionis adverfariis altercamur; nam infidelis ifta actionum ad dæmonis cultum relatio,etfi plurimos actus externâ fpecie bonos direxerit, potuit tamen actibus etiam pluribus effe pofterior, vel extranea, atque adeò eorum intentionem innocuam minimè vitiare. Non vitiaffe re ipfa, ex tot noftris probationibus manifeftum eft.

7 Si quis aliàs Chriftianus ad eum perverfitatis apicem diabolicâ abripiatur malitiâ, ut fe ipfum, & quæcunque priùs rite fufceperat Sacramenta, quæcumque opera, five ex cœlefti, & fupernaturali gratia, five naturæ lumine, & quocunque Divino intrà naturæ ordinem adjutorio laudabiliter fecerat, devoveat dæmoni; facrilegio quidem fe contaminabit maximè execrabili; *dum & ipfa, quæ*, ut ait Profper, *non haberet, nifi dante Deo, fubdit ei, qui primus receffit ab eo*.

Quo quidem facrilegio perdet fimul omnia vitæ fuperioris merita; fed nunquam efficiet, ut quæcunque priùs recta fuerant, & pridem defiêre, in crimina convertantur, quod in Chriftianis, à vita laudabili in impietatem poftea decidentibus clarum eft: locum quoque obtinere potuit in Ethnicis aliquibus minùs malis, ut fuit Nabuchodonofor, propter præftitum Ifraeli contra Tyrios auxilium, donatus à Deo mercede: & fuêre Romani, tefte Auguftino, *Juftitia, & actibus ftrenuis à Deo promeriti Imperium.* Supponamus, illos poftea ab actibus bonis ad crimina defciviffe; imò & priora quælibet facta tribuiffe dæmonibus; cadet quidem etiam in eos exprobratio Profperi, quòd ea, *quæ non haberent, nifi dante Deo, fubdant ei, qui primus receffit ab eo*; fed iftud eorum pofterius facrilegium non efficiet, ut

opera omnia, sive indifferentia, sive bona, & quæ, nonnisi dante Deo per auxilium speciale, vel naturalis, vel supernaturalis ordinis, acceperant, à succedente dein perfidia corrumpantur. Quæcunque Deo donante sive à Christianis, sive ab Ethnicis honesta, & Divino judicio visa sunt digna præmio ut in Nabucbodonosore, & Romanis illis patuit, bonitatem perdere nequeunt intrinsecam; minùs autem in crimina converti; etsi meritum deinceps ab introeunte novo scelere extinguatur.

8 Nihil itaque in Sancti Prosperi sententia est, quod, si cum circumstantiis introspiciatur, à communi, & definito Ecclesiæ dogmate recedat. Altera hìc non contemnenda circumstantia est, quòd Prosper fuerit non solùm Augustini in omnibus sectator sedulus; sed etiam acerrimus defensor, ut nulla ratione verisimile sit, eum in doctrina Augustini tam perspicua cæcutiisse, vel noluisse Ducis sequi vestigia.

Sic meliùs consulimus Prospero, quàm Jansenius, qui ejus authoritate abuti solitus, cùm videret alicubi apertè nimiùm suis novitatibus adversantem, facilè contempsit, *quia Prospero doctior fuit, & antiquior Augustinus*; cum hoc, inquit, *genuiniùs, veriùsque respondeo*, pro quinta Propositione dein hæreseos, & blasphemiæ damnatâ. Ita Jansenius lib. 3. de gratia Christi cap. 21.

Nos verò nihil authoritatis Prospero detrahi patimur; sed ad præsentem controversiam quod attinet, verba ejus cum Scripturarum oraculis, cùm Summorum Pontificum contra Bajum Constitutionibus, cum Augustino, Hieronymo, & cæteris Patribus, cum Doctoribus Angelico, & Seraphico, cum communi Ecclesiæ sensu sæpius definito, confirmato à CLEMENTE XI., atque adeò cum sensu unicè Catholico, facilè componimus: explicando videlicet Prosperi sententiam, quemadmodum oportet, de Infidelibus, ut Infidelibus. Inhæreat itaque semper infixa Catholico Lectori aurea Aquinatis interpretatio, quæ est in cap. 14. Epistolæ ad Romanos Lect. 3.: *Cùm dicitur omne, quod non est ex fide, peccatum est, sic intelligendum est, omne, quod est contra fidem, vel conscientiam, peccatum est; etsi ex genere suo bonum videatur; puta, si Paganus ad honorem suorum Deorum virginitatem servet, vel eleemosynam det*. Sic etiam *oratio impii* ut impii *vertitur in peccatum*, ut explicat iterum Sanctus Thomas 2. 2. quæst. 83. artic. 15. corp., & 16. corp.: *Puta, si petat à Deo complementum sui peccati*. De talibus quoque operibus, & virtutibus hæreticorum, ut hæreticorum, sive quas ad hæreseos propagationem, & conciliandam apud simplices novitatibus suis authoritatem assumunt, vel simulant, idem usuvenit judicium. Cum istiusmodi virtutum larvis pugnandum diu fuit Doctori Mellifluo.

Ildephonsum principem *deceperat species pietatis* in Henrico hæretico, Petri Beruisii hæreses resuscitante, ut ait Bernardus Epist. 240. ac dein Serm. 65. in Cantica: „Recens (inquit) vastatio Vineæ Vulpem indicat adfuisse: sed nescio qua arte fingendi, ita sua confundit vestigia callidissimum animal, ut quà vel intret, vel exeat, haud facilè queat ab homine deprehendi.....Si fidem interroges, nihil Christianius: si conversationem, nihil irreprehensibilius; & quæ loquitur, factis probat. Videas hominem in testimonium suæ fidei frequentare Ecclesiam, honorare presbyteros, offerre munus suum, confessionem facere, Sacramentis communicare: quid fidelius? Jam quod ad vitam, moresque spectat, neminem circumvenit; neminem supergreditur: pallent insuper ora jejuniis: panem non comedit otiosus; Ubi jam Vulpes?„ Hæc omnia nempe faciebat hæreticus *in testimonium suæ fidei* ad illiciendos in sua retia incautos: ideo *quæ dictis loquitur, factis probat*. Tales infidelium, ut infidelium, virtutes meritò Sanctus Prosper exagitat, & rejicit ut *immundas*, ut *diabolicas*.

10 Rejecit pariter S. Bernardus in Arnaldo hæretico Epistola 195. *Si vultis scire*, inquit; *homo est neque manducans, neque bibens, solo cum diabolo esuriens, & sitiens sanguinem animarum*. Et paulò supra, *qui utinam tam sana esset doctrina, quàm districta est vita!* Sed in quem scopum collimat ea *vita districta*, & apparens austeritas? Persuasionem prætendit hæreseos, à tam sancto videlicet novo Apostolo prædicatæ: *cum solo diabolo esurit, & sitit sanguinem animarum*. Quæ virtutes oculis hominum magìs apparuêre conspicuæ, quàm primorum Anabaptistarum?

De his Meshovius Hist. Anabap. l. 2. num. 3. „Erat res cunctis stupori, & admirationi, speciemque referebat spiritualis cujusdam vitæ, quam novi illi, & renati homines per adumbratam quamdam severitatem, rigoremque inchoasse credebantur. Neque enim aut risu umquam, aut jocis sese oblectabant; Sed continuò, si quid palàm agendum erat, suspiria altè ducebant, ingemiscebantque; quin

„ quin & uberes fubinde profundebant lacrymas, & vanitates hujus mundi coram civibus deplorabant. Hinc miri per „ urbem fermones fpargebantur, à rudioribus præfertim, quibus illi fuis fraudibus illudebant. Scribant quidam (ita namque de iis loquebantur) de Anabaptiftis, quod velint: dicant, feditionibus eos deditos, & Chriftianæ Reipublicæ interitum machinari: ex vita certè illorum, operibus, doctrinâque, quàm id falfum fit, evidenter elucet; cùm nec jurare eos, nec blasphemare, nec, quæ fua funt, quærere; fed ea tantùm quæ Chrifti funt, quæ Scripturis conformia, promovere videris. Ecquis hæc non vera, & maximè Chriftiano homine digna dixerit? „ Sed cùm fint virtutes hæreticorum, ut hæreticorum, infideli fcilicet animo ad diffeminandam faciliùs, & firmandam hærefim fufceptæ, quid aliud effe poffunt, quàm *immunditiæ*, ut de infidelium, quatenus infidelium, actibus catholica docet Ecclefia, & docuère femper Patres, etiam Profper, quos faniùs, quàm Janfeniftæ, interpretantur Scholaftici Orthodoxi cum Scholæ principibus Angelico, & Seraphico. Notiffimus S. Salefii confenfus eft, cujus doctrinam novatoribus infeftiffimam dabimus, ubi de Amore Dei, & æterni timore fupplicii occurret difceptatio.

CAPUT VI.

Digreffio de apparentibus Janfeniftarum Virtutibus Sacrificio Fidei *deftitutis*.

1 Celare Lectorem nolim, quæ mihi fuperiùs, Virtutes Anabaptiftarum defcribenti, cogitatio oborta fit de Janfeniftarum Sanctitate non multùm diffimili. Juxta novos hos Apoftolos, & Ecclefiæ tam in dogmatibus, quàm in moribus Reformatores, foli ipfi cum fuis affeclis fancti funt: foli Ecclefiam Chrifti conftituunt, juxta propofitionem 72. & fex fequentes.

Didicère hoc à Joanne Vergerio Abbate Sancyrano fido Janfenii Achate, & novæ Sectæ Confundatore: de quo iftud habetur Juratum teftimonium Abbatis Ciftercienfis Joannis de Jovaud. „ Cùm non diffimularem, me iftiufmodi novitatibus (quas Sancyranus effutierat) præferre communem praxim Ecclefiæ; quid, rogabat Sancyranus, Ecclefiæ nomine intelligis? Cœtum, refpondebam, fidelium, compofitum ex Summo Pontifice, Prælatis, Doctoribus, Presbyteris, Religiofis, & populo. (Sancyranus autem,) o quantum, (inquiebat,) remotus es à veritate! Ecclefia iis tantùm rebus confiftit, quæ fuerunt ante fex fæcula fuperiora. Præfens congregatio Pontificis, Prælatorum, Paftorum, Doctorum, Religioforum, & Populi, quos videtis vivere fub iifdem legibus, non alio fenfu dici poteft Ecclefia, quàm quòd in locum veræ Ecclefiæ fucceſſerit; quemadmodum aqua cœnofa & fœtida eundem alveum occupans, quem olim aqua viva, limpida & falubris ejufdem fluminis nomine appellatur. Neque hæc Ecclefiæ corruptio folùm in moribus eft; fed in pluribus etiam dogmatibus: perpauci funt, qui Ecclefiæ filii dici mereantur. Si me audire, & fequi conftituis, evidenter tibi ex doctrina Patrum, & Conciliorum demonftrabo, ufque ad quæ fæcula duraverit vera Ecclefia, quo tempore deftrui cœpta fit: tempus ædificandi: tempus deftruendi. Deus ipfe Ecclefiam diffolvit: tempus ædificandi tranfiit: Epifcopi, Ecclefiaftici, Religiofi, plerique fpiritu Chriftianifmi, fpiritu gratiæ, & Ecclefiæ deftituti funt.

2 Epifcopus Lingonenfis, aliàs Sancyrani fautor, ab ejus dein novitatibus, & , ut ajebat, hypocrifi averfus, hanc de eo declarationem fcriptam tradidit Supremo Galliarum Cancellario die 11. Julii 1638. „ Monialibus Conventûs, cui nomen à SS. Sacramento, directorem fpiritûs dedi Abbatem Sancyranum, quòd ad fpiritualem earum profectum idoneus videretur; fed, antequam fatis eum noverim. Ubi in hoc monafterio ftabilitus eft, Monialium fibi captabat intellectum, neque id difficile ei fuit, mulierculorum ingeniis in mutationem femper, & novitatem propenfis. Omnes exemplo fuo præceffit Maria Angelica Arnauld (Antonii Arnaldi Soror) tunc Monafterii Superior: cui Sancyranus præcipiebat, ut fuas cogitationes, quas ei pandebat, nemini indicaret: me celaret in primis modum, quo in ejus directione uteretur.... Ex Sancyrani inftructione non loquebantur, nifi de pœnitentia: jacebant humi proftratæ in variis Monafterii locis; in choro præfertim: confitebantur raró, rariùs communicabant.... Ita rapiebatur Maria Angelica colloquiis Sancyrani, ita iis mentem impleverat, ut non loqueretur, nifi de Ecclefia primitiva

„ va, de Canonibus, de consuetudinibus
„ primorum Christianorum, de Conciliis,
„ de Patribus, præcipuè de S. Augustino.
„ Hæc ingeminabat fœminis se invisenti-
„ bus, quæ sermonis ejusmodi sibi mini-
„ mè convenientis ineptias explodebant.
„ De tam incongrua cum proximis agendi
„ ratione edoctus, monebam Mariam An-
„ gelicam; sed profectu exiguo; quia &
„ me ipsum iisdem sermonibus detinebat,
„ identidem memorans S. Augustinum de
„ gratia, & S. Paulum de Prædestinatione;
„ sed tam insulsè, ut satis pateret, loqui
„ eam tantùm temerè audita, minimè in-
„ tellecta. Cúmque nec in illo, nec in cæ-
„ teris dogmatibus Sancyrano consenti-
„ rem, utpote nimis alienis à communi
„ præsentis Ecclesiæ usu, & doctrina, hinc
„ vehemens Sancyrani adversùs me indi-
„ gnatio, & odium .... quod crevit, quan-
„ do scivit occulta mysteria sua à me re-
„ velari: Mysteria voco arcanas ejus sen-
„ tentias in dogmaticis, inter quæ sunt
„ sequentes: *Concilium Tridentinum non*
„ *fuit verum Concilium. Sacramentum Pœni-*
„ *tentiæ non delet peccata: Communio plus*
„ *valet ad delenda peccata, & disponendum*
„ *hominem ad beatam mortem, quàm confes-*
„ *sio; ideo magis expedit peste infectis, aliis-*
„ *que moribundis administrare Sacramentum*
„ *Eucharistiæ, quàm pœnitentiæ &c.*

Tandem, ait idem Episcopus „ à Sancy-
„ rani conversatione abstineo propterea
„ quòd ex pluribus congressibus explora-
„ tum habeam ejus ingenium contumelio-
„ sum, violentum, irreverens erga quos-
„ cumque sibi ratione quantumvis solidâ
„ contradicentes.

3 Aliud de Sancyrano testimonium est Isaaci Habert Vabrensium Antistitis in sua *Fidei* adversùs Jansenianos *Defensione* parte 2. pag. 20. *Numquam*, inquit, *discipulos initiandos suscipiebat, uti immediatè ex ipsis fatentibus cognovi, quin inciperet à depressione, reprehensione, & contemptu doctrinæ communis, ingeminando oculis clausis, retorto capite, elata manu, gestu severo, & quodammodo repellente: Ignorantia, tenebræ, errores stupendi, cæcitas ubique!*

Hoc duce, hoc magistro usus est Jansenius, non solùm annis pluribus in Gallia habitans; sed & in Belgium redux, perpetuo litterarum commercio, consiliorum omnium, & arcanorum mutuâ communione. Sancyrani consilio creditur Jansenius luctuosissimum Ecclesiæ opus suscepisse, in quo, ut testatur Urbani VIII. Constitutio, quæ incipit IN EMINENTI, *Compertum fuit, multas ex propositionibus, à prædecessoribus nostris, olim, ut præfertur, damnatis contineri, & magno cum catholicorum scandalo, & authoritatis dictæ Sedis contemptu, contra præfatas damnationes, & prohibitiones defendi..... malo in scandalum totius Reipublicæ Christianæ, & Fidei Catholicæ perniciem vertenti.* Sit tamen pax manibus Jansenii, quia se, suumque librum aliquoties in vitâ, & in mortis articulo, publicis Testamenti tabulis, Sedis Apostolicæ judicio submisit. Si verò in dogmatum suorum defensione, ut sui hoc tempore discipuli, contumax permansisset, quid de ejus statueretur virtutibus, quibus ad conciliandam opinionibus suis olim sæpius damnatis, & apertè hæreticis authoritatem, Sanctitatis apud discipulos famam ambitiosiùs forsitan captasset?

4 Tales profectò virtutes, vel inania virtutum simulacra, qualia in obstinatis Jansenianæ hæreseos Sectatoribus hodie conspiciuntur, suspecta meritò sunt, ut iis similia censeri debeant, de quibus S. Prosper superiore adversùs Collatorem capite censuit, quod eorum authores *non frustrà quidem, neque inutiliter* virtutes illas apparentes habeant, *multumque ex eis in hac vita honoris, & gloriæ* (à suis, & nimiùm simplicibus) *consequantur; sed quia in iis studiis non Deo; sed Diabolo serviunt; licèt habeant temporalem de vana laude mercedem, ad illam tamen beatarum virtutum non pertinent veritatem. Et ita manifestissimè patet, in impiorum animis*, (quales indubiè sunt Jansenistarum, quorum ignorantia, & error non est excusabilis) *nullam habitare virtutem; sed omnia opera eorum* (Jansenistarum, ut Jansenistarum) *immunda esse, atque polluta, habentium sapientiam non spiritalem, sed animalem; non cœlestem, sed terrenam; non Christianam, sed diabolicam; non à Patre luminum, sed à Principe tenebrarum; dum & ipsa, quæ non haberent nisi dante Deo, subdunt ei, qui primus recessit ab eo.*

Talem esse quorumdam suorum zelum causæ suæ vehementiùs faventium agnoscere videtur ipse Quesnellus in tertio suo documento, sive ut gallicè vocat *Troisieme memoire*, præfationis pag. VI. ubi suos monet ut juxta Apostolum 1. Tim. 2. *levent manus*
„ *puras sinè ira, & disceptatione*, manus &
„ animos non contaminatos invectivis, sa-
„ tyris, & versibus famosis, plenis felle, &
„ malitiâ, quæ provenire nequeunt ab in-
„ dignatione illa sancta, quam veritati læ-
„ sæ, & proculcatæ charitas denegare non
„ potest. Sed profluunt ab indignatione
„ nimiùm naturali, & à zelo, qui cum lumi-
ne

„ ne destituitur, tum mensurâ. Talibus ve-„ ritas auxiliis non eget ; quin novum ei „ vulnus infligitur, dum authoritas, cui „ commissum veritatis depositum est, acer-„ bius impugnatur. Quicumque veritatem „ diligunt, quemadmodum amari ipsa de-„ siderat, scriptis istiusmodi applaudere „ minimè possunt. Qualemcumque ego in „ hac causa partem habeo, dolerem pro-„ fectò plurimum, si talem vindicandæ ve-„ ritatis modum crederer approbare.

5 Magis laudabilis foret ista Quesnelli in reprehendendis suorum satyris, & libellis famosis æquitas, si non & reprehensio ista plus simulationis ludicræ in authore præseferre videretur, quàm seriæ increpationis; ac proindè ad fallendos potiùs simplices, quàm castigandos reos studiosè composita. Quid enim satyræ illæ, & libelli famosi amaritudinis continent, quid irreverentiæ, & temeritatis contra Christi Vicarium; & latam ab eo sententiam, quod non reperitur in pluribus Quesnelli scriptis, qualia sunt contra Decretum *Indicis* prohibens *dissertationes* ejus *in opera S. Leonis*: contra Decretum Alexandri VIII. damnans articulos 31.: contra dispositionem CLEMENTIS XI. circa Archiepiscopum Sebastenum, & adhærentes ei Schismaticos, contra priorem *Observationum Moralium* censuram? quæ quidem scribendi ratio adversùs latas suprema Authoritate Sententias, effrænem ubique prodit audaciam, impudentiam irreligiosam, animum schismaticum, & omni prorsus vacuum charitate. Atque hæc in Quesnelli & ei adhærentium libellis delicta conspiciuntur ubique obvia: non de his tamen solummodo est justissima catholicorum querimonia; sed vel maximè de erroribus impiis, blasphemis, hæreticis, qui sæpius damnati identidem resuscitantur, defenduntur, infarciuntur legentibus.

6 Hinc oritur quæstio ad præsentem pertinens controversiam, an in Quesnello, & ejus Sectatoribus *nihil sit, nisi impuritas; nihil, nisi indignitas*; cùm in illis vera fides, sive, ut phrasi propositionis loquar, *Sacrificium Fidei* minimè reperiatur. Manifesta contra Quesnellum apparet ista ex ejus sensu consequentio. Idem flueret consectarium ex illo Apostoli ad Rom. 14. *Omne, quod non est ex fide, peccatum est*, & ex objecto superiùs Prosperi textu, *in impiorum* (maximè infidelium) *animis nullam habitare virtutem; sed omnia opera eorum immunda esse, atque polluta*. Verùm nos, Duce Angelico, & cæteris Doctoribus catholicis, sententiam Apostoli, & Prosperi intelligere malumus de operibus contrariis fidei, vel conscientiæ, sive quæ ab impiis, & infidelibus tanquam talibus fiunt, ad impietatis augmentum, vel confirmationem perfidiæ.

Non igitur omnia porsus infidelium, hæreticorum, etiam eorum, cum quibus hìc nobis colluctatio est, de *impuritate*, & *indignitate* arguimus, sed applicandum ipsis ducimus Augustini effatum de Philosophis Ethnicis lib. de Spiritu, & Littera cap. 26. *Ipsi homines erant, & vis illa naturæ inerat illis, qua legitimum aliquid anima rationalis, & sentit, & facit: & sicut non impediunt à vita æterna justum quædam peccata venialia, sinè quibus hæc Vita non ducitur; Sic ad salutem æternam nihil prosunt impio aliqua opera bona, sinè quibus difficillimè vita cuju slibet pessimi hominis invenitur*. Sed errat plurimùm Augustinus, si hodierni ejus prætensi discipuli veritatem asserant, nulla omnino, & nè minima quidem bona opera multitudini hominum longè maximæ concedentes; quàm enim exigua pars mortalium fidelis est, si eam cum infidelium impiorum, Judæorum, hæreticorum, in quibus nullum est veræ *fidei sacrificium*, numero comparaveris!

Tales invenire perfacile est, utpote quibus, & minimè occultis scatet Orbis pars longè major; unde, si ubicunque defuerit, *sacrificium fidei, nihil sit, nisi impuritas; nihil, nisi indignitas*, multò faciliùs erit reperire impios absque ullo bono opere, quàm eo reverà præditos. Quapropter insistentes potius vestigiis tutissimis Scripturarum, Patrum, etiam Augustini, & Hieronymi, tot Summorum Pontificum, Principum Scholasticorum Angelici, & Seraphici, concludamus, non omnia infidelium opera esse peccata, neque virtutes Philosophorum, aut hæreticorum omnium esse vitia.

7 Redit adversariorum cavillatio, Augustinum non simpliciter, & penitùs bona vocare; sed secundùm quid ratione officii, quamvis, si eum fine accipiantur, simpliciter perversa sint. At evidens est opposita Augustini sententia lib. de Spir., & litera cap. 26. ubi ait: *In numero etiam hominum impiorum, nec Deum verum veraciter, justèque colentium quædam facta legimus, vel novimus, vel audivimus, quæ secundùm justitiæ regulam non solùm vituperare non possumus; verùm etiam meritò, rectèque laudamus; quanquam, si discutiatur, quo fine fiant, vix inveniuntur, quæ justitiæ debitam laudem, defensionemque mereantur*: ubi perspicuè Sanctus Doctor aliqua Gentilium opera, etsi

pau-

pauca agnoscit, quæ tum officio, tum fine bona sint. Clarissimus, & prorsus ineluctabilis ejusdem S. Antistitis locus sæpius à me allegatus, & ad frangendam adversariorum pervicaciam semper ipsis ingerendus est ex lib. 5. de Civitate Dei cap. 18.: *Romani justitia, & actibus strennis promeruerunt à Deo Imperium*. Edicant adversarii, an unquam in sana Theologia legerint, meritum bonum à Deo accipi secundùm officium operis, si finis perversus sit: an Deus justus, sapiens, sanctus, laudare, & præmio afficere posset castitatem virginum Vestalium, officio honestam; sed infidelitatis fine damnabilem? An præmio donare eleemosynam puellæ pauperi datam fine luxuriæ? Quisquis talia opera propter officium bonum, nequidquam obstante fine pessimo, laudanda, ac præmio digna censeret, nè is sapientum omnium judicio damnaretur, ut infamis luxuriæ, & infidelitatis approbator.

Quapropter necesse est, Deum etiam in Nabuchodonosore, & exercitu ejus, Judæis contra Tyrios opitulanti actum aliquem juxta S. Hieronymi sententiam deprehendisse, non officio solummodo bonum; sed fine pariter innoxium; aut Deum stultitiæ argui, & iniquitatis, qui laudaverit, & præmio dignum censuerit temporali, quod gravia merebatur apud inferos supplicia. Maneat itaque justissimè, & sapientissimè damnata Quesnelli *Observatio moralis de Sacrificio Fidei* statuens, *quod finè hoc nihil sit, nisi impuritas*; *nihil, nisi indignitas*: quæ si subsisteret, necessaria sequeretur conclusio, tot Quesnelli placitis de hæresi convictis, omnia ipsius, atque ei adhærentium opera nihil, nisi impuritatem, indignitatemque continere.

Præcedentium quinque Propositionum de libertate sinè gratia impugnatio iterata.

CAPUT I.

Instaurata inaniter Quesnelli defensio in Hexaplis.

1 Postquam Hexaplorum Author damnatas propositiones singulas de libertate sinè gratia defendere conatus est 2. editionis pagina 208., insultat CLEMENTI XI. hac magnificâ; sed mendacissimâ inscriptione: PATER QUESNELLUS SE IPSO JUSTIFICATUS. „ De quo nè dubites (inquit) propositiones jam relatæ in sensu suo naturali non „ continent, nisi veritates sanctissimas, & „ Christianæ pietatis, ac demissionis fundamenta. His veritatibus edocemur, nos „ sinè gratia non solùm nihil boni facere „ posse; sed neque aliud posse, quàm peccare: quod nobis, & propriæ relicti infirmitati, non simus, nisi tenebræ, & error in intellectu; miseria, & corruptio in „ voluntate: quòd, nisi Deus prædicationem Verbi sui, & exteriores gratias unctione sui Spiritûs comitetur, non serviant, nisi ad nos obdurandos, propter „ contemptum, quo à nobis excipiuntur; „ atque adeò non serviunt; nisi ut nos „ reddant sceleratiores, quò magis imbuimur notitiâ præceptorum. Istiusmodi „ veritates sunt, quæ propositionibus illis „ continentur, & quas altè animo impressas servat, quisquis vero nomine Christianus est. Denique eæ veritates sunt, „ quæ pietatem inspirant maximè simplicibus. Non ignoramus tamen sensum „ perversum, qui eis ab inimicis gratiæ „ Christi attribuitur. Divulgant scilicet „ iis instaurari unum ex erroribus Jansenio imputatis de mandatorum Divinorum observatione impossibili: quod adimendo hominibus veram bonorum operum facultatem, liberum destruant arbitrium; ac denique Deum nobis statuant „ injustum, atque exoticum, qui rationem „ nulla motus deserat quemlibet. In præmissis animadversionibus exposita omnium oculis fuit propositionum secundùm se, sive in sensu proprio Apologia. „ Nunc & ipse Author ab omnibus impactis erroribus vindicandus est. Exhibebitur primò docens, mandata Dei non „ esse impossibilia; sed hominem ea semper implere posse, quando vult. Secundò boni operis impossibilitatem sinè gratia, non esse defectum potestatis naturalem, & absolutum; sed voluntarium, „ ortum ex perversitate, & corruptione „ animi libera. Tertiò desertionem Divinam esse punitionem præcedentis delicti. „ Hactenus Hexapla.

2 Nos Propositiones singulas in significatione sua naturali; ac dein etiam cum circumstantiis Authoris, & sensûs ab eo intenti, prout in pluribus ipsius eòdem conspirantibus Articulis apertissimus est, ubique accepimus, neque aliter eas usquam accusamus, atque convellimus. Quòd in Hex-

Hexaplis vocentur *veritates sanctissima*, *& Christiana pietatis*, *ac demissionis fundamenta*, mirum non est, cùm is, qui *Panegyrim Jansenianam edidit*, ac dein *Apologiam novam doctrina sancta Cornelii Jansenii*, in alio ad *populum fidelem monito*, omnes Quesnelli damnatos articulos simili decoraverit encomio.

Unus quoque ex Jansenii post primam prohibitionem Approbatoribus scribebat: *Ego, licèt indignissimus in me ipso, praedictam* (Jansenii) *doctrinam vera humilitatis, vitaque spiritualis fundamentum esse reperio*. Alius eodem tempore: *persentisco, quòd ex lectione Jansenii plus, quàm ex tot aliis à me lectis, licèt piissimis Authoribus proficiam in humilitate, & diffidentia de nihilo nostro totali.* Et quidem quoad libertatem sinè gratia nihil in damnatis Quesnelli Propositionibus est, quod suum esse noluerit Lutherus, Chemnitius, Melanchton, Bucerus, Calvinus, Chamierus, & Petrus cognomento Martyr.

3 At, inquies, cur Quesnellus hìc, sive quisquis est ejus vindex, prætermisit opera *sinè sacrificio fidei*, de quo enuntiat Proposit. 42., quod *sinè hoc nihil sit*, *nisi impuritas*; *nihil*, *nisi indignitas*? Idem Theologis istis videtur esse *sinè fide*, & *sinè gratia*; nam Propos.27. *Fides est prima gratia*. Propos.26. *Nulla dantur gratia, nisi per fidem*: Et ipse Jansenius editionis Lovaniensis col.818.: *Hac quoque* (inquit) *vera ratio est, cur apud Augustinum* (scilicet Batavum) *indifferenter usurpentur sinè fide, & sinè gratia, & sinè charitate hominem praeceptum implere non posse*.

Adversarios in tot Propositionibus hactenus impugnatis de manifesta convicimus aberratione, etiam hæreticâ, cum qua charitatem minimè consistere indubitatum est, saltèm ubi accesserit pertinacia, quam patentissima in eis contra definitiones Apostolicas ubique prodit rebellio. Quæ igitur actio, quæ volitio in ipsis dabitur juxta Proposit. 42. & plures prævias, immunis ab *impuritate*, & *indignitate*? Quamdiu itaquè in rebellione, & pertinacia permanere fixum ipsorum animo est, quò serviunt illorum studia, & scriptiones, nisi ad *se magis obdurandos*, *reddendosque sceleratiores*, *quò magis imbuti notitiâ praeceptorum*, *ea quotidiè contemnunt*?

Quæ contra quinque posteriores Quesnelli articulos disputavi, fallaciam demonstrant Adversariorum temere jactantium, quasi unica eos accusandi ratio sit, quòd reddant præcepta hominibus quibusdam impossibilia. Nunc quoniam Quesnellus à se ipso justificandus proponitur, sive ex aliis suis textibus ab hæreseos suspicione vindicandus, juverit eum suis laqueis constringere, ut videat spem suam, etiam hìc, elabendi esse inanissimam. In primis quæro cur scrupulosi adeò, seu præposterè religiosi, sint Adversarii, ut primam Jansenii propositionem hæreticam in sensu Authoris toties damnatam, & utì talem jussam ejurari ab omnibus, quibus formulæ Alexandrinæ incumbit subscriptio, non audeant à Jansenio traditam agnoscere; sed solùm nominent *inter errores Jansenio imputatos*? Frustrà hujus tergiversationis ex ipso Quesnello ratio quæritur, quam ipse declaravit verbis minimè obscuris in epistola data mense Novembri 1697.ad Præsulem N.N., ubi minatur iteratos typos Dionysii Raymundi, & aliarum pro Jansenio Apologiarum, quibus Antijansenìani omnes ad incitas redigantur.

4 In alio scripto,quod exhibetur in *causa Quesnelliana* pag. 223., „Non agitur modò, „ inquit, de resarciendâ omni injuriâ Jansenio ab Adversariis illatâ; non est res „ facilis: inimici ejus adhuc nimiùm potentes sunt, & nimius adhuc defectus „ luminis in judicibus: expectandum est, „ donec pravus animi affectus in prioribus „ plus de ardore remiserit, in posterioribus verò tenebræ dissipatæ sint. Oportet, „ ut Seculares, & Ecclesiasticæ potestates, „ quæ vulnus inflixere, illi medeantur. „ Suntne autem res ita dispositæ hoc tempore, ut major pars Principum, & Episcoporum causam istam in se suscipiat? „ Interim quidem perit Ecclesia, quia plerisque optimis destituitur operariis, eò „ quod Formulari subscribere detrectent... „ Velles, ut (in condemnatione quinque „ Propositionum) sensus Jansenii excipe„ retur, & ut hoc Bulla aliqua decerneret. „ Si Romana Curia esset in nostra potesta„ te, & possemus ipsam adigere ad compo„ sitionem Bullæ, qualis nobis in votis est, „ meritò Bullam istiusmodi expectares. „ Verùm, crede mihi, non committamus „ Bullis Romanis salutem Ecclesiæ, & ve„ ritatis: spes nostra nimio exponeretur „ periculo: studeamus potiùs uti quali„ cunque præsenti occasione favente Ec„ clesiæ, & veritati, ut res ad plenam „ disponatur victoriam. Tota condemna„ tio quinque Propositionum reducitur ad „ Bullam Innocentii X........ Si autem „ Discipuli Sancti Augustini existimassent, „ in ea condemnari sensum Jansenii, cavis„ sent sibi profectò, à submittendo se isti Bullæ,

„ Bullæ, ut submisêre se statim, & dein-
„ ceps absque difficultate „.

Hæc igitur ratio est, ob quam Quesnellus, sive alius ex ejus sensu Authot Hexaplorum, quinque Propositiones hæreticas Jansenii solùm vocet *errores Jansenio imputatos*, ab ejus videlicet Adversariis. Ratio verò, ob quam Quesnellus, & ejus Socii, veluti pro aris, & focis, pugnant pro eximendo à damnatione sensu Jansenii, non alia est, quàm quod satis conscii sibi sint, suum, & Jansenii sensum in quinque Propositionibus prorsus eundem esse. Quid ergo, inquies, damnant, cùm quinque Propositionibus tam facilè dicunt anathema? Non damnant, nisi sensum, quem in libello supplice trium columnarum oblato à suis Oratoribus Innocentio X. exprimunt primâ columnâ, declarantque, *quod eum sensum Propositiones legitimè sumptæ non habeant*; sed quod is rantùm *malignè affingi iis posset*. Damnare autem Propositiones solummodo in sensu, *quem legitimè sumptæ non habent*; sed qui tantùm *malignè affingi eis posset*, non est revera damnare Propositiones; sed sensum merè fictitium, & ad Propositiones minimè pertinentem.

Omnis itaque Jansenistarum obedientia, qua se ajunt Propositiones quinque ab Innocentio X. damnatas, pariter damnare, merè fictitia est, & ad fallendos Ecclesiæ Præpositos turpissimè excogitata.

5 Ut autem Adversarii desinant tandem in dubium revocare, an prima inter quinque damnatas in Jansenio Propositiones, ipsius reipsa sit, demonstrandum hìc suscipio, eam non tantùm Jansenii esse, secundùm omnes apices; sed etiam duriùs, & absurdiùs ab eo traditam, quàm ex ejus volumine excerpta, & damnata à Pontificibus fuerit. Propositio enim damnata sic sonat: ***Aliqua Dei præcepta hominibus justis volentibus, & conantibus, secundùm præsentes, quas habent vires, sunt impossibilia: deest quoque illis gratia, qua possibilia fiant.*** De Propositione sic enuntiata, & quæ, ut ipse Innocentius X. in Bulla præfatur, *est inter alias Jansenii opiniones*, sic idem Pontifex definit, *temerariam*, *impiam*, *blasphemam*, *anathemate damnatam*, *& hæreticam declaramus*, *& uti talem damnamus*. Propositio, prout in Pontificio Diplomate refertur, simplex assertio est, quæ posset esse authoris *opinio* tantùm, ut *inter alias Jansenii opiniones* ab Innocentio X. allegatur. Ar Jansenius eam velut certissimam; & in Augustini doctrina fundatissimam nobis ingerit, à qua recedere piaculum sit, dignum *anathemate*.

Sic habet novus ejus *Augustinus* lib. 3. de gratia Christi cap. 13. „ Hæc igitur omnia
„ plenissimè, planissimeque demonstrant,
„ nihil esse in S. Augustini doctrina certiùs,
„ ac fundatiùs, quàm esse præcepta quæ-
„ dam, quæ hominibus non tantùm infide-
„ libus, excæcatis, & obduratis; sed Fide-
„ libus quoque, & justis, volentibus, co-
„ nantibus, secundùm præsentes, quas ha-
„ bent vires, sunt impossibilia, deesse quo-
„ que gratiam, quâ fiant possibilia „.

Quòd verò Jansenius attributam Augustini doctrinam adoptet, tanquam necessariò ab omnibus sub anathemate tenendam, sic in Præfatione tomi 3. statuit: „ In
„ illa materia versamur, ubi post tot Apo-
„ stolicæ Sedis, Conciliorumque pronun-
„ tiata ex Augustini libris, verbo, sensu-
„ que tenus hausta, meritò adversùs hujus-
„ modi retorquere possumus; si quis vobis
„ annuntiaverit, præter id, quod ex Augu-
„ stino accepistis, anathema sit „. Ibidem,
„ Nihil publico utiliùs fieri posse puto,
„ quàm si genuina profundissimi Doctoris
„ mens, hoc est Ecclesiæ Catholicæ sen-
„ tentia, quam ille explicuit, & contra
„ hæreses propugnavit de gratia, & præ-
„ destinatione, proferatur „.

6 Habemus itaque primam Propositionem hæreticam, impiam, blasphemam, à Jansenio, quanto potuit robore stabilitam: habemus & Quesnellum Jansenianæ doctrinæ notissimum, & obstinatissimum vindicem. Nè verò dubites de sensu ejus hæretico circa Propositionem Jansenii primam, *in Traditione Ecclesiæ de gratia*, *& prædestinatione*, sub nomine Dñi Germain pag. 340., referens illam Hieronymi sententiam: *Multi præcepta Dei imbecillitate suâ, non sanctorum viribus æstimantes, putant esse impossibilia, quæ præcepta sunt*; quam opinionem minimè approbat S. Hieronymus; sed non rejicit Quesnellus, cùm ait: *Ipsis esse impossibilia*, *si eorum consideretur infirmitas*, quæ est in omnibus, juxta Quesnellum, efficaci gratia destitutis.

Sic enim pag. 342. relatam Augustini sententiam, de quadam peccatoris inveterati impossibilitate consequenti abstinendi à peccatis, interpretatur Quesnellus de impossibilitate absoluta in omnibus absente gratia efficaci: „ Notandum, „ inquit, „ est,
„ Sanctum Augustinum studio voci diffi-
„ cile junxisse impossibile, propterea, quòd
„ judicaret posterius necessarium ad exclu-
„ dendam Pelagianorum hæresim, & ut in-
„ telligeretur, quod hæc gratia fortis, &
„ potens (seu efficax) de qua agit, sit abso-
lutè

„ lutè necessaria, ad faciendum bonum, & „ quod absque isto auxilio bonum illud „ facere non solùm sit difficile, sed penitùs „ impossibile „. Idem exprimitur multis in præsenti Constitutione damnatis Propositionibus, maximè secundâ: „ Jesu Christi „ gratia principium efficax boni cujuscun„ que generis, necessaria est ad omne opus „ bonum: absque illa non solùm nihil fit; „ sed nec fieri potest „. Propos. 9. „ Gratia „ Christi est gratia suprema, sinè qua con„ fiteri Christum nunquam possumus, & „ cum qua illum nunquam abnegamus „. Quæ hæresis à Quesnello pluribus aliis articulis inculcatur. Denique omnem gratiam in hoc statu, juxta Quesnellum, esse efficacem, & sinè ea non solùm nihil à nobis bene fieri; sed neque possibile esse, tam dilucidè superiùs demonstratum est, ut insigniter sycophantam esse oporteat, vel cæcum, qui Quesnellum à prima Propositione Jansenii voluerit esse immunem.

7 Nunc Jansenistarum strophas Lector attende: *Docemus*, inquiunt, *Dei mandata adeò non esse impossibilia, ut semper ea implere homo possit, quando vult*, nempe efficaciter, idest semper præcepta observari possunt, quando implentur re ipsa. Sed quæritur utrum homo, saltèm justus, possit semper velle. Juxta Quesnellum nunquam velle potest, nisi dum vult re ipsa: *Ita Domine*, inquit artic. 4. *Omnia possibilia sunt ei, cui omnia possibilia facis, eadem operando in illo.*

Tunc igitur solùm volitio boni operis est homini possibilis, quando eam Deus possibilem facit, eandem operando in illo; sicut volatus est homini cuilibet possibilis; quando illum Deus in homine operatur. Sic etiam Pater, & Filius possunt abstinere à productione Spiritus Sancti, quando volunt: possunt peccare, quando volunt: possunt se ipsos destruere, quando volunt; sed nihil horum velle possunt. Nonnè indè ridicula fieret illatio, Patrem, & Filium non necessariò; sed liberè producere Spiritum Sanctum, posse Deum peccare, posse se ipsum destruere? Omnis *gratia Christiana est omnipotens*, juxta art. 37.; juxta 10. *Gratia est operatio manûs omnipotentis Dei, quam nihil impedire potest, aut retardare*. Juxta 40. autem: *Sinè gratia nihil amare possumus, nisi ad nostram condemnationem*. Explicet ergo Quesnellus, quomodo in hoc statu ullus mortalium, qui non vult servare præceptum, velle potuerit? Non enim potuit sinè gratia, quæ si adfuisset, nihil illam impedire potuisset, aut retardare, in novo quidem Quesnelli systemate.

8 At, instant Hexapla: *Boni operis impossibilitas sinè gratia non est naturalis, & absoluta; sed voluntaria, orta ex perversitate, & corruptione animi liberâ*. Quot voces, tot præstigiæ. Sed non sic elabi Adversarios patimur: In memoriam eis revocanda est Propositio 44. „ Non sunt, nisi duo amores, „ unde volitiones, & actiones omnes no„ stræ nascuntur. Amor Dei, qui omnia „ agit propter Deum, quemque Deus re„ muneratur; & amor, quo nos ipsos, ac „ mundum diligimus, qui, quod ad Deum „ referendum est, non refert, & propter „ hoc ipsum fit malus „. De primis nunc hominum in infantia baptizatorum actionibus, & volitionibus quærimus, quæ si non referantur actu in Deum, hoc ipso juxta Adversarios malæ sunt; non enim juxta illos referri possunt virtute, quæ actum formalem prævium in eorum sententia supponit; primis autem actibus prævios non dari manifestum est. De illis, inquam, actibus quærimus, undenam oriatur boni operis impossibilitas sinè gratia? Qua ratione impossibilitas illa sit voluntaria, quomodo oriatur ex perversitate, & corruptione animi libera, quam certum est nullam esse volitione primi operis, & omissione primæ in Deum relationis anteriorem?

Imò, ais, anterior est in voluntate Adami, in qua voluntas omnium nostrum rubiginem traxit, atque corruptionem. Intelligo & ego nostrûm omnium in Adamo lapsam, atque depravatam esse voluntatem; sed qualiscunque illa perversitas, & corruptio ad aspergendam originis maculam sufficiens, minimè tamen sufficit ad personalem operum malitiam, damnante meritò Alexandro VIII. articulum hunc primum inter 31. „ In statu naturæ lapsæ ad pecca„ tum formale, & demeritum sufficit illa „ libertas, qua voluntarium, ac liberum „ fuit in causa sua, peccato originali, & „ voluntate Adami peccantis „.

Sed & originis reatus supponitur Baptismate remissus. Pandant itaque nobis, si possunt, Adversarii, quænam sit ea humanæ mentis perversitas, & corruptio libera, è qua orta fuerit ea observandi præcepti, absente omni gratiâ, impossibilitas. Quisquis rationis compos justitiâ, quam in sacro Baptismate acceperat, excidit, excidit procul dubio peccans; sed quæstio redit, an, & quomodo peccatum istud evitare, juxta Adversarios, potuerit: non enim potuit sinè omnis actualis gratiæ auxilio, *sinè quo nihil amare possumus, nisi ad nostram condemnationem*, juxta Propos. 40.; & jux-

ta 39. *Voluntas, quam gratia non prævenit, nihil habet luminis, nisi ad aberrandum; ardoris, nisi ad se præcipitandum; virium, nisi ad se vulnerandum: est capax omnis mali, & incapax ad omne bonum.*

9 Peccat nihilominus, inquis, quia impossibilitas illa ipsi voluntaria est, orta ex pravitate, & *corruptione animi libera*. Sed quæ species libertatis est; si perversitatem illam, & corruptionem animi, quam commiuisceris, impedire homo non potuerit, ut impedire juxta te non potuit sinè gratia sufficiente, qua perseverare posset, & qua supponitur caruisse; aliàs mansurus in justitiâ, cùm in vestro systemate omnis gratiâ sufficiens nunc simul efficax sit? Si dixeris, ad libertatem sufficere voluntarium, incidis in damnationem Bajani articuli 39. *Quod voluntariè fit, etiamsi necessario fiat, liberè tamen fit. 66. Sola violentia repugnat libertati hominis naturali.*

Hos errores resuscitavit Jansenius Tom. 3. edit. Lovan. col. 632. *Necessitas, quæ est voluntaria, qua simpliciter necesse est aliquid fieri, non repugnat libertati*: colum. 867. & 624. *Hoc ipso quo volitio est, libera est.* Rursus colum. 624. *Contradictionis absurditas est, volitionem esse posse, quæ tamen non sit in nostra potestate, nec libera.* Col. 618. *Sola necessitas coactionis repugnat libertati.* Col. 658. *Libero sola prementis, cogentisque necessitatis violentia repugnat.* Ista procul dubio dogmata sunt inter ea de quibus Urbanus VIII. Constitutione in Eminenti declarat, quòd *Ex diligenti, & matura ejusdem libri* (Cornelii Jansenii) *cui titulus Augustinus lectione compertum fuerit, in eodem libro multas ex propositionibus à prædecessoribus nostris olim, ut præfertur, damnatis, contineri, & magno cum catholicorum scandalo, & authoritatis dictæ Sedis contemptu, contra præfatas damnationes, & prohibitiones* (Pii V. & Gregorii XIII.) *defendi ..... malo in scandalum totius Reipublicæ Christianæ, & fidei catholicæ perniciem vertenti*; cui à se iteratis censuris, & quibuscunque opportunis remediis occurrendum efficaciùs censuit Urbanus Pontifex; Quesnellus verò luget *nimiam adhuc in Jansenii adversariis potentiam*, in Ecclesiæ verò *judicibus defectum luminis* necessarii, *ut illata Jansenio injuria resarciatur*. Sperat tamen, has in Pontifice, Cardinalibus, Episcopis, S. Officii Consultoribus, Qualificatoribus, & Theologis cæteris *tenebras dissipandas*, & jam quædam principia bona quasi perspiciens, meliora paulatim secutura ominatur, quibus causa Jansenii, & Res novæ Ecclesiæ, *ad plenam victoriam disponantur*.

10 Tertia allegatio desertionis Divinæ in punitionem præcedentis delicti jam pariter exclusa est à primis justorum lapsibus, à primis scilicet omissionibus amoris Dei, & relationis operum in Deum, quæ relatio juxta adversarios perpetuò, & indispensabili præcepto incumbit omnibus, ut primùm rationis compotes sunt. Dum igitur in infantia baptizati ad rationis usum perveniunt, neque primo amoris, & relationis præcepto satisfaciunt, caruêre, ut patet, gratiâ efficaci: sufficiens juxta adversarios nulla est in præsenti statu. Quomodo autem à Deo non priùs deserantur justi illi, priusquam Deum deserant? Non potest ea desertio esse punitio præcedentis delicti, quale nullum præcessit, præterquam originis, quod in baptismate condonatum est, atque extinctum.

Quod de primis baptizatorum in infantia peccatis, majoris evidentiæ causâ, dictum est, ad cætera justorum peccata facilè traducitur. Inania itaque sunt Hexaplorum pro Quesnello, & Jansenio argumenta, manentque articuli de libertate sinè gratia justissimè proscripti, & digni censuris minimè levibus, ut multiplex nostra contra eos ratio demonstravit.

CAPUT II.

Examinatur observatio *nomine* Theologorum Galliæ *proposita*.

1 Libellus anonymus *Theologos Galliæ*, sed anonymos citat propositionum de libertate sinè gratia defensores. Non deesse prorsus in Gallia Theologos novitatibus addictos, satis exploratum est. Tales fuêre qui ab initio favêre Calvino, dein Jansenio, qui Sorbonam clamoribus implevêre, nè ad propositionum ex Jansenio excerptarum censuram facultas illa Theologica procederet, & qui non minùs irrito molimine Innocentium X. ab eorumdem dogmatum condemnatione avertere conati sunt: qui denique hoc tempore florentissimum illud regnum tot infamibus libellis, & aperti comminatione schismatis perturbant, non planè extinctum Illic esse Jansenianæ hæreseos fermentum manifestissimè convincunt. Quidquid sit, fallax libelli titulus authores *Theologos Galliæ* præseferens, imponere posset incautis, saltèm exteris, quasi omnium, vel ferè omnium Gallorum Quesnello suffragaretur sententia, quam constat ab Episcopis pe-

penè omnibus, & Pastorum vocem sequente fideli populo condemnari.

Audiatur tamen magnificæ inscriptionis, quiscunque est, subdolus ostentator: pag. 184. ait „ Quam Tridentini Patres in „ secernendis fidei articulis ab opinioni- „ bus Scholæ Theologicæ prudentiam, „ atque animi moderationem constanter „ retinuere, eandem existimant cordatissi- „ mi quique in Galliis viri summè necessa- „ riam esse, tum ad fovendam in regno, & „ in Ecclesia pacem, & concordiam, tum „ ad intricatarum Quæstionum dissolven- „ dos nodos, tenebrasque, quibus ipsa „ sæpe veritas involvitur, paulatim dispel- „ lendas publicis disputationibus, liberis- „ que collationibus „ Pag. 190. „ Præterea „ gravissimè dolent Theologi eandem „ (Scholarum libertatem) omnino lædi „ proscriptione Propositionum 9. 10. 11. „ 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. qui- „ bus gratia per se efficax à B. Thoma, „ ejusque discipulis, ac plerisque aliis „ Scholasticis Doctoribus hodieque de- „ fenditur. Putant iidem propositionum „ 38. 39. 40. & 41. censurâ percelli opi- „ nionem in Scholis frequentatam, etiam „ post tempora S. Pii V. Gregorii XIII., & „ Urbani VIII. circa operum absque gratia „ elicitorum pravitatem. Hic dissimulare „ non licet Romano Pontifici, novarum „ opinionum defensores, æquè promptos „ ad augendos fidei articulos, quàm ad „ eos dijudicandos parùm perspicaces, ex „ censura Pontificia sumpturos, imò jam „ sumpsisse, ut ex multis eorum scriptis „ patet, occasionem opprimendæ Schola- „ rum libertatis; parum scilicet observan- „ tes istius regulæ, nobis ab antiquo Ec- „ clesiæ magistro traditæ, *ut in rebus ne- „ cessariis unitatem, in dubiis libertatem, in „ omnibus charitatem sectemur*. „

2 Quam hic Jansenistarum Patronus in Tridentinis Patribus non immeritò laudat, vel laudare se simulat prudentiam, atque moderationem animi, quoad discernendos fidei articulos ab opinionibus Scholæ Theologicæ, nos pariter Apostolicæ Sedi non inferiore merito applicamus. Laudationis simulatæ suspicionem ingerunt, quæ aliàs novimus à Jansenistis senriri de Tridentino Concilio parum honorifica, ut de Sancyrano superiùs retuli ex testimonio Lingonensis Episcopi, quòd sibi sinè ambagibus asseruerit, *Concilium Tridentinum non fuisse verum Concilium: non posse fidem haberi ejusdem Concilii definitionibus, quia celebratum non fuit juxta normam Conciliorum veterum*.

Testimonio Episcopi junxi alind, & quidem juratum Joannis de Jovaud religiosi Abbatis Cisterciensis „ cùm (inquir) „ objicerem Concilium Tridentinum, „ quod perspicuè docet, peccata venialia „ esse sufficientem absolutionis materiam, „ licèt non necessariam, quærebat Sancy- „ ranus, approbasne Tridentinum? Et „ moto capite subjunxit: si cum Triden- „ tino sentias, consentis Pontifici. Imò, „ ajebam, consentio utrique: quo respon- „ so accepto, discessit. Aliàs rursus oblatâ „ opportunitate, eum percunctatus sum, „ an non haberet Concilium Tridentinum „ pro œcumenico? Respondit non quidem „ didacticè; Sed Concilium istud fuisse „ Pontificis, & Scholasticorum, qui doctri- „ nam Ecclesiæ multum immutaverint. „

3 Priùs etiam juxta Bajum *quadam fuêre in isto Concilio inconsideratè posita*: Propositio ista ab ipsis Lovaniensibus inter aliàs missa fuit in Hispaniam, atque ab Academiis illic Salmanricensi, & Complutensi condemnata. Recentioribus quoque Baji, & Jansenii sectatoribus Concilium illud placere non porest, cujus Decretis, & Canonibus doctrina ipsorum novaturiens minimè consonar. Eliæ du Pin in sua nova bibliothecâ videtur idem Concilium minùs probari, quòd *solis constiterit occidentis Episcopis convocatis à Pontifice, qui suas illic tum ad dogmata, tum ad disciplinam spectantes decisiones promulgarit, approbantibus* (tantùm) *& confirmantibus Episcopis*. Magis displicet Ægidio de Witte Candidorum Jansenistarum Principi in *Augustino Iprensi Vindicato* Parte 2. cap. 10. quòd *natio Italica, quæ nulli extensione par, omnes alias simul sumptas ferè numero Episcoporum æquans, omnia reformationis in capite, & in membris ineunda consilia, ut minùs faventia suis commodis dissipet, & evertat*: sic homo impudens calumniatur. Quare optat, ut in novo Concilio, ad quod appellat, ex singulis nationibus æqualis quodammodo suffragia conferentium numerus sit. *Denique*, inquit, *Hierarchia secundi Ordinis, hoc est, Presbyteri curam animarum habentes, atque in verbo, & doctrina jam præcipuè, & in pluribus diœcesibus unicè laborantes, suas etiam ad proponendum, ad opinandum, adjudicandum, & ad dicendam sententiam partes habeant*; non verò ut in Concilio Tridentino solùm censeanrur Consultores, & Theologi advocati; quapropter an laus illa ab adversario in Tridentinis Patribus prædicata, ex animo candido, an potiùs simulante profecta sit, est, cur dubitem.

At

At certè iniquissima de CLEMENTE XI., eique assistentibus tum Eminentissimis Cardinalibus, tum doctissimis Consultoribus, & Qualificatoribus querela est, quasi *prudentia, & moderatio animi* eis defuerit in proscriptione dogmatum quæ adversarius recensuit. Propositionem 9., & reliquas usque ad 21. censuris gravibus dignissimas ostendi, ubi expendi singulas; Nullam verò esse S. Thomæ, ac discipulorum ejus; aut aliarum Scholarum inter catholicas in Ecclesia habitas, patet ex iis, quæ de propositionibus singulis à me disputata sunt.

4 Quæ schola scilicet catholica tradidit unquam, vel ut probabiles admisit tales gratiæ definitiones: Prop. 11. *Gratia non est aliud, quàm voluntas Omnipotentis Dei jubentis, & facientis quod jubet*. Prop. 10. *Gratia est operatio manûs Omnipotentis Dei, quam nihil impedire potest, aut retardare*. Prop. 19. *Dei gratia nihil est aliud, quàm ejus Omnipotens voluntas. Hæc est idea, quam Deus nobis tradit in omnibus suis Scripturis*. Prop. 20. *Vera gratiæ idea est, quòd Deus vult sibi à nobis obediri, & obeditur: imperat, & omnia fiunt: loquitur tanquam Dominus, & omnia sibi sumbissa sunt*. Gratiam se ipsa efficacem, quæ aliam sufficientem non excludit, & veram electionis homini non adimit libertatem, nec ullam infert necessitatem propriè antecedentem, nusquam Constitutio prohibuit, neque à me ullâ notatam censurâ reperies, aut impugnatam. Adeòne verò cæci fuerint, aut honoris, & sensuum suorum prodigi Thomistæ illi doctissimi, qui tum in primo propositionum examine, Præside Eminentissimo Ferrario, tum in S. Officii Congregationibus propositiones suo calculo condemnarunt, ut suas ab illis sententias non discernendo, eâdem cum illis censurâ involverent? Pueris itaque, non Theologis occinant adversarii aniles suas nænias, deplorentque lædi Scholam Thomisticam, atque ejus pessumdari libertatem: satis suâ scientiâ securi sunt Thomistæ, nullam Angelico suo Doctori maculam damnationis, nullam sententiis in sua schola communiter traditis inspergere CLEMENTEM XI. voluisse.

Et quidem in præsenti materia de operibus sinè gratia exercitis semper Thomistæ præ oculis habent illud Doctoris sui Angelici 1. 2. quæst. 109. art. 2. *Natura humana per peccatum non est totaliter corrupta, ut scilicet toto bono naturali privetur. Potest quidem etiam in statu naturæ corruptæ per virtutem suæ naturæ aliquod bonum particulare agere*.

Eadem q. 109. art. 5. *Sinè gratia homo non potest mereri vitam æternam, potest tamen facere opera perducentia ad bonum aliquod homini connaturale*.

2. 2. Quæst. 10. art. 4. *Manifestum est, quòd infideles non possunt operari bona opera, quæ sunt ex gratia, scilicet opera meritoria; tamen bona opera, ad quæ sufficit bonum naturæ, aliqualiter operari possunt; unde non oportet, quòd in omni suo opere peccent*.

Ibid. *Ad tertium dicendum, quòd per infidelitatem non corrumpitur totaliter in infidelibus ratio naturalis, quin remaneat in eis aliqua veri cognitio, per quam facere possunt aliquod opus de genere bonorum*. Angelicum Magistrum passim sequuntur discipuli.

5 Sed neque de Constitutione *Unigenitus*, quasi scholæ suæ sententias perstringeret, aut læderet libertatem, conquerentes audivimus hactenus Scotistas, scholam profectò zelo fidei catholicæ nulli alteri secundam. Notissima est sententia Scoti pro operum naturalium bonitate in 3. dist. 37. q. 1. Sic & S. Bonaventura in 2. dist. 28. art. 3. q. 3. *Hominis* (inquit) *liberum arbitrium in puris naturalibus constitutum cum generali Dei influxu* (*tametsi difficiliter, potest tamen facere opus bonum morale, quod non disponat ad gratiam, nec ad gloriam*.

Gabriel in 2. dist. 28. concl. 1. *Liberum hominis arbitrium ex suis naturalibus sinè gratia elicere potest actum moraliter bonum*.

Richardus in 2. dist. 28. a. 1. *Verum, & bonum intrà naturam lumine tantùm naturali, & primæ causæ generali motione absque alia particulari gratia potest homo cogitare, & velle; bonum autem, & verum, quod super naturam invenitur, nequaquam*.

Durandus in 2. dist. 28. q. 2. num. 4. *Primo modo* (bonitate morali) *potest homo sinè gratia bonum opus*.

Scholam Societatis, sive, ut ajunt, Molinisticam non est quòd commemorem; hanc ultro mihi adversarii concedent tamquam de Constitutione nullatenus conquerentem; contra illam potissimùm bilem suam evomit Quesnellus libro cui titulus *Vana Jesuitarum Molimina contra justificationem Reflexionum moralium in novum testamentum*. Academiæ celeberrimæ Parisiensis, Salmanticensis, Conimbricensis, Coloniensis, Lovaniensis, Duacena, Mussipontana Bullam Unigenitus debitâ recipientes submissione Quesnellianos articulos damnavêre.

Estne auditus ullus in toto Christiano orbe extra Galliam Episcopus, vel ulla Academia de Constitutione conqueri? minimè

nimè verò ullus Episcopus, vel academia causata est, suam in illis opinionibus sententiam condemnari, vel turbari pacem publicam, vel scholæ catholicæ infligi infamiam; vel destrui, vel imminui convenientem Theologis libertatem; Et quidem, ut intrà dogmatum hìc controversorum de libertate sinè gratia terminos hæreamus, ipse Lutherus quem adversarii Patronum nacti sunt, fatetur, scholasticos omnes, uno excepto Gregorio Ariminensi, potestatem agnoscere ad opera moraliter bona sinè gratiâ: Ita scribit de disputatione Lypsica: *Certum est, modernos cum Scotistis, & Thomistis, in hac re consentire, excepto uno Gregorio Ariminensi, quem omnes damnant, qui & ipse eos Pelagianis deteriores esse, & rectè, & efficaciter convincit; is enim solus inter scholasticos recentiores cum Augustino, & Apostolo consentit. Nam Pelagiani, etsi sinè gratia opus bonum fieri posse asseruerint; non tamen sinè gratia cælum obtineri posse dixerunt. Idem certè dicunt scholastici dum sinè gratia opus bonum; sed non meritorium fieri posse docent.*

6 Gregorium Ariminensem Jansenistæ passim sibi, & magistro suo Jansenio non minùs, quàm Lutherus patronum vindicant; è quibus ita unus in Belgio scripserat (quem refert, & refutat Cardinalis Aguirre Theologiæ S. Anselmi disp. 22. sect. 1.) *Cornelius Jansenius discipulum egit non solius Augustini Hipponensis; sed etiam Gregorii Ariminensis; nullam enim, aut certè vix ullam capitalem conclusionem ex Augustino elicuit Jansenius, quam non antè in terminis elicuerit Gregorius.* Hunc quidem Gregorium scholasticum in variis dogmatibus singularia fuisse, & nova sectatum, ut fateri cogimur, ita facilè ignoscimus erranti; quòd humanum est, antequam suprema Ecclesiæ authoritas veritatem definiens, lucem scholis attulerat. Hanc verò nullus imposterum theologus ignorare finitur; minùs infamium libellorum jaculis impetere.

7 Quos adversarius appellat *cordatissimos quosque in Galliis viros*, veneror quidem; sed eorum facilè patietur humanitas, ut *cordatissimorum* numero non excludantur Rex Christianissimus glor. mem., Supremus Galliarum Senatus, Centum, & amplius Episcopi cum plerisque sive è Clero, sive è Religiosis ordinibus, & fideli populo Pontificem, Regem, Episcopos suos sequentibus, qui non minùs quàm refractarii sapientiâ, & prudentiâ præditi sunt, ut noverint quid *ad fovendam in regno, & in Ecclesia pacem, & concordiam necessarium sit*. Opinionum de religione diversitas inter ea mala est, quæ restringere semper Ecclesia conata est: impedire penitùs numquam potuit, ut voluntatibus hominum, ita & ingeniis in varia passim nova, & sæpe noxia propensis. Nihil æquè commendat Apostolus, quàm ut idem dicamus omnes, atque uno ore honorificemus Deum, habentes quasi linguam, cor, & animam unam. Ex dissensionibus nempe intellectûs paulatim nascitur aversio voluntatis, atque hinc, ut mortalium fert infirmitas, oriuntur cum dissidiis, contentiones, tixæ, & cætera charitatis naufragia.

Lovanienses Theologi qui 65. Propositionum censuram ab Innocentio XI. obtinuêre, non prætermittendum sibi duxerant motivum pacis scholis Belgicis restituendæ, quam ajebant istiusmodi contentionibus turbari. Sic Regem Catholicum libello supplice anni 1676. alloquuntur: *Repræsentat humillimè Decanus, & alii facultatis Theologicæ in universitate Lovaniensi, quod magno ipsorum dolore complures in Belgio, & grandes sint controversiæ, & contentiones pertinentes ad doctrinam non sinè acerbitate, & vehementiori motu aliquorum: Ita ut hinc contingat veritatem Christianam valdè obscurari, turbari, & injuriosè tractari...... Quam ob rem repræsentantes ad hasce nubes dissipandas, inducendamque malaciam; imò ad suo fungendum munere, aptiorem modum non inveniunt, quàm ad S. Sedem Apostolicam per deputatos à se recurrere, quemadmodum in hujusmodi casibus, tantique momenti negotio semper practicatum fuit..., ad intelligendam super illis decisionem, & judicium, cui se conforment, & submittant omni reverentiâ, & obedientiâ.* Non fidei articulos definiri, non damnari hæreses postulant; sed finem imponi *controversiis, & contentionibus pertinentibus ad doctrinam Theologicam*, agitatis *non sinè acerbitate, & vehementiori motu aliquorum*, ut postea contigit in Gallia ante Constitutionem UNIGENITUS, pro quibus sedandis motibus ad CLEMENTEM XI. ab utraque diffidentium parte, ab Episcopis, ab ipso Rege Christianissimo precibus ardentissimis recursum est.

8 Joannes Neercasselius Episcopus Castoriensis, & pro Hollandiâ Vicarius Apostolicus, qui Arnaldum, & Quesnellum propter Jansenismum ex Gallia profugos, non minùs suscepit liberaliter, quàm benevolè invitaverat, accepto Innocentii XI. contra 65. articulos Decreto, mox Diploma edidit, Vicario Apostolico dignum, atque hoc insignitum exordio. *Salvator*, *&*

& Magister noster Jesus Christus per Antistitum, Presbyterorum, Religiosorum, & Fidelium preces, qui diu doluerunt, aliquorum opinionibus catholicam obscurari fidem, Ecclesiam inhonorari, mores corrumpi, pacemque turbari, misericorditer exoratus, aperuit Os sui in terris Vicarii Sanctissimi Domini nostri Innocentii XI., ut sexaginta quinque propositiones tanquam scandalosas, & in praxi perniciosas condemnaret, & sub excommunicationis pœna prraciperet, nè quis illas, vel in libris, vel in thesibus, vel in sermone ad alium finem auderet allegare, quàm ad eas impugnandum, atque earum perniciem fidelibus exponendam. Censuit itaque Neercasselius, magnum à *Salvatore nostro JESU Christo* præstitum Ecclesiæ beneficium, quando per *Antistitum, Presbyterorum, Religiosorum preces exoratus aperuit Os sui in terris Vicarii Innocentii XI., ut sexaginta quinque propositiones tanquam scandalosas, & in praxi perniciosas condemnaret.*

Episcopo isti libens hic consentio; sed pariter existimo, non minùs à Salvatore nostro concessum Ecclesiæ beneficium, quando *per Antistitum, Presbyterorum, Religiosorum, & Fidelium*, ipsius quoque Christianissimi Regis *preces exoratus aperuit Os sui in terris Vicarii* Clementis XI., ut propositiones 101. *tanquam falsas, captiosas, malè sonantes, piarum aurium offensivas, scandalosas, perniciosas, temerarias, Ecclesiæ, & ejus praxi injuriosas, neque in Ecclesiam solùm; sed etiam in Potestates seculi contumeliosas, seditiosas, impias, blasphemas, suspectas de hæresi, ac hæresim ipsam sapientes, nec non hæreticis, & hæresibus, ac etiam schismati faventes, erroneas, hæresi proximas, pluries damnatas, ac demum etiam hæreticas, variasque hæreses, & potissimùm illas, quæ in famosis Jansenii propositionibus, & quidem in eo sensu, in quo hæ damnatæ fuerunt, acceptis continentur, manifestè renovantes respectivè hâc suâ perpetuò valiturâ Constitutione declararet, damnaret, & reprobaret.*

9 Tempore Innocentii XI. non existimabant *Cordatissimi quique in Galliis viri prudentiam, atque animi moderationem, quam Tridentini Patres in secernendis fidei articulis ab opinionibus Scholæ Theologicæ constanter retinuêre* in Decreto Innocentii XI. defecisse; quia ad bonum Ecclesiæ pertinet prohiberi, atque damnari non solùm hæreses; sed etiam propositiones *scandalosas, & in praxi perniciosas*, atque has ab *opinionibus Scholæ Theologicæ* probis, ac verè probabilibus *secerni*. Tunc, inquam, *cordatissimi quique in Galliis viri*, & cordatiores fortè alibi non censuerunt Innocentio XI. abstinendum ab examine, ac censurâ dogmatum in scholis non minùs catholicis, nec minori acumine disputatorum, quàm defensa fuerint Quesnelliana. Neque tunc *cordatissimi* causati sunt, indulgentiam, & dogmatum illorum permissionem, seu dissimulationem in Innocentio, *summè necessariam esse, tum ad fovendam in Regno*, in vicinis Provinciis, & *in Ecclesia pacem, & concordiam, tum ad intricatarum quæstionum dissolvendos nodos, tenebrasque, quibus ipsa sæpe veritas involvitur, paulatim dispellendas, publicis disputationibus, liberisque collationibus*. Talibus præsidiis quemadmodum tunc neque veritas, neque Ecclesia, neque Regnum Galliæ, aut cæteræ eguêre Provinciæ; ita neque egent modò.

Et quidem adversariorum contra constitutionem UNIGENITUS rebellio, qualis non fuit contra Decretum Innocentii, Theologos orthodoxos, & Sedi Apostolicæ obsequentes compellet ad diligentius veritatis studium, ad *dissolvendos nodos, tenebrasque paulatim dispellendas*, quibus veritatem catholicam *involvere* novasecta, tot tenebrarum opera quotidie nova procudendo, molitur. Condemnatio propositionum 65. ipsi Patri Quesnello perutilis visa fuit ad sistenda scholarum dissidia, & stabiliendam ampliùs Ecclesiæ, ac Reipublicæ tranquillitatem. Sic enim scribit in Epistola Abbatis ad quemdam Romanæ Curiæ Prælatum pag. 23. *Videbatur Innocentius XI. tranquillitatem Ecclesiæ aliquanto restaurasse* suo contra propositiones 65. decreto, *& aliqua ex parte amputasse similium novarum dissensionum radices; atque ecce jam reviviscunt per Decretum æquivocum, ad nihil, nisi ad dissentiones, utile.*

Ita nempe quoties aliquid contra Anti-Jansenistarum opiniones statuit Apostolica Sedes, placet Arnaldo, Quesnello, & eorum sequacibus definitio: tunc per Pontificem *Os Domini locutum est*, sive, ut superiùs in Neercasselii diplomate legimus, *Salvator noster JESUS Christus aperuit Os sui in terris Vicarii*, & *turbatam* dissensionibus *pacem*, sua determinatione restituit, quod videmus Quesnelli suffragio confirmatum. At quando librum Jansenii, ejusque sensum quinque propositionibus, velut compendio expressum, vel dein triginta, & unum articulos, quorum saltèm triginta constat esse partim Jansenii, partim Jansenio adhærentium, Alexander VIII. proscripsit, vel CLEMENS XI. centum, & unum Quesnelli, tunc *Regni*, atque *Eccle-*

sia

fia pax, & concordia turbatur, ad eam necessaria scholarum libertas destruitur, actum est de veritate: & depellendi ab ea tenebras, quibus miserè involvitur, spes omnis eversa est.

10 Ita enim verò res habet: quoties Catholicorum libri, vel sententiæ proscribuntur, secura est Apostolica Sedes, pacem Ecclesiæ non turbandam, nullam fore de sublatâ scholis libertate querimoniam, nullas ad futurum Concilium appellationes; quia Petro in successoribus loquenti omnis multitudo fidelium acquiescit; sed nonminùs certus esse debet quiscumque Pontifex, sive ipse solus, cum suo Cardinalium, & Sacrorum Procerum Senatu, sive cum Concilio, etiam Oecumenico, opera hæreticorum, aut dogmata damnaverit, omnia mox personitura clamoribus de læsa pace, & concordia, de Ecclesia, & Republicâ turbatâ, libertate pessumdatâ, proculcatâ veritate, fide, & religione funditus eversâ.

Quid humilius Luthero, quid submissius Apostolicæ Sedi apparere voluit, antequam damnaretur? Hac arte scilicet proscriptionem dogmatum suorum impedire se posse speraverat, honori Pontificis, & paci Ecclesiæ se consulere simulans, modò suspensis censuris, prohibitis catholicorum contra se scriptis acrioribus, pacifica sibi tribueretur sentiendi, & docendi quidlibet facultas.

De his famosa est Lutheri ad Leonem X. Epistola, quæ refertur operum Lutheri tomo 2. „ Sine me (inquit) optime Leo hic „ & meam aliquando causam agere, veros„ que tuos hostes accusare. Notum esse „ arbitror tibi, quid mecum egerit Cardi„ nalis S. Sixti Legatus tuus imprudens, „ & infelix, imò infidelis, in cujus manu, „ ob tui nominis reverentiam, cùm me, & „ omnia mea posuissem, non hoc egit, ut „ pacem statueret, cùm uno verbulo po„ tuisset facilè statuere; cùm ego tunc „ promitterem silentium, & finem causæ „ facturum, si adversariis idem mandare„ tur. At homo gloriæ cupidus cœpit mi„ hi palinodiam mandare .... Unde quid„ quid post hæc secutum est, non Lutheri; „ sed Cajetani tota culpa est, qui ut silerem, & quiescerem, non est passus, quod „ tum summis viribus poscebam; quid „ enim amplius facere debui?

Tandem, inquit „ Venio, Beatissime Pa„ ter, & adhuc prostratus rogo, si fieri po„ test, manum apponas, & adulatoribus „ istis pacis hostibus, dum pacem simulant, „ frænum injicias. Porrò palinodiam ut „ canam, Beatissime Pater, non est quòd „ ullus præsumat, nisi malit adhuc majori „ turbine causam involvere ..... Conten„ tiones odi: neminem provocabo; sed „ provocari rursus nolo; provocatus au„ tem, Christo Magistro, elinguis non ero. „ Poterit tua Beatitudo brevi, & facili ver„ bo contentionibus istis ad se vocatis, & „ extinctis silentium, & pacem utrimque „ mandare, id quod semper audire desideravi. Proinde, mi Pater Leo, cave sire„ nas istos audias, qui te non hominem; „ sed mixtum Deum faciunt, ut quævis „ mandare, & exigere possis: non fiet ita, „ nec prævalebis.

Sic humilis Frater Lutherus, *& adhuc prostratus* rogat, in cujus schola probè edoctus videtur Missionarius Hollandiæ mihi non ignotus, qui sub nomine *Petri Gratiani* epistolam dedit ad CLEMENTEM XI. pro Quesnello non minùs temeritate, & insania plenam.

11 Sed misso istiusmodi insipido Scriptore, hic nobis res est cum majoris nominis Theologis, si, ut præfertur, *observationes* sint *Theologorum Galliæ*. *Pacem* etiam ipsi, & *concordiam Regno, & Ecclesiæ* optant: *Iasam* autem Constitutione *Unigenitus* vehementiùs dolentes, restitui cupiunt; sed conditione prorsus *necessariâ*, qua permittatur scholasticis libertas retinendi, ac docendi in primis Propositionem nonam cum duodecim immediatè sequentibus de gratia, ac dein trigesimam octavam, 39. 40. 41. Aliàs longè plures, &, ni fallor, omnes erui è damnatione cupiunt iidem Galliæ Theologi in *observationibus* cæteris eodem propinatis opusculo.

Necessaria denique CLEMENTI XI. pacis conditio proponitur, abrogatio suæ Constitutionis; nam quòd subinde refractarii *Explicationes* solummodo petere videantur, mera ludificatio est, quandoquidem omnibus libellos eorum ubique obvios inspicientibus satis constat, *Explicationis* nomine, veram intelligi censurarum omnium, & totius Constitutionis *Unigenitus* interitum, atque adeò damnatorum omnium dogmatum, etiam hæreticorum de CLEMENTE XI. de Ecclesia, de Fide Catholica triumphum.

Hac ratione epistola nuperrimè ad Pontificem datâ à noto Constitutionis adversario denuntiat, eo loco causam Ecclesiæ, & religionis esse in Gallia, ut solus Pontifex mederi malis possit, solus turbatis rebus pacem reddere. Fixum scilicet refragantibus est, retinere, ac defendere posi-

positiones singulas; unde nihil superest Apostolicæ Sedi, quàm ut, si pacem sibi, Regno, & Ecclesiæ voluerit, Bullam suam revocet, aut iis inflectat, mitiget, in alienos sensus detorqueat interpretationibus, quæ revocationi æquivalentes, robur omne definitionis infringant, Bullamque ad nihil valere faciant, nisi ut mittatur foràs, & conculcetur ab hominibus. Verùm nimis firmis Romana fides nititur fundamentis, quàm ut minis, & terroribus concutiatur, aut vacillet. Non habet Romana Ecclesia fidem, ac religionem versatilem, ut quidam ex adversariis, quorum ab Ecclesia discessio publica nocebit minùs, quàm mansio fraudulenta. Plura in hanc præposteram adversariorum prudentiam animadvertenda essent; Sed quibus locus magis commodus erit, ubi post tractatum de propositionibus singulis, ea, quæ Constitutionem secuta sunt, discutiam.

Frivola est de Constitutionis abusu lamentatio, quæ ubique auditur; sed confusa semper, & fictitia; neque Authores exprimens, qui abutantur, neque libros, verba, aut sententias designans. Si verò imprudens quispiam Constitutioni alienum sensum affingeret, ut plurimi affingunt Augustino, ac cæteris Patribus, ipsis quoque oraculis Scripturarum, idcone Constitutio abjicienda est, num deferendus Augustinus, cum reliqua Patrum Traditione, atque Scripturâ?

CAPUT III.

Sorbonam conqueri non posse de Propositionum trigesimæ octavæ, & trium sequentium condemnatione, ostenditur ex ejusdem Academiæ censura anni 1560.

1 Inter eos, qui Constitutioni *Unigenitus* submittere se in Galliis detrectant, præter obscuros, & anonymos quosdam libellorum famosorum Scriptores, neminem reperio qui propositiones 4. hic in controversiam revocatas adserat velut perperàm condemnatas; & quarum libera defensio permittenda sit, velut *summè necessaria ad fovendam in regno, & in Ecclesia pacem, & concordiam*; neque occurrit hactenus author probabilis, & aliunde de novitatibus non meritò suspectus, qui post tempora S. Pii V., Gregorii XIII., & Urbani VIII. de pravitate omnium operum sinè gratia Quesnello consentiat. Unum excipio virum religiosum aliàs & pium, Lovaniensium quorumdam authoritati, ut suspicatur Eminentissimus Aguirre, forsitan nimis credulum, & à communibus Scholæ suæ placitis non semel abductum. Ejusdem Eminentissimi judicium non referam: vide *Damnatarum Propositionum de libertate sinè gratia impugnationem alteram* cap. 5. in fine. Jure itaque ab adversario postulamus, designari scholas, in quibus *opinio illa* post Constitutiones memoratorum Pontificum *frequentata* fuerit, & à quibus passim Theologis, nè cum nescio quibus larvis perpetuò nobis luctandum sit. Toletum, Vasquezium, Bellarminum adversario eripiemus cap. 5.

Interea dum aliquid solidioris citationis expecto, & divinandum nobis relinquitur, quinam sint isti *Theologi Galliæ*, & *cordatissimi quique viri*, qui Quesnelliani illius dogmatis condemnatione tantopere offenduntur, convenio clarissimam Sorbonam, cujus hodie nota palàm est à Constitutione aversio, & præcipua apud adversarios authoritas, ut indubitatum appareat, quin inter *Galliæ Theologos*, & viros *quosque cordatissimos* ipsorum suffragio adversariorum principem locum Sorbona obtineat.

2 Quærere itaque ex istis Doctoribus maximâ, ut par est, reverentiâ, liceat, an dogmatis illius proscriptio sit inter rationes, quibus eorum in admittenda Constitutione constantia luxata est. Ut credam non esse eam inter rationes, suadent plurima; aliqua persuadent prorsus, atque convincunt; nisi cui libuerit viros aliàs tam eximios, aut crassæ accusare ignorantiæ, aut, quod pejus foret, pessimæ fidei. Nam rationes, quas contra 38. Quesnelli articulum, & cæteros usque ad 42. protuli, non sunt longis ambagibus, aut disputationum argutiis elicitæ; sed apertæ adeò, & captu faciles, ut præsertim in Gallia, Belgio, & vicinis Germaniæ provinciis à nemine mediocriter theologo valeant ignorari.

Quis enim in illis Christiani orbis partibus, ubi familiaris adeò cum novis hæreticis de religione pugna est, nescire Theologus potest Constitutiones S. Pii V., Gregorii XIII., Urbani VIII. contra Baji articulos? In illis autem conspicua omnibus est proscriptio dogmatis 27. *Liberum arbitrium sinè gratia Dei adjutorio non nisi ad peccandum valet.*

Tantorum Pontificum, quorum primus sanctitate, & eruditione clarissimus, & ex Sacro illo Ordine est, cujus patrocinium tot

tot artibus ambiunt adversarii, posterior de Gallia optimè meritus, atque illic æstimatus omni semper exceptione superior; tantorum, inquam, Pontificum authoritatem, & definitionem à *Cordatissimis quibusque Galliæ viris*, atque in primis à Sorbonicis Doctoribus contemni, apparet incredibile. Quid tamen excogitari potest magis directè, magis perspicuè oppositum Apostolicæ trium illorum Pontificum determinationi, quàm Propositiones Quesnelli quatuor, asserentes *omnium actuum liberorum sinè gratiâ pravitatem*, ut ipse refert adversarius. Bajana scilicet 27. propositio simplicissima, & clarissima est: *Liberum arbitrium sinè gratiâ Dei adjutorio non nisi ad peccandum valet*.

3 Recurri non potest ad censuræ acerbitatem, ob quàm nonnulli Bajani articuli displicuisse Pontificibus videantur; nam hæc, ut dixi, propositio simplicissima, ab omni abstinet doctrinæ contrariæ reprehensione: neque potest quatuor Quesnellianorum dogmatum sensus lucidiore exprimi compendio, quàm isto Baji damnato axiomate, ut omnes, nemine hactenus dissentiente, agnoscunt.

Si verò & trium illorum Pontificum non tanta apud Galliæ Theologos reverentia est; quin *cordatissimi* illic *quique viri* censeant, ad *Regni, & Ecclesiæ pacem, & concordiam* necessarium esse, articuli istius in scholis defendendi liberam relinqui Theologis facultatem; quid responsuri illi sunt ad venerandæ Sorbonæ publicum, & solemne judicium, quo inter cæteros Baji articulos sibi à Franciscanis Patribus è Belgio denuntiatos, duobus his notam hæreseos inussit anno 1560. Propositio 4. *Liberum arbitrium ex se non potest nisi peccare, & omne opus liberi arbitrii sibi dimissi* (idest sinè gratiæ Dei adjutorio) *est peccatum mortale, vel veniale*. Censura: *Hæc propositio utrâque sui parte est hæretica*. Propositio 5. *Homo faciendo quod in se est, peccat, & non potest non peccare, faciendo quod in se est*. Censura: *Tota hæc propositio est hæretica*. Utramque propositionem conferat modò Lector cum quinque his Quesnellianis. Prop. XXXVIII. *Peccator non est liber nisi ad malum sinè gratia liberatoris*.

XXXIX. *Voluntas, quàm gratia non prævenit, nihil habet luminis, nisi ad aberrandum; ardoris, nisi ad se præcipitandum; virium, nisi ad se vulnerandum: est capax omnis mali, & incapax ad omne bonum*.

XXXX. *Sinè gratia nihil amare possumus, nisi ad nostram condemnationem*.

XXXXI. *Omnis cognitio Dei, etiam naturalis, etiam in philosophis ethnicis non potest venire nisi à Deo, & sinè gratia non producit, nisi præsumptionem, vanitatem, & oppositionem ad ipsum Deum, loco affectuum adorationis, gratitudinis, & amoris*.

His jungi potest Propositio 42. *Sola gratia Christi reddit hominem aptum ad sacrificium fidei: sinè hoc, nihil, nisi impuritas; nihil, nisi indignitas*. Cur prætensi *Galliæ Theologi* in suis pro Quesnello *observationibus* posteriorem hanc propositionem prætermiserint, vix video; quandoquidem in eundem conspirat cum prioribus sensum; nisi quòd posterior in eo absurdior videatur, quòd ad vitandum peccatum non solùm requirat gratiam, sed etiam fidem. Sed sive indignitas propositionis nimia, ejusque defendendæ difficultas, sive quæcumque alia ratio Theologis illis persuaserit propositionis ultimæ à cæteris resciffionem; quoniam priores quatuor hìc solùm objiciunt, tanquam ad fovendam in Regno, & Ecclesia *pacem, & concordiam* necessariò permittendas, has quoque solas cum duabus Baji, juxta Sorbonæ judicium hæreticis, componamus.

4 In Quesnelliana quidem 38. agitur de peccatore; sed quæ peccatoris, juxta Quesnellum, eadem cæterorum est ratio, ut patet ex Propositionibus tribus eam in Constitutione sequentibus, in quibus assertio illimitata, & generali æquivalens agit de omnibus gratiæ auxilio destitutis, nullo justorum, injustorumque discrimine. *Voluntas, quam gratia non prævenit, nihil habet luminis, nisi ad aberrandum &c. Sinè gratia nihil amare possumus, nisi ad nostram condemnationem. Omnis cognitio Dei .... sinè gratia non producit nisi præsumptionem, vanitatem, & oppositionem ad ipsum Deum*. Evidens est, Propositionibus his contineri tum 27. Baji, prout in trium Pontificum Constitutione exprimitur: *Liberum arbitrium sinè gratia Dei adjutorio non nisi ad peccandum valet*: tum 4. & 5. ejusdem Scriptoris à Sorbonicis anathemate percussam.

An non igitur mirabile est, quòd non solùm CLEMENS XI., sed & alii tres memorati Pontifices, verè maximi, imò & eruditissima seculi decimi sexti Sorbona ignoraverint, quid *ad pacem, & concordiam Regni, & Ecclesiæ necessarium* sit, dum proscripsêre sententias libertati Scholarum necessariò juxta adversarium concedendas; nisi quis omnia in Regno, & Ecclesia turbari maluerit? Aut forsitan necessaria est distinctio, ad quam nos extranei, & circumstantiarum, quæ in Regis Christianissimi Regno

præ aliis Christiani orbis partibus singulares sunt, non satis attendimus: Doctrina scilicet eadem à Michaele Bajo tradita, à Quesnello post Jansenium adoptata, proscribi ab hodierno Pontifice CLEMENTE XI. non potuit; sed potuit à S. Pio V., Gregorio XIII., & Urbano VIII., potuit etiam à Sorbona illius temporis inter hæreses rejici, neque indè turbarum quidpiam, sive Regnum, sive Ecclesia experta est; nihil habuere tunc Scholæ, & quidem Galliarum nobilissima Sorbona, quod de hoc anathemate, velut de libertatis interitu, & imposito cervicibus suis jugo quererentur.

5 Contra eandem Baji doctrinam sententias sub idem tempus tulêre Academiæ Hispaniæ.

De Lovanio in Belgio, ubi præcipua novitatis illius sedes fuerat, ita testantur *Fasti Academici* pag. 369. ad annum 1580. „ „ Die itaque dicto ad 12. kalendas Aprilis „ horâ ante meridiem decimâ in frequentissimo Conventu, atque Consessu omnium, & singulorum Professorum, Licentiatorum, Baccalaureorum, cęterorumque „ Studiosorum sacræ Theologiæ ingressus Scholas Theologicas idem Dominus „ (Toletus) comitantibus eum, ac deducentibus honoris causâ Magistris nostris „ dicto D. Bajo, Cornelio Reineri, Gaudano, & Henrico Gravio, ac conscensâ „ cathedrâ, cùm eadem ferè narrasset, quæ „ antea coram Magistris sacræ Theologiæ „ Facultatem repręsentantibus dixerat, jussit per præfatum Universitatis Notarium „ Conradum Sylvium literas primùm credentiæ ad eosdem sacræ Theologiæ Doctores datas, dein ipsam Bullam clarâ, & „ intelligibili voce recitari. Quibus lectis, „ convertit se ad D. Michaelem Du Bay, „ petiitque ex eo, annè agnosceret, damnari „ in Bulla multos articulos, qui in aliquot „ ejus libellis priùs editis continerentur, „ etiam in eo sensu, quo in Bulla damnarentur? Quo agnoscente, & credente, „ quòd sic: rogavit eum deinde, annè eosdem, & reliquos ibi comprehensos, & „ lectos damnaret? Tum ille, damno, inquit, secundùm Bullæ ipsius intentionem, & sicut Bulla damnat. Dehinc præfatus D. Franciscus (Toletus) ad reliquos Doctores Theologos conversus interrogavit, annè eosdem articulos omnes „ damnarent, & Bullam reverenter susciperent? Qui uno ore omnes responderunt, se eos articulos damnare, & Bullam „ religiosè habituros, atque observaturos. „ Eadem fuit responsio Licentiatorum, Baccalaureorum, & Studiosorum, omnesque „ consona voce conclamarunt: Articulos „ damnamus, Bullam reverenter suscipimus, atque obedientiam pollicemur „. Ita *Fasti Academici* Lovanienses de Bulla Sancti Pii V., à Gregorio XIII., & Urbano VIII. confirmata.

6 At quando eadem toties damnata novitas post lapsum seculi resuscitatur à Quesnello, plenissima ei tribuenda est libertas: cavendum Apostolicæ Sedi à confirmando superiorum Pontificum judicio, etsi præcesserint censuræ non Salmanticensium solummodo & Complutensium, sed etiam Sorbonicorum, ad quos plurimorum dein judicium accesserit. Denique & præsentis seculi Sorbona, CLEMENTIS XI. Constitutionem recipiens, eosdem Quesnelli articulos condemnavit: neque receptionis illius publicæ, & in Academiæ tabulas relatæ postea secuta retractatio, certum indicium est approbationis eorundem dogmatum, quæ prælucentibus suis Majoribus Sorbona etiam ante biennium damnaverat; neque ulla ratione apparet credibile, velle eam hodie permittere cursum liberum doctrinæ, quam sui Majores *hæreticam* censuêre. De aliis rejiciendi Bullam obtentibus non minùs vanis videbitur, ubi Propositionum omnium impugnationem absolvero.

Interim dissimulare non possum, hanc qualemcunque admissionis solemnis subsecutam exiguo postea tempore retractationem, parum decoram apparêre tantorum virorum inconstantiam. Et quidem, si retractatio illa videri debeat concessio libertatis, ut articuli, de quibus præsens disceptatio est, impunè Parisiis, & ubicunque Sorbonæ extenditur jurisdictio, imposterum doceantur, quibus pridem hæreseos notam Sorbona ipsa inflixerat; quis non videt, occasionem præberi exteris, & quibuscunque illius Academiæ adversariis, ut in eam convertant à Joanne Vergerio Abbate Sancyrano sacrilegè aspersam Ecclesiæ calumniam. Juxta hunc scilicet Jansenii Achatem „ præsens „ Congregatio Pontificis, Prælatorum, „ Pastorum, Doctorum, Religiosorum, & „ Populi, quos videmus vivere sub iisdem „ legibus, non alio sensu dici potest Ecclesia, quam quòd in locum veræ Ecclesiæ „ successerit; quemadmodum aqua cœnosa, & fœtida eundem alveum occupans, „ quem olim aqua viva, limpida, & salubris, ejusdem fluminis nomine appellatur „. Quid inquam pronius, quàm ut exteri, sive Gallicæ nationi forsitan minùs

bene

bene affecti, sive de ejus Doctoribus hodiernis minùs honorificè sentientes calumniam hanc Parisiensibus applicent, quasi hujus temporis Sorbona rejectam à majoribus hæresim approbans, vel suis permittens, non alio sensu dici possit Academia à Sede Apostolica instituta, quàm quòd in locum Academiæ Catholicæ, & Christianissimæ successerit: *quemadmodum aqua cœnosa, & fœtida, eundem alveum occupans, quem olim aqua viva, limpida, & salubris, ejusdem fluminis nomine appellatur?*

CAPUT IV.

Prætensi Galliæ Theologi etiam recentioribus Sorbonæ Decretis & authoritate ipsius Card. Noaillii convincuntur, non esse permittendas Propositiones 9. cum duodecim sequentibus; uti nec trigesimamoctavam, 39. 40. 41. & 42.

1 Superiore capite vidimus Adversarium nomine *Theologorum Galliæ*, conquerentem de Constitutione UNIGENITUS, quòd damnet Propositiones, quibus cursum liberum permittendum asserit *summè necessarium ad fovendam in Regno, & Ecclesia pacem, & concordiam*. Propositiones autem illæ sunt nona, & duodecim sequentes, cum 38. 39. 40. 41. 42. Si prætensi isti *Galliæ Theologi* tam leviter eruditione tincti sint, ut censuram Sorbonicam anno 1560. contra Baji articulos latam ignorent, fugere profectò eos non potuit Decretum anni 1644., quo prohibet *tam Doctoribus, quàm Baccalaureis, nè probent, vel sustineant prædictas Propositiones per Bullas Pii V., Gregorii XIII., & Urbani VIII.... prohibitas*; inter quas Propositiones est 27. *Liberum arbitrium sinè gratia Dei adjutorio, nonnisi ad peccandum valet*; quæ, ut patet, & sæpius à me demonstratum est, convenit cum Quesnelliana 38. & 4. sequentibus.

Ipse Card. Noailles scribens CLEMENTI XI. anno 1711. *Existimo*, inquit, *Clerum Gallicanum, si de Apostolicis adversùs Bajum definitionibus fuisset actum in comitiis, professurum fuisse, eas habere requisita omnia, ut universam obstringant Ecclesiam*. In illis autem definitionibus una est contra Propos. 27. Baji jam relatam, Quesnellianæ 38. & quatuor sequentibus prorsus consonam.

Alia est Sorbonæ censura anni 1656. adversùs Arnaldum, recentissimè confirmata, ac singulorum Gradus Academicos suscipientium subscriptione in perpetuum stabilienda. Damnatus Arnaldi articulus censurâ blasphemiæ, impietatis, hæreseos, est: *Defuit Petro tentato gratia, sinè qua nibil poterat*. Verissima autem foret, & inevitabilis enuntiatio, si desensi à Quesnello, & juxta prætensos Galliæ Theologos necessariò permittendi subsisterent articuli nonus, & sequentes duodecim, in eandem omnes cum nono concurrentes sententiam. Ut enim sinè limitatione est, & dogmatica affirmatio universali æquivalet in Propos. 9. de cujus damnatione primo loco Adversarii conqueruntur: *Gratia Christi est suprema, sinè qua confiteri Christum nunquam possumus, & cum qua nunquam illum negamus*. In hac hypothesi evidens est, Petro tentato gratiam defuisse; aliàs Christum non negasset. Cùm autem sinè gratia Deum confiteri nemo valeat, patet, confessionem Christi tunc Petro fuisse impossibilem.

Sed neque tentatio ad Christi negationem stimulans, superari sinè Christi gratia potuit; quia juxta Quesnelli articulum 39. *Voluntas, quam gratia non prævenit, nibil habet luminis, nisi ad aberrandum; ardoris, nisi ad se præcipitandum; virium, nisi ad se vulnerandum*. Propos. 40. *Sinè gratia nihil amare possumus, nisi ad nostram condemnationem*. Vires itaque Petro defuerint, quibus confiteri Christum posset, aut ad negationis perfidiam impellens tentatio superari. Unde velim quisquam ex illis ab Adversario jactatis *Galliæ Theologis*, seu *viris quibusque* illic *cordatissimis* Arnaldini articuli *blasphemi, impii, hæretici* censuram cum memoratis Quesnelli Propositionibus componat; quod certus sum præstandum à nemine, neque, nisi à sophista ridiculo, & vel tironum excipiendo sibilis, esse tentandum.

2 Ultro hic mihi indubiè consentiet Quesnellus, qui callido consilio doctrinam Arnaldi paulò aliter subornatam suis inseruit *in Novum Testamentum Observationibus Moralibus*, & illis tanta conquisivit Antistitum, Doctorumque Sorbonicorum patrocinia, ut, quod in Arnaldo damnatum fuerat, suis *Observationibus* restitueretur. Sic nempe, cùm *Arnaldinam Causam* scriberet, vaticinatus est, venturum aliquando tempus, quo Sorbonam suæ contra Arnaldum sententiæ pœniteret, cujus quidem solemnissimi judicii retractationem directam sperare homo perspicax non statim ausus, satis habuit nunc quidem quibuscunque artibus efficere, ut *Observationes* suas *Morales* Arnaldino dogmati patrocinantes, Sorbona, præeuntibus aliquot Episcopis, susciperet. Quæ astutia, etsi pluribus illuserit, successum tamen

men

men non omnimodè consecuta est; cùm *Observationum* liber ab aliquibus priùs Episcopis minùs providè approbatus, nunc ab iisdem non derelictus solummodo; sed etiam rejectus, ac prohibitus conspiciatur.

Verùm non despondet animum Quesnellus, & novâ instructus fallaciâ per suos prætensos *Galliæ Theologos* denuntiat, *ad pacem, & concordiam in Regno, & Ecclesiâ necessarium*, ut memorata sua dogmata Propositionem Arnaldi blasphemam, impiam, hæreticam certissimè continentia, Scholasticis permittantur; quæ non obscura censurarum abrogatio erit, ut impleatur Quesnelli augurium in præfatione Causæ Arnaldinæ pag.94. „ Tempus erit (cur enim veri- „ tatis defensori id non auguremur, quod „ sibi veritas ipsa debere videtur?) tem- „ pus, inquam, erit, aliquando cùm sacra „ Facultas tam indigni judicii pudenda „ mysteria revolvens, & illatam tam sibi „ caro, tam omnibus venerando capiti in- „ juriam exhorrescens, conflatam indè in- „ vidiam à se depellere seriò cogitabit. „ Censuram è suis commentariis erasam, „ excisam volet, eamque paucorum consi- „ liis, & molitionibus confectam Facultati „ ipsi falsissimè adscribi, Orbi Catholico „ denuntiabit „.

3 Litanda itaque paci Regni, & Ecclesiæ, juxta Adversarium, est, non solùm Constitutio Unigenitus; sed etiam triplex alia Sancti Pii V., Gregorii XIII., & Urbani VIII. sententia Sorbonæ anni 1560. contra Bajum cum Decreto anni 1644. contra eundem, & altera anni 1656. contra Arnaldum, quamvis hæc novo recentissimè Decreto confirmata, & Doctorum omnium, Licentiatorum, Baccalaureorum, qui ab illo tempore in hunc usque diem exstitere, subscriptionibus roboretur. Subscripsit ipse Eminentissimus Noaillius, & eamdem in Arnaldo doctrinam censuit, declaravit *blasphemam, impiam, hæreticam*, quam velut omni liberam censurâ, *paci, & concordiæ Regni, atque Ecclesiæ necessariam*, nescio qui, *Galliæ Theologi, & viri quique* illic *cordatissimi* iterum obtrudunt publicis Magistrorum cathedris restituendam. Sanctificata nempe à Quesnello hæresis fuerit hoc ipso, quo *Observationibus* ejus *Moralibus*, *Compendio Moralis Evangelicæ* inserta.

Sed non apparet verisimile, Cardinalem Archiepiscopum Parisiensem, Doctorem quoque Sorbonicum subscriptionis suæ sacratissimæ oblitum *blasphemiam, impietatem, hæresim* approbare, quantumcunque in Adversarius numero *Theologorum Galliæ, & cordatissimorum quorumque virorum* minimè voluerit exclusum; sed eo præ cæteris comprehensum intelligi. Nè circumferamur omni vento doctrinæ, monet Spiritus Sanctus, qui ideo non in arena levi; sed in petra solidissima fundari cum fide Ecclesiam voluit, columnam, & firmamentum veritatis, non dejiciendæ priùs, quàm corruat ipsa Divinitas. Vestes continuò mutet Gallia, atque in novis semper, & elegantibus formis excogitandis fœcunda ejus industria desudet, quantum placuerit; non displicebit ea etiam exteris passim nationibus novitas; sed fidei iterata in aliquibus mutatio, & toties execratæ susceptio hæreseos, levitas ab omnibus semper censebitur pudenda, exitialis, & tam gloriosâ, atque Christianissimâ natione indignissima.

4 Frustrà ei *pacis, & concordiæ necessitas* obtenditur, frustrà *viri quique cordatissimi* allegantur; obtentu enim simili, sed utrobique mendacissimo, Calvinianæ, atque Lutheranæ pesti in terris Catholicis, in ipso Ecclesiæ sinu, libertas fuerat concedenda. Quæ verò erit tandem Ecclesiæ Gallicanæ, hactenus Christianissimæ facies, si deinceps *blasphemias, impietates, hæreses* pro Religione, pro Fide Catholica amplectatur? Annexam talibus conditionibus pacem, ut *impietatem, blasphemiam, hæresim* Ecclesia Christi odit, & in finem usque seculorum detestabitur. Propterea Adversario nostro respondet Hieronymus Apologia adversus Ruffinum, versùs finem: *Si pacem desideras, sit inter nos una fides, & illico pax sequetur.* Et in Præfat. ad Dial. contra Pelagianos: *Quod bellum servavit, pax ficta non auferat. Nolo timore perfidiam discere, cùm fidem mea Christus reliquerit voluntati.*

Cùm igitur nobis Adversarius occinat *regulam*, quam ait ab antiquo Ecclesiæ Magistro traditam, *ut in rebus necessariis unitatem, in dubiis libertatem, in omnibus charitatem sectemur*, expectamus, ut in rebus tam *necessariis*, qualis est abdicatio dogmatum toties damnatorum, *sectetur unitatem* cum cæteris extra Galliam Catholicis regionibus, & plerisque in ipsa Gallia Episcopis: *in dubiis* nemo ipsi libertatem auferet; modò dubiorum nomine non intelligat periculosa, & ad hæreseos nimis prope accedentia abyssum. Ad *charitatem* quod attinet, quomodo Quesnellus, & cæteri refractarii eam in *omnibus sectentur*, non solis Galliis, & Belgio, sed & finitimis quoque Provinciis, & toti quodammodo Europæ notum est, & vulgatissimum.

Quæ enim Christiani Orbis regio est, quò

quò non libellorum infamium contra Religiosos, Episcopos, Cardinales, contra ipsum Pontificem Maximum illuvies penetravit; neque in solis sistit scriptionum satyris Janseniana charitas, sicubi nova secta dominatur, sive authoritate, patrociniis, viribus prævalens; quos non odii implacabilis, & plusquam Vatiniani, utpote furoris Schismatici effectus, quas non persecutiones subire quotidie coguntur, quicunque fortè præ cæteris apparuerint zelo fidei, religionis, obedientiæ erga Apostolicam Sedem præditi, Constitutionem Unigenitus venerari, & contra oppugnatores ausi defendere.

Notiora sunt, quàm ut narratione odiosâ opus habeant; quæ novis suis publicis cum plausu inserunt quot hebdomadis Calvinistæ Batavi, neque Jansenismi historia posteros celabit. Hic satis sit indicasse, Jansenianos, ut in cæteris passim fraudibus, in hac quoque Hæreticorum veterum premere vestigia. Franciscus Simonis parte 1. *de Fraudibus Hæreticorum*, secundam hanc posuit: *Præcipuè mentiri charitatem*. *Quid*, inquit, pag. 11. *speciosius charitate, pace, concordiâ? ..... Hanc ergo speciem in primis piorum oculis nunquam non objecêre Hæretici*. Hanc strenuè simulavit Pseudo-patriarcha Photius *falsorum Author dogmatum, Dioscoro, & Lucifero cacodæmoni comparatus*, Præfatione ad Synodum octavam. Ita is scripserat ad Nicolaum Pontificem: *Charitate nihil venerabilius, nec pretiosius...... Hæc & nostræ mediocritati persuasit, non graviter objurgationes ferre, quæ à Vestra Paterna Sanctitate jaculorum instar missæ sunt: ac fecit, ut arbitrarer perturbati animi eos fœtus non esse, nec mentis offensionem, & inimicitiarum cupida verba; sed potiùs affectûs veri, ac nihil fingentis*. Fingit autem, ac bellè mentitur ipse charitatem, & mansuetudinem hypocrita, de quo paucis Nicætas: *Sedem*, inquit, *Patriarchalem conscendens, altâ voce populo pacem annuntiavit, nihil pace dignum cogitans*.

Quid pace dignum cogitant hodierni Sedis Apostolicæ Adversarii? Imò minus præseferunt pacis, charitatis, mansuetudinis, quàm Pseudo-patriarcha ille *Lucifero cacodæmoni comparatus*; nam is, saltèm à Pontifice reprehensus, non excandescere visus est, non in rabiem agi, & Pontificem mordere, ac proscindere libellis infamibus, ut novi hodie Augustini Discipuli non plus Augustinianæ humilitatis habentes, & charitatis, quàm Catholicæ Fidei, & Religionis.

CAPUT V.

Malâ fide à prætensis Galliæ Theologis citantur Toletus, Bellarminus, Vasquez, &c.

1 Adversarius nomine *Theologorum Galliæ* scribens *Observationes varias* pag. 190. cum suis *viris quibusque cordatissimis* vehementer dolet, in illis Propositionibus *censurâ percelli opinionem in Scholis frequentatam, etiam post tempora Sancti Pii V., Gregorii XIII., & Urbani VIII. circa operum absque gratia elicitorum*. In margine *Toletus, Bellarminus, Vasquez, &c. testes sunt ejusmodi libertatis in Scholis, etiam post Gregorium XIII.*

Ad *Scholas* provocans Adversarius, nullam nominat; sed sinè restrictione, sinè limitatione *Scholas* appellans, omnes vult intelligi, aut saltèm plerasque. Verùm certus sum, tales neque in Italia, neque in Hispania, Lusitania, Germania, Polonia repeniendas. In Galliis Sorbona eandem in Bajo opinionem, *Hæreseos* damnavit. Num fortè, quod Hæreticum tunc fuit, Catholicum dein redditum est? Vel itaque *frequentata* ea illic opinio deinceps non fuerit, vel ipsius Sorbonæ solemni judicio execranda *hæresis* à paucis fortè Novatoribus *frequentata* est. In una Belgii Academia Theologis aliquibus de Bajana, & Janseniana pice aliquantulum adhæsisse, non ibo inficias. Sed ideone doctrina pestilens, & celeberrimarum Academiarum, atque ipsius Sedis Apostolicæ judicio sæpius condemnata, à censuris omnibus absolvenda est; quia ab aliquibus, sive ignorantibus, sive temerariis, & malevolis, omnis authoritatis, etiam supremæ, contemptoribus resuscitatur? Propositio 55. de communione sacrilega, quam inter 65. meritò proscripsit Innocentius XI. tradita fuerat à pluribus in Schola non una: & tamen in ejus damnatione *Salvator, & Magister noster JESUS Christus ...... Aperuit os sui in terris Vicarii*; teste Castoriensi Episcopo, Arnaldi, & Quesnelli post fugam è Gallia receptore in Hollandia benevolo, & ab his pariter novæ Ecclesiæ capitibus in Sanctorum relato catalogum. Præceptorum Ecclesiæ, de jejunio præcipuè, transgressores ubique sunt non pauci; sed ea multorum transgressio non propterea præcepti abrogatio est.

2 Neque sola assertio adversarii de *Toleto, Bellarmino, Vasquezio* quasi *testibus ejusmodi libertatis in Scholis*, etiam post Gre-

go-

gorium XIII. mihi fidem facit, dum nulla authorum istorum verba profert, & nè locum quidem indicat, ubi quærenda sint. Toletus in Commentario Epistolæ ad Rom. docet, tentationem sinè gratia superari non posse; at quòd *liberum arbitrium sinè gratia Dei adjutorio non nisi ad peccandum valeat*, non sinè calumnia Toleto tribui potest, postquam ea opinio à Gregorio XIII. proscripta est, atque ipse Toletus ab eodem Gregorio in Belgium cum potestate missus, eam inter Bajanos cæteros articulos, curavit tum ab ipso Bajo, tum ab aliis omnibus Lovaniensibus Theologis solemniter condemnari: nusquam de permissa, vel frequentata post Gregorium XIII., minùs etiam de permittenda Baji sententia verbum invenies.

3 Non invenies etiam in Bellarmino, qui lib. 5. de gratia, & libero arbitrio cap. 9. hanc statuit assertionem: *posse hominem sinè fide cum auxilio speciali, & etiam sinè illo bonum aliquod morale perficere, si nulla tentatio urgeat*. Dein, ubi ostendit, posse fieri opus bonum sinè fide, pergit ad opera moraliter bona sinè gratiæ auxilio. „ De secundi, inquit, generis operibus habemus testimonium in libro de perfectione Justitiæ responsione proxima postremæ „ Ubi relatâ Apostoli, & Augustini sententiâ Bellarminus sic infert: „ Itaque concedit Augustinus, in hujusmodi operibus humanis, quæ ad salutem non pertinent, auxilium gratiæ non semper requiri: & tamen hæc opera bona sunt, cùm peccata non sint, Apostolo teste: *non peccat si nubat*.

Ibid. post multa. „ Adde etiam ultimò, (inquit) quod idem Author (Augustinus) in omnibus ferè locis, ubi scribit, nihil fieri posse boni sinè auxilio gratiæ, addere soleat limitationem, si videlicet bona illa opera ad pietatem, & salutem pertineant „ Dein citat authorem Hypognostici lib. 3. non procul ab initio dicentem: *Esse fatemur liberum arbitrium omnibus hominibus, habens quidem judicium rationis; non per quod sit idoneum, quæ ad Deum pertinent, sinè Deo aut inchoare, aut certè perficere; sed tantùm in operibus vitæ præsentis tam bonis, quàm etiam malis. Bonis dico, quæ de bono naturæ oriuntur*.

Tum relatis variis bonorum operum exemplis in Hypognostico adductis, sic animadvertit Bellarminus. „ Neque satisfacit Ariminensis respondens, hæc non esse bona moralia; sed naturalia: nam author hujus libri hæc bona opponit malis, cum dicit liberum arbitrium posse sinè Dei gratiâ velle tam bona, quàm mala, quæ ad vitam præsentem pertinent, & certè non loquitur de malis naturalibus; nemo enim eligit illa mala; sed de moralibus, quæ sunt propriè voluntaria. Quod etiam patet ex exemplo, quod idem author ponit, nimirum colere idolum, & similia. Loquitur igitur de bonis moralibus, qualia sunt ea omnia enumerata, si debitis circumstantiis vestiantur. S. Prosper libro contra collatorem cap. 16. *Naturæ*, inquit, *humanæ, cujus creator est Deus, etiam post prævaricationem manet substantia, manet forma, manet vita, & sensus & ratio; cæteraque corporis, atque animi bona, quæ etiam malis, vitiosisque non desunt. Sed non in illis veri boni perceptio est, quæ mortalem vitam honestare possunt, æternam conferre non possunt*. Nota illud *honestare*; non enim peccata; sed solæ virtutes vitam nostram honestare possunt.

Dein citatis SS. Fulgentio, Gregorio Magno, Damasceno, suam, & communem sententiam stabilit etiam rationibus, dicens: „ Si opera facta sinè fide, & auxilio speciali semper essent peccata, id accideret, vel quia deest illis circumstantia finis, cùm propter Deum non fiant..... vel quia bona opera non habent proportionem cum naturæ nostræ viribus; vel denique nimis difficilia sunt ob earnis rebellionem, Dæmonisque tyrannidem. At nihil horum dici potest; nam quod attinet ad circumstantiam finis... nisi apponatur circumstantia finis mali, omne opus bonum morale per se refertur ad Deum; etiamsi author operis id non cogitet, vel non intendat.

„ Quòd autem possit homo suis viribus non apponere circumstantiam finis mali, imò etiam dirigere opus in finem bonum secundùm rationem, manifestum est; nam, si potest suis viribus operari malum arduum, & naturæ contrarium; cur non poterit operari bonum facile, congruumque naturæ? Si potest, exempli gratiâ, suis viribus sinè auxilio gratiæ projicere omnia bona sua in mare, vel ipse se occidere, à quo natura abhorret; cur non poterit paucos nummos largiri indigenti, vel hominem à præcipitio revocare ob misericordiam, ad quam prope natura ipsa compellit? Si potest interroganti falsum de industria respondere; cur non poterit respondere verum?

Hactenus Bellarminus, qui sententiam ean-

eamdem pluribus firmat: ac Dein multis sequentibus capitibus omnia Kemnitii, Melanchtonis, Calvini, Tilmanni, & similium hæreticorum contra nos argumenta clarissimè dissolvit.

De Catholico autem vel uno, qui post Constitutionem S. Pii V., & Gregorii XIII. ab ipso Bajo, & omnibus Lovanii Theologis tam solemniter receptam, tradere perrexerit doctrinam, ab illis Pontificibus condemnatam, nè verbum quidem facit Eminentissimus.

4 Tertium adversarii mendacium est de Vasquez: nam etsi is contra Bellarminum, & reliquos passim Theologos censeat, nullum opus moraliter bonum fieri posse sinè gratia; alienissimus tamen est ab Apostolicæ Sedis, & definitionum ejus contemptu, seu damnatorum ab ea dogmatum resuscitatione. Imò definirionibus contra Bajum deferendam non qualemcumque solùm reverentiam, quam & iniquitatis filii subdolè simulant; sed obedientiam quoque deferendam docet, cujus utinam religiosum adversarii imitentur exemplum.

Sententiam ejus dilucidis ab ipso Authore expressam vocibus exhibeo ex disputatione 190. cap. 12. ubi, cùm retulisset articulum Baji 25. *Liberum arbitrium sinè gratia Dei adjutorio non nisi ad peccandum valet*, non damnationem articuli impetit, neque proscripto dogmati vindicare nititur libertatem; sed Pontificiam reveritus definitionem, eam sibi meritò velut regulam præfigit. Sic igitur sibi objicit „ Damnant Pontifices, asserentes simpliciter, nullum aliud opus posse efficere liberum arbitrium, nisi peccatum; id autem quamvis nos non dicamus, ex nostra tamen opinione videtur sequi. Nam, si liberum arbitrium nullum potest opus sinè gratiæ auxilio facere, nihil aliud poterit, nisi id, quod peccatum est: ad quod respondeo (inquit) ex nostra sententia id nullo modo sequi; nam nos concessimus supra disput. 52. opera indifferentia, idque authoritate Nazianzeni, imò & Hieronymi, qui non minùs acriter contra Pelagianos defendit gratiæ necessitatem ad singula bona opera; quam ex Augustino confirmavimus: in qua etiam sententia est author Hypognosticon lib. 3. & Greg. Mag. homil. 27. in Euang. ut notavimus supra cap. 17. Sic autem, licèt dicamus, nullum vitari posse peccatum, nullumque opus morale ex omni circumstantia bonum fieri sinè aliquo auxilio gratiæ per Christum; non sequitur, nostrum liberum arbitrium nihil aliud posse sinè auxilio gratiæ, nisi peccatum: siquidem multa alia opera etiam interdum facit sinè auxilio gratiæ; nempe ea, quæ præsentis vitæ commoditatibus deserviunt, ut colere agros, ædificare, aut reficere domos, conciliare amicos, quæ, ut diximus cap. 17., ex sententia nostra, & authoris Hypognost., & Gregorii Magni indifferentia sunt, & sinè auxilio gratiæ fieri possunt; .... ob hoc tamen non videtur necessarium concedere opera indifferentia absolutè; sed satis est, aut hæc, aut bona aliqua arbitrio tribuere sinè auxilio gratiæ, nè dicamus ita vitiatum mansisse post peccatum, ut non nisi ad peccandum valeat: Augustinus verò, & Prosper; ut cap. 8. & 9. hujus disput. vidimus, nè omnino videretur extinctum arbitrium post peccatum, dixerunt mansisse quædam ad similitudinem legalium mandatorum, & quædam etiam præsentis vitæ bona, quæ ex se mala non essent,„ Ita Vasquez. Ubinam hic damnati in Bajo dogmatis defensio? Ubi tributa ei probabilitas? Ubi testimonium de usurpata in Scholis libertate sustinendi Bajanum articulum post Bullam Gregorii XIII.?

Quos adversarius post Toletum, Bellarminum, Vasquezium, addit *cæteros* non nominatos, si intelligat Bajanæ, ac Janseniauæ hæreseos afflatos fuligine, testes istiusmodi in causa propria suspectos æquè, ac præsentem adversarium meritò recusamus. Si verò *cæteros* sinè nomine testes accipi velit pro Theologis probatæ fidei, & doctrinæ, indicari illos nobis cupimus, alioqui allegatio *cæterorum* confusa cæteris hujus authoris fraudibus, ac mendaciis jure annumerabitur.

Sed, etsi recentior quispiam, aliàs pius, ac religiosus, Constitutionum veterum non satis conscius, novaturientium fortè aliquorum authoritati nimiùm credulus videatur, atque indè alicubi à communi Scholarum, etiam suæ, tramite abductus, ut veniam facilè mereatur, ita neque ejus qualiscunque lapsus, nobis esse debuit exemplum pariter aberrandi: minùs etiam esse poterit imposterum, accedente fulgidissimâ Constitutionis UNIGENITUS luce: quæ si Recentiori illi resplenduisset, neminem credo eo futurum fuisse ad obediendum promptiorem. De eo sic Cardinalis Aguirre in Theologia S. Anselmi Romæ editâ anno 1690. disput. 130. sect. 13. sub finem. „ Verùm .... alioqui pius, & eruditus Scriptor, plurimùm deditus doctrinæ re-

„ centiorum Lovanienfium, præfertim in „ hac controverfiâ, religionem injicit, & „ frequentia confcientiæ onera contra fen- „ tentiam aliorum ferè communem, etiam „ piorum, & timentium Deum. Cùm au- „ tem ille diem obierit, ut audio, idque in „ operibus piis docendi, ac prædicandi; „ non dubium, quin jam exploratam ha- „ beat veram in hac parte fententiam. At „ nonnullis, qui eam hodie fequuntur, for- „ taffis timori effe poteft, nè ftrictioribus „ jufto opinionibus, & nullâ condefcenfio- „ ne erga fragiles atque infirmos factâ, „ Pharifaicam feveritatem, ac ingenium „ induant à Chrifto Domino reprehenfum, „ vel fubeant notam illam à Tertulliano „ inuftam quibufdam novatoribus: *Firmos* „ *gravant: infirmos capiunt: medios cum* „ *fcrupulo dimittunt.*

CAPUT VI.

Prætenfi Galliæ Theologi comparati cum Denuntiatoribus Epifcoporum Lucionenfis, & Rupellenfis.

1 ANno poft editam Conftitutionem UNIGENITUS prodiit libellus hoc titulo: *Ad Eminentiffimum S. R. E. Cardinalem, & Reverendiffimum in Chrifto Patrem Archiepifcopum Parifienfem D. Ludovicum de Noailles fupplicatio, & denuntiatio plurimorum Parifienfis Civitatis Metropolitanæ Ecclefiæ Canonicorum, Urbicorum Parochorum, Superiorum Regularium, & S. Facultatis Parifienfis Theologorum.* Aliqui in dignofcenda fcribentium methodo, feu ftyli difcretione utcunque verfati, ejufdem falivæ effe arbitrantur, five ejufdem authoris *fupplicationem* illam, & *varias Theologorum Galliæ obfervationes in Conftitutionem S.D.N. CLEMENTIS Papæ XI., quæ incipit UNIGENITUS.* Eadem mihi, ut verum fatear, incidit de authore utriufque opufculi cogitatio. Sed & oboritur dubium, an revera Gallus fit, tum quòd libelli quotquot videre mihi licuit fcriptos contraConftitutionem, & conftat à Gallis fcriptoribus editos, linguam præferant nationis, tum quòd pofterioris opufculi author fcribens communi Gallorum nomine Theologus videri voluerit inter fuos minimè vulgaris; quomodo igitur ignorare potuiffet celebrem Parifienfis Academiæ adversùs Bajanos articulos cenfuram, & dein alteram adversùs Arnaldicos? Si autem fciverit, contemnere non poterat tantæ authoritatis in Gallia judicium. Si verò etiam fciens fpreverit, quomodo abfque impudentiffimo mendacio arrogat fibi commune *Theologorum Galliæ* nomen contra præcipuos Galliæ Magiftros Sorbonicos, cenfuræ utriufque fuffragatores?

Inter hos plurimi numerantur Epifcopi; uam plures quàm centum Bullam UNIGENITUS amplectendo, Baji articulos à Quefnello refufcitatos condemnarunt, atque ipfe Eminentiffimus Noaillius gradus academicos in Sorbona fufcipiens cenfuræ adversùs duo Arnaldi dogmata fubfcripfit, quorum primum cenfuit *blafphemum, impium, hæreticum, de negata Petro tentato gratia, finè qua nihil poterat.* Eadem tamen Arnaldi doctrina certiffimè continetur propofitionibus Quefnelli nonâ, & 12. fequentibus, quarum *profcriptione omnino lædi libertatem Scholarum graviffimè dolent Theologi*; fi fides adverfario eft *Theologorum Galliæ* nomine fcribenti. Eminentiffimum autem Doctorem Sorbonicum è numero *Theologorum Galliæ*, & *Cordatiffimorum quorunque virorum* excludere, gravis contumelia eft; longè tamen gravior, fi inter illos ab adverfario comprehendatur, utpote tunc maniféftiffimè adfcriptus perfidorum, & minimè catholicorum turbæ, qui poftquam primum Arnaldi articulum fcripto execrati funt veluti *blafphemum, impium, hæreticum*, nunc in pluribus Quefnelli propofitionibus approbent quafi Doctrinam Auguftini, *paci & concordiæ Regni* fimul, & *Ecclefiæ neceffarium*, vel faltèm neceffariò permittendam.

2 Profequenda nunc mihi eft utriufque Scriptoris comparatio: qui, fi unus idemque fit, quod apparet verifimillimum (certè earumdem eft cum Quefnello partium) quomodo non appellabimus ftrenuum Sycophantam, qui doctrinam eandem Bajanam, modò ut errorem intolerabilem denuntiet in duobus Quefnello adverfantibus Epifcopis, modò in Quefnello approbans ait, liberam omnibus relinquendam effe ejus tradendæ poteftatem, utpote *paci, & concordiæ Regni, & Ecclefiæ neceffariam*?

In fupplicatione, & denuntiatione Parifienfem Antiftitem ftatim fic alloquitur: „ Eminentiffime Cardinalis, ac Reveren- „ diffime in Chrifto Pater, tam multis, tam- „ que præclaris indefeffam vigilantiam Ve- „ ftram, & conftantiffimum in repellendis „ erroribus zelum experimentis jam à „ quindecim annis perfpeximus, ut dubi- „ tare nobis minimè liceat, Eminentiam „ Veftram fparfis nuper in hac regia urbe „ tractatibus dogmaticis, feu *Mandatis* „ D. D. Reverendiffimorum Epifcoporum Lu-

„ Lucionensis, Rupellensis, ac Vapincen- „ sis, fuisse vehementissimè commotam „ Inter prima autem denuntiationis capita est: „ Propositio 27. Michaelis Baji, *Libe-* „ *rum arbitrium sinè gratiæ Dei adjutorio* „ *non nisi ad peccandum valet*, in Lucionen- „ si mandato renovata. Quam propositio- „ nem olim Pius V., Gregorius XIII., Ur- „ banus Octavus in Michaele Bajo damna- „ runt, eandem mandati Lucionensis, & „ Rupellensis scriptor tueri non erubescit, „ spretâ Romanorum Pontificum authori- „ tate, atque adeò (ut ad præfationem red- „ eam) Plebs Christiana decipitur, dam- „ nati pridem ab Ecclesiâ errores instau- „ rantur .... Romanæ Sedis, quæ unitatis „ Catholicæ centrum est, reverentia con- „ culcatur. (Et paulò supra) Has Romani „ Pontificis contumelias dissimulare, nec „ possumus nec debemus. (rursus supra) „ Quod enim & nobis, & Ecclesiæ pericu- „ lum non debemus metuere, quando „ nonnulli Episcopi, & Ecclesiasticæ com- „ munionis, & loci sui immemores..... „ nec Romanæ Sedis Primatum reveren- „ tes.... Apostolicæ Sedis judicia refor- „ mandi jus sibi vindicant? „ Ita, si *Supplicationi*, *& Denuntiationi* creditur, *plurimi Parisiensis Civitatis Metropolitanæ Ecclesiæ Canonici*, *Urbici Parochi*, *Superiores regulares*, *& Sacræ Facultatis Parisiensis Theologi*.

3 Contra hos defendunt se Lucionensis, & Rupellensis Episcopi in responsione anni 1714. pag. 24. & seq. ostendendo, quòd libero arbitrio sinè gratia non negentur opera indifferentia, non opera naturalia moraliter bona; sed tantùm conducentia ad justitiam, & salutem. Tum pag. 31. Lectorem monent de hoc Jansenistarum stratagemate, quòd videntes Quesnellum de tot erroribus convictum, quos nec ipse, nec symmystæ ejus defendere rationibus valeant, ad clamores, & calumnias convertantur.

Explosis itaque istis *Canonicorum*, *Parochorum*, *Superiorum regularium*, *& Theologorum Parisiensium* larvis, obscurum hominem tot sibi mendaciter titulos arrogantem, sic adoriuntur, pag. 31. „ Voluit clientibus suis Jansenianis è præcipua arce „ dejectis, fugamque capessentibus suppe- „ tias ferre, & inermis quidem; sed cla- „ mosus nova bella, unde minimè expecta- „ veramus, intentat; at bella ludicra, ut „ quæ præter conjectas temerè calumnias „ nihil seriò moliuntur..... Quis enim „ persuadeat, denuntiatorem seriò defen- „ dere liberi arbitrii vires, tanquam ad ali- „ qua virtutis opera, ad quorumdam præ- „ ceptorum fugam, ad aliquarum tenta- „ tionum victoriam sufficientes sinè gratia, „ qui eas in Quesnelli ad novum Testa- „ mentum *Reflexionibus* tanto à se in pretio „ habitis, ubique negari, rejici, impugna- „ ri conspicit, ut spiritûs Sancti oraculis „ repugnantes? Nempe ex Lucæ 8. vers. 29. „ ita Quesnellus colligit: *Peccator non est* „ *liber, nisi ad malum sinè gratia libera-* „ *toris*. Ex Matth. 20. vers. 24. *Voluntas,* „ *quam gratia non prævenit, nihil habet lu-* „ *minis, nisi ad aberrandum; ardoris, nisi* „ *ad se præcipitandum; virium, nisi ad se* „ *vulnerandum: est capax omnis mali, &* „ *incapax ad omne bonum*. Ex 1. Thessal. 2. „ vers. 28. *Sinè gratia nihil amare possumus,* „ *nisi ad nostram condemnationem*. Ex Epi- „ stola ad Rom. 1. vers. 19. *Omnis cognitio* „ *Dei, etiam naturalis, etiam in philosophis* „ *Ethnicis, non potest venire, nisi à Deo: &* „ *sinè gratia non producit, nisi præsumptio-* „ *nem, vanitatem, & oppositionem ad ipsum* „ *Deum, loco affectuum adorationis, gratitu-* „ *dinis, & amoris*. Ex act. 11. vers. 9. *Sola* „ *gratia Christi reddit hominem aptum ad* „ *Sacrificium fidei: sinè hoc nihil, nisi impu-* „ *ritas; nihil, nisi indignitas*: Ex Joan. 5. „ vers. 29. *Non sunt, nisi duo amores, unde* „ *volitiones, & actiones omnes nostræ na-* „ *scuntur; amor Dei, qui omnia agit pro-* „ *pter Deum, & quem Deus remuneratur*, „ adeóque est ex gratia, *& amor, quo nos* „ *ipsos, ac mundum diligimus, qui quod ad* „ *Deum referendum est, non refert, & pro-* „ *pter hoc ipsum fit malus*.

„ Hæ propositiones sunt inter nuperrimè damnatas 38. 39. 40. 41. 42. 44. „ Plures aliæ illic sequuntur eòdem perti- „ nentes: has viderat pridem in Decuma- „ no clientis sui (Quesnelli) opere, & in- „ ter cæteras adamatas adeò *Reflexiones*, „ animis omnium, ut Spiritûs Sancti un- „ ctione plenas imprimi voluisset; in his „ Bajanum articulum 27. *Liberum arbi-* „ *trium sinè gratia Dei adjutorio non nisi ad* „ *peccandum valet*, tam clarè, tam disertè, „ tot diversis phrasibus traditum, obtru- „ sum, inculcatum, agnoscere se dissimu- „ lat. Relatæ Quesnelli propositiones pro- „ cul dubio inter eas sunt, de quibus ipsi „ amici ejus in officiosa ad illum epistola „ confidenter questi sunt, *veritates quas-* „ *dam* (Bajanas, & Jansenianas) *nimis fre-* „ *quenter, & studiosâ quasi affectatione in-* „ *geri*. Sed Denuntiator noster, larvatus „ *Reflexionum* patronus, in hac meridiana „ luce cœcutire vult, ut videns non videat „ in

„ in Queſnello paſſim obvia, quæ apud „ nos, ubi nulla eorum ſunt veſtigia, fru- „ ſtrà lucernis per devia, & invia oberrans „ quæritat. „ Ita Lucionenſis, & Rupellenſis Epiſcopi.

4 An non igitur mirabilis *Obſervationum variarum* author eſt, ſi idem qui *Supplicationis*, *& Denuntiationis* ſit? Au non Vertumno mutabilior, qui priùs contra duos Queſnello contrarios, & Sedi Apoſtolicæ obedientes Epiſcopos, denuntiatorem agens, ſeu calumniatorem, iis velut enorme affingit flagitium, reſuſcitationem articuli 27. in Bajo pridem à tribus Pontificibus damnati, *Liberum arbitrium ſinè gratia Dei adjutorio nonniſi ad peccandum valet*: ac dein biennio poſt in *variis Obſervationibus* nomine *Theologorum Galliæ* editis, ultra Propoſitionem 9., & duodecim ſequentes, etiam 38. 39. 40. & 41., in quibus eadem Bajana 27. clariſſimè continetur, vult à CLEMENTE XI. permitti Scholis, ut plenâ gaudeant libertate? atque iſtud eſſe ait judicium, iſtud Votum *Theologorum Galliæ*, & *cordatiſſimorum quorumque virorum*, velut unicè *neceſſarium ad Regni* non ſolùm; ſed etiam ad *Eccleſiæ pacem*, *& concordiam*; dum tamen ipſiſſima doctrina eſt, contra quam tam patheticè declamat, duos denuncians Anti-Janſenianos Antiſtites.

Miratur illorum temeritatem, & impudentiam, ſive, ut erga Reverendiſſimos minùs irreverens videatur, mirari ſe ait, *Scriptoris* ineptiſſimi audaciam, qui ab illis ad Mandati Epiſcopalis compoſitionem adhibitus, inſerere, ac *tueri propoſitionem*, *quam olim Pius V., Gregorius XIII., Urbanus VIII. in Michaele Bajo damnaverant, non erubeſcat, ſpretâ Romanorum Pontificum authoritate. Ita Romanæ Sedis, quæ unitatis catholicæ centrum eſt, reverentia conculcatur.* Indè proſequitur hypocrita: *Quod nobis, & Eccleſiæ periculum non debemus metuere, quando nonnulli Epiſcopi, & Eccleſiaſticæ communionis, & loci ſui immemores.... nec Romanæ Sedis Primatum reverentes,..... Apoſtolicæ Sedis judicia reformandi jus ſibi vindicant? Has Romani Pontificis contumelias diſſimulare nec poſſumus, nec debemus.* Quanta hujus Scriptoris religio, quanta pietas, quàm ardens Authoritatis Pontificiæ defendendæ ſtudium! Sed tunc ſolùm hypocrita religioſus, & devotulus eſt, quando accuſandi per calumniam veniunt Anti-Queſnelliani Antiſtites, quos cane pejus, & angue odit.

At in Queſnello idem jam non fictitium; ſed verum facinus, non ſolùm diſſimulari oportuit; ſed etiam ut iteretur, quoties ipſi, aut ejus Sectatoribus placuerit, à Pontifice permittendum eſt. Queſnello licuit, vel licere debuit *propoſitionem, quam olim Pius V., Gregorius XIII., Urbanus VIII. in Michaele Bajo damnaverant, ſpretâ Romanorum Pontificum authoritate* reducere; &, ut glorioſior foret de Conſtitutionibus Apoſtolicis triumphus, inſerta ea eſt *Compendio moralis Euangelicæ*, quo nomine inſigniri Queſnellus voluit *morales* ſuas *in novum Teſtamentum Obſervationes*.

5 Quiſquis enim Theologiæ non penitùs ignarus es, imò quiſquis rationis utcunque compos, conſidera propoſitionem 27. à tribus olim Pontificibus in Bajo damnatam *Liberum arbitrium ſinè gratia Dei adjutorio non niſi ad peccandum valet*, & eam confer cum hac 40. Queſnelli *Sinè gratia nihil amare poſſumus, niſi ad noſtram condemnationem*: Sive cum hac 39. *Voluntas, quam gratia non prævenit, nihil habet luminis, niſi ad aberrandum; ardoris, niſi ad ſe præcipitandum; virium, niſi ad ſe vulnerandum: eſt capax omnis mali, & incapax ad omne bonum.* Quæ utraque propoſitio quoad ſenſum, ut patet, nullo diſcrimine ſeparatur à vigeſima ſeptima Baji, niſi quòd hæc mitior ſit, utraque Queſnelli durior, & Bajanam ſuperet perverſitate. Bajana enim ſolam peccati cujuſcumque maculam conjicit in actiones omnes gratiâ deſtitutas: Queſnelliana 40. delictum exprimit, quod *condemnationem* mereatur. Bajana ſimpliciter aſſerit liberum arbitrium ſinè gratia *non niſi ad peccandum valere*: Queſnelliana id multiplici figurâ, & repetitione ingerit, infarcit, neque contenta apparet quacumque noxâ; non enim de quolibet juſto veniale quidpiam leviſſimum committenti dicitur, quod ſe *præcipitet*.

Has tamen propoſitiones geminas, uti & 38. & 41. illis ſimilem, & à Bajana prorſus inſeparabilem donare oporter pleniſſima libertate, non ſolùm poſt trium Pontificum Conſtitutiones veteres; ſed etiam poſt recentiſſimam Clementinam, exigentibus eam libertatem *Theologis Galliæ*, & *viris quibuſque cordatiſſimis*, utpote *ſummè neceſſariam ad fovendam in Regno, & Eccleſia pacem, & concordiam*. Mirabilis, ut aliarum rerum, ita fidei, & religionis penès iſtiuſmodi genus hominum viciſſitudo, aut ſimulatio eſt!

6 Inter *Galliæ Theologos*, & *viros quoſque cordatiſſimos* proculdubio ſunt venerabiles illi ſuperiùs relati *Pariſienſis civitatis Metropolitanæ Eccleſiæ Canonici, Urbici Parochi, Superiores regulares, & S. Facultatis Pariſien-*

risiensis Theologi. At quomodo viri illi tam magni, tam sapientes *Supplicationis*, *& Denuntiationis* suæ tam citò obliti sunt? In hâc Eminentissimo Parisiensium Archiepiscopo non nisi à biennio querebantur de Episcopis Lucionensi, & Rupellensi, quasi essent *Ecclesiastica Communionis*, *& loci sui immemores ...... nec Romana Sedis Primatum reverentes ..... Apostolica Sedis judicia reformandi jus sibi vindicaverint*, dum *Propositionem*, *quam olim Pius V.*, *Gregorius XIII.*, *Urbanus VIII. in Michaele Bajo damnaverant, tueri non erubuerunt, spretâ Romanorum Pontificum authoritate*. Tunc scilicet istis *Metropolitana Ecclesia Parisiensis Canonicis*, *Urbicis Parochis*, *Superioribus regularibus*, *& Sacra Facultatis Parisiensis Theologis* dubitare minimè licuit, quin Eminentissimus Archiepiscopus pro sua *indefessa vigilantia*, *& constantissimo in repellendis erroribus zelo vehementissimè commotus fuerit* prætenso illo duorum Antistitum facto. *Has Romani Pontificis*, imò Romanorum Pontificum *contumelias dissimulare* (inquiunt) *nec possumus*, *nec debemus*, in duobus Episcopis; sed possumus, & debemus in Quesnello: quod prioribus crimini vertitur, in Quesnello est non solùm innoxium, atque laudabile; sed etiam *necessarium Regni*, *& Ecclesia paci*. Si igitur *Supplicationis*, *& Denuntiationis* idem qui *variarum Observationum* author sit, convincitur perfidus, & partes in contrarias versatilis religionis, similis certo causidicorum generi nequissimo, qui parati sustinere quidlibet, partibus facilè patrocinantur oppositis, prout affectus odii, vel amoris, vel spes lucri quantumlibet injusti, repugnante quantumcunque veritate, stimulaverit.

7 Si autem opuscula diversorum sunt, non minùs perspicuum est, authorem utrunque Quesnelli asseclam esse, atque ad eundem diversis semitis contendere terminum, quibus applicari posset illud Gregorii IX. in Constitutione contra sui temporis hæreticos, *quòd facies quidem habeant diversas*, *sed caudas ad invicem colligatas*, *quia de vanitate conveniunt in idipsum*. Et sanè quis dubitet, quin fictitii iidem sint illi plurimi *Parisiensis Civitatis Metropolitana Ecclesia Canonici*, *Urbici Parochi*, *Superiores regulares*, *& S. Facultatis Parisiensis Theologi*, qui in priore opere *Supplices denuntiatores* agunt, in posteriori illimitatè *Theologi Gallia* appellantur, ac *viri quique in Galliis cordatissimi*: qui in priore denuntiant Archiepiscopo Parisiensi doctrinam, quam in posteriore judicant retinendam, utpote *necessariam Regni*, *& Ecclesia Paci*? Contraria verò eidem doctrinæ *Supplicatio*, *& denuntiatio* iisdem nuper Quesnelli sectatoribus ad aspergendam Episcopis catholicis infamiam visa fuerat non minùs *necessaria*. An non istud est habere *pondus*, *& pondus*; *mensuram*, *& mensuram*, quod adeò Spiritus Sanctus, & ipsa naturæ ratio detestatur? Sic in rebus sacratissimis luditur ab iis, quibus fixa animo est novæ sectæ defensio, & omnium ipsi adversantium pernicies.

Libertatem, quam prætensi *Gallia Theologi* contra Constitutionem Unigenitus, & trium Superiorum Pontificum, paci *Regni*, *& Ecclesia necessariam* prædicant, pridem Quesnellus ad cæteras omnium Pontificum Sanctiones extendit, declaravitque esse Ecclesiæ suæ propriam in Epistola Gallicè edita *Abbatis ad quemdam Romana Curia Pralatum*. Pag. 18. *Habemus hoc nos singulare pra aliis, quo nobis bene est, & semper utemur, quòd simus in possessione eandem semper tenendi viam, quidquid opponant Censores Romani, & quodcunque Decretum ab hoc tribunali emanaverit*. Pag. 30. *Romani majore pollent ingenio, quàm ut credant nos terreri sententia lata excommunicationis Pontifici reservata*. Pag. 4. *Quando Romanorum Pontificum fulmina justa sunt, quando non apparet mixta passio, quando veritati nullatenus prajudicant, quando nihil damnant nisi errores, & quando in forma legitima illos damnant, laudamus, & approbamus sententiam, quamvis tribunal agnoscere non possimus*; utpote exempti ab omni jure Pontificio. Simile quid dicere Quesnellus poterat de cujuscunque academiæ extraneæ; imò de cujuscumque Magistratus Laici, etiam rustici, etiam Turcici, & infidelis sententia justa, licèt tribunalis minimè competentis.

8 Forsitan ea novæ Ecclesiæ *libertas* surculus quidam *libertatis* est, à Luthero & Calvino sibi & suis assertæ sequacibus. Quidquid verò sit de apparenti quorumdam novorum dogmatum rigore, non solùm Pontificiarum legum obedientiâ suam Quesnellus Ecclesiam liberat; sed non admodum difficilis est, ut potestatem cuilibet faciat dispensandi se in Ecclesiæ universæ, ipsiusque Dei præceptis gravissimis. Prop. 71. *Homo ob sui conservationem potest se dispensare ab ea lege, quam Deus condidit propter ipsius utilitatem*; ut conditæ sunt leges omnes. Quid opus tot præceptis, & legibus, aut quem fidelium adstringunt, si juxta Prop. 68. *Dei bonitas abbreviavit viam salutis, claudendo totum in fide*, *& precibus*?

Sic

Sic libertati maximæ, & licentiæ exitiali aperitur porta latissima.

Talem libertatem cognovit; Sed minimè probavit Apostolus ad Rom. 6. *Cùm*, inquit, *servi essetis peccati, liberi fuistis justitiæ*: Et Job. 11. *Vir vanus in superbiam erigitur, & tamquam pullum onagri se liberum natum putat*. Quemadmodum Lutherus in cap. 2. Epist. ad Galat. *Nihil mihi cum lege. Quare? quia habeo libertatem.* Et libro de libertate Christiana: *Nullo opere, nulla lege homini Christiano opus est, cùm per fidem sit liber ab omni lege*. Catholicis verò sufficiat libertas, debitum obedientiæ non excludens, libertas meritis Christi comparata, qua à servitute peccati, & dæmonis liberamur: Sed ut jubente Christo tenetur Petrus fratres suos confirmare, pascere agnos, & oves; nonne eâdem Christi dispositione tenentur agni cum ovibus sequi vocem, & ductum Pastoris? Libertatem noxiam quæsiverat sibi ovis Evangelica errabunda, & peritura; nisi ab hac ipsam damnosissimâ libertate felicior servitus liberasset. Recedens à Patre filius Prodigus, libertatem sibi pariter vindicaverat; sed quam malo suo expertus nimiùm infaustam, salubriore consilio didicit cum humili obsequio, & digna filio obedientiâ commutandam. Utinam tam salutaris pœnitentia, & sapientia cœlestis ad communem Christianorum omnium Patrem, & Pastorem deducat tot hodie filios prodigos, tot oves non suo solùm exitio errantes; sed plurimas exemplo perniciosissimo in eumdem secum trahentes interitum!

9 Damnatis ab Innocentio X. quinque Jansenii Propositionibus, circa quas præcipua, ut ipse Pontifex testatur, *orta fuerat, præsertim in Galliis controversia*, non petière Episcopi Galliæ *libertatem*, eas, vel earum aliquas in scholis tradendi pro libitu; multò minùs eam potestatem jure sibi debitam arbitrabantur; sed, inquiebant in Epistola ad eundem datâ Pontificem anno 1653. mense Julio, *Judicia pro sancienda regula fidei à Summis Pontificibus lata super Episcoporum consultatione (sive suam in actis Relationis sententiam ponant, sive omittant) Divinâ æquè, ac summâ per universam Ecclesiam authoritate niti, cui Christiani omnes ex officio ipsius quoque mentis obsequium præstare tenentur, Eâ nos quoque sententiâ, ac fide imbuti &c.*

Sed non eâ imbutus sententiâ, ac fide Quesnellus est, se, suosque ab omni Sedis Apostolicæ obedientiâ absolvens, ut declarat loco superiùs citato; *se Romanorum Pontificum tribunal agnoscere non posse*, etiam *quando nihil damnant nisi errores, & in forma legitimâ illos damnant*: Subintellige quoque juxta quotidianam, quam perspicimus, & tota luget Ecclesia, praxim Quesnelli, atque ei adhærentium, etsi *judicia pro sancienda regula fidei à Summis Pontificibus lata* fuerint *super Episcoporum consultatione*, ut latum est judicium circa doctrinam à CLEMENTE XI. condemnatam. Vociferari nihilominùs pergit Quesnellus, & audiri iterum vult *Querimoniam* suam, ac *Protestationem*.

CAPUT VII.

Querimonia, ac Protestatio Quesnelliana plena doli, & mendacii convincitur.

1 Paragraphus ejus sextus, qui est *de libertate sinè gratia* pag. 49. contra *Documentum Pastorale* quadraginta Episcoporum Galliæ, & Constitutionem UNIGENITUS ita *queritur, & protestatur*: „ Quod S. Augustinus, & ejus discipuli „ centies inculcarunt, hominem non esse „ liberum ad bonum sinè gratia Christi, & „ fundatur in Servatoris sententia, *Si vos* „ *filius liberaverit, tunc vere liberi eritis*, „ asserui non alio sensu, quàm ipsius Christi, Pauli Apostoli, & SS. Patrum. Unde „ non sequitur, quod aliqui ex verbis „ meis deducere perperàm conantur, hominem, quem Christus nondum liberaverit, peccare, ac determinatum esse necessariò ad peccandum, neque ad aliud „ ipsi libertatem suppetere. Semper in libero positum habet arbitrio, ut se vel ad „ bonum, si voluerit, conferat, vel ad malum. Quoties malum amplectitur, electioni ipsius tribuendum est: ipse solus „ ad illud se determinat propriâ, & corrupta voluntate; bonum autem eligeret, si „ vellet: Sed ad volendum, & perficiendum, gratia Dei necessaria est; *præparatur voluntas à Domino*. Hæc fides Augustini est, & Ecclesiæ. „

Pag. 150. Postquam citavit Christi verba Joann. 8. *Amen Amen dico vobis, quia omnis, qui facit peccatum, servus est peccati.... Si ergo vos filius liberaverit, verè liberi eritis*, hanc subnectit considerationem. „ Nihil „ clarius, nihil majori solatio est humilibus, qui se ipsos, &, quales sibi relicti „ sint, cognoscunt: qui pleni spe christianâ totum expectant à meritis, & gratia Servatoris. Videntur tamen veritatos istæ Denuntiatoribus, & collectoribus

„ bus Propositionum apparuisse, velut cæ„ teris perniciosiores, & unde initium du„ cere debuerit *Observationum* impugna„ tio. Primo enim loco posuêre: *Quid* „ *aliud remanet animæ, quæ Deum atque* „ *ipsius gratiam amisit, nisi peccatum, & pec*„ *cati consecutiones, superba paupertas, &* „ *segnis indigentia; hoc est generalis impo*„ *tentia ad laborem, ad orationem, & ad om*„ *ne opus bonum*? Huic junxêre trigesimam „ octavam, *Peccator non est liber, nisi ad ma*„ *lum, sinè gratia liberatoris*. Addideram, „ *ipsa sola eum liberum facit, rumpendo vin*„ *cula, quibus se propriâ constrinxerat vo*„ *luntate*. Non quæro cur istud omise„ rint; quia evidens est, eos noluisse, ut „ appareret, agere me solùm de servitute „ voluntariâ, in qua non sunt hominis alia „ vincula, quàm sua peccata, & habitus, „ quos suis cupiditatibus contraxit: deni„ que voluntas peccato subdita, atque „ corrupta. Persuadere proinde volue„ runt, in ea me esse sententia, quòd homo „ per peccatum amiserit faciendi boni, & „ vitandi mali potestatem naturalem, & li„ bero essentialem arbitrio, quam contra „ eos sustineo remansisse homini post Adæ „ lapsum, & semper subsistere, neque de„ pendere à gratia, quemadmodum à me „ explicatum est; & quidem in *primi Docu*„ *menti* mei *Monito*, ipsos denuntiavi Ec„ clesiæ, tamquam liberi arbitrii destru„ ctores. Denique voluerunt illudere le„ ctori, & impedire, nè videret, bonum, ad „ quod nos Salvatoris gratiâ reddi liberos „ assero, non esse aliud, quàm ad æternam „ utile beatitudinem, unde propriâ homo „ excidit voluntate factus *liber justitiæ*, „ *servus peccati*, ac dæmonis, sicut tertiâ „ post lineâ exponebam „.

2 Ita Quesnellus, ubique tam sub dolus in occultandis suis, ubi damnatus est, sententiis, quàm fuerat antea in divulgandis temerarius. Has Scripturarum oraculis, Traditioni Patrum, etiam Augustini, contrarias demonstravi, ubi singulas à trigesima octava usque ad 42. examine discussi accuratissimo.

Testatur nunc Quesnellus, se non alioeas sustinuisse sensu, quàm Christi, quàm Pauli Apostoli, & Sanctissimorum Patrum. Quod etsi de manifesta convicerim falsitate; minimè tamen miror, à Quesnello magnificè jactari. Quis enim ridiculus adeò disputator est, quantumvis hæreticus, ut sive Scripturarum, sive Patrum citans testimonia, alio à se sensu accipi fateatur, quàm à Divino Spiritu dictata, aut à Patribus ad quos provocat, nobis tradita fuerint. Ipse Diabolus Christum tentans adducta è Psalmis sententia, etsi stolidè mentiretur, persuadere tamen indubiè Salvatori voluit; non verba solùm Sacri codicis esse; sed etiam sensum, quod si se deorsum mitteret, non læderetur: *Scriptum est enim, quia Angelis suis mandavit de te, & in manibus tollent te, nè fortè offendas ad lapidem pedem tuum*. Matth. 4.

Quesnellus contra 40. Episcopos, atque ipsum Pontificem perfidè protestans, asserit, non sequi ex sua sententia hominem, antequam eum Christus à Peccato liberaverit, determinari ad peccatum necessariò, solamque ei superesse eligendi inter crimina libertatem; tenemus enim manifestam Quesnelli Sententiam, quam ipsis ejus verbis continet hæc 38. *Peccator non est liber nisi ad malum sinè gratia liberatoris*. Neque Quesnellus elabitur, dicendo, se non omnem ante justificationem negasse liberatoris gratiam, qua peccator quidpiam non mali, imò & boni agere possit, si velit; nam clarior est Propositio 28., quàm ut cavillationibus obduci se facilè patiatur: *Prima gratia, quam Deus concedit peccatori, est peccatorum remissio*. Peccator itaque saltèm qui non convertitur, omni privatur gratiæ auxilio; hoc autem quamdiu caruerit, *non est liber, nisi ad malum*, juxta citatum articulum 38.

Quo igitur modo, quibus mediis, aut viribus, cujus ope expedire se poterit necessitate peccandi? Nam Propos. 39. *Voluntas, quam gratia non prævenit, nihil habet luminis, nisi ad aberrandum; ardoris, nisi ad se præcipitandum; virium, nisi ad se vulnerandum: est capax omnis mali, & incapax ad omne bonum*. 40. *Sinè gratia nihil amare possumus, nisi ad nostram condemnationem*. Juxta quæ novæ theologiæ placita peccator, antequam obtigerit prima gratia, quæ est peccatorum remissio, *nihil habet virium*, nisi ad peccandum. Quis hic aliud intelligat, quàm peccatorem, qui non convertitur, nullum posse opus elicere quod à delicti macula immune sit, nullum moraliter bonum, nullum indifferens? Mendacium patentissimum est, quod homo juxta Quesnelli sententiam semper in libero positum habeat arbitrio, ut se ad malum conferat, vel ad bonum, qui prorsus *ad omne bonum incapax est, nihil* ad hoc necessarii *luminis habens, nihil virium*. Per Propositionem 44. *Non sunt nisi duo amores, unde volitiones, & actiones omnes nostræ nascuntur; amor Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur; & amor, quo nos ipsos, ac mundum*

dum diligimus, qui quod ad Deum referendum est non refert, & propter hoc ipsum fit malus. Alienissimus est Quesnellus, ut patet, ab agnoscenda in homine potestate, sinè gratiæ auxilio, amandi Deum, & quidem *amore* istiusmodi *qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur*. Fieri enim minimè potest, ut is, qui *incapax est ad omne bonum*, qui *nihil virium habet, nisi ad se vulnerandum, omnia agat propter Deum, amore quem Deus remuneratur*.

Neque talis doctrina casu, vel inadvertentiâ à Quesnello protruditur; sed studio multis Propositionibus inculcatur, ut quam hauserat à Magistris suis Arnaldo, & Jansenio ad posteros, invitis nè quidquam superis, propagaret. Nam Arnaldus parte 9. Difficultatum propositarum Domino Steyaert pag. 159. de Infidelibus ait: *Fieri non potest, ut in illo statu ullam exerceant actionem ex motivo amoris erga Deum, quia ipsorum voluntas planè est à Deo aversa, & conversa in seipsam: atque adeò quidquid agant, quidquid aggrediantur, quidquid proponant de vita, quàm possint optime instituenda, semper recidunt in generalem naturæ depravationem, qua sibi affiguntur .... Sequitur ex depravatione naturæ, quòd voluntas semper adhæreat bono suo particulari, donec sanata sit per gratiam*.

3 Juxta Jansenium lib. 2. de gratia Salvatoris cap. 1. *Cujus*, inquit, *medicinali gratia, & adjutorio nisi vires pristinæ restaurentur, tam est impossibile, ut bene velit, & operetur, quàm homini cæco, ut videat; vel surdo, ut audiat; vel tibiis fractis, ut rectè gradiatur*. Perplacet Quesnello hæc Jansenii sententia, quam mutatis phrasibus expressit Proposit. 39. *Voluntas, quam gratia non prævenit, nihil habet luminis, nisi ad aberrandum; nihil virium, nisi ad se vulnerandum &c.* ut sup. Quid verò in tam multiplici, & toties damnata Jansenii hæresi Quesnello non placeat, postquam eum gloriantem audivimus in *Notis* typo editis *in Epistolam Domini Steyaert*, Pag. 18. de sensu Jansenii, *Adeò non persuaderi sensum ab Authore intentum hæreticum esse, ut jam demum credere cæperit orbis catholicus, nihil in ipso non esse catholicum*? Videri quoque potest processus juridicus, seu *Causa Quesnelliana* pag. 223. referens Quesnelli opusculum quo pag. 1. vehementer queritur, *Expectari nondum posse integram injuriæ Jansenio illatæ reparationem; quia nimia adhuc adversariorum potentia est, & nimius in judicibus defectus luminis*. Modum tamen se reperisse jactat, quo defectus suppleatur, si nempe *iteratis typis ediderit librum Dionysii Raymundi, quo & vindicabitur fama Episcopi Iprensis, & infamia in ejus adversarios convertetur*. Ita Quesnellus in alio Scripto, quod recitat idem processus eâdem paginâ.

Quapropter, quod Bulla *Vineam Domini Sabaoth* de Jansenistis sacrilegè jurantibus formulâ Alexandri VII., retento nihilominus Jansenii sensu, declaravit, non solùm esse perfidos; sed etiam *eò impudentiæ devenisse, ut veluti naturalis honestatis, nedum Christianæ sinceritatis obliti &c.* convenit apprimè Quesnello, in facie Ecclesiæ, & coram ipsis hæreticis, protestanti, quòd sua sententia, etiam in damnatis propositionibus sit, hominem in libero semper positum habere arbitrio, ut sive malum eligat, sive bonum, si voluerit. Quæ enim bonum inter, & malum eligendi potestas est, quoties gratia defuerit, si juxta Propositionem 40. *Sinè gratia nihil amare possumus, nisi ad nostram condemnationem*: Si juxta 39. *Voluntas, quam gratia non prævenit, nihil habet luminis, nisi ad aberrandum .... virium nisi ad se vulnerandum*: si *est incapax ad omne bonum*? Adeò hallucinari, imò insanire in novæ hæreseos gratiam oportet homines universos, ut tam manifestè inter se pugnantia amplectantur.

4 Gemina hìc occurrit Quesnellianæ *Protestationis, & Querimoniæ* defensio, quòd neque qualemcumque, etiam proximam, & completam sinè gratia potestatem homini concesserit, sed remotam, *libero arbitrio essentialem*, & proinde ab eo inseparabilem, quæ cum defectu potentiæ proximæ, completæ, & simpliciter dictæ facilè concilietur; neque absolutè & simpliciter Quesnellus asserat, hominem sinè gratia bene agere posse; sed *si velit*, si bonum præ malo eligat.

Quæ gemina defensio non abstergit à Quesnello erroris malitiam; sed auget infamiam perfidiæ Jansenianis, & cæteris passim hæreticis maximè familiaris. Quod enim ad primam defensionis rationem attinet, frivola est in Quesnelli, & Jansenistarum omnium, atque ipsius Jansenii systemate, post negatam toties, & quotidie obstinatissimè impugnatam omnis boni operis sinè gratia facultatem, concessio cujusdam potestatis naturalis, libero essentialis arbitrio, & proinde nè ab eo quidem separabilis. De hac Eminentissimus Aguirre in Defensione cathedræ S. Petri disput. 21. sect. 1. contra emeritum quemdam De *Sancto Victore* sic enuntiat. *Quod verò ille allegat ex Jansenio* (de possibili præceptorum sinè suffi-

sufficiente gratia observatione) *solùm evincit, ipsum concessisse homini potestatem quamdam remotam ad implendum præcepta Dei, quam nequidem Lutherus, Calvinus, Beza, Sanchius, Molinæus, & Paræus, jurati Ecclesiæ catholicæ, & liberi arbitrii hostes negarunt.*

Ea boni operis finè gratia potestas est, qualem Chamierus Calvinista paucis dilucidè explicat tom.3. libro 7. cap. 6. asserens, *Omnes*, etiam finè gratia esse bonorum operum, atque ipsius *salutis capaces, potentiâ scilicet non proximâ; sed remotâ, ut omnes facti sunt musicæ capaces, etiam muti*: sive, ut Jansenii verbis utar lib.2. de gratiâ cap.1. qualis est *homini cæco, ut videat, vel surdo, ut audiat, vel tibiis fracto, ut rectè gradiatur*; quia scilicet in his omnibus est anima præcipuum loquendi, canendi, audiendi, videndi, gradiendi principium: neque illis, ut suppono, desunt organa, seu instrumenta operationum; sed deest solùm apta organorum dispositio. Necesse autem est, Novatorem istiusmodi apparere mortalibus omnibus fatuum, qui propter talem potentiam remotam credi velit, in muti positum esse libero arbitrio, ut loquatur, & canat: in surdi, ut audiat: in cæci, ut videat: in crurifragi, ut rectè gradiatur. Quæ omnia homini in talibus circumstantiis suppositis rectiùs *impossibilia* esse edixit Jansenius loco citato; monens pariter ob rationem similem, impossibilia voluntati esse Dei mandata: *Medicinali gratiâ nisi vires pristinæ restaurentur, tam est impossibile voluntati, ut benè velit, & operetur, quàm homini cæco, ut videat &c.* ut sup.

Attamen ad fucum faciendum simplicibus, & illudendum etiam Præpositis Ecclesiæ, ubi ad officium, beneficium, Sacrum Ordinem necesse fuerit profiteri in omnibus, præcipuè justis, perpetuam boni operis potestatem, negatâ etiam omni gratiâ, reperiunt in ipso Jansenio modum libro 3. de gratia Christi cap. 15. ubi suggerens tres potentiæ ad bona opera, & quidem supernaturalia gradus finè ulla gratia actuali, seu præstitâ, seu oblatâ, primum constituit in sola natura rationali, seu libero hominis arbitrio: secundum in habitu fidei pro fidelibus: tertium in habitu charitatis pro justis; sed qui gradus finè actuali gratia, & quidem efficaci juxta Jansenium, non plus potestatis tribuunt quàm *cæco, ut videat, surdo, ut audiat, vel tibiis fracto, ut rectè gradiatur*.

Nunc omnium ratione utentium fidem, & judicium appello, ut de Titio, quem noverint cæcum, surdum, crurifragum, statuant, an sensu inter homines recepto, dicendus sit habere liberam videndi, audiendi, rectè gradiendi potestatem; & an, si aliqui contra totius humani generis sensum affirmare præsumpserint, non sint dicendi eò *impudentiæ devenisse, ut veluti naturalis honestatis, nedum Christianæ sinceritatis obliti* videantur? Judicium istud æquissimum est CLEMENTIS XI. in Bullâ *Vineam Domini*, de Quesnello, & ejus Sectatoribus, tacito quidem nomine; sed ex materia, seu crimine illic reprehenso notissimis.

Similis impudentia iterum placet Quesnello, dum in solemni coram toto orbe *Querimonia, & Protestatione* asserit, *se agnoscere perpetuam in libero hominis arbitrio, tum benè, tum malè agendi, si voluerit, potestatem*; dum simul sustinet Propositione 38. *Peccator non est liber, nisi ad malum finè gratia liberatoris*. Prop. 39. *Voluntas, quam gratia non prævenit..... nihil habet virium, nisi ad se vulnerandum: est capax omnis mali, & incapax ad omne bonum*. Cujus utriusque articuli doctrina, utì Bajanis, & Jansenianis, ita Quesnello necessaria fuit ad stabiliendum unum ex præcipuis novæ Ecclesiæ fundamentis, quod omnia opera liberi arbitrii intrà ordinem naturæ, sive quæ non fiunt ex charitate, adeòque ex gratia supernaturali, esse peccata, quod perspicuè enuntiat Propositio 44. *Non sunt nisi duo amores, unde volitiones, & actiones omnes nostræ nascuntur: Amor Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur; & amor, quo nos ipsos, ac mundum diligimus, qui quod ad Deum referendum est, non refert, & propter hoc ipsum fit malus*.

CAPUT VIII.

Expenditur Conditionalis Quesnelliana:

Potest homo semper, si velit, seu bonum agere, seu malum.

1 NE Quesnellum existimes asserere opposita tam invicem, quàm Catholicæ veritati, cùm ait Propositione 40. *Sinè gratia nihil amare possumus, nisi ad nostram condemnationem*; quod pluribus supra relatis articulis confirmat; & tamen coram Urbe, & Orbe protestatur se agnoscere, quòd *homo semper in liberi arbitrii potestate habeat electionem, ut, si voluerit, ad bonum, malumque se convertat*: non enim dicit, hominem posse simpliciter, *sed posse, si velit*, & re ipsa *electurum bonum, si ve-*

si velit; quamvis velle nequeat. Hîc argutiarum sensus ex partibus quidem inter se utcumque cohærentibus constat; sed doctrinam nullatenus eximit anathemate; authorem verò multò magis exhibet bonis omnibus execrabilem. Quis enim enuntiari audiens, *semper in liberi potestate arbitrii esse*, *ut bonum*, *si voluerit*, *malumve amplectatur*, non intelligat, in liberi quoque potestate arbitrii semper esse, ut bonum velit, illudque præ malo eligat? Nam etsi enuntiatio hypothetica in rigore præscindat ab existentia prædicati absoluta, etiam possibili, ut in hypothesi chimærica verum sit *Deum posse peccare*, *si velit*, quia si, quod prorsus impossibile est, Deus amaret, seu vellet peccatum, illud committeret; Si quis tamen affirmaverit, *esse semper in libera Divini arbitrii potestate peccatum committere*, *si velit*; enuntiationem quilibet sapiens stultitiæ meritò arguet, & ad atheismum ducentis blasphemiæ.

Huic insipientiæ affine quidpiam habet cavillatio Quesnelli, qui, postquam tot modis clarissimis resuscitavit damnatum à Sancto Pio V., Gregorio XIII., & Urbano VIII. articulum Baji 27. *Liberum arbitrium sinè gratiæ Dei adjutorio, nonnisi ad peccandum valet*, quasi se damnationi subducere sperans, frivolum comminiscitur effugium, quòd homo sinè gratia liberum retineat arbitrium, cum quo conditus est; quòd *semper potest ad bonum se convertere*, *si voluerit*; idest, semper potest bonum velle, si velit, etiam dum velle minimè potest, neque à malo abstinere, etsi abstineret, si vellet. Quod idem est, ac si dixeris; bonum vellet etiam sinè gratia, si bonum vellet: abstineret à peccato, si abstineret.

2 Has inanes argutias, & sophistâ levissimo, quàm Theologo digniores Quesnellus didicit à Jansenio, qui postquam summo molimine conatus est perpetuam in omnes humanos actus inducere necessitatem, tamen libro 3. de Gratia Salvatoris cap. 15. *Constat* (inquit) *eodem planè modo etiam peccata à non habentibus gratiam sufficientem vitari posse . . . . . sed illa remotiore potestate, qua possunt ea vitare*, *si voluerint*. *Si enim noluerint*, *defectus est voluntatis*, *non potestatis*, *quàm voluntas supplere non possit*; etsi nequeat in his circumstantiis ferventioris concupiscentiæ, & debilioris, vel absentis gratiæ; quia *quod amplius nos delectat*, delectatione indeliberata concupiscentiæ sive terrenæ, sive cœlestis, *secundùm id*, juxta Jansenium, *velimus* deliberatè, *& operemur necesse est*.

Quòd autem Jansenius morali necessitate contentus minimè sit; sed physicam, & præsentibus peccantium viribus insuperabilem statuat, patet verbis ejus superiùs descriptis ex lib. 2. de Gratia Christi cap. 1. *Cujus medicinali gratia*, *& adjutorio nisi vires pristinæ restaurentur*, *tam est impossibile voluntati*, *ut bene velit*, *& operetur*, *quàm homini cæco*, *ut videat*; *vel surdo*, *ut audiat*; *vel tibiis fracto*, *ut rectè gradiatur*. Quesnello id maximè catholicum est, ut cætera ejusdem Episcopi, quantumvis impia, & hæretica dogmata, quibus post anathemata toties iterata triumphum de Romanis Pontificibus, & universa Ecclesia decernit, quasi *jam demum credere cœperit Orbis Catholicus nihil in ipso* (Jansenii sensu) *non esse catholicum*. Ita citatæ sæpius ejus *Notæ* typis editæ *in Epistolam Domini Steyaert* pagina 18. Ita novæ suæ Ecclesiæ novus Pontifex gratulatur.

Ut autem præter approbationem Janseniani voluminis adeò generalem, videas Quesnellum etiam citatis ex Jansenio comparationibus tam horridis consentientem, considera Propositionem 39. *Voluntas*, *quam gratiâ non prævenit . . . nihil habet virium*, *nisi ad se vulnerandum : est capax omnis mali*, *& incapax ad omne bonum*. Eum scilicet, qui *nihil habet* virium, potestate non morali solùm; sed etiam physica carere manifestum est. Nemo quoque inficiabitur, homini solis instructo viribus naturæ, operationem quamlibet supernaturalem esse non moraliter solùm; sed etiam physicè impossibilem, æquè ac homini sinè alis volare, sive, ut in Jansenii maneamus comparatione, *tam esse impossibile voluntati*, *ut bene velit*, *& operetur*, *quàm cæco*, *ut videat*; *vel surdo*, *ut audiat*; *vel tibiis fracto*, *ut rectè gradiatur*.

3 Quesnellum autem ad non peccandum in quolibet actu deliberato requirere vires naturâ superiores, evidens est ex Propositione 44. *Non sunt*, *nisi duo amores*, *unde volitiones*, *& actiones omnes nostræ nascuntur*; *amor Dei*, *qui omnia agit propter Deum*, *quemque Deus remuneratur*; *& amor*, *quo nos ipsos*, *ac mundum diligimus*, *qui quod ad Deum referendum est non refert*, *& propter hoc ipsum fit malus*.

Nonnè amor Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur, maximè juxta Quesnellum, debet esse ex supernaturali gratia, adeóque naturæ ordine, & viribus superior? Notissimus apud Lovanienses Quesnelli cliens est, qui ad eludendas Ecclesiæ contra Jansenium definitiones, discipulos docuit libertatem ad actus

actus quoslibet supernaturales sinè gratia, ut scilicet interrogati num agnoscerent, præcepta, etiam supernaturalia, homini semper esse observatu possibilia; semper omnibus liberum esse ea adimplere, possent fallacissimè affirmare, subintelligendo novitatem hanc inter Catholicos hactenus inauditam: *Nihil à veritate magis alienum est, quàm hac assertio: Ad libertatem requisitam ad actus fidei, spei, & charitatis omnes necessitatem gratia admittant necesse est.* Ita habet in Thesibus anni 1684. tertia Martii.

Nè verò autumes, agi de actibus, nescio quibus fidei, spei, & charitatis naturalibus, qui apud ipsum meritò Pelagiani sunt; *in Compendio Theologia*, à Sede Apostolica damnato, & à Quesnello post damnationem defenso, pag. 24. legitur: *Neque tamen est, quod sinè gratia sufficiente non essemus liberi ad supernaturalium præceptorum adimpletionem.* Ita præcipuus Arnaldi, & Quesnelli apud Lovanienses assecla, magnificum præ cæteris *Doctoris intrepidi* titulum promeritus. Verùm Theologi istius non unâ notati maculâ patrocinium efficere nequit, quin apud omnes sanæ mentis Theologos habenda sit putidissima cavillatio, qua feminas, & tirones imperitos fallere Quesnellus speret, dicens: *Semper in libero hominis arbitrio, etiam sinè gratia, esse, ut, si voluerit, bonum, malumve eligat*; etsi *nihil virium habeat, nisi ad se vulnerandum*, & *omnis volitio, & actio, quæ non nascitur* ex gratia, & *ex amore Dei omnia agente propter Deum, quemque Deus remuneratur*, necessariò *mala sit*.

4 Tam frivolæ argutiunculæ de potestate agendi sub conditione impossibili, authorem Quesnello, & ejus Sociis dedimus Jansenium; sed hìc eam accipere potuit à Riveto Calvini discipulo, Summ. controv. tract. 4. quæst. 3., cui præiverat Lutherus libro de servo arbitrio, & antea Vvikleffus; quamvis posterior in materia diversa. Vvaldensis enim tomo 1. libro 1. cap. 15. vocat *Glossam communem Vvikleffi, & generale emplastrum: sub hac*, inquit, *Glossa communi*, POTEST, SI VULT, *sedent omnes Vvikleffista securi*. Tum sic Vvaldensis interrogat: *Cur negas, Deum posse majorare mundum? Quod tamen potest; si, cùm vult, potest?* Respondet Vvikleffus: *Non potest; quia non vult, & nihil potest, nisi volens*. Vvaldensis: *Jam ecce supposui tibi, quod velit*. Vvikleffus: *Non potest velle; sed, si vult, potest*. Quod referens Franciscus Simonis libro de Fraudibus Hæreticorum parte 2. fraude 13. *Prob vitilitigatorem*, inquit, *graphicum*. *Imitatores habuit Lutherum, Rivetum, & quos non Hæreticos libertatis hostes?* In horum numero desiderari se non patitur Quesnellus; etsi ægrè ferat publicè nominari.

Quod in Protestatione addit de homine gratiâ destituto, & nihil virium habente, nisi ad peccandum: *Quod ad malum se determinet propriâ electione, propria voluntate corruptâ*, non plus rationis continet, aut bonæ fidei, quàm priora. Quando homo non potest bonum, quod præcipitur, eligere, atque ita transgressionem prohibitam declinare, nisi sub conditione hic, & nunc impossibili; *si velit*, qui velle in his circumstantiis non potest, deficiente dispositione necessariâ, quæ est Divinæ gratiæ adjutorium, quid in eo libertatis fingitur, ut malum evitare valeat? Quæ voluntatis propriæ electio, ac determinatio? Omnibus Catholicis semper placere debet illud Ennodii Ticinensis, à me sæpius relatum, ex Epistola ad Constantium: „ Inventus est, „ qui arbitretur, in una tantùm parte, quæ „ deterior est, eligendi datam esse licen„ tiam: O Schismaticam propositionem, „ quæ scriptas habet in fronte blasphe„ mias! Quæ ista libertas est, ubi hoc so„ lùm datur velle, quod puniat; aut quare „ electionem nominar, ubi unam tantùm „ partem asserit esse concessam? „ Diceres, Ennodium hic Quesnello lectionem, reprehensionemque præscripsisse; quæ enim hominis propria electio bonum inter & malum, absente gratiâ, cogitari potest, ubi *nihil virium est, nisi ad se vulnerandum: ubi est capacitas ad omne malum, & incapacitas ad omne bonum?*

5 Nè inter ipsa quidem mala electioni relinquitur locus, si subsistit axioma Jansenii, centies ab eo decantatum, & à Quesnello cum cæteris ejusdem Episcopi dogmatibus defensum, *Quod ampliùs nos delectat, secundùm id operemur necesse est*; ut, si fortior sit carnis indeliberata delectatio, quàm pecuniæ, vel honoris, non possit motivo avaritiæ, vel superbiæ vincere tentationem libidinis, nec inter vitia eligere. Unde sinè gratiâ potiùs à concupiscentiæ qualitate, & ardore determinatio ad malum in principio Adversariorum est, quàm ab hominis arbitrio, cujus tunc libertas ad bonum nulla est, ad malum determinatio inevitabilis.

6 Frustrà necessitatis invidia in naturæ corruptionem conjicitur; nam corruptio, quam ab Adamo contraximus, juxta doctrinam Ecclesiæ, non sufficit ad constituenda in hominibus lapsis peccata personalia, quæ

non aliam nacta fuerint libertatem, quàm singuli posterorum habuerimus in primo humani generis Parente: probatum id superiùs dedimus ex Doctore Angelico, & clara est Alexandri VIII. contra Jansenium, & ejus asseclas definitio damnans primum articulum inter 31. *In statu naturæ lapsæ ad peccatum formale, & demeritum sufficit ista libertas, qua voluntarium, ac liberum fuit in causa, seu peccato originali, & voluntate Adami peccantis.*

Multò minùs sufficere corruptio illa, & libertas potest in baptizatis, in quibus peccatum originis remissum, atque extinctum non potest maculam, & demeritum aspergere, uti nec tribuere libertatem actibus ex illâ necessitate sequentibus; Aliàs etiam motus concupiscentiæ indeliberati peccata forent, contra Catholicæ Ecclesiæ sensum in Tridentino Concilio declaratum sess. 5. can. 5. „ Manere in baptizatis concupiscentiam, vel fomitem hæc sancta Synodus „ fatetur, & sentit; quæ cùm ad agonem „ relicta sit, nocere non consentientibus; „ sed viriliter per Christi JESU gratiam „ repugnantibus non valet........ Hanc „ concupiscentiam, quam aliquando Apo- „ stolus peccatum appellat, sancta Synodus „ declarat, Ecclesiam Catholicam nunquam „ intellexisse, peccatum appellari; quòd ve- „ rè, & propriè in renatis peccatum sit; sed „ quia ex peccato est, & ad peccatum in- „ clinat. Si quis autem contrarium sense- „ rit, anathema sit „. Et inter Bajanos articulos, à tribus Pontificibus damnatos, est hic 50. „ Prava desideria, quibus ratio non „ consentit, & quæ homo invitus patitur, „ sunt prohibita præcepto, Non concupisces. 51. Concupiscentia, sive lex membrorum, & prava ejus desideria, quæ inviti sentiunt homines, sunt vera legis „ inobedientia „.

7 Neque recurrere Quesnellus potest ad *corruptionem voluntatis*, peccatis actualibus inductam; nam unde primis baptizatorum in infantia, ac dein ad usum rationis venientium peccatis libertas obveniet? Gratia efficaci caruêre, ut effectus docuit: sufficiens, juxta Quesnellum, nulla lapsis in Adamo hominibus concessa, aut præparata est: tertium genus gratiæ, quod neque efficax foret, neque sufficiens, frustrà fingeretur, utpote inutile, neque dignum Divinâ Sapientiâ, ac bonitate. *Sinè gratia* autem *nihil amare possumus, nisi ad nostram condemnationem* juxta Proposit. 40.; & juxta 39. *Voluntas, quam gratia non prævenit, nihil habet luminis, nisi ad aberrandum; ardoris, nisi ad se præcipitandum; virium, nisi ad se vulnerandum: est capax omnis mali, & incapax ad omne bonum.* Propos. 42. *Sola gratia Christi reddit hominem aptum ad sacrificium fidei: sinè hoc nihil, nisi impuritas; nihil, nisi indignitas.* Quomodo verò, quibus *viribus*, vel auxiliis misera voluntas sacrificium fidei offerre poterit *nihil virium habens*, derelicta à Deo sinè omni ope necessaria? Potestas enim eliciendæ fidei sinè adjutorio gratiæ, etiam ubi nullus actus illicitus præcessit, ac proinde nulla ab eo derivari potuit *corruptio voluntatis*, est Pelagiana.

Neque prætensa illa *voluntatis corruptio* liberare Quesnellum à censura potest; sed convictus de impietate, blasphemia, hæresi manet judicio etiam Emi Noailles, & Theologorum, qui à sexaginta annis in Sorbona gradum Academicum suscepêre; ut superiùs demonstratum est; si enim *corruptæ voluntatis* obtentus patrocinari Arnaldo non potuit, ut Petrum negationis reum faceret sinè omni gratia sufficiente, non magis poterit absolvere Quesnellum, dum hominibus in infantia baptizatis, dein primo rationis diluculo peccantibus omnem adimit cum gratia libertatem. Perspicuum enim est, nullam in illis designari posse præviam voluntatis corruptionem, ab actualibus inductam peccatis, cùm de primis potissimùm disceptatio sit, quibus nulla fingi poterunt anteriora.

8 Nulla juxta Quesnellum actio, vel volitio potest esse immunis à peccato sinè gratia. Atque hic omnem elabendi spem adimit Quesnello Propositio 44. *Non sunt, nisi duo amores, unde volitiones, & actiones omnes nostræ nascuntur; amor Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur; & amor, quo nos ipsos, ac mundum diligimus, qui, quod ad Deum referendum est, non refert, & propter hoc ipsum fit malus.* Quomodo primo actu, quo non retulimus ad Deum, quod ad ipsum fuerat referendum, satisfacere obligationi potuimus, & omissionem prohibitam evitare? Non potuimus sinè gratia, ut tam multis Propositionibus Quesnellus inculcat; gratia autem neque efficax, ut patet, neque sufficiens in Adversariorum hypothesi adfuit, vel præparata est; itaque obtentui *corruptæ voluntatis* jam omnis aditus præclusus est.

Nihil igitur apparet reliquum, quàm, ut Quesnellus, aut se *blasphemiæ, impietatis, hæreseos*, ipso Sorbonicorum judicio reum agnoscat, quibus censuris notata est assertio: *Defuit Petro tentato gratia, sinè qua nihil poterat*, aut damnatis toties erroribus re-

remittat nuntium. Posterius optare magis licet, quàm sperare, quando tam pertinax ejus in suis erroribus obfirmatio, ingenium tam indocile, superbia, & supremæ authoritatis contemptus tot annorum spatio inveteratus attenditur. *Semper*, juxta ipsum, justus, deficiente gratiæ auxilio, sinè quo præcepti impletio impossibilis est, *velle bonum poterit, si velit; etsi minimè velle possit*. Adeò scilicet liberalis novus Theologus cum sua nova Secta est, in concedendâ hominibus libertate, ut non minorem eis ad bonum tribuat (absente gratia, eaque omnipotente) quam ipse patiatur Omnipotens, ut se destruat, qui, si vellet, se redigeret in nihilum, etsi fieri nequeat, ut velit. Quæ monstra libertatis, & Theologiæ parit spiritus superbiæ, & præsumptionis!

CAPUT IX.

Responsio ad cæteras Quesnellianæ Protestationis, *&* Querimoniæ *objectiones*.

1 Accusantur Constitutionis Authores quasi „ Scopus eorum fuerit, „ sacratissimas Divinæ Sapien„ tiæ veritates, velut perniciosissimas im„ petere, expressas Joan. 8. versic. 34.: „ *Amen amen dico vobis, quia omnis, qui facit* „ *peccatum, servus est peccati*, & 36. *Si vos* „ *filius liberaverit; tunc verè liberi eritis*. „ Quibus nihil clarius est, nihil majoris so„ latii humilibus, qui sibi conscii Infirmi„ tatis, & simul spe christianâ pleni, à Ser„ vatoris meritis, & gratiâ omnia expe„ ctant „. Ita Quesnellus.

Verùm scopus Constitutionis, ejusque Sanctissimi Authoris plenus æquitate, sapientiâ, sanctitate, ubique elucet manifestior, quàm ut ulli probabili *querimoniæ* locus esse possit. Et quidem Propositionum, circa quas præsens versatur disputatio, sensus planissimus est, & patula perversitas, horrida consectariis inevitabilibus, & omni Catholico detestandis, ut ad Propositiones singulas à 38. usque ad 42. luculentissimè ostensum est, atque hic repetere supervacaneum. Nihil connexionis cum illis habent Evangelicæ veritates; sed distorta harum interpretatio, quæ ex Evangelio Christi fingeret Evangelium Jansenii, imò Diaboli.

Talis interpretatio consolationem fidelium, humilitatem, & fiduciam converteret in Lutheranam, & Quietisticam desidiam, ac morum deterrimam corruptionem; dum à solo Deo, & ejus gratiâ sic expectarent homines omnia, ut nullâ bonorum operum sollicitudine tangerentur, neque curarent vitare crimina: nam juxta Propositionem 40. *Sinè gratia nihil amare possumus, nisi ad nostram condemnationem*: *Gratia* autem, juxta Propositionem 9. *non est aliud, quàm voluntas omnipotentis Dei jubentis, & facientis, quod jubet*: juxta Prop. 10. *Gratia est operatio manûs omnipotentis Dei, quam nihil impedire potest, aut retardare*. Quæ Quesnellianæ Sacrorum Textuum explicationes non veritates Evangelicæ sunt, vel Apostolicæ; sed malesani figmenta ingenii, in quorum abolitionem meritò tanti Pontificis studium intendit.

An Propositio prima ideo primo loco collocata sit, quia cæteris omnibus perniciosior à Denuntiatoribus, & Censoribus judicata fuerat, ut suspicatur Quesnellus, an aliam ob causam, nolim temerè divinare; neque de hoc disputare operæ pretium est. Quæ contra Propositionem copiosè deduxi, perniciem ejus intolerabilem, & censuris gravissimis dignam convincunt. Cùm autem in ea non de actuali gratiâ sermo sit; sed de habituali, sive se ipsa justificante, quam solam propriè *amittimus* peccando, ut etiam illic ostenditur, frustrà Quesnellus, renitente usu communi, & significatione obviâ, nomine gratiæ illic intelligi desiderat actualem. Quapropter Propositio illa ad præsentem, quæ de libertate sinè gratia actuali est, controversiam propriè non pertinet.

2 De Propositione 38. quasi perfidè truncata Quesnellus queritur „ *In observa„ tionibus* (inquit) *moralibus* illam sic ex„ presseram; *Peccator non est liber, nisi ad* „ *peccandum, sinè gratia Liberatoris: ea sola* „ *ipsum ad boni operationem liberum facit*, „ *rumpendo vincula, quæ sibi propriâ fabri„ caverat voluntate*. Quare posteriorem „ partem omiserint Constitutionis archi„ tecti, non inquiro; perspicuum enim est, „ voluisse eos celari, quod de sola egerim „ servitute voluntaria: in qua non aliis ho„ mo constringitur vinculis, quàm patra„ torum à se criminum, & nascentium ex „ illis habituum, quos suis cupiditatibus, „ ac suâ voluntate contraxit. Credi volue„ runt, me dicere hominem peccato amisisse „ naturalem faciendi boni, & evitandi ma„ li potestatem, libero essentialem arbitrio, „ quam contra ipsos sustineo remansisse in „ homine post Adæ lapsum, ac semper per„ sistere sinè gratia, ut explicatum est. „ Ipsos quoque denuntiavi tanquam liberi „ arbitrii destructores „.

Digna

Digna Schismaticorum Duce querimonia est, tota ex vanissimis obtentibus, & fraudibus consuta. Pars, quam ab oratione sua rescissam queritur, non ejusdem Propositionis est; sed novam constituit, tum sensu, tum expressâ ab ipso Quesnello interpunctione disjunctam. Prioris significatio simplex, & absoluta est, atque à posteriore minimè pendens, ut cuilibet consideranti patet. Sed vide litigatorem pessimæ fidei, & nihil disputantem seriò, nihil studio religionis, sed rixandi tantummodo, & contradicendi, etiam notissimæ veritati.

Existimat scilicet, Lectorem *querelarum* suarum præstigiis fascinandum, adeò,ut non percipiat peccandi necessitatem in omnibus actibus sinè gratia, non ad solos à se Peccatores restringi, qui habitus pravos contraxerint, neque ex habitibus ullis pendere necessitatem; sed eam esse juxta Quesnellum, & Jansenianos cæteros, ex infirmitate naturæ, in origine, sive Adamo peccante vitiatæ; quæ infirmitas maneat etiam in justificatis, & suo pondere trahat continuò, ac vi insuperabili, nisi fortiore gratiæ auxilio, voluntati Deus robur addiderit. Produnt ea se Propositionibus trigesimâ nonâ, & tribus sequentibus prorsus illimitatis, quæ justos æquè afficiunt, ac peccatores.

3 Circa quod si altercari etiamnum Quesnello libuerit, postulo, ut edicat nunc saltèm candidè, an Propositiones maximè indefinitas, & dogmaticas de solis intelligi velit peccatoribus; qui pravorum actuum frequentatione, noxiorum habituum liberè sibi consciverint calamitatem: proinde, an falsam agnoscat acceptam universaliter de omnibus lapsis in Adamo hominibus, etiam in infantia baptizatis, neque dein in crimen mortiferum relapsis, Propositionem 40. *Sinè gratia nihil amare possumus, nisi ad nostram condemnationem*? An non etiam de talium voluntatibus agat Propositio 40. *Voluntas, quam gratia non prævenit, nihil habet luminis, nisi ad aberrandum; ardoris, nisi ad se præcipitandum; virium, nisi ad se vulnerandum: est capax omnis mali, & incapax ad omne bonum*? Non minùs de omnibus affirmat Propositio 41. *Omnis cognitio Dei, etiam naturalis, etiam in Philosophis Ethnicis, non potest venire, nisi à Deo; & sinè gratia non producit, nisi præsumptionem, vanitatem, & oppositionem ad ipsum Deum, loco affectuum adorationis, gratitudinis, & amoris*: ubi initio manifestus sermo est de omni cognitione Dei, & in quocumque mortalium reperiatur sinè gratia; quod verò de cognitione *naturali* additur, & de *Philosophis Ethnicis*, non est restrictio præcedentis; sed magis explicita ampliatio; non enim dicitur: *Omnis cognitio Dei naturalis in Philosophis Ethnicis*; Sed *omnis cognitio Dei, etiam naturalis, etiam in Philosophis Ethnicis*. Itaque omnis cognitio, sive naturalis, sive superioris ordinis, sive in justis, sive in peccatoribus; sive in Christianis, sive in Infidelibus, seu Ethnicis sinè gratia ad operandum, aut volendum bonum, non producit, *nisi præsumptionem* &c.

De omnibus quoque sinè discrimine inter justos, & peccatores asserit Propos. 42. *Sola gratia Christi reddit hominem aptum ad sacrificium fidei: sinè hoc nihil, nisi impuritas; nihil, nisi indignitas*. Cùm igitur Quesnellus ad Propositionem 38. clamitat, se non de quolibet *peccatore* asserere; quòd *non sit liber, nisi ad malum, sinè gratia Liberatoris*; sed de eo solo, qui peccatis frequentibus malos sibi habitus comparavit, quibus velut vinculis irretitus expedire se nequeat, ut bonum velit sinè gratia Redemptoris, non est veritatem pandere, sed tricis involvere, & tenebris mendaciorum.

4 Idem judicium esto de eo, quod ait, se non boni cujuslibet potestatem negasse sinè gratia; sed tantùm boni salutiferi. Quomodo clarius omnis boni honesti, vel quomodolibet innoxii, vel indifferentis actus liberi facultas, absente gratiâ, negari potuit, quàm asserendo, *nihil virium esse sinè gratia, nisi ad se vulnerandum? Sinè sacrificio fidei, nihil esse, nisi impuritatem, nihil, nisi indignitatem*?

Ex Prop. 44. discimus, juxta Quesnellum, omnem volitionem, & actionem esse malam, quæ non nascitur ex amore Dei omnia agente propter Deum, atque adeò malam esse omnem, quæ non nascitur ex gratia; quod multis Propositionibus in Constitutione sequentibus, damnatisque confirmatur..

Et quidem ipsa Propositio 38., quam velut cavillationibus suis præcipuè idoneam Quesnellus deligit, sive spectetur secundùm se, & in sensu obvio, sive juxta sensum Authoris tot alibi Propositionibus apertissimè expositum, significat, quòd nullus in Orbe sit peccator, non solùm consuetudine peccandi, & natis indè habitibus miserè implexus; sed etiam unius solùm reus criminis, quod nullum ante præcesserit, libertate sinè gratia pollens, *nisi ad malum*.

5 Interea Quesnellus *protestatur, se denuntiare Ecclesiæ eos, qui negant, post lapsum Adami remansisse essentialem liberi arbitrii, tum ad malum, tum ad bonum potestatem*, etiam

etiam finè gratia, *quemadmodum*, inquit, *à me explicatum eſt*. Non veretur hic Quefnellus iras, & cenfuras Vincentii Palæophili, aliàs *Ægidii Candidi* in libello, cui titulus: *Gratia triumphans de novis liberi arbitrii decomptoribus, inſtatoribus, deceptoribus*. Novit fcilicet, fe fatis ab illo, & cæteris Janfenii fectatoribus intelligendum, ut ipfemet Quefnellus fe explicat, de *poteſtate eſſentiali* folummodo, quæ nè à Deo quidem poteft auferri, ut rerum effentiæ funt immutabiles, etiam in infantibus, dormientibus, & fatuis.

Talem boni, & mali operis poteftatem fcimus à nullo hæretico negari, neque finè mendacio Quefnellus poteft afferere, fe de talis deftructione libertatis accufatum unquam, vel à Galliæ Epifcopis fuiffe, vel ab aliis. De peffumdatâ verò libertate indifferentiæ, quæ neceffitatis fimplicis expers, & hominis voluntati accidentalis eft, ab ea feparabilis, atque ad meritum, & demeritum neceffaria, Quefnellus non accufatur folùm; fed argumentis plurimis convincitur ad Propofitiones ferè fingulas, à me hactenus impugnatas. Quapropter contra notiffimam fibi veritatem conqueritur, & proteftatur, fe ob alterius deftructionem libertatis malè audire, vel ab adverfariis accufari. Poteftatem libero arbitrio effentialem, & foli oppofitam coactioni Calvinus, Lutherus, & quivis alius hæreticus æquè, ac Quefnellus, & omnes Catholici admittunt.

Ita Calvinus lib. 2. de libero arbitrio contra Pighium: *Si coactioni opponitur libertas, liberum arbitrium eſſe, & fateor, & conſtanter aſſevero, ac pro hæretico habeo, quiſquis ſecus ſentiat*. Quapropter nonnifi fomnia fua, vel dolofi figmenta ingenii, non verò ullius adverfarii fui errorem Quefnellus denuntiat cum Calvino; quamquam eò impudentiæ progreffus non eft Calvinus, ut abfolutè quempiam de ea accufaret, feu hærefi, feu potiùs ftultitiâ; fed fub conditione tantùm; fi fortè quis adeò defipuiffet. Hærefim autem neceffitatis fimplicis cum merito, & demerito compofitæ à Janfenio, & à Summis Pontificibus, universâ applaudente Ecclefia, damnatæ, Quefnellus nunquam evitaverit; nifi revocatis tot gratiæ definitionibus, cum cæteris non minùs abfurdis contra libertatem finè gratia pronuntiatis.

Nihil eft in reliqua hic Quefnelli *querimonia*, & *proteſtatione*, quod non ex datis hactenus refponfis fubrutum, protritumque Lector facilè perfpecturus fit. Alia nunc inftar novitas Janfenianam quodammodo fuperans, & propiùs accedens ad Quietifmum. Fortè hujus fectæ; quæ tunc non parum invaluerat, proceres conciliare fibi Quefnellus voluit, ut fic nova fua Ecclefia multitudine augeretur, & potentiâ, adeò, ut adverfarios fuos, & Summos Ecclefiæ Principes impofterum fecura contemneret.

Quadrageſimatertia Propoſitio damnata.

Primus effectus Gratiæ Baptifmalis eft facere, ut moriamur peccato, adeò, ut fpiritus, cor, fenfus, non habeant plus vitæ pro peccato, quàm homo mortuus habeat pro rebus mundi. *Obſerv. Mor. Roman. 6. verſ. 2.*

CAPUT I.

Propoſitionis error impugnatur.

1 Baptifmi quidem virtute fumus mortui peccato; *per hoc ſcilicet*, ut S. Thomas explicat, *quod peccatum eſt mortificatum in nobis*; fed tam mirificum præterea, quem Quefnellus memorat, Baptifmi effectum, quo *ſpiritus*, *cor*, *ſenſus non habeant plus vitæ pro peccato, quàm homo mortuus habeat pro rebus mundi*, nufquam docuit Apoftolus, nec ullus interpres Catholicus ex verbis Apoftoli collegit.

Infpiciamus textum à Quefnello indicatum. Rom. 6. quæfiverat Paulus verf. primo: *Quid ergo dicemus? Manebimus in peccato, ut gratia abundet?* Ad quod refpondit verf. 2.: *Abſit; ſi enim mortui ſumus peccato, quomodo adhuc vivemus in illo?* verf. 3. *An ignoratis, fratres, quia quicunque baptizati ſumus in Chriſto JESU, in morte ipſius baptizati ſumus?* verf. 4.: *Conſepulti enim ſumus cum illo per Baptiſmum in morte, ut, quomodo Chriſtus ſurrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus*. Ad quæ fic interpres Angelicus: *Poſtquam Apoſtolus oſtendit, quòd per gratiam Chriſti liberamur à peccato præterito,* tam

tam introducto per primum hominem, quàm etiam abundanti per legem, hic ostendit, quòd per gratiam Christi datur nobis facultas ad resistendum peccatis futuris.

Quis non videat, *liberationem à peccato præterito, & facultatem resistendi peccatis futuris*, differre plurimum ab eo, quod Quesnellus verbis Apostoli tribuit: *Spiritum, cor, sensus, non habere plus vitæ pro peccato, quam homo mortuus habeat pro rebus mundi*? Posterius significat, nulla in baptizatis esse desideria carnis, nullam sentiri concupiscentiam, neque sensuum luctam adversùs spiritum. Apostolus, interprete Angelico, & Ecclesiâ universâ, effectum Baptismatis agnoscit cum delictorum veniâ potestatem, ut desideria carnis non perficiamus, concupiscentiæ motus non sequamur, non succumbamus in certamine; de insensibilitate autem, quam adstruit Propositio, nihil vel in Sacris Codicibus, vel in Patrum traditione reperies.

Mox pergit Angelicus; *Primò assignat* (Apostolus) *rationem, quare non est nobis permanendum in peccato: Secundò concludit exhortationem intentam ibi, NON ERGO REGNET &c. Circa primum duo facit; primò assignat rationem, quare non sit in peccato permanendum; secundò ostendit, nobis inesse facultatem ad hoc, quòd non sub peccato maneamus*: ubi longè aliud est *exhortatio, & facultas ad non permanendum in peccato*; aliud, *sensus* adeò mortuos esse peccato, *ut non plus vitæ pro eo habeant, quàm homo mortuus habeat pro rebus mundi*.

2 Baptismi effectum acceperat Paulus, neque novo amiserat peccato, dum capit. 7., idest, immediatè sequente, suæ ingemiscens miserrimæ calamitati dicit: *Ego autem carnalis sum, venundatus sub peccato; Quod enim operor, non intelligo; non enim quod volo bonum, hoc ago; sed quod odi malum, illud facio; si autem quod nolo, illud facio, consentio legi; quoniam bona est; nunc autem jam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum. Scio enim, quia non habitat in me, hoc est, in carne mea, bonum. Nam velle adjacet mihi; perficere autem bonum non invenio; non enim quod volo bonum, hoc facio, sed quòd nolo malum, hoc ago*. Et paulò post; *Condelector enim legi Dei secundùm interiorem hominem; video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis. Infelix ego homo; Quis me liberabit de corpore mortis hujus?*

Dices: Apostolus, juxta Augustinum, loquitur in persona non sua, neque hominis justificati, sed peccatoris, & sub peccato constituti. Respondeo cum S. Thoma in caput 7. Epistolæ ad Rom. lect. 3. *Potest hoc verbum EGO AUTEM CARNALIS SUM, &c. dupliciter exponi: uno quidem modo, ut Apostolus loquatur in persona hominis in peccato existentis: & ita hoc Augustinus exponit in lib. 83. quæstionum; postea verò in libro contra Julianum exponit hoc, ut Apostolus intelligatur loqui in persona sua, id est hominis sub gratia constituti. Prosequamur ergo declarando qualiter hæc verba, & sequentia diversimodè possint utroque modo exponi, quamvis secunda expositio melior sit.*

Hanc etiam amplectitur Augustinus libro primo retractationum cap. 23., & lib. 6. contra Julian. cap. 11., ubi testatur eandem explicationem esse Sancti Hilarii, Gregorii Nazianzeni, & Ambrosii. Est quoque interpretatio Gregorii Magni lib. 19. Moral. cap. 6. Hieronymi lib. 2. contra Pelagium, Anselmi, Primasii, ac passim recentiorum, cui textus magis congruit. Minùs enim rectè diceret peccator *jam non ego operor illud peccatum*, & *condelector legi secundùm interiorem hominem*: *ego ipse servio mente legi Dei*: neque ex dictis concluderet, ut concluditur cap. sequenti: *Nihil ergo nunc damnationis est iis, qui sunt in Christo Jesu*.

Superiùs ostendi, interpretationem Angelici nihil commune habere cum observatione erronea Quesnelli. Nunc etiam exhibeo eidem prorsus contrariam; ita nempe Sanctissimus Doctor in cap. 7. Rom. lect. 3. ubi dixit in persona peccatoris, *Sic patet me esse servum peccati, in quantum peccatum in me quasi dominium habens operatur*; immediatè subjungit: *Et hoc quidem rectè, ac faciliter potest intelligi de homine sub gratia constituto*. (adeòque baptizato) *quod enim concupiscit malum, secundùm appetitum sensitivum ad carnem pertinentem, non procedit ex opere rationis, sed ex inclinatione fomitis*. Post multa: *Dictum est, quòd in me etiam per gratiam reparato peccatum operatur; sed intelligendum in me secundùm carnem simul cum appetitu sensitivo*. Repugnat itaque & Scripturarum textui, & Sancti Thomæ commentario observatio Quesnelli, quòd *primus effectus gratiæ baptismalis sit facere, ut spiritus, cor, sensus non habeant plus vitæ pro peccato, quàm homo mortuus habeat pro rebus mundi*.

3 Error hic accedit ad apathiam, seu veram insaniam Stoicorum, qui se fingebant inordinatis animi motibus carere, & ab omni immunes esse perturbatione. His partim successêre hæretici complures, ut Ma-

Manichæi, Joviniani, Pelagiani, Calvinistæ & spurcissima secta Quietistarum. De Manichæo Hieronymus epistola ad Ctesiphontem ait: *Hic suos electos dicit omni tempore carere peccato, nec si velint, posse peccare*. Pelagio in Palæstina Synodo objectum fuit, teste Augustino lib. de gestis Pelagii cap. 1. *Malum nec in cogitationem justorum venire*. Pelagius ut Concilii sententiam evaderet, vel eluderet, aliud se verbis istis non intelligere testatus est, quàm *debere studere Christianum nè mala cogitet*.

Plus tamen ab eo intentum fuisse discimus ex Hieronymo in Dialogo adversùs Pelagium sic eum alloquente: *Joviniani, O Pelagi! à te nunc hæresis suscitatur: & .... Joviniani secunda quæstio tui ingenii disciplina est*; videlicet *eos, qui sunt baptizati, non posse tentari*. Quos hæreticos in eo secutus est Calvinus, quod justos numquam posse excidere justitia affirmaret lib. 3. instit. cap. 2. *semine incorruptibilitatis Deus in perpetuum regenerat, ut numquam dispereat semen vitæ in eorum cordibus insitum*.

CAPUT II.

Propositionis error amplius convellitur comparatione ejusdem cum Quietismo: Proponitur suspicio de propositionis origine, seu occasione.

1 Dicere, Quesnellum succurrere voluisse Michaeli Molinos, qui, etsi quosdam etiam Catholicos, & pios initio deceperit, Jansenianos tamen præcipuè suffragatores habuit, cujus eximium specimen exhibet famosi in Belgio Jansenistæ liber „ Ultima vox Zelatricis „ innocentiæ, sive libellus supplex Fratris „ Eugenii Brugensis ad Innocentium XI. „ anno 1689.„ ubi pag. 115. legitur: „ Sicut „ (Jesuitæ) per vafrè fabricatas 5. propo„ sitiones doctrinam Jansenii Romæ procu„ rarunt damnari, ut per latus Jansenii do„ ctrinam Sancti Augustini à doctrina Jan„ senii revera inseparabilem, arietarent, & „ dejicerent; sic etiam fortassis multas „ propositiones Michaelis Molinos talibus „ terminis concepêre, quòd vix à positio„ nibus fundamentalibus à Sanctis Patribus „ Dionysio Areopagita, Augustino, & aliis, „ ac Theologiæ Mysticæ Doctoribus Bo„ naventura, Henrico Susone, Taulero &c. „ nobis propositis distingui possint, ita ut „ per condemnationem Molinos (quem „ aliqui magis infelicem, quàm nocentem „ autumant) & prætensæ ejus doctrinæ, „ videantur voluisse eliminare illud parum „ quod restat supernaturalis operationis „ Spiritûs Dei vivificantis. Sed quidquid „ conentur, quidquid machinentur, quid„ quid subdolè per se, & suos efficiant „ Patres Jesuitæ, spiritus, illis frendenti„ bus, ubi vult, spirabit. „ Spirat enim verò non Jansenismi solummodo, sed Quietismi quoque spiritus in hoc Fratre Eugenio, &, ut videtur, in Quesnello, juxta quem baptismatis effectus similis est effectui *viæ internæ* Quietistarum.

2 Sic nempe Michael Molinos propos. damnatâ 55. *Per hanc viam internam pervenitur, etsi multâ cum sufferentiâ, ad purgandas, & extinguendas omnes passiones; ita quòd nihil ampliùs sentitur, nihil, nihil; nec ulla sentitur inquietudo, sicut corpus mortuum: nec anima se ampliùs commoveri sinit*. De eo, qui mortuus est peccato adeò ut spiritus, cor, sensus non habeant plus vitæ pro illo, quàm homo mortuus habeat pro rebus mundi, non incongruè dicetur purgata, & extincta in eo omnis passio, ira ut nihil amplius inordinatorum motuum & ad peccata inclinantium sentiatur; *nihil, nihil*; nec ulla sentiatur ex illis inquietudo, sicut corpus mortuum; nec anima se ampliùs commoveri sinat.

Propositio Molinos 56. *Duæ leges, & duæ cupiditates, Animæ una, & amoris proprii altera tamdiu perdurant, quamdiu perdurat amor proprius: unde, quando hic purgatus est, quod fit per viam internam, non adsunt ampliùs duæ leges, & duæ cupiditates, nec alterius lapsus aliquis incurritur: nec aliquid sentitur ampliùs, nequidem veniale peccatum*. Ejusdem Hæresiarchæ propositio 58. *Per contemplationem acquisitam pervenitur ad statum non faciendi ampliùs peccata, nec mortalia, nec venialia*.

Si juxta Quesnelli articulum baptismus efficit, ut *spiritus, cor, sensus non habeant plus vitæ pro peccato, quàm homo mortuus habeat pro rebus mundi*, non sunt ampliùs in illo homine duæ leges, duæ cupiditates, nec alterius lapsus aliquis incurritur: nec aliquid sentitur ampliùs, nequidem veniale peccatum, atque ita per baptismum pervenitur ad statum non faciendi ampliùs peccata, nec mortalia, nec venialia.

Quid superest, nisi, ut, quantum attinet ad tales homines, abrogetur Sacramentum pœnitentiæ; imò illud ipsis impossibile fit, defectu materiæ, quæ sola complectitur peccata post baptismum commissa? Consecutionem legitimam agnoscere non audet

Quesnellus;est tamen magis legitima, quàm in hypothesi Molinos propos. 59. *Via interna sejuncta est à Confessione, à Confessariis, & à casibus conscientiæ &c.* Propositio ejusdem 60. *Animabus provectis, quæ reflexionibus mori cupiunt, & eò perveniunt, ut sint mortuæ, Deus Confessionem aliquando reddit impossibilem & supplet ipse tantâ gratiâ præservante, quantam in Sacramento reciperent. Et ideo ejusmodi Animabus non est bonum in tali casu ad Sacramentum pœnitentiæ accedere, quia id est illis impossibile.* Magis, inquam, legitima ratio est pro iis,quibus in Quesnelli sententia *baptismus* cum *primo* suo *effectu* obrigit; quia, ut dixi, defectu materiæ redditur his Sacramentum Pœnitentiæ non solùm inutile, sed etiam impossibile: animis autem in Quietismo, & ejus contemplatione provectis, quantumlibet supponantur perfectæ, ut nè levissimè quidem delinquant modò; superesse tamen potest confessionis materia sufficiens ex vita præterita, antequam ad eum suppositæ perfectionis apicem pervenissent.

3 Dimissis hypocritis,audiamus potiùs Augustinum serm. 6. de verbis Apostoli, *Restat* (post baptismum etiam piissimis) *cum carne conflictus; quia deleta est iniquitas; sed remanet infirmitas.* Salubriter quoque solicitos justos reddit, & simul consolatur illud S.Bernardi sermone de Sex tribul.*Peccatum in foribus est: nisi ipse aperias,non intrabit: appetitus in corde prurit; sed nisi sponte cesseris, nihil nocebit: consensum cohibe, nè prævaleant hæc; & immaculatus eris.*

Consolantur & Tridentini Patres sess.5. Decreto de Peccato originali, ubi testantur,*Ecclesiam Catholicam numquam intellexisse* (concupiscentiam) *peccatum appellari, quòd verè, & propriè in renatis peccatum sit; sed quia ex peccato est, & ad peccatum inclinat.* Denique Quesnello respondere possumus quod S. Hieronymus Pelagio in dialogo lib. 3. cap. 1. *Hoc scito, baptismum præterita condonare peccata, non futuram servare justitiam, quæ labore, & industriâ, & diligentiâ, & semper super omnia Dei clementiâ custoditur.*

4 Non videtur futurus temerarius,qui suspicabitur, non sola Michaelis Molinos, sed etiam Michaelis Baji damnata dogmata Quesnelliano errori occasionem præbuisse. Cùm nempe perspiceret novus Theologus, concupiscentiam, & motus ejus indeliberatos peccata pronuntiari à Bajo, suffragante Jansenio; & aliunde constet, omnia peccata remitti, atque extingui baptismate, nè censuras incurrisse videretur trium Pontificum, si palàm assereret, motus illos esse propriè peccata, fortè maluerit id tacitus supponere; atque, ut primus baptismi effectus est extinctio omnium peccatorum, sequelam posuit necessariam concupiscentiæ destructionem.

Baji Propositiones sunt hæc imprimis 50. *Prava desideria, quibus ratio non consentit, & quæ homo invitus patitur, sunt probibita præcepto NON CONCUPISCES.* Dein 51. *concupiscentia, sive lex membrorum, & prava ejus desideria, quæ inviti sentiunt homines, sunt vera legis inobedientia.* 75. *Motus pravi Concupiscentiæ sunt pro statu hominis vitiati probibita præcepto NON CONCUPISCES; unde homo eos sentiens, & non consentiens, transgreditur præceptum NON CONCUPISCES; quamvis transgressio in peccatum non deputetur.* 76. *Quamdiu aliquid concupiscentiæ carnalis in diligente est, non facit præceptum DILIGES DOMINUM DEUM TUUM IN TOTO CORDE TUO.*

Bajum ut passim in cæteris, etiam hìc secutus est Jansenius lib. 2. de Statu naturæ lapsæ cap. 24. dicens *Per præceptum NON CONCUPISCES, ipsi motus concupiscentiæ intelliguntur; ideoque illud præceptum solùm in Cœlo est complendum.* Ut autem juxta Quesnellum in *Notis* editis *in Epistolam Domini Steyaert* pag. 18. *adeò non persuadetur, sensum, ab Authore* (Jansenio) *intentum, esse hæreticum, ut jam demum credere cœperit Orbis Catholicus, nihil in ipso non esse Catholicum;* Quesnellus nè suos, quos delegerat Magistros, desereret penitùs, visus est utcumque indicare, concupiscentiæ motus esse peccata, quando primum baptismi effectum statuit eorum abolitionem, & vel omnem eorumdem tollit ab hominibus *SENSUM: Primus effectus gratiæ baptismalis est facere, ut moriamur peccato, adeò ut spiritus, cor, SENSUS non habeant plus vitæ pro peccato; quàm homo mortuus habeat pro rebus mundi.*

CAPUT III.

Frustrà recurrunt Adversarii ad Scripturam, & professionem in Baptismo fieri solitam.

1 Quesnelli *protestatio* contra Constitutionem UNIGENITUS pag. 333. sic enuntiat: „ Ut quis videat „ propositionem 43. esse meram „ Pauli Apostoli doctrinam, & veritatem, „ de qua nemini liceat dubitare, sola suf„ ficit Propositionis lectio: *Primus effectus* „ *gra-*

„ gratiæ Baptiſmalis eſt facere, ut moriamur „ peccato, adeò ut ſpiritus, cor, ſenſus non „ habeant plus vitæ pro peccato, quàm homo „ mortuus habeat pro rebus mundi. An non „ iſtud eſt quod ait Apoſtolus in Epiſtola „ ad Coloſſenſes cap. 3. *Quæ ſurſum ſunt* „ *ſapite, non quæ ſuper terram; mortui enim* „ *eſtis, & vita veſtra eſt abſcondita cum* „ *Chriſto in Deo . . . mortificate ergo mem-* „ *bra veſtra, quæ ſunt ſuper terram*. Et ad „ Rom. 6. *Exiſtimate vos mortuos quidem* „ *eſſe peccato, viventes autem Deo in Chriſto* „ *Jeſu Domino noſtro*. „

Adhortationem hic video, ut terrena non ſapiamus, non ea ſectemur; ſed cœleſtia, ut mortificemus vitia noſtra quæ membrorum nomine ab Apoſtolo appellantur. *Mortificate ergo*, inquit, *membra veſtra, quæ ſunt ſuper terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiſcentiam malam, & avaritiam, quæ eſt ſimulacrorum ſervitus, propter quæ venit ira Dei in filios incredulitatis: in quibus ambulaſtis aliquando cum viveretis in illis*. Sed nihil hic de inſenſibilitate, quæ, juxta Queſnelli articulum, *ſit primus baptiſmi effectus, adeò ut ſpiritus, cor, ſenſus, non habeant plus vitæ pro peccato, quàm homo mortuus habeat pro rebus mundi*. Senſum hunc textus Apoſtoli minimè exhibet, neque ullum hactenus videre licuit è SS. Patribus, aut ex Scholaſticis interpretem Catholicum, qui tam mirabilem, & à fide Eccleſiæ alienam tribuat Sacro textui ſignificationem.

2 Profectò non eſt ea Doctoris Angelici in eundem locum, lectione prima „ Quæ „ ſurſum ſunt (inquit) ſapite, non quæ ſu- „ per terram: adſtruit unum (Apoſtolus) & „ aliud negat. Sapit autem quæ ſurſum „ ſunt, qui ſecundùm ſupernas rationes „ ordinat vitam ſuam, & de omnibus ju- „ dicat ſecundùm eam. Jacobi 3. Hæc eſt „ Sapientia deſurſum deſcendens. Sapit „ autem quæ ſunt ſuper terram, qui ſecun- „ dùm terrena bona, omnia ordinat, & ju- „ dicat, judicans ea ſumma bona. Phi- „ lipp. 3. Et gloria in confuſione eorum, „ qui terrena ſapiunt, deinde cùm dicit: „ *mortui enim eſtis &c.* ponit rationem mo- „ nitionis.... mortuus enim huic vitæ non „ ſapit ea, quæ ſunt hujus mundi, ita & „ vos, ſi mortui eſtis cum Chriſto, ab ele- „ mentis hujus mundi Rom. 6. Exiſtimate „ vos mortuos quidem eſſe peccato, viven- „ tes autem Deo. „

Hic iterum monitio eſt, ut terrena non ſapiamus, ſicut mundani, *qui terrena judicant ſumma bona*; & ideo *ſecundùm illa, omnia ordinant*, ſtudia, conſilia, & operationes; nos autem cùm mortui ſimus mundo, & peccato, ſola deinceps cœleſtia ſapientes, eò noſtra omnia dirigamus. Iſta eſt mens Pauli certa, & ſanctiſſima adhortatio. Verùm ut nulla in nobis ſit etiam indeliberata ad malum propenſio, nullus SENSUS, neque præcipit Apoſtolus, neque ſuadet. Et quis æquus jubeat, aut ſapiens ſuadeat impoſſibile? Extincto originis peccato, remanſit infirmitas, teſte Apoſtolo, traditione Patrum, & freqnenti nimiùm baptizatorum omnium experientiâ. Infirmitatem autem, ut ex ipſo Paulo diſcimus, minimè levem, ſi Janſeniani cum affinibus ſibi Quietiſtis non ſentiunt, prodigium non minùs videbitur, quàm omnia, quæ in hiſtoria *Portûs Regii* referuntur miracula.

Et quidem, quod fidem magìs ſuperat, eſt, quòd tam ſublimis, tam mirabilis perfectio, non niſi primus Baptiſmi effectus, & gradus, quaſi infimus, in nova Eccleſia habeatur. Quales erunt effectus, & gradus cæteri infimo eminentiores? Magis verebuntur Catholici, nè prætenſa iſta inſenſibilitas, ut in morbis corporum ſolet, gravioris, & non facilè medicabilis mali indicium ſit. Si, ut Virgini Beatiſſimæ, aliquibus præterea Sanctis ea felicitas obtigit, ut nullos iræ, ſuperbiæ, libidinis, aut alterius cujuſcumque vitii motus ſenſerint, nullos paſſi ſint; ſingulariſſimus Divinæ bonitatis, & prorſus extraordinariæ electionis effectus æſtimabitur; non *primus*, & communiſſimus Baptiſmi.

3 Quid igitur à baptizatis, & fidelibus exhortatione ſuâ Apoſtolus deſideret, ut ſupra didicimus ex Aquinate, accipiamus etiam ab Auguſtino libro de Continentia cap. 13. *Talium mortuorum vox eſt*: *Vivo autem jam non ego, vivit verè in me Chriſtus. Quorum ergo vita abſcondita eſt in Deo, admonentur, & exhortantur, ut membra ſua mortificent, quæ ſunt ſuper terram per continentiam*; *ſcilicet concupiſceutiæ motibus non conſentiendo*; *ut, licèt ipſa noſtra cogitatio eorum quadam ſuggeſtione, & quaſi ſuſurratione tangatur*; *tamen ab eis nè oblectetur, avertatur*. Admonet, & exhortatur Apoſtolus, interprete Auguſtino, non ut mens noſtra nullorum *motuum* carnalium, ſeu *concupiſcentiæ ſuggeſtione, & quaſi ſuſurratione tangatur*, neque eos ſentiat; ſed, ut non *conſentiat*, non liberè *delectetur*. Ideo *avertendam* ab eis ſolicitè monet *cogitationem*. Similia habet Gregorius Magnus lib. 8. Moralium cap. 19. Sanctus Bernardus ſerm. 30. inter parvos; & quis non Scriptor aſceticus?

4 Quod adversarius objicit ex epistola ad Rom. cap. 6. nos cap. 1. præsentis controversiæ demonstravimus, nullatenus favere damnato dogmati, cui firmando, seu perfidè, seu temerè, certè immeritò allegatur in *Observationibus Moralibus* fundamentum.

Totius sexti capitis compendium hoc statuit Angelicus: *Postquam Apostolus ostendit, quòd per gratiam Christi liberamur à peccato præterito tam introducto per primum hominem, quàm etiam abundanti per legem; hic ostendit, quòd per gratiam Christi datur nobis facultas ad resistendum peccatis futuris*; atque adeò tentationibus, sive à Dæmone, sive à concupiscentia inhonestis motibus suscitentur. Sed nusquam promittitur, nusquam tribuitur ab Apostolo, vel alio Hagiographo *facultas*, seu *potestas* tentationes, & motus omnes concupiscentiæ excludendi; vel nè excitati sentiantur; sed, ut impediamus, quos subinde possumus; quos verò avertere penitùs non valemus, negato saltèm consensu libero aversemur.

5 Audiamus Augustinum lib. 4. de Symbolo ad Catechumenos cap. 1. „ Exclusus est inimicus de cordibus vestris: „ huic vos renuntiare professi estis, in qua „ professione non hominibus, sed Deo, & „ Angelis ejus conscribentibus, dixistis, „ RENUNTIO. Renuntiate non solùm „ vocibus, sed & moribus: non tantùm „ sono linguæ; sed & actu vitæ: nec tantùm „ labiis sonantibus; sed & operibus pronuntiantibus. Scitote, vos cum callido, „ antiquo, & veternoso inimico suscepisse „ certamen. Non in vobis post renuntiationem inveniat opera sua: non jure vos „ attrahat in servitutem suam; deprehenderis enim, & detegeris Christiane, „ quando aliud agis, & aliud profiteris: „ fidelis in nomine, aliud demonstrans in „ opere, non tenens promissionis tuæ fidem: modò ingrediens Ecclesiam orationes fundere; post modicum in spectaculis cum histrionibus impudicè clamare. „ Quid tibi cum pompis Diaboli, quibus renuntiasti? „

Effectus baptismalis hic perspicitur, *exclusio inimici de cordibus*: effectus alius; sed incertus, tum gratiæ baptismalis, tum propositi ab initiando eliciti, est non sequendi Diaboli castra. At insensibilitatis ab adversario assertæ nullum in effectibus Baptismi, nullum in elicito tunc proposito vestigium est. Insensibilitatem pro peccato non sapiunt *clamores impudici* quibus baptizati aliqui applaudebant histrionum spurcitiis, *fideles in nomine*, & susceptione Baptismatis; sed postea aliud demonstrantes in opere. Præterea monitio tam solicita de certamine cum callido, antiquo, & veternoso inimico, satis indicat, non reddi nos sacro fonte à tentationibus immunes.

Consonam hanc doctrinæ Apostolicæ & totius Ecclesiæ sententiam discere Augustinus potuit à Magistro suo Ambrosio, qui libro de iis, qui mysteriis initiantur cap. 2. ait: *Ingressus es regenerationis sacrarium; repete quid interrogatus sis: recognosce quid responderis: renuntiasti Diabolo, & operibus ejus; mundo, & luxuriæ ejus, ac voluptatibus: tenetur vox tua non in tumulo mortuorum; sed in libro viventium. Præsentibus Angelis locutus es: non est fallere: non est negare.* Ita Ambrosius Christianis omnibus in memoriam revocans quòd in Baptismatis Sacramento interrogati responderint, se renuntiare Diabolo, & operibus ejus; mundo, & ejus luxuriæ, atque voluptatibus; sed in omnibus interrogationum articulis, & totâ Baptizandorum professione nihil est de excludendis Diaboli tentatiouibus, de destruendis omnibus mundi illecebris, de impediendis omnibus luxuriæ, & voluptatum motibus, aut, quoties suborti fuerint, non *sentiendis*. Promittere quis potest, fore, ut se sponte incendio non committat; sed impedire nè ulla ignis scintilla fortuitò insiliat, non in cujuslibet semper potestate est; impossibile autem, ut insilientis scintillæ non sentiat ardorem. Obtigit quidem tribus pueris in fornace Babylonica felix insensibilitas, singularis divinæ potentiæ effectus; sed is promitti ab homine non potest, neque prudenti proposito decerni.

6 Alius doctrinæ Apostolicæ interpres occurrit S. Prosper, fidelis, omnium judicio, discipulus Augustini; libro de Vita contemplativa capite 21. *Quid est*, inquit, *mori peccato, nisi damnandis operibus omnino non vivere, nihil concupiscere carnaliter, nihil ambire; ut, sicut qui mortuus est carne, nulli jam detrahit, nullum aversatur, despicit; nullius pudicitiam callidâ circumventione corrumpit.... Sicut, inquam, carne mortuus, nec facere ea potest, quæ dixi, nec pati; ita & his, & talibus vitiis omnino non vivunt, qui viventes Deo carnem suam cum vitiis, & concupiscentiis crucifigunt.* Itaque, Prospero interprete, mori peccato, & vivere Deo, aliud non est, quàm remissione peccatorum obtentâ, quæ per Baptismi gratiam conceditur, *damnandis operibus* in posterum *omnino non vivere*, & inordinatis motibus non consentire; sed de iis penitùs excludendis, vel, quoties insurrexerint, non sentiendis, nulla

nulla in Scripturis facris, aut earum commentariis mentio eft.

7 Debetur autem ea fictio ingeniis quorumdam, quos fuperiùs memoravi veterum hæreticorum, quos fecuti recentiùs Quietiftæ, atque his fœdere juncti Janfeniani, illam in *moralis fuæ Euangelicæ compendium* tranftulerunt: & quidem hi tantâ confidentiâ, ut Quefnellus *proteftari* coram Deo, Angelis, & hominibus audeat, *Propofitionem* hanc, quam difcutimus, *effe meram Pauli Apoftoli doctrinam, & veritatem, de qua nemini liceat dubitare. Atque iftud*, inquit, *tam eft perfpicuum, ut fola Propofitionis lectio fufficiat*. Nos Propofitionem tenemus, & geminos Apoftoli textus eum Angelici Doctoris, Auguftini, Profperi, & aliorum Patrum interpretationibus, de quibus plura occurrent cap.4. & 5. Interim maneat indubitatum, quòd neque in facris textibus, neque in ullis Catholicorum commentariis vel minima appareat cum damnata Propofitione connexio.

8 Dum verò nos Quefnellus in hoc redarguit cæcitatis, difpiciat, an non ipfe plus teneat de fecta ILLUMINATORUM, à qua duxit Janfeniana initium. Conftat enim, Joannem Vergerium Sancyranum Abbatem fuiffe Magiftrum Janfenii, & cum eo quafi unum novæ Ecclefiæ caput. Extat autem juratum teftimonium religiofiffimi viri Joannis de Jovaud Ciftercienfis Ordinis Abbatis, & Secretarii datum anno 1638., in quo inter multa legitur, *Sancyranum ipfi jactaffe fæpius, quòd quæ enuntiaret dogmata, non ea ex libris didiciffet; fed legeret in ipfo Deo, qui eft veritas æterna; quòdque in omnibus fequeretur ductum interiorum ILLUMINATIONUM, inftructionum, documentorum, quæ fibi identidem à Deo fuggeri fentiebat ... tanta autem* (inquiebat Sancyranus) *mibi eft difcernendarum animarum prærogativa, ut quas femel obfervavi, dignofcam, electæne fint à Deo, an reprobatæ*.

Quidam De Troyes religiofi Ordinis N. *Apoftata* tefte Domino de Preville *in progreffu Janfenifmi* pag. 17. &, ut in teftimonio eft Domini de Jovaud, *imbutus errore ILLUMINATORUM* Parifienfi carcere dicto *la Baftille detinebatur*: *in ejus confuetudinem ajebat Sancyranus, fe adductum fuiffe prodigiis: enim fibi aperuiffe omnia fua fenfa: effe omnia fana, & eminentia: fe eum diu palàm defendiffe, & foviffe fubfidiis, atque ad hoc à Deo motum fe fuiffe, quin & Divino imperio impulfum; dein ob rationes alias deftitiffe quidem ab eo publicè propugnando; doctrinam tamen ejus femper fe probaturum tanquam admodum falutarem: Denique, fi Dominus De Troyes fit hæreticus, fe quoque hæreticum effe, utpote eadem cum ipfo fentientem*.

Hoc Ciftercienfis Abbatis teftimonium confirmatur alio Domini Colas de Pormorant Sacerdotis nobilis & Abbatis Commendatarii, qui manu pectori admotâ, & per facros Ordines jurans declarat „ Se coram „ audiviffe Abbatem Sancyranum debac„ chantem adversùs praxim Religioforum, „ & omnium hominum fpiritualium iftius „ temporis. Minimè, inquiebat Sancyra„ nus, intelligunt Euangelium, & femitas „ Jesu Chrifti: Ego Euangelium verè poffi„ deo, & perfectam fcriptorum à Paulo „ Apoftolo intelligentiam. Tum deplora„ bat conditionem hominum, fignificans „ omnes errare in tenebris, & femitas te„ rere à veritate remotiffimas. „ Plura de hoc *illuminatorum* Janfeniftarum Principe occurrunt in hoc opere fæpius, quem in eo, inter cætera, fequitur Quefnellus, quòd fe folum cum fui Voluminis approbatoribus, Apoftoli intelligentiam affecutum afferat; Sedem verò Apoftolicam, & omnes ei adhærentes Catholicos cæcutire, adeò ut *meram Pauli Apoftoli doctrinam* in damnato articulo tam perfpicuè elucentem, & in Lectoris ultro infilientem oculos non videant: adeò fimul ftupidos, ac malevolos facit Romanos Theologos, & fupremos Ecclefiæ Judices, ut *veritatem, de qua nemini dubitare liceat*, cenfuris ab Ecclefia arceant.

9 Nos verò iftiufmodi *Illuminatorum* thrafonifmos facilè contemnimus, nixi Scripturarum oraculis, traditione, & folidiffimâ Petrâ, fupra quam fundari Deus voluit Ecclefiam fuam, nè portis quidem inferi contra eam ullo tempore prævalituris. Quefnello autem optamus, non ut inflicta fuis dogmatibus, & propter contumaciam, etiam fibi, anathemata non *fentiat, plus quàm corpus mortuum*; fed potiùs ut ufulationem probè *fentiens fpiritus* velut è lethargo ad fe, atque ad faniora redeat confilia.

Qui *Obfervationes* edidit in *Conftitutionem UNIGENITUS* ab infigni orditur thrafonifmo fimili Quefnelliano, fiquidem author ille alius à Quefnello fit: *Si*, inquit, *Romani Cenfores ftuduiffent intelligendo capiti fexto Paulinæ epiftolæ ad Romanos, continuiffent fe ab infligendâ præfenti articulo cenfurâ, quæ fapientiæ, & ædificationis laudem nullo non tempore confequetur*. Addunt Janfeniana Hexapla, *ipfam pietatem dictaffe Patri Quefnello, ut Apoftoli fententiam de Baptifmo, qui figura eft mortis, & fepultura Chrifti, extenderet*

deret hac Propositione, quæ à CLEMENTE XI. proscribitur. *Dictaverat* & Luthero contra Ecclesiam argumenta *spiritus* quidam, sed qui an *ater esset*, *an albus* ignorare se fatebatur Lutherus; atque in eo apparet minùs impudens, quàm Jansenistæ, qui quod contra Sedis Apostolicæ, & orthodoxæ Ecclesiæ sensum temerè scripsit, & typis edidit Quesnellus, affirmare non dubitant dictata esse ab ipsa *pietate*, atque adeò à Spiritu Sancto. Sed parcant, quæso, clamoribus, & malesanas istiusmodi *Observationes*, *Querimonias*, *Protestationes* suspendant, donec saltèm vel unum Sanctum Patrem, aut recentiorem Scripturarum Interpretem, aliunde non suspectum invenerint, qui eam, quam damnata adstruit Propositio, insensibilitatem è Scripturis eruerit.

Ego quidem de me fateor, quòd à triginta, & ampliùs annis, dum publicum Scripturarum interpretem agerem, & Epistolam Pauli ad Romanos, quâ potui diligentiâ, anno integro discutiens, nihil in sacro Textu, oihil in ullo Catholico interprete invenire potuerim, quod foveret tam exoticam, & prorsus hæreticam opinionem de baptizatorum ab omnibus concupiscentiæ motibus liberatioue, vel, si excitati fuerint, insensibilitate. Proferant igitur adversarii, si fortè in sua disquisitione feliciores me fuerint, interpretem saltèm unum.

CAPUT IV.

Fraus adversarii perfida, & multiplex in Augustinianæ sententiæ objectione detegitur.

1 AUgustinus lib. 1. de Nuptiis, & concupiscentia cap. 33. num. 38. de homine baptizato dicit: „ Beata itaque olea, cujus remissæ sunt iniquitates, & cujus tecta sunt peccata: beata, cui non imputavit Dominus peccatum; sed illud, quod remissum, & tectum est, & non imputatur donec fiat in æternam immortalitatem plena mutatio, habet vim quandam occultam, unde seminetur amarus oleaster, nisi & illic eâdem Dei agriculturâ remittatur, tegatur, non imputetur. Non erit autem omnino aliquid vel in carnali semine vitiosum, cùm eadem regeneratione, quæ nunc fit per sacrum lavacrum, usque in finem cuncta mala hominis purgante atque sanante, eadem caro, per quam facta est anima carnalis, fiet spiritalis etiam ipsa, nullam legi mentis resistentem concupiscentiam carnis etiam ipsa habitura, nihil carnalis seminis emissura. Sic enim accipiendum est quod ait idem Apostolus Ephes. 5. v. 25. *Christus dilexit Ecclesiam, & se ipsum tradidit pro ea, ut eam sanctificaret, mundans eam lavacro in verbo, ut exhiberet sibi ipse gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid ejusmodi*. Sic, inquam, hoc accipiendum est, ut eodem lavacro regenerationis, & verbo sanctificationis omnia prorsus mala hominum regeneratorum mundentur, atque sanentur non solùm peccata, quæ omnia nunc remittuntur in Baptismo; sed etiam quæ posteriùs humanâ ignorantiâ, vel infirmitate contrahuntur; non ut Baptisma, quoties peccatur, toties repetatur; sed quia ipso quod semel datur, fit, ut non solùm antea, verùm etiam postea quorumlibet peccatorum venia fidelibus impetretur. Quid enim prodesset vel ante Baptismum pœnitentia, nisi Baptismus sequeretur; vel postea, nisi præcederet? In ipsa quoque oratione Dominica, quæ quotidiana est nostra mundatio, quo fructu, quo effectu diceretur *dimitte nobis debita nostra*, nisi ab eis, qui baptizati sunt, diceretur? Itemque eleemosynarum largitas, & beneficentia quantalibet cui tandem ad dimittenda sua peccata prodesset, si baptizatus non esset? Postremò regni cœlorum ipsa felicitas, ubi non habebit Ecclesia maculam, neque rugam, aut aliquid ejusmodi: ubi nihil reprehensionis, nihil simulationis erit: ubi non solùm reatus; sed nec concupiscentia erit ulla peccati; quorum erit, nisi Baptizatorum?

2 Prolixior à me reddita est Augustini sententia, quàm ab adversario *in observationibus* contra Constitutionem UNIGENITUS citetur; quia, dum consideratur integra, sensum facit indubiè Catholicum; videlicet, quòd omnia nobis bona, per Baptismum fiant utilia; nam pœnitentia, quæ Baptismo præmittitur, per eum fit salutifera; uti & quæ dein agitur à relapsis. Per Baptismum scilicet efficimur Sacramenri pœnitentiæ, & absolutionis in eo recipiendæ capaces. Præterea Baptismus præstat bonis operibus fructum. Denique idem regenerationis mysterium per gratias, quæ ejus intuitu conceduntur, æternæ nobis beatitudinis causa est.

Hinc interrogat Augustinus: *Regni cœlorum ipsa felicitas, quorum erit, nisi Baptizatorum? Nisi enim quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei*,

Dei, ut dicitur Joan. 3. quod Augustinus alibi pluribus deducit, atque inculcat Catechumenis, propterea quòd aliqui diabolicâ fraude, & superbiâ circumventi, fiderent operibus suis bonis, dum Baptismum differrent nimiùm, & negligentiâ temerariâ quodammodo contemnerent, quasi sibi prodessent sua opera sinè lavacro. Contra similes Augustinus.tr.13.inJoan.ait *Quantumcunque catechumenus proficiat, adhuc sarcinam iniquitatis suæ portat: non illi dimittitur, nisi cùm venerit ad Baptismum: quomodo non caruit populus Israel populo Ægyptiorum, nisi cùm venisset ad mare rubrum; sic pressuris peccatorum nemo caret, nisi cùm ad fontem Baptismi venerit*. Unde Bajus errandi occasionem accepit, ut, quod Augustinus de Catechumenis istis, in negligendo nimiùm Baptismo temerariis, enuntiat, extenderet ad omnes; quasi ante Baptismum reipsa susceptum nulli obtingeret justificatio, ut exprimit damnato suo articulo 33. *Catechumenus justè, rectè, & sanctè vivit; & mandata Dei observat, ac legem Dei implet per charitatem ante obtentam remissionem peccatorum, quæ in Baptismi lavacro demum percipitur.* Ubi præter Baptismum fluminis Bajus videtur ignorare alium flaminis.

3 Verùm, ut ad Augustini sententiam ab adversario objectam redeamus, postquam Sanctus dixerat, quod adversarius subdolè reticet, de Beatorum statu, quòd ibi *fiet in æternam immortalitatem plena mutatio*; de eodem mox addit quod nobis objicitur: *non erit omnino aliquid in carnali semine vitiosum .... cum eâdem regeneratione .... eadem caro, per quam facta est anima carnalis, fiet spiritalis etiam ipsa, nullam legi mentis resistentem concupiscentiam carnis etiam ipsa habitura, nihil carnalis seminis emissura .... postremò, ut dixi, ipsa regni cœlorum felicitas, ubi non habebit Ecclesia maculam*, nè in minimo quidem suorum illic membrorum, *nec rugam, aut aliquid ejusmodi: nihil simulationis erit: ubi non solùm reatus, sed nec concupiscentia erit ulla peccati*.

Sermonem hìc esse de perfectione Baptizatorum, non quæ in exilio est, sed quæ erit in cœlesti patria, liquet adeò manifestè, ut incidere nulli valeat prudens dubitatio, si Augustini sententia legatur integra, ut à me relata est.

Vidit hoc adversarius; at, ut hæreticis fixum est, non Patrum sequi placita; sed ea omni fraudum genere corrumpere, quo simplicibus existimentur favere novitati; ideo omittit illa, ex quibus patere statim posset, agere Augustinum *de plena mutatione* animæ, & corporis, quæ in hac vita corruptibili sperari non potest; sed *fiet in æternam immortalitatem*. Pari perfidia rescindit sequentia, quæ velut digito monstrant agi *de ipsa felicitate regni cœlorum; ubi Ecclesia* erit *gloriosa*, & *non habebit maculam, neque rugam, aut aliquid ejusmodi*, in ullo suorum: *ubi non solùm reatus, sed nec concupiscentia erit ulla peccati*.

4 Non solâ antecedentium & consequentium omissione terminatur adversarii fallacia; sed ipsius relati textûs infideli versione certissimè convincitur: quod scilicet Augustinus asserit de *carne nihil carnalis seminis emissura*, adversarius vertit galliceè *elle n'eprouvera plus les ardeurs de cette concupiscence, qui resiste à la loix de l'esprit*. Quasi Augustinus de Baptizatorum, etiam præsenti statu diceret: illa caro non sentiet amplius ardores istius concupiscentiæ, quæ resistit legi mentis.

Viderat homo callidus istud, quod ab Augustino asseritur de non futura amplius *emissione seminis*, monstrare nimis perspicuè agi de Baptizatorum statu, qui *in æterna immortalitate* est, non qui in corruptibili corpore; ideo *emissionem seminis* vertit in *sensum* tantummodo *ardoris illius concupiscentiæ, qua resistit legi mentis*. Si nempe verba Augustini, ut probum relatorem & interpretem decet, reddidisset fideliter, objectionis fraus, vel stultitia apertè nimis omnium oculis patuisset; cui enim mortalium sanæ mentis umquam incidit, ut affirmaret, Baptizatos *nihil carnalis seminis emittere*; in eo supposito abrogarentur Baptizatorum nuptiæ, & generatio. Si autem, ut debuerat, Augustinum gallicè exposuisset, fatendo eum agere de statu Beatorum, servire is Augustini textus minimè poterat ad removendum omnem concupiscentiæ sensum à Baptizatorum statu etiam præsenti, & mortali, de quo damnata agit Propositio.

5 Præcipuum arietem, quo Constitutionem dejiciat ipsis Augustini verbis adversarius conficit de *regeneratione usque in finem, cuncta mala hominis purgante, atque sanante*. Unde, inquit, manifestè sequitur Quesnelli Propositio: *Primus effectus gratiæ baptismalis est facere, ut moriamur peccato, adeò, ut spiritus, cor, sensus non habeant plus vitæ pro peccato, quàm homo mortuus habeat pro rebus mundi*. Quid enim aliud est *cuncta mala hominis purgari, atque sanari*? Malorum scilicet purgatio, remissio peccatorum est tum quoad culpam, tum quoad debitum pœnæ; sanatio autem est liberatio ab infirmitate, & quocumque vulnere animi,

animi, quale est concupiscentia, & omnis habitus pravus cum solitis inde oriri inordinatis motibus; aut, si subinde oriuntur, nullum sensum exprimunt, nullam animi perturbationem baptizato.

Hæc omnia continentur brevi isto gratiæ baptismalis encomio, speciosissimo certè, si non foret à veritate catholica alienum: *Primus effectus gratiæ baptismalis est facere, ut..... sensus non habeant plus vitæ pro peccato, quàm homo mortuus habeat pro rebus mundi.*

Augustinus quidem sanationem omnium malorum tribuit gratiæ baptismali; sed nusquam dicit, hunc esse *primum* ejus *fructum*. Quibuscunque obtigerit æterna felicitas, ea juxta Augustinum provenit ex baptismo: *Regni Cœlorum ipsa felicitas.... ubi non solùm reatus; sed nec concupiscentia erit ulla peccati, quorum erit nisi baptizatorum?* Ipsaque concupiscentiæ extinctio in beatis adscribitur quidem gratiæ baptismali; sed ubinam Augustinus, aut ullus catholicus asserit, eam à concupiscentia liberationem baptizatis omnibus obvenire in vita mortali; atque hunc esse *primum baptismalis gratiæ effectum*?

Concupiscentiæ sanatio, qualis baptizatis passim conceditur in hoc exilio, admodum imperfecta est, neque simul statim integra præstatur, velut *primus baptismatis effectus*; sed paulatim minuitur vitium operibus virtutum, jejuniis, vigiliis, ciliciis, verberibus, aliisque corporis molestiis, studiosâ quoque sensuum custodiâ, multâ oratione: quæ quidem omnia, si gratiæ potissimùm baptismali tribueris, non repugnabo, modò cum catholicis omnibus agnoveris, sanationem illam concupiscentiæ neque statim integram absolvi, velut primum baptismatis, vel baptismalis gratiæ effectum; sed paulatim multis bonorum operum exercitiis obtineri: neque talem in hac vita esse, qualem damnata adstruit Propositio, ut *spiritus, cor, sensus, non habeant plus vitæ pro peccato, quàm homo mortuus habeat pro rebus mundi*. Ea perfectio reservatur patriæ, & statui beatorum, cujus felicitatis æterna possessio cùm etiam ab Augustino inter baptismatis fructus numeretur, ut cæterorum omnium complementum; perfecta quoque concupiscentiæ sanatio referri ad baptismi gratiam poterit, non velut *primus* ejus, & communissimus *effectus*, sed inter ultimos, & solis proprius prædestinatis.

6 *Sanatio cunctorum malorum*, quæ ab Augustino velut baptismi gratia prædicatur, vel ejus effectus, si ad sanationem etiam concupiscentiæ in hac vita extenditur, similis intelligenda est quorumdam sanationibus morborum, qui habentur nullâ humanâ arte ita medicabiles, ut tollantur penitùs, quamvis mitigentur, transeunte æstu, seu actu, manente tamen semper habitu, seu radice, ex qua infirmitas identidem repullulat. Sic concupiscentia mitigari in hac vita potest; sed non exstirpari penitùs, neque impediri, nè aliquando in motus prosiliat vitiosos, quibus sensus omnis ab homine, etiam baptizato, negari non potest; sed solummodo consensus.

7 Evidens de hoc est doctrina Ecclesiæ, atque ipsius S. Augustini ipso libro 1. *de Nuptiis. & concupiscentia* qui ab adversario objicitur. Sic habet Sanctus cap. 25.
„ Si autem quæritur, quomodo ista concupiscentia carnis maneat in regenerato, „ in quo universorum facta est remissio „ peccatorum, respondetur remitti concupiscentiam carnis in baptismo, non, ut „ non sit; sed ut in peccatum non imputetur. Quamvis autem reatu suo jam soluto, manet tamen donec sanetur omnis „ infirmitas nostra, proficiente renovatione interioris hominis de die in diem, „ cùm exterior induxerit incorruptionem; „ manet in corpore mortis hujus carnalis „ concupiscentiæ, cujus vitiosis desideriis „ ad illicita perpetranda non obedire præcipimur, ut regnet peccatum in nostro „ mortali corpore; quæ tamen concupiscentia quotidie minuitur in proficientibus, & continentibus, accedente „ etiam senectute multò maximè.„

Cap.26. „ In eis ergo, qui regenerantur in Christo, cùm remissionem accipiunt „ prorsus omnium peccatorum, utique necesse est, ut reatus etiam hujus, licèt „ adhuc manentis concupiscentiæ, remittatur, ut in peccatum, sicut dixi, non „ imputetur.„

Cap.27. „ Agit enim aliquid concupiscentia carnis, & quando ei non exhibetur, vel cordis assensus ubi regnet, vel „ membra velut arma quibus impleatur, „ quod jubet; agit autem, quid, nisi ipsa „ desideria mala, & turpia? Non enim, si „ bona, & licita essent, eis obedire prohiberet Apostolus, dicens: *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore ad obediendum desideriis ejus*: non enim ait ad habenda desideria ejus, *sed ad obediendum desideriis ejus*: ut, quoniam sunt in aliis „ majora, in aliis minora, prout quisque „ in hominis interioris novitate profecerit

„ rit, in hoc agonem justitiæ, pudicitiæ-„ que servemus, nè illis obediamus .... „ quia concupiscere nolebat (Apostolus) „ & tamen concupiscebat; sed eidem „ concupiscentiæ nequaquam consentien-„ do serviebat, adjunxit, atque ait: *jam* „ *non ego operor illud, sed quod in me habitat* „ *peccatum.* „

Cap. 29. „ Ad hoc ergo dixit lex, *non* „ *concupisces*, ut nos in hoc morbo inve-„ nientes jacêre, medicinam gratiæ quære-„ remus, & in eo præcepto sciremus, & „ quo debemus in hac mortalitate conari, „ & quo possit à nobis in illa immortalita-„ te beatissima perveniri. „

Cap. 30. „ Mihi adjacet malum, quod „ nolo; quia & nolens concupisco; *con-*„ *delector enim*, inquit (Apostolus) *legi* „ *Dei secundùm interiorem hominem*; *video* „ *autem aliam legem in membris meis repu-*„ *gnantem legi mentis meæ, & captivantem* „ *me sub lege peccati, quæ est in membris* „ *meis.* „

Cap. 31. „ Si omnino nihil carnis no-„ stræ captivum teneretur, non quidem sub „ diabolo, quia & ibi facta est peccati re-„ missio ..... tamen sub ipsa lege peccati, „ hoc est sub concupiscentia sua, nisi ali-„ quatum teneretur caro nostra captiva, „ quomodo esset verum, quod ait idem „ Apostolus, *adoptionem expectantes, red-*„ *emptionem corporis nostri*? In tantum „ igitur adhuc expectatur redemptio cor-„ poris nostri, in quantum adhuc ex aliqua „ parte captivum est sub lege peccati. Un-„ de & hic exclamans ait: *Infelix ego homo*, „ *quis me liberabit de corpore mortis hujus*? „ *Gratia Dei per JESUM Christum Domi-*„ *num nostrum.* Ubi quid intellecturi su-„ mus, nisi quia corpus, quod corrumpitur, „ aggravat animam? Cùm ergo idipsum „ corpus tam incorruptibile recipietur, „ plena erit liberatio à corpore mortis „ hujus: quia ipsa vitiosa concupiscentia, „ nulla omnino remanebit; caro autem „ nostra ab ea peste, morboque sanata, & „ tota immortalitate vestita in æterna bea-„ titodine permanebit.

„ Subjungit autem Apostolus, & di-„ cit: *Igitur ego ipse mente servio legi Dei*, „ *carne autem legi peccati*. Quod sic intel-„ ligendum est, mente servio legi Dei, non „ consentiendo legi peccati; *carne autem* „ servio *legi peccati*, habendo desideria „ peccati, quibus etsi non consentio, non-„ dum tamen penitùs careo. Denique „ quid post hæc intulerit, attendamus: „ *Nulla ergo*, inquit, *condemnatio est, nunc* „ *his, qui sunt in Christo JESU*: etiam nunc, „ inquit, quando lex in membris repugnat „ legi mentis, & captivum aliquid tenet in „ corpore mortis hujus, nulla condemna-„ tio est iis, qui sunt in Christo JESU: au-„ di quare: *Lex enim spiritus vitæ*, inquit, „ *in Christo JESU liberavit me à lege pecca-*„ *ti, & mortis*. Liberavit: quomodo, nisi „ quia ejus reatum peccatorum omnium „ remissione dissolvit, ut, quamvis adhuc „ manet, & de die in diem magis, ma-„ gisque minuatur, in peccatum tamen „ non imputetur? „

8 Ecce Quesnelli Propositionem tot Capitibus ab ipso convictam Augustino: juxta illam *primus effectus gratiæ baptismalis est efficere, ut moriamur peccato, adeò, ut spiritus, cor, sensus non habeant plus vitæ pro peccato, quàm homo mortuus habeat pro rebus mundi*; atque ita nihil molestiæ patiatur, nihil tentatioois à concupiscentia, utpote quæ penitùs emortua sit, & in motus spiritui contrarios amplius prorumpere nequeat, aut, si quos excitet, adeò debiles sint, & remissi, ut non magis sentiantur, quàm res mundi ab homine mortuo.

Mira hæc Quesnelli, & inter catholicos inaudita novitas est, contra quam Augustinus cap. 25. *Concupiscentia carnis*, inquit, *manet in regenerato, donec sanetur omnis infirmitas nostra*, non statim baptismi primâ gratiâ; sed *proficiente renovatione interioris hominis de die in diem, cùm exterior induerit incorruptionem* non in via; sed in termino. Aliàs *manet in corpore mortis hujus carnalis concupiscentia, cujus vitiosis desideriis ad illicita perpetranda non obedire præcipimur*; sed iis resistere fortiter, ut faciamus cum tentatione proventum. *Quæ concupiscentia quotidie minuitur in proficientibus, & continentibus, accedente etiam senectute multo maximè*; sed non nisi cum mortali vita penitùs extinguitur ..... Cap. 26. *in regeneratis in Christo adhuc manet concupiscentia*. Cap. 27. etiam in iisdem *agit aliquid concupiscentia carnis, quando ei non exhibetur cordis assensus; agit autem, quid, nisi ipsa desideria mala, & turpia*? quæ *sunt in aliis majora, in aliis minora, prout quisque hominis interioris novitate profecerit*: Ubi semper agitur de baptizatis; *quia concupiscere nolebat* (Apostolus) *& tamen concupiscebat; sed eidem concupiscentiæ nequaquam consentiendo serviebat, adjunxit, atque ait, nunc autem non ego operor illud; sed, quod in me habitat, peccatum.*

Alio igitur feliciore baptismate initiari oportet Quesnellianos, quàm Apostolum;

R Si

Si illos omni tentationum interiorum molestiâ eximit, dum ablutio Apostoli relinquebat in illo concupiscentiam, unde tot profluerent desideria turpia, quæ talem ei sensum imprimerent, ut sentiret velut Angelum Satanæ se molestissimè colaphizantem, & suæ ingemiscens miseriæ identidem expeteret à tam molesto sibi corpore liberari. Non prosequar annotationes similes in cætera Augustini superiùs relata à me capita, quia ex jam deductis Lectori cuilibet id facilè fuerit, atque indè Quesnelli articulum de manifesta, & Augustino maximè contraria falsitate convincere.

9 Etsi autem objecta Augustini sententia nihil omnino præsidii afferat damnato errori; nobis tamen non inutilis ea machinario est, tum ut, eâ detectâ, magis pateat adversariorum perfidia; dum, quæ ignorare non possunt, ab Augustino tribui statui beatorum, ad viatores quoslibet baptizatos transferunt, tanquam *primum baptismalis gratiæ effectum*. Sed transferunt corruptione sensûs, verborumque intolerabili. Denique dum perfecta concupiscentiæ sanatio, quæ beatis propria est, communis redditur baptizatis omnibus, tanquam *primus baptismalis gratiæ effectus*, confirmamur in opinione de spiritu adversariorum hæretico, & ad Quietismum proximè accedente. Unde neque conqueri poterunt, nos verba articuli sensu nimiùm rigido, qui proprius, & obvius est, accipere, dum ipsi impudentissimis vindiciis eundem apertiùs suscipiunt stabiliendum.

CAPUT V.

Frustrà confugiunt Adversarii ad Gregorium Nyssenum, Basilium, Chrysostomum.

1 QUæ *Observationibus* superiore capite refutatis successêre Hexapla, prætermiserunt Augustini sententiam; indubiè, quia nihil sibi ab illa subsidii accedere Author conspicatus est; sed non prætermittit citatum in iisdem *Observationibus* Gregorium Nyssenum Oratione de Sancto Baptismate dicentem „ Ubi senserimus (Diaboli) incursus, convenit Apostolicum dictum nobis metipsis subjicere: *Quicumque in Christo JESU baptizati sumus, in morte ipsius baptizati sumus.* Quòd si conformes morti ejus facti sumus, mortuum prorsus deinceps in nobis peccatum est „. Tum inducitur baptizatus sic alloquens Diabolum tentantem „ Fuge igitur à nobis execrande, atque infauste; mortuum enim spoliare vis, qui olim se tibi conjunxerat, qui propter voluptates olim sensum amiserat: mortuus corpora non amat: mortuus non capitur divitiis: mortuus non calumniatur: mortuus non mentitur: non rapit ea, quæ ad se non pertinent: non convitiatur sibi obviàm factis. Aliam vitæ regulam, aliam morum institui normam: didici res mundanas contemnere; terrena prætercurrere, & ad cœlestia festinare. Hæc animæ verè regeneratæ verba: hæ recens initiati hominis voces, proprium pactum memoriâ tenentis: quod pactum in traditione mysterii cum Deo fecit, cùm omnem, & pœnam, & cruciatum, & voluptatem pro illius dilectione se neglecturum esse promisit. „ Quæ prolixiùs quàm uterque adversarius, ex S. Gregorio describere volui, ut magis patesceret objectionis vanitas.

Aliud scilicet est, mori nos peccato, sive peccatum in nobis mortuum esse; aliud, mortuam in nobis esse concupiscentiam, adeò, ut nihil in nobis deinceps pravorum motuum excitet; neque nos quidpiam illorum sentiamus. Jactent hoc de se, & mentiantur hæretici tum veteris, tum hujus temporis, quorum vitâ, & moribus nihil est obscænius. Baptismi gratiam, & effectum non primum solummodò, sed posteriores plurimos receperant indubiè duo ex præcipuis novæ Ecclesiæ Apostoli, Quesnello, & Arnaldo devotissimi; quorum alter Episcopi Vicarius, alter Cancellarius Academiæ, Præpositus Capituli, & pluribus insignitus honorum titulis: de utroque autem, quod *spiritus, cor, sensus non habuerint plus vitæ pro peccato, quàm homo mortuus habeat pro rebus mundi*, nè Quesnelliana quidem impudentia ausa fuerit affirmare. Tum autem credi poterit, tales omni sensu libidinis, vel consensu caruisse, quando eo liberum fuisse Molinos Quietistarum Principem, cum præcipuis suis asseclis persuadebitur.

Istud de Molinos piè credi, pietate scilicet Jansenianâ, voluit celebris in Belgio novi Evangelii præco, & Jansenismi zelo flagrans Apostolus Fr. Eugenius, qui in citata superiùs: *Ultima voce zelatricis innocentiæ ad Innocentium XI. Pontificem* pag. 115. spurcissimum illum hæresiarcham ait: *magis infelicem, quàm nocentem autumari*. Consolatur verò mox suos tam Quietisticæ, quàm Jansenianæ sectæ discipulos hoc vaticinio, quòd utriusque novi Euangelii *spiritus*,

ritus, frendentibus (adversariis) *ubi vult spirabit*:

Nos ad Gregorium Nyssenum redeamus. In quo, juxta S. Patris hujus sententiam, consistere potest necessaria post Baptismum *alia vitæ regula*, & *morum norma*? An in omnium indeliberatorum motuum ad peccata allicientium exclusione? An in privatione omnis eorum motuum sensûs? Perfectam post Baptismum mutationem, quæ cæteris possit esse regula, perspicimus in Apostolo Paulo; conjunctam tamen cum istiusmodi motibus, & orto indè necessario sensu, legi spiritûs opposito. Pactum hominis cum Deo non complectitur omnium istorum motuum absentiam, vel iis præsentibus insensibilitatem; neutra enim in hominis posita est arbitrio, etiam cum auxiliis gratiæ, in hoc Divinorum decretorum ordine conferri solitis.

Omne igitur baptizati hominis cum Deo pactum, omnis promissio est de actibus liberis, de non præstando motibus, & quibuscumque indè orituris sensibus consensu deliberato. Tot homines ex utroque sexu sanctissimi in Christo, & morte ipsius baptizati, & peccatis mortui fuêre, *tenentes* etiam deinceps, quàm maximè *memoriâ pactum, quod in traditione mysterii cum Deo fecerant*; qui *didicere res mundanas contemnere, terrena prætercurrere, & ad cælestia festinare*; nec tamen propterea potuere semper indeliberatis motibus, & desideriis turpibus pariter necessariis modum ponere, nec cohibere eorum sensum; quin conqueri subinde cogerentur, cum Apostolo de carnis molestiis, tum ab innato concupiscentiæ vitio, tum à Diabolo suscitatis.

2 S. Thomas in Epistola 2. ad Cor. cap. 12. lect. 3. ad illud, *Datus est mihi stimulus carnis meæ Angelus Satanæ, qui me colaphizet*,
,, Stimulus, inquit, carnis meæ id est con-
,, cupiscentiæ surgentis, à qua multùm in-
,, festabatur Rom. 7. *Non enim quòd volo &c.*
,, *Igitur ego ipse mente servio legi Dei*, unde
,, Augustinus dicit, quòd inerant ipsi mo-
,, tus concupiscentiæ, quos tamen Divinâ
,, gratiâ refrænabat; iste, inquam, stimulus
,, est Angelus Satanæ, id est Angelus mali-
,, gnus à Deo permissus; quia Satanæ in-
,, tentio est, ut subvertat; Dei verò, ut hu-
,, miliet, & probatum reddat: timeat pec-
,, cator, si Apostolus & vas electionis se-
,, curus non erat; de remotione autem hu-
,, jus stimuli removendi solicitus erat Apo-
,, stolus. Unde propter hoc orabat ......
,, Ergo, & stimulus carnis secundùm se, est
,, vitandus, ut affligens .... *Virtus in*
,, *infirmitate perficitur*, idest, occasio per-
,, veniendi ad perfectam virtutem; quia ho-
,, mo sciens se infirmum, magis solicita-
,, tur ad resistendum: & ex hoc quod ma-
,, gis resistit, & pugnat, efficitur exercita-
,, tior, & per consequens fortior: & ideo
,, in Levit. legitur, & Judicum 3.: Quod
,, Dominus noluit destruere omnes habita-
,, tores terræ; sed aliquos reservavit, ut
,, scilicet filii Israel exercitarentur pugnan-
,, do cum eis. Sic enim Scipio nolebat de-
,, structionem civitatis Carthaginensis &c.

Quot hìc Apostoli exempla, quot Angelici interpretis verba sunt, tot ferè proscripti dogmatis confutationes. Juxta illud enim Paulus, cùm Baptismi gratia ejusque effectibus, tum primo, tum ulterioribus, & prorsus singularibus donatus fuerit, carere debuit omni stimulo carnis, aut certè omni ejus sensu, adeòque immeritò de tanta ejus molestia conqueritur, tamquam de Angelo Satanæ perpetuò colaphizante, si in eo *spiritus, cor, sensus non habuerint plus vitæ pro peccato, quàm homo mortuus habet pro rebus mundi*. Neque apparet quomodo cum hoc Quesnelli placito conciliatur illud Aquinatis, quod à *stimulo carnis, idest concupiscentiæ surgentis, multùm infestabatur* Apostolus. Cum Quesnelliana ista insensibilitate optimè componerentur tentationum omnium contemptus, & in iis securitas; unde exemplum hoc Apostoli afferri ab Angelico non debuisset: *Timeat Peccator, si Apostolus, & Vas electionis securus non erat. Stimulus carnis* non erat Apostolo *vitandus, ut affligens*; si nullus ex eo sensus illi fuerit pro peccato. Dicit quidem Scriptura: *Virtus in infirmitate perficitur*, & ut S. Thomas explicat: *Homo sciens se infirmum, magis sollicitatur ad resistendum: & ex hoc quòd magis resistit, & pugnat, efficitur exercitatior, & per consequens fortior*; sed quænam Pauli, & cujuslibet hominis baptizati *infirmitas* est, contra quem interiorem adversarium pugnare debet, si *spiritus, cor, sensus non plus vitæ habeant pro peccato, quàm homo mortuus pro rebus mundi*?

3 Non magis officit nobis Basilius in Moralibus regulâ 80. cap. 22.: *Quid*, inquit, *proprium ejus, qui natus est ex aqua? Ut, quemadmodum Christus peccato semel mortuus est, ita ipse etiam mortuus sit, & ad omne peccatum immobilis, sicut scriptum est: Quicumque in Christo JESU baptizati sumus, in morte ipsius baptizati sumus; consepulti enim sumus cum illo per Baptismum in mortem: hoc scientes, quòd vetus homo noster simul crucifixus est, ut destruatur corpus peccati*.

Regulam hanc Basilius sanctissimè præscribit, non solis Monachis; sed Christianis omnibus convenientem: in justitia, & sanctitate, quam Baptismi beneficio acquisivimus, constantes semper nos esse decet, atque *immobiles*. Fixum omni tempore hærere debet animo propositum, quod tunc concepimus, aut pro nobis concepêre alii, declarantes, nos mundo,& Diabolo abdicato, unicè adhærere Christo, atque hujus signa velle contra Diabolum sequi. Sed hoc quantumcunque firmum animi propositum, non est immutabile: renatus enim Baptismate, manet simul homo natus de muliere, repletus multis miseriis, & nunquam in eodem statu permanens. Quoties hesternum propositum dies crastinus destruit! Aliud scilicet decretum hominis est, de perpetua servanda castitate, & justitia, aliud immobili in iis constantia perseverare.

Magna quidem Baptismi gratia est, sed non est ipsa perennis in gratiâ confirmatio: atque hæc paucissimis singulari Dei benevolentiâ obveniens solet esse ignota, ut semper cum timore, & tremore salutem suam sicut cæteri mortalium operentur.

Baptizatum alloquitur S. Basilius explicans illud Deuteronomii 15., juxta septuaginta Interpretes ATTENDE TIBI IPSI: Ita monet: *Miles es? Collabora Evangelio: milita bonam militiam contra spiritus nequitiæ, adversùm vitiosas carnis affectiones: induito omnem armaturam Dei*. Audit adversarius *vitiosas carnis affectiones*, etiam in iis, qui Christi militiæ in Baptismate nomen dederunt: non igitur, Basilio judice, immunitas ab omni sensu ad peccatum alliciente est primus gratiæ baptismalis effectus. Sic & Hieronymus epistola 25. ad Paulam de obitu Blesillæ: *Hic monitor*, inquit, nempe stimulus carnis, *Paulo datus est, ad premendam superbiam, ut in curru triumphali triumphanti datur monitor, suggerens; hominem te esse memento*. Abigeret monitorem, atque ipsum Apostolum, aut mendacii, aut gravioris criminis redargueret quisquis Quesnelliano axiomate imbutus crederet, *primum gratiæ baptismalis effectum esse, ut spiritus, cor, sensus non plus vitæ habeant pro peccato, quàm homo mortuus habeat pro rebus mundi*. Quomodo enim à mendacio excuses conquerentem de stimulis carnis, spiritui adeò infestis, si non plus istiusmodi stimuli sentiat, quàm cadaver punctionem percipiat, aut vellicationem?

Neque causari potest Apostolus, primum gratiæ baptismalis effectum in se periisse; effectus enim ille, non in transeunte actu; sed in sancto habitu consistit, qui nonnisi contrariis vitiorum actibus expellitur: quod in Apostolo Paulo, qui Vas erat electionis, & in gratia verisimillimè confirmatus, locum habuisse nemo facilè crediderit. Imò quomodo peccare potuit, gratiâ præditus baptismali, quæ non plus spiritûs, cordis, sensuum relinquit pro peccato, quàm mors hominis relinquat cadaveri pro sentiendo frigore, vel calore?

4 Objicitur tandem Chrysostomus hom. 11. in epistolam ad Romanos: *De quolibet homine hoc ait* (Apostolus) *quòd quemadmodum, qui è vita discessit, in posterum peccato liberatur, mortuus cùm jaceat; sic & is, qui à Baptismo descendit; quandoquidem enim illic semel mortuus est, peccato omnino mortuus maneat oportet. Si igitur in Baptismo mortuus es, mane mortuus; etenim unusquisque mortuus cùm est, ampliùs peccare nequeat; qui, si peccat, labefactat Dei donum*. Posteriorem partem prætermisit adversarius, quia ex hac ipsa convincitur, obligationem solummodo non peccandi à Chrysostomo affirmari; non autem necessitatem; sed in spiritu, corde, sensibus manere adhuc potestatem peccandi, quæ non est in cadavere. Supponit Chrysostomus, baptizatum manere præditum libero arbitrio, etiam ad peccandum, atque adeò *labefactari* posse *donum Dei*. Non *labefactat* autem; neque *labefactare* potest is, cui non plus spiritûs, cordis, sensuum superest pro peccato, quàm homini *mortuo*, seu cadaveri *pro rebus mundi*.

Non immoremur diutiùs convellendæ sententiæ tam exoticæ, tam manifestè contrariæ Apostolo, & cæteris Scripturis, Patribus, definitionibus Conciliorum,& Apostolicæ Sedis, quibus suffragatur baptizatorum omnium, qui ad rationis usum pervenerint, experientia. Novitas autem illa Quietisticæ similis, nequitiâ superat Calvinianam. Calvinus enim baptizatos quidem suos perpetuò confirmavit in gratia; non tamen eò usque blandiri eis voluit, ut contra notissimam veritatem, & experientiam fingeret omnibus circa peccatum sensibus destitutos.

SAN-

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

CLEMENTIS XI.

PONTIFICIS MAXIMI

CONSTITUTIO UNIGENITUS,

Providè, ac justissimè damnans Propositiones centum & unam, excerptas ex Libro Gallico *Observationum Moralium in Novum Testamentum*, Theologicè propugnata.

PARS II.

Refellens sequentes vigintiocto Propositiones à Quadragesimaquarta ad Septuagesimamprimam, quæ spectant ad Virtutes Theologicas, Timorem Gehennæ, *iisque opposita, vel annexa.*

Quadragesimaquarta Propositio damnata.

Non sunt nisi duo amores, unde volitiones, & actiones omnes nostræ nascuntur: amor Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur; & amor, quo nos ipsos, ac mundum diligimus, qui quod ad Deum referendum est, non refert, & propter hoc ipsum fit malus. *Observ. Moral. Joan. 5. vers. 29.*

CAPUT I.

Sola Propositionis juxta sensum proprium, & obvium exhibitio necesse est eam reddat Catholicis omnibus detestabilem.

1 QUANQUAM Propositio sat claris expressa vocibus sensum contineat patentem, & facilè pervium cuicumque Lectori scientiæ Theologicæ non penitùs imperito, si attentione debita partes singulas inspexerit; quia tamen, & tironibus debitores sumus, & in sententia prolixa faciliùs aliquid eam desultoriè percurrentis fugit intelligentiam; non inutile fuerit, proscriptum articulum brevissimâ saltèm consideratione expendere. Non hærebo in suggerendis variis amoris Dei divisionibus; cùm evidens sit, Propositionis Authorem agere de amore Dei supernaturali, benevolo, & super omnia, utpote qui *omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur.* Unde pariter liquet, amorem ab Authore signi-

significari efficacem non affectu solummodo; sed etiam effectu; non enim amor ejus solùm sentit, ac decernit firmiter, sed reipsâ *omnia agit propter Deum*.

Remuneratio quoque, de qua in articulo sermo est, si in significatione propria, & obvia accipiatur, meritum supponit propriè dictum, quale non est, quod *de congruo* à Theologis appellatur; sed *de condigno*, ad quod praerequiritur status gratiæ. Quæ enim meriti apud Deum condignitas esse potest in ejus inimico, & æternis digno suppliciis? Ideo non rectè, & simpliciter dici potest peccator pœnitens justificationem, & gloriam promereri. Perspicua de hoc est Concilii Tridentini sententia sess. 6. cap. 8. his verbis „ Cùm verò Apostolus dicit justificari hominem per fidem, & gratis, ea „ verba in eo sensu intelligenda sunt, quem „ perpetuus Ecclesiæ Catholicæ consensus „ tenuit, & expressit: ut scilicet per fidem „ ideo justificari dicamur, quia fides est „ humanæ salutis initium, fundamentum, „ & radix omnis justificationis . . . . . gratis „ autem justificari ideo dicimur, quia nihil „ eorum, quæ justificationem præcedunt, „ sive fides, sive opera, ipsam justificatio- „ nis gratiam promeretur.

2 Dum igitur Quesnellus enuntiat: Non „ sunt nisi duo amores, unde volitiones, „ & actiones omnes nostræ nascuntur: amor „ Dei, qui omnia agit propter Deum, „ quemque Deus remuneratur; & amor, „ quo nos ipsos, ac mundum diligimus, qui „ quod ad Deum referendum est, non re- „ fert, & propter hoc ipsum fit malus; „ suis verbis in sensu propriissimo, & obvio acceptis convincitur asserere, omnem volitionem, & actionem esse peccatum, quæ non nascitur ex amore Dei super omnia, & justificante: neque id sufficere; sed debere elici à justo; aliàs fore, & ipsum amorem Dei vitiosum, si à Peccatore pœnitente elici contigerit; nam, ut constat ex Tridentino Concilio, & certissimâ Catholicorum omnium sententiâ, quæcunque pœnitentis ardentissima charitas, etsi juxta Ecclesiæ fidem obtineat reconciliationem; non tamen eam propriè meretur: & reddita ei justitia est gratia, non merces, aut remuneratio.

3 Hac ratione omnis pœnitentia salutifera peccatori redditur impossibilis; qualis enim ab eo elici poterit; si omnis ea, quæ meriti propriè dicti capax non est, inter vitia rejiciatur, atque adeò ad augendum solummodo delictorum numerum: non autem ad justificationem impetrandam sit idonea? Sic omnis amor, qualis cogitari potest in peccatore, ad conversionem seriò aspirante, perfectissimus, omnes pœnitentis lacrymæ, nova peccata sunt.

Nè tamen reconciliatio peccatoris appareat omnino impossibilis, solatium suggerit propositio 28. statuens *primam gratiam, quam Deus concedit peccatori, esse peccatorum remissionem.* Non vult scilicet Quesnellus, justificationem impetrari ullis pœnitentium actibus; sed soli eam tribuit gratiæ; & quidem primæ, omnem conatum hominis liberum prævenienti, ut peccatorum remissio ab hominum pœnitentia nullo modo pendeat. Qualis verò ea prima gratia est, cui juxta Quesnellum annectitur justificatio; imò, quæ justificatio ipsa est? Non alia, quàm fides; siquidem Propos. 27.: *Fides est prima gratia, & fons omnium aliarum.*

4 Sed, inquies, quomodo ipsa fides peccatum non est, si *omnis volitio, & actio,* quæ *ex amore Dei, omnia agente propter Deum,* & *remunerationem promerente non nascitur,* sit *mala*? Quid aliud responsi Quesnello superesse possit non video, quàm quòd fides, quæ hic dicitur prima gratia, non sit actio Peccatoris; sed Dei illam infundentis, nequaquam cooperante libero hominis arbitrio; in Propositione autem 44. non asseratur de omnibus actionibus, etiam quæ infunderentur à Deo nobis liberè non concurrentibus; sed tantum de *omnibus volitionibus, & actionibus NOSTRIS*, quòd *mala sint*, nisi ab amore Dei, qualis ibi describitur, ortæ fuerint. Hinc indubiè Peccatorum fovetur socordia, & suggeritur eis ratio, in hæretico Quesnelli supposito non incongrua, cur omnem pœnitentiam, & salutis curam abjiciant, expectantes justificationem à solo Deo, sive solâ ipsius gratiâ, absque ulla liberi arbitrii in hominibus cooperatione.

Quis itaque ex sola damnati articuli genuina, & candida expositione horrorem dogmatis tam pestiferi non conciperet? Quapropter videbor operam perdere, si illud Scripturis Sacris, Tridentino Concilio, definitionibus Pontificum, traditione Patrum, & Scholasticorum operosiùs confutavero. Verùm cùm Quesnelliana factio pertinaciæ, quæ omni hæresi communis est, superaddat mille fucos, & fallacias, quales in annalibus vix legimus, unde non solùm vulgus Fidelium; sed Pastores aliqui inducantur in errorem; expedit eum omni genere armorum aggredi, & damnatum ab Ecclesia, dejectumque conterere.

CA-

CAPUT II.

Propositio adversatur Scripturis Sacris.

1 Ezechielis cap. 29. laudat Deus, & præmio temporali licet indebito prosequitur obsequium sibi præstitum à Nabuchodonosore Rege Ægypti, & Exercitu ejus in adjuvando Populo Israelitico adversùs Tyrum. Constat autem, tam Regem, quàm Exercitum ejus gentilem fuisse, adeòque non operatum ex amore Dei benevolo, *omnia agente propter Deum*. Locum Sacræ Scripturæ integrum dedi ad Propositionem 42. dedi & S. Hieronymi commentarium, ubi: *Ex eo*, inquit, *quod Nabuchodonosor mercedem accipit boni operis, intelligimus, etiam Ethnicos, si quid boni operis fecerint, non absque mercede Dei judicio præteriri*. Non solùm Nabuchodonosorem; sed universum ejus Exercitum gentilem præmio Deus donavit. Certissimum autem est, nullum peccatum à Deo laudari, & mercede vel minima, etsi merè temporali compensari posse; id enim sapientiæ, justitiæ, sanctitati Dei directissimè repugnat. Datur igitur aliquis amor non malus præter *amorem Dei* benevolum, & *omnia agentem propter Deum*.

2 Exodi cap. 1. Obstetrices Ægyptiæ, quantumcunque gentiles, misericordiâ motæ, & simul timore, nè à Deo Israelis potentissimo punirentur, non occiderunt Judæorum infantes masculos, ut Pharao præceperat; quare & ipsæ mercedem à Deo acceperunt temporaneam quidem; sed operi earum congruam: *Quia*, inquit Scriptura, *timuerunt Obstetrices Deum, ædificavit ipsis Domos*. Non finget hic Quesnellus in Obstetricibus *amorem Dei, qui omnia agit propter Deum*; non enim illum Deus remuneraretur ædificatione Domorum; sed ad eas ipse veniret, & mansionem apud eas faceret: *Ego diligentes me diligo*, ait Deus proverb. 8., & Domos non manufactas, non terrenas, & perituras eis præparo; sed supernas, & bonis immortalibus affluentes.

Rom. 8. v. 15.: *Non accepistis spiritum servitutis iterum in timore; sed accepistis spiritum adoptionis filiorum*. Spiritus servitutis non est spiritus amoris Dei, qui omnia agit propter Deum; & tamen illum servitutis spiritum Judæi acceperant à Deo; bonum utique, & nulli obnoxium peccato.

3 Propheta Jonas jussu Dei hortaturus Ninivitas ad pœnitentiam orditur, denuntiando Civitatis amplissimæ interitum, quo terrorem incutiat, disponatque paulatim ad timorem obtinendæ peccatorum remissioni necessarium. Timor ille nonnisi remotè ad justificationem disponens utilis quidem erat, & ad frangendam sceleratorum duritiam accommodatissimus; non tamen is amor Dei erat omnia faciens propter Deum.

4 Christus ipse saluberrimam tum ad avertendos à novis criminibus Peccatores, tum ad amorem, & pœnitentiam inducendam censuit timorem *gehennæ*, & *tenebrarum exteriorum, ubi erit fletus, & stridor dentium*; timorem illius, qui, postquam *occiderit, potestatem habet mittere in gehennam. Ita dico vobis hunc timete*: quod geminando inculcat Christus Lucæ 12. Quisquamnè vitium dispositionem statuit ad virtutem? Non igitur judicio Christi malus est timor Domini, etiam charitatem præveniens, sive qui non nascitur *ex amore Dei, qui omnia agit propter Deum*.

5 Exodi 20.: *Ut probaret vos, venit Deus, & ut terror illius esset in vobis, & non peccaretis*; sed impleretis mandata, quorum primum dilectionis est; ipse tamen terror nondum dilectio; quamvis ad eam inducendam maximè opportunus. Quesnellus hunc dictatum à Deo ordinem minimè probans, exigit velut necessarium priùs *amorem Dei, qui omnia agit propter Deum*, ac tum primùm Deum timere homines incipiant; qui enim ex tali amore non nascitur timor, aut actus quicumque alius, juxta novum Euangelium *malus* est.

Isaiæ 26.: *A facie tua* (sive, ut septuaginta duo Interpretes habent: *à timore tuo*) *Domine concepimus, & quasi parturivimus spiritum salutis*. Hic iterum, si Quesnello credimus, ordo debitus inversus est; juxta hunc novum scilicet Doctorem dici oportuit, ab amore tui super omnia, qui spiritus salutis est, concepimus, & parturivimus spiritum timoris.

Proverb. 14.: *Timor Domini fons vitæ, ut declinent à ruina mortis*. Eccles. 1.: *Initium sapientiæ timor Domini*. Iterum Ecclesiasticus cap. 25. timorem illum cum singulari emphasi prædicans ait: *Qui tenet illum, cui assimilabitur? Timor Dei initium dilectionis ejus*.

Hæc iterum omnia novo Jansenistarum Euangelio contraria sunt, juxta quod hominibus fons vitæ est sola charitas, ut declinent à ruina mortis, & timeant Dominum; non enim fons vitæ potest esse actio mala, qualis iuxta damnatum articulum est omnis non profluens à charitate. Juxta idem novum

novum *moralis Euangelicæ compendium* initium sapientiæ non deberet dici timor Domini; sed amor omnia agens propter Deum; ante quem cùm omnia juxta Quesnellum peccata sint, ad stultitiam potiùs, quàm sapientiam referentur: Atque ita timor Domini ante Charitatem pars stultitiæ, non initium sapientiæ appellabitur. Ecclesiasticus quoque ut novæ consonet Ecclesiæ, sic corrigendus est: *dilectio Dei super omnia initium boni timoris est*; non verò *timor Domini initium dilectionis ejus*.

Apocal. 14. *Timete Dominum, & date illi honorem; quia venit hora judicii ejus*. Igitur sancta, & salubris est volitio timendi,& honorandi Dominum propter imminens judicium etiam dum à motivo nobiliore charitatis præscinditur.

6 Honesta quoque ad virtutes illecebra est spes præmii cœlestis & beatitudinis æternæ, etiam quando prævenit amorem Dei super omnia benevolum. Operari bonum propter coronam gloriæ immarcescibilem approbat Apostolus 1. Cor. 9. dicens: *Omnis, qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet, & illi quidem, ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam*.

In eodem motivo sistit Apostolus Coloss. 3. *Quodcunque facitis, ex animo operamini, sicut Domino, & non hominibus, scientes, quòd à Domino accipietis retributionem hæreditatis*.

De Moyse legimus Heb. 11. quòd eadem illi suffecerit ratio, ut omnes Ægyptiorum thesauros contemneret, *majores divitias æstimans thesauro Ægyptiorum improperium Christi; aspiciebat enim in remunerationem*. Et Rex David pariter sanctissimus Psalmo 118. *Inclinavi*, inquit, *cor meum ad faciendas justificationes tuas in æternum propter retributionem*. Qui amor concupiscentiæ sanctæ est, non benevolentiæ super omnia, quod volunt adversarii esse necessarium, ut à peccati ignominia liberetur.

Non est quidem dubium,quin Propheta tam pius, & Divinus Psaltes quotidie sæpius amoris, & pœnitentiæ actus eliceret cùm ajebat Psalmo 6. *Lavabo per singulas noctes lectum meum, & lacrymis meis stratum meum rigabo*; sed non omnes Sanctorum actus ejusdem,vel æqualis perfectionis sunt, neque initia tam perfecta semper, quàm progressus. Unde dum ingenuè fatetur conversionis initium sibi fuisse amorem beatitudinis, & retributionis, neque ullus haetenus Catholicus hanc in Davide concupiscentiam cœlestem vitii arguere ausus est, etiam nos decet eam à peccati calumnia vindicare.

Retributionis amorem excitandis ad virtutem hominibus Ecclesiasticus censuit peridoneum, cùm ajebat cap. 12. *Benefac justo, & invenies retributionem magnam, & si non ab ipso, certè à Domino*. Eadem ratione Deus ipse nos allicit Apocal. 2. dicens: *Esto fidelis usque ad mortem, & dabo tibi coronam gloriæ*. Aliàs quidem dilectio Dei benevola super omnia præcipitur à Deo, & à Sanctis commendatur præ cæteris virtutibus; sed non omnes propterea virtutes commutantur in vitia, nisi à Dei amore super omnia imperentur: *Nunc autem manent fides, spes, charitas, tria hæc; major autem horum est charitas* 1. Cor. 13. *Major*, inquit; sed non sola virtus Theologica. Sap. 8. *Si justitiam quis diligit, labores hujus magnas habent virtutes; sobrietatem enim, & prudentiam docet, & justitiam, & virtutem* (seu fortitudinem) *quibus utilius nihil est in vita hominis*: ubi quatuor constituuntur veluti moralium virtutum cardines, quibus quidem nihil utilius in vita hominis Scriptura prædicat; sed Quesnellus eas, uti & opera omnia misericordiæ, & quæcunque vitam hominis honestam reddere existimantur, amoris proprii, mundani, ac proinde mali toxico infames pronuntiat, nisi ex amore Dei super omnia benevolo dimanarint.

CAPUT III.

Eadem Propositio contraria est Concilio Tridentino.

1 SEss. 6. canon 7. Anathemate percutit dicentem: *Opera omnia, quæ ante justificationem fiunt, quacunque ratione facta sint, verè esse peccata*. Quid autem præter peccata esse possunt; si *non sunt nisi duo amores, unde volitiones, & actiones omnes nostræ nascuntur: Amor Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur; & amor, quo nos ipsos, ac mundum diligimus, qui, quod ad Deum referendum est, non refert, & propter hoc ipsum fit malus*? Nulla enim opera, quæ ante justificationem fiunt, constituunt meritum propriè dictum, nullam propterea mercedem exigunt, aut ullâ propriè donantur; præsertim supernaturalis ordinis, & ad æternam beatitudinem pertinente. De tali remuneratione hìc Quesnello sermonem esse nullus inficiabitur. Nulla proinde opera justificationem antecedentia, quacumque ratione facta, sunt

funt *amor Dei*, *omnia agens propter Deum*, *&* *quem Deus remuneratur*. Quid igitur funt? *Amor*, inquit Quesnellus, *quo nos ipsos*, *ac mundum diligimus*, *qui*, *quod ad Deum referendum eft*, *non refert*, *& propter hoc ipsum fit malus*: nullum quippe inter utrumque amorem, nullum inter utriusque effectus medium nova Theologia agnofcit.

2 Sefs. 14. cap. 4. „ Illam contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, „ quoniam vel ex turpitudinis peccati confideratione, vel ex gehennæ, & pœnarum metu communiter concipitur, fi voluntatem peccandi excludat, cum fpe veniæ, declarat non folùm non facere hominem hypocritam, & magis peccatorem; verùm etiam donum Dei effe, & Spiritûs fancti impulfum, non adhuc quidem inhabitantis; fed tantùm moventis, quo pœnitens adjutus viam fibi ad juftitiam parat: & quamvis finè Sacramento pœnitentiæ per fe ad juftificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad gratiam in Sacramento pœnitentiæ impetrandam difponit. „

Sitne ea difpofitio ad recipiendam gratiam proxima, tamquam pars Sacramenti pœnitentiæ, ut communiùs docetur, an tantùm remotè; non velut pars Sacramenti, fed ad illud folummodo hominem præparans, ut contendunt aliqui, non eft hujus loci in difceptationem adducere. Ad vincendum damnati articuli errorem fufficit, quod ea attritio fit qualifcunque ad juftificationem in Sacramento obtinendam difpofitio; fic enim firmiffimè ftabilitur, quòd neque mala fit, alioqui hominem faceret *hypocritam* & *magis peccatorem*; neque ex amore fui perverfo, vel mundano proveniat, quòd *donum Dei fit*, *& Spiritûs fancti impulfus*. Nec tamen, ut patet, *Amor Dei eft*, *qui omnia agit propter Deum*, *quemque Deus remuneratur*. Sed neque ex amore illo, de quo nulla ibi mentio fit, procedit.

3 Ajunt quidem adverfarii, declarationem Concilii non abfolutam effe; fed ex fuppofita conditione; *Si* attritio illa, *voluntatem peccandi excludat*. Quod autem excludat aliquando, vel excludere valeat, neque declarat Concilium, neque fupponit. Verùm non attendunt Theologi illi quàm parum dignam graviffimis Patribus affingant fententiam, hæreticorum fibilis excipiendam. Lutherus in affertionibus contra Bullam Leonis X. Affertione 6. fcripferat: *Contritio*, *quæ paratur per difcuffionem*, *& collectionem*, *& deteftationem peccatorum*, *qua quis recogitat annos in amaritudine animæ fuæ*, *ponderando peccatorum gravitatem*, *multitudinem*, *fœditatem*, *amiffionem æternæ beatitudinis*, *& acquifitionem æternæ damnationis*, *hæc contritio facit hypocritam*; *imò magis peccatorem*.

Sacra Synodus hunc volens errorem deftruere, juxta adverfarios ita erudiiffet Chriftianum populum: memorata contritio imperfecta, quæ attritio dicitur, non reddit hominem hypocritam, & magis peccatorem, fi voluntatem peccandi excludat; fed an excludat umquam, aut excludere valeat, minimè certum eft; imò certum eft non excludere. Rififfent indubiè hæretici tale Concilii Oecumenici judicium: fuitne, dixiffent, commovendus Chriftianus Orbis, fuêre tot Epifcopi è fuis fedibus evocandi, tot & tam diuturna inftituenda examina, ut definirent, attritionem illam non reddere hominem magis peccatorem, fi voluntatem peccandi excludat, dum ipfi fe nefcire profitentur, utrum ad eam excludendam unquam fit idonea, & certa modò veritas novis Auguftini difcipulis illucefcens, docuit idoneam non effe. Talis declaratio fapientiffimis Patribus abfque injuria attribui non poteft; Sed evidens eorum fenfus eft, attritionem defcriptam non reddere hominem hypocritam, & magìs peccatorem; fed effe donum Dei, Spiritûs fancti impulfum, & ad gratiam in Sacramento accipiendam difponere; faltèm fi non ftatuatur adeò imperfecta contritio, ut, etfi peccata præterita utcunque difpliceant, propter eorum turpitudinem vel imminens æternæ damnationis fupplicium; tamen dolor ifte tam levis fit, tam iners, ut voluntatem fimilia inpofterum committendi non excludat; fed includat forfitan: quod fieri poffe, & fæpius revera contingere in peccatoribus pravâ imbutis confuetudine, experientia nimiùm frequens convincit.

4 Senfum illum fuum fatis dilucidè Tridentinum expofuit, mox canone 5. „ Si quis dixerit, eam contritionem, quæ paratur per difcuffionem, collectionem, & deteftationem peccatorum, qua quis recogitat annos fuos in amaritudine animæ fuæ, ponderando peccatorum fuorum gravitatem, multitudinem, fœditatem, amiffionem æternæ beatitudinis, & æternæ damnationis incurfum, cum propofito melioris vitæ, non effe verum, & utilem dolorem, nec præparare ad gratiam; fed facere hominem hypocritam, & magis peccatorem .... anathema fit. Ubi nulla factâ mentione Amoris Dei, præfer-

sertim amoris *omnia agentis propter Deum*, ferit anathemate omnem in posterum asserentem, quòd contritio, etiam imperfecta, quæ vulgari vocabulo attritio dicitur, *cum proposito melioris vitæ* non sit verus, & utilis dolor, nec præparet ad gratiam; sed faciat hominem hypocritam, & magis peccatorem, sive, ut Quesnelli propositio enuntiat, sit ex *amore, quo nos ipsos, ac mundum diligimus, qui quod ad Deum referendum est, non refert, & propter hoc ipsum fit malus*. Qua itaque ratione Quesnellus cum suis anathema Tridentinum evadere valeat nisi ignorantia juris, & jam crassa excusaverit, non assequor.

Neque conciliabitur eadem propositio cum sessionis sextæ can.7. *Si quis dixerit opera omnia, quæ ante justificationem fiunt, quacumque ratione facta sint, verè esse peccata... anathema sit*. Si nempe omnis amor sit vel Dei omnia propter ipsum agens, & quem Deus remuneratur, quod nulli actui obtingit ante justificationem, vel sit amor malus, si omnis quoque volitio, & actio humana ex alterutro amore nascatur, ut affirmat Quesnelli propositio, necesse est, omnia opera justificationi prævia *verè esse peccata*, quod anathemate Synodus detestatur.

5 Sequitur Canon 8. *Si quis dixerit gehennæ metum, per quem ad misericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel à peccato abstinemus, peccatum esse, aut peccatores pejores facere, anathema sit*. Metus ille gehennæ, per quem peccatores ad Dei misericordiam confugiunt, vel de peccatis dolent, non oritur ex amore Dei, qui omnia agit propter Deum, & quem Deus remuneratur, cùm remuneratio propriè dicta supponat justificationem, quâ peccator esse desinit: quapropter metus ille in peccatoribus malus est, eosque pejores facit, si damnati articuli doctrina prævaluerit.

Denique nec cohæret illa cum sessionis sextæ canone 28. *Si quis dixerit, amissâ per peccatum gratiâ simul & fidem semper amitti; aut fidem, quæ remanet, non esse veram fidem, licèt non sit viva, ... anathema sit*. Quamvis enim directè definitio Concilii attingat habitum fidei, indirectè tamen, & consecutione non facilè declinabili profluit, quòd, si absque charitatis habitu possit verus fidei habitus in peccatore subsistere, possit etiam absque charitatis actu, verus fidei actus reperiri: atqui verus fidei actus neque in se malus est, neque ex malo amore nascitur. Veritati igitur Catholicæ à Synodo definitæ minimè congruit propositio, asserens omnes volitiones, & actiones nostras procedere vel ex amore Dei, qui omnia agit propter Deum, vel ex amore malo, & obnoxio punitioni.

CAPUT IV.

Eadem propositio adversatur definitionibus Summorum Pontificum.

1 Continetur Quesnelli Propositio in hac Bajana 16. *Non est vera legis obedientia quæ fit sinè charitate*. Quia juxta Quesnellum profluit ex amore mundi malo, ex quo fonte vitiato quid veræ virtutis & obedientiæ manare poterit?

Amor Dei omnia agens propter Deum elici nequit sinè auxilio gratiæ; ergo, si omnis alius amor sit malus, & omnes volitiones, atque actiones nostræ nascantur ex alterutro amore; omnes, quæ ex amore Dei supernaturali non proveniunt, profluunt ex amore corrupto, & ipsæ non carent vitio: atque ita *liberum arbitrium sinè gratia Dei adjutorio, nonnisi ad peccandum valet*: quæ est propositio inter damnatas Baji 27. succedit 38. *Omnis amor creaturæ rationalis aut vitiosa est cupiditas, qua mundus diligitur, quæ à Joanne prohibetur; aut laudabilis illa charitas, quâ per Spiritum sanctum in corde diffusâ Deus amatur*. Quid in hoc articulo est, quod non conveniat isti Quesnelliano: *Non sunt nisi duo amores, unde volitiones, & actiones omnes nostræ nascuntur; Amor Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur; & amor, quo nos ipsos, ac mundum diligimus qui quod ad Deum referendum est, non refert, & propter hoc ipsum fit malus*?

Utriusque articuli sensus idem, eadem labes est, quòd omnem amorem hominum, aut charitatem esse censeat; aut malam cupiditatem, seu Peccatum. Plures alii Bajani articuli cum præsenti Quesnelliano connexionem habent ineluctabilem.

2 Inter Propositiones 31. ab Alexandro VIII. damnatas est hæc 7. *Omnis humana actio deliberata est Dei dilectio, vel mundi; si Dei, Charitas Patris est; si mundi, concupiscentia carnis, hoc est, mala est*. Hæc propositio, si verborum corticem attendas, videtur aliquid superaddere Quesnellianæ dum illa asserit omnem humanam actionem esse dilectionem Dei, vel mundi, Quesnellus autem tantum dicit actiones omnes ab alterutra dilectione *nasci*. Verùm sensus idem est; nam, sicut in propositione ab Alexandro damnata dilectio sumitur non solùm pro actu imperante, sed etiam pro eo qui à dilectione imperatur, sive relatus ad Deum

Deum five ad creaturam; fic in propofitione Quefnelli *volitiones*, & *actiones omnes* noftræ, quæ ex amore Dei nafcuntur, & propter Deum fiunt, poffunt vocari, & funt dilectio Dei codem fenfu, quo in propofitione altera explicitè appellantur. Ita fi quis eleemofynam dat propter Deum fuper omnia dilectum, eleemofyna illa rectè charitas appellatur: contra, fi eleemofynam dederis mulieri, ftudio eam ad inhoneſta pelliciendi, largitio ifta non virtus mifericordiæ eft, fed vitium impudicitiæ; quia, ut rectè Aug. lib. 4. contra Julianum cap. 3. *Virtutes difcernuntur finibus, non officiis.*

3 Continet quoque Quefnelli Propofitio hanc 9.eodem Alexandri Decreto confixam: *Revera peccat, qui odio habet peccatum merè ob ejus turpitudinem, & difconvenientiam cum natura finè ullo ad Deum offenfum refpectu.* Nam juxta Quefnellum non funt nifi duo amores, unus Dei, qui omnia agit propter Deum, qui amor non reperitur in cafu propofitionis 9. ut patet ex terminis; fupereft igitur, ut illud *odium peccati merè ob ejus turpitudinem, & difconvenientiam cum natura, finè ullo ad Deum offenfum refpectu nafcatur ex amore, quo nos ipfos, ac mundum diligimus, qui quod ad Deum referendum eft, non refert, & propter hoc ipfum fit malus.*

Eadem Quefnelli Propofitio complectitur decimam eâdem Alexandri Sanctione profcriptam: *Intentio, qua quis deteftatur malum, & profequitur bonum merè ut cœleftem obtineat gloriam: non eft recta, nec Deo placens.* Veriffima effet enunciatio, fi fubfifteret Quefnelliana, quia hic non reperitur amor Dei, qui omnia agit propter Deum, qui amor benevolentiæ eft, extra quem omnis alius juxta Quefnellum eft *amor, quo nos ipfos, ac mundum diligimus, qui quod ad Deum referendum eft, non refert, & propter hoc ipfum fit malus.*

4 Idem Quefnelli principium parit articulum 11. eodem Decreto condemnatum, *Omne, quod non eft ex Fide Chriftiana fupernaturali, quæ per dilectionem operatur, peccatum eft*; quia, fi omnis amor fit mundi, & malus præter *amorem Dei, qui omnia agit propter Deum*, evidens eft omnem volitionem, & actionem ex amore præterquam Divino procedentem effe malum & peccatum. Deinde diverfæ phrafes funt, fed idem fignificantes præfertim apud Auguftini difcipulos *Non effe ex Fide Chriftiana fupernaturali, quæ per dilectionem operatur*; & *Non effe ex amore Dei, qui omnia agit propter Deum.*

Ex eadem Quefnelliana radice nafcitur articulus 13. ab Alexandro VIII. profligatus: *Quifquis etiam æternæ mercedis intuitu Deo famulatur, charitate fi caruerit, vitio non caret, quoties intuitu licèt beatitudinis operatur.* Quifquis famulatur Deo intuitu æternæ mercedis charitate fi caruerit, caruerit amore Dei, qui omnia agit propter Deum; omnis autem amor ab illo diftinctus eft *amor, quo nos ipfos, ac mundum diligimus, qui quod ad Deum referendum eft non refert, & propter hoc ipfum fit malus*; fi verum Quefnellus prædicat.

5 In eadem hypothefi damnari ab Alexandro VIII. non debuiffet hæc propofitio 15. *Attritio, quæ gehennæ, & pœnarum metu concipitur finè dilectione benevolentiæ Dei propter fe, non eft bonus motus, ac fupernaturalis.* Nam attritio ifta non eft amor Dei, qui omnia ad Deum refert (fupponitur enim effe *finè dilectione Dei propter fe*) neque ex tali amore nafcitur; alioqui non effet finè dilectione Dei, ut patet: igitur vel attritio ifta continet amorem noftri, & mundi malum, vel ex tali amore nafcitur; cùm juxta Quefnellum adæquata prorfus divifio amorum fit, conftans duobus folummodo membris, amore Dei benevolo bono, & amore noftri, ac mundi, benevolentiam erga Deum non includente, qui *propter hoc ipfum fit malus.*

Ex eodem erroneo Quefnelli principio fequeretur propofitio 12. ab eodem Pontifice fulgurita: *Quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor, deficit etiam fides, & , etiamfi videantur credere, non eft fides divina, fed humana.* Cùm enim fides Divina fit actus arduus, & obfcurus, indiget imperio volitionis bonæ, qualis finè amore Dei nulla datur juxta Quefnelli articulum, penès quem adæquata amoris divifio eft in amorem Dei bonum, & noftri ac mundi malum. Generalis quoque Quefnelli regula eft, actionem omnem, abfente amore Dei fuper omnia, effe peccatum; deficiente itaque hoc amore, neceffe eft, fidem non effe divinam; fed humanam, & delicto obnoxiam.

Eadem Quefnelli propofitio reftitueret errorem 8. ab eodem Pontifice proftratum, *Neceffe eft, infidelem in omni opere peccare*, quamdiu nempe infidelis manferit; cum infidelitate enim componi nequit *amor Dei omnia agens propter Deum*; atqui extra hunc, juxta Quefnellum *omnis amor malus* eft, & *ex* alterutro *amore volitiones, & actiones omnes noftra nafcuntur*. Igitur in infidelibus ex hypothefi infidelitatis, neceffe eft, volitionem, & actionem omnem effe amorem mundi fordidum, vel ex eo procedere, atque adeò peccatum effe; quis enim fructus

ex tali arbore procedat, nisi malus? Ex eodem Quesnelli articulo damnato sequitur 25. Baji: *Omnia opera infidelium sunt peccata, & virtutes Philosophorum sunt vitia.*

CAPUT V.

Eadem Propositio repugnat Doctrinæ SS. Patrum.

1 Quidquid authoritatis contra errorem 40. & 42. superiùs allatum est, æquè contra præsentem militare facilè demonstro. Si enim sinè *fidei sacrificio* non omne est impuritas, & indignitas, id est, si sinè fide non omnis actio mala est, non apparet, cur omnis volitio, omnis dilectio absque Dei amore omnia agente propter Deum, atque adeò nato ex fide, debeat esse peccatum. Quod ut fiat manifestius, præcipuas illic adductas Patrum & Angelici Doctoris sententias huc compendio transferam, additurus etiam alias, quæ invictè conficiant, errorem præsentem ante irrefragabile Clementis XI. judicium fuisse communissimo orthodoxorum calculo abdicatum.

Amor castitatis in Polemone Ethnico non fuit *amor Dei omnia agens propter Deum*, ut per se evidens est; nec tamen fuit *amor mundi & malus*, quia, teste Augustino epistolâ 130., honestus erat, & Donum Dei: *Polemo ergo, si ex luxurioso continens factus, ita sciret cujus esset hoc donum &c.* Estne donum Dei amor mundi, & malus, aut ex malo proveniens?

2 Similiter lib. 4. contra Julianum cap. 3. *Etiam ipsa bona opera, quæ faciunt infideles, non ipsorum sunt, sed illius qui bene utitur malis.* Blasphemia hæreticorum est, quòd Deus sit author peccati. Hanc blasphemiam Deo impingit Quesnelli articulus; si bona opera infidelium esse Dei agnoscat cum Augustino, & simul contra Augustinum dixerit, omnia eorum opera esse amorem noxium, vel ab eo profluere; ut necessariò debent, si *non sunt nisi duo amores, unde volitiones, & actiones omnes nostræ nascuntur; amor Dei qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur; & amor, quo nos ipsos, ac mundum diligimus, qui quod ad Deum referendum est, non refert, & propter hoc ipsum fit malus.*

Romani justitiâ & strenuis actibus promeruerunt à Deo imperium ut ait S. Augustinus lib. 5. de civit. Dei cap. 12. non igitur eorum justitia & actus strenui peccata fuêre, neque à peccato imperati; alioqui nullum à Deo præmium, sed supplicium fuissent promeriti; imò Deus non esset, si peccata remunerando approbaret; sed in Romanis non fuit *amor Dei omnia agens propter Deum*: alienus itaque à mente Augustini est Quesnelli articulus, statuens *non esse nisi duos amores, unde actiones & volitiones omnes nostræ nascuntur; amorem Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur; & amorem, quo nos ipsos, ac mundum diligimus, qui quod ad Deum referendum est non refert, & propter hoc ipsum fit malus.* S. Fulgentius lib. de Incarnatione, & gratia cap. 26. ait *Aliqua bona, quæ ad societatis humanæ pertinent æquitatem, infidelibus inesse possunt.*

S. Hieronymus in caput 1. Epistolæ ad Galat. *Multi absque fide, & Evangelio Christi vel sapienter faciunt aliqua, vel sanctè, ut parentibus obsequantur, ut inopi manum porrigant, non opprimant vicinos, non aliena diripiant.*

Idem Sanctus in cap. 22. Matthæi *inter ipsos quoque ethnicos est diversitas infinita: cùm sciamus, quosdam esse proclives ad vitia, & ruentes ad mala; alios ob honestatem morum virtutibus deditos.* Atqui hæc morum honestas, hæ virtutes, hæc bona opera, de quibus agunt Hieronymus, & Fulgentius, *non nascuntur* in Ethnicis ex *amore Dei, qui omnia agit propter Deum*: neque etiam nascuntur ex *amore malo*; alioqui bona non essent; sed mala.

Rursus Hieronymus in Ezech. 29. v. 18. *Ex eo quòd Nabuchodonosor mercedem accipit boni operis, intelligimus, etiam Ethnicos, si quid boni fecerint, non absque mercede Dei judicio præteriri.* Non igitur hæc bona opera proveniunt ex amore malo; etsi neque ex amore Dei omnia agente propter Deum.

3 S. Chrysostomus in illud ad Philip. 3. *Non habens meam justitiam*, sic observat: *Rectè dixit* (Apostolus) *non habens meam justitiam, id est, non illam, quam meis sudoribus, ac laboribus comparaveram; sed quam ex gratia inveni.... Dei autem dona longo intervallo antecedunt utilitatem rectorum factorum, quæ ex nostro studio profecta sunt.* Ecce *recta facta ex nostro profecta studio*, non ex dono specialis gratiæ, adeóque non *ex amore Dei, qui omnia agit propter Deum.*

Author operis imperfecti in Matth. 25. *Si infidelis fecerit opus bonum, hic ei prodest opus ipsius, & hic ei reddit Deus bona pro opere suo; in illo autem seculo futuro nihil ei prodest.* Quod si procederet ex *amore Dei omnia agente propter Deum*, prodesset ei etiam in futuro seculo. Si verò procederet ex amore mundi malo, nè hic quidem *ei prodesse* posset,

fet, neque ei *reddere Deus bona pro opere suo*. Non igitur omnis actio mala eft, vel ex malo nafcitur amore, quæ non profluit ex dilectione Dei fuper omnia.

S. Gregorius homil. 27. in Euangelium Joannis: *Sunt nonnulli, qui diligunt proximos; fed per affectum cognationis, & carnis; quibus tamen in hac dilectione facra eloquia non contradicunt; fed aliud eft, quod fponte impenditur naturæ, aliud, quod præceptis Dominicis ex charitate debetur obedientia*. Dilectionem proximorum ex *affectu cognationis & carnis*, per fe patet non effe amorem Dei fuper omnia, neque ex eo profluere: neque tamen amor mundi, & malus eft; alioquin non diceret Sanctiffimus Pontifex, tali dilectioni facra eloquia non contradicere; Verùm *Obfervationum moralium* author, & Gregorio fapientior, & Scripturis fanctior effe vult, aut rigidior, reprehendens quod ab illis permittitur.

Gregorii fententiam priùs tradiderat Auguftinus locis pluribus, ut homil. 38. ex 50. ferm. 52. de tempore & ferm. 1. feria 4. poft fexagefimam „ Licita eft humana charitas, qua uxor diligitur; illicita „ qua meretrix, vel uxor aliena; licitam „ ergo charitatem habete: humana eft; fed, „ ut dixi, licita eft; non folùm autem licita „ eft, ut concedatur; fed ita licita eft, ut, fi „ defuerit, reprehendatur. Liceat vobis hu„ mana charitate diligere conjuges, dili„ gere liberos, diligere amicos veftros, di„ ligere concives veftros &c. Sed videtis, „ iftam charitatem effe poffe & impiorum, „ ideft Paganorum, hæreticorum, Judæo„ rum. „

Habemus hìc dilectionem humanam, charitatem humanam licitam, qualis eft in Paganis, abfque omni in Deum verum relatione, præfertim abfque dilectione Dei fuper omnia. Neque dixeris, licitam eam prædicari propter officium; finem verò dilectionis malum effe; profectò, fi finis malus foret, defineret dilectio appellari *charitas humana & licita*. Si enim uxor propria, vel parentes, vel liberi diligerentur in honorem falforum Numinum, ea non humana charitas, non licita; fed infidelis, & diabolica diceretur. Nam, uti bonum, fic & licitum eft ex integra caufa; malum, & illicitum ex fingulis defectibus.

De Auguftino plura cap. fequenti, qui totum illud fibi meritò vindicabit; cùm ejus præcipuè authoritate fe ftare, aut cadere velle novi ejus prætenfi difcipuli jactare foleant; etfi veriùs Iprenfis, quàm Hipponenfis Antiftitis Sectatores.

4 Finio hic cum S. Bernardo tractatu de præcepto & difpenfatione. *Bonus quidem obedientiæ gradus eft, fi juxta Magiftri noftri fententiam, propter metum gehennæ quifquam obedierit; melior tamen, cùm ex amore Dei obeditur*. Didicit hoc Bernardus ex Auguftino ferm. 13. de verbis Apoftoli. Clariffima de hoc S. Doctoris verba mox dabimus: atqui metus gehennæ nafcitur quidem ex amore, quo nos ipfos diligimus, volentes nobis cœlum, fummi boni, quod Deus eft, perpetuam fruitionem, atque hinc veram, & fanctam beatitudinem, non mundum & bona ejus fluxa, turpia, perniciofa. Primus tamen ifte obedientiæ gradus à Mellifluo laudatus, non eft amor Dei, omnia agens propter Deum; utpote qui ab *amore Dei* in allata fententia perfpicuè difcernitur.

Datur igitur amor medius inter amorem Dei, qui omnia agit propter Deum, & amorem mundi, feu inhoneftum, atque illicitum noftri; unde minimè neceffe eft, omnes volitiones, & actiones hominis ab amore Dei benevolo fuper omnia, vel ab amore mundi aut fui noxio dimanare. Taceo Bafilium hom. 9. in Hexam. Profperum contra collatorem cap. 26. Damafcenum lib. 3. de fide cap. 14.

CAPUT VI.

S. Auguftinus maximè profcripto dogmati oppofitus.

1 QUæ fuperiore capite ex Auguftino produxi teftimonia, mentem ejus profcripto dogmati contrariam apertiffimè oftendunt; fed fperare vix audeo, ut his flectatur obdurata Hæreticorum pertinacia; quare majori textuum clariffimorum multitudine vel frangenda eft, vel omnium ratione attentium exponenda indignationi.

Non poteft adverfarius confentire Auguftino approbanti martyrium Schifmatici libro de Patientia cap. 26. *Si quis*, inquit, *non habens charitatem... in aliquo fchifmate conftitutus, nè Chriftum neget, patitur tribulationes, anguftias, famem &c. nullo modo ifta culpanda funt; imò verò & hæc laudanda patientia eft*. Non procedit tamen ex charitate, cùm fupponatur eam Schifmaticus *non habere*: & evidens eft quòd habere non poffit: utpote in peccato conftitutus lethifero, & obftinatus. Falfum igitur judicio Auguftini eft, quòd omnia fint peccata, quæ non

non proveniunt *ex amore Dei omnia agente propter Deum*: sive quòd *volitiones, & actiones omnes* ex illo amore sancto, vel ex amore mundi, & malo proveniant. Medium inter utrumque exemplo Schismatici laudabiliter patientis, etsi ad vitam æternam non utiliter, comprobatum perspicimus.

Hinc Psalm. 127. ad illud, *ubi vermis eorum non moritur, & ignis eorum non extinguetur*: „ Audiunt hæc homines, &, „ quia verè futura sunt impiis, timent, & „ continent se à peccatis, timent quidem; „ sed non amant justitiam; cùm autem per „ timorem continent se, fit consuetudo ju- „ stitiæ, & incipit quod durum erat, amari, „ & dulcescit Deus „. Timor hic non nascitur ex amore Dei super omnia: dicitur enim nondum amari justitia; & tamen per eum homines *continent se à peccatis*. Non igitur timor ipse peccatum est, neque ex amore mundi, & malo proficiscitur. Quapropter fallit articulus, asserens, non esse nisi duos amores, unde volitiones, & actiones omnes nostræ scaturiant; amorem Dei sanctum, & mundi inquinatum vitio.

Ibidem „ Ille timor nondum castus „ præsentiam Domini, & pœnas timet: ti- „ more facit, quidquid boni facit: non „ timore amittendi bonum illud; sed timo- „ re faciendi illud malum: non timet nè „ perdat amplexus pulcherrimi sponsi; sed „ timet, nè mittatur in gehennam: bonus „ est & iste timor, utilis est „. Et tamen nec amor Dei super omnia est, nec ex amore illo progenitus. Non igitur omnis actio nascitur ex amore Dei omnia faciente propter Deum, vel ex amore sæculi perverso.

2 De verbis Apostoli sermone 13. *Timor servus est, charitas libera est; &, ut sic dicam, timor est servus charitatis: nè possideat Diabolus cor tuum, præcedat servus in corde tuo, & servet Dominæ venturæ locum: fac vel timore pœnæ, si nondum potes amore justitiæ.* Timorem hunc non nasci ex amore Dei super omnia & quem Deus remuneratur, perspicuum est; quia supponitur præcedere amorem justitiæ, & charitatem, eique venturæ præparare locum. Atqui Deum, & justitiam nondum efficaciter amantibus Augustinus timorem suadet, & observationem mandatorum, ac fugam peccati ex timore: Iterum itaque refellitur damnatus error, fingens, actiones omnes ex vitioso nostri & mundi amore procedere, quæ non profluunt *ex amore Dei omnia agente propter Deum*.

Rursus de verbis Apostoli fermon. 19. vel, juxta novam editionem, sermone 178. „ Etiamsi timore gehennæ non facis ma- „ lum, nondum es perfectus: audeo dice- „ re, si timore gehennæ non facis malum, „ est quidem in te fides; quia credis, futu- „ rum esse Dei judicium: gaudeo fidei tuæ; „ sed adhuc timeo malitiæ tuæ. Quid est, „ quod dixi, quia si timore gehennæ non „ facis bonum. Aliud est timere pœnam, „ aliud amare justitiam. Amor in te castus „ esse debet, quo amore desideres videre „ non cœlum, & terram, non campos li- „ quidos maris, non spectacula nugatoria, „ non fulgores, nitoresque gemmarum; „ sed desidera videre Deum tuum, amare „ Deum tuum, quia dictum est: *Dilectissimi, „ Filii Dei sumus, & nondum apparuit quid „ erimus. Scimus autem, quia, cùm apparue- „ rit, similes ei erimus; quoniam videbimus „ eum sicuti est*. Ecce propter quam visio- „ nem fac bonum; ecce propter quam noli „ facere malum.

Possumus igitur, in Augustini sententia timore gehennæ non facere malum; etsi ista à malo abstinentia ad perfectionem non sufficiat; quia Christiani hominis justitia duas partes complectitur; fugam mali, & prosecutionem boni. Timet adhuc Augustinus malitiæ hominis, quamdiu solo timore gehennæ abstinet à malo, non amans justitiam; tali enim timore neque delicta præterita eluuntur, & ei sæpe, non semper, annexa est in peccatoribus prava servilitas; seu deliberata velleitas peccandi, si possent impunè. Non infimus autem perfectionis gradus est, amare justitiam propter æternam beatitudinem.

Posterius motivum maximè inculcat hic Augustinus: *Ecce*, inquit, *propter quam visionem fac bonum; ecce propter quam noli facere malum*. Amor Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur, tum in sensu obvio, & communi, tum maximè in sensu Quesnelliano, & omnium Quesnello, Bajo, ac Jansenio adhærentium est benevolentiæ, per hoc differens ab amore, quo Deum nobis sperando cupimus, tamquam finem nostrum ultimum, & supremam beatitudinem, quod posterior amor concupiscentiæ fit, *quo nos ipsos diligimus, & quo non referimus* omnia *ad Deum* amore benevolentiæ præcepto in primo, & maximo mandato, quod in omnibus actibus locum habere statuit Quesnellus, & ejus passim in Bajanismo, & Jansenismo socii.

3 Amor quicunque ab illo benevolentiæ separatus, est, inquiunt, *amor, quo nos ipsos, ac mundum diligimus, qui quod ad Deum referendum est, non refert, & propter hoc ipsum fit malus*. Hunc esse Quesnelli sensum

fum nullus dubitaverit, lecto capite primo Propositionis hujus 44. In omnibus quoque, quas videre licuit, ejus vindiciis, ad hunc sensum omnia concurrunt; nihil prorsus ab eo dissidens reperio: Augustino autem amor spei, & concupiscentiæ cœlestis, à supremo benevolentiæ præscindens, adhuc amor castus, imò & *gratuitus* est, *quo Deum gratis diligimus*.

Clarissima de hoc Sancti Doctoris sententia est in Psalmum 5. „ Deus gratis se „ vult coli, gratis se vult diligi, hoc est „ castè amari; non propterea se amari, quia „ dat aliquid præter se, sed quia dat se. In „ Psalm. 104. Videtur mihi admoneri semen Abrahæ, qui sunt omnes filii pro- „ missionis, pertinentes ad æternam hæreditatem testamenti æterni, ut tanquam „ ipsam hæreditatem eligant Deum, & eum „ *gratis colant*, id est *propter ipsum*; non „ propter aliquod *emolumentum mercedis* „ *extra ipsum*. In Psalm. 53. Deus noster laudetur voluntate, ametur charitate, *gratuitum* fit, quod amatur, & quod „ laudatur. Quid est *gratuitum*? ipse propter se, non propter aliud. Si enim laudas Deum, ut det tibi aliquod aliud, jam „ non *gratis* amas Deum. Erubesceres, si te „ uxor tua propter divitias amaret... ipsum „ autem *gratis* dilige; quia melius ab eo „ non invenis, quod det, quàm seipsum.

Prætereunda hìc non est virorum Augustiniani sensûs peritissimorum animadversio, quòd S. Doctor *charitatis* nomine non in stricta semper significatione utatur, quin illud extendat etiam ad amorem spei proprium, ut ipse hic se Augustinus explicuit, de quo plura dabimus in solutionibus objectionum. Enarratione in psalm. 77. *Rectum cor cum Deo est, quando propter Deum quærit Deum: unam quippe concupivit à Domino, hanc requiret, ut habitet in domo Domini semper, & contempletur ejus delectationem*. Videri quoque possunt enarrationes in Psalmum 43. & 72.

Confirmandis in Ecclesiæ doctrina Catholicis, & dissipandis tenebris, quas Bajana, & Janseniana factio inducere conatur Augustiniano sensui, hæc abunde sufficiunt; sed quid tandem sufficere potest convertendis iis, quos contra Sedem Apostolicam, contra omnes ei adhærentes Catholicos suscitat rabies, & in erroribus detinet pertinacia, diabolicæ vix dissimilis.

4 Attamen, ut consulamus ampliùs saluti eorum, quos fortè nondum obcæcavit malitia; sed in errorem traxit Bajanorum, & Jansenistarum hypocrisis, specioso Augustiniani nominis obtentu, pergamus cumulare dilucidas S. Antistitis sententias pro spe, ejusque à prima virtute Theologica præscindentis honestate. In Psalm. 134. *Hoc est gratis amare, non quasi proposita acceptione mercedis, quia ipsa merces tua summa Deus ipse erit, quem gratis diligas: & sic amare debes, ut ipsum pro mercede desiderare non desinas, qui solus te satiet*.

Adeò Deus, Augustino interprete, erga homines benignus est, ut quasi gratis, & absque mercede amari se æstimet, quoties non aliam mercedem petimus, quàm ipsum optimum largitorem, qui summa nostra & æterna felicitas est. Serm. 1. in Psalm. 103. *Latitudo est in bonis operibus, longitudo in perseverando usque in finem, altitudo propter sursum cor, ut omnia bona opera nostra, in quibus perseveramus usque in finem, habentes latitudinem, qua bene operamur, & longitudinem, qua perseveramus usque in finem, non faciamus nisi spe cœlestium præmiorum; ipsa est enim altitudo, non hic quærere mercedem; sed sursum*. Igitur spes cœlestium præmiorum Augustino honesta est, & à noxio amore mundi remotissima.

Idem aliis verbis traditur sermone 19. de diversis, juxta editionem novam serm. 25. *Cùm Christus apparuerit vita vestra, tunc & vos cum ipso apparebitis in gloria. Ecce dies boni: ipsos desideremus: propter hoc vivamus: propter hoc oremus, propter hoc eleemosynas demus*. Si juxta Augustinum laudabile est, dare eleemosynas ad obtinendos dies bonos æternæ vitæ, non est istud amare mundum, neque omnis actio, ab amore benevolentiæ sejuncta, est vitiosa cupiditas.

Sermone juxta novam editionem 259. *Fratres, hortamur, & obsecramus vos in nomine Domini nostri Jesu Christi.... ut omnis intentio vestra, qua Christiani estis, & nomen ejus in fronte, & in corde portatis, non dirigatur nisi ad illam vitam, quæ nobis cum Angelis est futura: ubi perpetua quies, sempiterna lætitia, indeficiens beatitudo, nulla perturbatio, nulla tristitia, nulla mors*.

Serm. 105. de diversis juxta novam edit. serm. 282. *Neque enim omnes Martyres in certamine passionis, atque confessionis ad tempus fortiter laborarent, nisi ut perpetuâ felicitate gauderent*.

5 Juxta eandem edit. serm. 302. aliàs de diversis serm. 111. *Hinc intelligitur, quare sumus Christiani; quia non propter temporalia, & transeuntia, vel bona, vel mala; sed propter vitanda mala, quæ non transibunt, & propter adipiscenda bona, quæ terminum non habebunt*.

Iterum

Iterum sermone 150. edit. novæ „ Generaliter audite omnium Philosophorum „ commune studium, in quo studio communi habuerunt quinque divisiones, & „ differentias sententiarum propriarum. „ Communiter omnes Philosophi studendo, quærendo, disputando, vivendo „ appetiverunt apprehendere vitam beatam, hæc una fuit causa philosophandi; „ sed puto, quòd hoc Philosophi nobiscum „ commune habent; si enim à vobis quæram, quare in Christum credideritis, quare Christiani facti fueritis, veraciter mihi „ omnis homo respondet, propter vitam „ beatam. Appetitio igitur beatæ vitæ „ Philosophis, Christianisque communis „ est. „

In Psalm. 102. „ Laudari se vult Deus, „ & hoc, ut tu proficias, non ut ille sublimetur, non est omnino quòd illi retribuas; & quod exigit, non sibi, sed tibi „ exigit: tibi proderit, tibi servatur. Non „ hoc à te amat, quod illum augeat; sed „ quod te ad illum perducat. Propterea „ quærebant Martyres &c. „

Lib. 8. de Gen. ad litt. cap. 11. „ Deus „ quippe nostrâ servitute non indiget; nos „ verò dominatione illius indigemus, ut „ operetur, & custodiat nos, & ideo verus solus est Dominus; quia non illi ad „ suam, sed ad nostram utilitatem, salutemque servimus. Nam si nobis indigeret, eo ipso non verus Dominus esset; „ cùm per nos ejus adjuvaretur necessitas, „ sub qua & ipse serviret. Meritò ille in „ Psalmo, *dixi*, inquit, *Domino Deus meus* „ *es tu, quoniam bonorum meorum non* „ *eges*; nec ita sentiendum est, quod diximus, nos illi ad utilitatem nostram, salutemque servire, tanquam aliud aliquid „ ab illo expectemus, quàm eum ipsum, „ qui summa utilitas, & salus nostra est; sic „ enim eum gratis, secundùm illam vocem „ diligimus: *mihi autem adhærere Deo bonum est*. „

6 In Psalm. 149. „ Cantate Domino „ canticum novum: vetus homo vetus canticum: novus homo novum canticum: vetus testamentum vetus canticum: novum „ testamentum novum canticum. In veteri „ testamento promissiones sunt temporales, & terrenæ: quisquis terrena diligit, „ vetus canticum cantat: qui vult cantare „ canticum novum, diligat æterna. „

In Psalmum 120. „ Quando facis bonum opus, propter vitam æternam fac; „ nam si opus bonum in terra propterea „ feceris, ut terrena tibi abundent, scit sinistra tua, quid faciat dextera tua: miscuisti dexteram sinistræ. Noli facere „ nisi propter vitam æternam; ideo fac, & „ securus facies; hoc enim mandavit Deus „. Habemus actum spei solâ consistentem concupiscentiâ cœlesti, præscindentem ab amore Dei benevolo super omnia, & tamen ab Augustino tot sermonibus, tot psalmorum commentariis commendatum.

7 Non desunt etiam ejusdem Sanctissimi Doctoris sensus conspicui pro virtutum moralium actibus, ab amore Dei, qui omnia agit propter Deum, non solommodo distinctis, sed etiam minimè procedentibus, vel imperatis.

Sic lib. 4. contra Julianum capite 3. de virtutibus Infidelium, in quibus constat non esse amorem Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur præmio spirituali, & supernaturali, ut Quesnelli supponit enunciatio: de talibus, inquam, virtutibus ita Julianum monet: *Quantò tolerabiliùs illas, quas dicis in impiis esse virtutes, divino muneri potiùs, quam eorum tribueres tantummodo voluntati; licèt ipsi hoc nesciant!* Cùm asserantur de impiis, & infidelibus quòd ignorent, Dei dona esse, quæ non sinè speciali Dei auxilio, & munere operantur, clarum est, virtutes illas non procedere ex Dei amore, qui omnia agit propter Deum. Nec minùs certum Augustino est, virtutes illas, quæ Divino potius muneri, quàm Infidelium voluntati tribuendæ sunt, non esse peccata, nè Deus statuatur author peccati, quæ recentium hæreticorum blasphemia est, à Tridentinis Patribus percussa anathemate.

8 Libro de Spiritu & litt. cap. 27. „ „ Si autem hi, qui naturaliter quæ legis „ sunt faciunt, nondum sunt habendi in „ numero eorum, quos Christi justificat „ gratia; sed in eorum potiùs, quorum „ etiam impiorum, nec Deum verum veraciter, justèque colentium; quædam „ tamen facta, vel legimus, vel novimus, „ vel audivimus, quæ secundùm justitiæ „ regulam non solùm vituperare non possumus: verùm etiam meritò, rectèque „ laudamus; quanquam, si discutiatur „ quo fine fiant, vix inveniantur, quæ justitiæ debitam laudem, defensionemque „ mereantur. „

Memoratam Augustini sententiam referens Cardinalis Bellarminus lib. 5. de gratia & lib. arbit. cap. 9. „ Notandum est, „ (inquit) illud *vix*; verè enim magna „ pars operum infidelium ob finem pravum, „ ad quem referuntur, peccata simpliciter „ sunt;

„ sunt; quædam tamen, tametsi pauca, „ inveniuntur, quæ nullo malo fine vitiantur; & ea non peccata; sed opera bona „ simpliciter debent dici. Itaque idem „ Augustinus continuò ita subjungit: *Verumtamen, quia non usque adeò in animâ humanâ imago Dei terrenorum affectuum labe detrita est, ut nulla in eâ velut lineamenta extrema remanserint; unde meritò dici possint etiam in ipsa impietate vitæ suæ facere aliqua legis, vel sapere &c.* Quorum verborum hic esse videtur sensus: Si „ quæramus opera bona infidelium, quæ „ propter malum finem facta non sint, ac „ per hoc simpliciter bona sint, *vix* invenire poterimus; tamen ejusmodi aliqua „ esse, indè colligi potest, quòd imago „ Dei in anima humana per peccatum non „ omnino sublata est. Quare paulò post „ hæc adjungit (Augustinus) *Sicut enim non impediunt à Vita æterna justum quædam peccata venialia, sinè quibus hæc vita non ducitur; sic ad salutem æternam nihil prosunt impio aliqua opera bona, sinè quibus difficillimè vita cujuslibet pessimi hominis invenitur.* „ Hæc tamen bona opera non provenire ab amore Dei, omnia agente propter Deum, evidens est; aliàs enim impii esse desinerent, & infideles.

Tædet repetere inculcatam toties ex Augustini epistola 130. edit. vet. temperantiam Polemonis Ethnici, quæ sola debellando sufficiat errori, utpote, Augustino Judice, *Donum Dei*, atque adeò minimè mala; & tamen divinæ expers dilectionis *omnia agentis propter Deum*. Non minùs tetrica lectori foret iterata ex Augustino commemoratio gentilium Romanorum, qui *actibus strenuis promeruerunt à Deo imperium* lib. 5. de Civ. Dei cap. 12. qui tamen locus, etsi cætera deessent, omnem elabendi viam novis Augustini discipulis occludit. Romani enim illi caruerunt amore Dei omnia agente propter Deum, cùm essent Idololatræ. Si verò omnia ipsorum opera ab illo amore non proficiscentia fuissent peccata, nihil præmii; sed supplicium solummodo à Deo promereri potuissent.

9 Philippus Melanchton præcipuus Lutheri discipulus, & defensor, in apologiâ titulo *de Justificatione* pressus authoritate Augustini, perspicuè admittit opera quædam infidelium ornari à Deo temporalibus præmiis; monet tamen non esse laudanda cum contumelia Christi, ut laudari dicit ab eis, qui negant esse vera peccata coram Deo. Verùm respondet Bellarminus lib. 5. de gratia & lib. arb. cap. 12. *Nos non ea laudamus cum contumelia Christi, cùm dicamus nihil prodesse ad vitam, & salutem, quæ est in Christo Jesu. Ipse verò* (Melanchton) *ea damnat cum contumelia Creatoris. An non fit injuria Deo, si dicatur ornare præmiis peccata? Et non dicitur cum contumelia Conditoris peccata esse, quæ ex bono naturæ ab illo condita sunt?*

Sive autem ex solis naturæ viribus, & speciali intrà naturæ ordinem concursu, sive etiam ex supernaturali auxilio, ista in infidelibus opera sint, constat ex Augustino esse bona, & naturali præmio, Imperii scilicet amplitudine, à Deo retributionem accepisse. Talia verò opera infidelibus esse nata ex amore Dei, qui omnia agit propter Deum, caverint adversarii affirmare, nè sibilis excipiantur à doctis omnibus, & indoctis.

Idem nobiscum tradit Augustinus Epistola 5. ad Marcellinum: *Rempublicam primi Romani constituerunt, auxeruntque virtutibus; etsi non habentes veram pietatem erga Deum verum, quæ etiam illos in æternam civitatem posset salubri religione perducere .... Deus enim sic ostendit, quantum valerent civiles etiam sinè vera religione virtutes.*

Neque responderi ab adversariis potest, opera virtutum in infidelibus semper fieri ab eis intentione prava vanæ gloriæ, vel in honorem falsorum Deorum, vel fine simili: responderi hæc, inquam, ab adversariis non possunt, cùm sic Augustino non virtutes fuissent, sed vitia; quia, juxta S. Doctorem, virtutes non officiis, sed finibus discernuntur à vitiis. Hoc ipso itaque, quo virtutes sunt, non tantùm officio bonæ sunt; sed etiam fine; nam, ut ait August. lib. 2. de libero arbit. cap. 19. *Virtutibus nemo malè utitur; cæteris autem bonis, idest, mediis, & infimis, non solùm bene, sed etiam malè quisque uti potest: & ideo virtute nemo malè utitur; quia opus virtutis est bonus usus istorum, quibus etiam non bene uti possumus; nemo autem bene utendo, malè utitur.*

Idem repetit lib. 1. retractationum cap. 9. sicut & lib. 2. de peccatorum meritis cap. 18. *Voluntatis arbitrium in eis naturalibus bonis est, quibus & malè uti malus potest; sed voluntatem bonam* (nempe volitionem bonam) *quæ jam in eis bonis est, quorum esse usus non potest malus, nisi ex Deo nobis esse non posse &c.*

S. Thomas 1. 2. quæst. 55. art. 4. corp. referens, approbat illam Hipponensis Antistitis definitionem: *Virtus est bona qualitas mentis, quæ rectè vivitur, & qua nemo malè utitur.*

Hine descendo ad alia inferioris notæ opera. Cœlestius Pelagii discipulus objecerat Augustino illud Apostoli 1. Cor. 7. *Quod vult, faciat: non peccat, si nubat*. Hoc nempe in potestate voluntatis humanæ positum Paulus indicat, non requisito ad hoc volendum gratiæ auxilio. Respondet August. lib. de perfectione justitiæ responsione penultima: *Videte obsecro, quale sit, volenti & currenti, misericordiam Dei non necessariam dicere; quia de quodam ait Apostolus, Quod vult, faciat: non peccat, si nubat. Quasi pro magno habendum sit velle nubere, ubi de adjutorio Divinæ misericordiæ operosiùs disputatur*.

Hanc Augustini responsionem considerans Eminentissimus Bellarminus lib. 5. de gratia & libero arbitrio cap. 9. sic concludit: *Itaque concedit Augustinus, in hujusmodi operibus humanis, quæ ad salutem non pertinent, auxilium gratiæ non semper requiri: & tamen hæc opera bona sunt, cùm peccata non sint, Apostolo teste, qui ait: Non peccat, si nubat*. Forsitan Scotistæ contendent, istiusmodi opera non esse bona moraliter; sed physicè tantùm; moraliter autem indifferentia; verùm sive moraliter bona vocaveris, sive indifferentia, sufficit nobis non esse peccata judicio Apostoli; Augustini autem neque peccata esse, neque, ut sinè peccato ea velimus, opus esse gratiæ auxilio, ac proinde *non amore Dei qui omnia agat propter Deum*, quique sinè gratia Dei non elicitur. Plura ex Augustino & cæteris Patribus occurrent in responsionibus ad argumenta adversariorum.

CAPUT VII.

Eadem propositio contraria est communissimæ doctrinæ Scholasticorum; imprimis SS. Thomæ & Bonaventuræ.

1 Scholasticorum agmen jure suo ducat Doctor Angelicus in 2. dist. 41. quæst. 1. art. 2. ad 2. *Fides dirigit intentionem in finem ultimum; Sed ratio naturalis, vel prudentia potest dirigere in aliquem finem proximum* (misericordiæ, justitiæ, temperantiæ &c.) *& quia ille finis proximus est ordinabilis in finem ultimum, etiamsi actu non referatur; ideo in infidelibus, quorum actus per vim rationis in talem finem diriguntur, possunt dici actus esse boni; sed deficientes à perfecta bonitate, secundùm quòd actus est meritorius &c.* Dein subdit: *Quamvis ab infidelium actibus subtrahatur illa bonitas, secundùm quam actus meritorius dicitur; remanet tamen bonitas alia, vel virtutis politicæ, vel ex circumstantia, vel ex genere, & ideo non oportet, quòd omnis eorum actus sit malus*; esset autem, si omnis amor, qui non est Dei super omnia, esset mundi, & malus; aut si ex amore hoc sordido nasceretur omnis nostra volitio, & actio, quæ non oritur ex amore Dei omnia agente propter Deum.

Idem Sanctus 2. 2. quæst. 10. artic. 4. „ Utrum omnis actio infidelium sit peccatum,„ responder in Corpore:„ Peccatum „ morrale tollit gratiam gratum facientem; „ non autem totaliter corrumpit bonum „ naturæ. Unde, cùm infidelitas sit quoddam peccatum mortale, infideles quidem „ gratiâ carent; remanet tamen in eis aliquod bonum naturæ. Unde manifestum „ est, quòd infideles non possint operari „ bona opera, quæ sunt ex gratia; scilicet „ opera meritoria; tamen bona opera, ad „ quæ sufficit bonum naturæ, aliqualiter „ operari possunt. Unde non oportet, quòd „ *in omni opere suo peccent*. „ Peccarent autem in omni opere, si omne opus, quod non est amor Dei omnia agens propter Deum, neque ex illo amore profluit, foret amor illicitus, vel ex illo duceret originem.

D. Thomas ibidem: „ Sed quandocunque aliquod opus operantur ex infidelitate, tunc peccant. Sicut enim habens „ fidem, potest aliquod peccatum committere in actu, quem non refert ad fidei „ finem, vel venialiter, vel etiam mortaliter peccando: ita etiam infidelis potest „ aliquem actum bonum facere in eo, quod „ non refert ad finem infidelitatis; „ Si nempe opus suum dirigat in finem moralis honestatis, continentiæ, temperantiæ, justitiæ, misericordiæ, vel similis virtutis naturalis.

2 Iterum in caput 14. Epistolæ ad Romanos lect. 3. *In homine infideli cum infidelitate est bonum naturæ: & ideo, cùm aliquis infidelis ex dictamine rationis aliquod bonum facit, non referendo ad malum finem, non peccat; non tamen opus ejus est meritorium, quia non est gratiâ informatum*; Ergo infidelis ex dictamine rationis facit aliquod bonum, quod neque in Deum super omnia dilectum referat, neque in finem malum. Non est igitur verum, quòd omnis actio, quæ non nascitur ex amore Dei omnia agente propter Deum, sit mala, sive ex amore malo perversam trahat originem.

Denique idem Sanctus in caput 1. Epistolæ ad Titum lect. 4. exponens illud Apostoli

ftoli: *Coinquinatis autem, & infidelibus nihil eſt mundum*. Sic obſervat: *Quando peccator facit aliquod bonum, ſecundùm quòd eſt peccator, & infidelis, totum eſt peccatum ex radice. Sed, ſi quid facit ex principio alicujus boni, quod habet, ut fidei informis, vel naturæ, non eſt immundum*: ideſt, ſi peccator, & infidelis aliquid officio bonum facit ex motivo peccati, dando eleemoſynam ex vana gloria, vel in honorem falſorum Numinum, largitio illa tota ex radice peccatum eſt; Sed, ſi detur eleemoſyna ex motivo miſericordiæ, quia honeſtum eſt, & rationis naturalis dictamini conforme ſublevare miſeriam indigentis, tunc beneficentia illa immunda non eſt; non tamen eſt amor Dei ſuper omnia, neque ex illo naſcitur. Non igitur juxta Angelicum, omnis volitio, & actio noſtra oritur ex amore illo Dei ſancto, vel mundi noxio.

3 Doctori Angelico ſuffragatur Seraphicus etiam honeſtis actibus ſuperaddens indifferentes, in 2. diſt. 41. artic. 1. quæſt. 3. „ Non omnis, inquit, actio non ordinata ad Deum tamquam ad finem eſt mala, quando quis facit operationem, ita quòd circa creaturam non afficiatur inordinatè; nec tamen illam operationem refert ad Deum, ſed facit propter aliquem finem, qui reſpicit indigentiam naturæ, ut cùm aliquis ambulat, ut recreetur, vel comedit, ut reficiatur, talis actio indifferens judicatur; quia in tali actione non eſt malitia commiſſionis; quia non eſt inordinata dilectio: nec etiam omiſſionis; non enim ſemper omittit homo, quando actiones ſuas non refert in Deum; indulget enim naturæ fragili, & infirmæ, ut multa poſſit talia non facere, nec Deus requirit ab homine in ſtatu diſtractionis, & miſeriæ, quòd omnia, quæ facit, referat ad Deum.

Hanc Sententiam iiſdem verbis adducit Eminentiſſimus Aguirre Theologiæ S. Anſelmi diſputatione 130. ſect. 4. quibus hoc ſubdit epiphonema: *Hactenus ille Seraphicus, & ardentiſſimus Dei amator: qui tamen religionem non injecit ordinandi omnia opera in Deum ex dilectione ipſius; ſed ab ea hominem fragilem, & infirmum exemptum docuit. An fortaſſe qui in Belgio* (aut Gallia) *oppoſitum tam acriter tuentur, ardentiori quàm Bonaventura charitate flagrant? Nemo ita credet*. Minùs etiam crederet idem pius pariter, ac doctus Cardinalis, ſi ſupereſſet hoc tempore, quo tot infames Satyræ contra Sedem Apoſtolicam, & Sanctiſſimam ejus Conſtitutionem Unigenitus prodeunt ab illis charitatis continuæ veluti præceptæ buccinatoribus, veris perturbatoribus Eccleſiæ, contemptoribus omnis authoritatis, quæ ſub cœlo eſt; quorum dignam hæreticis furentibus, & obſtinatiſſimis charitatem, odium ſcilicet implacabile, & rabiem experiri coguntur quotidie, quicunque zelum præ ſe ferunt catholicum pro eadem CLEMENTIS XI. contra novam hæreſim definitione. Verus charitatis præco non minùs operibus, quàm verbis fuit S. Franciſcus Saleſius, cujus clariſſima pro communi doctrina Eccleſiæ teſtimonia referam capite ſequenti.

4 Sanctis Eccleſiæ Magiſtris conſentit Doctor Subtilis in 2. diſtinct. 14. quæſt. 1. num. 4. *Non tenetur homo nec tentione neceſſitatis, contra quam ſit peccatum veniale, referre ſemper actum ſuum in Deum actualiter, vel virtualiter; quia Deus non obligat nos ad hoc*. Subſcribunt Durandus in 2. diſtinctione 38. quæſt. 4. num. 8. Alexander Alenſis, Dionyſius Cartuſianus, Dominicus Soto, Petrus Ledeſma, Cajetanus, Guilielmus Herinx Epiſcopus Iprenſis, Janſenii in Sede, non in erroribus ſucceſſor, diſtinctione 3. de bonitate & malitia actuum humanorum quæſt. 4. Martinus Rithovius Janſenii in eadem Sede prædeceſſor. Ruardus Tapperus de libero arbitrio art. 7. Lovan. §. *Et quia*. Driedo libro 1. de gratia & libero arbitr. cap. 4. Clarius in Theſibus Lovanii anno 1614. die 21. Octob. Joannes Wiggers in Theſibus Lovanii anno 1637. die 31. Martii.

Quamvis autem diffiteri non poſſumus, quin poſt Baji & Janſenii tempora Lovanii fuerint utriuſque in damnatis erroribus Sectatores, cùm tamen facultas illa Theologica, non minùs quàm Duacena, Colonienſis, Muſſipontana, Conimbricenſis, & aliæ per Europam academiæ Catholicæ Bullam Unigenitus debitâ ſubmiſſione, & obedientia ſuſceperit cum Epiſcopis ferè omnibus, certè longè pluribus, quàm Oecumenico, ſubinde interfuerint Concilio, meritò Lovanienſis Academia cum cæteris citatis damnato Queſnelli articulo refragari cenſenda eſt. Fore autem ut fidem illa deinceps teneat, ſperare licet tum à Doctorum, illic bodie prævalentium pietate, tum à Belgicorum omnium Antiſtitum, præſertim Excellentiſſimi Primatis Archiepiſcopi Mechlinienſis eximio pro Fide Catholica zelo, protecto ab Auguſtiſſimi & Catholiciſſimi Principis Majeſtate atque Potentia.

Finio cum monito Cardinalis de Aguirre Theologiæ S. Anſelmi diſput. 130. ſect. 4. in fine. „ Tantùm moneo, adeò certam iis Do-

„ (Doctoribus Scholasticis) esse nostram Sententiam, ut quatuor nuper allegati, nimirum D. Thomas, S. Bonaventura, Scotus, & Durandus, omnesque illorum Sectatores, inter quos circa res alias in Scholis controversas acre dissidium esse solet, in hac fine pugna aut altercatione convenerint: quod sanè argumento est, certissimam illam iis omnibus extitisse; ut proinde in hac re locum habeat, quod aliàs scitè observavit Melchior Canus lib. 8. de locis cap. 4. dum dixit: *Non minùs mirandum est, varias Scholæ factiones, Doctoresque tam inter se discrepantes, in unam eandemque sententiam concurrisse, quàm 70. interpretes diversis, ut ferunt, cellulis inclusos in unam eandemque concurrisse interpretationem.*

CAPUT VIII.

S. Franciscus Salesius damnato errori clarissimè adversatur.

1 Sanctus Franciscus Salesius libro 11. de amore Dei cap. 13. *Jejunare*, inquit, *ad parcendum sumptibus, est bonum: jejunare, ad obsequium Ecclesiæ, est melius: jejunare, ad placendum Deo, optimum.* Atqui jejunare ad parcendum sumptibus, neque est volitio, vel actio orta ex amore Dei super omnia, ut paret; neque ex amore mundi malo, juxta Salesium, cùm *bona* sit. *Meliùs* quoque juxta eundem Sanctum est jejunium ex motivo obedientiæ, prout juxta Salesium à motivo amoris Dei distinguitur. Inter bona autem jejunia *optimum*, sed non solum bonum est, *ad placendum Deo*.

Eodem libro cap. 16. *Quantum autem ad timores Servorum, & mercenariorum, non procedunt equidem ab amore; sed ordinariè præcedunt ipsum amorem, ut ei sint instar prodromorum, & hospitium designantium, & ipsi sæpe sunt perutiles ejus servitio..... Divina bonitas volens in anima humana collocare magnum virtutum diversitatem, & tandem eam exornare sacro suo amore, utitur acu timoris servilis, & mercenarii, qua ordinariè omnium primò corda nostra punguntur.*

Cap. 17. *Quamvis timor servilis, & mercenarius plurimum sit utilis pro hac vita mortali &c.* Cap. 18. *Etsi Christus Salvator venerit, ut adferret nobis legem amoris; non intermisit tamen inculcare legem timoris: Timete, inquit, illum, qui potest corpus, & animam perdere in gehennam... Insumma timor iste comprehensus est in donis Spiritûs sancti.*

Habemus hìc timorem servorum bonum, & *perutilem*, etsi non *procedat ab amore*; sed præcedat, & serviat instar prodromi. Doctrina igitur S. Salesii directè opponitur errori damnato, statuenti, omnem actionem nasci ex amore mundi & malo, adeóque malum esse, qui non nascitur ex amore Dei omnia agente propter Deum: Nonne blasphemum esset accusare de malitiâ *Donum Spiritus sancti* aut origini tribuere perversæ?

2 Ibidem Sanctissimus Antistes tres timores describit salutares, & excludentes voluntatem peccandi: *Timor*, inquit, *eorum, qui veluti servi, & mancipia Dei legem observant, ad evitandas inferni pœnas, est bonus; sed longè nobilior, & desiderabilior est timor mercenariorum, qui velut servi pactâ mercede fideliter laborant; non equidem principaliter propter aliquem amorem, quem jam habeant versùs suos Dominos; sed ut salarium stipendii loco sibi promissum consequantur;* cujus quoque amittendi metu se à delinquendo continent. Deinde ostendit, tertium timorem filiorum duobus præcedentibus esse perfectiorem. Servorum quidem & mercenariorum timor ex amore nostri quodammodo oritur; sed perperàm amor iste cum amore noxio, vel mundi in damnata propositione confunditur. Amor etiam Spei, prout secunda virtus Theologica à Charitate distinctus, nascitur sano sensu ex amore nostri, sed sancto; non ex amore concupiscentiæ pravæ, ut proscripta *Moralis observatio* calumniatur.

Ita rursus Sanctus Salesius de amore Dei cap. 17. cui hic est titulus: *Quod Amor Spei sit valde bonus, licèt imperfectus*: Caput sic orditur: *Amor, quem in Spe exercemus, Theotime, tendit quidem in Deum; sed ad nos revertitur: spectat Divinam bonitatem; sed cum respectu ad nostram utilitatem: tendit ad supremam perfectionem; sed respicit nostram satisfactionem, idest, non transfert nos in Deum, qua Deus in semetipso summè est bonus: sed qua summè bonus est nobis. Amor ille, quem vocamus spem, est amor concupiscentiæ; sed concupiscentiæ sanctæ, & bene ordinatæ, per quem non trahimus Deum ad nos; sed ei nos jungimus, ut finali nostræ felicitati..... Cur igitur, Theotime, amamus Deum hoc amore concupiscentiæ? Quia est bonum nostrum. Sed cur amamus summè? Quia ille est summum bonum nostrum. Porrò quando dico à nobis summè amari, non dico eum à nobis amari amore perfectissimo; nam supremus amor non est nisi in charitate.*

3 Lib. 12. de amore Dei cap. 8. *OMNE QUOD-*

QUODCUMQUE FACITIS IN VERBO, AUT IN OPERE &c. *Quæ verba Apostoli, ut dicit Doctor Angelicus ea explicans, sunt insufficienti usu, quando nos possidemus habitum sanctissimæ charitatis; per quem licèt non habeamus expressam, & activam intentionem faciendi quidquid facimus, propter Deum; habemus tamen implicitè contentam in unione, & communione, quam cum Deo habemus, per quam omne bonum, quod facere possumus, unà nobiscum dedicatum est Divinæ bonitati:* quod illustrat exemplo: *Non est opus ut filius in ædibus paternis sub patris potestate commorans, declaret, quidquid acquirit, acquirere se patri; nam cùm filius sit sui patris, ab eo dependet, & quod provenit, ad patrem spectat. Sic & satis est, nos esse filios Dei per dilectionem,* (habitualem jam memoratam,) *ut, quidquid agimus, integrè destinatum sit ejus gloriæ.* Tum hortatur ad majorem perfectionem, & frequentem, imò quotidianam in oratione matutina, nostri, & rerum omnium ad nos pertinentium, actuumque oblationem. Ita Sanctus Divini amoris igne flagrantissimus in *suis scriptis cœlesti doctrina refertis, Ecclesiam illustravit, quibus iter ad Christianam perfectionem tutum, & planum demonstrat;* teste ipsa Ecclesia in officio ejus canonico: cui proin, uti & Sanctis Doctoribus Angelico, & Seraphico tutiùs adhærebimus; quàm paucis, quorum neque vitæ sanctitas authenticè probata est, neque doctrina, utpote sæpiùs damnata, umquam probabitur.

CAPUT IX.

Damnatæ Propositionis error ab Eminentissimo Lauræa argumento multiplici convincitur.

1 Quesnellus in Pseudonyma sua *Romanæ Ecclesiæ, & Summorum Pontificum defensione*, Romæ damnata §. 9. in communi Jansenianæ hæreseos à tot Pontificibus ad inferos demersæ naufragio, authoritatem Cardinalis Laurentii Brancati de Lauræa, veluti ultimam post naufragium tabulam avidus prensat, occasione prætensi cujusdam *Voti* ipsius Theologici, ex quo elicere arte veteratoriâ conabatur totius Janseniani sensûs liberationem ab omni anathemate; sed mendacium facilè deteget, quisquis *Votum* illud legerit oculis Janseniano fascino non offuscatis, maximè, postquam lucidissimi instar solis accessit CLEMENTIS XI. Constitutio *Vineam Domini Sabaoth.* Cùm igitur tanti ponderis Quesnello, & ejus sociis appareat Cardinalis istius authoritas, ut vellent Theologos omnes, atque universam deinceps Ecclesiam stare ejus judicio; nos vicissim, & multo æquiùs ab eis poscimus, ut non soli ejus suffragio; sed doctissimis pariter ejus rationibus, & totius potissimùm Ecclesiæ consensui tandem se dedant, atque Ecclesiam desinant *Protestationibus* schismaticis perturbare. Audiant igitur prætensum suum aliàs Patronum, opusculo 3., ut in libri titulo ponitur, *in commodum tironum S. Augustini studiosorum elucubrato.* Cap. 20. Author agens de infidelibus, quo nomine intelligit non solùm Gentiles, sed etiam Mohumetanos, Judæos & Hæreticos, asserit primò: *Non omnia opera infidelium esse peccata,* quod probat primò contra *quosdam Sciolos, qui cùm opera Augustini, vel non omnia, vel non accuratè legerint, S. Doctori Propositionem assertivam damnatam à Pio V., & Gregorio XIII. affingunt.* Probat inquam: *Primò ex Ecclesiæ damnatione, uti ex Constitutionibus præfatorum Pontificum.*

Probat secundò, quia aliqua opera infidelium commendantur in Sacra Scriptura: Jonæ 3. & 4., exemplum est de Ninivitis: *Vidit Deus opera eorum, quia conversi sunt de via sua mala, & misertus est Deus super malitiam, quam locutus fuerat, ut faceret eis, & non fecit.* Pœnitentia autem eorum non statim fuit ex amore Dei benevolo, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur, sed ex timore pœnarum à Deo imminentium, quo ad amorem necessarium se disposuerint; ita testante Tridentino Concilio sess. 14. cap. 4. *Hoc enim timore utiliter concussi Ninivitæ, ad Jonæ prædicationem plenam terroribus, pœnitentiam egerunt, & misericordiam à Domino impetrarunt, ut parceret Ninive civitati magnæ,* sicut Sacra refert historia; non tamen ut pœnitentes illi, saltèm plerique, justitiam stabilem consequerentur, & salutem, inquit Cardinalis: *Ninivitæ gentiles erant; Idola colebant; Imperator erat Sardanapalus, ex Saliano: in luxu, & ambitione vivebant, ait Lyranus; & pœnitentiam hanc egerunt: neque legitur, quòd desierint esse gentiles: igitur non semper, nec omnia infidelium opera sunt mala;* licèt non processerint ex amore Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur, præmio spirituali, & salutifero, ut partim asserit, partim supponit damnata Propositio.

2 Cardinalis autem post plura ex scripturis exempla, probat sententiam suam ter-

tertiò: „ Ideo Bajus, & alii asseruerunt hoc „ de Infidelibus (quòd omnia eorum opera „ essent peccata) quia Paulus Rom. 14. dicit: „ *Quod non est ex fide, peccatum est*, quasi ve„ lit dicere, quod actus omnes non solùm „ contra fidem, sed etiam actus virtutum „ moralium, qui fiunt ab hominibus sinè fi„ dei magisterio, seu dictamine, sint pec„ cata. Sed hæc explicatio falsa est: ergo. „ Minor probatur primò; Glossa interlinea„ ris, *quod non est ex fide*, ait: *Quod fit con„ tra fidem, id est contra conscientiam, ut cre„ datur malum esse*. Sic locum istum intelli„ gunt Divus Hieronymus, & Theodoretus „ (consentiente S. Thoma sub fidem lectio„ nis tertiæ) quia Apostolus loquitur de „ jejunantibus, de vescentibus carne, & „ non vescentibus, de bibentibus, & non „ bibentibus vinum; inquiens, quòd si al„ terutri alios judicant, cùm neutrum sit à „ fide determinatum, ipsimet contra rectam „ rationem faciunt, & peccant, si neutrum „ fides statuit; & hoc modo omnes Schola„ stici locum istum intelligunt.

„ Quo verò ad sententiam Augustini, di„ co, quòd S. Augustinus de actionibus In„ fidelium dupliciter locutus est; aliquan„ do dixit esse bonas; sed non ita bonas, „ ut debitam justitiæ laudem mereantur; id „ est, non sunt apud Deum meritoriæ vitæ „ æternæ; aliquando verò dicit esse pecca„ ta, quia non ex debito fine, aut ordine; „ sed cum aliqua mala circumstantia contra „ legem naturæ facta sunt.

3 Citatâ dein prolixâ sententiâ ex lib. de Spiritu, & litera cap. 27. à me etiam superiùs relatâ, sic Eminentissimus commentatur „ Tria hìc dicit (Augustinus) primò, „ quòd faciunt quædam opera, quæ non „ possunt vituperari. Secundò, quod de„ bent laudari; peccata autem vituperari „ debent, & non laudari. Tertiò dubitat, „ quòd recto fine non fiant: hæc est suspi„ cio, non assertio, alioquin essent vitupe„ randa. At, si fierent cum fine bono, na„ turali lumine, ac ratione cognito, licèt „ non essent bona supernaturaliter, essent „ bona moraliter; lumen namque naturæ „ dictat: *Quod tibi vis, alteri feceris: quod „ tibi non vis, alteri non feceris*: bonoran„ dos Parentes, succurrendum egenis &c.

„ Imò ex dist. 1. can. 7. JUS NATURA„ LE, leges censentur naturales, *quæ om„ nibus nationibus sunt communes ex instin„ ctu naturæ, ut viri, & feminæ conjunctio, „ liberorum successio, & educatio, communis „ omnium possessio, & omnium una libertas, „ acquisitio eorum, quæ cælo, terrâ, marique „ capiuntur; item depositæ rei, vel commoda„ tæ pecuniæ restitutio, violentiæ per vim re„ pulsio. Nam hoc, aut si quid huic simile est, „ nunquam injustum, sed naturale, æquum„ que habetur*. Si ergo ista, & similia inter „ infideles, Gentiles, Turcas, Hebræos „ &c. fiant ex fine simplici virtutis, ac ho„ nestatis, ex rationis naturalis dictamine, „ bona moralia sunt, non verò peccata &c.

„ Aliud exemplum laudis virtutum Infi„ delium, licèt Idolatrantium, ac Genti„ lium magno cum encomio habemus ex „ S. Augustino lib. 5. de Civit. Dei cap. 18., „ in quo loquens de Romano Imperio, „ laudat virtutes Romanorum „ (etsi ab amore Dei omnia agente propter Deum remotissimas) „ inter quas pro adipiscenda „ terrena Civitate excreverunt, invitans „ Christianos ad similes pro acquirenda „ Civitate Cœlesti, dicit: *Proinde per illud „ Imperium tam latum, tamque diuturnum, „ Virorum tantorum virtutibus præclarum, „ atque gloriosum, & illorum intentioni mer„ ces, quam quærebant, est reddita, & nobis „ proposita necessariæ commonitionis exem„ pla, ut, si virtutes, quarum istæ utcumque „ sunt similes, quas isti pro Civitatis terrenæ „ gloria tenuerunt, pro Dei gloriosissima Civi„ tate non tenuerimus, pudore pungamur*. „ Ecce quantum laudat (Augustinus) virtu„ tes Gentilium Romanorum.

„ In aliis autem locis damnat virtutes „ Infidelium, vel quia non referuntur ad „ Deum, vel quia sunt inflatæ, ac superbæ, „ scilicet ex fine vanæ gloriæ exercitæ, & „ ideo ait, dici vitia potiùs, quàm virtu„ tes.......... ratione finis mali, non „ quidem negativè tantùm; sed positivè „ eas damnat. Declaratur: Non referre „ actus virtutum ad Deum, stat duplici„ ter: positivè scilicet referendo ad aliud „ numen, vel Idolum: & negativè tantùm, non referendo ad Deum; sed nullo cogita„ to fine virtuosè operando. His ergo duo„ bus modis dicit Augustinus virtutes Infi„ delium non esse veras virtutes; sed potiùs „ vitia, quando non referuntur ad verum „ Deum; sed ad falsum Infidelium Numen: „ vel quando, nec etiam ad hoc referun„ tur; sed propter vanam gloriam exer„ centur. Si enim hæc duo absint, & ex ip„ sius virtutis, ac rectæ rationis naturalis „ dictamine exerceantur, non video quo„ modo Augustinus eas damnaret; non „ enim credo, quod damnaret sui procrea„ tionem, & educationem à patre infideli, „ neque conjugium ejus cum matre sua, si „ non ob libidinem; sed propter prolem

factum

„ factum fuerit. Neque damnaret, quòd „ Infidelis honoret Parentes, ficut ipsemet „ Manichæus faciebat, neque fi fur refti- „ tueret furata domino, & cætera fimilia;„ quæ tamen uti patet, non nafcuntur ex amore Dei, qui omnia facit propter Deum.

4 Profequamur verba Cardinalis, „ Se- „ cundùm Auguftini dictum de operibus „ Infidelium, quando funt peccata, habe- „ tur In lib. 15. de Civitate Dei cap. 20., „ ubi loquens de iis, qui ob finem virtu- „ tis ab opere generandi fe abftinent. Di- „ cit: *Secundùm hominem quippe vivunt, non* „ *fecundùm Deum. Et Indorum Gymnofophi-* „ *ftæ, qui nudi perbibentur philofophari in* „ *folitudinibus Indiæ, Cives ejus* (terrenæ „ Civitatis) *funt, & à generando fe cohibent;* „ *non enim eft hoc bonum, nifi fit fecundùm* „ *fidem Summi Boni, qui eft Deus*. Exiftimo, „ quòd S. Auguftinus ibi noluit damnare „ cælibatum, dicens non effe bonum; fed „ quòd ille non eft verè bonus, id eft meri- „ torius, conducens ad falutem, & quia fine „ vanæ gloriæ, & cum relatione ad falfum „ eorum Numen fiebat.„ (Dein pluribus „ interpofitis) „ Auguftinus eodem modo „ intelligendus eft, cùm in Libro de Nu- „ ptiis, & Concupifcentia cap. 4., dicit, „ Infideles non habere veram virtutem „ pudicitiæ virginalis, vel conjugalis: & „ in cap. 3. cùm dicit Infideles habentes „ pudicitiam conjugalem propter motivum „ aliquod humanum, non habent donum „ Dei. At non dicit, hæc facta effe peccata; „ fed quòd non funt veræ virtutes condu- „ centes ad falutem, eo quòd à fide non „ dependent: illa enim eft falutis initium, „ & finè ea impoffibile eft placere Deo, in „ ordine ad falutem.

„ Ex quibus omnibus collige, quòd, dum „ docet, opera Infidelium non effe bona, de- „ bet intelligi de bonitate, quam afferebat „ Julianus, ideft, conducente ad falutem „ finè gratia Dei; de hoc fiquidem puncto „ erat difputatio, non de bonitate naturali, „ feu morali; dum verò dicit, effe mala, lo- „ quitur de operibus moralibus ex fe bo- „ nis, fed factis cum circumftantia mala, vel „ contra præceptum Dei. Exempla clara „ funt: quia exemplificat de Judice acci- „ piente perfonam pauperis, & de Saule „ contra Dei præceptum non occidente „ Agag Regem Amalecitarum: & exiftimo „ non poffe aliter explicari, neque hìc, ne- „ que alibi S. Auguftinum. Alioquin ipfe „ peccaffet, cùm ufque ad annum ætatis „ 29. honoravit Parentes, laudavit Deum, „ quoquo modo in Manichæifmo appre- „ henfus; fi legem naturæ fervavit, fecun- „ dùm rectam rationem operans.

5 In Manichæifmo Auguftinus, & alii fubinde hæretici, laudant Deum finè peccato, etfi laudatio in ipfis non *nafcitur ex amore Dei, qui omnia facit propter Deum*. Pergit Cardinalis: „ Neque eft dicendum „ malum, atque peccatum, cùm opus mife- „ ricordiæ factum à Samaritano in eum, qui „ in Latrones inciderat, & fpoliatus jace- „ bat in via femivivus; quod tamen opus à „ Chrifto fuit commendatum Luc. 10., & „ legisperito, qui interrogaverat eum: *quis* „ *eft meus proximus*? Poft narrationem hi- „ ftoriæ, feu parabolæ dixit: *Vade, & tu* „ *fac fimiliter*. Ideo fupradicto modo in- „ telligendus eft Auguftinus: quando dicit, „ opera Infidelium, etiam rectæ rationi „ conformia, non effe bona, loquitur de „ bonitate fupernaturali, feu conducente „ ad falutem, finè gratia: quando dicit, effe „ mala, loquitur de operibus fecundùm fe, „ ex objecto bonis, fed quæ ex fine, vel „ aliâ circumftantiâ malâ, funt mala.

„ Imò obfervo in quibufdam Auguftini „ locis, quòd non folùm negat omnia Infi- „ delium opera effe peccata, fed aliquando „ (ait) effe bona, & ex Dei auxilio facta... „ ......in lib. 4. contra Julianum cap. 9. „ loquens de virtutibus, quas Julianus ad- „ mittebat in Infidelibus, dicit........ „ *Quantò ergo tolerabiliùs illas, quas dicis* „ *in impiis effe virtutes, Divino muneri po-* „ *tiùs, quàm eorum tribueres tantummodo* „ *voluntati*. Si ergo virtutes Infidelium „ aliquando Divino muneri poffunt adfcri- „ bi, non funt peccata femper „ licèt non oriantur ex amore Dei, qui omnia agit propter Deum: qualem amorem non repe- riri in Infidelibus *impiis* perfpicuum eft.

De Auguftino iterum Cardinalis ait „ „ in Epiftola 130. novæ editionis 144. con- „ cedit continentiæ conjugalis, & caftitatis „ virtutes, etiam in Infidelibus à Deo pro- „ venire, utens argumento bonorum cor- „ poris, quæ in eis à Deo funt...... fcio „ quemlibet dicturum, quòd ficut pulchri- „ tudo, vires &c. pertinent ad ordinem „ naturæ, fic & continentia, atque caftitas, „ quas S. Auguftinus dicit Infidelibus à „ Deo concedi. Hoc mihi fufficit; non „ enim contendo, quòd virtutes Infidelium „ pertineant ad ordinem gratiæ, & quòd „ fint conducentes ad falutem; fed quòd „ non fint peccata; fi enim à Deo dantur, „ peccata non funt „ Et tamen, ut patet originem fuam non debent *amori Dei, qui omnia agit propter Deum*.

6 Dein

6 Dein Eminentissimus Cardinalis ex Augustini sermone 52. de tempore cap. 2. refert sequentia: *Charitas alia est Divina*, „ *alia humana*: *humana alia est licita*, *alia* „ *illicita* . . . . . . *humana charitas non solùm* „ *ita licita est*, *ut concedatur*; *sed ita licita*, „ *ut*, *si defuerit*, *reprehendatur*. *Liceat vobis* „ *humana charitate diligere conjuges*, *filios*, „ *amicos &c. Sed videtis illam charitatem* „ *esse posse & impiorum*, *idest Paganorum*, „ *Judæorum*, *Hæreticorum*:„(à quibus procul abest amor Dei omnia agens propter Deum) „ lib. 1. de gratia Christi cap. 24. „ (Augustinus) considerans factum Assueri „ erga Esther, dicente Scriptura: *Deus* „ *transtulit indignationem ejus in lenitatem*, „ ait: *intueantur*, *atque fateantur* (Pelagia- „ ni) *non lege*, *atque doctrinâ insonante fo-* „ *rinsecus*; *sed internâ*, *& occultâ*; *mirabili*, „ *ac ineffabili potestate operari Deum in cor-* „ *dibus hominum*, *non solùm veras revelatio-* „ *nes*; *sed etiam bonas voluntates*. Notum „ enim est Esther 15., quòd Assuerus ad „ petitionem Esther mutavit voluntatem „ suam lædendi Populum Hebraicum, „ qui erat trucidandus, in voluntatem ei „ faciendi, ut fecit „ Voluntatem hanc Assueri, judicio Augustini, bonam operatus est Deus; non tamen per amorem Dei omnia agentem propter Deum.

Denique, ut multa alia pro communi sententia omittam Eminentissimi Cardinalis argumenta, ita tractationem concludit: „ Patet ergo; quòd qualitates virtutis, „ quæ ad felicitatem æternam conducunt „ (Augustinus) in virtutibus moralibus In- „ fidelium negat; at non dicit, esse peccata, „ nisi ex fine malo exerceantur, humanæ „ gloriæ, verbi gratia, vel,ut falsis Diis pla- „ ceant. Prudentia enim, justitia, fortitu- „ do, ac temperantia cum suis speciebus, „ seu partibus potestativis vel conside- „ rantur ut habitus tantùm, vel ut actus „ tantùm, vel ut actus procedentes ab ha- „ bitibus; quocunque modo consideran- „ tur, secundùm se sunt rectæ rationi con- „ formes; recta autem ratio specificat bo- „ nitatem in actibus,quos dirigit. Si autem „ infidelis habituatus in his virtutibus, vel „ in eatum aliqua veniret ad fidem, in eis, „ vel in aliqua, quam haberet, operare- „ tur tunc eâdem facilitate, ac promptitu- „ dine, sicut priùs operabatur. At post „ receptam fidem sunt eædem qualitates, „ quæ erant ante fidem: tunc post fidem „ malæ non sunt; ergo neque ante. In hoc „ differunt, quia si post fidem exerceantur „ in gratia, sunt meritoriæ; non autem „ ante. At dato, quod post fidem non „ exerceantur in gratiâ, vel neque explici- „ tè propter Deum, vel propter finem vir- „ tutis, numquid malæ sunt? Absit, ergo „ neque ante. Quæ de hoc puncto dixisse „ sufficiat.„

Hactenus Cardinalis non solùm Catholicis; sed etiam Quesnello venerabilis. Meminerint autem, ut sub initium monui, qui & Augustini se discipulos prædicant, & doctissimum hunc Cardinalem magni facere se simulant, velut sibi aliàs patrocinantem, opusculum hoc *in commodum tironum Sancti Augustini doctrinæ studiosorum elucubratum* fuisse.

CAPUT X.

Damnatus error lumini rationis contrarius, & omnem subruens religionem.

1 Quid magis horridum, & rationis dictamini oppositum, quàm peccati reum arguere, si quis rigescens frigore se calefaciat; si, nè inediâ conficiatur, corpus cibo modico reficiat; si atentes siti fauces aquæ potu refocillet; si æger convenientem adhibeat medicinam, saucius vulnera obliget, & alia istiusmodi sustinendo corpori necessaria agat, non voluptate, non alio fine illicito ductus, sed merâ conservandæ viræ, ac sanitatis necessitate, saltèm, si & honestatis ratio accesserit; quia vires corporis ad functiones animi conservare laudabile est, ad defendendam Rempublicam, administrandam justitiam, & reliqua virtutum moralium exercenda opera. Crescit pravitas erroris, dum ipsa virtutum qualiumcunque exercitia, quæ charitatem præcesserint, vel ab ea non traxerint originem, in cloacam vitiorum, velut sordida abjiciuntur.

Statuamus itaque Patrem familias, qui egestate pressus, labore manuum, & sudore vultûs, sibi, uxori, liberis victum comparet sinè fraude, atque omni specie injustitiæ: qui omne necessariæ sustentationi reliquum in pauperes eroget: qui quocunque potest modo proximis opituletur, etiam de se malemeritis, & inimicis: qui diffidentium animos pace componat, qui liberos morum integritate, timore Dei, pietate, atque omni virtutum genere instituat. Vir ille probè Christianus, & inter bonos non infimus, amorem Dei nullo die prætereriens, cæteris

tamen

tamen actibus, quos memoravi, si eos amor Dei non progenuerit, judice immiti Quesnello, peccat, tot cumulans delicta, quot exequitur necessitatis, virtutumque officia. Ipsa fides non solùm virtutis theologicæ dignitate excidit, sed inter vitia relegatur, uti & spes, nisi ei charitas ortum præstiterit. Nos potiùs impiis hæreticorum erroribus adscribamus eum, qui fidem & spem, sinè charitate accenseat peccatis. Juxta Apostolum scilicet fides, spes, charitas tria sunt hæc; major autem eorum, non sola virtus, est charitas: non vident hic novi Theologi (magis damnabiles si viderint) se fidem, & spem à charitate sejunctam vitiis annumerando, omnem pariter dilectionem Dei ex hominum animis eliminare.

2 Non enim solâ fide docemur, quòd accedentem ad Deum oporteat credere, quòdque radix justificationis omnis, & proinde charitatis, sit fides; sed ipso quoque rationis lumine discimus, voluntatem non ferri in incognitum, priùs esse cognoscere, quàm amare: unde fit evidens, cognitionem illam ex amore non profluere; sed esse necessariam ad amorem dispositionem. Non minùs clarum est, dispositionem ad rem optimam, qualis est charitas, non posse peccati maculâ inquinari. Quomodo autem ab hac infamia liberabitur cognitio charitati prævia; si omnis volitio, & omnis actio non procedens ex amore Dei peccatum sit; ut præsens Quesnelli enuntiat Propositio?

Sed, & sana theologia docet, qualemcunque cognitionem bonam ad charitatem non sufficere; sed ad eam prærequiri Divinam fidem, eamque strictè dictam, damnante Innocentio XI. Propositionem hanc 23. inter 65.: *Fides latè dicta ex testimonio creaturarum, similive motivo ad justificationem sufficit*. Constat porrò, fidem strictè dictam, qua ad charitatem disponimur, esse actum hominis liberum, & arduum, supernaturali elicitum auxilio, & à voluntate, non nisi cooperante Divino Spiritu, imperari: At voluntatis istud imperium piumne est, an perversum? Malum esse nequit, nè peccatum dicatur esse præparatio ad justitiam: & tamen, si Quesnello creditur, nonnisi malum esse potest, utpote actio, & volitio non oriunda, ut patet, ab amore Dei, quo prior est. Si igitur amorem illum, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur, necessariò præcedat fides, atque hanc volitio credendi, sive captivandi intellectum in fidei obsequium, necesse est, volitionem istam non esse perversam, ac proinde non omnem actionem, & volitionem, quæ non nascitur ex amore Dei, omnia agente propter Deum, esse malam, ut perperàm asserit Quesnelli articulus.

3 Hunc verò dum sustinere quotidie Author pergit, occludit januam ipsi charitati, quam, destructis cæteris ab ea non imperatis virtutibus, stabilire unicè videbatur. Nam, etsi charitatis habitus infantibus, nullo præcedente eorum actu, in Baptismate infunditur; adultis tamen neque habitum Deus impertit, neque actum nobilissimæ virtutis absque eorum conatu prævio, in piis intellectûs, & voluntatis operationibus consistente. Aut ergo charitatem ipsam adversarius eliminat, aut necesse est, abdicet à se articulum, quo omnis actio, & volitio non nata ex amore Dei omnia agente propter Deum inter vitia ablegatur. Si dixero, hoc uno Quesnelli dogmate universam subrui religionem, omnem virtutis actum reddi impossibilem, forsitan aliquibus videbor minùs æquus damnati voluminis interpres; certissima tamen consecutio est, neque ex fallacibus, vel obscuris Sophismatum anfractibus accersita; sed planè obvia, quam omnium, etiam tironum captui perfacilem exhibeo.

4 Juxta Quesnellum: *Non sunt, nisi duo amores, unde volitiones, & actiones omnes nostræ nascuntur: amor Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur; & amor, quo nos ipsos, ac mundum diligimus, qui quod ad Deum referendum est, non refert, & propter hoc ipsum fit malus*. Igitur omnis actio, & volitio ex alterutro amore nata vel est bona, quam Deus remuneratur; vel mala, & digna supplicio. Atqui amor Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur, in hoc ordine rerum, & decretorum non infunditur immediatè à Deo, sinè prævia dispositione tum in intellectu, tum in voluntate, quam evidens est non ferri in incognitum. Et quidem dispositio exigitur naturæ viribus superior; cùm amor in articulo descriptus, maximè juxta adversarios, sit supernaturalis; juxta quos art. 40.: *Sinè gratia nihil amare possumus, nisi ad nostram condemnationem*.

Sed neque gratia *amorem omnia agentem propter Deum* operatur sinè actu prævio ipsius hominis libero, atque ex gratiâ elicito: prærequiritur scilicet cognitio supernaturalis; natura enim sola ad actus salutiferos, sivè ad pietatem, & justitiam disponere nequit, ut Catholicis omnibus indubiratum est. Et quidem ad amorem Dei salutiferum prærequiritur fides; nam ut rectè Tridentinum sess. 6. cap. 8.: *Fides est humanæ salutis*

initium, *fundamentum*, *& radix omnis justificationis*.

Sed, & fides ipsa dispositiones exigit: *qui* enim *citò credit*, *levis est corde*, teste Scriptura: &, cùm objectum fidei, ut credendum proponitur, obscurum sit, difficultate non caret, quam voluntatis divinitùs adjutæ imperio superare necesse est. Ideo cùm *fides* dicitur *humanæ salutis initium*, *fundamentum*, *& radix omnis justificationis*, accipienda est non ut præcisa à dispositionibus, sed ut eas continens, vel præsupponens. Hinc sponte sua fluit argumentum clarissimum: juxta Propositionem 44. omnis actio, & volitio, quæ non nascitur ex amore Dei omnia agente propter Deum, quemque Deus remuneratur, est mala; atqui primus actus fidei, & volitio illam imperans non nascitur ex illo amore: ergo primus actus fidei est malus, & mala volitio illam imperans. Prima antecedentis pars, quæ *major* dicitur, est adversarii. Secunda; seu *minor*, est evidens, & à nemine rationis compote neganda: quibus suppositis conclusio est inevitabilis. Porrò fides mala nequit esse virtus theologica, ut patet; à primo tamen fidei actu pendent reliqui; primò enim reddito impossibili, liquet excludi necessario cæteros. Quisnam igitur actus bonus, honestus, meriti capax relinquetur libero hominis arbitrio eum gratia exercendus? Spes enim pendet à fide; atque ipse *amor*, *qui omnia agit propter Deum*, *quemque Deus remuneratur*, fidem præsupponit: nonnisi ex ea nascitur radice: sinè eo fundamento non ædificatur, neque ædificat. Non minùs aditus præcluditur virtutibus cæteris, quæ, nisi ex amore illo prodeant, definiente Quesnello laborant vitio, & simpliciter malæ sunt, virtutis nomine indignæ.

5 Habemus itaque à novis Augustini discipulis, fallacissimis continuæ charitatis præconibus, eliminatos omnes virtutum actus, etiam theologicarum, & inter theologicas Principis charitatis. Quæ proinde falsorum, & hæreticorum dogmatum monstra non protrudit liber pestilens, quem ad fidei, & Ecclesiæ Catholicæ ruinam, consilio quasi diabolico destinatum diceres! sublatis enim virtutibus, & bonis actibus universis, quid supererit religioni? Præceptorum omnium, & singulorum observatio in actibus consistens redditur impossibilis: tollitur omne meritum, & præmium: eripiuntur Sacramenta omnibus ratione utentibus: iisdem omnibus Cœlum occluditur: Christi invitationes inanes sunt: in omnibus Scripturis Deus nos fefellerit, atque adeò ipse Sapientiâ exuitur, & Sanctitate.

Ita quod à Calvinismo ad Atheismum provecto dictum aliàs retuli, *Calvinistam fieri oportere*, *qui atheus esse voluerit*, facilè Jansenismo applicabitur; non minùs latam ad Atheismum semitam paranti, quàm aperiri conspicimus à Calvino. Et adhuc Quesnellus infami satyrâ insultat Summo Christi Vicario, censuramque anni 1708. contumeliis dilacerat velut iniquissimam, quo liber suus feriebatur, ut continens *Notas*, *& observationes*, *habentes quidem speciem pietatis*, *sed ad virtutem ejus abnegandam subdolè deducentes*. Qui Petro istud per Clementem denuntianti credere noluerit, credat saltèm nunc oculis suis, credat convincenti lumini rationis. Dissentire profectò non poterit, nisi quem voluntatis perversitas obcæcarit.

CAPUT XI.

Origo Propositionis damnatæ panditur à Cardinale Aguirre.

1 EMinentissimus hic SS. Augustini, & Anselmi discipulus in theologia S. Anselmi disp. 130. sect. 3. postquam adversariorum sententiam invictissimo rationum, & authoritatis Scripturarum, Patrumque pondere oppressit, ac profligavir, pergit nihilominus eam proterere Sanctorum succedentium Patribus præsidio „ Thomæ, & Bonaventuræ, (quibus superiùs addidit Salesium) cum Scoto, Durando, ac cæteris Scholasticis tum veteribus, tum recentioribus, nullo penè usque ad hanc diem contradicente, nisi paucis quibusdam hæreticis sæculi præcedentis statim allegandis, quorum doctrinam in ea parte videtur probasse postea Michael Bajus, ac deinde Jansenius; & ex ipsis desumpsisse recentiores, quos supra allegavimus pro opinione contraria; quod maximè hoc loci observari oportet. Etenim juxta testimonium Christi Matth. 7. *Omnis arbor bona fructus bonus facit; mala autem arbor malos fructus facit.* Porrò bonam arborem esse scholam Theologorum innumerabilium pietate, & doctrinâ insignium tot jam sæculis cum Sanctis Thoma, & Bonaventura videtur certum; ac proinde fructum, sive sententiam communem ab ea traditam, esse aliquid bonum; malam verò arborem esse, ac fuisse colluviem hæretico-

rum

„ rum præcedentis fæculi,Catholica Eccle-
„ fia teftatur. Si ergo conftiterit, opinio-
„ nem quamlibet, & nominatim relatam
„ fectione præcedenti, ac contrariam fcho-
„ læ Theologorum, effe fructum prolatum
„ dumtaxat ab iis hæreticis,conftabit quo-
„ que illam effe malam.

„ Videamus ergo quid illi ea in parte
„ docuerint, & qualiter criminati fuerint
„ Theologos Scholafticos oppofitum fen-
„ tientes: Deinde verò deveniamus ad Mi-
„ chaelem Bajum, & Janfenium; hinc enim
„ conftare poterit, an recentiores Lova-
„ nienfes ex iis hauferint opinionem ean-
„ dem, aliafque ipfi affines: fimiliterque
„ maledicentiam, & odium in Theologos
„ Scholafticos, quod diffimulare nequeunt;
„ ut vidimus circa finem præcedentis fe-
„ ctionis. Vide præterea Sotum in præfa-
„ tione ad libros de natura, & gratia, quæ
„ fanè lectu digniffima eft in rem hanc, ac
„ præterea libro primo capite 22., ubi opi-
„ nionem contrariam Lutheranis tribuit:
„ noftram verò fententiam appellat *Catho-
„ licis omnibus receptiffimam*.

2 „ In primis Calvinus lib. 4. inftit.
„ cap. 14 §. 3. docet, *omnes Fabritios, Sci-
„ piones, Catones, in illis fuis præclaris fa-
„ cinoribus hoc peccaffe, quòd, cùm fidei luce
„ carerent, non ad eum finem ipfa retulerunt,
„ ad quem referre debuerunt*. Præterea in
„ Antidoto Tridentini feff. 6. can. 7. in-
„ quit; *Sinè fide quæ videntur bona opera,
„ in peccata vertuntur*; quoniam nimirum
„ putavit bonis opus effe fide, qua refe-
„ rantur in Deum finem ultimum: quod
„ ipfum probare nititur iifdem locis Scri-
„ pturæ, ac S. Auguftini, quibus poftea
„ Janfenius, & Bajus fuam munierunt opi-
„ nionem. Lutherus quoque idipfum vi-
„ detur tradidiffe in Epift. ad Galat. cap.4.
„ dicens: *Opera extra fidem facta, ut ma-
„ ximè in fpeciem fancta videantur, fub pec-
„ cato, & maledicto funt*. Subfcribit Me-
„ lanchton in epift. ad Rom. cap. 14. v. 14.
„ Kemnitius in examine Tridentini cap. 1.
„ & 7.ubi ait:*Infidelium opera non inter verè
„ bona opera, fed inter peccata cenfenda funt*.

„ Clariùs Petrus Martyr in epift. ad
„ Rom. cap. 2. v. 24. inquit, *Infidelium
„ præclara opera, licèt quoad ipfos peccata
„ effent; tamen ex fua natura, vel genere
„ damnari non poterant humano judicio: co-
„ ram Deo tamen prava fuiffe, ideo non eft
„ dubium, quòd in congruum finem minimè
„ referrentur*. Ubi manifeftum eft, hæreti-
„ cum ipfum nomine congrui finis non in-
„ telligere proximum illum, in quem natu-
„ râ fuâ diriguntur actiones Gentilium, vel
„ quorumlibet aliorum, ex officio honeftæ.
„ Unde enim conftat, quibufdam illorum
„ faltèm viris fobriis, & modeftis non
„ fuiffe ob oculos honeftatem moralem, in
„ quam proximè collimant actiones ex fpe-
„ cie fua, & officio bonæ? Quare intelligit
„ abs dubio, ficut & hæretici proximè alle-
„ gati, finem ultimum fimpliciter, quem
„ Gentiles non cognoverunt per fidem; ut
„ exinde colligat, omnes actiones illorum
„ fuiffe pravas, quoniam defectu fidei non
„ fuerunt ordinatæ in finem ultimum fu-
„ pernaturalem. Hanc itaque doctrinam
„ contra omnes Theologos Scholafticos
„ tradiderunt hærefiarchæ fæculi præce-
„ dentis.

3 „ Paucis poft annis Michael Bajus,
„ Lovanienfis Doctor, & nonnulli alii Scri-
„ ptores, inter plures alias Propofitiones,
„ quas anathemate inuffit B. Pius V., &
„ deinde Gregorius XIII. hanc numero 25.
„ ediderunt: *Omnia opera Infidelium funt
„ peccata*: Deinde hanc immediatè: *Virtu-
„ tes Philofophorum funt vitia*. Præterea 35.
„ non quidem Baji; fed alterius cujufpiam
„ hæc eft: *Omne, quod agit peccator, vel fer-
„ vus peccati, peccatum eft*. Infuper 40. *In
„ omnibus fuis actibus peccator fervit domi-
„ nanti cupiditati*. Præcefferat verò Propo-
„ fitio illa 16. *Non eft vera legis obedientia
„ finè charitate*. Has quatuor Propofitio-
„ nes inter alias damnant ii duo Pontifi-
„ ces *in rigore, & proprio verborum fenfu
„ ab afertoribus intento*, ut habetur in fine
„ ejus Bullæ.

„ Porrò fenfum à Bajo intentum non
„ effe alium, quàm authorum prioris opi-
„ nionis, utrâque præcedenti fectione pro-
„ pofitæ, patet ex variis locis ipfius. In
„ primis non negat, opera infidelium,
„ peccatorum in materia virtutum effe ex
„ officio bona, imò de officiis noluit ha-
„ bere fermonem; ut patet ex libro ipfius
„ fecundo de virtutibus impiorum, ubi
„ hanc capiti fecundo epigraphen adhibet:
„ *Quòd aliud fit differere de virtutibus,quàm
„ de virtutum officiis*: & in ipfo capite, in-
„ quit: *Non itaque de officiis mihi quæftio eft,
„ quæ aliqua ex parte poft lapfum in natura
„ humana remanferunt integra; fed de vir-
„ tutibus, quæ etiam finibus diftinguuntur à
„ vitiis*.

„ Cur autem ea opera fint non virtutis;
„ fed vitii, & vera peccata, exponit cap.4.
„ cui titulus: *Quòd honeftatis officia, cùm
„ in Deum non referuntur, non fint virtutes,
„ fed vitia*. Et deinde ait: *Virtutes, quæ non*

„ *ob aliud, quàm propter semetipsas expetuntur, non rectè à peccato vindicari, virtutesque non esse, sed virtutum simulationes, & vitia virtutes imitantia*. Quin & nominatim refellit Angelicum Doctorem, quòd *prætendat esse virtutes, quia ad bonum aliquod particulare ordinantur, quod ad bonum universale sit referibile; etiamsi in iis reperiantur, qui unum verum Deum aut cæcitate nesciunt, aut elatione contemnunt*. Refellit verò S. Doctorem hisce verbis: *In primis mirandum occurrit, quòd D. Thomas hanc proximi finis ad universale bonum referibilitatem ad rationem virtutis sufficere existimet*. Deinde verò assumit probandum, non esse verè virtutem illam, *quâ Deo non servitur: quæ non propter Deum operatur*. Præterea sic inscribit cap. 5. ejusdem libri: *QUOD VIRTUTES IMPIORUM, QUÆ IN DEUM NON REFERUNTUR, NON IDEO AB AUGUSTINO NEGANTUR ESSE VERÆ, QUIA NON SALVANT; SED QUIA VITIA SUNT, ET DAMNANT*. Ac denique concludit: *QUIDQUID NON FIT EX FIDE PER DILECTIONEM OPERANTE, IPSO NON RECTO FINE PECCATUM EST*.

„ Itaque apertissimum videtur ex mente Baji, iis locis expressâ, ideo opera impiorum, & infidelium esse peccata, & virtutes Philosophorum vera vitia, quia, licèt ex officio sint bona, seu versantia in materia virtutum, adhuc tamen in Deum non referuntur, & ipso defectu ejusmodi relationis prava existunt; quia iis non colitur Deus; quia non fiunt ex charitate, sive ex fide per dilectionem operante; unde sensus illius Propositionis 25, à Pontificibus damnatæ, præsertim conjunctæ reliquis ex ipso nuper memoratis, est, opera infidelium, quæ in Deum non referuntur, itemque impiorum, quæ ad ipsum non ordinantur, ex fide per dilectionem, seu charitatem operante, ipso relationis defectu esse peccata; & virtutes Philosophorum ex eodem capite esse virtutes in speciem tantùm; reipsa autem vitia. Hic itaque est germanus Baji sensus, juxta quem illa Propositio, ac reliquæ sequentes (de quibus pleniùs in progressu) damnatæ sunt.

4 „ Bajo per omnia, aut pleraque subscripsit hoc ipso seculo Jansenius Episcopus Iprensis, qui (præter alia perversa dogmata damnata ab Innocentio X., & hæresum classi adscripta) hanc ipsam doctrinam nuper relatam instauravit tomo 2. l. 3. de natura lapsa cap. 17. ubi docet: *Nullum omnino fieri posse opus bonum, hoc est sinè peccato, nisi in Deum propter se dilectum referatur*. Cùm verò in Deum propter se dilectum referri nequeat, sinè fide per dilectionem operante, consequenter docet, omnia opera quorumlibet infidelium, seu fide carentium esse peccata: ideoque eodem tomo secundo l. 4. cap. 3. ait: *Sola absentia fidei sufficit, ut opera infidelium vera sint peccata*. Et cap. 27. ejusdem libri inquit, *Omnia opera infidelium sunt peccata*. Porrò Jansenium fuisse hæreticorum seculi præcedentis plagiarium, veluti qui non modò illorum opiniones, sed & fundamenta, ac penè verba usurpaverit, venditaveritque veluti à se ex Magno Augustino eruta, contendit latè De Champs de hæresi Janseniana omnino videndus: quid quòd hanc ipsam opinionem de necessitate prædictæ relationis operum ad Deum ex fide per dilectionem operante, ut culpa vacent, hauserit, & tradiderit fortè ex eadem lacuna.

5 Hactenus Cardinalis, cujus non prætereunda hic sapientissima observatio. Eâdem disputatione sectione 10. post explicatam sententiam communem ita prosequitur; „ Hoc autem modo cohærent sibi invicem testimonia Scripturæ, ac Parrum, & persuasio omnium ferè Theologorum à tempore Magistri sententiarum, quinque seculorum decursu, ac subinde Fidelium omnium, quibus ignota fuit tamdiu illa strictior obligatio. Nec videtur ullo modo probabile, tam innumeros viros doctos, & pios, ac de Ecclesia benemeritos, cæterosque Fideles, ipsorum doctrinâ ductos, tot seculis ignorantiam, aut etiam cæcitatem passos circa præceptum adeò universale, & summi momenti, non solùm ad perfectionem spiritualem; sed etiam ad salutem obtinendam. Incredibile etiam, & absurdum est dictu, Spiritum Sanctum, desertis Doctoribus scholarum, & ipsius Ecclesiæ ab eo tempore, ac subinde toto Fidelium cœtu, vim ejus tam universalis præcepti primùm tradidisse hæresiarchis seculi præcedentis, Calvino, Luthero, Kemnitio, Melanchtoni; & Petro Martyri allegatis supra sectione 3. num. 21., & postea Michaeli Bajo, & Jansenio Iprensi, quorum præcipua dogmata à Summis Pontificibus Ecclesiæ fulgurita sunt. „ Hactenus Cardinalis.

Duo hìc addenda sunt in gratiam Lovanien-

nienſium: quòd minimè exiſtimem, ut neque exiſtimat Cardinalis, ipſos è Luthero, & Calvino præſentem hauſiſſe novitatem; ſed tantùm è Bajo, & Janſenio, de quibus ſuſpicio eſt plurium & vehementior, eos à tam deteſtandis authotibus aliquando minùs abhorruiſſe.

Alterum eſt, quòd hodierna Lovanienſium facultas theologica Conſtitutioni UNIGENITUS ſe ſubmittendo amoliri à ſe ſatis viſa fuerit ſuſpicionem minùs honorificam, qua ob aliquorum ſuorum fortè imprudentiam ante laboraverat; ſperamus autem obedientiam illic omnino meliorem fore illâ, quam author *Notarum brevium, & modeſtarum* præſtiterit Decreto contra Propoſitiones 31., & quidam alii definitionibus contra Bajum, & Janſenium, quas eludere potiùs, quàm ſervare conati ſint.

CAPUT XII.

Eliduntur Argumenta pro confirmando errore accerſita è SS. Literis.

1 MAtth.7. Dicit Chriſtus: *Numquid colligunt de ſpinis uvas, aut de tribulis ficus? Sic omnis arbor bona bonos fructus facit; mala autem arbor malos fructus facit. Non poteſt autem arbor mala bonos fructus facere: neque arbor bona malos fructus facere. Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur.* Lucæ 6. *Non eſt enim arbor bona, quæ facit fructus malos: neque arbor mala faciens fructum bonum; unaquæque enim de fructu ſuo cognoſcitur; neque enim de ſpinis colligunt ficus, neque de rubo vindemiant uvam.*

Utrumque textum objiciunt Hexapla more ſuo crudè, nullâ additâ interpretatione, nullo indicio, unde colligas, qua ratione, aut quomodo connecti eum velint cum damnato dogmate, ad cujus adducitur defenſionem. Et quidem ſic, quaſi ad cenſuræ Pontificiæ ſubverſionem ſufficiat, tota abſolvitur oſtentata ex ſacris litteris apologia. Quoniam itaque nobis divinandum relinquitur, in quo potiſſimùm argumenti robur adverſarius conſtituat, ajo nihil apparère conſenſûs veriſimilis inter utramque Euangelii ſententiam, & proſcriptum articulum, niſi quòd, ſicuti arbor mala non poteſt bonos fructus facere, neque arbor bona fructus malos; ſic amor, quo perversè nos ipſos, ac mundum diligimus, parere non poſſit niſi volitiones, & actiones malas; amor autem Dei non niſi bonas.

Verùm Conſtitutionis hoſtibus supereſt oſtendendum, quòd omnis amor ſit vel Dei benevolus, & ſuper omnia, vel inordinatus noſtri, & mundi. Nos inter amores illos non unum medium dedimus ex Scripturis ſacris, ex Patribus, ex Concilio Tridentino, definitionibus Pontificum, conſenſu Scholaſticorum communiſſimo, quæ non eſt opus hìc propter objectionem adeò frivolam repetere.

S. Thomas in caput 7. Matthæi obſervat, quòd *ex hoc* textu *Manichæi aſſumpſerint duas naturas; ſcilicet bonam, & malam.*

Idem de hæreticis illis teſtatur S. Hieronymus, qui ſcribens contra Jovinianum, addit, ipſum ex eadem Chriſti ſententia collegiſſe, hominem ex Deo natum non poſſe peccare.

Pelagiani, teſte Anguſtino lib. 2. de Nuptiis, & concupiſcentia cap. 26. contendebant ex bono conjugio, ceu arbore bona non naſci hominem malum, ſive peccato originis maculatum.

Donatiſtæ apud Auguſtinum lib. 3. contra literas Petiliani cap. 44. negabant, Sacerdotes malos bene baptizare: non poſſe videlicet arbores malas Chriſto ſpiritualiter gignere filios bonos.

Calviniſtæ ex eadem Scriptuta hautire ſe exiſtimant, liberum arbitrium in primo homine vitiatum non poſſe producere niſi opera mala: qui in hoc, uti in aliis pluribus, Sectatores nacti ſunt Bajum, & Janſenium cum ſuis novis Auguſtini diſcipulis.

Inferunt Calviniani præterea, quòd, ſicut ex fructibus quidem arbor cognoſcitur, non tamen ipſis fructibus arbor reddatur bona; ſic opera bona hominem juſtum indicent, atque declarent, ſed non efficiant. Inepta procul dubio hæreticorum omnium ratio eſt, ut contra eos catholici Scriptores argumentis ſolidiſſimis evicère.

Sed Lectori Theologo relinquo dijudicandum, utra magìs temeraria, inanis, & ab omni legitimæ rationis ſpecie magis aliena ex Scripturis ſit collectio, eorumne, quos protuli hæreticorum, an adverſarii hìc noſtri, nomen catholicum non meliore, quàm cæteri illi, titulo ambientis, contra quem pluribus à me ſuperiùs capitibus probata, in breviſſimum compendium hìc contrahere ſufficiat. Fides, ſpes, timor Dei vindicis, dolor, & deteſtatio peccatorum ex metu gehennæ cum propoſito non peccandi impoſterum, miſericordia, juſtitia, caſtitas, & reliquæ virtutes morales, etiam à charitate præſcindentes, non ſunt arbores malæ, neque fructus ex iis progeniti laborant

borant vitio. Afferti hujus probationes luculentas, & ineluctabiles dedere superiora capita, quæ repetere hic contra tam futilem objectionem supervacaneum foret. Ad alia progrediamur, quæ quidam Bajano, aut Janseniano pulvere resperfi, pro eodem errore ante Constitutionem UNIGENITUS, incautè forsitan magis, quàm malevolè, in Belgio opposuêre.

2 Apostolus 1. Corinth. cap. 10. v. 31. ait: *Sive ergo manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.* Ergo, inquiunt, tenemur omnia agere ad Dei gloriam, sive ex ejus amore. Igitur omnia opera sunt peccata, quæ in Deum ex ejus amore non referuntur.

Respondeo, sensum Apostoli esse 1. ut nihil contra gloriam Dei fiat, nihil unde proximus offendi, vel scandalum pati possit. 2. ut omnia ordinatè fiant, & sint talia unde Deus laudari valeat, & ejus gloria promoveri. Ut enim rectè observat Cornelius à Lapide: *Opponit Paulus gloriam Dei gloriæ Dæmonum, cui serviunt, qui idolothyta comedunt in honorem idoli, vel cum scandalo proximorum; cùm è contrario gloriæ Dei serviunt, qui idolothytis abstinent, eaque manducant, & agunt, quæ Dei honorem, & cultum, salutemque proximorum juvant, & promovent.* Quem Apostoli sensum non solummodo indicant quæ verbis pii, & eruditissimi interpretis retuli; sed etiam quæ in ipso textu sacro his expressa vocibus immediatè sequuntur: *Sinè offensione estote Judæis, & gentibus, & Ecclesiæ Dei; sicut & ego per omnia omnibus placeo, non quærens quod mihi utile est, sed quod multis, ut salvi fiant.*

Quare S. Chrysostomus homilia 2. in 1. Cor. 10. illa verba: *Sive ergo manducatis, sive &c. Omnia in gloriam Dei facite.* Sic explicat: *Ut Deus per omnia glorificetur, sinè offensione estote Judæis, & gentibus, & Ecclesiæ Dei; hoc est, non detis alicui ansam; frater enim offenditur, & Græcus similiter te tanquam belluonem irridebit, & hypocritam &c.*

Eundem sensum tradit Theophylactus, ita concludens: *Manducat ergo quisquam, vel bibit ad gloriam Dei, quando neminem offendit, quando non ut gulosus, aut voluptatis sectator epulatur; sed velut is, qui conservare se velit ad virtutis operationem. Omnino autem quamcunque rem in gloriam Dei quispiam agit, quando neque alium scandalo quopiam lædit, neque se ipsum: neque hominibus placere studens, neque ex affectu aliquo perturbato.*

Consentit S. Augustinus in Psalm. 146. dicens: *Si ergo bene agis, & quod manducas, & bibis, & ad refectionem corporis sumis, reparationemque membrorum, gratias agens ei, qui tibi præbuit ista solatia; & cibus tuus, & potus tuus laudat Deum. Si verò naturæ debitum immoderatione voracitatis excedas, & vinolentiâ te ingurgites, quaslibet laudes Dei lingua tua sonet, vita blasphemat. Post cibum, & potum requiescas ut dormias, nec aliquid turpiter agas. Sit castus cum conjuge thorus: & si est cura propagandi liberos, non sit effrænata luxuries libidinum* &c. *Quid si somnus advenerit, & cùm dormis? Innocentia somni tui laudat Deum: laudas, cùm agis negotium: laudas, cùm cibum, & potum capis: laudas, cùm in lecto requiescis: laudas cùm dormis.*

Idem S. Doctor in Psalm 34. conc. 2. *Suggero remedium unde tota die laudes Deum, si vis. Quidquid egeris, bene age, & laudasti Deum: quando cantas hymnum, laudas Deum* &c. *Quoties tu cessasti ab hymno cantando, discedis ut reficiaris; noli inebriari, & laudasti Deum. Negotia agis? Noli fraudem facere, & laudasti Deum.*

Si explicationi Augustini, & aliorum, quos recensui, Patrum non contentus, sublimius aliquid desideras, accipe S. Basilium in Homil. ad Julittam Martyrem, ex objecta Apostoli sententia, ita singulos hortantem: *Accumbens mensæ ora: esitans panem largitori gratiam rependito: bibis vinum; memento ejus, qui illud tibi dedit ad lætitiam, & infirmitatum solamen: tunicam indueris; gratias agito benigno datori: suspicis in cœlum, & syderum pulchritudinem; procide Deo, & cole eum, qui cuncta hæc in sapientia condidit. Pari modo oriente Sole, & occidente, in somno, & vigilia Deo gratias age, qui hæc omnia ad tuum commodum creavit, & ordinavit, ut creatorem agnoscas, ames, & laudes.* Ubi hortatio quidem est ad gratiarum actionem, & amorem Dei; sed præceptum actiones singulas ex amore benevolentiæ ad Deum referendi nusquam in Basilii verbis, neque ullius antiqui interpretis reperies.

S. Thomas in 1. Corinth. cap. 10. lect. 7. expendens illud: *Sive ergo manducatis, sive bibitis, vel aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite*, approbat quod ex Augustini in Psalm. 34. concione 2. retuli, & addit: *Hæc si rectè fiant, laudes Dei sunt.* Dein post multa, ex illo *omnia in gloriam Dei facite*, sibi objicit: *Contra: ergo nullus actus est indifferens. Respondeo*, inquit: *relatio hæc in gloriam Dei intelligitur vel in actu, vel in aptitudine referendi, quæ non est solùm in bonis; sed etiam in indifferentibus.* Ubi neque actualem ad Deum relationem singulorum operum

operum requirit, neque fenfu adverfariorum virtualem, quæ actualem neceffariò præfupponit, & à quâ actus cæteri profluunt, feu imperantur; fed Angelico fufficit, actionem effe iftiufmodi, ut ad Deum valeat referri.

Ibidem citat Angelicus illud Apoftoli Coloff. 3. quod ab adverfariis pariter intorquetur: *Omne quodcunque facitis in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini noftri JESU Chrifti* (facite) *gratias agentes Deo, & Patri per ipfum*. Atqui hoc, inquiunt, eft præceptum: ergo debemus in omni opere laudare, & amare Deum.

Refpondeo, verba Apoftoli, quatenus præceptum denuntiant, agere primò de præcepto negativo, ut interpretantur S. Thomas, Theodoretus, Theophylactus, Cornelius à Lapide, in eo fitum, quòd nihil fiat contra Chriftum; nihil propter humanam, & vanam gloriam; nihil propter creaturam ullam tanquam ultimum finem noftrum. Secundò: Præceptum etiam affirmativum intelligi poteft, & videtur fenfus magis ab Apoftolo intentus, ut omnia opera noftra fint talia, quæ cedere poffint in gloriam Chrifti, & Chriftus fit vitæ noftræ, & actionum finis ultimus, licèt in fingulis actionibus non exprimatur, quòd nullus Patrum exigit, aut ex verbis Apoftoli intellexit; fenfum verò noftrum nullus inficiatus eft: & quos ad prioris textûs explicationem adduximus, hic quoque nobis fuffragantur.

Denique audiendus eft hìc iterum Sanctus Thomas lect. 3. in fine: *Dicendum eft, quòd non eft neceffarium, quòd omnia in Deum referantur actu; fed habitu; qui enim facit contra gloriam Dei, & præcepta ejus, facit contra hoc præceptum. Venialiter autem peccans non facit contra hoc præceptum fimpliciter; quia, licèt non actualiter, tamen habitualiter refert omnia in Deum*. Hac ratione, juxta interpretem Angelicum, non violat præceptum referendi omnia in Deum, qui in ftatu gratiæ, adeóque præditus charitatis habitu; actum elicit non proibitum, fed qui idoneus fit, ut ad Deum ipfo charitatis habitu referatur. Non eo contenti funt adverfarii; qui juxta Prop. 44. ajunt, peccari omnibus, & fingulis actibus non folùm indifferentibus; fed etiam ad vitæ fuftentationem neceffariis, etiam honeftis, & ad quamcunque virtutem moralem, theologicam quoque fpectantibus, fi ab amore erga Deum non proveniant.

4 Inftant nihilominus adverfarii ex illo Chrifti apud Matth. 22. verf. 37.: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua!* ergo debemus Deum diligere in omnibus actibus.

Confecutio inanis eft; illud enim *ex toto corde tuo, in tota anima, & in tota mente tua*, aliud non fignificat, quàm, Deum ita debere diligi primò, ut non diligatur fimul alius Deus, qui cor, animam, mentem hominis quafi divifam poffideat cum vero Deo, ficut Judæi fæpe cum veri Dei cultu jungebant cultum Idolorum: fecundò, ut nullam creaturam; fed folum Deum amemus amore fruitionis, quo finis ultimus, five beatitudo diligitur: tertiò, ut Deum, & ejus amicitiam rebus omnibus præferamus, qui amor vocatur appretiativè maximus. Hinc de Regibus, qui unius, & folius Dei veri cultum permiferunt, promoveruntque, in Scripturis loco non uno legimus hoc encomium; Cor ejus perfectum erat cum Deo: inceffit in omnibus mandatis Domini: fecutus eft Dominum in toto corde fuo &c. Quartò, ut nos totos, cogitationes, volitiones, actiones omnes confecremus Deo, quamvis dedicatio ifta non repetatur in fingulis actibus, neque formaliter, ut in Scholis loquimur, neque virtualiter, five neque actu intenfo, qui eft cum reflexione, neque remiffo, qui ab intenfo provenit, reflexione deftitutus, ut explicat Bajani Author *Tyrocinii* Quefnello confentiens tract. 2. pag. 201. *Differt autem*, inquit, *illa virtualis dilectio à formali tantùm extrinfecè; eadem enim, quæ modò elicitur, & formalis cognominatur, modico poft tempore virtualis dicitur, cum hoc difcrimine, quòd fupra formalem fiat expreffa mentis reflexio, qua expreffè cognofcis fe elicere talem dilectionis actum, & quafi illius recordatur*. Unde fic concludit: *Eft igitur dilectio virtualis verus animi motus*, five actus. Præceptum hoc fcilicet, quatenus affirmativum eft, non obligat pro femper, ut paffim Doctores cum Angelico fentiunt. Denique, ut omnes noftri actus tales fint, ut nullus fit contra Deum.

Hi fenfus funt SS. Patrum, & omnium probatorum interpretum: fic gloffa interlinearis apud S. Thomam in Catena: *EX TOTO CORDE, id eft intellectu: ANIMA, id eft voluntate: MENTE, id eft memoria; ut nihil ei contrarium velis, fentias, aut recorderis*.

Sanctus Auguftinus libro 1. de doctrina Chriftiana cap. 22. *Deum ex toto corde diligere præciperis, ut omnes cogitationes tuas ex tota anima, & omnem vitam tuam ex tota mente tua, ut omnem intellectum tuum in illum conferas, à quo habes ea, quæ confers: nullam ergo vitæ noftræ partem reliquit, quæ* vacare

vacare debeat, & quasi locum dare, ut aliâ re velit frui; ideſt, in ea ultimum finem ponere, ut S. Thomas, S. Bonaventura, & alii paſſim, præter Novaturientes interpretantur. Sanctus Chryſoſtomus in eadem Chriſti apud Matthæum verba: *Diligere*, inquit, *Deum ex toto corde, eſt, ut cor tuum non ſit inclinatum ad alicujus rei dilectionem magìs, quàm Dei.*

Quæ omnia innumeris locis expoſuit dilucidè Angelicus Magiſter, ut ex allegatis conſtat, quibus nunc alium addimus, qui ſolus proſternendis adverſariis ſufficeret. Quærit Angelicus 1. 2. quæſt. 100. art. 10. *Utrum modus charitatis cadat ſub præcepto Divinæ legis*; ubi ſecundo loco objicit ſibi hoc argumentum: *Ad modum charitatis propriè pertinet; ut omnia fiant propter Deum. Sed iſtud cadit ſub præcepto; dicit enim Apoſtolus 1. Cor. 10. Omnia in gloriam Dei facite: ergo modus charitatis cadit ſub præcepto.* Cui argumento ſic reſpondet. *Ad ſecundum dicendum, quòd ſub præcepto charitatis continetur, ut diligatur Deus ex toto corde, ad quod pertinet, ut omnia referantur in Deum. Sic ergo, qui honorat parentes, tenetur ex charitate honorare, non ex vi hujus præcepti, quod eſt HONORA PARENTES; ſed ex vi hujus præcepti: DILIGES DOMINUM DEUM TUUM EX TOTO CORDE TUO; Et, cùm iſta ſint duo præcepta affirmativa non obligantia ad ſemper; poſſunt pro diverſis temporibus obligare: & ita poteſt contingere, quod aliquis implens præceptum de honoratione parentum, non tunc tranſgrediatur præceptum de modo charitatis.*

Fatemur itaque, dari præceptum non ſolùm negativè; ſed etiam affirmativè intellectum, de dilectione Dei ſuper omnia, & de omnibus noſtris operibus in Deum ſuper omnia dilectum referendis; negamus tamen, quòd affirmativè acceptum obliget ad ſemper: unde opera, quæ pro iis temporibus homo agit, pro quibus præceptum hoc affirmativum non obligat, nullo pacto vitiantur defectu relationis ipſorum in Deum ſuper omnia dilectum.

CAPUT XIII.

Repelluntur, quæ adverſarii opponunt ex Auguſtino.

1 Libro 14. de Civitate Dei cap. 28 ait Sanctiſſimus Doctor: *Fecerunt itaque civitates duas amores duo: terrenam ſcilicèt amor ſui uſque ad contemptum Dei; cæleſtem verò amor Dei uſque ad contemptum ſui.* Duarum civitatum nomine intelliguntur duo ſtatus animorum: quorum alter juſtitiæ eſt, alter peccati; non enim civitatis appellatio convenit rei fluxæ, & tranſeunti, qualis actio quælibet ſingularis eſt, & volitio; ſed rei ſtabili, & permanenti; quamvis, ut omnia in hoc mundo viciſſitudini expoſita ſunt, ſubindè mutari eam contingat, & deſtrui.

Non poſſe actiones ſingulas civitatis nomine ſignificari, patet quoque ex diviſione ab Auguſtino propoſita, quæ aliàs deficeret, utpotè non omnes humanæ vitæ continens, ſeu partiens actiones. Conſtat ſcilicèt, non omnes hominis actiones eſſe vel amorem Dei uſque ad contemptum ſui, vel amorem ſui uſque ad contemptum Dei; *alioquin nulla darentur peccata venialia*; & omnis actus immunis à lethali crimine, eſſet charitas juſtificans, qualis eſt *amor Dei uſque ad contemptum ſui.*

Vera itaque Auguſtiniani effati interpretatio eſt, duos eſſe animorum ſtatus, alterum juſtitiæ, & charitatis, qua Deus ab homine diligitur uſque ad contemptum ſui, ut ſua omnia etiam vitam perdere malit, quam Dei excidere amicitiâ: Alterum peccati, quo Deus contemnitur, dum ejus amicitia rei poſtponitur abjectiſſimæ. Ita diviſio adæquata eſt: omnes enim homines in alterutro ſtatu, & juxta Auguſtini ſimilitudinem, in alterutra civitate ſunt.

Verùm hinc numquam deduxeris omnem hominis volitionem, & actionem eſſe alterutrum amorem, vel ab eo profluere, ſeu imperari, ut cap. 59. Argumentis non paucis ex ipſo Hipponenſi Antiſtite evicit Eminentiſſimus Lauræa, & nos pluribus demonſtravimus cap. 6.

Sit itaque fixum ex Auguſtino, eſſe duas civitates, ſeu duos ſtatus hominis, unum peccati, in quo mundus diligitur uſque ad contemptum Dei; alterum charitatis, in quo Deus rebus omnibus antefertur; ſed non propterea alteruter amor in ſingulis reperitur humanis actibus, etiam judice Auguſtino, quem utroque citato capite vidimus in ipſis impiis, & idololatris agnoviſſe actus bonos, Dei munere conceſſos, à Deo laudatos, & temporali donatos præmio, qui proindè neque fuere amor noxius mundi, voluptatis, vel commodi humani, uſque ad contemptum Dei, neque ex illo progeniti ſunt; non enim arbor mala, juxta Chriſti teſtimonium, bonos fructus facit: neque etiam fuêre actus illi boni ex amore, quo impii, & Idololatræ dilexerint Deum

uſque

usque ad contemptum sui. Necesse est igitur, etiam in Augustini sententia agnoscere volitiones, & actiones aliquas ad neutram pertinentes civitatem, à neutro amore ducentes originem. De his nulla cura erat Augustino, & cæteris passim Patribus, in id potissimùm intentis, ut homines à peccatis averterent, perducerentque ad veram justitiam, ac salutem. Hinc de duabus istis civitatibus omnis eorum sermo erat, & cum Pelagianis disceptatio.

De Augustino præsertim minimè verebor dicere; nihil esse evidentius, quàm admitti ab eo actiones, & volitiones non solùm innocuas, sed etiam bonas, honestas, laudabiles, etiam apud Deum, quæ neque ad primam, neque ad secundam pertinent civitatem. Addo, Quesnellum, & quoscunque ejus asseclas, Augustino oppositum tribuentes, turpissimam ejus gloriæ inferre maculam, eumque nobis, aut insanientem exhibere, aut impium, & blasphemum, qui impiorum, & infidelium actiones, volitionesque aliquas, à Deo exornatas laudibus, donatas præmiis affirmarit, quas noverat non solùm ad civitatem cœlestem, & amorem Dei divinum cætera contemnentem minimè pertinere; sed etiam, si adversariis credimus, spectare ad civitatem terrenam, & amorem mundi usque ad contemptum Dei. Amorem enim inter duos illos medium, Augustinianæ sententiæ obtentu, adversarii rejiciunt.

Edoceant nos igitur, qua ratione Augustinum ab insania simul, & impietate, atque blasphemia liberent; Si Deum statuerit authorem, laudatorem, remuneratorem operum, quæ ad civitatem referenda sint terrenam, amoremque sui, & mundi turpem *usque ad contemptum Dei*? Omnia scilicet infidelium in infidelitate manentium opera ad civitatem cœlestem nihil conferunt, neque profluunt ex *amore Dei usque ad contemptum sui*. Vel igitur necesse est, amorem admittere inter duos illos medium, quod mordicùs recusant adversarii; vel asserere Augustinum cæcitate, ac dementiâ correptum, si non viderit, se Deo horribilem impingere iniquitatem, quando eum facit authorem, approbatoremque operum, quæ juxta novos ejus interpretes vel sunt amor mundi usque ad contemptum Dei, vel ab amore illo sacrilego imperantur. Ita Augustino blasphemiam adversarii imputant, Deo impietatem: tanti illis est damnatum defendere errorem.

2 Fugere Adversarios non possunt definitiones S. Pii V., Gregorii XIII., Urbani VIII. contra Baji articulos, uti, & Alexandri VIII. sanctio contra alios 31., in quorum multis continetur Propositio Quesnelli 44., ut toto capite 4. omnium oculis expostui. Verùm, spretis tot Pontificum, & toties iteratis decisionibus, pergit Quesnellus cum suis propriâ hæreticis impudentiâ, & temeritate Augustinum in damnatissimi erroris torquêre defensionem.

Existimaverat Bajus, humanas omnes actiones in alterutram transcribendas esse civitatem, alterutri addicendas amori; sed errorem à duobus Pontificibus proscriptum tandem meliùs edoctus abdicavit.

Jansenius Bajo imprudentior, ubi ad opera infidelium ventum est, à quibus procul aberat *amor Dei usque ad contemptum sui*, oppositâ duorum Pontificum sententiâ, qua jubemur agnoscere in infidelibus opera quædam, saltèm immunia à peccato, *hæreo*, (inquit) *fateor, sed quid ad Augustinum*? à qua dubitatione, licèt non facilè excusabili, absfuit pertinacia dum sæpius se, suaque omnia Romani Pontificis submisit judicio.

Sed ne diutiùs, quàm par est, objectioni uni frivolæ refellendæ inhæream, meminerit lector responsionis Catholicorum contra hæreticos familiaris, quòd aliud sit: omnem hominem, vel justificante gratia esse sanctum, vel delicto mortifero peccatorem; aliud verò, omnem hominis actum esse sanctum, vel peccati toxico inquinatum; non enim omnia justorùm facta sunt sancta, neque omnia impiorum prava; nam, ut ait Augustinus lib. de Spiritu, & litera cap. 26. *Sicut non impediunt à vita æterna justum quædam peccata venialia, sinè quibus hæc vita non ducitur; sic ad salutem æternam nihil prosunt impio aliqua opera bona, sinè quibus difficillimè vita cujuslibet pessimi hominis invenitur*. Ideo, etsi civitates duas constituant duo amores, cœlestis cœlestem, sanctam, beatissimam; terrenus impiam, & æternis addicendam incendiis; non tamen actiones singulæ hominis viatoris sanctæ, & meritoriæ sunt cœlestis Jerusalem, aut inquinatæ vitio, & obnoxiæ punitioni.

3 Non minùs exploratæ fallaciæ argumentum est, quod objicitur ex lib. 2. de peccatorum meritis, & remissione cap. 18., ubi Augustinus volens ostendere, quòd omnis bona voluntas à Deo sit, ita disserit: *Nam si nobis libera quædam voluntas ex Deo est, quæ adhuc potest esse vel bona, vel mala; bona verò voluntas ex nobis est, melius est id, quod à nobis, quàm quod ab illo est. Quod si absurdissimè dicitur, oportet fatean-*

tur, etiam bonam voluntatem nos divinitùs adipisci. Quamquam voluntas mirum si potest in medio quodam ita consistere, ut nec bona, nec mala sit; aut enim justitiam diligimus, & bona est; & si magis diligimus, magis bona: si minùs, minùs bona est; aut si omnino non diligimus, non bona est. Quis verò dubitet dicere, voluntatem nullo modo justitiam diligentem, non modò esse malam; sed etiam pessimam voluntatem?

Non existimo, adversarium ausurum fuisse istam in nos Augustini vibrare sententiam, si integram retulisset; Sed truncanda capite fuit, nè sensus, & veritas dignosceretur. Contendebant hæretici, volendi quidem facultatem a Deo conditam; sed effectus ejus bonos, quibus justitia, & salus acquiritur, esse à nobis. Augustinus autem, si hoc est, inquit, meliores à nobis reddimur quàm à Deo: Si nempe Deus voluntatem solùm liberam, & ad bonum malumve fecerit indifferentem; homo verò ei superaddat bonitatem, atque ita voluntatem faciat bonam, *quod si absurdissimè dicatur*, ut revera absurdissimum est, *oportet fateantur, etiam bonam voluntatem*, seu volitiones bonas, *nos divinitus adipisci*; tum sequuntur verba ab adversario objecta, *quamquam voluntas mirum, si potest in medio quodam ita consistere, ut nec bona, nec mala sit;* quod nullus admiserit catholicus; ut enim omnes peccatores sumus, vel justi, nullus indifferens, ita nulla indifferens voluntas: Sed indè non sequitur, volitiones singulas bonas esse bonitate ad veram justitiam, & beatitudinem conducente; vel malas, & peccata; nullam mediam inter bonitatem istiusmodi, & malitiam. Nullus quidem status animæ, seu voluntatis medius est justitiam inter, & peccatum lethiferum; sed non ideo omnis humana actio, omnis volitio peccatum mortiferum est, aut sancta, & sanctificans.

Denique non omnis actio hominis justi bona, & sancta est, neque peccatoris actio omnis peccatum. Quod evidentiùs patet in determinatæ speciei vitio: Luxuriosi hominis, vel avari non omnis prorsus actio avaritia, vel luxuria est. His supppositis, quæ à nemine novitatibus non infatuato, negari potuerunt, patebit, cætera quoque hujus loci inanissimè objici. *Mirum itaque* ait Augustinus, *si potest voluntas in medio quodam, ita consistere, ut nec bona, nec mala sit; aut enim justitiam diligimus, & bona est; &, si magis diligimus, magis bona; si minùs diligimus, minùs bona est; aut si omnino non diligimus, non bona est.*

4 Consentiunt Augustino omnes theologi, etiam illi, qui admittunt opera indifferentia. Quis enim neget, hominem minimè bonum esse, minimè bonam voluntatem, si justitiam non diligit? Sed, inquient Scotistæ, non propterea in homine justo voluntas laude bonitatis excidet, etsi operis subinde aliquid exercuerit indifferentis. Scotistarum tamen præsidio hìc nobis opus non est: rigidiora non aversor.

Statuamus omnibus humanis actibus ex præcepto præfigendum scopum moralis bonitatis; non desinet tamen voluntas bona esse, & appellari; licèt finem illum aliquando seu oblivione, seu infirmitate prætermittat, modò passim eundem sedulò sectetur.

Verùm Adversarii nomine *Voluntatis* hìc intelligunt volitionem, ut de singulis voluntatis actibus justitiam non prosequentibus, affirmari oporteat, non solùm non esse bonos, sed esse simpliciter malos. Assertioni non repugnabo, quamvis appareat certissimum, hanc in allegato textu non esse Hipponensis sententiam cùm sequatur: *quis verò dubitet dicere, voluntatem nullo modo justitiam diligentem, non modò esse malam, sed etiam pessimam voluntatem?* Profectò si non de potentia voluntatis, sed de effectu seu volitione qualibet sermo esset, non solùm dubitaremus *dicere pessimam*; sed quivis sanæ mentis, & doctrinæ theologus sinè cunctatione pernegaret. Quis enim, nisi novator exoticus, pronunciet defectum relationis ad finem moraliter bonum sufficere, ut quælibet volitio *dicatur non modò mala, sed etiam pessima*? Tanta infamia non convenit voluntati, neque volitioni, nisi inquinatæ vitio gravi, & mortifero: Quis autem sapiens tantam malitiam cuilibet impingat operi, quod tali caruerit relatione? aliàs omnia forent peccata mortalia, quæ à Doctoribus Subtili, & Seraphico, ac religiosissimis utriusque discipulis vocantur *indifferentia*, & licita. Contumeliosum magis crederem in ipsum Augustinum, quicumque tam exoticæ, & certò erroneæ opinionis eum fingeret authorem.

Non igitur de singulis voluntatis actibus, sed de *Voluntate* ipsa, quæ animæ potentia seu volendi facultas est, dicitur quòd *non modò mala, sed etiam pessima sit, si omnino justitiam non diligit*, seu nunquam, aut quasi numquam diligit; non autem si subinde eam diligere in rebus levibus prætermiserit. Denique in tota Augustini sententia nusquam exprimitur Deus aut ejus amor; Sed sola *dilectio justitiæ*. Alienissimum quoque,

que, uti à veritate catholica, ita & ab Augustini mente est, volitionem omnem, & actionem hominis liberam appellare *non modò malam*, *sed etiam pessimam*, hoc ipso quòd Dei dilectio non fit, nec ab ea imperetur, sive ut Quesnellus ait, hoc ipso quòd *non nascatur*, *ab amore Dei, qui omnia agit propter Deum*, *quemque Deus remuneratur*.

5 Assueri à sævitiâ ad benignitatem conversio laudatur ut *bona*, & Divino muneri tribuitur lib.1.de gratia Christi cap.24. ad illud Scripturæ *Convertitque Deus spiritum regis in mansuetudinem*, sive,ut Augustinus refert, *Deus transtulit indignationem ejus in lenitatem*: in quod ita Sanctus Doctor: *Intueantur* (*Pelagiani*) *atque fateantur, non lege atque doctrinâ insonante forinsecus; sed internâ, & occultâ; mirabili,ac ineffabili potestate operari Deum in cordibus hominum non solùm veras revelationes, sed etiam bonas voluntates*. Audiant adversarii bonam in gentili Principe voluntatem ab Augustino prædicari, tribuique Deo eam mirabili ac ineffabili potestate operanti. Procul tamen aberat Assueri voluntas ab amore Dei omnia agente propter Deum.

Nondumne Quesnellus percipit, quàm manifesto Augustinum exponat Pelagianorum ludibrio, quasi Doctorem levissimum, qui easdem Gentilium *voluntates*, & *bonas* definiat & *divinitus* concessas, ac simul *non modò malas*, *sed etiam pessimas*?

De similibus infidelium actibus bonis asserit Augustinus lib.4. contra Julianum cap.3. *Ex quo colligitur, etiam ipsa bona opera, quæ faciunt infideles, non ipsorum esse; sed illius, qui bene utitur malis*. Ecce iterum in infidelibus opera bona profluentia à Deo; non autem ab hominum amore omnia agente propter Deum.

Rursus lib. de Spiritu & lit. ad Marcellinum cap.27. *Qui naturaliter quæ legis sunt faciunt, nondum sunt habendi in numero eorum, quos Christi justificat gratia; sed eorum potiùs, quorum etiam impiorum, nec Deum verum veraciter, justèque colentium, quædam tamen facta, vel legimus, vel novimus, vel audivimus,quæ secundùm justitiæ regulam non solùm vituperare non possumus; verùm etiam meritò rectèque laudamus*. Qui naturaliter quæ legis sunt faciunt, in numero impiorum, & gentilium nec Deum verum, veraciter, justèque colentium, non operantur ex amore Dei omnia agente propter Deum. Et tamen quædam eorum facta noverat Augustinus, quæ juxta justitiæ regulam adeò vituperare non poterat, ut etiam meritò rectèque laudaret; non igitur ea *mala* censuit, multò minùs *pessima*.

Addit quidem S. Doctor: *quamquam si discutiatur, quo fine fiant, vix inveniuntur quæ justitiæ debitam laudem, defensionemque mereantur*. Pauca istiusmodi opera undequaque bona in Gentilibus etiam nos agnoscimus, plerisque finem admixtum habentibus illicitum, seu vanæ gloriæ, seu honorandi falsa numina, quæ specie bona apparuerint, corrumpentem. Sunt tamen aliqua à tali fine, & corruptione prorsus immunia, ut *Actus strenui* quibus Romani Veteres *à Deo promeruerunt imperium*, Augustino teste lib.5. de Civitate Dei cap.12. & cap.18. *Proinde per illud imperium tam latum, tamque diuturnum, Virorumque tantorum virtutibus præclarum, atque gloriosum, & illorum intentioni, quam quærebant, merces est reddita, & nobis proposita necessaria commonitionis exempla; ut, si virtutes, quarum istæ utcumque sunt similes, quas isti pro civitatis terrenæ gloria tenuerunt, pro Dei gloriosissima civitate non tenuerimus, pudore pungamur*. Pudore quoque pungantur Adversarii dum hanc Doctorum maximo sive impietatem tribuunt, sive insaniam; quasi opera tantopere à se laudata, & à Deo donata præmio declaraverit *non modò mala*, *sed etiam pessima; quia non nata fuerant ex amore Dei, qui omnia agit propter Deum*.

Veram itaque objectæ ex Augustino sententiæ significationem teneant, ut sonant vocibus in sensu proprio, & obvio acceptis, non de volitionibus singulis, seu voluntatis effectibus; sed de ipsa volendi facultate, seu potentia; *quis dubitet dicere, voluntatem nullo modo justitiam diligentem, non modò esse malam; sed etiam pessimam*? Verum nempe est,voluntatem, quæ *nullo modo*, seu nunquam justitiam diligit, esse non modò malam; sed etiam pessimam, etsi neque singulæ volitiones, in quibus justitiæ amor prætermittitur, sint pessimæ; neque voluntas, sive volendi facultas propter tales omissiones non valde frequentes, voluntatis pessimæ contumeliam mereatur.

Denique in vibrata ab Adversariis Augustini sententia, nulla exprimitur mentio amoris Dei omnia agentis propter Deum, sed *justitiæ* solummodo, qui amor etiam in impiis, & gentilibus subinde, ut audivimus reperitur; non autem memoratus *amor Dei*, de quo in propositione agitur condemnatâ. Adeò in toto adversarii argumento nihil est quod fidem sapiat, aut mentem sanam.

6 Latinorum textuum Collector anonymus, authori Hexaplorum suppetias latu-

tus, addit ex Augustino sequentia lib. de gratia Christi cap.20. *Aliud enim est charitas radix bonorum, aliud cupiditas radix malorum; tantumque inter se differunt, quantum virtus, & vitium*. lib.9. de Trinitate cap.7. *Nemo enim volens aliquid facit, quod non in corde suo priùs dixerit, quod verbum amore concipitur sive creaturæ, sive creatoris, id est, aut naturæ mutabilis, aut incommutabilis veritatis: ergo aut cupiditate, aut charitate; non quòd non sit amanda creatura; sed si ad Creatorem refertur ille amor, non jam cupiditas; sed charitas erit. Tunc enim est cupiditas, cùm propter se amatur creatura: tunc non utentem adjuvat; sed corrumpit fruentem*.

Charitas radix bonorum dicitur, quia ex ea, dum possidetur, cæterarum actus virtutum germinant, & ab illa imperantur: sinè illa nullum est meritum condignum, nulla salus; nemo tamen probè catholicus asseret, charitatem ita esse radicem bonorum, ut sinè ea nullus actus bonus, nullus bonus habitus esse possit. Jam enim juxta Augustinum lib.1. de gratia Christi cap.24. vidimus in Assuero charitatis experte *bonam voluntatem*, quam *Deus mirabili, ac ineffabili potestate* in ejus corde *operatus est*.

Epistola 130. juxta novam editionem 144. concedit Augustinus infidelibus continentiæ conjugalis, & castitatis virtutes à Deo indiras: „ ipsius namque corporis, „ quod est infimum nostrum si qua bona, „ sunt, sicut forma & vires, & salus, & „ si quid ejusmodi est, non sunt nisi à Deo „ Creatore, ac perfectore naturæ; quantò „ magis animi bona donare nullus alius potest. Quid enim superbius, vel ingratius „ cogitare potest humana vecordia, si putaverit, cùm carne pulchrum faciat Deus „ hominem, animo castum ab homine „ fieri?

Lib.4. contra Julianum cap.3. „ ex quo „ colligitur, etiam ipsa bona opera, quæ „ faciunt infideles, non ipsorum esse, sed „ illius, qui bene utitur malis.

Lib. de spiritu, & litera, cap.26. „ Sicut non impediunt à vita æternâ justum „ quædam peccata venialia, sinè qnibus „ hæc vita non ducitur; sic ad salutem „ æternam nihil prosunt impio aliqua „ opera bona, sinè quibus difficillimè vita cujuslibet pessimi hominis invenitur.

In istis autem impiis, & infidelibus bona opera ex charitate procedere non possunt; quæ tamen bona, & Dei munera agnosci jubet Sanctus Augustinus, ut pluribus ejus textibus à me superiùs allegatis, invictissimè confirmatum est.

Produnt hìc itaque adversarii, ut passim alibi, crassam, & affectatam Augustinianorum sensuum ignorantiam, aut veriùs fraudem pessimam, & animum in damnatis sæpius erroribus obduratum.

Jonæ cap.3. & 4. clamante Propheta: „ Adhuc 40. dies & Ninive subvertetur, „ crediderunt viri Ninivitæ in Deum, & „ prædicaverunt jejunium, & vestiti sunt „ saccis à majore usque ad minorem: & „ pervenit verbum ad regem Ninive, & „ surrexit de solio, & abjecit vestimentum „ suum à se, & indutus est sacco, & sedit „ in cinere: & vidit Deus opera eorum, „ quia conversi sunt de via sua mala, & „ misertus est Deus super malitiam, quam „ locutus fuerat, ut faceret eis, & uon „ fecit. „ Ubi videmus, Ninivitas, antequam diligerent, credidisse in Deum; dein concepto timore, & spe veniæ egisse opera pœnitentiæ; atque ita se ad consequendam misericordiam disposuisse. Ipsorum itaque fides, timor, spes, & opera pœnitentiæ fuere bona, etsi ex charitate, velut radice, qua caruerant hactenus, initio non profluxerint; sed ad eam potiùs introducendam fuerint dispositio.

Apostolus Hebr. cap.11. monet: *Accedentem ad Deum oportet credere; quia est, & quòd inquirentibus se remunerator sit*. Idem inculcat Tridentinum Concilium Sess.6. cap.6. hunc præparationis modum ad justificationis gratiam describens: „ Disponuntur autem ad ipsam justitiam, dum excitati Divinâ gratiâ, & adjuti, fidem ex „ auditu concipientes liberè moventur in „ Deum, credentes vera esse, quæ divinitus revelata, & promissa sunt...., & „ dum peccatores se esse intelligentes, à „ divinæ justitiæ timore, quo utiliter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se convertendo, in spem eriguntur, fidentes, Deum sibi propter „ Christum propitium fore, illumque „ tamquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt „. Adversarii autem novum præparationis ordinem commenti, jubent primùm diligere Deum *amore, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur*; dein credere, timere, & sperare; aliàs, inquiunt, quod ex charitate non profluit, necesse est proveniat ex cupiditate, atque hujus vitio maculetur. Qua novitate nihil est magìs contrarium lumini rationis, Scripturis, Tridentino Concilio, & plurium Pontificum definitionibus, Traditioni Patrum, etiam Augustini, ut ejus textus clarissimi edocuêre.

Ipse

Ipse Angelicus, Augustini interpres fidissimus, cujus Summa theologica, etiam teste Jansenio, *Augustinus contractus* est, 1. 2. q. 62. a. 4. ait: *Oportet, quòd ordine generationis fides præcedat spem, & charitatem.* Quomodo autem fides potest ordine generationis præcedere charitatem, si omnis actio, quæ non nascitur ex amore Dei omnia agente propter Deum, mala sit, ut in damnato asseritur articulo, sive si omnis actionis bonæ radix necessaria sit charitas, ut adversarius perperàm explicat Augustinum.

Vocem *charitas* in ampliore significatione Augustinus, ut alii interpretantur, accipit pro amore honesti, sive *bona voluntate*. Saltèm extra dubium apparet, charitatis nomine comprehendi ab eo subinde etiam spem theologicam. Sic in Psalm. 53. *Deus noster laudetur voluntate, ametur charitate: gratuitum sit quod amatur, & quod laudatur. Quid est gratuitum? Ipse propter se, non propter aliud. Si enim laudas Deum, ut det tibi aliquid aliud, jam non gratis amas Deum. Erubesceres, si te uxor tua propter divitias amaret..... Ipsum autem gratis diligis, quia melius ab eo non invenis quod det, quàm se ipsum.*

Amplissimâ significatione accipitur *charitas* Sermone 52. de tempore: *Charitas alia est Divina, alia humana: humana alia est licita, alia illicita,.... humana charitas non solùm licita est, ut concedatur: sed ita licita, ut si defuerit, reprehendatur. Liceat vobis humanâ charitate diligere conjuges, filios, amicos &c. Sed videtis, istam charitatem esse posse & impiorum, idest, Paganorum, Judæorum, hæreticorum; quis enim eorum non amat uxorem, filios, &c. Si ergo talis quisque crudelitate effertur, ut perdat etiam humanum dilectionis affectum, & non amet filios suos, & non amet conjugem suam, nec inter homines numerandus est; non enim laudandus est, qui amat filios suos; sed damnandus est, qui non amat filios.... amant filios & feræ, amant filios aspides.... ergo qui non amat filios suos, etiam leone pejor est.*

Etiam Gregorius Magnus hanc Augustino dignam sententiam secutus est homilia 27. in Euangelia. Denique quod de charitate bonorum omnium radice, & de cupiditate malorum in objecto ab adversatiis lib. de grat. Christi allegatur, jam præoccupavimus, loci similis explicatione in pluribus Augustini textibus fundatissimâ.

CAPUT XIV.

Præcipua ex Augustino objectio accuratiùs expenditur.

1 Ampliùs exponendum superest quod objicitur ex lib. 9. de Trinitate cap. 7. *Nemo enim volens aliquid facit, quod non in corde suo priùs dixerit; quod verbum amore concipitur sive creaturæ sive creatoris, idest, aut naturæ mutabilis, aut incommutabilis veritatis. Ergo aut cupiditate aut charitate. Non quòd non sit amanda creatura, sed si ad Creatorem refertur ille amor, non jam cupiditas; sed charitas erit. Tunc enim est cupiditas, cùm propter se amatur creatura: tunc non utentem adjuvat, sed corrumpit fruentem.* Ex his, & similibus, quæ ad pietatis ædificationem scripserat Augustinus, ad destructionem fidei usa est Lutheri, & Calvini temeritas, quos incautiùs secuti aliquando Bajus & Jansenius, sibi tandem diffisi prudentiùs deseruere, Romani Pontificis se judicio submittentes. Non viderat scilicet Bajus, quomodo ex istiusmodi Augustini sententiis non sequeretur hic suus 38. Articulus: *Omnis amor creaturæ rationalis aut vitiosa est cupiditas, qua mundus diligitur, quæ à Joanne prohibetur; aut laudabilis illa charitas, qua per Spiritum Sanctum in corde diffusa Deus amatur.*

In eundem scopulum dein impegit Jansenius, quem uti & Bajum felix erga Sedem Apostolicam submissio ab æterno animæ liberavit naufragio. Sed imprudentiores utriusque discipuli, contemptâ, aut neglectâ Sedis Apostolicæ authoritate, dissimulatâ suorum retractatione, atque obedientiâ Magistrorum, hanc sibi præscripserunt malesani regulam: *Ubi quis invenerit doctrinam in Augustino clarè fundatam, illam absolutè potest tenere, & docere, non respiciendo ad ullam Pontificis Bullam.* Hinc emersêre tot nova dogmata præsenti Quesnelliano conformia, quæ ab Alexandro VIII. damnata retuli cap. 4.

2 Si & illius Pontificis sententiam audax novaturientium turba flocci faciat, ut Schismatici solent, & Hæretici, Augustinum supremis Ecclesiæ, & fidei opponere judicibus, audiat saltèm hìc Eminentissimum Cardinalem Aguirre, quem sibi toties mentitur alibi patronum. Disputat. 130. Sect. 12. „ Quando aliqui ex Patribus „ indicant, duos esse in nobis fontes affe„ ctionum omnium, charitatem, sive „ amo-

„ amorem Dei, & cupiditatem, sive amo-
„ rem privatum, charitatis nomen latiùs
„ usurpant, ... Quandoque peccator fi-
„ delis edit alias actiones, pariter innoxias,
„ seu vitio carentes in obsequium implici-
„ tum ejusdem supernaturalis finis; quales
„ sunt actus fidei theologicæ, spei, & at-
„ tritionis, quæ certè procedunt ab habitu,
„ vel auxilio supernaturali; &, licèt non
„ quærant gloriam Dei, implicitè tamen ad
„ illam ordinantur, relatione quadam sibi
„ intima, & transcendente ultimam earum
„ differentiam. Eoque sensu procedere
„ dicuntur non ab aliqua cupiditate vitio-
„ sa; sed à concupiscentia supernaturali
„ propriæ salutis, in finem charitatis impli-
„ citè ordinatâ, quo sensu actus spei Chri-
„ stianæ, & attritionis, etiam seorsim à
„ formali dilectione Dei propter se, inno-
„ xii, & laudabiles sunt. Sola superest dif-
„ ficultas in actionibus virtutum acquisita-
„ rum, quoties eliciuntur ab homine sive
„ fideli, sive infideli, ex motivo proximo,
„ aut fine honestaris moralis ipsarum, abs-
„ que ulla relatione in Deum finem ulti-
„ mum supernaturalem.... Si actiones ip-
„ sæ elicitæ propter honestatem moralem
„ non dirigantur explicitè ab homine in
„ obsequium Dei, ut authoris finisque na-
„ turalis; sed implicitè solùm, adhuc tunc
„ erunt innoxiæ, & honestæ, intrà limi-
„ tes naturæ. Quo sensu dici possunt pro-
„ cedere ex amore formali honestatis mo-
„ ralis, qui est implicitè solùm amor Dei,
„ ut authoris & finis naturæ, differtque à
„ cupiditate vitiosa, quæ nullius actionis
„ honestæ radix esse potest.

Sect. 12. num. 124. „ Non ait (Augu-
„ stinus) esse illicitum, esse peccatum,
„ non esse veram legis obedientiam, quid-
„ quid fit ab homine ex fine honestatis mo-
„ ralis; sinè explicitâ relatione ad Deum,
„ vel ad finem charitatis formali, aut Vir-
„ tuali; hoc enim soli recentiores aliquot
„ Belgæ docent præter sensum Augustini,
„ & contra expressam sententiam omnium
„ Scholasticorum, atque in iis Divi Tho-
„ mæ, & Bonaventuræ „ Quod Eminen-
tissimus tunc tribuebat *solis recentioribus aliquot Belgis*, nunc Constitutione Unigenitus à Belgis omnibus religiosè susceptâ, ad solum Quesnellum, & aliquot ejus asseclas Gallos, Episcopis ferè universis refragantibus, transferendum est.

3 Pergamus audire Eminentissimum Aguirre num. 125. ubi ipsam refert Adversarii ex Augustino objectionem: „ Quod
„ subditur ex eodem S. Augustino lib. 4. de
„ doctrina Christiana cap. 10. & l. 9. de
„ Trinitate cap. 7. circa cupiditatem contra-
„ positam charitati, non urget. Dato enim
„ quod Charitas, & cupiditas sint duo
„ fontes, ex quibus oriatur omnis actio de-
„ liberata creaturæ rationalis, quod passim
„ inculcant adversarii, & nescio an illæsâ
„ authoritate Pontificum damnantium pro-
„ positionem 38. Michaelis Baji, ut supra
„ vidimus; id intelligi debet de charitate
„ largè accepta, & abstrahente tum à cha-
„ ritate theologica, tum à pia affectione
„ erga ea, quæ ad Dei gloriam attinent,
„ sive naturali, sive supernaturali; tum
„ denique ab amore honestatis moralis im-
„ plicitè relatæ in Deum, ejusque gloriam
„ prout naturæ, & totius moralis honesta-
„ tis author ac finis ultimus est: quod satis
„ explicuimus, & probavimus supra n. 107.
„ & duobus sequentibus. Quis autem di-
„ cat, amorem virtutis, & honestatis mo-
„ ralis propter se ipsam, nullâ vitiosâ cir-
„ cumstantiâ, aut pravo fine inquinatum,
„ spectare ad cupiditatem inconcessam, &
„ Divinis literis reprehensam? Sanè cum
„ ejusmodi amore nihil commercii habet
„ cupiditas illa vitiosa, ut patet vel ex ip-
„ so testimonio 1. Epistolæ Joan. cap. 2. *Quo-*
„ *niam omne, quod est in mundo, concupiscen-*
„ *tia carnis est, & concupiscentia oculorum,*
„ *& superbia vitæ*; atqui amor honestatis
„ moralis propter seipsam, sinè alio fine pra-
„ vo, aut circumstantiâ vitiosâ, non est con-
„ cupiscentia carnis, non concupiscentia
„ oculorum, nec superbia vitæ, ut patet: ergo
„ amor ejusmodi non est ex mundo; ac pro-
„ inde nec ex cupiditate vitiosa procedit. „

4 Quæ quantumvis certa sint, & perspicua; quia tamen nobis cum prætensis Augustini discipulis obstinatissimis res est, nihil agimus, nisi eos ex ipso Hipponensium Antistite convincamus. Quod enim ab ipsis assumptum retuli, numquam deseruêre perniciosissimum axioma: *Ubi quis invenerit doctrinam in Augustino clarè fundatam, illam absolutè potest tenere & docere, non respiciendo ad ullam Pontificis Bullam*. Non respiciunt enim verò Acephali nè Tridentinam quidem Synodum, aut Scripturas, nisi ut pravis interpretationibus corrumpendo, ad suam quamtumvis contrarias, & reluctantes sententiam detorqueant.

Ad hoc itaque reducitur tota præsens de mente Augustini controversia, num adæquata sit humanorum actuum in *charitatem*, & *cupiditatem* divisio: sive an in omni amore sit aut *Sancta Dei fruitio*, aut damnabilis *fruitio creaturæ*. Affirmant adversarii: nos

nos pernegamus: verborum illi corticem pro fe avidè arripiunt, nos nucleum, feu intimum S. Doctoris fenfum, pluribus ab eo locis teftatiffimum, Ecclefiæ catholicæ vindicamus. Examinis initium ducendum à *charitatis*, & *cupiditatis* definitione. L. 2. de Doctrina Chriftiana cap. 10. *Charitatem voco motum animi ad fruendum Deo propter ipfum, & fe, atque proximo propter Deum; Cupiditatem autem motum animi ad fruendum fe & proximo, & quolibet corpore non propter Deum*. Lib. 1. de Doctrina Chriftiana cap. 4. *Eâ re frui dicimur, quæ nos non ad aliud referenda per fe ipfam delectat: uti eâ re, quam propter aliud quærimus: frui eft amore alicujus rei inhærere propter ipfam; uti autem, quod in ufum veneris, ad id quod amas, obtinendum referre*.

Duo hic potiffimùm errores debellandi fuere Auguftino; primus philofophorum conftituentium vitam beatam five in virtutibus, five in voluptatibus, aut rebus aliis Deo inferioribus: alter error Pelagianorum appellantium actus bonos, ubicumque officium bonum effet; de finis bonitate aut malitia non foliciti. Contra priores Auguftinus Sermone 13. de Verbis Apoftoli: *Dicebat Epicurus: Beatus cujus eft in fructu voluptas carnis ejus: dicebat Stoicus: Imò beatus, cujus eft in fructu virtus animi ejus: dicebat Apoftolus: Beatus, cujus eft nomen Domini fpes ejus*. Contra Stoicos fimul, & Pelagianos dicitur lib. 19. de civitate, cap. 25. & 26. *Licet à quibufdam tunc vera atque honefta putentur virtutes, cùm referuntur ad fe ipfas, nec propter aliud expetuntur, etiam tunc inflata, ac fuperba funt, & ideo non virtutes; fed vitia judicanda funt. Sicut enim non eft à carne, fed fuper carnem quod carnem facit vivere: fic non eft ab homine; fed fuper hominem, quod hominem facit beatè vivere .... quocirca, ut vita carnis anima eft; ita beata vita hominis Deus eft*.

5 Quifquis, ut fruatur creaturis, præcepta Dei tranfgreditur, cenfetur Deum creaturis poftponere, atque in his, non in Deo fuam imprudens beatitudinem collocare. Contra hanc mortalium dementiam Auguftinus in fecundam partem pfalmi 32. concione 2. *Avarè quid inhias cœlo, & terræ? melior eft qui fecit cœlum & terram: ipfum vifurus es, ipfum habiturus es; beata gens, cujus eft Dominus Deus eorum. Hoc ama, hoc poffide: ipfe fit hæreditas noftra, poffeffio noftra. An fortè temere dicere poffumus, faciendo nobis Deum poffeffionem, cùm fit Dominus, cùm fit Creator? Affectus eft defiderii, & dulcedo fpei*. Vel hinc patefcit, Auguftini mentem non effe, quòd *cupiditas*, quæ *fruitio creaturæ* eft; & *charitas*, quæ fruitio Creatoris, conftituant adæquatam omnis noftri amoris liberi divifionem. Amor fcilicet fpei etiam laudabilis, & falutaris eft, ab Auguftino tantopere inculcatus.

Nè verò exiftimes, folam commendari fpem à charitate, inter virtutes theologicas principe, imperatam, laudatur etiam fpes charitate prior, utpote ad eandem difpofitio lib. de catechizandis rudibus cap. 17. „ Qui propter beatitudinem fempiternam, „ & perpetuam requiem, quæ poft hanc „ vitam fanctis futura promittitur, vult „ fieri Chriftianus, ut non eat in ignem „ æternum cum Diabolo; fed in regnum „ æternum intret cum Chrifto; verè „ ipfe Chriftianus eft, cautus in omni ten„ tatione, ne profperis rebus corrumpatur, „ & nè frangatur adverfis .... in tribula„ tionibus fortis, & patiens; qui etiam „ proficiendo perveniet ad talem animum, „ ut plus amet Deum, quàm timeat „ gehennam: ut, etiamfi dicat illi Deus; „ utere deliciis carnalibus fempiternis, &, „ quantum potes, pecca, nec morieris, „ nec in gehennam mittêris; fed mecum „ tantummodo non eris, exhorrefcat, & „ omnino non peccet: non jam, ut in illud, „ quod timebat, non incidat, fed nè illum, „ quem fic amat, offendat. „ Vides hîc fpem, & timorem, etiam ante charitatem velut utiles ad eam præparationes ab Auguftino prædicari.

Rurfus in Pfalm. 72. *Factum eft cor caftum: gratis jam amatur Deus: non ab illo petitur aliud præmium .... Si aliud dilexeris, non erit caftus amor .... Nondum inhæres per præfentiam: inhære per fpem*: Ecce iterum fpem, Auguftino Judice, non folùm innoxiam; fed etiam falutiferam.

6 De timore quoque fervili, atque adeò non liberali, non *cafto*, ut Auguftini phrafi utar; *bono* tamen, *& utili*, loquitur in pfalm. 127. *Ille timor nondum caftus præfentiam Domini, & pœnas timet; timore facit quidquid facit: non timore amittendi bonum illud; fed timore, patiendi illud malum: non timet, nè perdat amplexus pulcherrimi Sponfi; fed timet, ne mittatur in gehennam: bonus eft & ifte timor, & utilis, etfi nondum caftus*, qualis jam memoratus eft in Sponfa, nè privetur amplexibus Sponfi.

Ibid. *Timor caftus exclamaret, & diceret: unam petii à Domino: vide, quomodo ardeat timor ifte caftus, timor verus, timor fincerus: unam petii à Domino, hanc requiram, quid? Ut inhabitem in Domo Domini per omnes dies vita*

vitæ æternæ. Quid si propter terrenam felicitatem? Audi quid sequatur: propter contemplationem Domini. Amorem spei ubique ingerit Augustinus, duos etiam timores, castum unum, alterum non castum quidem; sed tamen *bonum*, & *utilem*. Ex tribus autem actibus nullus cupiditatis noxiæ, aut propriè dictæ charitatis est.

Lib.83. quæstionum cap.36. *Charitatis venenum est spes adipiscendorum, aut retinendorum temporalium.... est autem cupiditas amor adipiscendi, aut retinendi temporalia... Persuadendum est fidelibus, quid intersit inter duos homines veterem, & novum, exteriorem & interiorem, terrenum & cœlestem; id est, inter eum, qui bona carnalia, & temporalia, & eum, qui spiritualia, & æterna sectatur*. Neque in timore gehennæ, neque in amore spei amantur bona temporalia, atque ita non reperitur definita ab Augustino cupiditas; etsi autem amantur æterna ac cœlestia, hactenus tamen non est charitas.

In psalm.120. *Quando facis bonum opus, propter vitam æternam fac; Nam si opus bonum feceris, ut terrena tibi abundent, scit sinistra tua, quid faciat dextera tua: noli facere, nisi propter vitam æternam. Si ideo facis, securus eris; hoc enim mandavit Dominus*.

In psal.118. concione 2. *Putabat Diabolus, quòd in Deo colendo vir justus* (Job) *cor inclinatum haberet in avaritiam, & causâ emolumenti, vel utilitatis rerum temporalium, quibus eum ditaverat Dominus, velut mercenarius pro tali mercede serviret. Si ergo cor non habeamus inclinatum in avaritiam, Deum non colimus, nisi propter Deum, ut sui cultûs ipse sit merces*.

Sermone 19. de Verbis Apostoli: *Ecce propter quam visionem fac bonum: Ecce propter quam visionem noli facere malum*. Qui Dei visionem desiderat, & propter hanc retributionem cum Davide inclinat cor suum ad faciendas justificationes Dei, & vitanda peccata, non habet cor inclinatum in avaritiam, in *bona terrena, & temporalia*; sed in cœlestia, & æterna; in Deum ipsum visione possidendum. Hac intentione securos nos esse jubet Augustinus, à Psalte Regio edoctus.

Verùm Quesnellus utroque, si non sapientior, saltèm rigidior, fidem, timorem, spem theologicam, si à charitate præscindendo sejunxeris, ut generationis ordine juxta doctrinam Sancti Thomæ, & Ecclesiæ præcedunt, vitiis annumerat, quæ hominem non ad justitiam disponant, sed fruitionis illicitæ cupiditate corrumpant, atque condemnent. Qua verò arte, quibus præstigiis Quesnellus in actibus fidei, timoris, ac spei theologicæ sinè charitate, detegit *amorem adipiscendi, aut retinendi temporalia* in his verbis, quibus ab Augustino *Venenum charitatis cupiditas* definitur?

7 In ipsis quoque virtutum moralium justitiæ, temperatiæ, castitatis, misericordiæ actibus, à charitate non imperatis, quomodo Quesnellus semper cupiditatem, sive *amorem concupiscendi, aut retinendi temporalia* reperiat, non assequor; neque assequeretur Doctorum præstantissimus Augustinus, qui epistola 130. Polemonis gentilis continentiam vocat *Donum Dei*. Similiter Romanos veteres *justitiâ* & cæteris *actibus strenuis promeruisse à Deo imperium*, docuit lib. 5. de Civitate cap. 12. Quapropter Augustino impietatem affingit, aut insaniam, quisquis eum cupiditatis infamiam aspersisse ait omnibus prorsus humanis actibus deliberatis, quos non imbuerit divina, & propriè dicta *charitas*. Quid enim magis à Divinis perfectionibus alienum, quàm Authorem esse, laudatorem, remuneratorem munificum *cupiditatis*? Talis blasphemiæ Doctorem statuere Augustinum gravis in virum sanctissimum juxta ac sapientissimum contumelia est. Denique atrox calumnia est, in omnes homines, vitium eis cupiditatis impingere, quoties virtutum moralium exercent opera non ex amore Dei benevolo, de quo nulla incidit cogitatio.

Non Augustinus, sed spurii ejus discipuli, refragantibus Scripturis, Summis Pontificibus, Patribus, Scholasticis, mortalium genere universo; rationis etiam naturalis lumine repugnante, cupiditatem sive, ut Augustinus definit, *amorem adipiscendorum, aut retinendorum temporalium* inveniunt, ubi omnia apparent amori isti maximè contraria. Inveniunt scilicet, aut invenire se simulant in omni eleemosyna, in omni redditione depositi, in omni solutione debiti, in omni administratione justitiæ, in omni protectione innocentis, in omni consolatione afflicti, in omni adjutorio viduarum, & orphanorum, quoties hæc sive à Gentilibus, sive à Judæis, hæreticis, schismaticis, charitatis expertibus præstantur; quoties etiam à Fidelibus, & justis ex inferioris virtutis imperio, quàm charitatis. Quæ novitas cùm omnium judicio absurdissima sit, & exploratissimis Augustini sensibus contraria; patet, nullo modo admittendam, velut adæquatam humanorum actuum divisionem in charitatem, quæ virtus theologica est, & oppositam ei, ac noxiam cupiditatem.

De iis scilicet solis actibus loquitur sanctus,

ctus, quibus finis ultimus eligitur, vel qui ex finis illius intentione procedunt. Quemadmodum enim ab omni homine finis ultimus statuitur Deus, vel creatura, & res alterutra ipsi beatitudo est, omnis ex alterutra intentione dimanans actio rectè dicitur esse cupiditas, vel charitas. Quæ, ut procul dubio doctrina sana est, & sententiæ Augustinianæ imprimis congrua explicatio; non tamen excludit alias plurium Scholasticorum, etiam Eminentissimi Aguirre, qui charitatem accipiunt latiùs pro omni quoque bono opere, quòd sponte sua, dum nullâ pravâ hominis intentione à Deo avertitur, in eum tendit, ut finem ultimum, quem præcipuum habuit authorem.

8 Indicandus hìc superest error gravissimus, imò apertè hæreticus, quem adversariorum sive malitia, sive ignorantia crassa nobis ingerit: si enim, ut ipsi contendunt, adæquata sit actionum omnium liberarum, in charitatem, & cupiditatem penès Augustinum divisio, necesse est, omnia esse peccata mortalia, quæ charitas non sunt, sive formaliter, ut schola loquitur, sive virtualiter, propter charitatis imperium. *Cupiditas* enim, ut ab Augustino superiùs definitur, est *Motus animi ad fruendum se, & proximo, & quolibet corpore non propter Deum*: unde in objecto textu rectè dicitur *corrumpere fruentem*: velle autem frui creaturâ, juxta significationem propriam, est ponere in ea ultimum finem, quæ indubiè perversitas est lethifera. Quare S. Bonaventura in 2. distinct. 42. att. 2. quæst. 1. *Ad illud, quod objicitur, quòd amor venialis peccati est amor fruitionis, dicendum quòd falsum est, secundùm quod frui accipitur propriè, videlicet quiescere in aliquo tanquam in fine ultimo. Si ergo quæras, utrum sit usus, vel fruitio, dicendum quòd nec est usus, nec fruitio; sed abusus.*

De usu paulò aliter loquitur S. Thomas; sed de fruitione convenit cum Seraphico contra Quesnellum quæst. 7. de malo art. 10. ad 4. *dicendum quòd ille, qui peccat venialiter, non fruitur creatura, sed utitur.*

Et in 4. dist. 31. quæst. 2. art. 3. ad 3. postquam asseruerat, quòd utens Matrimonio propter delectationem, peccet venialiter, subjungit: *dicendum, quòd, quamvis delectationem non referat actu in Deum; tamen non ponit in ea ultimum finem .... & ideo non oportet, quòd creaturâ fruatur; sed utitur creaturâ propter se; se autem habitualiter propter Deum.*

Denique in hoc consentiunt inter se scholarum omnium Theologi, quòd frui propriè creaturâ, seu ponere in ea suam beatitudinem, & finem ultimum, sit contemptus Dei, & crimen æternis dignum suppliciis, quod de actu quolibet, qui charitas non est, asserere non video quomodo quis finè hæresi possit. Sic reducitur proscriptus à Pio V., Gregorio XIII., Urbano VIII. articulus 20. *Nullum est peccatum ex natura sua veniale; sed omne peccatum meretur pœnam æternam.* Sic actus fidei, spei, & quicunque alii ad charitatem disponentes essent peccata gravia, & lethifera, quod quantùm Tridentino Concilio, & Scripturis clarissimis repugnet, satis exploratum est.

CAPUT XV.

Non favent Quesnello Concilium 2. Arausicanum, SS. Fulgentius, & Prosper.

1 Arausicanum 2. can. 17. *Fortitudinem*, inquit, *Gentilium mundana cupiditas; fortitudinem autem Christianorum Dei charitas facit, quæ diffusa est in cordibus nostris, non per voluntatis arbitrium; sed per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.* Subscribo difinitioni Concilii. Sed velim adversarius ostendat, quâ inde concludatur deductione legitimâ: *Non esse nisi duos amores, unde volitiones, & actiones omnes nostræ nascantur; amorem Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur; & amorem, quo nos ipsos, ac mundum diligimus: qui quod ad Deum referendum est, non refert, & propter hoc ipsum fit malus.* Non enim actus quilibet fortitudo est, neque hæc, præsertim ad pietatis opera, in ipsa statim infunditur origine; sed multis passim dispositionibus, & bonis actibus comparatur.

Sit igitur Christianorum fortitudo ad pietatis actus arduos sita in charitate; ideone ad ipsam charitatem non requiritur prævia fides, spes, & aliarum series dispositionum? Vel enim de charitatis habitu sermo est, vel de actu; habitus adultis non infunditur finè præparatione in variis bonis actibus consistente, ut docet Tridentinum sess. 6. cap. 6. Infusus quoque infantibus per Baptismum se ipso non satis roboris præstat, ut baptizatus, ubi ad usum rationis venerit, ad quælibet statim religionis, & pietatis opera expeditus habeatur, & fortis. Institutione ad hoc opus est, labore non levi, neque paucorum exercitatione operum.

Sed quoniam de actuali charitate apparet disceptatio, actus ille fidem saltèm præexigit, & spem, quæ, ut patet, neque ex charitate nascitur, neque cupiditas est, ne-

que ullo inquinata delicto. Sed neque charitatis fortitudo ad opus quodlibet bonum, & quantumlibet facile necessaria est; aliàs nullus Gentilis, Judæus, hæreticus, vel schismaticus, quos constat charitate destitui, posset umquam dare eleemosynam vel minimam pauperi ex motivo misericordiæ, solvere debitum ratione justitiæ, abstinere ab ebrietate ex amore temperantiæ. Novitas ista manifestæ nimiùm repugnat rationi, Augustino, & cæteris Patribus; Scripturis quoque, & totius Ecclesiæ sensui.

Sit itaque Christianorum fortitudo charitas, Gentilium fortitudo cupiditas; sed, ut non omnia infideles agunt infideliter, & ex cupiditate, ita non omnia fideles bona agunt fortitudine charitatis. Cùm Polemonis gentilis continentia *DONUM DEI*, etiam juxta Augustinum fuerit, non potuit esse vitiosa cupiditas, aut ex cupiditatis oriri fortitudine: non fuit etiam charitas, neque ex charitatis fortitudine dimanare potuit, quâ Polemonem caruisse constat, etiam testimonio Augustini epistola 130. Ex eodem notissimum est, *primorum Romanorum justitiam, & actus strenuos, quibus à Deo promeruerunt imperium*, lib. 5. de Civitate cap. 12. cupiditatem non fuisse, utpote quæ à Deo justo supplicium mereretur, non præmium; opera autem illa tribuere Christianorum fortitudini, quæ charitas est, caverint adversarii, nec pateretur veritas.

2 Detrahunt quoque plurimum famæ probatissimorum Patrum, dum eos plurium damnatorum in Bajo dogmatum authores faciunt, aut patronos. Si enim omnia opera infideliun sint cupiditas, & Christianorum bona, vel innoxia necessariò sint charitas, vel ex ejus prnficiscantur fortitudine, seu imperio, reviviscit Bajana Propositio 25. *Omnia opera infidelium sunt peccata, & Philosophorum virtutes sunt vitia*. Et 38. *Omnis actio creaturæ rationalis aut vitiosa est cupiditas, qua mundus diligitur, quæ à Joanne prohibetur; aut laudabilis illa charitas, quâ per Spiritum Sanctum in corde diffusâ Deus amatur.* Multos alios errores à Sede Apostolica ante CLEMENTIS XI. tempus damnatos vide cap. 4., quos omnes præsentis objectionis temeritas resuscitat, Arausicani Concilii iniquissimè abutens authoritate.

Eandem necesse est adversarius opponat Tridentino sess. 6. cap. 6., ubi præparationis modus, & ordo describitur, quo procedere solet peccatoris adulti justificatio, initium ducendo à fidei, timoris, spei actibus, quibus disponimur ad dilectionem, & *eam pœnitentiam, quam ante Baptismum agere oportet.* Nonnè sacrilegum est asserere ad charitatem, quæ Christianorum fortitudo est, disponi homines per cupiditatem, quæ fortitudo est Gentilium; neque aliam dari actionem mediam, quæ neque charitas illa sit, neque cupiditas?

Sit itaque charitas fortitudo Christianorum, sit propria eorum virtus; sed non sola. Ita Doctor Angelicus 2. 2. quæst. 22. art. 1. arg. *Sed contra*, ait: *Tria commendat Apostolus: manent autem fides, spes, charitas, tria hæc; major autem horum est charitas: etsi in charitate includantur duo illa præcepta; major tamen dicta est esse, non sola. De fide igitur nobis quàm multa mandata sunt, quàm multa de spe!* Nè verò autumes, fidem, & spem imperari necessariò à charitate, monet 1. 2. quæst. 62. art. 4. *Oportet, quòd ordine generationis fides præcedat spem, & charitatem*. Ipsam quoque fidem præcedere solent deliberationes innocuæ, & dispositiones ex gratia procedentes, inter quas est affectus piæ credulitatis, seu voluntatis imperium, quo intellectus, auxiliante gratiâ, submittitur in obsequium fidei. Ita Theologi omnes Catholici contra Jansenistas, quibus *Fides est prima gratia, & fons omnium aliarum*, ut libertas fidei, & indè consequens ejus moralis bonitas, & laus maxima destruatur.

3 Denique, quis, nisi nnvitatis spiritu insaniens, cupiditatis arguet omnes omnino justitiæ, misericordiæ, temperantiæ, castitatis, prudentiæ, fortitudinis, mansuetudinis actiones, quoties intentionem sibi non præfixerint charitatis? Evidens est, in scopum istum charitatis, vel etiam cupiditatis, non collimasse Gentiles, & impios, de quibus Augustinus lib. de spiritu, & litera cap. 26. air *Ipsi homines erant, & vis illa naturæ inerat illis, qua legitimum aliquid anima rationalis, & sentit, & facit: &, sicut non impediunt à vita æterna justum quadam peccata venialia, sinè quibus hæc vita non ducitur; sic ad salutem æternam nihil prosunt impio aliqua opera bona, sinè quibus difficillimè vita cujuslibet pessimi hominis invenitur.*

Legitimum istud, quod in Gentilibus anima rationalis & sentit, & facit, illa bona opera neque proveniunt à Christiannrum fortitudine, quæ charitas est, utpote à Gentilibus remnra; neque à propria ipsis nascitur fortitudine, quæ est cupiditas; arbor enim mala fructus bonos facere non potest.

Iterum Augustinus lib. 1. de peccatorum meritis cap. 22. *Unde fit, ut homo ab ineunte ætate .... ad virtutes cæteras provectior, aptiorque consurgat; & tamen eo loci sit, ubi*

ei

ei prædicari gratia Christiana non possit? Is itaque Christianorum fortitudine, seu charitate nondum pollens, *ad virtutes cæteras provectior*, *aptiorque* non provehitur cupiditate, quæ fortitudo gentilium est. Unde nam autem *ad virtutes cæteras*; morales scilicet, à fide, spe, charitate Christiana distinctas, tantum ei roboris est? Jam edocuit Augustinus: *Ipsi homines erant*, *& vis illa naturæ inerat illis*, *qua legitimum aliquid anima rationalis*, *& sentit*, *& facit*; accedente saltèm Dei auxilio, sive supernaturalis, sive naturalis ordinis speciali.

Charitas igitur fortitudo Christianorum meritò appellatur, quia ipsis propria, non gentilibus communis est: legem implet, adversis non frangitur, *omnia suffert*, *omnia credit*, *omnia sperat*, *omnia sustinet* 1. Cor. 13. Sic & propria gentilibus cupiditas, eorum fortitudo est; quia vires & stimulos ad peccandum suppeditat acriores; non quòd sinè cupiditate voluntas hominis ad malum non sufficiat; cùm & primis hominibus, etsi nullo cupiditatis stimulo intus pulsarentur, peccatum Dæmon persuaserit: Sic etiam non omnis boni operis potestas homini adempta est, simul atque defecerit charitas; etsi hæc præcipuum adversùs vitia præsidium sit, & bonorum operum, atque omnis justitiæ firmamentum.

4 Non magis obest nobis S. Fulgentius ad Monimum cap. 18. dicens: *Voluntas porrò creaturæ rationalis sinè qualicumque amore non potest esse: nec sic potest diligere, ut amorem suum non velit ad aliquid religare; quæ inter Summum bonum, à quo creata est, & infimum bonum, cui prælata est, medio quodam loco posita, profectò aut in infimo bono necesse est miserabiliter jaceat, aut in Summo bono veraciter, feliciterque requiescat.*

Subdolè prætermittit adversarius quod sequitur: *quodam etenim amore rapitur, seu cùm obedientiâ sublevatur, & Creatori bono bene subjicitur: sive cùm superbiâ deprimitur, ut creaturæ bonæ malè dominetur.* Istud nempe, quod adversarius supprimit, satis indicat, non de actu quolibet, sed de amore passim dominante sermonem Fulgentio esse. Verissimum scilicet est, in quolibet homine amorem aliquem prævalere, aut creatoris, aut creaturæ: nullum inter utrumque statum esse medium: aut miserabiliter quemlibet jacere in bono infimo, aut veraciter feliciterque requiescere in bono Summo.

De singulis autem actionibus intelligi id non posse liquet ex ipsa S. Patris additâ ratione; *quodam etenim amore rapitur, seu cùm obedientiâ sublevatur, & creatori bono bene subjicitur; sive cùm superbiâ deprimitur, ut creaturæ bonæ malè dominetur.* Clarum est, non singulis actibus hominem quemlibet sive fidelem, sive infidelem amore rapi, & sublevari obedientiâ ac se subjicere Creatori, aut deprimi superbiâ, ut creaturæ bonæ malè dominetur: quoties enim sive fidelis, sive infidelis solvit debitum, depositum reddit, miseretur pauperis: cùm amat, honorat parentem, nihil de Deo cogitans, aut debitâ ei obedientiâ, non propterea necesse est in singulis illis actibus superbiam occurrere, & dominatûs ambitionem. Istud evincit omnium mortalium experientia, adstipulantibus Scripturis, Patrum, ac Pontificum variorum definitionibus, quas damnato oppositas articulo vidimus totâ hactenus contra eum dissertatione.

Ipse se Fulgentius tum hìc, tum alibi satis ab erroris suspicione liberat; ut, cùm libro de Incarnatione, & gratia cap. 26. ait: *Quòd si quibusdam cognoscentibus Deum, nec sicut Deum glorificantibus cognitio illa nihil profuit ad salutem, quomodo potuerunt hi justi esse apud Deum; qui sic in suis moribus, atque operibus bonitatis aliquid servant, ut hoc ad finem Christianæ fidei, charitatisque non referant? quibus aliqua quidem bona, quæ ad societatis humanæ pertinent æquitatem, inesse possunt; sed quia non charitate Dei fiunt, prodesse non possunt.* Ut detestabile vitium est superbia, qua homo nolens per obedientiam subjici Deo, deprimitur, ut creaturæ bonæ malè dominetur; non potuit illud à S. Fulgentio inter *bona opera* numerari, neque *ad societatis humanæ pertinet æquitatem*: eadem tamen bona opera non *nascuntur ex amore Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur*, ut ad damnati dogmatis patrocinium requiritur: neque per illa homines *in summo bono veraciter, feliciterque requiescunt.*

Perspicuum igitur est, Fulgentium non docere, quòd homo quilibet, seu fidelis, seu infidelis per actiones singulas, aut miserabiliter jaceat in bono infimo, aut in summo bono veraciter, feliciterque requiescat. Adde, quòd *miserabiliter jacere* in bono infimo peccatum designet lethiferum, quod nè adversarii quidem palàm agnoscere ausi fuerint in omnibus actibus, qui ad Deum charitate non referuntur; etsi ex eorum id sequatur errore, cujus absurdissima, & prorsus ineluctabilia profiteri publicè consectaria erubescunt.

5 Frustrà quoque subsidium errori petitur ex S. Prospero libro sententiarum sen-

tentia 221. de duabus civitatibus. *Duas* inquit sanctus, *in toto mundo civitates faciunt duo amores: Jerusalem facit amor Dei: Babyloniam amor seculi: interroget ergo se quisque quid amet; & inveniet unde sit civis.* Patet iterum, non de actione qualibet, sed de amore passim in hominibus prædominante sermonem esse; non enim Jerusalem, vel Babyloniæ civem facit quævis actio; sed habitus, vel amor prædominans: quis nempe etiam justus, & sanctus non prætermittat subinde actionem aliquam referre in Deum; idcone statim cœlesti Hierusalem excluditur, Babyloniam relegandus? aut cujuscumque actûs in Deum relatio, & amoris initium statim civem facit Jerusalem, etsi infamibus aliàs coopertum criminibus, Babylonicæ addictum hactenus confusioni?

Procul ab utraque novitate abest S. Prosper, qui libro contra Collatorem cap.26. ait: *Natura humana, cujus creator est Deus, etiam post prævaricationem manet substantia, manet forma, manet vita, & sensus, & ratio, cæteraque corporis, atque animæ bona, quæ etiam malis vitiosisque non desunt; sed non in illis veri boni perceptio est, quæ mortalem vitam honestare possunt; æternam conferre non possunt.* Quæ verba expendens Cardinalis Bellarminus lib.5. de gratia, & libero arb. c.9. monet: *Nota illud HONESTARE; non enim peccata, sed solæ virtutes vitam nostram honestare possunt.* Porrò virtutes illæ, quæ malis, vitiosisque non desunt, & mortalem quidem vitam honestare possunt, æternam minimè conferre; neque sunt amor Dei, ut patet, neque amor seculi; aliàs neque *bona* essent, neque *virtutes*; sed mala, & vitia. Dantur itaque in sententia Prosperi actiones deliberatæ mediæ inter amorem seculi pravum, pertinentem ad Babyloniam, & amorem Numinis spectantem ad Jerusalem. Ad hanc referri nequeunt ulla infidelium opera, vel virtutes, ut omnibus indubitatum est; ad Babyloniam tamen seu peccatorum farraginem eas rejicere nefas est, propter trium Pontificum contra Bajum definitiones, & veritatem Scripturis Sacris, ac Patrum testimoniis firmatissimam.

Cui adscribetur civitati obstetricum Ægyptiarum erga Judæorum pueros misericordia? Non Babyloni; aliàs non probata à Deo, & affecta præmio fuisset, sed suppliciis: non transcribenda est cœlesti Jerusalem; alioqui æterna mulieribus istis tabernacula, non perituras domos Divina justitia, & beneficentia destinasset.

Babylonici Regis Judæis præstitum contra Tyrios subsidium, non dignum vituperio; sed præmio temporali Deus ipse declaravit; nec tamen in supernam Jerusalem transferri potuit; quia ab infideli tum Principe, tum exercitu præstitum, procul à statu gratiæ, & charitatis exulavit.

Ninivitarum pœnitentiam, quæ tantopere in Scripturis, SS. Patrum voluminibus, & Tridentino Concilio celebratur, nemo ausus fuerit Babylonicæ damnare impietatis; neque tamen videtur usque ad electorum pervenisse Jerusalem.

Cardinalis Lauræa opusculo 3. de gratiis actualibus cap.20. *Ninivitæ*, inquit, *gentiles erant; Idola colebant: Imperatar erat Sardanapalus ex Saliano: in luxu, & ambitione vivebant, ait Lyranus, & pœnitentiam hanc egerunt; neque legitur quòd desierint esse gentiles. Igitur non semper, nec omnia infidelium opera sunt mala.* Atque ita nec omnia à fine charitatis præscindentia Babylonicæ condemnanda sunt pravitatis. Quidquid autem sit de aliquorum, & fortè plurium conversione etiam ad charitatem; evidens tamen est, illam non statim à charitate duxisse initium; sed à timore supplicii.

CAPUT XVI.

Gregorius Magnus Quesnello, & ejus Sociis minime favet.

1 Testem contra nos citant adversarii Gregorium Magnum qui libro 18. Moralium cap.9. (apud me est cap.8.) in illud Job *aut poterit in omnipotente delectari*: sic animadvertit. „ Qui enim terrenorum amore vincitur, in „ Deo nullatenus delectatur. Esse quidem „ sinè delectatione anima numquam potest: „ nam aut infimis delectatur, aut summis: „ & quanto altiori studio exercetur ad „ summa, tanto majore fastidio torpescit „ ad infima: quantoque acriore curâ inardescit ad infima, tanto tepore damnabili „ frigescit à summis „ Hic sistunt adversarii: nos Gregorii sententiam prosequamur. „ Unde Joannes Apostolus sciens, inter spinas amorum sæcularium, supernæ „ charitatis messem germinare non posse, „ priusquam æterni amoris semina proferant, de audientium cordibus Sancta „ Verbi manus, amorum secularium curas eradicat, dicens: Nolite diligere mundum, neque ea, quæ in mundo sunt; moxque subjungit; Quia si quis diligit mundum, non est charitas Patris in eo; ac si aper-

„ apertè dicat; utrique fe amores in uno „ corde non capiunt, nec in eo leges fu„ pernæ charitatis pullulant, in quo illum „ fpinæ infimæ delectationis necant: at„ que illas ex hac infima delectatione na„ fcentes enumerat punctiones, dicens; „ quia omne, quod in mundo eft, concupi„ fcentia carnis eft, & concupifcentia ocu„ lorum, & fuperbia vitæ .... Delectari „ ergo in Deo hypocrita non valet; quia „ in ejus mente defideria fuperna non pro„ deunt, quam profectò fpinæ terreni amo„ ris premunt. „

Hactenus Gregorius. Non divertamur à propofita quæftione: Damnatus articulus enuntiabat: *Non funt nifi duo amores, unde volitiones, & actiones omnes noftræ nafcuntur: amor Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur; & amor, quo nos ipfos, ac mundum diligimus, qui quod ad Deum referendum eft non refert, & propter hoc ipfum fit malus.* Nomine amoris Dei hic intelligi amorem benevolentiæ certum eft; quia hæc propria, & magis obvia amoris fimpliciter dicti fignificatio eft, & omnes in eundem fenfum circumftantiæ conveniunt; nam Quefnellus, & ejus focii nomine amoris, & charitatis promifcuè utuntur, quod ex ipfis quæ fequuntur Propofitionibus explotatum eft. Sic Propof.46. *Cupiditas, aut charitas ufum fenfuum bonum, vel malum faciunt* 47. *Obedientia legis profluere debet ex fonte, & hic fons eft charitas.* Idem eft in pluribus propofitionibus, quæ fequuntur. Denique hunc effe damnati articuli fenfum proprium, obvium, & ab ipfo authore intentum, nullus etiam adverfarius negabit.

2 Nunc itaque ipfum conveniamus pro actibus primùm fpei, qui à charitatis actu feparabiles funt æquè, ac fpei habitus à charitatis habitu aliquando fejungitur. Actus illi fecundæ virtutis theologicæ dum ad charitatem quidem hominem difponunt, ac proinde ab ea non profluunt; non tamen funt inter illos, qui à S. Gregorio reprehenduntur; quafi per eofdem animus *delectetur infimis, tepore damnabili torpefcat à fummis*. Imò cùm Deum fibi optat tamquam fummum bonum fuum, fummam fuam beatitudinem, maximè *Deo delectatur*, non *vincitur amore rerum terrenarum*; fed quanto acriori ftudio talibus fpei actibus exercetur, *tanto majore faftidio torpefcit ad infima*. Alieniffimus itaque eft S. Pontifex à damnato Quefnelli articulo, omnes amores, præterquam charitatis, feu benevolentiæ, inter vitia reputante.

Non minùs remotus Sanctiffimus Doctor eft ab accufando amore, quo veritate à Deo revelatâ primùm delectatur, imperans intellectui affenfum firmiffimum, qualis ad Divinam fidem requiritur; amor tamen ifte neque eft charitas, neque ab ea nafcitur; fed ad eam animum ducit folummodo, ac præparat.

A virtutibus theologicis defcendamus ad morales; non tamen *ad infima*, quibus delectari prohibet Gregorius; fed ad opera mifericordiæ, juftitiæ, temperantiæ, caftitatis; hæc etiam, fuppofitâ præcifione à motivo charitatis, non funt amores rerum fæcularium, & infimæ delectationis fpinæ, quæ charitatis meffem à germinando, juxta Gregorium, impediunt; fed ad germinandum potiùs difponunt animum, dum gratiæ auxilio eliciuntur. Non illi amores funt, quos vetat Joannes Apoftolus dicens: *Nolite diligere mundum, neque ea, quæ in mundo funt*: cujus dilectionis, & delectationis infimæ nafcentes punctiones poft Joannem Apoftolum Gregorius enumerat, dicens: quia *omne, quod in mundo eft, concupifcentia carnis eft, & concupifcentia oculorum, & fuperbia vitæ*. Nihil horum convenit virtutum moralium actibus fecundùm fe, etiam præfcindentibus ab amore Dei omnia agente propter Deum.

Dantur itaque amores, & delectationes mediæ inter delectationes noxias infimorum, feu fæcularium, quæ funt *concupifcentia carnis, concupifcentia oculorum, & fuperbia vitæ*: inter illas, inquam, delectationes, & charitatis Divinæ dantur delectationes mediæ, & innocuæ; virtutum videlicet moralium; quæ, etfi ad excellentiam charitatis theologicæ non pertingant; ei tamen minimè adverfantur; fed cum ea confiftere optimè poffunt in eodem fubjecto.

3 Itaque ex virtutum moralium motivo operantes non ferit hæc Gregorii exprobratio: *Delectari in Deo hypocrita non valet; quia in ejus mente defideria fuperna non prodeunt, quam profectò fpinæ terreni amoris premunt*. Sed potiùs S. Pontifex, fi viveret, adverfarios tamquam veros perftringeret hypocritas, qui affectantes rigorem exoticum, omnia damnant præter charitatem; ipfi charitatis, uti & catholicæ fidei ofores notiffimi. Non pateretur Doctor Sanctiffimus, fe in tot errorum à tot fuis in Petri Cathedra fucceffotibus juftiffimè damnatorum patrocinium vocati. Errores illos à S. Pio V., Gregorio XIII., Urbano VIII. Alexandro VIII., (ut nihil dicam de Clemente XI.) damnatos recenfui capite 4. quibus omnibus involvere S. Grego-

gorium frustrà hic adversarius tentat; multiplicis quidem se calumniæ, & quodammodo blasphemiæ reum constituens; sed irrito pro reducendis erroribus conatu.

Adeò autem remotus est S. Gregorius à condemnandis virtutum omnium non nascentibus à charitate actibus, ut homilia 27. in Euangelia ad illud Christi: *Hoc est præceptum meum* sic enunciet: *Sunt nonnulli, qui diligunt proximos; sed per affectum cognationis, & carnis; quibus tamen in hac dilectione sacra eloquia non contradicunt; sed aliud est, quod sponte impenditur naturæ; aliud, quod præceptis Dominicis ex charitate debetur obedientiæ.* Ad quæ verba sic observat Bellarminus lib. 5. de gratia, & libero arbitrio cap. 9. *Quòd si naturali dilectioni sacra eloquia non contradicunt; certè ea dilectio nihil peccati continet, ac per hoc bona est moraliter; si quidem sacra eloquia peccatis omnibus contradicunt.* Hæc tamen dilectio, ut patet, non nascitur ex amore Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur, quod proscriptus exigit articulus, ut actus quilibet à vitio immunis sit.

Denique de amore spei à charitate distincto statuit Gregorius non solùm licitum esse, sed honestum, & utilem in lib. 1. Regum cap. 12. lib. 5. cap. 2. *Cui* (Deo) *in veritate servimus, quando ejus præcepta pro sola superna retributione perficimus*: atqui istud est, quod Gregorius in objecta ab adversariis sententia vocat *delectari in Domino*; non autem *terrenorum amore vinci*, non *infimis delectari*: non istud est, *diligere mundum, & ea, quæ in mundo* sunt; neque est *concupiscentia carnis*, neque *concupiscentia oculorum*, neque *superbia vitæ*.

Rursus per hunc amorem animus non *inardescit ad infima*, non *tepore damnabili frigescit à summis*; sed *quò altiore studio* in hoc *exercetur, tanto majore fastidio torpescit ad infima*. Adeò spes non opponitur charitati, ut isti *utrique se amores in uno corde* optimè *capiant*. Amor spei, ipsum est *supernum desiderium* nihil continens *spinarum*, aut *punctionum*, quod impediat, nè *seges supernæ charitatis pullulet*; cùm potiùs, ut charitas pullulare possit, animum optimè disponat.

4 Ita Quesnellus S. Gregorium, quem novitatis suæ suffragatorem speraverat, vel mentiens finxerat, adversarium experitur, nullâ sibi arte conciliandum. Sive enim illud, quod Gregorius ait, *esse sine delectatione animus nunquam potest, aut infimis delectatur, aut summis*, in rigore physico accipias; sive, quæ magis verisimilis mens Sancti Pontificis est, intelligas moraliter cum quadam latitudine, pro *fere numquam*, seu *quodammodo numquam*, delectatio non necessariò est vel vitiosæ cupiditatis, vel amoris benevoli erga Deum; cùm amor spei theologicæ inter utrumque medius sit, uti & quicumque pius affectus erga fidem charitate prior, & ad eamdem disponens: idem statue de virtutum moralium actibus, præsertim dum ope gratiæ procedentes, non quidem à charitate imperantur; sed ad eam animum præparant.

Hæc itaque ratione ad Dei amorem referuntur, atque earum delectatio non inter mundanas, sed cœlestes, sive ad beatitudinem conducentes numeratur. Imò qui virtutum moralium actus aliquos solis naturæ viribus, saltèm speciali Numinis intrà naturæ ordinem concursu elici posse existimant, ut communissima Thomistarum fert sententia, assentientibus Cardinalibus Aguirre, & Bellarmino, ac cæteris passim Scholasticis contra paucissimos; agnoscunt in istiusmodi actibus relationem quamdam implicitam ad Deum, naturâ & sponte suâ profluentem, si nulla contraria intentione, vel malâ circumstantiâ impediatur.

5 Sic Bellarminus l. 5. de gratia, & libero arbitrio cap. 9. *Non est necesse, omnia referre in Deum explicitè; sed satis est, si opus referatur in bonum finem proximum; tunc enim per se dirigetur in Deum, ut in ultimum finem. Sicut enim omne agens particulare agit in virtute primi motoris, idest Dei; sic etiam omnis bonus finis movet in virtute ultimi finis. Alioqui non solùm infideles, sed etiam fideles, & justissimi quique semper peccarent, cùm inter operandum de Deo non cogitant; sed operantur, quia ratio dictat esse bonum, & faciendum; itaque, nisi apponatur circumstantia finis mali, omne opus bonum morale per se refertur in Deum, etiamsi author operis id non cogitet, vel intendat.*

Eminentissimus Aguirre in theologia S. Anselmi disp. 130. sect. 11. *Quemadmodum etiam in hoc statu elevationis Deus exercet rationem principii, seu authoris, tum naturalis, quo ad effecta naturæ limitibus comprehensa; tum supernaturalis quoad spectantia ad ordinem gratiæ; ita etiam exercet rationem finis ultimi naturalis, quoad priora effecta; supernaturalis autem quoad posteriora. Quapropter, quemadmodum omnes actiones ex gratia profectæ, seu ex creatura rationali, quatenus informatâ per dona, & auxilia ordinis gratiæ, ex sua ratione referuntur explicitè aut implicitè in Deum authorem, & finem ultimum supernaturalem: ita etiam omnes*

actio-

actiones ordinis naturalis ex officio bonæ, & nullo sinistro fine, aut circumstantiâ vitiatæ, referuntur explicitè, aut implicitè saltèm in Deum ipsum, ut primum principium, & finem ultimum naturalem. Porrò explicita ordinatio contingit, cùm expresso actu intellectûs, & voluntatis saltèm virtualiter influente, referuntur in gloriam, & obsequium Dei; implicita verò, cùm eliciuntur ab homine ex fine honestatis moralis, & objectivæ ipsarum; eæ quippe in se imbibit quasi transcendenter intimum ordinem ad Deum, veluti ultimum finem naturalem totius honestatis moralis: in quo differt Deus ab aliis finibus solùm intermediis memoratis à Divo Thoma 1. 2. q. 1. a. 1. *& ultimis secundùm quid tantùm, sive in determinato genere actionum.*

6 Quæ relationis implicitæ, eadem delectationis est ratio; ut non infimis, sed summis delectari implicitè censeatur, qui delectatur virtutibus moralibus absque ulla circumstantiâ malitiæ, qualis fuerat Stoicorum, qui in virtutibus beatitudinem, ac finem ultimum statuêre: & idololatrarum, qui ad falsorum cultum, honoremque Numinum sua dirigere solent virtutum officia. Remoto autem istiusmodi, & quocumque alio fine perverso, infideles virtutum moralium opera exercentes, nequaquam censendi sunt sæcularibus, & infimis turpiter delectari; aliàs *omnia infidelium opera* essent *peccata, & philosophorum virtutes vitia*, quod 25. articulo inter Bajanos à tribus olim Pontificibus damnatum est: & quidem confirmato recentiùs ab Alexandro VIII. anathemate, quando inter 31. propositiones confixit hanc septimam: *Necesse est, infidelem in omni opere peccare.* Quæ assertio nulli foret obnoxia censuræ, si in omnibus necessariò actionibus, quæ Dei dilectio non sunt, neque ab illa natæ, reperiretur *infimorum delectatio* à sanctissimo Ecclesiæ Doctore meritò reprehensa; sic & *revera peccaret, qui odio haberet peccatum ob ejus turpitudinem, & disconvenientiam cum natura, sinè ullo ad Deum offensum respectu*; quod Alexander VIII. articulo inter 31. nono justissimè proscripsit. Sic quoque *attritio, quæ gehennæ, & pœnarum metu concipitur sinè dilectione benevolentiæ Dei propter se, non esset bonus motus, ac supernaturalis*, quæ est propositio 15. ab eodem Alexandro Pontifice damnata.

Hunc, & plures alios errores tum ab eodem Christi Vicario, tum à tribus ejus olim prædecessoribus profligatos, adversarii impingunt Sancto Gregorio, cujus verba contra notissimam ejus sententiam, & veritatem catholicam interpretantur. Agnoscendæ sunt igitur actiones licitæ, quæ non sunt explicita Dei dilectio, neque ab ea proveniunt. Tales constat, & jam ostendi fuisse traditas à S. Gregorio; unde quod de necessaria in omnibus delectatione cœlestium ex eo objicitur, non potest intelligi de necessitate perpetuâ amoris Dei, qualis in damnato Quesnelli articulo asseritur.

7 Et quidem quod ait S. Pontifex *numquam posse esse animam sinè delectatione*, verum est in primis de habitu, etsi *numquam* accipiatur strictissimè. Certum quippè est habitu vel peccati, vel justitiæ semper animum occupari, atque hoc sensu semper amare cœlestia, vel mundana fluxa, vel æterna sancta, & salubria, vel noxia & perversa. Si autem de actibus sermo fuerit, istud *numquam* in sententia Gregorii accommodè, & moraliter accipiendum est. Modus scilicet loquendi sacro, profanoque usu receptissimus est, ut voces quædam universalitatem sonantes sensu accipiantur accommodo, & morali. Sicut de muliere garrula dicitur, quòd numquam taceat: de vagabundo, quòd numquam in eodem consistat loco: de libidinoso, quòd numquam abstineat à sectandis voluptatibus: de avaro, quòd numquam non cogitet de coacervandis divitiis.

S. Thomas in Epistolam primam ad Thessalonicenses cap. 5. illud Apostoli *Sinè intermissione orate* notat simile esse dicto Christi *Lucæ* 18. *Oportet semper orare, & numquam deficere. Sed quomodo potest hoc esse? Respondeo dicendum est, quòd hoc potest esse tripliciter: primò, quòd ille semper orat, qui statutas horas non prætermittit: simile habetur* 2. *Regum* 9. *Tu comedes panem in mensa mea semper.* Cornelius à Lapide illud Lucæ cap. 18. *Oportet semper orare, & non deficere* sic interpretatur; *semper, id est frequenter, crebrò, statis Ecclesiæ horis &c.* paulò superiùs: *Dico ergo, τὸ SEMPER hic idem esse quòd sedulò, perseveranter, diligenter, assiduè, quantum per alia negotia licet, congruis temporibus .... Impossibile enim est, ut homo omni omnino tempore oret; nam aliquo tempore debet comedere, dormire, laborare &c.... Sic vulgò dicimus de valdè studioso; hic juvenis semper studet, id est frequenter, & diligenter studet. Ita Beda qui & mysticè addit SEMPER ORAT, QUI SEMPER SECUNDUM DEUM OPERATUR: & Glossa, SEMPER ORAT, QUI SEMPER BENE AGIT.* Alludere hic videtur Christùs ad illud Ecclesiastici 18. v. 20. *Non impediaris ora-*

orare semper; quod secutus Apostolus in Epistola ad Ephesios cap.6. v.18. ait: *Orantes omni tempore*, & Thessal.5. v.17. *sinè intermissione orate*.

Hinc, & Cardinalis Bellarminus l.5. de gratia, & libero arbitrio cap.10. ad illam objectionem Genes.6. *Omne figmentum cordis humani tantùm est malum*: ait, „ Respondeo, scriptura hoc loco, & aliis plurimis, tribuit omnibus, quod convenit „ majori parti. Sententia igitur hujus loci est, majorem partem cogitationum, sive præcipuum studium hominum illius „ seculi fuisse malum. Quo sensu in eodem „ loco scribitur: *Omnis caro corruperat viam suam*: & tamen ibidem additur: *Noë vir justus fuit, atque perfectus*. Similes „ locutiones sunt Psalmo 1. *In lege Domini meditabitur die ac nocte*. Psalm.3. *Benedicam Dominum in omni tempore*. Lucæ 18. „ *Oportet semper orare, & non deficere*. 1. „ Thess.1. *Sinè intermissione orate*. Joan.12. „ *Mundus totus post eum abit*. Quare S. Augustinus de unitate Ecclesiæ cap.12. Scribit, in sacris literis sæpe reprehendi omnes homines, cùm solos malos spiritus „ Sanctus reprehendere velit, & contra.

8 Ita pariter S. Gregorius, & alii Patres, dum videntur reprehendere actiones omnes non profluentes ex amore, tantùm intendunt redarguere actiones amori Dei contrarias, sive fine elicitas perverso. Aliàs sequeretur manifesta eversio Scripturarum, doctrinæ Augustini, & aliorum Patrum, atque ipsius S. Gregorii, Sanctorum Thomæ, Bonaventuræ, Salesii, præterea Tridentini Concilii, definitionum plurium Pontificiarum; videlicet S. Pii V. Gregorii XIII., Urbani VIII., Alexandri VIII., ut totâ hac dissertatione, maximè octo primis capitibus clarissimè demonstratum est.

Ex illa itaque adversariorum sententia, & Gregoriani textûs interpretatione ab inferis revocantur damnata pridem, & sæpius dogmata, sequunturque absurda minimè levia, inter quæ est illud Bajanum: *Omnia opera infidelium sunt peccata, & virtutes philosophorum sunt vitia*. De quo sic Bellarminus lib.5. de gratia, & libero arbitrio cap.9. *Secunda*, inquit, *ratio ducitur ab absurdis; Nam si nullum opus bonum fieri posset ab infidelibus* (nullum nisi malum) *sequeretur melius illis esse, remoto præcepto, bona opera ex objecto non facere, quàm facere; nam faciendo peccarent, non faciendo non peccarent. Itaque monendi essent infideles, nè facerent eleemosynas, nè pacificarent discordes, nè imperitos docerent, nisi quando ex præcepto aliquo tenerentur. Hæc autem sinè dubio absurdissima sunt*.

Denique cap.10. præsentis controversiæ ostendi, quòd damnatus error, atque adeò attributus ab adversariis Gregoriano textui sensus, sit lumini rationis contrarius, & omnem subruens religionem. Quæ non hæresum monstra peperit indiscreta quorumdam sacrorum textuum, universaliter sonantium expositio!

Ex illo Christi apud Lucam cap.18. v.1. *Oportet semper orare, & non deficere*, colligebant alii, orandum omni tempore, & numquam laborandum.

Ex illo Psalmi 13. *Non est qui faciat bonum, non est usque ad unum*, deduxere recentiores Hæretici, omnia opera, etiam justorum esse peccata.

Ex illo Christi apud Matth. cap.7. *Non potest arbor mala bonos fructus facere*, juxta novos, & minimè recipiendos interpretes sequitur: *Omne, quod agit peccator, vel servus peccati, peccatum est; & in omnibus suis actibus peccator servit dominanti CUPIDITATI*, quæ sunt propositiones à 3. olim Pontificibus damnatæ Constitutione: *Ex omnibus afflictionibus &c.*

Stet itaque regula à nullo sano interprete rejicienda, sensum non universalem; sed accommodum locutionibus sacris tribuendum esse, quoties absurda, & ipsius sacri scriptoris sententiæ aliunde notissimè contraria sequerentur, ut secutura in casu objectionis argumentis plurimis, & ineluctabilibus toto decursu præsentis controversiæ ostensum est. Præterea, quòd non omnis actus liber propriè delectatio sit, ut timor suppliciorum, odium peccati, dolor de commisso, & similes affectiones animi, quibus mala fugimus, & aversamur. Verissima autem, & prorsus sana Gregoriani textûs, & similium interpretatio est, semper esse delectationem habitualem terrenorum, aut cœlestium, ut nullus detur hominis status medius peccatum inter, & justitiam.

Deinde semper est in homine rationis compote amor prædominans cœlestium, vel mundanorum; sed ita, ut *semper* sensu accommodo accipiatur, non rigido de omnibus momentis temporis, vel de actionibus prorsus omnibus, ut de orationis non perpetuæ necessitate superiùs ex Angelico, & aliis notavi ad illud Christi *Oportet semper orare, & non deficere*. Quæ hactenus deduximus, dissolvendæ etiam objectioni proximæ aptissima sunt.

CA-

CAPUT XVII.

Non consentit adversariis S. Leo, sed manifestè opponitur.

1 EXultant adversarii laciniâ ex S. Leonis Homilia 5. de jejunio mensis septimi, ubi caput secundum sic concluditur: „ Falsæ professionis imagine utimur, si cujus nomine gloriamur, „ ejus instituta non sequimur; quæ utique „ nobis onerosa non essent, & ab omnibus „ nos periculis liberarent, si nihil aliud, „ quàm quod amandum jubetur, amaremus. (Tum statim capite 3.) Duo namque amores sunt, ex quibus omnes prodeunt voluntates, ita diversæ qualitatibus, sicut dividuntur authoribus. Rationalis enim animus, qui sinè dilectione esse non potest, aut Dei amator est, aut „ mundi. In dilectione Dei nulla nimia; „ in dilectione autem mundi cuncta sunt „ noxia. Et ideo æternis bonis inseparabiliter inhærendum; temporalibus verò „ transeunter utendum est; ut peregrinantibus nobis, & ad patriam redire properantibus, quidquid de prosperitatibus „ mundi hujus occurrerit, viaticum sit „ itineris, non illecebra mansionis „.

2 Pro explicatione hujus, & similium locorum, qui à novatoribus magno studio conquiruntur, præsertim ex discursibus moralibus, & concionibus, seu Homiliis Patrum, audiri meretur Eminentissimus Cardinalis Aguirre, ab ipsis adversariis laudatissimus, in Theologia S. Anselmi disp. 130. sect. 11. „ Præmitto (inquit) Patres „ Ecclesiæ sæpissimè in suis concionibus ad „ populum, & scriptis in id potissimùm „ incumbere, ut auditores, & lectores non „ solùm trahant in id, quod simpliciter necessarium est, ad vitandum omne peccatum; verùm etiam in illud quòd majoris „ perfectionis est, & ad ampliorem charitatem Dei, ac proximorum animo imprimendam confert: nec mirùm, si id seriò „ conentur, quoniam vel ipsâ lege naturæ „ insitum est, ut omne agens studeat agere „ sibi simile; cùm verò Sanctissimi Ecclesiæ „ Patres ardentissimâ in Deum charitate „ essent prædìti, nec quidquam deliberatè „ agerent, nisi ex dilectione Dei actuali, „ vel virtuali, palàm spectantes in majorem „ ejus gloriam, studuerunt consequenter „ eam perfectionem adeò sublimem cæteris „ omnibus communicare, & quodammodo imprimere.... Verùm non omnia, „ quæ ab Augustino (Leone) aliisque Patribus traduntur; & commendantur circa quærendam in omnibus gloriam Dei „ ejusmodi sunt, aut pariter sub præceptum cadunt; sed quædam etiam habent „ latitudinem, & varietatem consilio admistam, intrà ipsos limites præcepti. „

Præmissis duobus modis perfectioribus, &, qui, juxta doctissimum Cardinalem, tantùm sunt consilii, accedit ad tertium, quem ait esse præcepti. „ Tertius (inquit) gradus quærendi in omni actione deliberata „ gloriam Dei (atque adeò ipsum in omni „ actione amandi) isque omnium infimus „ est, nihil omnino velle eligere, agere, „ aut operari, nisi secundùm rectam rationem, & ex fine alicujus honestatis moralis sinè admixtione ulla finis pravi, aut „ circumstantiæ vitiosæ. Eo namque ipso, „ quòd quispiam ita operetur, actiones ejus „ diriguntur in gloriam Dei, implicitè saltèm propter relationem intimam, quam „ habent ad Deum, finem ultimum totius „ honestatis moralis: supernaturalem quidem finem, si actiones sint supra naturæ „ ordinem; naturalem verò, si illæ intrà naturalis rationis metas coerceantur, ut „ supra n. 105. monuimus. „

Confirmat eam sententiam Bellarminus lib. 5. de gratia, & libero arbitrio cap. 10. ad illud Apostoli: *Sive manducatis, sive bibitis, sive quid aliud facitis, omnia in gloriam Dei facite*: „ Respondeo (inquit) „ sonant hæc verba piam admonitionem, „ non præceptum propriè dictum, nisi intelligamus hoc tantùm imperari, ut omnia fiant in gloriam Dei explicitè, vel implicitè; nam saltèm implicitè omnia refert in gloriam Dei, qui operatur propter bonum aliquem finem. Semper enim „ ex bonis operibus, etiamsi is, qui ea facit, fortè de Deo non cogitet, sequitur, ut „ qui ea vident, glorificent, aut certè glorificare possint Patrem nostrum qui in cœlis est. „

3 Hanc suam, & communissimam sententiam didicit uterque Cardinalis ex Magistro Angelico in librum 2. sentent. dist. 41. quæst. 1. art. 2. ad 2. *Ratio*, inquit, *naturalis, vel prudentia potest dirigere in aliquem finem proximum*; *&, quia ille finis proximus est ordinabilis in finem ultimum, etiamsi actu non ordinetur, ideo in Infidelibus, quorum actus per rationis vim diriguntur, possunt aliqui actus esse boni; sed deficientes à perfecta bonitate*. Ibid. ad 5. *Infideles non semper ex infidelitatis errore finem sibi præstituunt; sed ali-*

quando ex vero, & recto judicio rationis: Et ideo non oportet, quòd in quolibet actu peccent; sed tunc solùm, quando ex errore finem sibi præstituunt.

Probatio ulterior est in argumento *SED CONTRA* ubi ait: *Non est consilium, nisi de bono; sed infidelibus consulitur, ut aliqua de genere bonorum faciant; ergo eorum actus non omnes sunt mali. Præterea nihil laudabile est, vel laudatur nisi bonum: sed sancti, ut Hieronymus, & Augustinus, sæpe laudant aliquos gentiles de aliquibus operibus; ergo aliqua opera ipsorum fuerunt bona.* Circa quod in margine hæc glossa additur ab Eruditissimo P. Nicolai Ordinis Prædicatorum. „ Sic „ enim Hieronymus libro 1. contra Jovinianum cap.27. gentilium quarumdam feminarum pudicitiam laudat: & in Ezechiel.30. Eò quòd Nabuchodonosor „ *mercedem accepit boni operis*, infert, *Ethnicos quoque, si quid boni fecerint, non absque mercede judicio Dei præteriri*. Et Augustinus libro de spiritu, & litera cap.27. „ *Impiorum, nec Deum verum veraciter, justèque colentium, quædam facta legimus, vel novimus, vel audivimus, quæ secundùm justitiæ regulam non solùm vituperare non possumus; verùm etiam meritò justèque laudamus.*

Denique S. Thomas eodem art.4. ad 4. *Non oportet* (inquit) *ut actus infidelium, qui in finem illum non est ordinatus, semper sit peccatum; sed solùm pro tempore illo, in quo tenentur actum suum in finem ultimum referre.*

4 Minimè quoque necesse est in S. Leonis sententia nomine *voluntatis* intelligere volitionem, ut intelligunt adversarii; magis propria significatio est, si voluntas à suis actibus discernatur, ut Bellarminus ad quemdam Augustini textum respondet lib.5 de gratia, & libero arbitrio cap.11. *Per voluntatem non accipit actum voluntatis, ut adversarii putant; sed potentiam, quæ, si prædita est charitate, est bona: si cupiditate, est mala.*

Sic modò Sancti Leonis sententiam cum doctrina catholica conciliare perfacile est: Duo scilicet sunt amores, qui voluntates omnes seu bonas, seu malas efficiant, quæ adeò ab invicem discrepant qualitatibus, quàm dividuntur authoribus, amore scilicet Dei, & mundi: charitate, & cupiditate. Rationalis enim animus, qui sinè dilectione esse non potest, aut Dei amator est aut mundi; non quasi omnis dilectio, quæ non est Dei explicita, sit necessariò mundi: sufficit, quòd sit Dei implicita, prout ab Eminentissimis Cardinalibus Bellarmino, & Aguirre cùm doctore Angelico explicatur.

5 Alioqui si ad evitandum peccatum, amorem Dei requisiveris explicitum, à quo actio quælibet debeat imperari, Leonis textum infinitis implicas novitatum monstris, à quibus necesse est, omnem catholicum abhorrere. Sic nempe *omnia opera infidelium sunt peccata, & philosophorum virtutes sunt vitia*: Non enim profluunt ex amore Dei, præsertim qualis ab adversariis definitur, *qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur*; qui proindè amor est ex gratia: atque ita *liberum arbitrium sinè gratiæ Dei adjutorio non nisi ad peccandum valet*: qui errores gemini pridem fuêre in Bajo à tribus Pontificibus condemnati. Sequeretur & tertius in ejus authoris sensu ab iisdem Christi Vicariis proscriptus: *Omnis amor creaturæ rationalis, aut vitiosa est cupiditas, qua mundus diligitur, quæ à Joanne prohibetur; aut laudabilis illa charitas, qua per Spiritum Sanctum in corde diffusa Deus amatur.* Cui errori etiam similis est septimus inter 31. damnatos ab Alexandro VIII. *Omnis humana actio deliberata est Dei dilectio, vel mundi; si Dei, charitas est Patris; si mundi, concupiscentia carnis, hoc est, mala est.* Ibidem octavus: *Necesse est, infidelem in omni opere peccare*, quamdiu nempe in infidelitate permanserit, in qua clarum est ab eo non elici *amorem, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur*. Sequitur, & nonus: *Revera peccat, qui odio habet peccatum merè ob ejus turpitudinem, & disconvenientiam cum natura sinè ullo ad Deum offensum respectu.* Tale enim odium peccati juxta adversarios cùm non sit amor Dei explicitus, nec ab eo profluat, est amor mundi, ut ineptissimè Leonis sententiam interpretantur.

Ineptissimè, inquam; nam quis sanæ mentis in odio peccati merè ob ejus turpitudinem, & disconvenientiam cum ratione, reperiat amorem mundi? *Omne, quòd est in mundo, concupiscentia carnis est, concupiscentia oculorum*, aut *superbia vitæ*, ut docemur à Spiritu Sancto: quænam autem ex tribus his animorum pestibus applicabitur odio peccati elicito merè ob ejus turpitudinem, & disconvenientiam cum natura? Omnis quidem *rationalis animus aut Dei amator est, aut mundi*, tum habitu, quia inter statum peccati, & justitiæ seu charitatis non datur medius, tum amore in animo cujuslibet prædominante: verùm alterutrius amoris dominatio non necesse est inveniatur in singulis actibus.

6 Sic etsi peccatores omnes rationis compotes, qui sinè dilectione esse non possunt,

funt, dicantur amatores mundi, quia amor mundi in iis prævalet; non tamen propterea omnis in iis dilectio, omnis volitio, & actio est mundana, seu concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, aut superbia vitæ: Infideles enim, etiam philosophos, esse peccatores, agnoscitur ab omnibus, atque adeò rationalem ipsorum animum, qui sinè dilectione esse non potest, amatorem esse mundi; caverit tamen nunc omnis probè catholicus asserere, omnem prorsus dilectionem esse mundi, seu peccatum, postquam Bajani articuli iterato toties anathemate profligati sunt.

Ipse Augustinus ab adversariis ubique allegari solitus lib. de spiritu, & lit. cap. 26. agnoscit *in impio aliqua opera bona, sinè quibus difficillimè vita cujuslibet pessimi hominis invenitur*. Animus tamen rationalis impiorum, & pessimorum, qui sinè dilectione esse non potest, amator est mundi, ut patet. Longè igitur aliud est, animum rationalem hominis impii, qui sinè dilectione esse non potest, amatorem mundi asseri; aliud omnes, & singulas in homine impio volitiones, seu dilectiones esse mundi. Luxuriosus amator est luxuriæ, avarus pecuniæ: & licèt utriusque rationalis animus sinè amore esse nequeat; non tamen ideo omnis dilectio, & volitio prioris in luxuriam fertur, posterioris in avaritiam. Discrimen evidens inter utramque assertionem est; quarum altera apud omnes habetur innocua; altera apud omnes execrata catholicos, postquam repetito toties vaticano fulmine ad inferos detrusa est.

7 Voluntatem superiùs accepi sensu proprio pro volendi potiùs facultate, quàm ejus actu: hoc sensu faciliùs intelligitur quomodo ab amore mundi, qui opponitur Divino, prodeat omnis voluntas mala infidelis, & impia. Nam etsi, ut ex Augustino vidimus, & omnes fatentur catholici, aliquæ volitiones bonæ reperiantur in infidelibus, nulla tamen potest in iis esse voluntas bona; absit enim, ut voluntas tantis fœda criminibus, qualis in infidelibus est, appelletur bona propter pauca opera immunia à peccato, vel etiam conformia rationi, & digna laude. Sic Augustinus lib. 4. contra Julianum cap. 3. *Nullo modo homines possunt esse steriliter boni*. Ibid. *Voluntas quippe infidelis, atque impia non est bona*, quamvis non omni bono destituatur affectu. Bonum scilicet qualecumque inter tot mala, quasi nihilum reputatur. Deinde bonum est ex integra causa; unde, si voluntas centum exerceat honestatis opera, unum sufficiet lethale delictum, ut voluntatis bonæ corruat appellatio, & omne meritum.

Sed, etsi supposueris voluntatum nomine à Leone intelligi volitiones, propius quidem vocetenus accedere ad Quesnelli locutionem S. Pontifex videbitur, licèt utriusque sensus multiplici separetur discrimine: Quesnellus enim, ut constat, amoris nomine solum intelligit benevolum, seu charitatem; S. Leo comprehendit etiam spem, & quemcumque actum, quo sive cominus, sive eminus ducamur ad Deum, ejusque beatissimam fruitionem. Sic enim Sanctus Pontifex concludit: *& ideo æternis bonis inseparabiliter inhærendum, temporalibus verò transeunter utendum est; ut peregrinantibus nobis, & ad patriam properantibus, quidquid de prosperitatibus hujus mundi occurrerit, viaticum sit itineris, non illecebra mansionis*. At juxta Quesnellum propos. 46. *Cupiditas aut charitas usum sensuum bonum, vel malum facit*. Quæ autem sensuum, eadem cæterarum animæ facultatum est ratio, ut in Quesnelli sententiâ, quidquid non ex charitate fit, originem debeat cupiditati: unde amor spei, sive cœlestium bonorum desiderium, nisi illud charitas imperavit, noxiis mundi amoribus annumeratur.

Nihil prohibet, quin S. Leonem intelligas de amore Dei explicito vel implicito, ut similes variorum Patrum locutiones à gravissimis authoribus expositas dedi, neque verisimile est, à cæterorum Patrum vestigiis S. Leonem recedere voluisse. Omnes verò circumstantiæ textum Quesnelli à tam benigna interpretatione longissimè removent juxta quem Propos. 53. *Sola charitas Christi christiano modo facit (actiones christianas) per relationem ad Deum, & Jesum Christum*. Prop. 47. *Obedientia legis profluere debet ex fonte, & hic fons est charitas: quando Dei amor est illius principium interius, & Dei gloria ejus finis, tunc purum est quod apparet exteriùs: alioquin non est nisi hypocrisis; aut falsa justitia*. Sic amor spei, & desiderium *inseparabiliter inhærendi bonis cœlestibus*, est amor mundi & hypocrisis. Sic etiam amor Christianæ fidei, sive voluntatis imperium, quo intellectus primùm in fidei obsequium submittitur, cùm, teste Angelico, & ipso dictante rationis lumine, prior charitate sit, ab ea imperari, aut procedere non potest, adeóque in amorum sæcularium cloacam abjicitur.

8 Non melior sors esse poterit actuum misericordiæ, temperantiæ, justitiæ, & cujuscumque alterius virtutis moralis, sive in infidelibus, à quibus eos ex charitate non

non elici perspicuum est, sive in ipsis fidelibus, quoties de charitare non cogitaverint. Timor gehennæ, & quæcumque attritio, nisi processerit ex charitate, sive ut Propositio 44. enuntiat, si non nascitur ex amore Dei, *qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur*, amor mundi est: quæ omnia, ut absurdissima sunt, sensui S.Leonis absque temeritate, irreverentiâ, & quodammodo blasphemiâ tribui non possunt. Quis enim sanæ mentis theologus ferat, S. Pontificem in tot fœtam erroribus doctrinam, in tot anathemata pertrahi invitissimum.

Et quidem, sepositis tot Pontificum, Tridentini, Scripturarum oraculis, & quacumque sacratissima authoritate, quibus S.Leo ab adversariis iniquissimè opponitur, non verebor dicere, quòd fieri nulla ratione potuerit, ut S. Leo in errorem lapsus fuerit, adeò malesanum, ut indito naturæ, & gratiæ lumini clarissimè refragetur; quis enim, nisi novatorum præstigiis circumventus, sentiat *amorem esse mundanum*, atque adeò *peccari* hoc ipso quòd aliquis *odio habet peccatum merè ob ejus turpitudinem, & disconvenientiam cum ratione*: esse *amorem mundanum*, & *noxiam intentionem, qua quis detestatur malum, & prosequitur bonum merè ut cœlestem obtineat gloriam*? Esse intentionem *rectam, ac Deo placentem* definiit Alexander VIII. Quis rationis compos vocet *amorem mundi*, atque ita concupiscentiam carnis, concupiscentiam oculorum, aut superbiam vitæ, si quis nè proximus moriatur fame, ei frustum panis, vel eleemosynam necessariam merè ex compassione, seu misericordiâ largiatur; si non alio fine retineat cæcum in præceps ruentem? Si ex amore pudicitiæ ab incontinentia, amore temperantiæ ab ebrietate se contineat? Si judex sententiam ferat solùm amore veritatis, & justitiæ?

Hos, & centenos similes virtutum moralium actus, timorem quoque gehennæ, cum cœlestis amore beatitudinis appellare *amorem mundanum*, divino contrarium, & plenum iniquitate, ut nulli mediocriter sapienti in animum venire poterit, ita S.Leoni Pontifici summo, & sapientissimo tribuere nemo sinè gravissima injuria, & contumelia potest.

9 Hactenus in explicandis Patrum sententiis medium sectatus inter Bajanorum errorem, & probabile Scotistarum placitum de operum aliquorum indifferentiâ, cul religiosissimæ scholæ nihil cupio derogari; responsa ejus prætermitto, non quòd censeam incongrua; sed ut prolixitas evitetur, ac facilior fiat Bajanorum, & Quesnellistarum in Aquinatis systemate conversio. Planissima redditur Sancti Leonis cum doctrina Ecclesiæ conciliatio si, ut Augustini cultor, & studiosus, eodem intelligatur sensu, quo in similibus locutionibus Augustinus.

De hoc sancto ad præsentem controversiam, ita notant cum Eminentissimo Rohano quadraginta Galliæ Episcopi in documento Pastorali, quod anno 1714. communi consilio in comitiis Parisiensibus ediderant, & altero plures dein ejusdem regni Antistites adoptavêre. *Duos quidem*, inquiunt, *amores Sanctus Doctor agnoscit; verùm amoris Dei nomine complectitur non tantùm charitatem habitualem, aut dominantem; sed etiam actualem; imò voluntatem quamlibet rectam, & amorem boni. Huic charitati adscribit omnes dispositiones, quibus præparatur peccator ad justitiam: pios affectus agnoscit in iis ipsis, qui charitate sunt spoliati, & qui dominanti cupiditati parent.* Si sic amorem Dei adversarius acciperet in significatione latissima *pro qualibet voluntate recta, & amore boni*, non sequerentur ex divisione illa amorum tot horrenda, & damnatissima pridem consectaria, qualia ex Propositione ejus intellecta in sensu obvio, atque ab authore, & ejus passim defensoribus intento, disceptationis hujus toto capite primo deduximus.

10 Nunc ipse etiam S. Leo confundat adversariorum perfidiam, qui eum veluti damnationis socium adsciscere præsumpserint, quem sibi directissimè opponi haud poterant ignorare. Quomodo enim Quesnellum, qui opera Sancti Pontificis non solùm novis typis vulgavit, sed etiam Notis, & Dissertationibus non illustrare, sed pessumdare conatus est, latère potuit quid ille scripserit sermone 7. de quadragesima cap.3. de operibus misericordiæ ad corpus pertinentibus? *Quid hac* (inquit Pontifex) *humanitate facilius? quæ utique laude sua fraudanda non esset, si propter ipsam naturæ communionem juvando homini ab homine præberetur; sed quia quod non ex fidei procedit fonte, ad præmia æterna non pervenit, alia est conditio operum cœlestium, alia terrenorum. mundana benevolentia in iis, quos adjuvat, habet finem: christiana pietas in summum transit authorem, dum in ipsum dicamur benigni, quem in nobis fatemur operari: dicente Domino, Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & magnificent Patrem vestrum, qui in cœlis est.*

Opera itaque illa misericordiæ nullo fine

ne pravo, neque aliis circumftantiis vitiata; etfi non fuerint ex fide, S. Leo prædicat *fuâ non fraudanda laude*; fraudant autem turpiter adverfarii, dum ea inter *amores noxios, malos*, & debitum Deo detrahentes obfequium, projiciunt. Laus folis bonis debita eft; peccatum cujufcumque generis, præterquam apud fatuos, vel impios, non laudem meretur; fed vituperium. Quis chriftianus ftipem pauperi datam ad captandam apud homines vanam gloriam, vel ad ftruendas pudicitiæ infidias cenfeat dignam encomio?

Quapropter fi omnis operis relationem perpetuam, & explicitam juxta adverfariorum fententiam Deus præcepiffet, profectò quælibet actio mandatum illud tranfgrediens, ut mala foret, & peccatum, ita non laudem mereretur;fed accufationem,& fupplicium. Ut autem à fancto Pontifice opus mifericordiæ laudem confequatur, fufficit illud *propter ipfam naturæ communionem juvando hominem* impendere; quia naturæ, & rectæ rationis dictamini conveniens eft. Sic nempe definiente Leonis Succeffore Alexandro VIII., ab omni labis fufpicione contra obtrectatores injuftos vindicatur peccati odium elicitum *merè ob ejus turpitudinem, & difconvenientiam cum natura, finè ullo ad Deum offenfum refpectu*.

11 Non in hoc tantùm Leoni Pontifici Quefnelliana novitas adverfatur; Sed etiam in eo, quòd opera quælibet *ex fide*, & cœleftis amore beatitudinis arguat peccati, fi non profluxerint ex amore Dei, utique benevolo, feu charitate. A fancto autem Pontifice quæcumque mifericordiæ opera, *ex fide*, maximè fi fpes accefferit, non folùm *laude* digna,fed etiam *cæleftia* appellantur. An, & in ftatu gratiæ æternum à Deo præminm mereantur, ut tradunt Bonaventura, Salefius, Cardinalis Aguirre cum aliis pluribus, non eft præfentis controverfiæ. Nobis hìc contra novatores fufficit, non effe peccata: quod vel ex Leone Pontifice, à quo invitiffimo, & penitùs repugnante, Quefnellus fubdolè patrocinium furfurari fperaverat, jam demonftravimus.

Sic edocti pariter fuimus ab Alexandro VIII. juxta doctrinam Scripturarum, & SS. Patrum, fapientiffimè profcribente inter articulos 31., hunc 11. *Omne,quod non eft ex fide chriftianâ fupernaturali, quæ per dilectionem operatur, peccatum eft*. 12. *Quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor, deficit etiam fides; &, etiamfi videantur credere, non eft fides divina; fed humana*: quia voluntatis imperium, unde fides fcaturit, cùm non fuerit Dei dilectio, juxta Quefnellum neceffariò fuit amor mundi, & malus, non referens ad Deum, quòd Deo jubente referri debuit.

Denique ufui hìc venit obfervatio Auguftini contra Julianum cap. 2. circa quoddam Chryfoftomi teftimonium, quam applicemus nos Leoni, atque ipfi Auguftino: *Cur putemus eum ita locutum, nifi quia difputans*, (vel pro concione dicens) *in Ecclefia catbolica non fe aliter intelligendum arbitrabatur? Tali quæftione nullus pulfabatur; vobis nondum litigantibus, fecuriùs loquebatur*.

Si verò exortis Lutheri, Calvini, Baji, Janfenii, Quefnelli novitatibus, Leoni Pontifici, vel Auguftino exhibitus fuiffet præfens Quefnelli articulus, intelligendus fenfu rigido, & in his perfonarum, ac temporum circumftantiis obvio, loquendum fibi forfitan cautiùs duxiffent, nè quod ad ædificationem proponerent, à novatoribus converteretur in ruinam.

Quadragefima quinta Propofitio damnata.

Amore Dei in corde peccatorum non ampliùs regnante, neceffe eft, ut in eo carnalis regnet cupiditas, omnefque actiones ejus corrumpat. *Obferv. Mor. Edition. anni* 1693. *in Luc.* 15. *v.* 13.

CAPUT I.

Confutatur Propofitio.

1 PRæcedens error ad omnia fe extendebat opera in Deum non relata, etiam juftorum: hic ad fola peccatorum reftringitur, quibus dum perpetuam peccandi neceffitatem, & omnis boni operis impotentiam affingit apertiùs, patentiorem etiam parat defperationis abyffum, unde nefcio, an præfens Propofitio minùs quàm fuperior, & non magis quoque execranda fit. Si enim *amore Dei in corde peccatoris non ampliùs regnante; neceffe eft, ut in eo carnalis regnet cupiditas, omnefque actiones ejus corrum-*

rumpat, neceſſe eſt omnes peccatoris cujuſlibet actiones cupiditate corrumpi, adeóque peccata eſſe; cùm fieri nequeat, ut in ullo peccatore regnet Dei amor.

Omnis ſcilicet peccator ſub lege peccati eſt; fieri autem non poteſt, ut duo regna peccati, & charitatis invicem patiantur; ſed charitas,ſive amor Dei, ſi ejuſmodi ſit, ut in corde regnet, neceſſe eſt peccatum indè fugiat, & ſedem,atque imperium relinquat charitati. At, qui peccator eſſe ſupponitur, & regnante Dei amore deſtitutus, juxta damnatum articulum neceſſe eſt peccet in omni opere, atque ita reſtituitur Bajana Propoſitio 40. à tribus Pontificibus proſcripta: *In omnibus ſuis actibus peccator ſervit dominanti cupiditati*. Prop.35. *Omne, quod agit peccator, vel ſervus peccati, peccatum eſt*, qui fuit error etiam Joannis Huſs in Conſtantienſi Concilio damnatus. Sic quoque *neceſſe eſſet infidelem in omni opere peccare*. Patet enim in infideli amorem Dei minimè regnare: eſt autem error ille inter 31. damnatus ab Alexandro VIII. Sic pariter reviviſceret error 25. inter Bajanos: *Omnia opera infidelium ſunt peccata, & philoſophorum virtutes ſunt vitia*. Sic, & de Alexandri VIII. fulmine triumpharet hic 12. *Quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor, deficit etiam fides; &, etiamſi videantur credere, non eſt fides divina; ſed humana*; non enim fides Divina poteſt eſſe corrupta, ſeu inquinata peccato, ut juxta Queſnellum *neceſſe eſt omnes actiones corrumpi* cupiditate, ubi amor Dei regnare deſierit.

2 Triumpharet & Lutherus de Tridentino, quòd per corruptam cupiditate attritionem peccatorem ad Sacramenti gratiam diſponeret, quid ni enim hæreſiarcha nefarius ita cum Tridentinis Patribus contenderet? Seſſ.14. cap.4. declaratis *attritionem ex gehenna, & pœnarum metu conceptam, ſi voluntatem peccandi excludat, non ſolùm non facere hypocritam, & magis peccatorem; verùm etiam donum Dei eſſe, & Spiritus Sancti impulſum, non adhuc quidem inhabitantis; ſed tantùm moventis, quo pœnitens adjutus viam ſibi ad juſtitiam parat; &, quamvis ſinè Sacramento Pœnitentiæ per ſe ad juſtificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento pœnitentiæ impetrandam diſponit*; ubi manifeſtè ſupponitur, quòd deſcripta attritio voluntatem peccandi excludere ſaltèm aliquando in peccatore poſſit, alioqui ridicula eſſet conditio, & totum quod ſequitur, foret, quod ſcholaſtici vocant, de ſubjecto non ſupponente:

Quomodo autem voluntatem peccandi excludere poteſt, ſi *amore Dei in corde peccatorum non amplius regnante, neceſſe eſt ut in eo carnalis regnet cupiditas, omneſque actiones ejus corrumpat*? Excludetne attritio voluntatem peccandi, abſente Dei amore, quo non ampliùs regnante annexam ſemper habet regnantem cupiditatem, neceſſariam actionum omnium corruptricem? Si verò non regnante, ut ſupponitur, Dei amore, actiones omnes, adeóque relata attritio cupiditate corrumpantur, & quidem neceſſariò, quomodo ea attritio cupiditatis vitio corrupta, peccatorem non magis peccatorem faciet? Quomodo donum Dei ſit & Spiritus Sancti impulſus? Blaſphemum eſt, dona Dei, & Spiritus Sancti impulſus aſſerere cupiditate corruptos: quandonam etiam Eccleſia Dei cenſuit, homines actionibus cupiditate corruptis viam ſibi ad juſtitiam parare, & peccatorem ad Dei gratiam in Sacramento pœnitentiæ impetrandam diſponi?

Danielem Prophetam Atheus eodem inſtructus errore redarguet, quòd c.4.v.24. Nabuchodonoſori ſuaſerit: *Quam ob rem Rex conſilium meum placeat tibi, & peccata tua eleemoſynis redime*; quaſi diceret, peccata tua novis criminibus cumula. Sciebat enim Daniel, amorem Dei in Nabuchodonoſoris corde minimè regnare; talem igitur Principem ad eleemoſynas hortari, quid aliud eſt, quàm ſuadere, quòd noverit ſinè peccato præſtari non poſſe ab eo, cujus actiones omnes neceſſe eſt cupiditate corrumpi? Diſponi quidem Regem ad pœnitentiam oportuit; ſed non augendo numerum vitiorum.

Simili modo Jonas Queſnelli dogmate impugnabitur, quòd Ninivitis peccatoribus terrore plenam pœnitentiam prædicaverit. Expectare ſcilicet debuit, donec Dei amor in eorum cordibus regnaret, quo peccatores eſſe deſinerent: tum demum eos ad jejunia, ad ſaccos, & cineres hortari utiliter potuiſſet; aliàs enim pœnitentiæ opera ad juſtificationem adeò diſponere non valuerint, ut ab ea ampliùs removiſſe videantur; creſcente ſcilicet delictorum numero, quantum bonorum operum ſtudium ante charitatis creverit dominatum. Ante illum hortandi ſedulò eſſent peccatores, ut omne fugerent bonorum operum exercitium, tunc ſaltèm quando abſuerit præceptum; quæ autem ſolùm conſilii ſunt, prorſus omnia omitterent, ſomno potiùs, atque otio torpeſcentes; nè ex miſericordiæ, juſtitiæ, mortificationis,cæterorumque operum exercitio no-

novum femper peccatis, ac demeritis incrementum accedere neceffe fit.

Tam exoticam converfionis, ac falutis femitam ignoravêre Patres, & Theologi hactenus Catholici: docuêre hæretici Lutherus, & Calvinus, quos imprudentiùs noftri hic adverfarii fequuntur.

CAPUT II.

Scripturæ Sacræ ab adverfariis temerè allegatæ.

1 MAtth. 6. v.24. ait æterna Veritas, *Nemo poteft duobus Dominis fervire, aut enim unum odio habebit, & alterum diliget, aut unum fuftinebit, & alterum contemnet; non poteftis Deo fervire, & Mammonæ.* In hunc locum ita S. Thomas: *Dixerunt quòd thefaurizatio diftrahit à Deo; ideo fugienda dicitur, quia non folùm diftrahit; fed alienat à Deo. Servus eft, qui ipfum quod eft, alterius eft; fed impoffibile eft, quòd animus feratur ad duos fines fimul, & femel: dico contrarios, & diffentientes.* Verùm, quæ Scriptura afferit, amorem fpei effe charitati *contrarium*, vel, non regnante charitate, neceffe effe etiam amorem fpei cupiditate corrumpi, atque adeò converti in peccatum? Virtutum quoque moralium effectus fecundùm fe, & fines fibi proprios nemo ullâ veri fpecie dixerit effe charitati oppofitos. Si opponerentur, non poffent in eodem confiftere fubjecto; confiftere autem fimul poffe, fatis certum eft. Imò liberalitas in dandis eleemofynis, avaritiæ, & cupiditati potiùs adverfa eft.

Loco citato poft pauca ita pergit Angelicus: *Dico, quòd eft præceptum propter fe, aliquid propter aliud: ut, cùm aliquis cepit crucem, ut eat ultra mare; quòd eat ultra mare, tenetur; fed non poteft ire, nifi quærat navim; unde quærere navim eft ei neceffarium. Sic omnes tenentur ad confervandam vitam: Ideo tenentur ad omnia, quæ faciunt ad iftum finem: unde tenetur quilibet, qui non habet, unde confervet vitam, laborare ut confervet.* In nullo peccatore regnat Dei charitas, fed omnis peccator fervus eft peccati; ideone autem dicendus eft fervire Mammonæ, fervire iniquitati in omnibus actionibus, etfi fine per fe innoxio, & honefto, abfque alia mali circumftantia factis?

Non alio opus exemplo eft, quàm utroque Angelici. Qui voverat adire loca facra, fi in ftatu peccati quærat navim, ut obligationi fuæ faciat fatis; vel fi peccator, aliàs non habens unde vivat, laboret manibus, ut fatisfaciat naturali debito confervandi vitam, quis in utroque cafu, vel alterutro dicat, hominem fervire Mammonæ? Non omnis, qui fervus eft peccati, fervitutem illam exercet in omni opere, ut pluribus tam Scripturarum, & Patrum teftimoniis, quàm Pontificum, & Conciliorum definitionibus indubitatum eft.

2 Senfus autem Chrifti apud Matthæum eft, neminem poffe duobus Dominis fervire, dando fe totum, & omnia fua, quod propriæ fervitutis eft. Neque duo poffunt fimul effe, vel eligi ab homine fines ultimi, & in duobus oppofitis ftatui beatitudo.

Sic iterum in eundem locum S. Thomas: *Omne, in quo quis ponit finem fuum, Deus fuus eft; unde qui ponit finem in divitiis, Deus fuus eft, dicitur de illis, quorum Deus venter eft.... Aliter exponit Auguftinus, nemo poteft duobus Dominis fervire, fcilicet contrariis; fed Deus, & Diabolus contrarii funt: Quæ conventio Chrifti ad Belial? 2.Cor. 6.*

Cornelius à Lapide in eundem Matt. locum: *Nemo poteft duobus Dominis fervire, id eft, fe addicere, amare per omnia, obfequi, & obedire. Id Chriftus applicat avaritiæ, & religioni, Deique cultui: quafi dicat, non poteftis fervire Deo, & Diti; Cælo, & cœno; ætheri, & æri; Numini, & nummis.* Ex his facilè lector confpicit, quàm frivola fit adverfariorum ratio applicans Chrifti fententiam huic abfurdiffimo errori: *Amore Dei in corde peccatorum non ampliùs regnante, neceffe eft, ut in eo carnalis regnet cupiditas, omnefque actiones ejus corrumpat.* De prima articuli parte, lis nulla eft; fed de pofteriore, quæ omnes peccatoris actus arguit corruptionis, & vitii. Quomodo autem ex eo, quòd nemo poffit finem fuum ultimum, feu beatitudinem conftituere in duobus invicem contrariis, Deo, & Mammonæ, vel fe totum uni Domino dare, & totum alteri, quod ad propriè dictam fervitutem requiritur, deduces, in omnibus, in quibus non regnat Dei charitas (quam conftat in nullo regnare peccatore, quamvis unius tantùm rei criminis) non poffe reperiri actionem ullam virtutis, five fpei, five fidei, five timoris, & averfionis à peccato *merè ob ejus turpitudinem, & difconvenientiam cum natura, fine ullo ad Deum offenfum refpectu?*

3 Actum illum ab omni liberum macula definit Alexander VIII. damnatione articuli 9. inter 31. Quomodo proinde ex fuperiore Chrifti dicto inferes, abfente charitate non poffe effe actum ullum moraliter bonum, vel innocuum? Quid fi peccator folvat

solvat debitum, reddat depositum, quia æquitas postulat? det panem esurienti,] nè fame enecetur? Augustinus libro de Spiritu, & lit. cap. 26. *Sicut non impediunt à vita æterna justum quædam peccata venialia, sinè quibus hæc vita non ducitur; sic ad salutem æternam nihil prosunt impio aliqua opera bona, sinè quibus difficillimè vita cujuslibet pessimi hominis invenitur.* Regnans itaque in impio cupiditas non necessariò omnes actiones ejus corrumpit. Sic & juxta Augustinum libro 5. de Civitate Dei capite 12. regnans in Romanis gentilibus cupiditas corrumpere non potuit illam *justitiam*, & *actus strenuos*, quibus *promeruerunt à Deo imperium.* Neque Assueri cupiditas corrupit ejus mansuetudinem, ad quam, positâ crudelitate, à Deo conversus est Esth. 15. *Convertitque Deus spiritum ejus in mansuetudinem.* In quem locum S. Augustinus lib. 1. de gratia cap. 24. ait, *Intueantur* (Pelagiani) *atque fateantur .... internâ, & occultâ; mirabili, ac ineffabili potestate operari Deum in cordibus hominum non solùm veras revelationes, sed etiam bonas voluntates.*

In Ninivitis nondum regnabat charitas, quando, Jona Urbis excidium prædicanre, cœpere concuti timore, & ex eo inchoare pœnitentiam. Nemo tamen istum excidii metum, & ortum indè conversionis initium, antequam in eis charitas thronum figeret, accusare præsumet damnabilis cupiditatis, unde vitium contraheret remota ad justificationem dispositio.

4 Denique, ut nihil lucis desideres in expositione objectæ ex Matthæo sententiæ, distinguenda est servitus absolutè, simpliciter, & propriè dicta à servitute impropria, & secundùm quid. De priore loquitur Servator, cùm ait: *Nemo potest duobus Dominis servire*; quia qui unius totus est, non potest totus ad alterum pertinere; sed facilè fieri potest, & contingit sæpissimè, ut alicujus servus aliquid obsequii præstet, atque ita obiter serviat alteri.

Evidens est igitur, Christum in Euangelio minimè asserere, quòd servus peccati nequeat ullum prorsus opus innocuum, aut etiam honestum, & in Divino judicio laudabile exercere; nam sicut ad Ezechielis locum Hieronymus, in exponendis Scripturis, judicio Ecclesiæ, Doctor maximus animadvertit: *Ex eo quòd Nabuchodonosor mercedem accipit boni operis, intelligimus etiam Ethnicos, si quid boni fecerint, non absque mercede, Dei judicio, præteriri.*

S. Chrysostomus hom. 67. ad populum Anthiochenum sub initium: *Nec potest malus omnino malus esse; sed evenit, ut & aliquid habeat boni: neque bonus esse bonus omnino; sed & non nulla solet habere peccata.* Vident itaque adversarii sententiam Christi de servitute, quæ præstari nequit duobus Dominis, minimè favere damnato articulo, asserenti, omnia opera esse peccata, in quocumque non regnat charitas. Quid enim? An etiam ubicumque non regnat cupiditas, omnia opera necessariò charitas sunt? Sequitur indè Calvinistarum de justitiâ inamissibili hæresis damnata pridem Tridentino anathemate. Sic & ex Quesnelli articulo sequirur Bajanus 40. *In omnibus suis actibus peccator servit dominanti cupiditati*: & 35. *Omne, quod agit peccator, vel servus peccati, peccatum est.* Nemo enim aliter intelligere potest rigidum istud Quesnelli placitum, quòd *amore Dei in corde peccatorum non amplius regnante, necesse sit, ut cupiditas omnes actiones ejus corrumpat.*

5 Quid etiam connexionis cum eo habet epistolæ 1. Joan. cap 2. v. 15.? *Si quis diligit mundum, non est charitas Patris in eo:* cujus ratio statim redditur v. 16. *Quoniam omne, quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ.* Quòd explicans Augustinus lib. 3. de Symbolo cap. 1. ait: *Ad superbiam carnis pertinent illecebræ voluptatum; ad concupiscentiam oculorum, nugacitas spectaculorum; ad ambitionem seculi, insania superbiæ.* Itaque Spiritus Sanctus avertere cupit homines ab amore superfluo divitiarum, ambitione honorum, & voluptatibus, quia irritamenta malorum sunt, & excidia virtutum. Ad quod autem è tribus referent adversarii exercitia virtutum moralium, justitiæ, temperantiæ, castitatis, misericordiæ? Ad quod referent actus timoris excidendi beatitudine, vel æterna incurrendi supplicia?

S. Augustinus lib. de vera religione cap. 55. *Non diligamus*, inquit, *per carnis voluptatem corrumpere, aut corrumpi, nè ad miserabiliorem corruptionem dolorum, tormentorumque veniamus.* Saluberrima hæc ab Augustino suggesta intentio, videtur novis ejus discipulis amor mundi; atque adeò concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, aut superbia vitæ. Si quis ob rationem à Sanctissimo Doctore traditam renuntiat carnis voluptatibus, hac ipsa intentione, si amorem Dei non incluserit, reddet ipsum peccati lethiferi, & damnationis reum in novatorum judicio, quia ipsum habituali gratiâ privabit, efficiens, ut *non sit charitas Patris in eo.*

Quid ni Theologi isti pro se inferant etiam

etiam illud Jacobi cap. 4. v. 4.? *Adulteri, nescitis, quia amicitia hujus mundi inimica est Dei? Quicunque ergo voluerit amicus esse seculi hujus, inimicus Dei constituitur.*

Quisquis scilicet virtutum moralium amore, vel timore æterni supplicii quidpiam aget, non ductus amore Dei, in illa sua intentione corrumpitur, fit amator mundi, cujus amicitia inimica est Dei, atque ita volens amicus esse hujus seculi, inimicus Dei constituitur, sive, ut habet objectio: *Non est charitas Patris in eo*. Quid igitur temerariis istiusmodi, & imprudentissimis objectionibus efficiunt adversarii, nisi quòd damnati articuli, cui patrocinari voluerant, causam multo faciant deteriorem, & se magis prodant acatholicos? Corruptio enim, quam comminiscitur articulus, intelligi poterat venialis; objectio autem inducit mortiferam. Ita se adversarii etiam pristino, & multiplici involvunt anathemati: quin & absurdiora sectantur, quàm quæ aliàs in quibusdam Jansenii discipulis Ecclesia profligavit.

6 Damnata ab Alexandro VIII. Propositio 15. asserebat: *Attritio, quæ gehennæ, & pœnarum metu concipitur sine dilectione benevolentiæ Dei propter se, non est bonus motus, & supernaturalis*. Quesnelli vindicibus attritio illa est *amor mundi*, Dei inimicus, & habitum charitatis, si ante fuerit, expellens, & impediens, nè reducatur. Num etiam amor mundi est, dum quis *odio habet peccatum merè ob ejus turpitudinem, & disconvenientiam cum natura sinè ullo ad Deum offensum respectu*? Si ita est, igitur *charitas Patris*, seu charitatis habitus *non est in eo*, qui tali ratione peccatum oderit, ac proinde tale peccati odium in amorem criminis convertitur homini exitialem. Sicque malitia superadditur gravior articulo 9., quem Alexander VIII. proscripserat.

Rursus Quesnelli Propositio tantùm exigere videbatur, quod articulus 7. ab eodem damnatus Pontifice: *Omnis humana actio deliberata, est Dei dilectio, vel mundi; Si Dei, charitas Patris est; si mundi, concupiscentia carnis, hoc est, mala est*. Nunc verò, si objectionis sensu accipitur, inducit amoris Dei omissio *corruptionem* lethiferam, quæ sola efficere potest, ut *charitas Dei*, seu amicitia ab homine exulet. Antea Quesnelli Propositio continebat quidem malitiam art. 10. ab eodem Alexandro proscripti: *Intentio, qua quis detestatur malum, & prosequitur bonum merè, ut cœlestem obtineat gloriam, non est recta, nec Deo placens;*

Sed nimiùm mitis apparet modò Nova-toribus hæc sua prior censura; crescente scilicet audaciâ, asserere non verentur intentionem istiusmodi esse non solùm non rectam, nec Deo placentem, sed mortiferè perversam, charitati Dei inimicam, & amicitiæ, si ante fuerit, destructricem: *Si quis diligit mundum*, ut diligere ab adversariis censemur, quoties agimus ex amore virtutum moralium, vel motivo quolibet altero, quod non sit Deus propter se benevolè dilectus, *charitas Patris non est in eo*; sed aversio à Deo, & inimicitia.

7 Ad meliorem loci sacri intelligentiam, facem more suo præferat scholæ Angelus in *Expositione aurea* dicens: *Prohibetur autem hic mundus ad fruendum eo, non ad utendum. Unde glossa: utimini mundo ad necessitatem; sed non diligite ad superfluitatem, nec per hoc prohibetur quæcunque dilectio; sed inordinata per amoris affectum nimium*. Mox sibi S. Doctor objicit; *sed cùm mundus sit bonus, videtur quòd sit diligendus; ergo videtur prohibitio mala, cùm dicitur: Nolite diligere mundum. Responsio*, inquit: *diligere mundum est ipsum omnibus rebus præponere; & sic mundus non est diligendus; tamen sub Deo est diligendus. Unde non prohibetur quæcunque dilectio; sed illa, quæ est supra Deum, de qua dicit Augustinus: Væ tibi si amaveris condita, & deserueris conditorem. Vel potest dici, quòd duplex est dilectio; quædam ad necessitatem, alia ad superfluitatem. Primo modo mundus potest diligi: secundo modo prohibetur. SI QUIS DILEXERIT MUNDUM præponendo ipsum Deo, NON EST CHARITAS PATRIS IN EO, quasi diceret, amor Patris est contrarius amori mundi. Augustinus: duo sunt amores Dei, & mundi; sed si amor mundi inhabitet, non est quo amor Dei intret; idem etiam dicit, quòd contraria sunt charitas, & cupiditas; & quantum crescit cupiditas, decrescit charitas, & è converso. Jacobi 4. Amicitia hujus mundi inimica est Deo; unde glossa hic; unum cor duos ibi adversarios amores non capit. Sicut dilectio Dei est fons virtutum omnium, ita dilectio mundi omnium vitiorum. Isai. 28. Coangustatum enim est, ita ut alter decidat: & verè non est charitas Patris in eo, qui mundum diligit; quoniam omne, quòd in mundo est, id est in mundi dilectoribus, aut est concupiscentia carnis &c.*

8 Nihil illustrius pro catholica veritate, atque ad dissipandas omnes Bajanorum, & Quesnellistarum tenebras aptius dici poterat. *Diligere mundum* simpliciter, ut est in Joannis Apostoli sententia, & ut *prohibetur* à Deo, est *diligere mundum ad fruendum eo*. Rursus *diligere mundum, est ipsum omnibus rebus*

bus præponere, & sic mundus non est diligendus; tamen sub Deo est diligendus: unde non probibetur quacunque dilectio; sed illa, qua est supra Deum, de qua dicit Augustinus: Væ tibi, si amaveris condita, & deserueris conditorem: potest mundus diligi ad necessitatem, probibetur ad superfluitatem. Si quis dilexerit mundum, præponendo ipsum Deo, non est charitas Patris in eo. Hoc sensu: *Amor Patris est contrarius amori mundi.* Eodem sensu dicit *Augustinus: duo sunt amores Dei, & mundi; sed si mundi amor inbabitet, non est, quò amor Dei intret. Idem etiam dicit, quòd contraria sunt charitas, & cupiditas.*

Ista modò, si possint, adversarii applicent damnato articulo, ut ipsi ex Joannis Apostoli sensu suffragium emungant. Prohibetur *dilectio, qua est supra Deum, qua mundus Deo præponitur*; hinc duo inferunt adversarii: primùm, quòd in peccatoribus non regnante Dei charitate, regnet necessariò cupiditas, seu descripta mundi dilectio, qua mundus Deo præponitur: alterum, quòd hæc dilectio necessariò in *omnes* peccatorum *actiones* influat, easque *corrumpat*. De primo nulla controversia est; secundum ex textu ineptissimè colligitur, repugnantibus Scripturis, Patribus, definitionibus plurium Pontificum, communi sensu Ecclesiæ, atque ipso lumine naturæ. Neque ignorare possunt adversarii, quòd, si vera foret ipsorum collectio, sive si lethifera illa mundi dilectio charitatem Patris, & amicitiam excludens in omnes peccatorum actus influeret, corruptio singulorum esset lethifera, quo nihil afferi potest à veritate catholica magis alienum.

Sic pariter nervos omnes præcidit Angelicus pluribus Quesnelli de charitate erroribus. Ex Sancto enim reddimur certiores de eo, quod Augustinus, & alii eum secuti Patres intelligunt per cupiditatem, & amorem mundi oppositum charitati; non amorem temporalium, quantùm pertinet ad *necessitatem*; tali enim *modo mundus potest diligi*, ut cibus ad sustentationem vitæ necessariam, pecunia ad alendos liberos, medicina ad corporis sanitatem; neque prohibetur, aut charitati Patris opponitur amor misericordiæ, justitiæ, temperantiæ, castitatis; minùs etiam opponitur fides, ejus amor, & æternæ beatitudinis. Una requiritur, & in assertionibus nostris intelligenda est conditio, quòd temporalium rerum, & virtutum quoque moralium amor non sit nimius, ut in iis finis noster ultimus, & summa nostra felicitas, Deo postposito, collocetur. Stoicorum ista impietas fuit ab Augustino, & aliis Patribus justissimè reprehensa. Quæ impietas, ut patet, nihil habet cùm laudatis à nobis actibus commune: quapropter ex illius reprehensione his iniquissimè conflatur invidia.

CAPUT III.

Frustrà in damnati articuli patrocinium vocatur S. Augustinus.

1 SErm. 2. in Psalm. 18. num. 15. *Initium*, inquit Augustinus, *Superbia hominis, apostatare à Deo. Non leve malum est hoc vitium, fratres mei: huic vitio in his personis, quas videtis amplas, displicet humilitas Christiana, propter hoc vitium dedignantur colla subdere jugo Christi, obligati arctiùs jugo peccati. Non enim servire non eis continget; nam nolunt servire, sed eis expedit servire; nolendo servire nihil aliud agunt, quàm ut bono Domino non serviant; non ut omnino non serviant; quia qui noluerit servire charitati, necesse est, ut serviat iniquitati.*

Ex his omnibus solam posteriorem laciniam Hexapla referunt, & quidem hoc modo corruptissimè: *qui non agit motivo charitatis, necesse est agat cupiditate.* Plurimum interest inter aliquod non agere ex motivo charitatis, & absolutè *nolle servire charitati*: prius tantùm asserit, amoris in aliquo opere omissionem, quæ subinde potest esse innoxia, ut multis rationibus utroque superiore capite ostensum est: alterum semper inordinatum est, & charitatis, ac Dei indicat contemptum: illum non continet simplex amoris Dei in aliquo actu omissio.

Adde, quòd præceptum charitatis, seu referendi omnia in gloriam Dei sit affirmativum, non obligans ad amandum semper, & actiones singulas omni momento temporis referendum in gloriam Dei. Clarissimè id docet S. Thomas 1. 2. quæst. 88. art. 1. ad objectionem sic respondens: *Illud præceptum est affirmativum; unde non obligat ad semper: & sic non facit contra hoc præceptum quicunque actu non refert in gloriam Dei omne, quod facit.* Quapropter in secundum dist. 4. quæst. 1. art. 2. ad 4. *Non oportet, ut actus infidelium, qui in finem illum non est ordinatus, semper sit peccatum; sed solùm pro tempore illo, in quo tenentur actum suum in finem ultimum referre.*

Objectionis inanitas, & perfidia multiplici convincitur exemplo: si servus Domino suo dixerit, nolo tibi servire; uxor marito,

rito, nolo te diligere; filius familias Patri, nolo ut quod acquiro ad te pertineat; puer magistro ad discendum traditus, nolo a te discere: servus Dominum offendet graviter, uxor maritum, filius familias Patrem, discipulus magistrum; non autem si solummodo in aliquibus actibus prætermissa à servo fuerit intentio serviendi Domino, ab uxore mariti dilectio, à filio familias volitio acquirendi aliquid Patri, à discipulo intentio discendi.

2 Non plus adversariis prodest quod Hexapla referunt ex Enchiridii cap. 118. dicere voluerint 117. *Regnat carnalis cupiditas, ubi non est Dei charitas*. Pro *non est Dei charitas*, Hexapla ponunt *non regnat*: corruptio ista opportuna adversariis videri potuit, ut aliqua Augustini sententiam inter, & damnatum articulum appareret saltèm verbotenus similitudo. Sed, etsi supponeretur textus, ut ab adversariis refertur, quid inde pro excusando Quesnelli articulo, quo dicitur cupiditas, in quocunque eam regnare contigerit, *omnes* ejus *corrumpere actiones*? In omni peccatore regnat peccatum, ideone omnia peccatoris opera vitio inquinantur? Pridem à Constantiensi Concilio in Joanne Hus, dein à tribus Romanis Pontificibus inter Baji, & sociorum ejus articulos damnatus fuit art. 35. *Omne, quod agit peccator, vel servus peccati, peccatum est*. Et 40. *In omnibus suis actibus peccator servit dominanti cupiditati*.

Utriusque articuli censuras Quesnellus evadere non potest: neque cum ejus dogmate, neque cum prioribus quidquam societatis haber sententia Augustini; nam & juxta eundem Sanctum in Polemone ad temperantiam converso, & in *Romanis* gentilibus, qui *justitia, & actibus strenuis à Deo promeruerant imperium*, dominabatur cupiditas; non tamen ea *continentia* Polemonis, quæ Augustino judice *donum Dei* fuit Epistola 130., peccati maculam aspersit, uti neque Romanorum *justitiæ, & actibus* istis *strenuis* lib. 5. de Civitate Dei cap. 12. Bona itaque in illis opera fuerant; etsi operantes à cupiditatis jugo non essent liberi, ac propterea bona illa ad æternam nihil conducerent felicitatem, ut nempe S. Doctor libro de Spiritu, & lit. cap. 26. ait: *Ad salutem æternam nihil prosunt impio aliqua opera bona, sinè quibus difficillimè vita cujuslibet pessimi hominis invenitur*.

In quolibet avaro regnat avaritia, carnis concupiscentia in luxurioso, superbia in elato, & sic de cæteris vitiis; sed ideone omnia avari opera, sunt avaritiæ studia; omnis impudicorum actio est luxuria; omnis elatorum volitio, est superbia? Nihil igitur ad proscripti articuli defensionem confert, quod ab Augustino dicitur: *regnat carnalis cupiditas, ubi non est Dei charitas*; cùm longè aliud sit, cupiditatem in homine regnare, quàm in omnes influere actiones. Aliàs singuli vitiorum habitus venenum suum in omnes hominis ingererent actiones, quo nihil est à veritate, & omnium mortalium sensu, atque experientiâ magis alienum.

3 Non plus habet definitio Pontificis, quod sibi timeat ab Augustini lib. 3. de Doctrina Christiana cap. 10. *Quanto .... magis regnum cupiditatis destruitur, tanto charitatis augetur*: addunt Hexapla, quod loco citato non invenio, *& quanto plus deperit regno charitatis, magis extenditur regnum cupiditatis*. Supponamus tamen ita esse, & charitatis imperium in peccatore non imminutum solummodo, sed etiam penitus interiisse; nullum unquam imperium, nullam sedem tenuerat charitas in impiis illis, & gentilibus, quos superiùs ex Augustino nominavi, nominatim Polemone, & Romanis, in quibus ad quemcunque gradum provecta fuerit cupiditatis dominatio; non tamen in omnibus eorum actibus prævalêre potuit, quin aliqui subducerentur ejus tyrannidi, & corruptioni. Aliàs non fuissent *Dei dona*, nec iis potuissent à Deo temporale præmium, sed sola supplicia *promereri*.

Quandonam in Assuero regnum charitas obtinuit? Cupiditas verò non infimum locum tenens, & quantumlibet exercens dominatum, subjicere tamen suo jugo, & veneno inficere non potuit cuncta ejus opera, inprimis mansuetudinem, quæ, Scripturâ, atque ipso Augustino teste, bona fuit, & Divino munere concessa. Estheris nempe cap. 15. v. 9. Rex describitur *terribilis aspectu*, v. 10. *ardentibus oculis furorem indicans*, adeò in Gentilem Principem dominabatur ira, & cupiditas, quæ tamen etiam absque charitatis imperio, & manente infidelitatis regno, frænari potuit, quando statim v. 11. *convertit Deus spiritum Regis in mansuetudinem*, quæ indubiè corruptione cupiditatis libera fuit, utpote Dei optimi beneficium. Et Augustinus lib. 2. de libero arbitrio cap. 19. ait: *Virtutibus nemo malè utitur; cæteris autem bonis, id est mediis, & infimis, non solùm bene, sed etiam malè quisque uti potest. Et ideo virtute nemo malè utitur, quia opus virtutis est bonus usus istorum, quibus etiam non bene uti possumus; nemo autem bene utendo, malè utitur*: Etiam S. Thomas 1. 2. quæst. 55. art. 4. hanc Augustini defini-

definitionem approbat: *Virtus est bona qualitas mentis, qua rectè vivitur, & qua nemo malè utitur*.

Denique ipse Augustinus hanc in Assuero prædicat *voluntatem bonam*; lib. 1. de gratia Christi cap. 24. eam intueri Pelagianos jubet, atque ex hoc specimine *fateri, non lege, atque doctrinâ insonante forinsecus; sed internâ, & occultâ; mirabili, ac ineffabili potestate operari Deum in cordibus hominum, non solùm veras revelationes, sed etiam bonas voluntates*. Nè verò existimes, Assuerum bona voluntate malè usum fuisse, virtutibus ut jam vidimus, inter quas *mansuetudini* locus est, nemo malè utitur juxta utrumque Ecclesiæ solem Hipponensem, & Aquinatem. De ipsa rursus *bona voluntate*, seu volitione sic Hipponensis lib. 2. de peccatorum meritis cap. 18. *Voluntatis arbitrium in eis naturalibus bonis est, quibus & malè uti malus potest; sed voluntatem bonam* (seu bonam volitionem) *quæ jam in eis bonis est, quorum esse usus non potest malus, nisi ex Deo nobis esse non posse* &c.

In quo mortalium regnasse magis perhibetur cupiditas, quàm in Sardanapalo luxuriosissimo, quem Regem Ninive, Jonâ prædicante, fuisse, communis opinio est? Totus defluebat deliciis, à charitatis regno remotissimus, quò quidem tandem Jonæ prædicatio, excidii metus, & cœleste auxilium eum ducere videbatur; initium tamen pœnitentiæ, charitate nondum in eo regnante, susceptum est: unde iterum falsitatis convincitur damnatus articulus illimitatè asserens, quòd, non regnante charitate in corde peccatorum, necesse sit regnare in eo cupiditatem, atque *omnes ejus corrumpere actiones*.

CAPUT IV.

Adversarii Gregorium Magnum temere objicientes horrendo involvuntur consectario.

1 Sanctus Gregorius Moral. lib. 17. cap. 13. non 24. ut citant Hexapla in illud Job, *Qui extendit aquilonem super vacuum*, ait: „ Aquilonis nomine „ in sacro eloquio appellari Diabolus solet, qui ut torporis frigore gentium corda constringeret, dixit: Sedebo in monte „ testamenti, in lateribus aquilonis; qui „ super vacuum extenditur; quia illa corda possidet, quæ Divini amoris gratiâ „ non replentur. Sed tamen omnipotenti „ Deo suppetit etiam vasa Diaboli cunctis „ virtutibus vacua, suæ gratiæ munere implere, in iisque Divini amoris soliditatem ponere, quos nullâ conspicit rectitudinis actione roborari; unde aptè subjungitur, *& appendit terram super nihilum*; quid enim terræ nomine, nisi sancta Ecclesia designatur, quæ, dum verba prædicationis suscipit, fructum boni opera reddit: de quibus per Prophetam dicitur: omnes gentes velut nihilum, & „ inane reputatæ sunt. „ Ampliorem descripsi Gregorii sententiam, quàm ab adversariis allegatur, quia lucem amo, dum illi in brevium laciniarum tenebris præcipuum ponunt falsitatis præsidium.

Sed quale istud est, quod damnato suo articulo acuti homines fingunt? Totum argumenti robur constituunt in sequentibus, *illa corda possidet, quæ Divini amoris gratiâ non replentur. Sed tamen omnipotenti Deo suppetit etiam vasa Diaboli cunctis virtutibus vacua, suæ gratiæ munere implere*. Acutos enim verò esse oportuit, qui in his verbis detexerint cupiditatem extra charitatis regnum omnia opera necessariò corrumpentem, sive, ut Propositio enuntiat: *Amore Dei in corde peccatorum non amplius regnante, necesse est, ut in eo carnalis regnet cupiditas, omnesque actiones ejus corrumpat*. Diabolum possidere Gentilium, de quibus agitur, corda, quæ Divini amoris gratiâ non replentur, indubitatum est; sed & extra infidelium turbam, de ipsis Christianis verè asseritur, illa corda à Diabolo possideri, quæ Divini amoris gratiâ non replentur, intelligendo de amore, & gratia habituali; non enim inter statum gratiæ, à Divini amoris habitu inseparabilem, & statum damnationis, ac diabolicæ servitutis reperitur medius.

2 De amoris quoque actualis gratiâ verum est, illa corda à Diabolo possideri, quæ eo tempore, & in iis circumstantiis, in quibus præceptum charitatis obligat, Divini amoris actum non eliciunt. Neque de hoc quempiam ambigere finit anathema Paulinum: *Si quis non amat Dominum Jesum, anathema sit*. Sed non minùs à Catholica aberrat veritate, qui Gregorii verba de amore actuali adeò rigidè acceperit, ut Diabolus omnia corda omni tempore statim possideat, quo *Divini amoris gratiâ non replentur*. Baptizatorum enim infantium, & qui infantibus comparantur, perpetuò amentium, & dormientium animi non replentur Divini amoris gratiâ actuali; nec tamen propterea possidentur à Diabolo.

Sed neque homines, dum rationis compotes

potes funt, femper in Diaboli incidunt poteftatem, quoties ullo momento temporis carent Divini amoris actualis gratiâ. Non enim poffidendorum cordium jus Diabolo competit, nifi quæ peccati mortiferi reatum contraxerint. Hunc autem non infert quælibet Divini amoris prætermiffio; fed ea folùm, quæ eft tranfgreffio mandati, five omiffio amoris eo tempore, vel iis in circumftantiis, pro quibus Divina juffio obligabat. Hæc porrò de earum genere eft, quæ *affirmativa* appellantur, & in certis tantùm circumftantiis, non omni prorfus tempore exercitium poftulant, five, ut in fcholis loquimur, *obligant femper, fed non pro femper*, quod fuperiori capite clariffimis Aquinatis textibus comprobavi. Idem fcilicet eft præceptum amandi Deum, & ad eum opera noftra referendi: de pofteriore autem enuntiat 1. 2. quæft. 88. art. 1. *Illud præceptum eft affirmativum; unde non obligat ad femper*: & in 2. dift. 4. quæft. 1. art. 2. ad 4. *Non oportet, ut actus infidelium, qui in finem illum non eft ordinatus, femper fit peccatum; fed folùm pro tempore illo, in quo tenentur actum fuum in finem ultimum referre*.

3 Palàm igitur eft Gregorii fententiam vel nihil penitùs pro damnata facere Propofitione, ut hactenus oftendi; vel probare præceptum amoris perpetui nullo unquam tempore abfque lethifero crimine intermittendi. Si enim fola Divini amoris abfentia fufficiat, ut corda quælibet, etiam fidelium *Diabolus poffideat*, neceffe eft quamlibet Divini amoris actualis, de quo in Quefnelli Propofitione agitur, abfentiam, five omiffionem peccato mortali, & æternæ fufficere damnationi. Quod fi verum eft, non folùm fepties cadit Juftus in veniale delictum, fed etiam fepties Juftus effe definit; quis enim Divini amoris actus quotidie non ut minimùm fepties prætermittat? Vel igitur adverfarii in hac, & fimilibus objectionibus infignem produnt facræ fcientiæ imperitiam, fi tam horrendas confectiones non viderint, vel fcientes, volentefque graviori fe implicant errore, quàm damnata præ fe tulerat Propofitio. Intelligi enim illa de *corruptione* poterat veniali, nunc verò tam præpoftera defenfio fenfum ab authore, & ejus fodalibus intentum indicat fignificatione Propofitionis obviâ deteriorem.

Si autem Diabolo toties humanorum cordium conceditur poffeffio, quoties Divini amoris actus, & quidem fupernaturalis, auxilio *gratiæ* eliciendus omittitur; quis adeò juftus videbitur non folùm è vulgo fidelium, fed etiam inter presbyteros, & religiofos, qui non fæpius quotidie in Diaboli tranfeat poteftatem? Quo dogmate fi imbuta fuiffet Ecclefia, non confeffionis tantùm annuæ; fed multo frequentioris præceptum verifimiliter condidiffet; quis enim modus tot recordandi peccata mortalia quæ totius anni fpatio quivis commiferint quotidie? Habebunt pœnitentiæ adminiftri ex hoc folo capite materiem examinis interminabilem, fi non & confitentes defperationis. Non illum effe fenfum Ecclefiæ, praxis omnium, qui tribunali pœnitentiæ præfunt, aut facramento utuntur, teftis luculentiffima eft.

4 Si tamen adverfarii, quam hic fcriptis venditant, fententiam animo amplectantur, difpiciendum illis relinquo, quàm terrificum fibi apud Deum, & homines confcifcant judicium. Ex ore fuo ab hominibus, à Deo ex confcientia judicabuntur rei infinitorum, non criminum folummodo; fed etiam facrilegiorum. Conftat enim palàm adverfarios, etfi presbyteros, & ferè quotidie facrificium offerentes confiteri paffim rariùs, forte præcipuos numquam, ut tomo 3. videbitur. *Ecclefiaftica autem confuetudo declarat, eam probationem* (circa Sacramentorum Sanctiffimum) *neceffariam effe, ut nullus fibi confcius mortalis peccati, quantumvis fibi contritus videatur, abfque præmiffa facramentali confeffione ad Sacram Euchariftiam accedere debeat, quod à Chriftianis omnibus, etiam ab iis Sacerdotibus, quibus ex officio incubuerit celebrare, hæc S. Synodus perpetuò fervandum effe decrevit*, inquiunt Tridentini Patres feff. 13. cap. 7. Dein canone 11. *Nè tantum Sacramentum indignè, atque ideo in mortem, & condemnationem fumatur, ftatuit, atque declarat ipfa S. Synodus, illis, quos confcientia peccati mortalis gravat, quantumcumque etiam fe contritos exiftiment, habitâ copiâ confefforis, neceffariò præmittendam effe confeffionem Sacramentalem. Si quis autem contrarium docere, prædicare, vel pertinaciter afferere, feu etiam publicè difputando defendere præfumpferit, eo ipfo excommunicatus exiftat*.

Contrarium hactenus adverfarii non docent publicè, fed docere paratum fuiffe *Ægidium candidum*, & *candidorum* hoc tempore Janfeniftarum Principem, fi Antonius Arnaldus approbaffet, non temere colligitur ex ipfius Ægidii ad Arnaldum epiftola datâ anno 1681. die 11. Junii, & refertur in proceffu juridico coram Archiepifcopo Mechlinienfi, feu *causâ Quefnellianâ* art. 10. §. 5. pag. 278. verùm Arnaldus, etfi tam fcan-

scandaloso dogmati fundamentum antea præbuerit, ut eadem testatur epistola; non tamen videtur approbasse consilium talia apertè, & publicè edendi, nunc quidem, ut colligitur ex suspensione operis, quod *Ægidius* aliquibus suorum nimiùm *Candidus*, meditatus fuerat. Fortè Ægidio callidior Arnaldus novam Ecclesiam censuerat nondum satis esse firmatam, ut tanti momenti novitas protrudi in lucem sinè ambagibus, & tutò posset.

5 Verùm de hoc quidquid sit, de quo in tertio tomo plura, supponamus, Jansenianos presbyteros confiteri non minùs, quàm cæteros frequenter; imò quod certissimè falsum est, confiteri quotidie; quomodo absolvi à peccatis poterunt? Nam qui inter illos *Pastor bonus*, & *Theologus Christianus* est, ut in fronte famosi utriusque operis ab ipso inscribitur authore, & totus Quesnello noscitur devotus, anno 1690. die 26. Januarii Mechliniæ in thesibus sic definivit; *Impium est, dare absolutionem sacerdoti non multò ante lapso; esto quædam celebrandi esset necessitas, puta nè populus die festo sacro frustraretur.*

Statuamus igitur ex adversariis Sacerdotem, qui paulò antequam ad altare sacrificium oblaturus accederet, recordatus sit, se aliquoties dilectionis actum prætermisisse, adeóque juxta novam Gregoriani textus interpretationem, & alligatam ei rigidorum conscientiam delictum commisisse mortiferum, adeunte *Diabolo possessionem cordis, quod Divini amoris gratiâ non replebatur*: Exponit peccatum confessario, qui si pœnitentem absolverit, *impia* erit *absolutio* juxta Quesnelliani *Pastoris boni* regulam, novis animarum directoribus præscriptam. Si absolutio differatur, pœnitens fit impius, & sacrilegus, dum non absolutus, & cum mortalis conscientiâ peccati offerre sacrificium præsumpserit. Altera ejusdem *Pastoris boni* eodem die edita definitio est: lapsum ex infirmitate *tunc absolves, cùm per amorem Dei prædominantem peccata infirmitatis superaverit, ac dimiserit*.

Et in ipso famosiore *Pastoris boni* opere pag. 204. *Qui non verbis solùm, sed operibus ostendunt, seriò se agere, & ad totalem emendationem planè conniti, ut si v.g. occasiones fugiant, media à confessario præscripta adhibeant &c. nihilominus tamen, quæ hominum est infirmitas, in eadem relabuntur, absolvi non possunt*. Pag. 208. *Neque obstat, quòd relabantur solùm ex infirmitate; quia undecunque relabantur, relabuntur tamen; ideóque absolvi non possunt. Neque obstat, quòd seriò velint vitam emendare; nam id seriò non sufficit, nisi ipsa vitæ emendatio sequatur*. Atqui amoris Dei intermissio quamdiu distractionibus, & variis tam animi, quàm corporis infirmitatibus vivemus obnoxii, non quotidiana solùm est, sed septies, id est sæpius in die obvenit. Unde si omnis illa amoris intermissio crimen sit, ut objectio indicat, neque illud umquam penitùs dimittamus, quin redeamus in idem quotidie sæpius, absolvi numquam, nisi fortè in mortis articulo poterimus: saltèm non poterunt adversarii, quicumque *Pastoris* sui *boni* documenta cum præsenti composuerint objectione.

6 Hanc verò nullus autumet à me explicari durius, quàm adversariorum intentio patiatur. Supponendum enim est, eos scribere vigiles, & condemnati articuli suscipere seriò defensionem. Hoc supposito, evidens est, Gregorianæ sententiæ allegationem sensu alio, quàm qui hic exagitatus est, à nemine posse congruè intelligi, aut explicari. Non possunt enim adversarii accipere S. Pontificis verba de amore solummodo habituali, quem omnibus certum est debere esse perpetuum; atque ea corda à Diabolo possideri, quæ amore, & gratia habituali reperiuntur vacua; at sensus iste ad intentas propositionis vindicias nihil confert; cùm in ea de amoris actu potiùs, quàm de habitu constet esse sermonem. Ad persuadendum scilicet perpetuæ dilectionis debitum, adversarios magno studio collimare neminem potest latêre, qui libellos eorum ubique obvios inspexerit: accedit ingens Propositionum de charitate damnatarum series, velut Ascetici Scriptoris ad amoris actum magìs, quàm ad habitum cohortantis.

Si etiam Gregorium adversarii intelligerent de amoris actibus non pro omni tempore imperatis, ut juxta Doctorem Angelicum præcepti affirmativi ratio dictat, tunc verissima haberetur Gregoriani textûs explicatio, quòd *illa corda possideat Diabolus, quæ divini amoris gratiâ non replentur*, eo tempore, & in iis circumstantiis, pro quibus divinissimi illius præcepti urget obligatio. Verùm hic sensus, ut patet, minimè juvaret damnatum articulum, qui amorem exigit perpetuum, ut in actiones omnes influat, alioquin cupiditatis vitio necessariò corrumpendas; *amore Dei in corde peccatorum non ampliùs regnante, necesse est ut in eo carnalis regnet cupiditas, omnesque actiones ejus corrumpat*. Non potest solus cupiditatis habitus actionibus omnibus inurere pecca-

ca-

cati maculam, neque habitus charitatis sufficit, ut actus aliàs indifferens, absque ulla relatione bonitatem, laudem, aut præmium consequatur. Ad hoc actionis relatio sive intrinseca, sive saltèm extrinseca in finem honestum, judicio Theologorum communissimo, est necessaria. Denique, etsi neque habitualis amor, neque actualis in cordibus regnet Peccatorum, actus alii boni esse possunt sive naturalis, sive supernaturalis ordinis, misericordiæ, temperantiæ, castitatis, justitiæ, timoris, fidei, & spei, ut primo capite ostensum est.

7 Iterum contra nos adducitur Gregorius lib. 18. Moralium cap. 8. non ut in Hexaplis citatur 9. dicens: *Qui terrenarum rerum amore vincitur, in Deo nullatenus delectatur .... Si quis diligit mundum, non est charitas Patris in eo: ac si apertè dicat* (Joannes Apostolus) *utrique se amores in uno corde non capiunt, nec in eo seges superna charitatis pullulat, in quo illum spina infima delectationis necant.*

Subscribimus omnes S. Pontificis sententiæ. Sed quid indè adversùs Constitutionem, vel pro Quesnelli articulo elicere præsidii quis possit, non video. *Qui terrenarum rerum amore vincitur, in Deo nullatenus delectatur*; nam qui volens indulget concupiscentiæ carnis, concupiscentiæ oculorum, superbiæ vitæ, quomodo simul delectabitur in Deo talia graviter prohibente?

Amorem Dei cùm præceptorum ejus violatione, atque adeò eum ejus contemptu non consistere, agnoscit quisquis prima religionis rudimenta vel inter pueros didicit. Amor peccati, & amor Numinis illud vetantis, in uno animo se invicem non patiuntur, *neque in eo seges superna charitatis pullulat, in quo illam spina infima delectationis necant.* Attamen is, in quo charitatis seges mortua est, aut numquam etiam fuerat seminata, non propterea necesse est in omnibus peccet actionibus. Ita S. Pius V. Gregorius XIII. Urbanus VIII. Prædecessori suo Sancto Gregorio minimè contrarii docuère pridem, & è cathedra definierunt contra articulum inter Bajanos 25. *Omnia opera infidelium sunt peccata, & philosophorum virtutes sunt vitia*: quam Novaturientium opinionem etiam postea reviviscentem Iteratâ damnationis sententiâ resecandam statuit Alexander VIII. feriens inter 31. articulos hunc VIII. *Necesse est infidelem in omni opere peccare.*

Sed neque toto tempore, quo in corde peccatoris regnare desiit charitas, dominantur adeò spinæ delectationis infimæ, ut nihil prorsus actionis moraliter honestæ, vel quomodocumque innoxiæ pullulare valeat; sed opera omnia peccata sint, sive, ut Propositio damnata enuntiat, *cupiditate corrumpantur*. Non enim *omne, quod agit peccator, vel servus peccati, peccatum est*: neque *in omnibus suis actibus peccator servit dominanti cupiditati*: Ita pridem trium summorum Pontificum auctoritate definitum tenemus constitutionibus contra Bajum, & ejus socios art. 35. & 40. Nullâ profectò veri specie affirmabitur, quòd illi, in quorum corde *non ampliùs regnat amor Dei*, nè proximos quidem diligere valeant *affectu cognationis, & carnis*; atqui ipse S. Gregorius homilia 27. in Euangelia *sunt*, inquit, *nonnulli, qui diligunt proximos, sed per affectum cognationis, & carnis; quibus tamen in hac dilectione sacra eloquia non contradicunt.* Et nos plura superiùs ex ipsis sacris eloquiis exempla dedimus de obstetricibus Ægyptiis & Nabuchodonosore, & ejus contra Tyrios exercitu benè operantibus; de Assuero converso à Deo ad mansuetudinem; de Ninivitis peccatoribus pœnitentiam timore inchoantibus, antequam regnaret in eis charitas.

8 Denique ipse S. Gregorius homil. 34 in Euangelia bonum agnoscit timorem ante charitatem dicens; *Prava mens, si non priùs per timorem evertitur, ab assuetis vitiis non emendatur*: atque ideo nec regnum inducitur charitatis. Lib. sexto registri Epistola 187. *Duo sunt compunctionis genera, sicut scitis, unum, quod æternas pœnas metuit: aliud quod cœlestibus præmiis suspirat, dum sitiens anima priùs timore compungitur, post amore .... & qui prius flebat, antequam duceretur ad supplicium, postmodum flere amarissimè incipit, quia differtur regnum .... optat valde, ut aut timore supplicii, aut amore regni cœlestis, peccata, sinè quibus vivere non possunt, quotidie plorent; sed quia, ut dixi, duo sunt compunctionis genera, dedit ei pater suus irriguum superius, & irriguum inferius: irriguum quippe superius accipit anima, cùm se in lacrymas regni cœlestis desiderio affligit; irriguum verò inferius accipit anima, cùm inferni supplicia flendo pertimescit.* Duplex ea compunctio, & sinè dubio honesta est, & à Charitate videtur præscindere; certissimè præscindit prior, *dum enim sitiens anima priùs æternarum pœnarum timore compungitur, post amore*, evidens est timorem supplicii ab amore, quem præcedit, non ducere originem; & tamen salubris ea, & prorsus bona compunctio est, juxta Gregorium, qui eam vo-

vocat *datam à Patre*, *& irriguum inferius*.

In lib. I. Regum cap. 12. lib. 5. cap. 2. *Cui* (Deo) *in veritate servimus, quando ejus præcepta pro sola superna retributione perficimus*. Quæ spei ratio procul dubio honesta est, nec tamen charitas exprimitur.

Lib. 2. Moral. cap. 33. *Si fides non prima in corde nostro gignitur, reliqua quæque bona esse non possunt*, neque spes vera, & salutifera concipi, neque charitas, quod prorsus congruit S. Thomæ 1. 2. q. 62. art. 4., cum omnibus scholasticis docenti: *Oportet, ut ordine generationis fides præcedat spem, & charitatem*.

Insignis itaque adversariorum temeritas est, S. Gregorium, non solùm Augustino, Hieronymo, Chrysostomo, Aquinati, Bonaventuræ, Salesio, sed etiam sibi ipsi atque tot aliis Pontificibus, denique ipsi Scripturarum Authori Spiritui Sancto opponere, in gratiam novitatis sæpius ab Ecclesia condemnatæ.

CAPUT V.

S. Fulgentius, Bernardus, Author libelli de imitatione Christi, nihil commune habent cum damnato articulo.

1 Fulgentius sermone non 5. ut ab adversariis citatur, sed 6. ait. *Tantùm augetur charitas, quantùm fuerit imminuta cupiditas .... charitas donum Dei est .... cupiditas laqueus est Diaboli: non solùm laqueus, sed etiam gladius. Charitas est radix omnium bonorum, cupiditas radix est omnium malorum*. Si charitas radix est omnium bonorum, igitur, inquiunt adversarii, nihil boni est in humanis actibus nisi à charitate proveniens; ubi autem nihil boni est, necessariò aliquid mali est, nempe cupiditas opposita charitati. VerùmFulgentii sententia necessariò accommodè intelligenda est; non enim potest charitas radix esse sui ipsius, neque bonorum actuum ad eam disponentium, quales sunt fides, spes, timor etiam æterni supplicii: unde S. Thomas 1. 2. q. 62. a. 4. *Oportet quòd ordine generationis fides præcedat spem, & charitatem*.

Hunc eundem ordinem tradit S. Augustinus libro de catechizandis rudibus cap. 4. *Quidquid narras, ita narra, ut audiendo credat, credendo speret, sperando amet*. Idem Sanctus tract. 9. in Epistolam Joannis: *Stimulat timor, sed noli timere; intrat charitas, quæ sanat, quod vulnerat timor: timor Dei sic vulnerat, quomodo medici ferramentum putredinem tollit. Opus est ergo, ut intret timor primò, per quem veniat charitas. Timor medicamentum, charitas sanitas*.

Rursus libro de catechizandis rudibus cap. 5. *Rarissimè accidit; imò verò numquam, ut quisquam veniat volens fieri Christianus, qui non sit aliquo Dei timore perculsus*; ubi, ut patet, conversionis volitio, & ex timore oritur, & prior est charitate. Ideo, & Tridentina Synodus sess. 6. cap. 6. hoc ordine nobis describit modum præparationis ad justitiam: *Disponuntur*, inquit, *ad ipsam justitiam, dum excitati divinâ gratiâ, & adjuti, fidem ex auditu concipientes, liberè moventur in Deum, credentes, vera esse, quæ Divinitus revelata & promissa sunt ... &, dum peccatores se esse intelligentes, à Divinæ justitiæ timore, quo utiliter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se convertendo, in spem eriguntur, fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore, eumque tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt, ac propterea moventur adversùs peccata per odium aliquod, & detestationem, hoc est, per eam pœnitentiam, quam ante baptismum agi oportet*. Vident hìc adversarii complures actus bonos disponentes peccatoris animum, ut *Deum diligere incipiat*. Dictum igitur Fulgentii de charitate radice bonorum omnium intelligi non potest, nisi, ut monueram, accommodè; non de actibus ad ipsam disponentibus charitatem.

2 Sed neque sic accipienda est Sancti hujus sententia, quasi nulla etiam alterius virtutis actio esse possit, nisi charitatis imperio eliciatur; cùm & virtutum moralium opera secundùm se, & præscindendo ab amoris theologici motivo honesta sint, & laudibus digna; an sufficiant ad meritum proprie dictum, & ad æternam beatitudinem pertinens, non discutio; neque enim ad præsentem disputationem ea necessaria disquisitio est; cùm bonus actus, ut in peccatoribus, possit esse sinè merito; virtutes nempe qualescumque, sinè charitatis saltèm habitu, nihil ad beatitudinem conferre, satis certum est: cùmque illa bonum antonomasticè sit, sinè quo cætera fluxa sunt, dicendum omnibus cùm Apostolo: Si charitatem non habuero nihil sum: Augustinus lib. de spiritu & littera: *Nihil prosunt impio aliqua opera bona, sinè quibus difficillimè vita cujuslibet pessimi hominis invenitur*. Quòd bona illa in impiis & pessimis hominibus non proveniant ex charitate, manifestum est.

Sed quoniam de mente Fulgentii hic disceptatur, audiendus ipse sui interpres opti-

timus est lib. de incarnatione, & gratia Christi dicens: „ Quòd si quibusdam co- „ gnoscentibus Deum, nec sicut Deum „ glorificantibus, cognitio illa nihil pro- „ fuit ad salutem, quomodo potuerunt hi „ justi esse apud Deum, qui sic in suis mo- „ ribus atque operibus bonitatis aliquid „ servant, ut hoc ad finem Christianæ fi- „ dei, charitatisque non referant? Quibus „ aliqua quidem bona, quæ ad societatis „ humanæ pertinent æquitatem, inesse pos- „ sunt; sed quia non charitate fiunt, pro- „ desse non possunt. „ Cùm igitur apud Fulgentium *charitas* dicitur *radix bonorum omnium*, de bonis ad vitam æternam conducentibus intelligendum est, non de omnibus ad honestatem moralem, societatisque humanæ pertinentibus æquitatem. Aliâ ratione *charitas radix bonorum omnium* dici potest; quia nihil boni operis, aut virtutis est, quod ipsa imperare nequeat & perficere. Denique ad eam velut ad finem virtutes cæteræ referuntur, ita nos docente Angelico. 2. 2. q. 23. art. 4. Præceptum de diligendo Deo dicitur esse jussio generalis; quia ad hoc reducuntur omnia alia præcepta sicut ad finem, secundùm illud 1. Tim. 1. Finis præcepti est charitas; sed non omnis actûs laudabilis initium. Remotissimus itaque est S. Fulgentius ab accusandis omnibus actionibus, quæ absque charitatis imperio generantur.

3 Brevissima sententia est, quæ contra nos adducitur ex Bernardi ad sororem libro de modo bene vivendi serm. 5. de charitate. *Ibi*, inquit, *regnat carnalis cupiditas*, *ubi non est Dei charitas*. Immediatè sequitur, quòd lucem fugiens adversarius omittit. *Tunc homo est perfectus, quando est charitate plenus*. *Sinè amore charitatis quamvis quisque rectè credat, ad beatitudinem pervenire non potest*. Objectam laciniam Bernardus ab Augustino accepit Enchiridii cap. 117. eum sequi solitus, ut testatur Epist. 77. *Ab his ergo duabus columnis (Augustinum loquor, & Ambrosium) credite mihi difficilè avellor; cum his, inquam, me errare, aut sapere fateor*. Quapropter si Doctoris melliflui sensus aliunde non innotesceret, posset sufficere intelligentia Augustini, quem cap. 3. iisdem objectum vocibus abunde explicui, ostendens damnato articulo nullatenus favenrem; sed adversantem certissimè, & frequenter.

Verùm recurrere ad Augustinum opus non est, ubi solis instar meridiani fulget ipsius sententia Bernardi. *Sinè amore charitatis quisque rectè crederè* ab eo dicitur, quamvis *non possit ad beatitudinem pervenire*. Evidens igitur est, fidem propter charitatis absentiam non corrumpi, non cupiditatis maculari vitio; aliàs *sinè amore charitatis*, non *rectè crederetur*; non enim fidei, non alia quævis actio *recta* est, quæ cupiditatis veneno inficitur, & Deo omnis rectitudinis authori displicet. Quapropter de qualibet anima, non de singulis actibus explicandum est, quòd *ibi regnet carnalis cupiditas*, *ubi non est Dei charitas*. De homine istud asseri, non de singulis actibus indicat etiam quod statim sequitur. *Tunc homo est perfectus, quando est charitate plenus &c.* ut supra.

Nullam verò de sensu Melliflui dubitationem relinquit eodem libro sermo 4. de timore Dei, „ Volo te scire, quatuor „ esse timores, humanum, servilem, ini- „ tialem, & castum.... Secundus timor est „ servilis, ut ait B. Augustinus; cùm timo- „ re gehennæ homo recedit à peccato, & „ omnia bona, quæ facit, non propter dile- „ ctionem Dei, sed propter timorem infer- „ ni facit. Ille quasi servus timet, qui bo- „ num, quod facit, non timore amittendi „ bonum, quod non amat, sed timore pa- „ tiendi malum, quòd formidat, facit. Ille „ non timet perdere amplexum pulcherri- „ mi sponsi; sed timet, nè mittatur in pœ- „ nas inferni. De hoc servili timore ait „ Paulus: Non enim accepistis Spiritum „ servitutis iterum in timore; sed accepi- „ stis spiritum adoptionis filiorum, id est, „ spiritum filialem. Bonus est iste servilis „ timor, & utilis, licèt insufficiens, & im- „ perfectus, per quem crescit paulatim „ consuetudo justitiæ.... Timor priùs ve- „ nit in corde hominis, ut præparetur lo- „ cus charitati.... Audi soror dilecta con- „ gruentem similitudinem: sæpe videmus „ per setam introduci linum: quando ali- „ quid suitur priùs intrat seta, & post „ setam intrat linum. Sic timor priùs in- „ trat in mentem hominis, & post timorem „ charitas. „

4 Quid dici potuit illustrius pro bonitate, & utilitate timoris, etiamsi vacui charitate, atque ad eam animum disponentis? Nullæ hic adversariorum offuciæ affundere tenebras possunt lucentissimo Bernardi sensui, à damnata novitate prorsus alieno. *Timor servilis* asseritur, *cùm timore gehennæ homo recedit à peccato, & bona omnia, quæ facit, non propter dilectionem Dei; sed propter timorem inferni facit*. Non igitur in timore illo est vitiosa cupiditas, neque aspersa à cupiditate corruptio, seu peccatum, *cùm à peccato homo timore gehennæ recedere* depre-

hendatur. Et quomodo timor ille bonus non sit, si *bona omnia*, quæ in multis hominibus reperiuntur, *efficiat*? Quòd autem bonorum illorum *radix* non sit *charitas*, verbis exprimitur lucidissimis: *Bona omnia, quæ facit* (homo ille,) *non propter dilectionem Dei; sed propter timorem inferni facit*. Servilis hujus timoris bonitas à Bernardo confirmatur testimonio Spiritûs sancti, cujus asseritur donum. De hoc timore ait Paulus; *Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, idest, spiritum filialem*. Hunc accipiunt justi in novo fœdere, cùm servilis daretur in Judaico; etiam bonus, cùm eum Spiritus Sanctus infunderet. Sed & nunc *bonus est iste servilis timor, & utilis*, utpote *per quem crescit paulatim consuetudo justitiæ: timor priùs venit in corde hominis, ut præparetur locus charitati*. Timoris itaque illius tam boni, & utilis non est radix charitas, cùm causa, & dispositio nequeat esse posterior effectu, neque fructus suâ prior arbore, aut radice. Si quemadmodum seta priùs intrat, quàm linum, *sic timor priùs intret in mentem hominis, & post timorem charitas*, perspicuum est, non posse charitatem statui anteriorem in corde hominis, qui servili timore ducitur, quia *timor locum præparat charitati*.

Patet itaque non significatione amplissima, & rigidâ universali; sed accommodâ intelligendum istud Doctoris melliflui: *Charitas est radix bonorum omnium*, præterquam scilicet eorum, quæ ut seta lino, ita introducendo serviunt amori. Restringendum est etiam ad bona æternæ conducentia felicitati, nè inferioris ordinis bona moralia, & laude digna negentur in impiis, ac infidelibus, contra clarissimam Augustini, & aliorum Patrum, imò Scripturarum, & Theologorum omnium haud novaturientium doctrinam. Hoc quoque sensu dicitur charitas radix bonorum omnium, quòd, ubi charitas est, omnia bona in homine, quantum in se est, & nisi liberum restiterit arbitrium, foveat operari, ut ait Apostolus 1. Cor. 13. *Charitas patiens est, benigna est, charitas non æmulatur, non agit perperàm, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati: omnia suffert; omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet*.

5 Denique quid boni charitas non progignit? Excipe timorem servilem, quem, ut ibidem Bernardus post Apostolum monet, *perfecta charitas expellit*. Damnatæ itaque Propositioni nemo potuit designari infestior Doctore Mellifluo, & quidem in ipso ad sororem opere, ad quod imprudens adversariorum temeritas audet Sedem Apostolicam provocare. Disceptationem de mente Bernardi terminet quod habet libro de præcepto, & dispensatione. *Bonus obedientiæ gradus est, si juxta Magistri nostri sententiam, propter metum gehennæ, seu propter professionem sanctam, quam professus est, quispiam obedierit; melior tamen, cùm ex Dei amore obeditur. Illa quippe obedientia necessitatis est, ista charitatis*. Quem locum contra Lutherum, Melanchtonem, Calvinum citans Eminentissimus Bellarminus lib. 4. de justificatione cap. 16. sic observat „ S. Bernardus „ cùm dicit obedientiam ex metu gehen- „ næ esse bonam, ex charitate meliorem, „ intelligit bonam simpliciter, & finè ullo „ peccato, etiam veniali posse præstari.

6 Tandem ab adversariis adducitur liber 3. de imitatione Christi cap. 9. „ Si in- „ traverit cœlestis gratia, & vera charitas, „ non erit aliqua invidia, nec contractio „ cordis, neque privatus amor occupabit. „ Vincit enim omnia divina charitas, & di- „ latat omnes animæ vires „. Idem cùm piissimo authore omnes asserimus, nec minora charitatis elogia jam dedimus ex Apostolo; sed nusquam apparet confirmatum, quòd, absente charitate, omnia in peccatoribus opera sint peccata, sive, ut damnatus enuntiat articulus, quòd *amore Dei in corde peccatorum non amplius regnante, necesse sit, ut in eo regnet cupiditas, omnesque ejus actiones corrumpat*. Oppositum à nobis hactenus omni authoritatum genere, testimoniis SS. Patrum, definitionibus Pontificum, Concilii Tridentini, Scripturarum ineluctabiliter demonstratum est.

Aliquam objectionis speciem præsefert, quod ex ejusdem authoris libro 2. cap. 1. describitur; sed fraude solis dignâ hæreticis illud nobis sic intorquent Hexapla: *Nil sic maculat, & implicat cor hominis, sicut amor creaturæ*. Ita nempe omnis amor creaturæ peccati arguitur, nec omnino levis: *Nil sic maculat &c.* sic amor uxoris, filiorum, Parentum, amor Patriæ, ejusque defensio, administratio recta Reipublicæ ad crimina relegantur. Sic omnia damnantur quæ præclari author Hypognostici inter Augustini aliàs opera relati, velut innocua proponit, & bona lib. 3. non procul ab initio: *Esse fatemur, liberum arbitrium omnibus hominibus, habens quidem judicium rationis, non per quod sit idoneum, quæ ad Deum pertinent, sinè Deo aut inchoare, aut certè perficere; sed tantùm in operibus vitæ præsentis, tam bonis, quàm*

etiam

etiam malis. Bonis dico, quæ de bono naturæ oriuntur; id est, velle laborare in agro, velle manducare, & bibere, velle habere amicum, velle habere indumenta, velle fabricare domum, velle uxorem ducere, pecora nutrire, artem discere diversarum rerum bonarum: velle quidquid boni ad præsentem vitam pertinet. Reprehenditur ipse Gregorius Magnus homil. 27. in Euangelia dicens: *Sunt nonnulli, qui diligunt proximos; sed per affectum cognationis & carnis; quibus tamen in hac dilectione sacra eloquia non contradicunt*; sed contradicunt Janseniana Hexapla, quasi Gregorio Magno sapientiora, & sacris sanctiora eloquiis.

Nunc videndum, qua fraude in suas pertrahere partes conentur libellum de imitatione Christi. In loco citato ait, *Nil sic maculat, & implicat cor hominis; sicut impurus amor creaturæ*. Hexapla in citatione reticent *impurus*, ut ex sententia restricta fabricent universalem, quæ in omnem, quo res creata diligitur, amorem, peccati maculam conjiciat: usitata quidem semper fuit hæreticis in corrumpendis Patrum, Scripturarumque voluminibus perfidia; si autem à Luthero, Philippo Melanchtone, Calvino, similis Quesnellianæ fuisset adhibita, facillimum eis pariter fuisset, Scripturarum, Patrumque testimoniis stabilire hæresim, quod omnia opera hominum peccata sint; ubicumque scilicet *amorem impurum*, & quamlibet *pravam*, *impiam* actionem damnari criminis conspexerint, debuerant solùm omisso *impuri, pravi, impii*, epitheto, in actiones prorsus omnes censuram convertere.

Quadragesima sexta Propositio damnata.

Cupiditas, aut charitas usum sensuum bonum, vel malum faciunt. *Obs. Mor. Matth. 5. v. 28.*

CAPUT I.

Justa Propositionis damnatio demonstratur.

1 Cupiditas, & charitas modò pro habitu modò pro actu accipitur; utrovis autem modo voces intellexeris, Propositio perversa est & jure optimo condemnata. Si enim de habitu explices, omnis usus sensuum in justis bonus erit, omnis in peccatoribus malus. Ita nec justi sensibus delinquere, nè culpâ quidem levi poterunt, nec peccatores uti sensibus nisi ad peccandum: in justis nullum dabitur sensualitatis vitium; sed quidquid egerint, manente charitate, vertetur in virtutem. Sic justis nullo sensuum fræno opus erit; sed quanto plus libertatis oculis, linguæ, gustui, indulserint, tanto plus in virtute processerint, crescente semper bonorum operum numero. Nonne spurcissimis Quietistis hæc, quàm Augustini discipulis digniora sunt? Frustrà in hac sententia Paulus castigavit corpus suum, & in servitutem redegit, nè, cùm aliis prædicasset, ipse reprobus efficeretur. Nam, etsi nulla eum de sua justitia fides divina certum redderet; sentiens tamen ipse, quanto intus flagraret Divinæ gloriæ zelo, quàm ardente charitatis igne, considere prudenter potuit, se in gratia esse, amorem in se sanctum præ cupiditate dominari: quo supposito, non fuisset, juxta novum dogma, cur tam solicitè mortificationem Christi in corpore circumferret, quando omnis usus sensuum, quantumcunque vagus, & indomitus, *fieret bonus charitate*. In eadem hypothesi nimis illimitatè dixisset Jacobus Apostolus, vanam esse religionem ejus, qui linguam non frænaret; non enim frænanda esset; sed laxanda potiùs in omni charitatem habente, ut magis cresceret loquacitas, & linguæ dissolutio, vitio in bonum sola charitate converso, novis semper sanctitatem extenderet incrementis.

Non minore studio peccatores averti deberent ab omni externo bonorum operum exercitio; cùm omnis usus sensuum, quantumvis bonus appareat, & fine debiro intendatur, malus fieret in peccatoribus solo habitu cupiditatis.

2 Si verò cupiditatis, & charitatis nomine, quæ verisimiliùs authoris mens est, actus intelligatur, non minùs est censuræ obnoxia Propositio; Nam, etsi verissimum sit; omnem actum à charitate imperatum esse bonum, à cupiditate autem malum; acceptâ tamen divisione velut adæquatâ omnis usûs sensuum, quasi omnis, qui non imperatur à charitate, imperetur, & vitium contrahat à cupiditate, quæ authoris sententia est; censuram evadere non potest. Quis enim catholicus patiatur, omnes actus misericordiæ, temperantiæ, castitatis, mortificationis, & similes, qui mediis sensibus exercentur, ob solam charitatis absentiam, rejici inter usus malos, seu abusus, cupiditatis

sordibus maculatos? Quæ novitas iisdem Scripturarum oraculis, definitionibus Pontificum, sententiis Patrum convincitur, quibus utraque superior debellata est.

Daniel cap.4. v.24. Regem Nabuchodonosor, quem noverat nondum imbutum charitate, ad eleemosynas hortari minimè debuisset, quæ peccatorum numerum augerent, non pœnitentiæ gratiam consequerentur.

3 Assuerus, ut infidelis erat, indubiè non operabatur ex charitate; quando autem, ut ait Scriptura, *convertit Deus spiritum Regis in mansuetudinem*, ea lenitas donum Dei fuit, neque se intimis animi ejus recessibus continens; sed in externas quoque prodiit actiones, quando crudele contra Judæos Edictum abrogans, & Amanum puniens, non malè in hoc sensibus usus est. Neque id mirum; cùm etiam, teste Augustino lib.1. de gratia Christi cap.24. voluntas Assuero bona cœlitus concessa fuerit, à qua quid aliud fructuum expectes, nisi innoxium, & honestum? *Intueantur* (Pelagiani) *atque fateantur, non lege, atque doctrinâ insonante forinsecus; sed internâ, & occultâ; mirabili, ac ineffabili potestate operari Deum in cordibus hominum non solùm veras revelationes, sed etiam bonas voluntates*; quas evidens est imperare sensibus non posse, nisi usus bonos. Et tamen Assuerus, ut dixi, & quiscumque alius, de quo illic differit Augustinus, ut fide, ita & caruit charitate: quapropter, & exulare procul à scholis catholicis debet Quesnelliana novitas spiritui Scripturarum adeò contraria.

Ninivitæ procul dubio pessimè usi fuerant sensibus, quando luxuriâ, & omni genere flagitiorum Deum ad iracundiam concitantes, tantam sibi accersivêre comminationem vindictæ, quam nec evasêre semper, quando, ut solent pravâ irretiti consuetudine, post pœnitentiam ad vomitum redierunt. Interim tamen, quando prædicante Jonâ, & interitum urbis denuntiante, à maximo usque ad minimum jejuniis, saccis, & cinere ad implorandam Dei clementiam se converterunt, optimum fecêre usum sensuum, etsi non statim divini Numinis amore ducti, sed suppliciorum formidine.

Salubrem illum usum sensuum copiosè, & ornatè posteris ad exemplum describit S. Ambrosius libro de pœnitentia cap.6. „ „ Ninivitæ indicunt sibi necessarium perituri jejunium, in ipsis corporibus animas „ humilitatis flagello castigant: induunt „ pro veste cilicium, & pro unguentis cinere se aspergunt, ac prostrati humi pulverem lambunt: mortem suam lacrymis „ funerant, & vitam plangimoniis prosequuntur: reatum suum gemitibus publicant, & actuum suorum pandunt arcana „ facinora: omnis ætas, & sexus indiscretè lugubribus se aptat officiis; depositus „ omnis cultus, dejectus ornatus: negata „ quoque sunt ipsis alimenta lactentibus: „ & ætas nondum propriis peccatis infecta, „ onera sustinuit aliena; cibum suum mutum pecus esurivit: unus audiebatur per „ mœnia civitatis ululatus disparium narurarum, & per omnia tecta flebilia resonabant lamenta plangentium, &, ut semel dixerim, terra mugitus confitentium sustinebat. „

Omnem illum usum sensuum adeò laudatum à Patribus, quamdiu solo elicitus timore cùm spe veniæ fuit, antequam in animis charitas nasceretur, soli Novatores præposterè rigidi de culpabili arguunt cupiditate. Quænam in his, & mille aliis pietatis operibus charitate præviis, & ad eam saluberrimè disponentibus species cupiditatis est? Oportet quidem, Ninivitæ tandem charitatem conceperint, qui ad justificationis gratiam pervenêre; cùm carerent pœnitentiæ Sacramento, quo suppleretur quod deerat contritioni. Verùm juxta communem conversionis ordinem in peccatoribus maximè inveteratis non solet pœnitentia ab amore, sed gravium suppliciorum incussâ formidine inchoari.

Ita S. Chrysostomus ad illud, quòd nemo læditur nisi à semetipso: *Ninivitæ* (inquit) *conversi sunt ad timorem Dei, abjectisque continuò prioris vitæ malis ad virtutem se, & justitiam per pœnitentiam contulerunt, tam fideli satisfactione, ut divinitus jam promulgatam sententiam revocarent*. Neque timor sinè spe veniæ impium promovet ad dilectionem, quam justificatio sequatur: attritio ad contritionem viam sternit, & ut ipsa non solùm expers malitiæ est, sed etiam bona, & salubris; ita quæcumque imperaverit jejunia, verbera, & cæteras corporis afflictiones, cùm orationibus, etiam vocalibus, eleemosynis, & aliis virtutum moralium externis exercitiis, usus omnes illi sensuum sunt, non innocui tantùm; sed laudabiles, pii, & ad amoris gratiam à Deo obtinendam plurimum conducentes. Istud à Scripturis, Patribus, asceticis passim scriptoribus, atque communi sensu, & praxi fidelium edocemur.

4 At, si Novatoribus auscultemus, deberent Concionatores, & directores animorum non jejunia, non flagella, non cilicia

cia, non saccos, & cineres suadere peccatoribus ad placandam Dei justitiam, & conversionis gratiam impetrandam; sed à talibus potiùs illos exercitiis oporteret avertere, donec charitate imbuti, possent actiones illas à vitio immunes reddere, alioqui necessariò cupiditate inficiendas. Sed nihil hic iterum qualiscunque ratio Theologica, aut moralis valet, nisi auctoritas accesserit Augustini.

Prætereo adductam à me sæpius, atque ab Augustino impensiùs laudatam *justitiam*, *& strenuos Romanorum actus*, quibus eos dicit *imperium à Deo promeritos* lib.5. de civitate cap.12. qui fuit usus sensuum minimè malus sinè charitate. Non minùs innocuum eorum usum in Xenocratis schola, concurrente Dei auxilio, didicerat Polemo; at neque charitatem, neque fidem, judice Augustino frequenter in superioribus citato. Edoceat itaque nos Quesnellus, num hæc Polemonis temperantia, & continentia cupiditas fuerit, atque adeò mala? Negat Augustinus Epistola 130. novæ editionis 144. dicens: *Nè id ipsum quidem, quod melius in eo factum est, humano operi tribuerim; sed Divino.*

Et lib.4. contra Julianum cap.3. „ Ex „ quo colligitur, etiam ipsa bona opera, „ quæ faciunt infideles, non ipsorum esse; „ sed illius, qui bene utitur malis.

Epist.52. Editionis novæ 155.postquam dixit:„Abjiciamus falsorum Philosophorum „ vanitates, & insanias mendaces, quia nec „ virtus nobis erit, nisi adsit ipse, quo juve- „ mur: nec Beatitudo, nisi adsit ipse, quo frua- „ mur „ ubi, inquam, hæc Sanctus Doctor „ præmisit, ad motales virtutes Macedonii progreditur, quas Augustinus non redarguit velut germina cupiditatis; sed ad Beatitudinem obtinendam ait non sufficere, nisi exercitæ fuerint propter Deum: „ Si om- „ nis prudentia tua, qua consulere conaris „ rebus humanis; si omnis fortitudo tua, „ qua nullius iniquitate adversante terre- „ ris; si omnis temperantia, qua in tanta „ labe nequissimæ consuetudinis hominum „ te à corruptionibus abstines; si omnis „ justitia, qua rectè judicando sua cuique „ distribuis, id laboras, id nititur, ut hi, „ quibus vis, ut benè sit, salvi sint corpore, „ & ab omni cujusquam improbitate tuti, „ atque pacati &c. ita non erunt veræ vir- „ tutes tuæ „ seu salutiferæ, quamvis laudabiles, & honestæ, sic enim sequitur: „ Si quælibet, inquam, administratio tua „ illis, quas commemoravi instructa virtu- „ tibus, hoc intentionis fine determinatur, „ ut homines secundùm carnem nullas ini- „ quas molestias patiantur, nec ad te exi- „ stimas pertinere, quò istam quietem, quam „ præstare niteris, referant, idest (ut verbis „ non ambiam) quomodo Deum verum, „ ubi est quietæ vitæ omnis fructus, colant, „ nihil tibi prodest ad vitam verè beatam „ tantus labor.... Si enim virtutes, quas „ accepisti, à quo acceperis sentiens, ei- „ que gratias agens; eas ad ipsius cultum „ etiam in tuis sæcularibus honoribus con- „ feras, tuæque potestatis subditos homi- „ nes ad Deum colendum exemplo tuæ re- „ ligiosæ vitæ, & ipso studio consulendo, „ seu fovendo, seu terrendo erigas, & ad- „ ducas, nihilque aliud in eo, quod per te „ securiùs vivunt, velis, nisi ut hinc illum „ promereantur, apud quem beatè vivent, „ & veræ virtutes erunt, & ab illius opitu- „ latione, cujus largitate donatæ sunt, ita „ crescent, & perficientur, ut te ad vitam „ verè beatam, quæ non nisi æterna est, „ sinè ulla dubitatione perducant.

Hæc prolixa Augustini sententia virtutum moralium actiones indicat innoxias, imò laudabiles, certè minimè ab Augustino reprehensas, etsi nullâ expressâ intentione ad cultum Numinis directas; utiles verò etiam futuras ad salutem, si amore æternæ beatitudinis exercerentur: qui amor spei juxta Augustinum bonus est, atque ad charitatis gratiam, & beatitudinem consequendam accommodatissimus, ut cum Macedonio ejus subditi *hinc illum promereantur, apud quem beatè vivent, & veræ virtutes erunt*. Non igitur omnis usus sensuum, vel alterius cujuslibet facultatis absque charitate est illicitus.

5 Quoniam autem de solo usu sensuum præsens disceptatio est, percurramus breviter sensus singulos: exempla horrorem novitatis incutient. Initium ducamus *à Paganis, Judæis, Hæreticis, aliisque hujus generis*; nempe juxta Quesnellum vitiat omnem usum sensuum cupiditas, quam infert necessariò carentia charitatis, etsi charitas juxta eum infidelibus sit impossibilis; elici enim non potest sinè fide, neque hæc sinè gratia, quæ infidelibus prorsus deest juxta propos.26:*Nulla dantur gratiæ nisi per fidem.* Propos.27. *Fides est prima gratia, & fons omnium aliarum.* 29. *Extra Ecclesiam nulla conceditur gratia*, & inter 31. ab Alexandro VIII. damnata est hæc 5. *Pagani, Judæi, Hæretici, aliique hujus generis nullum omnino accipiunt à Jesu Christo influxum; adeòque hinc rectè inferes, in illis esse voluntatem nudam, & inermem*

abs-

absque omni gratia sufficiente. Quam propositionem Arnaldus etiam contra Pontificis censuram audacissimè propugnat in *nona parte difficultatum* pag.212., & 219. Quem librum Arnaldus senio fatiscens, Quesnello studiorum scriptionumque adjutore domestico conscripsit.

Quæ igitur juxta utrumque hunc Theologum superest *Paganis*, *Judæis*, *Hæreticis*, *aliisque hujus generis* hominibus libertas, ut in ullo usu sensuum peccatum valeant evitare? Nam charitas sinè gratia elici non potest: & tamen omnis juxta Quesnellum usus sensuum sinè charitate necessariò peccatum est, quia *cupiditas, aut charitas usum sensuum bonum, vel malum faciunt*. In obligandis hominibus ad vitandas peccatorum occasiones nulli rigidiores sunt novis Augustini discipulis, ab hac lege nulla juxta eos excusat utilitatis ratio, aut moralis necessitas. Tenebuntur itaque *Pagani, Judæi, Hæretici, aliique hujus generis*, obturare sibi aures, nequid audiant; nares, nè quid olfaciant; claudere oculos, nè quid videant; linguam continere, nè verbum proferant; manus, & cætera corporis membra, nè quid sentiant; denique quàm sumptio alimenti ad sustinendam vitam est necessaria, tam iis inevitabile est in omni sumptione peccatum. Durities inhumana!

Ineluctabilis quoque necessitas peccandi in omni sensuum usu incumbet, eadem obligatio impediendi omnia sensuum organa cunctis peccatoribus, utpote destitutis omni gratiâ, sinè qua charitas non est in hominis potestate, atque adeò nec evitatio peccati semper novi, usu sensuum necessariò committendi; siquidem juxta Propositionem 28. *prima gratia, quam Deus concedit peccatori, est peccatorum remissio*. Quid autem fidelibus, & justis? Etiam erga hos parcissimus Quesnellus est in agnoscendis gratiis; imò nemini eorum, quos quidem hodie Romana Ecclesia pro fidelibus, & justis habet, ullam patietur attribui; cùm enim Deus unus, unus Baptismus, una fides sit, atque hanc sibi Quesnellus vindicet, à fide Romanæ Ecclesiæ in pluribus discrepantem, necesse est, eandem Ecclesiam cum omnibus suis justis, & Sanctis, omni penitùs gratiâ destitui, ideoque in omni usu sensuum peccare; sola enim, quæ à perpetua delinquendi necessitate liberare valet, charitas, sinè fide, & sinè gratia est impossibilis. Sed quid Ecclesiæ Romanæ justos, & sanctos appello, à quibus exulante fide, sanctitatem omnem, justitiam, charitatem pariter exulare necesse est? Sic quotquot in Romana Ecclesia degimus, utì caremus Quesnelli fide, caremus & charitate, atque in omni sensuum usu cupiditate ducimur: sic & insuperabili semper cadimus necessitate, expertes omnis gratiæ, sinè qua etiam juxta propositionem 40. *nihil amare possumus, nisi ad nostram condemnationem*.

Sed ut de solo hic usu sensuum differamus, sinè illo impleri nequeunt præcepta Ecclesiæ; non enim sinè illo assistere possumus sacrificio missæ, & celebrare Festa, confiteri peccata, sumere Eucharistiam, nè præceptis quidem naturæ, saltèm plurimis satisfacere possumus absque opere sensuum; ut reddere depositum, solvere debitum, largiri eleemosynam, honorare parentes, consolari mœstos, docere ignorantes, juvare infirmos, corrigere delinquentes; hæc omnia si absque charitate fiunt, juxta Quesnellum cupiditate maculantur; recedente autem fide, charitas deficit necessariò: cùm igitur Quesnelli fidem Romana Ecclesia non ferat, Quesnelliana charitas locum in ea invenire non poterit, atque ita necesse erit, vel Romanam Ecclesiam universam, vel omnes istiusmodi novos Augustini discipulos in omni usu sensuum delinquere, & novâ semper cupiditate inquinari. Nullum hìc apparet medium; quamcunque partem elegerint adversarii, fatali laqueo constringuntur. Si consectarium non placuerit, ut displicere debet omnibus, oportet damnato dogmati 46. & vicinis pluribus nuntium Quesnellus remittat.

CAPUT II.

Respondetur objectionibus desumptis ex Scriptura.

1 Duo nobis ex Apostolo in Hexaplis opponuntur: Primæ Cor. 10. v. 31. *Sive ergo manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.* Coloss. 3. v. 17. *Omne quodcumque facitis in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini Jesu Christi, gratias agentes Deo, & Patri per ipsum.* Quibus tam perspicuè tradi Propositionem 46. autumant adversarii, ut ei confirmandæ sola sacrorum verborum relatio sufficiat. Sic illi, quibuspridem vilis fuit Sedis Apostolicæ authoritas, nec magni ponderis illa Tridentinæ Synodi, sanctorum quoque Patrum; nisi fortè ubì novitatibus suis non senserint refragari. Itaque ex utroque Apostoli textu sibi fingunt, omnia prorsus hominum

num opera deliberata eſſe illicita, & à primo Decalogi recedere præcepto; imò cupiditatis vitio conſpurcari, quæcunque dilectione Dei benevola præſenti non conſecrarentur.

Contra hanc novitatem clara eſt ſententia Angelici in quæſtionibus diſputatis quæſt. 7. de malo art. 7. ubi Sanctus ita ſibi objicit: *Homo tenetur ex præcepto, ut omnia, quæ facit, ordinet in Deum tanquam in finem: dicitur enim* 1. *Cor.* 10. *Sive manducatis, ſive bibitis, ſive quid aliud facitis omnia in gloriam Dei facite*, ad quod ipſe reſpondet: *Ad nonum dicendum, quòd, cùm illud præceptum Apoſtoli ſit affirmativum, non obligat ad hoc, quòd ſemper obſervetur in actu; obſervatur autem ſemper in habitu, quamdiu homo habitualiter habet Deum ſicut ultimum finem: quod non excluditur per peccatum veniale*; quo charitatis habitus non deſtruitur.

In Commentario quoque capitis 3. ad Coloſſ. lect. 3. Conjungens locum illum Apoſtoli cum eo, qui eſt 1. Cor. 10., circa utrumque: *Reſpondeo* (inquit) *quidam dicunt, quod hoc eſt conſilium; ſed hoc non eſt verum; ſed dicendum eſt, quòd non eſt neceſſarium, quòd omnia in Deum referantur actu, ſed habitu. Qui enim facit contra gloriam Dei, & præcepta ejus, facit contra hoc præceptum. Venialiter autem peccans, non facit contra hoc præceptum ſimpliciter; quia licèt non actualiter, tamen habitualiter omnia refert in Deum*: Peccatum ſcilicet veniale, utì charitatis habitum non extinguit, ita neque abrumpit relationem, qua homo Deum ſuper omnia diligens, ſe ſuaque omnia præſentia, & futura Deo obtulit, quæ intentio ſufficit, ut omnes dein actus ex propria qualicumque bonitate morali, & honeſtate ad Deum referibiles, ipſi cenſeantur conſecratæ, donec generalis intentio noxâ quadam lethiferâ diſſolvatur.

Imò in Commentario ad 1. Cor. 10. expendens ſententiam ſuperiùs objectam: *Reſpondeo* (inquit) *relatio hæc in gloriam Dei intelligitur vel in actu, vel in aptitudine referendi, quæ non eſt ſolùm in bonis, ſed etiam in indifferentibus*; quæ nempe neceſſitati, ſeu indigentiæ naturæ deſerviant, quorum appetitus nec illicitus cenſeatur, nec otioſus.

Convincens denique prorſus eſt Angelici teſtimonium 1. 2. quæſt. 100. art. 10. ubi ad quæſtionem: *Utrum modus charitatis cadat ſub præcepto divinæ legis*, primò ſibi objicit hoc adverſantium argumentum: „ Ad „ modum charitatis propriè pertinet, ut „ omnia fiant propter Deum; ſed iſtud ca„ dit ſub præcepto: dicit enim Apoſtolus „ 1. Cor. 10. Omnia in gloriam Dei facite: „ Ergo modus charitatis cadit ſub præce„ pto. „ Ad quod ita reſpondet Sanctiſſimus Magiſter: „ Ad ſecundum dicendum, „ quòd ſub præcepto charitatis continetur, „ ut diligatur Deus ex toto corde, ad quod „ pertinet, ut omnia referantur in Deum: „ & ideo præceptum charitatis implere ho„ mo non poteſt, niſi etiam omnia referan„ tur in Deum. Sic ergo qui honorat pa„ rentes, tenetur ex charitate honorare, „ non ex vi hujus præcepti, quod eſt, Ho„ nora parentes; ſed ex vi hujus præcepti, „ Diliges Dominum Deum tuum ex toto „ corde tuo. Et cùm iſta ſint duo præcepta „ affirmativa non obligantia ad ſemper, poſ„ ſunt pro diverſis temporibus obligare: & „ ita poteſt contingere, quòd aliquis im„ plens præceptum de honoratione paren„ tum, non tunc tranſgrediatur præceptum „ de modo charitatis.

2 Actiones indifferentes ſtatuit S. Bonaventura in 2. diſtinct. 41. art. 1. quæſt. 3. „ Quando quis facit operationem, ita „ quòd circa creaturam non afficiatur in„ ordinatè, nec tamen illam operationem „ refert ad Deum, ſed facit propter ali„ quem finem, qui reſpicit indigentiam „ naturæ (ut cùm aliquis ambulat, ut re„ creetur, vel comedit, ut reficiatur) ta„ lis actio indifferens judicatur; quia in „ tali actione non eſt malitia commiſſionis; „ quia non eſt inordinata dilectio; nec „ etiam omiſſionis; non enim ſemper omit„ tit homo, quando actiones ſuas non re„ fert in Deum; indulget enim naturæ fra„ gili, & infirmæ, ut multa poſſit talia fa„ cere: nec Deus requirit ab homine in „ ſtatu diſtractionis, & miſeriæ, quòd om„ nia quæ facit, referat ad ſe. „

Hanc Seraphici ſententiam citat quoque, & laudans ſequitur S. Saleſius lib. 12. de amore Dei cap. 8. ubi locum Apoſtoli ad Coloſſenſes ab adverſariis allegatum ipſis eripit, & juxta Angelici ſimul explicationem ſenſui reſtituit legitimo. „ Omne (in„ quit) quodcunque facitis in verbo, aut „ in opere, &c. quæ verba Apoſtoli, ut di„ cit Doctor Angelicus, ea explicans, ſunt „ in ſufficienti uſu, quando nos poſſidemus „ habitum ſanctiſſimæ charitatis, per quem „ licèt non habemus expreſſam, & activam „ intentionem faciendi quidquid facimus, „ propter Deum, habemus tamen implicitè „ contentam in unione, & communione „ cum Deo, per quam omne bonum, quod „ facere poſſumus unà nobiſcum dedica„ tum eſt divinæ bonitati. „ Ibidem, „ Non „ eſt

„ est opus, ut filius in ædibus paternis sub
„ potestate Patris commorans, declaret,
„ quidquid acquirit, acquirere se Patri:
„ nam,cùm filius sit sui Patris,ab eo depen-
„ det, & quod ei provenit, ad Patrem spe-
„ ctat. Sic & satis est, nos esse filios per di-
„ lectionem (habitualem, de qua supra) ut
„ quidquid agimus, integrè destinatum sit
„ ejus gloriæ.

Salesius itaque & juxta eum S. Thomas sic Apostolum intelligunt, ut non requiratur perpetua relatio operum in Deum. Eadem est sententia S. Bonaventuræ, ut jam vidimus. Clarissima quoque est consensio Doctoris Subtilis in 2. distinct. 14. quæst. 2. quæst. 1. num. 4. *Non tenetur homo, nec tentione necessitatis, contra quam sit peccatum veniale, referre semper actum suum actualiter, vel virtualiter; quia Deus non obligavit nos ad hoc*. Idem docet Durandus in 2. distinct. 38. quæst. 4. num. 8.

3 Atque hi sunt celeberrimi scholarum Principes infinitam trahentes illustrium Sectatorum seriem, ut palàm exploratum est, & singulos recensère supervacaneum.

Unum ex schola S. Anselmi prætermittere non possum testem, ut sæpe vel ab adversariis laudatum, ita omni exceptione majorem, Eminentissimum Aguirre in Theologia S. Anselmi disp. 130. sect. 4. „ Cùm
„ igitur aliquis vult aliquod bonum ho-
„ nestum, misericordiæ v. g., aut justitiæ,
„ illud propter se amans, ipso affectu suo
„ vult finem ultimum simpliciter, sive
„ Deum, ad quem honestas ipsa ejus finis
„ intermedii implicitè ordinatur: nec ul-
„ teriùs indiget ex præcepto referre appe-
„ titionem illam, vel operationem in
„ Deum explicitè tanquam in finem ulti-
„ mum. Unde Montesinos vir sanè piissi-
„ mus, & sapientissimus, nec minùs fidelis
„ interpres Sancti Thomæ art. 4. quæst. 1.
„ pag. 34. col. 2. *Est doctrina communis Theo-*
„ *logorum, quam etiam recipiunt recentiores*
„ *alibi, quòd actus virtutis cujusque moralis*
„ *tendat in proprium objectum ratione pro-*
„ *priæ honestatis. Nihilominus implicitè, &*
„ *naturâ suâ absque aliquo alio tendit in*
„ *Deum; neque opus est, ut expressè ordine-*
„ *tur in ipsum*. Ergo contra mentem S. Tho-
„ mæ, & omnium Theologorum negant ad-
„ versarii, honestatem moralem virtutum
„ posse amari propter se veluti finem non
„ ultimum, seu implicitè, & ex natura sua
„ ordinatum ad ultimum finem simpliciter;
„ & immeritò affirmant, opus esse ex præ-
„ cepto, ut præterea explicitè in Deum or-
„ dinetur. Quippe S. Thomas, & cum eo
„ cæteri potiùs hoc negant, & illud affir-
„ mant. „ Hactenus doctissimus Cardinalis.

Huic alterum jungo Eminentissimum Bellarminum, qui lib. 5. de gratia, & libero arbitrio cap. 10. „ *Undecimum*, inquit, *ar-*
„ *gumentum sumunt* (Kemnitius, & Calvi-
„ nus) ex illo 1. Cor. 10., & Coloss. 3.
„ *Sive manducatis, sive bibitis, sive quid*
„ *aliud facitis, omnia in gloriam Dei facite.*
„ Respondeo: sonant hæc verba piam ad-
„ monitionem, non præceptum propriè di-
„ ctum, nisi intelligamus hoc tantùm impe-
„ rari, ut omnia fiant in gloriam Dei ex-
„ plicitè, vel implicitè. Nam saltèm im-
„ plicitè omnia refert in gloriam Dei, qui
„ operatur propter bonum aliquem finem.
„ Semper enim ex bonis operibus, etiamsi
„ is, qui ea facit, fortè de Deo non cogitet,
„ sequitur, ut qui ea vident, glorificent, aut
„ certè glorificare possint Patrem nostrum,
„ qui in cœlis est.

Ea eruditissimi Cardinalis interpretatio desumpta quoad sensum videtur ex Commentario S. Thomæ 1. Cor. 10. lectione 7.
„ Omnia in gloriam Dei facite, & cum in-
„ vocatione Creatoris, ea intentione, ut
„ Deus laudetur, & glorificetur. Matt. 5.
„ Sic luceat lux vestra coram hominibus &c.
„ Coloss. 3. Omne quodcumque facitis in
„ verbo, aut opere, omnia in gloriam Dei
„ facite. Augustinus in Psalmum 34. con-
„ cione 2. in fine. Hæc si rectè fiunt, Dei
„ laudes sunt. Non ergo solùm vox tua so-
„ net laudes Dei; sed etiam opera tua con-
„ cordent cum voce tua. Cùm enim Deus
„ laudatur de bono opere, Deum laudas, &
„ cùm blasphematur Deus de malo opere
„ tuo, Deum blasphemas. „ Postea sibi Angelicus objicit: „ Contra: ergo nullus
„ actus est indifferens. Respondeo (inquit)
„ Relatio in gloriam Dei intelligitur vel in
„ actu, vel in aptitudine referendi, quæ
„ non est solùm in bonis, sed etiam in in-
„ differentibus.

Eundem Angelici locum proferens Cardinalis Aguirre disp. 130. sect. 13. „ In
„ quibus verbis, inquit, palàm admittit,
„ aut tradit sententiam concedentem actus
„ indifferentes in individuo, ut ajunt, &
„ juxta illam respondet, fieri satis illi præ-
„ cepto referendi omnia in gloriam Dei,
„ sive illud non violari per actionem indif-
„ ferentem; quoniam hæc apta est referri
„ in Deum, licèt actu non referatur. Præce-
„ ptum autem illud non obligat ad refe-
„ rendum in actu; sed disjunctivè in actu,
„ vel in aptitudine. Quâ doctrinâ statutâ,
„ patet

„ patet corruere opinionem adverfario-
„ rum, cui nihil tam apertè repugnans eft, quàm opinio afferens actiones indifferentes in individuo. Nos verò adhuc preffiùs loquimur, quàm D. Thomas eo loco, cùm fciamus, & notum omnibus fit, S. Doctorem in Summa Theologiæ ejufmodi actus iudifferentes in individuo negaffe. Cæterum adhuc negatis iis, vera & inconcuffa eft doctrina hactenus tradita; cùm omnis actio elicita propter honeftatem virtutum moralium in materia ipfarum, & nullo alio fine vitiata, fit planè honefta, & moraliter bona, tam in fpecie fuâ, quàm in individuo: fitque proinde in gloriam Dei, & cum invocatione Creatoris, implicitè faltèm, aut interpretativè, prout fupra fæpe explanatum fuit. „

4 Exultare adverfarii folent Commentario S. Thomæ in locum Apoftoli ad Coloff. *Omnia quæcunque facitis &c.* ubi Angelicus definit id effe præcepti, dicens: *Refpondeo: Quidam dicunt: hoc eft confilium; fed hoc non eft verum.* Hic fiftunt adverfarii: hic geftiunt lætitiâ, aut magis eam fimulant; nam quod ibi ftatim fequitur, & ipfi premunt filentio, ignorare eos non finit, Angelicum communi fenfui patrocinari. Sic enim ibi fe explicat: *Sed dicendum eft, quòd non eft neceffarium, quòd omnia in Deum referantur actu, fed habitu: qui enim facit contra gloriam Dei, & præcepta ejus, facit contra hoc præceptum*; ut præcipuè infideles, qui opera fua faciunt in honorem falforum Numinum.

Mirabile aliquibus apparet, quod mox illic fubditur. *Venialiter autem peccans non facit contra hoc præceptum fimpliciter; quia, licèt non actualiter, tamen habitualiter refert omnia in Deum*: fubintellige omnia in Deum referibilia, inter quod non eft veniale delictum: conftat enim nè minimum quidem malitiæ poffe ad Deum Optimum, & Sanctiffimum pertinere; aliàs non foret, quo nihil melius effe valeat, vel rationabili cogitatione defignari.

Senfus itaque Angelici eft, relationem habitualem omnium referibilium, ut funt bona omnia, vel indifferentia, non deftrui delicto veniali; ideoque illud non effe illi præcepto contrarium fimpliciter, fed tantùm fecundùm quid; nempe fecundùm levem illam malitiam, quæ in Deum referri nequit; non impedit tamen, nè cætera omnia referantur: unde non neceffe eft, *quòd quicunque peccat venialiter, peccet mortaliter,* quafi deftruens fimpliciter præceptum, ut fibi Angelicus objecerat, & jam folvit.

CAPUT III.

Solvuntur objectiones petitæ ex S. Auguftino.

1 Libro 4. contra Julianum cap. 3. *Per hunc amorem Creatoris* (inquit Auguftinus) *bene quifque utitur creaturis: finè hoc amore Creatoris nullus quifquam bene utitur creaturis*; videlicet ficut oportet ad beatitudinem, quæ fola verum, & falutiferum bonum eft; nam reliqua eò non conducentia, caduca bona funt, inania, & bonorum vix digna nomine. Sic Auguftinus lib. 4. contra Julianum cap. 3. *Scito, nos illud bonum hominum dicere, illam voluntatem bonam, illud opus bonum, per quod folum homo poteft ad æternum Dei donum, regnumque perduci.*

Alio tamen, & inferiore fenfu opera quædam appellantur bona, quòd non folùm finè peccato fint; fed etiam rectæ rationi conformia, digna laude, & præmio temporali, ut Auguftinus docet locis plurimis lib. 5. de Civit. Dei cap. 12. Epift. 5. ad Marcellinum, & lib. de Spiritu, & lit. cap. 26. *Ipfi homines erant, & vis illa naturæ inerat illis, qua legitimum aliquid anima rationalis & fentit, & facit.* Verùm addit: *Ad falutem æternam nihil profunt impio aliqua bona opera, finè quibus difficillimè vita cujuslibet peffimi hominis invenitur.*

Præcefferat: *In numero etiam hominum impiorum, nec Deum verum veraciter, juftèque colentium quædam facta legimus, vel novimus, vel audivimus, quæ fecundùm juftitiæ regulam non folùm non vituperare poffumus, fed etiam meritò, juftèque laudamus; quanquam, fi difcutiatur quo fine fiunt, vix inveniuntur, quæ juftitiæ debitam laudem, defenfionemque mereantur.*

In quem locum Bellarminus lib. 5. de gratia, & lib. arbitrio cap. 9. „ Notandum
„ eft (inquit) illud *vix*; verè enim magna pars operum infidelium ob finem pravum, ad quem referuntur, peccata fimpliciter funt. Quædam tamen, tametfi pauca, inveniuntur, quæ nullo malo fine vitiantur, & ea non peccata; fed *opera bona* fimpliciter dici debent. Itaque idem Auguftinus continuò ita fubjungit: *Verumtamen quia non ufque adeò in anima humanâ imago Dei terrenorum affectuum labe detrita eft, ut nulla in ea velut lineamenta extrema remanferint; unde meritò dici poffint, etiam in ipfa impietate vitæ fuæ facere aliqua legis, vel fapere* &c. Quorum verbo-

„ rum hic esse videtur sensus: si quæramus „ opera bona infidelium, quæ propter malum finem facta non sint, ac per hoc simpliciter *bona sint*, vix invenire poterimus; tamen ejusmodi aliqua esse, indè colligi potest, quòd imago Dei in anima humana per peccatum non omnino sublata est. „ Attamen virtutes illæ, ut patet, non erant ex fide, atque adeò non ex charitate.

Non igitur omnis sensuum usus cupiditas est, aut peccatum, qui ex charitate non duxerit originem. Cùm in controversiis fidei contra hæreticos, potissimùm Lutherum, Calvinum, & talibus parentibus dignam progeniem, non exigui ponderis apud omnes Catholicos sit authoritas eruditissimi hujus Cardinalis, juverit audire rationes ejusdem cæteras.

„ Si (inquit) opera facta sinè fide, & „ auxilio speciali (atque adeò sinè charitate) semper essent peccata, id accideret, „ vel quia illis deest circumstantia finis, „ cùm propter Deum non fiant, ut dicit „ Gregorius Ariminensis; vel quia fiunt ab „ homine peccatore ..... vel quia bona „ opera moralia non habent proportionem „ cum naturæ nostræ viribus; vel denique „ quia nimis difficilia sunt ob carnis rebellionem, Dæmonisque tyrannidem; at nihil horum dici potest; nam quod attinet „ ad circumstantiam finis, possunt ethnici „ etiam sinè fide, & charitate cognoscere „ Deum esse, & curam nostri gerere, ut supra probatum est. Proinde poterunt operari bona moralia, ut Deo Authori naturæ obediant: quomodo Marcus Tullius „ in somnio Scipionis monet, administrandam esse Rempublicam diligenter, quia „ Summo Deo nihil est gratius, quàm ut „ Concilia, cœtusque hominum bene gubernentur. Deinde non est necesse, omnia referre in Deum explicitè; sed satis „ est, si opus referatur in bonum finem proximum; tunc enim per se dirigetur in „ Deum, ut in ultimum finem. Sicut enim „ omne agens particulare agit in virtute „ primi Motoris, id est, Dei, sic etiam omnis bonus finis movet in virtute ultimi „ finis: alioquin non solùm infideles, sed „ etiam fideles, & justissimi quique semper „ peccarent, cùm inter operandum de Deo „ non cogitant; sed operantur, quia ratio „ dictat esse bonum, & faciendum. Itaque, „ nisi apponatur circumstantia finis mali, „ omne opus bonum morale per se refertur „ in Deum; etiamsi author operis id non „ cogitet, vel intendat. „

Denique cap. 9. sic Eminentissimus concludit. „ Secunda ratio ducitur ab absurdis; nam si nullum opus bonum fieri posset ab infidelibus (utpote fide, & charitate carentibus) sequeretur, melius illis „ esse, remoto præcepto, bona opera ex objecto non facere, quàm facere; nam faciendo peccarent, non faciendo non peccarent. Itaque monendi essent infideles, „ nè facerent eleemosynas, nè pacificarent „ discordes, nè imperitos docerent, nisi „ quando ex præcepto aliquo tenerentur. „ Hæc autem sinè dubio absurdissima sunt. „ Nec tamen quidquam eorum evitare unquam poterunt adversarii.

2 Redeamus ad Augustinum. Ipso loco, qui objicitur, distinctionem istam bonorum operum satis indicant, quæ immediatè præeunt, & sequuntur, sed in Hexaplis reticentur subdolè; quapropter textum integrum reddo. „ Amor autem Dei, quo pervenitur ad Deum, non est nisi à Deo Patre per Jesum Christum cum Spiritu Sancto; per hunc amorem Creatoris bene „ quisque utitur creaturis: sinè hoc amore „ Creatoris nullus quisquam bene utitur „ creaturis: hoc ergo amore opus est, ut „ bonum beatificum sit, & pudicitia *conjugalis*, ut sit ejus intentio, quando utitur „ conjugis carne, non in voluptate libidinis, sed in voluntate propaginis; si autem „ vicerit, & propter se ipsum, non propter „ filios propagandos fieri aliquid extorserit, & voluptas veniale peccatum fit propter nuptias christianas &c.

Hinc patet, non duos tantummodo, sed tres ab Augustino amores, seu fines operandi statui: quorum primus potissimùm bonus est, qui ex Christi gratia amor Creatoris est, & quo pervenitur ad Deum. Hoc amore *opus est, ut bonum beatificum sit*. Secundus amor innoxius est *in pudicitia conjugali, ut sit ejus intentio, quando utitur conjugis carne, non in voluptate libidinis, sed in voluntate propaginis*. Tertius amor veniali culpa elicitus, quando quis utitur conjuge ex *voluptate*. Secundum autem amorem à libidine, & Deo præscindentem nusquam Augustinus arguit peccati.

Id Eminentissimus Lauræa ab ipso aliàs laudatus Quesnello confirmat opusculo tertio de gratiis actualibus cap. 20. de operibus infidelium. „ His ergo (inquit) duobus modis dicit Augustinus, virtutes infidelium „ non esse veras virtutes, sed potiùs vitia, „ quando non referuntur ad verum Deum; „ sed ad falsum infidelium Numen: vel „ quando propter vanam gloriam exercen- „ tur.

„ tur. Si autem hæc duo absint, & ex ipsius „ virtutis, ac rectæ rationis naturalis dictamine exerceantur, non video, quomodo „ Augustinus eas damnaret. Non enim credo, quòd damnaret sui procreationem, „ & educationem à Patre infideli, neque conjugium ejus cum Matre sua, si non ob „ libidinem, sed propter prolem factum fuerit; neque damnaret, quòd infidelis „ honoraret parentes, sicut ipsemet Manichæus faciebat, neque si fur restitueret „ furata Domino, & cætera similia. „ Ibidem: „ Existimo non posse aliter explicari neque hic, neque alibi S. Augustinum; alioquin ipse peccasset, cùm usque „ ad annum ætatis 29. honoravit Parentes, „ laudavit Deum quoquo modo in Manichæismo apprehensus, si legem naturæ „ servavit, secundùm rectam rationem operans. „ Qualiscunque nempe laus Dei in Manichæismo fuit, quamdiu in hæreseos luto Augustinus hæsit, non fuit amor supernaturalis, *quo bonum beatificum fit*, qualis ab adversariis requiritur, & fidem necessariò supponit.

Hinc etiam sponte fluit intelligentia ejus, quòd Augustinus lib. 2. ad Simplicianum num. 10. ait: *Donis Dei .... non bene utitur nisi charitas*; quamvis ad bonum virtutis moralis, sed nihil ad beatitudinem conducentis, utantur homines sinè charitate; sive actum charitatis intellexeris, sive habitum, ut tot superiùs Augustini sententiis demonstratum est, in quibus omnibus tam actus ille, quàm habitus excluditur; utpote in *infidelibus*, & *impiis*, quòd etiam ista qualiacunque bona opera infideles, & impii sinè charitate faciant, quòd *dona Dei* sint, testatur ipse Sanctus lib. 4. contra Julianum cap. 3. *Ex quo colligitur, etiam ipsa bona opera, quæ faciunt infideles, non ipsorum esse, sed illius, qui bene utitur malis*.

Quod hic à delicto in infidelibus absolvitur, non damnabunt adversarii in Christianis; unde falsitatis convincitur proscriptus articulus illimitatè definiens, quòd *cupiditas, aut charitas usum sensuum bonum, vel malum faciunt*, quasi omnis usus sensuum malus sit, & cupiditas, vel cupiditatis soboles, si non ex charitate ortum duxerit.

3 Num fortè adversarii *bona opera*, quæ etiam in infidelibus, & charitatis omnis expertibus, agnoscit Augustinus, & prædicat *Dei dona*, cupiditatis arguent, ac peccati? Istud quidem non solùm piæ fidelium, sed & gentilium aures non sustinent, quod veluti manifestam horrent impietatem, ac blasphemiam. Sic Plato in Republica dialogo 2. *Bonorum quidem solus Deus causa est dicendus; malorum autem quamlibet aliam causam quærere decet*. Et postea: *Malorum alicui causam esse Deum, cùm bonus sit, refellendum est omnino: nec permittendum hoc quemquam dicere in sua Civitate. Si bonis instrui legibus Civitas debet, nec quemquam permittendum audire, sive sit ille junior, sive senior, sive carminibus hæc inserantur, sive solutâ oratione narrentur, tanquam quæ nec dicta sancta sint, neque aliis utilia, neque inter se consona*. Trismegistus in Pimandro cap. ultimo: *A Deo factore nihil turpe, nihil mali prodiit*.

Sed nihil opus Philosophorum, & infidelium authoritate, dum habemus Divina Scripturarum oracula cum omnibus Sanctis Patribus Latinis pariter, ac Græcis, Psalmo 5. *Non Deus volens iniquitatem tu es*. Deuteronomii 32. *Deus fidelis, & absque ulla iniquitate*, Habacuc 1. *Mundi sunt oculi tui, nè videant malum, & respicere ad iniquitatem non poteris*: Ideoque nec malum usum sensuum impertiri. Nè tentationem quidem ad Malum Deo tribui patitur Jacobus Apostolus: *Deus enim intentator malorum est; ipse autem neminem tentat*.

Augustinus libro de natura, & gratia contra Pelagium cap. 34. *Peccata non Divino operi; sed humanæ voluntati, illiusque justa vindictæ tribuimus*.

Lib. de vera, & falsa pœnitentia cap. 16. *Peccatum nullum ordinavit, qui nullum relinquit impunitum; ordinavit autem pœnam amantibus culpam*.

Libro imperfecto de Genesi ad literam cap. 5. *Peccatorum nostrorum Deus author non est*. Ex eo igitur quòd Augustinus Polemonis in gentilismo continentiam agnoverit esse donum Dei, *Romanos* veteres *justitia, & strenuis actibus à Deo promeruisse imperium*, atque in aliis *impiis* confessus sit *aliqua bona opera*, etiam *quæ justitiæ debitam laudem, defensionemque mereantur*, perspicuum fit, & invictissimæ veritatis argumentum, non solam esse charitatem, quæ *donis Dei*, & humanis *sensibus* innocuè utatur, ac bene; quamvis non cum ea perfectione, quæ hominem æternæ possit transcribere felicitati. Quid enim? Num adversarii infidelibus in tenebris, & impietate permanentibus attribuent proprii nominis charitatem? Nondum ullos hæreticos eò dementiæ prolapsos audivimus. De charitate, inquam, appellationis propriæ differitur, quæ vel actus sit, vel habitus virtutis theologicæ, & inter virtutes theologicas principis, ut intelligunt pariter adversarii.

4 Sic qui à biennio novas Quesnello suppetias tulit, *Propositionum damnatarum cum quibusdam Scripturæ, ac Patrum testimoniis collationem*, hanc addit observationem.
„ In hac Propositione 46., aliisque, quibus
„ occurrit vox *charitas*, per charitatem in-
„ telligit author idem quod Augustinus,
„ scilicet *motum animi ad fruendum Deo pro-*
„ *pter ipsum, & se, ac proximo propter Deum*:
„ quod semel monuisse sufficiat. Porrò frui
„ est amore alicui rei inhærêre propter se
„ ipsum, ut idem Augustinus ait lib. 1. de
„ Doctrina Christiana cap. 4. „ Nos verò Quesnellum cum suis charitatis nomen usurpare strictiùs, quàm in talibus circumstantiis acceperit Augustinus, mox videbimus.

Idem *Collator* postquam ex lib. 3. de Doctrina Christiana cap. 10. retulit pag. 78. *Non præcipit Scriptura nisi charitatem, nec culpat nisi cupiditatem*, eandem repetit charitatis definitionem: tum in Augustino prosequens, *cupiditatem* ex eodem definit *motum animi ad fruendum se, & quolibet corpore non propter Deum*. In hoc porrò sita est tum hujus novatoris, tum Quesnelli, & omnium ipsis adhærentium hallucinatio, quod non intelligant, vel intelligere se dissimulent, quod est in Augustino exploratissimum, sæpe cum charitatis uti vocabulo in significatione amplissima, quæ omnem complectitur volitionem bonam, in quacunque specie virtutis.

Sic lib. 8. de Trinitate cap. 10. *Quid est autem dilectio, vel charitas, quam tantopere Scriptura Divina laudat, & prædicat, nisi amor boni?*

Lib. 1. de gratia Christi cap. 21. „ Cùm
„ ergo dicat Scriptura, Charitas ex Deo est;
„ vel quod est amplius, Deus charitas est;
„ cùm apertissimè clamet Joannes Apostolus, Ecce qualem charitatem dedit nobis
„ Pater, ut filii Dei vocemur, & simus: iste
„ (Pelagius) audiens, Deus charitas est,
„ quare adhuc usque contendit, quòd ex
„ illis tribus tantummodo possibilitatem
„ habeamus ex Deo, bonam verò voluntatem, bonamque actionem habeamus ex
„ nobis; quasi verò aliud sit bona voluntas,
„ quàm charitas, quam Scriptura nobis esse
„ clamat ex Deo, & à Patre datam, ut filii
„ ejus essemus. „ Ubi videre possunt adversarii in textu unico, tres vocis *charitas* usurpationes non parum ab invicem discrepantes: primam pro charitate, quæ ex Deo est: alteram pro charitate, quæ est Deus ipse: dein iterum redditur ad charitatem creatam, quam dedit nobis Pater, qua filii Dei vocemur, & simus, qui habitus nobis in justificatione infusus est: tertiam pro actu, seu volitione qualibet bona, quæ ex gratia est, & ad justificationem disponit.

Nè verò contendere adversarii pertinaciùs pergant, nullam voluntatem, seu volitionem bonam ab Augustino vocari, nisi charitatem, quæ virtus theologica est, vel ab ea elicitus, seu imperatus actus; audiant Sanctum Doctorem eodem lib. cap. 24. ubi exemplum voluntatis bonæ, quæ ex Deo est, nec tamen charitas theologica, profert luculentissimum. Esthere scilicet in Regis prodeunte conspectum, non vocatâ, ille, ut ait Scriptura, *ardentibus oculis furorem pectoris indicabat*; sed cùm Esthetem præ timore spiritus deficeret, Augustinus ex Scriptura de Assueto ait, *Convertit Deus, & transtulit indignationem ejus in lenitatem.* Et mox subdit: *Legant ergo, & intelligant*, (Pelagius, & Cœlestius) *intueantur, atque fateantur, non lege, atque doctrina insonante forinsecus, sed internâ, & occultâ, mirabili, ac ineffabili potestate operari Deum, non solùm veras revelationes, sed bonas etiam voluntates*. Legant hic ergo etiam Quesnelliani, & intelligant, intueantur, & fateantur, *Deum internâ, & occultâ, mirabili, & ineffabili potestate operari voluntates bonas*, distinctas non solùm à charitate propriè dicta, sed etiam fide, & spe theologicâ vacuas; utpote in Rege infideli. Idem patet in exemplo toties adducto de Polemone gentili, in quo continentia *donum Dei* fuit, & ab ipso prædicatur Augustino.

5 Evidens igitur est, Sanctissimum Doctorem *charitatis* nomine non semper tradere dilectionem Dei, sed subinde quemlibet virtutis, etiam moralis, actum, Deo inspirante elicitum; quæ liquida significatio est illius, *quasi verò aliud sit bona voluntas, quàm charitas*. Neque doctrinæ officit catholicæ, quòd dicatur *Charitas à Patre data, ut filii ejus essemus*; Non enim propterea omnis charitas phrasi Augustiniana est per se justificans, sed datur ut filii simus, quo indicatur finis omnis gratiæ, & operis à Deo inspirati, ut ad justitiam perducamur, atque beatitudinem, nisi malitia nostra Divinam infregerit bonitatem. Voluntates enim bonas, & charitatem, quæ unum idemque ab Augustino locis pluribus prædicantur, reperiri in infidelibus fide, & charitate theologica carentibus, sæpius ostensum est.

Solùm profectò hic Assueti exemplum, etsi cætera deessent, quæ sæpe attuli invictissima, Adversarios in Augustini voluminibus tantopere versatos de falsitate, & mala fide convinceret. Dum *voluntas bona*,

& Au-

& Augustino interprete, charitas à Deo legitur inspirata Regi impio & manenti infideli, minùs mirum videbitur, æterni supplicii formidinem ab eodem sancto charitatis nomine appellari. Sic lib. de virginitate cap. 38. *Est enim* (inquit) *timor ignis aeterni, propter quem devitandum Deo servire, nondum est utique perfectæ charitatis*; sed imperfectæ solummodo, quæ tamen voluntas bona est, etsi ad perfectionis apicem non pertingat. Magis mirabilis apparebit quæ ab Augustino statim subjungitur ratio; ,, aliud est enim desiderium præmii, ,, aliud formido supplicii: aliæ voces sunt, ,, Quò ibo à spiritu tuo, & quò à facie tua ,, fugiam: & aliæ voces sunt, Unam petii ,, à Domino, hanc requiram; ut inhabitem ,, in domo tua: ,, ubi præmii desiderium, perfectæ charitatis encomio celebratur. Non igitur ubicunque Augustinus charitatis utitur vocabulo, virtutem inter Theologicas principem indicat; sed aliquando cujuslibet actum virtutis divinitùs inspiratum.

6 Aliud charitatis non Theologicæ; sed humanæ, licitæ tamen, & laudabilis exemplum Eminentissimus Lauræa Opusculo 3. de gratiis actualibus cap. 20. tribuit Augustino sermone 52. de tempore; ,, Charitas alia est divina, alia humana; humana alia est licita, alia illicita..... humana charitas non solùm ita licita est ut concedatur; sed ita licita est, ut, si defuerit, reprehendatur. Liceat vobis humana charitate diligere conjuges; filios, amicos; sed videtis, istam charitatem posse esse & impiorum, idest, paganorum, judæorum, hæreticorum.

Istud certissimum est, quòd Augustinus libro de perfectione justitiæ responsione penultima Cœlestio concedat opus, & volitionem innocuam, sinè gratiâ, atque ita sinè propriè dicta charitate. Objecerat Cœlestius illud 1. Corinth. cap. 7.: *Quod vult faciat, non peccat, si nubat*: respondet Augustinus: *Videte obsecro, quale sit, volenti & currenti misericordiam Dei non necessariam dicere, quia de quodam ait Apostolus, quod vult faciat, non peccat, si nubat; quasi pro magno habendum sit velle nubere, ubi de adjutorio Divinæ misericordiæ operosius disputatur*. Quem locum considerans Bellarminus lib. 5. de gratia & lib. arb. cap. 9. sic concludit: *Itaque concedit Augustinus, in hujusmodi operibus humanis, quæ ad salutem non pertinent, auxilium gratiæ non semper requiri* (adeòque nec charitatem Theologicam) *& tamen hæc opera bona sunt, cùm peccata non sint, Apostolo teste: non peccat si nubat*.

7 Instant nihilominus adversarii ex libro 9. Augustini de Trinitate cap. 7. ,, Nemo..... volens aliquid facit, quod non in corde suo priùs dixerit; quod verbum amore concipitur sive creaturæ, sive creatoris, id est, aut naturæ murabilis, aut incommutabilis veritatis; Ergo aut cupiditate, aut charitate. Non quòd non sit amanda creatura; sed si ad creatorem referrur ille amor, non jam cupiditas, sed charitas erit; tunc enim est cupiditas; cùm propter se amatur creatura; tunc non utentem adjuvar; sed corrumpit fruentem. Cùm ergo aut par nobis aut inferior creatura sit, inferiore utendum est ad Deum; pari autem fruendum, sed in Deo. Sicut enim te ipso non in te ipso frui debes, sed in eo, qui fecit te, sic etiam illo, quem diligis tamquam te ipsum. Et nobis ergo, & fratribus in Domino fruamur, & indè nos nec ad nos met ipsos remittere, & quasi relaxare deorsum versùs audeamus. ,,

Ut omne Augustino, & cæteris passim SS. Patribus studium fuit, homines ad Dei cultum, salutemque perducere, de iis unicè passim sermo erat actionibus, quæ ad finem eum diriguntur, vel ab eo avertunt; de virtutibus proinde salutiferis, ac peccatis. Istud satis indicat Augustinus lib. 4. contra Julianum cap. 3. supra citato ,, Scito, nos illud bonum hominum dicere, illam voluntatem bonam, illud opus bonum, per quod solùm homo potest ad æternum Dei donum, regnumque perduci. ,,

Deinde præ oculis hic semper habenda est diversissima apud Augustinum vocis *charitas* acceptio, ad superius argumentum indicata, præcipuè ea, quam S. Doctor adhibet lib. 8. de Trinitate cap. 10. *Quid est dilectio, & charitas.... nisi amor boni*? & lib. de gratia Christi cap. 21. *Quasi verò aliud sit bona voluntas, quàm charitas*? Hanc autem *bonam voluntatem*, atque adeò charitatem ibi mox probat ex scriptura in exemplo Assueri, quem ab omni virtute Theologica remotissimum fuisse, nullus inficiabitur, utpote gentilem, de cujus ad fidem conversione nullum in sacris profanisqu[e] [his]toriis vestigium est. Adde, quòd objecta hic ex Augustino sententia duo solummodo adstruat fruitionis genera, quorum alterum necesse sit in Deo sistere, alterum in creatura: prior charitas est, posterior cupiditas. Verùm non omnis amor est fruitio. Dantur, & amores ordinis inferioris, qui vel implicitè, vel explicitè ad finem ultimum referuntur, ut expo-

posui superiùs ex Doctore potissimùm Angelico, & altero divini amoris flagrantissimo præcone Francisco Salesio.

Præterea cæteros pios & eruditos scriptores, quales imprimis sunt Eminentissimi Cardinales Bellarminus, Aguirre, & ante utrumque Cajetanus, qui in commentario ad 1. 2. quæst.100. art.10. *Quilibet*, inquit, *habens charitatem, ex hoc ipso, quòd est in charitate, diligit procul dubio Deum ex toto corde, habens ipsum pro ultimo fine, ac per hoc sui ipsius, & consequenter suorum omnium finem; alioquin in charitate non esset. Idcirco non oportet, pias mentes scrupulo agitari, quomodo præceptum impleant, ut omnia in gloriam Dei faciant*. Doctores Seraphicum, & Subtilem, cum his Eminentissimum Lauræam, nequidem implicitam illam, uti nec habitualem relationem requirere, ex iis, quæ contra prop.44. cap.7. dedi, indubitatum est; & de hoc totius scholæ Seraphicæ sententia theologis omnibus satis explorata.

Nihilominus pergunt adversarii jactare illud Augustini: „Nemo... volens aliquid „ facit, quod non in corde priùs dixerit, „ quod verbum amore concipitur sive crea„ turæ, sive Creatoris.... ergo aut cupi„ ditate, aut charitate „. Ego verò inculcatam sæpius repeto responsionem, quam nulla adversariorum cavillatio umquam subruet, & omnis ratione utens agnoscere debet legitimam; quòd scilicet Augustinus inter Christianos loquens, & ad eos dicta sua dirigens, intelligi voluerit accommodè de actionibus Christianis, vel à Christo hominem avertentibus; de iis, quæ ad beatitudinem vel justitiam conducunt, vel ab ea impediunt. De alterutrius generis actionibus omnis Patrum cura fuit, & Augustini, præcipuè contra Pelagianos dissertatio.

Cùm enim hi vellent, actiones omnes officio bonas, quacumque fierent intentione, simpliciter bonas esse & meritorias, contra hos S. Doctor semper invictè sustinet, attendendum non solùm in actibus officium, sive objectum directum, sed maximè intentum in eo finem, qui communissimè vel pravus est vanæ gloriæ, avaritiæ, sensualitatis, aut similis vitii, quæ omnia cupiditatis nomine comprehenduntur; vel intenditur Dei gloria, sive explicitè, sive implicitè ob relationem, qua justus aliquando se, suaque omnia Deo consecravit, satisfaciens præcepto de amando Deo ex tota mente, ex tota anima, & omnibus viribus. Hoc apud Augustinum est *in corde suo prius dixisse*, seu finem sibi præstituisse: sic *verbum amore concipitur creatoris*; aliàs communiter concipitur amore creaturæ, adeò ut res alioqui bona appetatur fine noxio, unde actus maculam contrahat cupiditatis; istud itaque *semper* debere in Augustino sic accommodè accipi, fatebitur omnis in ejus voluminibus saltèm mediocriter versatus, & qui Doctoris maximi authoritatem noluerit perpetuâ sententiarum inter se pugnâ, & veluti collisione destruere, nè dicam opponere Ecclesiæ atque catholicæ veritati.

8 Quoties enim citavimus Augustini librum de spiritu & litera cap.26., lib.1. de gratia Christi cap.24. lib.5. de civitate cap. 12. Epistola 5. ad Marcellinum, epist.130. &c. de actionibus impiorum & infidelium, quarum aliquæ agnoscuntur ab eodem sancto non solùm innocuæ; sed etiam bonæ, à Deo datæ, & apud eum dignæ præmio temporali; etsi ab omni procul fuerint charitate Theologica sejunctæ? Hæc enim, etiam initialis & imperfecta, fidem semper necessariò supponit, quâ eos constat caruisse. Evidens igitur est, non omnem actum, qui propriè dicta charitas non est, penès Hipponensem Antistitem cupiditatis infamiâ laborare. Intelligi itaque hic voluit de charitate, quæ amor Dei explicitus est, vel implicitus, seu amor boni, honestique, naturâ suâ ad Conditoris gloriam ordinati, ut locis à me sæpius allegatis ipse Augustinus indicat, & cum scholasticis communissimè, nominatim S. Thomæ discipulis Doctissimi Cardinales Bellarminus, Lauræa, & Aguirrius interpretantur. Sic Augustinus secum ipse componitur, & quod majoris ponderis est, cum inconcussâ Ecclesiæ doctrina, cum Tridentino Concilio, cum definitionibus Pii V., Gregorii XIII. Urbani VIII., Alexandri VIII. Clementis XI., & veritate Catholica facilè conciliatur, in quæ omnia Quesnelli rigor inevitabili impingit necessitate.

De ejus sectatoribus sic Eminentissimus Aguirre modestè, sed graviter queritur disp.130. sect.13. in fine. *Nonnullis, qui eam (sententiam præpostere rigidam) hodie sequuntur, fortassis timori esse potest, nè strictioribus justo opinionibus, & nullâ condescendentiâ erga fragiles, atque infirmos factâ, Pharisaicam severitatem, ac ingenium inducant à Christo Domino reprehensum, vel subeant notam illam à Tertulliano inustam quibusdam novatoribus; FIRMOS GRAVANT, INFIRMOS CAPIUNT, MEDIOS CUM SCRUPULO DIMITTUNT*. In Augustini sententia hic nobis ab adversariis opposita exponendum superest; *tunc enim est cupiditas, cùm propter se amatur creatura: tunc non utentem ad-*

adjuvat, sed corrumpit fruentem. Novam lucem fententiæ isti, & genuino Augustini sensui addit charitatis, & cupiditatis apud eum definitio lib.3. de doctrina Christiana cap.10. „ Charitatem voco motum animi „ ad fruendum Deo, & proximo propter „ Deum; cupiditatem autem motum animi „ ad fruendum se & proximo, & quolibet „ corpore non propter Deum. „ Consentimus omnes Doctori Sanctissimo tunc esse cupiditatem, cùm propter se amatur creatura motu animi *ad fruendum* eâ *non propter Deum*; quid autem *fruitionis* nomine intelligatur, consulamus interpretes securissimos Angelicum, & Seraphicum.

Prior in 4. distinct.31. q.2. art.3. postquam asseruerat, utentem matrimonio propter voluptatem peccare venialiter, illico subjungit „ Dicendum, quòd quamvis de„ lectationem non referat actu in Deum; „ tamen non ponit in ea ultimum finem ... „ & ideo non oportet quod creaturâ frua„ rur; sed utitur creaturâ propter se; se au„ tem habitualiter propter Deum „. Ubi patet, quòd frui creaturâ sit ponere in ea ultimum finem.

Suffragatur S. Bonaventura in 2. dist.42. art.2. q.1. *Sexto* (inquit) *ad illud, quod objicitur, quòd amor venialis peccati est amor fruitionis, dicendum, quòd falsum est, secundùm quod frui accipitur propriè, videlicet quiescere in aliquo tamquam in fine ultimo; si ergo quæras, utrum sit usus, vel fruitio, dicendum quòd nec est usus, nec fruitio; sed abusus*. Quod inter locutionem Angelici, & Seraphici de usûs appellatione dissidium est, sola quæstione nominis terminatur, neque præsenti de fruitione officit veritati. Hanc quoad substantiam tradidit Augustinus Epist. 119. „ Dum anima in se ipso de„ lectatur, nondum re incommutabili de„ lectatur; & ideo adhuc superba est, quia „ se pro summo habet, cùm superior sit „ Deus „. Ibi est significata ab Augustino fruitio creaturæ non propter Deum; quæ proinde cupiditas est Deo injuria.

Sic rursus Augustinus tract.2. in Epist. Joan. *Non te prohibet Deus amare ista, sed non diligere ad beatitudinem* (seu fruitionem;) *quemadmodum si sponsus fecerit sponsæ suæ annulum, & illa acceptum annulum plus diligeret, quàm sponsum, qui illi fecit annulum: si diceret, sufficit mihi annulus iste: jam illius faciem nolo videre; quis non adulterinum animum convinceret?*

Convincuntur quoque adversarii hâc clarissimâ similitudine, non omnem creaturarum dilectionem, etiam quam diligenris animus in Deum non dirigit, esse cupiditatem, quæ corrumpat fruentem. Non est mera relationis explicitæ omissio, quæ ab Augustino reprehenditur; sed constitutio finis ultimi, seu beatitudinis in creatura, seposito, & veluti contempto creatore. Non enim sponsus offenditur amore qualicunque sponsæ erga annulum, etiam dum hic propter se diligitur, & propter materiæ vel artis pulchritudinem, præscindendo tantisper à sponso, qui annulum largitus est; sed justa sponsi foret indignatio, & querimonia de ingrato animo, suique despectu in sponsa; si ita hæc annulum diligeret, sicut in exemplo describitur. Simili modo scelerata omnis creaturæ, etiam honestatis moralis, seu virturis dilectio est, quando in ea beatitudinem sibi homo, & finem ultimum præfigit. Talem reprehendit in Stoicis Augustinus sermone 13. de Verbis Apostoli: *Dicebat Stoicus, imò beatus, cujus est in fructu virtus animi ejus*. Contra hunc *dicebat Apostolus, Beatus, cujus est nomen Domini spes ejus*.

9 Num etiam Adversariis amor spei, qui propriè charitas non est, videbitur cupiditas, quæ corrumpit fruentem? Adeò amor ille secundæ virtutis Theologicæ ab Augustino non reprehenditur, ut eum charitatis nomine, & definitione commendasse videatur, cùm ait lib.3. de doctrina Christiana cap.10. *Charitatem voco motum animi ad fruendum Deo, & proximo propter Deum*. Sic ubi sponsa frui desiderat sponso propter sponsum, non facilè dixeris, an non hic amor proprius, & concupiscentiæ sit potiùs quàm benevolentiæ. Sed & amor spei erga Deum dignus laude, non vituperio est, utpote *concupiscentia sancta, & bene ordinata, per quam non trahimus Deum ad nos; sed ei nos jungimus, ut finali nostræ felicitati*, inquit S. Salesius lib.11. de amore Dei cap.16.

Nè verò existimes, hunc S. Antistitem agere de charitate, sic prosequitur: „ Cur „ igitur, Theotime, amamus Deum hoc „ amore concupiscentiæ? Quia est bonum „ nostrum. Sed cur amamus summè? Quia „ ille est summum bonum nostrum. Porrò „ quando dico à nobis summè amari, non „ dico à nobis amari amore perfectissimo; „ nam supremus amor non est nisi in chari„ tate „ Plura ex hoc sancto retuli contra Propositionem 44. cap.8: Videant itaque adversarii procul se à mente Augustini, & sanctorum ejus interpretum aberrare, quando nullum volunt admittere amorem medium inter charitatem propriè dictam, & cupiditatem. Sola eos errorem dedocere de-

debuit, quam pro 49. propositione Jansenianus COLLATOR nobis ex Augustino superiùs recitat *Voco .... cupiditatem motum animi ad fruendum se, & proximo, & quolibet corpore non propter Deum.*

Positâ igitur tandem aliquando pertinaciâ, consideret cum suis Quesnellus, an sit velle frui aliquo corpore, sive beatitudinem ponere in creatura, si quis nondum praeditus charitate, ad eam se timore aeterni supplicii, & coelestis beatitudinis desiderio disponat; num descripta cupiditas, & prava corporis fruitio locum habeat in operibus misericordiae, castitatis, temperantiae, justitiae, fortitudinis, grati animi pro beneficiis acceptis, quoties in virtutum istarum moralium exercitiis de Deo nulla occurrit cogitatio, atque adeò à relatione in Deum praescinditur.

Hodie, quae est secunda feria post Dominicam primam Adventûs legimus in divino officio ex cap. 1. Isaiae: *Quiescite agere perversè: discite benefacere; quaerite judicium: subvenite oppresso: judicate pupillo: defendite viduam.* Haeccine per se cupiditas sunt, & malesana corporis fruitio, si propter convenientiam cum indito nobis naturae lumine, & ratione fiant finè explicita ad Deum relatione; sed & nullo superaddito fine, aut circumstantiâ perversâ? Oportet sensum amisisse communem cum, qui in his omnibus usum sensuum, absente amore Numinis, rejecerit inter vitia. Nos dimissis novatoribus cum suo exotico, & toties damnato, etiam à superioribus Pontificibus rigore, qui nullis innititur probabilibus argumentis; sed solâ studiosius quaesitâ verborum caligine, & centies à catholicis scriptoribus depulsâ, sentiamus cum Ecclesia catholica, atque adeò cùm Augustino ubi seipsum, modo caeteris passim authoribus congruo, explicat, ut in psalm. 34. Concione 2. „ Suggero remedium, unde tota die laudes Deum, si vis: quidquid egeris, bene age, & laudasti Deum: quando cantas hymnum, laudas Deum, & quoties tu cessasti ab hymno cantando, discedis ut reficiaris, noli inebriari, & laudasti Deum: negotia agis? noli fraudem facere, & laudasti Deum.„ Quem locum citat D. Thomas lectione 7. in 1. ad Corinth. 10.

10 Praesentem finiens disceptationem accipio epistolam inter alias typis gallicè editas pro Constitutione Parisiis anno 1715., ubi referens Propositionem 46. *Cupiditas, aut charitas usum sensuum bonum vel malum faciunt.* Contra eam indignatione commotus author, sic exclamat: „ Quid? Num Christianus, qui pereitus timore judiciorum Dei, avertit oculos ab eo, cujus aspectus periculum animae creare posset, qui carnem macerat cilicio, qui vilibus, nec nisi necessariis cibis vescitur: num, inquam, Christianus ille, non bene sensibus utitur? Minimè miror, tantam passim mollitiem reperiri in sectatoribus Jansenii; securi scilicet non sunt, se agere ex charitate; hinc metuunt nè fortè fraenando, & affligendo sensus, non benè eis utantur, & damno suo agant poenitentiam.

Commendanda omnibus frequens, & quantum humana fragilitas patitur, perennis operum in Deum relatio, & charitas etiam perfectissima; quae si obtineri nequeat, substituenda ei saltèm inferioris ordinis; sancta tamen, & salubris operandi, & sensibus utendi ratio, quam docuit Augustinus in psalmum 146.„ Si ergo bene agis, & quod manducas, & bibis, & ad refectionem corporis sumis, reparationemque membrorum, gratias agens illi, qui tibi praebuit ista solatia, & cibus tuus, & potus tuus laudat Deum. Si verò naturae debitum immoderatione voracitatis excedas, & vinolentiâ te ingurgites, quaslibet laudes Dei lingua tua sonet, vita blasphemat. Post cibum, & potum requiescas ut dormias, nec aliquid turpiter agas.... Sit castus cum conjuge torus, & si est cura propagandi liberos, non sit infraenata luxuries libidinum &c. Quid si somnus advenerit, & eùm dormis? innocentia somni tui laudat Deum: laudas, cùm agis negotium: laudas cùm cibum, & potum capis: laudas, cùm in lecto requiescis: laudas, cùm dormis.„ Iisdem haec verbis, ex Augustino referunt, & more suo sequuntur S. Anselmus, Beda, Magister sententiarum: similia tradunt Chrysostomus, Oecumenius, Theophylactus & recentiores passim, refragantibus Luthero, Calvino, & affinibus utrique Baji & Jansenii discipulis.

Qua-

Quadragefimafeptima Propofitio damnata.

Obedientia legis profluere debet ex fonte: & hic fons eft charitas. Quando Dei amor eft illius principium interius, & Dei gloria ejus finis, tunc purum eft quod apparet exteriùs; alioquin non eft nifi hypocrifis, aut falfa juftitia. *Obfer. Mor. Editionis anni* 1693. *in Matth.*23. *v.*26.

CAPUT I.

Propofitio damnata oppugnatur.

1 QUomodo venire in mentem Quefnello potuit, ut propofitionem tam clarè in Bajana 16. damnatam fpretis trium Pontificum cenfuris tam apertè inftauraret? Quid enim eft difcriminis inter iftum Baji articulum: *Non eft vera legis obedientia, quæ fit finè charitate*; & hunc Quefnelli, *Obedientia legis profluere debet* &c., ut in titulo; nifi quòd hic temeritate priorem fuperet; non folùm quia poft damnationem à tribus latam Pontificibus, & ipfius Baji publicam retractationem impudentiùs inftauratus eft, fed etiam quia terminis expreffis longè durioribus, cenfuras ftringere audet in obedientiam tanto judicio fæpius approbatam. Hypocrifim nempe, aut falfam juftitiam appellare non veretur, quam veram legis obedientiam, definientibus Chrifti Vicariis, affentiente ipfo erroris authore, univerfa credit Ecclefia; credit quoque eâdem certitudine, & authoritate, non *omnia infidelium opera effe peccata*, nec *omnes virtutes Philofophorum vitia*, quod afferuerat Bajus art. 25., quo damnato, fequitur, non omnem in eis legis naturæ obedientiam fuiffe hypocrifim, etfi non ex charitate traxerit originem.

2 Nè ullus poffit effe dubio locus, quin charitatis nomine Quefnellus in fenfu proprio utatur, prima fententia, quam nobis ex Patribus Hexapla objiciunt, eft ifta Auguftini Enchiridii cap. 121. exprimens *Charitatem, quam diffundit Spiritus Sanctus in cordibus noftris*. De hac charitate dum intelligitur damnata Propofitio, trahit fecum illam Bajanam 38. *Omnis amor creaturæ rationalis aut vitiofa eft cupiditas, qua mundus diligitur, quæ à Joanne prohibetur; aut laudabilis illa charitas, qua per Spiritum Sanctum in corde diffufa Deus amatur*. Si abfque tali charitate nihil in humanis actibus nifi hypocrifis, aut falfa juftitia eft, fequitur & Bajana Propofitio 27. *Liberum arbitrium finè gratia Dei adjutorio non nifi ad peccandum valet*; Nam falfa juftitia in Quefnelli articulo non negativè fumitur pro fola negatione veræ juftitiæ, fed pro affertione vitii oppofiti, quod eft hypocrifis.

Hunc effe articuli fenfum teftantur Hexapla in ipfa animadverfionis fronte. *Propofitio* 47. (inquit) *declarat obedientiam legis non effe nifi hypocrifim, & falfam juftitiam, nifi profluxerit ex amore*. Itaque, ut ipfa exponunt Hexapla, *hypocrifis, aut falfa juftitia* idem fignificat, quod *hypocrifis, & falfa juftitia*. Quòd autem non agat Propofitio de amore Dei naturali, liquet ex eo, quòd ibidem exprimat *charitatem*, quæ, ut Hexapla cum Auguftino, & Apoftolo ad Roman. 5. ajunt, *diffunditur in cordibus noftris per Spiritum Sanctum*. Denique exploratiffimus ubique Quefnelli fenfus eft, nullum opus à peccato liberum effe finè gratia; nam Propof.40. *Sinè gratia* (inquit) *nihil amare poffumus, nifi ad noftram condemnationem*. Idem pluribus illic Propofitionibus confirmatur, quas initio hujus tomi ufque ad Propofitionem 43. impugnavimus.

3 Concilium Tridentinum feff.6.cap.7. quod eft de juftificatione impii, & quæ fint ejus caufæ, „ Quamquam (inquit) nemo „ poffit effe juftus, nifi cui merita Paffionis „ Domini noftri JESU Chrifti communi„ cantur; id tamen in hac impii juftificatio„ ne fit, dum ejufdem fanctiffimæ Paffionis „ merito per Spiritum Sanctum charitas „ Dei diffunditur in cordibus eorum, qui „ juftificantur, atque ipfis inhæret. „ Auguftinus quoque libro de moribus Ecclefiæ apud à Lapide in hunc locum de charitate ait: *Virtus, quæ ipfius animi noftri rectiffima affectio eft; fi in alio eft, facit, ut conjungamur Deo; fi in nobis eft, ipfa conjungit*. Unde fi hoc fenfu, qui proprius eft, & obvius accipiatur in Quefnelli Propofitione charitas five pro actu, five pro habitu, hominem juftificat, vel eum juftificante formâ neceffariò connectitur.

Si autem *obedientia legis profluere debeat ex fonte*, *& hic fons sit charitas* justificans; si sinè illa *non sit nisi hypocrisis*, *aut falsa justitia*; sive, ut Hexapla interpretantur, *hypocrisis*, *& falsa justitia*, restituitur Propositio inter Bajanas 35. *Omne, quod agit peccator, vel servus peccati, peccatum est*. Ibidem 40. *In omnibus suis actibus, peccator servit dominanti cupiditati*. Unde ea Quesnelli doctrina non facilè subducitur anathemati Tridentino sess. 6. can. 7. quo feritur quisquis dixerit, *Omnia opera, quæ ante justificationem fiunt, quacunque ratione facta sint, verè esse peccata*. Hunc autem esse Quesnelliani articuli sensum, indicant circumstantiæ, dum articulo 28. asseritur: *Prima gratia, quam Deus concedit peccatori, est peccatorum remissio*; & 38. *Peccator non est liber, nisi ad malum, sinè gratia liberatoris*. Igitur qualiscunque obedientia legis sit, vel appareat in peccatore, antequam justificetur, non est ex gratia liberatoris, & proinde in eodem systemate peccatum est.

4 Rursus Tridentinum sess. 14. can. 1. „ Si quis dixerit, in Ecclesia Catholica pœnitentiam non esse verè, & propriè Sacramentum pro fidelibus, quoties post Baptismum in peccata labuntur, ipsi Deo reconciliandis, à Christo Domino nostro institutum, anathema sit.

Et can. 3. „ Si quis dixerit, verba illa Domini Salvatoris, Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt, non esse intelligenda de potestate remittendi, & retinendi peccata in Sacramento pœnitentiæ, sicut Ecclesia Catholica ab initio semper intellexit, ... anathema sit.

Can. 9. „ Si quis dixerit, absolutionem sacramentalem Sacerdotis non esse actum judicialem; sed nudum ministerium pronuntiandi, & declarandi, remissa esse peccata confitenti .... aut remissa dixerit, etsi Sacerdos non seriò, sed joco absolvat; aut dixerit, non requiri confessionem pœnitentis, ut Sacerdos eum absolvere possit, anathema sit. „ Si ergo omnis obedientia profluere debet ex fonte, qui charitas est justificans, non apparet, quandonam Sacerdos unquam absolutione sua Deo reconciliet peccatorem; cùm semper is reconcilietur per præviam absolutioni pœnitentiam, quæ obedientia legis est, ac proinde, juxta Quesnellum, profluere debet ex charitate, cui reconciliatio annexa est. Proverb. cap. 8. *Ego diligentes me diligo*. 1. Petri cap. 4. *Charitas operit multitudinem peccatorum*. 1. Joannis cap. 4. *Omnis qui diligit, ex Deo natus est*. S. Augustinus Tractatu 9. in Epist. S. Joannis: *Anima nostra fœda est per iniquitatem: amando Deum pulchra efficitur: quantùm in te crescit amor, tantùm crescit pulchritudo; quia ipsa charitas est animæ pulchritudo*.

Præterea ignorantem, atque insanientem, aut certè impium, & injustum Deum Quesnellus hactenus coluerit; ignorantem quidem, si eum falsam justitiam, & hypocrisim à justitia innocente, & laudabili non potuisse discernere arbitratur; aut impium, & injustum, si hypocrisim, & falsam justitiam cognoscens approbaverit palàm, atque remuneratus sit, uti approbavit, & remuneratus est plura infidelium opera, teste Augustino Epist. 5. ad Marcellinum, quorum justitiam non profluxisse ex charitate, sed ex motibus inferioribus satis perspicuum est. Hypocrisim Judæis in Testamento veteri dedisset Deus, quando illi *acceperunt* ab ipso *Spiritum servitutis in timore*. Rom. 8. v. 15. Ad hypocrisim Daniel infidelem Principem adhortatus fuerit juxta Quesnellum, suadendo, ut peccata eleemosynis redimeret, antequam charitate imbueretur.

5 Tridentinum quoque hypocrisim approbarit pro dispositione ad gratiam in Sacramento pœnitentiæ recipiendam, quando eam attritionem adversùs Lutheri blasphemias defendit, quam testatur Spiritûs Sancti nondum inhabitantis impulsum esse, sed ad pœnitentiam moventis; neque tamen ex charitate necessariò tanquam ex fonte profluit; sed ad eam peccatoris animum præparat, neque hypocrisim esse, neque ad hypocrisim inducere declarat, ut sess. 14. cap. 4.

Quomodo se Quesnellus adversùs hoc Tridentini anathema tuebitur sess. 14. can. 5: „ Si quis dixerit, eam contritionem, quæ paratur per discussionem, collectionem, & detestationem peccatorum, qua quis recogitat annos suos in amaritudine animæ suæ, ponderando peccatorum suorum gravitatem .... amissionem æternæ beatitudinis, & æternæ damnationis incursum .... non esse verum, & utilem dolorem, nec præparare ad gratiam, sed peccatores pejores facere, anathema sit? Non profluit ea contritio ex charitate: si autem ideo non fit nisi hypocrisis, patet, non esse dolorem utilem, nec ad gratiam præparare; sed peccatores pejores facere, quod hypocrisi proprium est.

Congruit quoque damnata Propositio variis ab Alexandro VIII. inter 31. proscriptis: Nempe huic 10. *Intentio, qua quis detestatur*

testatur malum, & prosequitur bonum, merè ut cœlestem obtineat gloriam, non esse recta, nec Deo placens; Cùm enim intentio ista ex charitate non profluat, non potest juxta Quesnellum esse *nisi hypocrisis, aut falsa justitia.*

Convenit quoque cum hac 15. ibid. *Attritio, quæ gehennæ, & pœnarum metu concipitur, sinè dilectione benevolentiæ Dei propter se, non est bonus motus, ac supernaturalis*; non enim oritur ex charitate, sinè qua iterum *non est nisi hypocrisis* apud Quesnellum, *aut falsa justitia.*

Continet Quesnelli articulus etiam hunc 9. ab eodem Pontifice damnatum: *Revera peccat, qui odio habet peccatum merè ob ejus turpitudinem, & disconvenientiam cum natura sinè ullo ad Deum offensum respectu.* Peccaret sanè, si hoc peccati odium, quod est legis obedientia, foret hypocrisis hoc ipso, quòd ex charitatis fonte non dimanaverit.

Securior, & sanctior charitatis præco præ Quesnello, & ejus sequacibus fuit Mellifluus Bernardus, qui Tract. de præcepto, & dispensatione ait: *Bonus obedientiæ gradus est, si propter metum gehennæ quisquam obedierit; melior tamen, cùm ex amore obeditur.* Prior obedientiæ gradus non profluit ex fonte charitatis, ut patet ex oppositione; non tamen propterea Sanctissimi Doctoris judicio hypocrisis est, aut falsa justitia, sed *bonus*, & laudabilis *obedientiæ gradus*; etsi alius *melior cùm ex amore obeditur.*

6 Mellifluo jungamus alterum, etiam charitatis discipulum, Sanctum Franciscum Salesium lib. 11. de amore Dei cap. 16. „ Quantum (inquit) ad timores servorum, „ & mercenariorum attinet, non procedunt quidem ab amore; sed ordinariè „ præcedunt ipsum, ut sint ei instar pro„ dromorum, & designatorum hospitii: & „ isti sæpe sunt perutiles ejus servitio.... „ Divina bonitas volens in anima humana „ magnum collocare virtutum diversita„ tem, & tandem eam exornare sacro suo „ amore, utitur acu timoris servilis, & „ mercenarii, quâ ordinariè omnium primò „ corda nostra punguntur. „ Non igitur Salesio timor servilis, etsi charitatis expers, falsam justitiam parit, aut hypocrisim; sed animum disponit ad amorem.

Ibid. cap. 18. „ Etsi Christus Salvator ve„ nerit, ut adferret nobis legem amoris, non „ desiit tamen propterea inculcare etiam le„ gem timoris: Timete, inquit, illum qui po„ test corpus, & animam perdere in gehen„ nam... in summa timor iste comprehendi„ tur in donis Spiritûs Sancti, ut plures ex „ Sanctis Patribus notarunt. „ Evidens itaque est, profluentem ex illo timore obedientiam, nihil hypocrisis habere, aut falsæ justitiæ. Maximè verò indè augetur Propositionis damnatæ malitia, quòd dogmaticè, & indefinitè de quolibet timore, de qualibet spe, & quacunque virtute, si à charitatis actu sejungitur, pronuntiet, nihil ex cavera obedientiæ unquam profluere; sed solam hypocrisim, aut falsam justitiam.

Duobus hisce Sanctis addo tertium, vel ipsi Quesnello irrefragabilem Doctorem Maximum Augustinum. De verbis Apostoli sermone 13. „ Timor servus est, charitas „ libera est, & , ut sic dicamus, timor est „ servus charitatis. Nè possideat Diabolus „ cor tuum, præcedat servus in corde tuo, „ & servet Dominæ venturæ locum: fac „ vel timore pœnæ, si nondum potes amo„ re justitiæ: „ Quesnello interprete, hypocrisim suaderet Augustinus ei, qui nondum possidet charitatem. Estnè hypocrisis conveniens Dominæ charitati servus? Isnè idoneus est, qui Diabolum à corde arceat? Imò quid magis natum introducere Diabolum, quàm sacrilega sanctitatis simulatio? Hac locus charitati non servatur; sed occluditur. Alienissimus igitur Augustinus fuit à Quesnelli errore, omnem legis obedientiam appellante hypocrisim, si ex charitatis fonte non profluxerit.

7 Finem huic capiti, & errori imponat alter Sanctissimus Ecclesiæ Doctor Gregorius Hom. 34. in Euangelium: *Prava mens, si non priùs per timorem evertitur, ab assuetis vitiis non emundatur.* Et lib. 28. mor. cap. 8. *Cùm futurorum timor infunditur, ut bonæ vitæ surgat ædificium, jam fundamenta construuntur.* Quesnellus omnibus Ecclesiæ Doctoribus, Pontificibus, Tridentino Concilio magis rigidus, ac veluti sapientior, & sanctior, nullum bonæ vitæ fundamentum patitur, nisi charitatem: pravam verò mentem asserit timore sinè charitate non everti; sed superadditâ hypocrisi crescere, atque stabiliri. Dicamus, ipsam potiùs novam sectam, Supremo Christi Vicario rebellem, affectatâ ex rigidis novitatibus sanctimoniæ famâ, ex solis proficere fraudibus, & verâ hypocrisi. Catholica verò *Ecclesia*, teste S. Gregorio lib. 19. Moralium cap. 11.; *sic scit superiora bona suscipere, ut noverit etiam inferiora venerari; quatenus nec summa æquet infimis, nec rursum ima despiciat, dum summa veneratur.*

CAPUT II.

Temere objiciuntur Scripturæ sacræ, & vel inde magis Propositionis, ac defensorum ejus perversitas detegitur.

1 Videamus, quid Hexapla cum subsidiario suo *Collatore* proferant ex sacris literis. Ecclesiastici cap. 3. *Filii sapientiæ Ecclesia justorum, & natio illorum obedientia, & dilectio.* Indubiè filii sapientiæ, ex quibus justorum Ecclesia, seu cœtus componitur, obediunt Dei mandatis, eumque diligunt, saltèm eo tempore, pro quo dilectio præcipitur. Verùm, ut docet Angelicus 1. 2. quæst. 88. art. 1. *Illud præceptum est affirmativum, unde non obligat ad semper.* Et in 2. sententiarum dist. 41. art. 2. ad 4. *Non oportet, ut actus infidelium, qui in finem illum non est ordinatus, semper sit peccatum; sed solùm pro tempore illo, in quo tenetur actum suum in finem ultimum referre.* Sed neque expressum in Ecclesiastici textu video, neque ullâ indè ratione legitimâ deducendum, quòd omnium virtutum moralium, & theologicarum actus, præterquam charitatis, vel ex charitate dimanantes, sint hypocrisis. Talis adversariorum interpretatio nova est adeò, ut non existimem, ullum proferendum interpretem Catholicum, qui sic *Ecclesiasticum* intellexerit.

2 Sed neque Quesnello favet liber Sapientiæ cap. 6. vers. 18. & 19. *Initium enim illius verissima est disciplinæ concupiscentia: cura ergo disciplinæ dilectio est, & dilectio custodia legum illius est; custoditio autem legum, consummatio incorruptionis est,* & ut gradatio integra fit. v. 20. *Incorruptio autem facit esse proximos Deo.* v. 21. *Concupiscentia itaque sapientiæ deducit ad regnum perpetuum.* Puto cuilibet legenti, qui novitatis Spiritu initiatus non est, cogitationem eandem occurrere, quæ incidit mihi; quid isthæc faciunt ad probandum, actiones singulas, & cujuscunque *legis obedientiam esse hypocrisim, quando Dei amor non est illius principium interius, & Dei gloria ejus finis?*

Sed neque tam exoticæ interpretationis sive apud Patres, sive apud alios vestigium est. Donec interpres melior ab adversariis proferatur, audiamus Cornelium à Lapide: „ Initium (inquit) sapientiæ est disciplinæ „ concupiscentia; concupiscentia autem „ disciplinæ illius parit curam, & solicitu„ dinem; cura parit dilectionem, dilectio „ custodiam legum, hæc incorruptionem, „ quæ facit proximum esse Deo per regnum „ æternum, quod disciplinæ, sive sapien„ tiæ cupido affert.

Pro notitia disciplinæ remitrimur ab interprete ad versum 12. Illic Sapiens dixerat: *Concupiscite ergo sermones meos, diligite illos, & habebitis disciplinam.* Interpres ait: „ Eru„ diemini, acquiretis disciplinam, hoc est, „ morum castigationem, & compositionem; „ sicut pueri per increpationes, verbera, „ & flagella discunt mores suos ad honesta„ tem tum internam, tum externam com„ ponere; caro enim, & concupiscentia „ nostra est cæca, & cupida instar pueri; „ unde flagellis castiganda, & ad virtutem „ conformanda est. „ Habemus quidem hic dilectionem, quæ custodia legum est; sed ipsi dilectioni pariter videmus præviam concupiscentiam disciplinæ, ex concupiscentia nasci curam, & solicitudinem disciplinæ acquirendæ, ex cura dilectio nascitur: indè tum quidem custodia legum subsequentium; sed fidei, & spei præceptæ exercitium charitatem antevertens, atque ad eam disponens non potest sinè impietate hypocrisis appellari.

Augustinus sermone 22. de verbis Apostoli: *Domus Dei credendo fundatur, sperando erigitur, diligendo perficitur.* Juxta adversarios, si domus Dei ante dilectionem fundetur in fide, erigatur spe, totum ejus fundamentum, & erectio est hypocrisis, quod domui Diaboli, non Dei convenit. Clemens Alexandrinus lib. 2. Stromatum adducens sententiam libri antiquissimi dicti *Pastoris; præcedit,* inquit, *fides, timor ædificat, perficit autem dilectio.* Perficitne dilectio peccatum, vel peccati ædificium? Perficere illud deberet, si omnis obedientia dilectionem antecedens, sive ut adversarii ajunt, *non profluens ex charitate,* esset *hypocrisis.*

3 Contra illos iterum Augustinus tractatu 9. in Epistolam Joannis: *Oportet ergo, ut intret timor primò, per quem veniat charitas; timor medicamentum, charitas sanitas.* Estne hypocrisis medicamentum; an venenum exitiale? *Si timor gehennæ est supernaturalis,* ut definivit Alexander VIII. damnando inter Propositiones 31. decimamquartam id negantem: *Si attritio, quæ gehennæ, & pœnarum metu concipitur sinè dilectione benevolentiæ Dei propter se, est bonus motus, ac supernaturalis,* ut idem Pontifex declaravit ibidem contra Prop. 15., intolerabilis temeritas adversariorum est, eandem attritionem, atque adeò pœnitentiam, & obedientiam de hypocrisi accusare. Si forsitan acephali isti, ut experimur quotidie, authorita-

tem

tem Pontificiam aspernentur; vilipendere saltèm non deberent Concilium Oecumenicum Tridentinum, quod sess. 6. cap. 6. justificationis ordinem describens incipit à fide, indè progreditur ad timorem, deinde ad spem, quibus salubriter dispositus peccator, *Deum tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipit*; & sess. 14. cap. 4. docet, *Contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehenna, & pœnarum metu communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat* (ut potest, & excludit sæpissimè) *cum spe veniæ, declarat non solùm non facere hominem hypocritam, & magis peccatorem; verùm etiam donum Dei esse, & Spiritûs Sancti impulsum, non adhuc quidem inhabitantis; sed tantùm moventis, quo pœnitens adjutus viam sibi ad justitiam parat; & , quamvis sinè Sacramento pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento pœnitentiæ impetrandam disponit*.

Quomodo autem attritio ex gehennæ, vel pœnarum metu, etiam cum spe veniæ, & excludens quàm potest maximè, voluntatem peccandi, sinè amore Dei benevolo non faciet hominem hypocritam, & magis peccatorem: quomodo potest ad Dei gratiam in Sacramento pœnitentiæ impetrandam disponere, si ipsa cum confessione, & omnibus externis pœnitentiæ signis, ab attritione illa provenientibus, non sit nisi hypocrisis? Idem est adversariis judicium de attritione, quæ concipitur ob peccati *disconvenientiam cum natura*, ut explicant authores Propositionis 9. inter 31. damnatas ab Alexandro VIII.; sed Quesnellus definitiones omnes facilè contemnit, ut omnes solent hæretici.

4 At, inquiunt Hexapla, nonne verum est, quod docet Apostolus 1. Tim. cap. 1. *Finis autem præcepti est charitas de corde puro, conscientia bona, & fide non ficta*? Addit Propositionum *Collator* ad Rom. cap. 13. *Plenitudo autem legis est dilectio*. Verissimum agnoscimus utrumque textum, & quidem cum tutissimis Augustini, & Angelici commentariis. Ita posterior in epistolam Rom. „ Dicitur primæ ad Tim. 1. quòd finis præcepti charitas est; unumquodque enim perficitur cùm ad finem pervenit, & ideo tota legis perfectio in charitate consistit.... præcepta negativa obligant semper, & ad semper; nullo enim tempore est furandum, & adulterandum, præcepta autem affirmativa semper, sed non ad semper. „ Unde etsi tota legis perfectio in charitate consistat, nec possimus unquam Deum odisse, aut proximum; elicere tamen dilectionis actum erga Deum propter se, & erga proximum propter Deum, non tenemur semper, sive pro omni tempore, licèt semper obligatio maneat diligendi statutis temporibus, & in certis circumstantiis: quapropter non violat præceptum honorandi parentes, vel non blasphemandi, non committendi adulterium, quoties aliquis honorat parentes propter retributionem à Deo promissam, vel à blasphemia, & adulterio abstinet, quia utrumque crimen Deus vetuit sub pœna ignis æterni: *Bonus enim iste obedientiæ gradus est*, quamvis melior *sit cùm ex amore obeditur*, ut nos supra docuit Mellifluus.

Aliud igitur est, finem præceptorum, & perfectionem obedientiæ esse *charitatem*; aliud, omnem obedientiam absque eo fine, absque ea perfectione esse hypocrisim. Peccator quamdiu extra statum gratiæ est, aliqua subinde servat præcepta tum Dei, tum Ecclesiæ. Qui in delectationem incidit morosam, potest nihilominus præscripto tempore jejunare, interesse sacrificio, dare eleemosynam, honorare parentes, solvere debitum, abstinere à falso testimonio, nè reatum suum augeat, & Deum magis contra se ad iracundiam provocet, & vindictam: ubi medium apertissimè conspicimus inter hypocrisim, & charitatem, quæ legis *plenitudo, finis*, & *perfectio* est.

5 In Commentario epistolæ 1. Tim. cap. 1. lectione 1. ubi quærit Angelicus quomodo charitas sit finis præcepti? *Ad hoc secundum* (inquit) *duo sunt consideranda*: „ Primò, quòd omnia præcepta legis sunt „ de actibus virtutum, & quòd per omnes „ actus virtutum ordinetur unus homo ad „ alium. Secundò, quòd objectum unius „ virtutis est finis alterius; quia quando- „ cumque una potentia est circa aliquem „ finem, ad illum ordinantur omnia, quæ „ sunt ejusdem, sicut ad finem, sicut frænifactiva est ad equestrem; quia officium „ equestris est ejus finis; hæc autem ad „ ducem. Virtutes autem theologicæ ultimum finem habent pro objecto; aliæ autem sunt circa ea, quæ sunt ad finem: ergo omnes respiciunt theologicas sicut „ finem: inter theologicas verò illa plus „ habet de ratione finis, quæ propinquius „ se habet ad ultimum finem: fides autem „ ostendit eum, spes facit tendere in eum, „ charitas unit. „ Unio ista utique est, ad quam tendunt virtutes omnes theologicæ, &, his mediantibus, morales; sicut potentia,

ut

ut Angelicus explicat, frænifactiva dirigitur ad equestrem, equestris ad ducem, atque ita frænifactiva potentia ultimò dirigitur ad ducem; sed, amabo, quisquamne de opifice, qui fræna conficit, affirmet, eum in opere suo debere intentionem semper dirigere ad ducem? Sufficit, inquies, frænum ex natura sua servire ad equitandum, & equitationem ad obsequium ducis. Simile est in virtutibus moralibus, quæ ad theologicas disponunt, & inter has alia propinquiùs alterâ ad finem ultimum se habet; nam fides disponit proximè ad spem, hæc ad charitatem, quâ fini ultimo unimur.

Ordinatio itaque illa virtutum inter se, quam habent ex natura sua, & Dei sapientiâ, non est intendenda necessariò ab homine in omnibus actibus, sicut fræna faciens, non semper deest suo muneri, quoties de duce non cogitat. Sic & miles, qui à Principe equum accipit ad pugnandum contra hostes, etsi finis donationis sit victoria ab hostibus referenda; non tamen in omni cura, quam miles tenetur gerere sui equi, in omni usu cogitare debet de victoriâ; sufficit, illam pro conservatione equi solicitudinem veluti naturâ suâ eò tendere.

6 Sed nunc adversarios nostros, prætensos Augustini discipulos, ex ipsa sua objectione, adhibito etiam Augustino interprete, convincere oportet de insigni sive imprudentia, sive malitia, qua Propositionem 47. dum defendere conantur, magis reddunt Catholicis detestabilem; sensum in ea detegendo longè deteriorem, quam vulgus legentium percepisset. Dum scilicet ad damnati articuli excusationem profertur uterque textus Apostoli: *Finis præcepti est charitas, de corde puro, & de conscientia bona, & fide non ficta*: Et *plenitudo legis est dilectio*; qualis ea dilectio sit, qualis charitas ad *obedientiam* ab adversariis requiratur, jam intelligimus; ea nempe, quæ est *plenitudo legis*; adeóque justificans. Ita de charitate, *quæ est ex corde puro*, sentit Augustinus lib. de natura, & gratia cap. 7. *Charitas inchoata, inchoata justitia est, charitas provecta, provecta justitia est; sed charitas de corde puro, conscientia bona, & fide non ficta.* Lib. 1. de Doctrina Christiana cap. 5. & seq. *Cor purum est vacuum cupiditate, & amore sui, ut nihil aliud diligatur, quam quòd diligendum est.*

Perspicis hinc modò; Lector, ex quo fonte, ex qua *charitate profluere* juxta adversarios debeat omnis *obedientia*, nè aliàs falsa justitia, aut vera *hypocrisis* sit: Ex charitate nempe, quæ est *ex corde puro, & conscientia bona*: quæ sit vera *justitia*. Denique *ex corde vacuo cupiditate, & amore sui*, quodque *nihil diligat, quàm quod diligendum est*, quæ videtur non vulgaris *justitia*, sed valde provecta. Omnis igitur *obedientia* ex tali non proveniens *charitate*, adversariis est *hypocrisis*. Quomodo autem evadunt anathema Concilii Tridentini sess. 6. can. 7. *Si quis dixerit, opera omnia, quæ ante justificationem fiunt, quacunque ratione facta sint, verè esse peccata, vel odium Dei; aut quanto vehementiùs quis nititur se disponere ad gratiam, tantò eum graviùs peccare, anathema sit.* Opera, quæ ante justificationem fiunt, non profluunt ex charitate, quæ est plenitudo legis, quæ est ex corde puro, & conscientia bona, *corde*, inquam, *puro*, quod interprete Augustino sit *vacuum cupiditate, & amore sui, ut nihil aliud diligatur, quàm quod diligendum est.*

Tridentino anathemati succedunt trium Pontificum censuræ contra hos duos articulos: 35. inter Bajanos, *Omne, quod agit peccator, vel servus peccati, peccatum est*; & 40. *In omnibus suis actibus peccator servit dominanti cupiditati.* Præterea censuras contra plures ex 31. propositionibus ab Alexandro VIII. damnatis, quas alibi retuli, eadem doctrina in Joanne Huss à Constantiensi Concilio proscripta est.

CAPUT III.

Immeritò contra nos producitur S. Thomas. Adversarii magis produnt suam perfidiam, & animum minimè catholicum.

1 Semper Adversarii Doctorem Angelicum objiciendo, beneficium nobis nolentes præstant, & patrocinium veritati. Si quid enim subinde in Scripturis, vel Patribus occurrit obscurius, statim Angelicus sol interpretatione lucidissima tenebras omnes facilè dispellit; nam licèt in scholasticis, & ut vocari solent, quodlibeticis quæstionibus subtiliùs disputatis, aliquando inter theologos de mente Sanctissimi Doctoris dissidium oriatur; at in fidei, & communissimæ doctrinæ ab Ecclesia stabilitæ articulis firmamentum semper ac lucem veritas contra novaturientes, & hæreticos invenit.

Opponunt hic nobis Hexapla Aquinatem quasi 2. 2. q. 23. art. 1. afferat: „ juxta „ Apostolum nulla virtus est utilis absque „ charitate, & tamen virtus est utilis; er- „ go

„ go finè charitate virtus esse non potest.„ Desumitur istud ex argumento *sed contra*. Cur autem Hexapla non exhibent textum ipsis Angelici verbis? Citanda nempe fuisset sententia Apostoli, ex qua patuisset, eam nihil ad propositum attinere; illos verò, à quibus corruptè & mutilè allegatur, neque bonæ fidei esse, neque catholicæ. Suppleamus itaque quod in citata Aquinatis sententia desideratur. Sic ait: „ Sed contra est, „ quod Apostolus dicit, ad Cor.13. *Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas; & , si tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest*. Sed virtus vera multum „ prodest, secundùm illud Sap.6. *Sobrietatem, & justitiam docet & prudentiam, & virtutem, quibus in vita nihil utilius est hominibus*. Ergo finè charitate vera virtus „ esse non potest.„

2 Ante cætera consulendus est nobis Angelici commentarius in locum designatum epistolæ 1. Cor. „ Cùm dicit (Apostolus) *Et, si distribuero &c.* ostendit idem „ in his, quæ pertinent ad opera, quæ consistunt in hoc, quòd homo faciat bonum, „ secundùm illud Gal.6. *Bonum facientes non deficiamus*: & in hoc, quod patienter „ sustineant mala, secundùm illud psalmi „ 91. *Bene patientes erunt ut annuntient*. „ Inter cætera verò bona opera magis „ commendantur opera pietatis, secundùm „ illud 1. Tim.4. *Pietas ad omnia utilis est*, „ .... inter mala verò, quæ quis sustinet „ patienter, potissimum est martyrium. Unde diciturMatth.5. *Beati, qui persecutionem patiuntur propter justitiam*. Quod etiam „ quadrupliciter commendat; primò quidem, quia laudabilius est, quòd, necessitate imminente, pura propter defensionem fidei se ipsum offerat passioni, quàm „ si deprehensus patiatur.... Tertiò laudabilius est, quòd aliquis exponat corpus suum supplicio, quàm corpus filii, „ vel cujuscunque propinqui, de quo tamen commendatur quædam mulier lib.2. „ Machab.cap.7. Supra modum videtur mirabilis, & bonorum memoriâ digna, quæ „ pereuntes septem filios sub unius diei „ tempore conspiciens, bono animo ferebat.... Quarto redditur martyrium laudabilius ex acerbitate pœnæ, *ita ut ardeam*; si inquam prædicta opera tam excellentia fecero, *charitatem autem non habuero*, vel quia simul cum prædictis „ operibus adest voluntas peccandi mortaliter, vel quia sunt propter inanem gloriam, nihil mihi prodest; scilicet quantum ad meritum vitæ æternæ, quæ solis „ diligentibus Deum repromittitur.„

Non igitur vocat S. Thomas opera illa hypocrisim, quia non profluunt ex charitate; sed inutilia ad salutem meritò judicat, si prædictis *operibus jungitur voluntas peccandi mortaliter*, vel si fiant *propter inanem gloriam*; quo posteriori modo etiam hypocrisim dici opera illa, ultro sustinebimus; non verò propter voluntatem peccandi solummodo habitualem, nè alias omnia peccatoris opera ante justificationem peccata censeantur, quod inter Bajanos articulos damnatum vidimus, & Tridentino anathemate anteà profligatum. Vita æterna solis diligentibus Deum repromittitur; sed non necesse est, diligant in omnibus actibus, & omni tempore; cùm, ut notat Angelicus 1.2.q.88. art.1. *illud præceptum sit affirmativum, unde non obligat ad semper*. Sic & præceptum honorandi parentes, quod etiam decalogo continetur, non in omnibus humanæ vitæ actionibus, nec quovis tempore; sed in quibusdam circumstantiis honorem exigit. Absentia itaque habitûs charitatis, quæ amicitia animæ cum Deo est, impediet, nè, etsi *corpus tradidero ita ut ardeam*, non prosit mihi martyrium, uti nec quodcunque aliud inferioris, quam charitas sit, virtutis opus, vel donum quantumlibet excellens. Sed aliud est, opere aliquo hominem ad beatitudinem non pervenire; aliud, quòd opus ipsum sit hypocrisis.

Bona opera quædam infidelium à Deo laudata sæpius in Scriptura vidimus, subinde etiam affecta præmio temporali, quæ proin mala esse, seu hypocrisis non potuère, nè Deum necesse sit, aut insanissimum credere, aut iniquum, qui hypocrisim approbet, & præmio remuneretur, quam toties declaravit execrabilem.

3 Sed nunc objectum S. Thomæ articulum diligentiùs scrutemur. *Ad primum, actus* alicujus *charitate carentis potest esse duplex; unus quidem secundùm hoc, quòd charitate caret, utpotè cùm facit aliquid in ordine ad id, per quod charitate caret*, id est in ordine ad peccatum, *& talis actus semper est malus, sicut Augustinus dicit lib.4. contra Julianum* [cap.3] *quod actus infidelis, in quantum est infidelis, semper est peccatum, etiamsi nudum operiat, vel quidquid aliud hujusmodi faciat, ordinans ad finem suæ infidelitatis. Alius autem potest esse actus charitate carentis, non secundùm quòd charitate caret; sed secundùm quòd habet aliquod aliud donum Dei, vel fidem vel spem, vel etiam naturale bonum, quod non totum per peccatum tollitur, ut supradictum est.*

est. [quæst.10.art.4. & 1.2. quæst.85.art.2.] *& secundum hoc sinè charitate potest quidem esse aliquis actus bonus ex suo genere*; *non tamen perfectè bonus;quia deest debita ordinatio ad ultimum finem*.

Ibid. in corp. „ Si accipiatur virtus secundùm quòd est in ordine ad aliquem finem particularem, sic potest aliqua virtus dici sinè charitate, in quantum ordinatur ad aliquod particulare bonum; sed, si illud particulare bonum non sit verum bonum, sed apparens, virtus etiam, quæ est in ordine ad hoc bonum, non erit vera virtus, sed falsa similitudo virtutis: Sicut non est vera virtus,avarorum prudentia, qua excogitant diversa genera lucrorum; & avarorum justitia, qua gravium damnorum metu contemnunt aliena; & avarorum temperantia, qua luxuriæ, quia sumptuosa est, cohibent appetitum &c. ut docet Augustinus in 4. libro contra Julianum (cap.3.) Si verò illud bonum particulare sit verum bonum, puta conservatio civitatis, vel aliquid hujusmodi, erit quidem vera virtus; sed imperfecta, nisi referatur ad finale, & perfectum bonum, & secundum hoc simpliciter vera virtus, (idest perfecta) sinè charitate esse non potest „; potest tamen,ut jam dixit, esse *vera virtus, sed imperfecta*. Non ergo est hypocrisis,quæ nullo sensu tolerabili virtus est; sed turpe vitium.

Non est prætermittendum silentio,quòd ipsa Quæstionis in articulo propositæ resolutio definiat, *ultimum, & principale hominis bonum esse Dei fruitionem*. Quæro igitur, num aliquis, etiam justus, merè ut finem illum ultimum consequatur, eleemosynam pauperi tribuens, reus hoc ipso fiat novi peccati, sive, ut Quesnellus loquitur, hypocrisis? Si neges, corruit damnata Propositio. Si affirmes, infesta signa infers Doctori Angelico; quia, cùm juxta eundem *ad hoc* (bonum hominis principale) *ordinetur homo per charitatem*, non potest actio, alias honesta ex objecto, fieri inhonesta, & hypocrisis propter intentionem adeò laudabilem: unde & hac tuâ temerariâ censurâ incidis in justissimam, latam ab Alexandro VIII. contra propositionem hanc 10. inter 31. *Intentio, qua quis detestatur malum, & prosequitur bonum, merè ut cœlestem obtineat gloriam, non est recta, nec Deo placens*.

4 Rursus Angelicus explicationem nostram Augustino, & Apostolo conformem tradit in commentario Epistolæ ad Rom. cap.14. lect.3. *In homine infideli cum infidelitate est bonum naturæ: & ideo cùm aliquis infidelis ex dictamine rationis aliquod bonum facit, non referendo ad malum finem, non peccat*; atque adeò ejus actio non est hypocrisis; etsi ex charitate non profluat. *Cùm verò homo infidelis aliquid agit ex eo, quòd infidelis est, manifestum est,quòd peccat*. Quapropter in glossa *cùm dicitur, opus omne,quod non est ex fide peccatum est, sic est intelligendum; omne quod est contra fidem, vel contra conscientiam, peccatum est, etsi ex genere suo bonum esse videatur; puta, si paganus ad honorem suorum Deorum virginitatem servet, vel eleemosynam det,hoc ipso peccat*; sed de hoc nulla est disceptatio. Ad convincendos autem adversarios sufficit, infideles, quos constat fide & charitate destitui, aliqua bona opera facere ex dictamine rationis, sive cum speciali auxilio naturali, sive etiam cum supernaturali, in quibus non peccent; proinde quæ de hypocrisi immeritò accusentur.

5 Omnem de mente Angelici dubitationem adimit quod tradit 2. 2. q.17. a 8. „ *Sed contra est*, quod Apostolus dicit 1. „ Tim.1. *Finis præcepti charitas est de corde* „ *puro, & conscientiâ bonâ*: glossa *id est spe*. „ Ergo spes est prior charitate. „ Sic adversarius propriis armis ab Angelico confoditur; eo scilicet Scripturæ textu, quo inferre voluit superiore capite,omnem obedientiam, atque adeò omnem actum bonum profluere debere ex charitate, aliàs fore meram hypocrisim; hic S. Thomas conficit spem, quæ secunda virtus Theologica est, generationis ordine priorem esse charitate, atque adeò ex charitate non ducere originem; tum in conclusione *Respondeo*, inquit, *dicendum, quòd duplex est ordo; unus quidem secundùm viam generationis, & materiæ, secundum quem imperfectum prius est perfecto: alius autem ordo est perfectionis, secundùm quem perfectum naturaliter prius est imperfecto. Secundum ergo primum ordinem* (videlicet secundum viam generationis) *spes est prior charitate....* & rursus: *In via generationis spes est prior charitate; sicut enim aliquis introducitur ad amandum Deum, per hoc, quòd timens ab ipso puniri, cesset à peccato, ut Augustinus dicit super primam canonicam Joannis; ita etiam spes introducit ad charitatem in quantum aliquis sperans remunerari à Deo accenditur ad amandum Deum, & servandum præcepta ejus*.

Locus autem ab Angelico ex Augustino citatus indicatur in glossa marginis tractatu 9. Super illud *perfecta charitas foràs mittit timorem*:ubi sic Augustinus: *Sunt homines, qui propterea timent Deum,nè mittantur in ge-*

gehennam , & nè ardeant cum Diabolo in igne æterno : ipse est timor, qui charitatem introducit ; sed sic veniat, ut exeat; si enim adhuc propter pœnas times Deum, nondum amas quem sic times ; non bona desideras, sed mala caves : corrigis te , & incipis bona desiderare ; cùm bona desiderare cœperis, erit in te castus timor; quem explicat exemplo uxoris virum castè amantis , quo frui velit , & cui aliud etiam ab ipso datum non præferat .

Annotatione hic , vel ratiocinio opus non est : videt lector quilibet , etiam non Theologus, adversarios debellari undique . Secundùm viam generationis spes prior est charitate . Quod autem secundùm generationem prius est , non potest ex posteriore *velut ex fonte profluere*;aliàs pater posset procedere ex filio , quod lumini naturali apertissimè repugnat . Spem autem hypocrisim , vel peccatum Lutherus quidem cum suis , sed nullus catholicus vocaverit ; si verò spes à charitate non proveniens, foret *hypocrisis*, vel prava cupiditas , non *introduceret ad charitatem*, ut introducere S. Thomas asserit, *& accendere ad amandum Deum, & servandum præcepta ejus* . Similem vim tribuit timori, etsi in gradu paulò inferiore . *Introducitur enim aliquis* , inquit , *ad amandum Deum per hoc, quòd timens ab ipso puniri, cessat à peccato* . Et quidem eam tum timoris , tum spei virtutem probat Angelicus authoritate Augustini , cujus clarissimam sententiam patrocinantem communi doctrinæ Ecclesiæ contra Bajanismum à Quesnello impudentiùs resuscitatum, præbuit glossa in margine Aquinatis . De fide quoque S. Doctor art. 1. 2.q.62. a.4. *Oportet,quòd ordine generationis fides præcedat spem , & charitatem* . Fidem autem, etsi priorem spe & charitate, adeóque ex charitate non progenitam ; sed ad utramque tantummodo disponentem, nemo catholicus de *hypocrisi* accusabit .

6 Iterum Angelicus 2. 2. quæst.4. a.7. ubi quæritur *utrum fides sit prima inter virtutes*, sic respondet : „ Per se quidem inter „ omnes virtutes prima est fides ; cùm enim „ in agibilibus fides sit principium , ut su„ pra dictum est, necesse est, virtutes theo„ logicas , quarum objectum est ultimus „ finis , esse priores cæteris virtutibus ; „ ipse autem ultimus finis oportet, quòd „ prius sit in intellectu, quàm in voluntate ; „ quia voluntas non fertur in aliquid, nisi „ prout est in intellectu apprehensum . Un„ de,cùm ultimus finis sit quidem in volun„ tate per spem , & charitatem ; in intelle„ ctu autem per fidem , necesse est quòd fi„ des sit prima inter omnes virtutes ; quia „ naturalis cognitio non potest attingere „ ad Deum, secundùm quod est objectum „ beatitudinis , prout tendit in ipsum spes „ & charitas : sed per accidens potest ali„ qua virtus esse prior fide . Causa enim „ per accidens, est per accidens prior ; re„ movere autem prohibens pertinet ad cau„ sam per accidens; & secundùm hoc aliquæ „ virtutes possunt dici per accidens priores „ fide , inquantum removent impedimenta „ credendi; sicut fortitudo removet inordi„ natum timorem impedientem ; humilitas „ autem superbiam, per quam intellectus „ recusat se submittere veritati fidei : & „ idem potest dici de aliquibus aliis virtu„ tibus, quamvis non sint veræ virtutes, ni„ si præsupposita fide , ut patet per Augu„ stinum in lib. contra Julianum „ . Quia scilicet virtutes morales , nisi præsupposità fide, imperfectæ sunt, neque spem inferunt, neque charitatem . At etiam sic considerata , maximè dum ad fidem, ut S. Doctor jam explicuit, disponunt, ac proinde sunt ex Divinæ gratiæ auxilio, à nemine sinè impietate , ac divinæ gratiæ contumelià possunt de hypocrisi vel alio veri nominis peccato insimulari . De Augustino, quem Angelicus citat, agendum est mox .

Plura autem ex S.Thoma novitatem adversariorum destruentia dedi contra superiores articulos , quæ non est opus hìc repetere ; cùm adducta præsenti capite ad opponendum Quesnello Doctorem Sanctissimum abunde sufficiant .

Ex eodem optamus adversariis virtutes istiusmodi morales , quæ impedimenta removeant credendi , qualis hic describitur *fortitudo removens inordinatum timorem* , nè hæreseos Jansenianæ, & Bajanæ à Quesnello tot Propositionibus resuscitatæ , à CLEMENTE XI. iterata condemnatio Scripturis officiat , aut traditioni . Optamus eisdem etiam humilitatem, qua removeatur *superbia , per quam intellectus recusat se submittere veritati fidei* toties definitæ . Quæ fortitudo , & humilitas , licèt in hæreticorum conversione prior sit fide , ut patet, atque ita prior charitate , ex qua proinde non profluxerit , procul tamen est ab hypocrisi , & omni alio vitio ; cùm verè donum sit Spiritûs Sancti, non quidem adhuc inhabitantis ; sed rebelles animos ad sui susceptionem salubriter disponentis. Verùm affectata species pietatis ad conciliandam hæresi , & obstinatis ejus defensoribus authoritatem , nunquam aliter appellata à Patribus est, neque apud nos alio digna elogio,quàm hypocrisis pharisaicæ, & si quę illâ pejor est, diabolicæ.

CAPUT IV.

Observationes quædam ex Cardinalibus Bellarmino, & Aguirre ad præoccupanda, quæ objiciuntur ex Augustino.

1 Quamvis verissimum sit, quod ait D. Thomas 2. 2. quæst. 11. art. 2. *Authoritatem universalis Ecclesiæ principaliter residere in Summo Pontifice.... contra cujus authoritatem nec Hieronymus, nec Augustinus, nec aliquis sacrorum Doctorum suam sententiam defendit*: at sacris Doctoribus plus sibi arrogantes profani hæretici, & novatores nihil familiarius habent, quàm Pontifices, eorumque sanctiones citare ad tribunal Augustini, quasi ejus authoritate irritum reddere possent quidquid à Sede Apostolica, plerisque etiam Christiani orbis Episcopis suffragantibus, de fidei, ac religionis dogmatibus tam solemniter constitutum est. Verùm inanem malignantium spem esse facilè patebit, ubi æquivocorum tenebras, quibus illi sensum Augustini involvere, & mentes legentium circumvenire moliuntur, dilucidis explicationibus dissipavero.

Præmitto observationes duorum doctissimorum Cardinalium Bellarmini, & Aguirrii, quos de morum, sive in actibus, sive scriptis dissolutione arguere nè ipsi quidem audeant adversarii, qui & utriusque passim ambiunt patrocinium. Eorum primus, aliàs flagellum, aliàs malleus dictus hæreticorum, lib. 5. de gratia, & lib. arbir. cap. 9. „ Non est necesse (inquit) omnia referre „ in Deum explicitè, sed satis est, si opus „ referatur in bonum finem proximum; „ tunc enim per se dirigetur in Deum, ut „ in ultimum finem. Sicut enim omne „ agens particulare agit in virtute primi „ Motoris, id est Dei, sic etiam omnis bo„ nus finis movet in virtute ultimi finis; „ alioquin non solùm infideles; sed etiam „ fideles, & justissimi quique semper pec„ carent, cùm inter operandum de Deo „ non cogitant; sed operantur, quia ratio „ dictat esse bonum, & faciendum. Itaque „ nisi apponatur circumstantia finis mali, „ omne opus bonum morale per se refertur „ in Deum, etiamsi author operis id non co„ giter, vel intendat.

2 Quæ etsi solidissima sint, & communi Theologorum consensu recepta, ampliùs tamen deducta ab Eminentissimo Aguirre plus lucis accipiunt, & abundantius firmamentum.

Theologia S. Anselmi disput. 130. sect. 12. num 124. „ Ad argumentum (inquit) ex „ testimoniis Patrum, præsertim Magni Au„ gustini, patet responsio ex doctrina tradi„ ta in hac sectione, & in proximè præce„ denti. Nimirum S. Doctor, quoties urget „ præceptum dilectionis Divinæ, exigit „ quidem actum caritatis, quo Deum su„ per omnia diligamus, & cætera propter „ ipsum; quo sensu palàm loquitur in te„ stimonio primo ab adversariis allato ex „ lib. de gratia, & libero arbitrio cap. 18., „ & res certa est. Deinde loco alio ex li„ bro 5. contra Julianum cap. 3. solùm as„ firmat, totum rectè fieri, quando fit pro„ pter ipsum, id est, quando gratis amatur „ ipse, qualis amor nobis esse non potest, „ nisi ex ipso: id ultro fatemur; non tamen „ propterea ait, esse illicitum, esse pecca„ rum, non esse veram legis obedientiam, „ quidquid fit ab homine ex fine honestatis „ moralis finè explicita relatione ad Deum, „ vel ad finem charitatis formali, aur vir„ ruali; hoc enim soli recentiores aliquot „ Belgæ docent præter sensum Augustini, „ & contra expressam sententiam omnium „ Scholasticorum, atque in iis Divorum „ Thomæ, & Bonaventuræ. Quamvis enim „ explicitè solùm ametur honestas moralis, „ adhuc illa verè dicitur amari propter „ Deum; licèt implicitè solùm; cùm illa „ ex intima relatione in ejus gloriam refe„ ratur, seu in obsequium finis ultimi... Ac„ cipe illustrem Augustini locum in Psal„ mum 34. *Quidquid egeris, bene age, & laudasti Deum. Quando cantas hymnum, laudas Deum..... Discedis, ut reficiaris, noli inebriari, & laudasti Deum: Discedis, ut dormias? noli surgere ad malè faciendum, & laudasti Deum: Negotium agis? noli fraudem facere, & laudasti Deum*: „ *Agrum colis? noli litem movere, & laudasti Deum*. Quid expressius pro nostra senten„ tia? Idem lib. 11. de Trinitate cap. 6. ait: „ *Alia, atque alia voluntates suos proprios fines habent, qui tamen referuntur ad finem illius voluntatis, qua volumus beatè vivere.* „ Quare quisquis amat explicitè, & mode„ ratè honestatem moralem cujuslibet vir„ tutis (non collocando scilicet in ea ulti„ mum finem) aut proximum propter il„ lam, verè, quamvis implicitè solùm, id „ objectum amat propter Deum, ad quem „ illa ordinatur tanquam ad authorem, & „ finem totius honestatis moralis: cui sanè „ illa placet, & grata est in suo ordine. „ Quare, qui ita agit, non fruitur creaturâ „ propriè loquendo, quoniam fruitio pro„ priè

„ priè dicta folùm eft in ultimo fine fimpli- „ citer, id eft, nullatenus ordinato in alium „ ulteriorem. Quo fenfu folo Deo fruitur „ iuftus, qui ipfum propter fe amat; & pec- „ cator objecto commutabili, ac graviter „ turpi, cui adhæret, poftpofito vero fine „ ultimo. Itaque, qui amat moderatè crea- „ turam aliquam, vel virtutem propter mo- „ ralem honeftatem, folùm fruitur ea im- „ propriè, veluti fine intermedio, aut ulti- „ mo folùm fecundùm quid; five in deter- „ minato genere, aut fpecie actionum, qui „ implicitè ex natura fua in Deum finem „ fimpliciter ultimum refertur. Ejufmodi „ autem fruitio impropria non eft turpis, „ aut inconceffa; quin potiùs neceffaria ad „ acquifitionem virtutum moralium, qua- „ tenus ab invicem diftinctarum; prout fu- „ pra fectione 6. probatum eft ex doctrina „ S. Anfelmi, & omnium Philofophorum „ moralium: & conftat ex traditis à S. Tho- „ ma 1. 2. quæft. 1. art. 4., & 5., ubi agno- „ fcit fines intermedios, & ultimo fini fim- „ pliciter fubordinatos, & nuper audivi- „ mus ex Auguftino.

3 Num. 125. Sub medium „ Caftitas, „ & fobrietas in Scripturâ laudantur pluri- „ mùm, nullâ factâ mentione ejus relationis „ actualis, aut virtualis in Deum ex fide „ per dilectionem operante. Etenim Sap. 4. „ v. 1. dicitur: *O quàm pulchra eft cafta ge-* „ *neratio cum claritate* (five ut græcè ha- „ betur *cum virtute*;) *immortalis eft enim* „ *memoria illius*; *quoniam apud Deum nota* „ *eft*, *& apud homines*. Præterea Apoftolus „ ad Philippenfes 4. ita eos hortatur: *De* „ *cætero fratres quæcumque funt vera*, *quæ-* „ *cumque pudica*, *quæcumque fancta*, *quæ-* „ *cumque amabilia*, *quæcumque bonæ famæ*, „ *fi qua virtus*, *fi qua laus difciplinæ*, *hæc co-* „ *gitate*. Quibus verbis hortatur, & accen- „ dit ad amorem quarumlibet virtutum „ moralium, nullâ factâ mentione illius re- „ lationis formalis, aut virtualis explicitæ „ in gloriam Dei. Procul itaque ab omni „ fpecie veri eft, quòd amor honeftatis vir- „ tutum moralium propter fe ipfam, finè „ expreffa relatione ad Deum formali, aut „ virtuali, oriatur ex cupiditate contrapofi- „ tâ charitati, & vitiosâ, ac proinde fit pec- „ catum.

Num. 126. „ Denique Auguftinus in id „ potiffimùm conatur, ut actiones noftræ „ ex officio bonæ non in finiftrum aliquem „ finem, puta inanis gloriæ, turpis quæftûs, „ aut fimilem alium dirigantur; fed in finem „ à Divinâ fapientiâ præfcriptum, qui eft „ ipfe Deus, vel illius gloria. Virtutes „ enim à vitiis, ut ipfe ait, non officiis; fed „ finibus diftinguuntur, ac proinde, ut quæ- „ libet actio in materia ad virtutem fpe- „ ctante, fit actio virtutis, debet ipfi præ- „ fcribi finis ille, qui proprius virtutis eft, „ & differt prorfus à fine vitii. Cùm verò „ honeftas moralis propria uniufcujufque „ virtutis, prout diftinctæ à vitio fibi dire- „ ctè contrariò, fit peculiaris, & certa ho- „ neftas moralis, confequens eft, ut actio „ illa propter fe, ac directè fpectata, fit „ propriè actio talis virtutis: nec ideo ne- „ gamus, illam debere fieri in obfequium „ Dei; fiquidem eo ipfo, quod moderatè „ fpectet honeftatem moralem propriæ vir- „ tutis, finè admixtione alterius pravi finis, „ implicitè, & naturâ fuâ in obfequium, & „ gloriam Dei tendit, ut fæpe dictum eft.

4 Num. 121. „ Hæc folutio eft gene- „ ralis circa omnem hominis actionem deli- „ beratam, five jufti, five peccatoris: five „ fidelis, five infidelis; quilibet enim illo- „ rum, dum amat honeftatem moralem cu- „ juslibet virtutis, & verè ex illius amore „ agit, nec illam refert ad alium finem pra- „ vum, qualiter plerumque infideles refe- „ runt ad falfum numen, quod adorant, „ cenfetur quærere gloriam Dei implicitè; „ licèt Deum ipfum explicitè non cogitet, „ nec ejus recordetur: quod vel in ipfis „ hominibus juftis, imò & non mediocriter „ pietati deditis, contingere frequenter „ folet; quos tamen in iis actionibus pec- „ cati arguere, duriffimum, & alienum à „ pietate videtur.

Num, 122. „ Adhuc tamen loquendo „ circa exiftentes in ftatu gratiæ, eft alia „ infuper ratio, ut in iis actionibus excu- „ fentur ab omni peccati labe propter re- „ lationem habitualem in Deum vi habitûs „ charitatis, aut etiam dilectionis alicujus, „ qua femel aut iterum in die, aut faltèm „ in hebdomada omnes fuas actiones deli- „ beratas in Dei gloriam feriò referunt. „ Sufficit enim ea intentio purè habitualis, „ ut actiones fequentes in materia virtu- „ tum moralium elicitæ propter honefta- „ tem objectivam ipfarum, fint prorfus in- „ noxiæ, & honeftæ, quæ eft expreffa do- „ ctrina S. Thomæ in Quæftionibus difpu- „ tatis 97. de malo art. 1. ubi cuidam ar- „ gumento fibi objecto ex verbis illis Apo- „ ftoli: *Omnia in gloriam Dei facite*, ita re- „ fpondet: *Ad nonum dicendum, quòd, cùm* „ *illud præceptum Apoftoli fit affirmativum,* „ *non obligat ad hoc, quod femper obfervetur* „ *in actu; obfervatur autem femper in habitu,* „ *quamdiu homo habitualiter habet Deum fic-* „ *ut*

„ *ut ultimum finem*. Porrò eadem verba S. Thomæ in eodem sensu à nobis explicato accipit, & sequitur S. Franciscus Salesius, ut vidimus sect. 7. num. 65. quare non est opus aliâ relatione virtuali, sive derivata ex actu dilectionis formalis præcedente, quæ hic, & nunc influat in actionem deliberatam ex fine morali honestatis elicitam; sed id dumtaxat spectat ad majorem operis honestatem, quæ potiùs ad consilium, quàm ad præceptum pertinet.

Num. 123. „ Denique in illis hominibus, qui speciatim cultui Divino dicati sunt, ut Episcopis, Sacerdotibus, Religiosis, & pluribus aliis cuidam cœtui sacro, aut Confraternitati adscriptis, est peculiaris ratio, ut omnia illorum opera ex officio honesta, cùm nullo sinistro fine, aut circumstantiâ vitiantur, censeantur cedere in gloriam Dei propter peculiarem illam rationem, aut deputationem in Dei cultum; ut pulcherrimè docet, ac probat idem S.Franciscus Salesius lib. 12. de amore Dei toto cap. 8. ubi non solùm honestatem, de qua disserimus; sed, quod longè plus est, meritum adscribit iis actionibus in statu gratiæ factis, quamvis homo, dum eas elicit, nullatenus Dei recordetur, nec ullo modo eas explicitè dirigat in ipsius gloriam: quid ad hæc adversarii? Desiderantne, aut quærunt ardentiùs gloriam Divinam, quàm D. Thomas, quàm Salesius, quàm Bonaventura? Discant itaque ab iis ardenter quidem Deum diligere, & ubique gloriam ejus præ oculis habere, quod nos etiam, infirmi licèt, ac peccatores, optamus, & enixè ab ipso Domino impetrare studemus. Dediscant verò eam tam assiduam, & generalem præcepti obligationem imponere, quàm ii tres ardentissimi Zelatores prorsus negaverunt. „

Quæ ex duobus eruditissimis, & de laxitate nemini suspectis Cardinalibus protuli, non solummodo Sanctorum Angelici, Seraphici, & Salesii, communibusque Scholarum suffragiis fixa sunt; sed ipsius etiam Augustini principiis maximè conformia. Proin spero, lectorem quemlibet novitatibus non præoccupatum, in communem Theologorum, imò Ecclesiæ, iturum facilè sententiam.

CAPUT V.

S. Augustinus damnatæ Propositioni non favet; sed certissimè refragatur.

1 Obruere, vel obscurare veritatem multitudine textuum, quos congerere potuerunt, magis difficilinm, hic adversarii conantur, sed irrito, ut mox patebit, molimine. Primo loco proferunt illud Augustini ex Enchiridio ad Laurentium cap. 121. *Omnia igitur præcepta Divina referuntur ad charitatem, de qua dicit Apostolus: Finis autem præcepti est charitas, id est ad charitatem refertur omne præceptum. Quod verò ita fit timore pœnæ, vel aliqua intentione carnali, ut non referatur ad illam charitatem, quam diffundit Spiritus Sanctus in cordibus nostris, nondum fit quemadmodum fieri oportet, quamvis fieri videatur*. Verùm longè aliud est, charitatem de corde puro, & conscientiâ bonâ esse præcepti cujuslibet finem, quod significat, præcepta omnia ad charitatem, quæ est ex corde puro, & conscientiâ bonâ, ordinari; aliud est, præcepti cujuslibet observationem nullam esse, sed hypocrisim, nisi ex tali charitate profluxerit, ut damnata enuntiat Propositio.

Fides, & spes ad charitatem illam etiam ordinantur, suntque non hypocrisis; sed Theologicæ virtutes, etsi generatione priores sint charitate, ut post Doctorem Angelicum omnes docent Scholastici. Verba S. Thomæ dedi cap. 2. Et ratio ejus manifesta est; quia fides ad intellectum pertinet, charitas ad voluntatem, quæ non fertur, nisi in id, quod ab intellectu priùs fuerit propositum. Sed & per accidens, ut idem *illic* Angelicus docuit, fortitudine priùs opus est, ut objecta à mundana formidine difficultas superetur. Opus est & humilitate, quæ intellectum subjiciat obsequio fidei. Quæ quidem virtutes, etsi, priusquam accesserit charitas, informes, imperfectæ, & mortuæ, bonæ tamen sunt, salubres, & necessariæ, ut introducatur charitas, quæ præceptorum omnium finis, & plenitudo, perfectio, & virtutum omnium regina est.

2 Sic de timore Augustinus Tractatu nono in epistolam Joannis ante medium: *Timor quasi locum præparat charitati; sicut videmus per setam introduci linum quando aliquid suitur, seta priùs intrat; sed, nisi exeat, non succedit linum: sic timor, & charitas*. Timor, dum locum præparat charitati, antequam hæc succedat, bonus est, sanè non hypocrisis; alioqui minimè foret introducendæ charitati

ritati idoneus; sed impediendæ tantùm, &, si fuisset antea, etiam pellendæ.

Cur igitur, inquies, monet Augustinus, *non fieri quemadmodum fieri oportet, quod ita fit timore pœnæ, vel aliqua intentione carnali, ut non referatur ad illam charitatem, quam diffundit Spiritus Sanctus in cordibus nostris?* Solutionem ipsa Augustini verba indicant; non enim simpliciter dicitur, quod fit timore pœnæ, sed *quod ita fit timore pœna .... ut non referatur ad illam charitatem &c.* quandonam autem aliquid ita timore pœnæ fit, ut ad charitatem non referatur? quando ad eam nullatenus disponit, quando ita movet supplicii metus, ut simul animus affectum retineat peccandi, si posset impunè; Tunc *nondum fit opus præceptum quemadmodum fieri oportet; quamvis fieri videatur*. At, semoto illo execrabili affectu, qui semoveri potest, & sæpissimè abest, quoties nempe, ut fit in attritione, gehennæ, & pœnarum metui jungitur serium propositum non peccandi imposterum; tunc timor ille, sive attritio, ut in Tridentina Synodo sess. 14. cap. 4. decernitur, *ad Dei gratiam in Sacramento pœnitentiæ impetrandam disponit*, atque ita refertur ad charitatem, quæ gratiæ habitualis nomine illic intelligitur, vel ab ea inseparabilis est.

Audiatur iterum Augustinus Tract. 41. in Joannem post medium: *Noli timere pœnam; sed ama justitiam. Nondum potes amare justitiam? Time vel pœnam, ut pervenias ad amandam justitiam*; ubi apertissima Sancti Doctoris sententia est, timorem, etiam sinè charitate, sinè amore justitiæ, posse ad illam amandam perducere. Igitur obedientia non profluens ex charitate potest esse actus nullatenus malus, imò & bonus, utpote per quem *pervenias ad amandam justitiam*. Si omnis obedientia ex charitate non promanans foret hypocrisis, aut peccatum, posset ne sapientissimus æquè, ac sanctissimus Doctor illam homini suadere tanquam dispositionem ad amandam justitiam? Itaque timor pœnæ, etiam sinè charitate, ad eam optimè *refertur*; quandoquidem per eum fit, ut *ad amandum justitiam perveniatur*.

Rursus Augustinus homilia 42. ex 50. cap. 8. post medium: *Si peccatum non times, time quò perducit peccatum*. Habemus hic timorem gehennæ ex charitate minimè procedentem, ad quem Doctor Maximus peccatorem hortatur, supposito quod peccatum odisse nolit. Non igitur timorem illum, etiam in tali circumstantia hypocrisim censuit, vel peccatum, ad quod nefanda foret instigatio. Idem Sanctus epist. 120. cap. 18. circa medium, ait: *Præmissus timor in cor nostrum, pellit indè consuetudinem malorum operum, & servat charitati locum*. Præmissus timor ille charitati, eique locum servans, etsi charitate prior sit, atque ita ex ea non proveniat; non tamen hypocrisis; neque ea, quam imperat, præceptorum obedientia, peccatum est; aliàs non *pelleret* timor ille *consuetudinem malorum operum*; sed augeret: neque *servaret charitati locum*, sed obstrueret ei aditum.

Denique tam alienus est Augustinus à damnando timore, vel opere præcepto, quod timor, non charitas elicuerit, ut epist. 50. ante medium asserat: *Sicut meliores sunt, quos dirigit amor; ita plures sunt, quos corrigit timor*, etiam sejunctus ab amore. Ubinam igitur est hypocrisis, quam Propositio temere, & iniquissimè impingit omni obedientiæ non proficiscenti *ex charitate*? Hæc sola, quæ hactenus ex Augustino attuli, abunde sufficiunt ad convictionem manifestam, ut supervacanea lectori apparitura sit quæcunque cæterorum textuum studiosa evolutio.

3 Detur id tamen etiam frangendæ adversariorum pertinaciæ: in Psalm. 51. ad illa verba *Radicem tuam de terra viventium* monet Augustinus: *Ergo in terra viventium nos debemus habere radicem: radix nostra ibi sit. In occulto est radix; fructus videri possunt, radix videri non potest. Radix nostra charitas nostra, fructus nostri opera nostra: opus est, ut opera tua de charitate procedant: tunc est radix tua in terra viventium.* Facilè assentimur, quòd, ut opera nostra ducant ad terram viventium, debeat eorum radix esse charitas.

In eo, ut in cæteris passim Augustinum secutus est Doctor Angelicus ipsius Jansenii judicio *interpres Augustini fidelissimus*. In quæstionibus disputatis q. 7. de malo, art. 1. ad illud *omnia in gloriam Dei facite*, respondet: *Non obligat ad hoc, quòd semper observetur in actu. Observatur autem semper in habitu, quamdiu homo habitualiter habet Deum ultimum finem*. Quamdiu scilicet est in statu gratiæ, Deum semper amat habitu charitatis, atque ita radix bonorum operum ipsius est charitas pertinens ad terram viventium; si nempe ex fine honesto absque prava circumstantia exerceantur. Ita quoque in primæ Cor. 10. lect. 7. *Omnia in gloriam Dei facite, & cum invocatione Creatoris ea intentione, ut Deus laudetur, & glorificetur. Matth. 5. Sic luceat lux vestra coram hominibus &c. Colos. 3. Omne, quodcumque facitis in verbo, aut in opere, omnia in gloriam Dei facite*

facite. Audi nunc quomodo id explicet D. Thomas ex Augustino: *Augustinus in Psalm. 34. conc. 2. in fine: hæc si recte fiant; laudes Dei sunt .... Cùm enim Deus laudatur de bono opere tuo, Deum laudas; & cùm blasphematur Deus de malo opere tuo, Deum blasphemas*.

Rursus in 1.Cor.10. lect.7. *Dicendum est*, inquit, *quòd non est necessarium, quòd omnia in Deum referantur actu, sed habitu. Qui enim facit contra gloriam Dei, facit contra hoc præceptum*; non qui non dirigit in omnibus actibus intentionem ad Dei gloriam. Si, dimisso Augustini interprete, & Sectatore Angelico, ipsum audire magis placeat Hipponensem; is lib. 5. de Civitate Dei cap. 24. docens frænandas esse cupiditates, motivum designat, *non propter ardorem inanis gloriæ; sed propter charitatem felicitatis æternæ*: ubi amor concupiscentiæ cœlestis, non solùm ut honestus, & salubris proponitur finis certamini contra motus illicitos; sed etiam *charitatis* nomine decoratur. Sermone 50. de charitate, aliàs de tempore 39. in illud 1. Cor. 13. *Si linguis hominum loquar, & Angelorum, charitatem autem non habeam &c.* Sic legitur: *Quid illa* (charitate) *fidelius non vanitati, sed æternitati? Nam ideo tolerat omnia in præsenti vita, quia credit omnia de futura vita; & suffert omnia, quæ hic immittuntur; quia sperat omnia, quæ ibi promittuntur*.

In Psalm. 120. *Quando facis bonum opus, propter vitam æternam fac; nam, si opus bonum feceris, ut terrena tibi abundent, sinistra tua, quid faciat dextera tua ... Noli facere nisi propter vitam æternam; Si ideo facis, securus eris; hoc enim mandavit Dominus*.

Serm. 19. de Verbis Apostoli; *Ecce propter quam visionem fac bonum: ecce propter quam visionem noli facere malum*.

In Psalm. 127. *Unam petii à Domino: Vide quomodo ardeat timor iste castus, timor verus, timor sincerus; unam petii à Domino, hanc requiram. Quid? ut inhabitem in domo Domini per omnes dies vitæ æternæ. Quid si propter æternam felicitatem? Audi quid sequatur; propter contemplationem Domini*. Ubique amor concupiscentiæ cœlestis, qui spei proprius est, approbatur velut dignus operibus Christianis. Lib. 10. de Civitate cap. 4. circa medium: *Ut homo sese diligere nosset, constitutus est ei finis, quò referret omnia, quæ ageret, ut beatus esset. Non enim qui se diligit, aliud esse vult, quàm beatus*. Referre itaque actiones in beatitudinem æternam non est incongrua præceptis adimplendis intentio.

4 Verùm, quidquid sit de operibus, ut æternum præmium mereantur; ad quod utrum necessaria sit explicita in Deum per charitatem relatio, de quo inter Scholasticos disceptatur; certissima Augustini sententia est, non exigi charitatem, ut aliqua legis obedientia absque peccato fit. Nullus enim tergiversationi, nullus sophismati locus relinquitur in apertissimis convictionibus à me toties inculcatis: Inter cæteras ex lib. 1. de Gratia cap. 24. ubi Assueri Regis Assyrii, & infidelis animus iracundiâ furens ad mansuetudinem à Deo conversus describitur, atque ejus *lenitas*, qua & Esthérem benignè excepit, & impium contra Judæos latum decretum abrogavit, vocatur ab Augustino *voluntas bona*, quam *Deus* in ipso *internâ, & occultâ; mirabili, & ineffabili potestate* operatus est; manente tamen Assuero in tenebris infidelitatis, & à Theologicis virtutibus remoto. Ea lenitas ab Augustino laudata, quæ fuit debita legi naturali obedientia, non fuit hypocrisis, aut peccatum, utpote, Augustino judice, munus Dei; neque tamen ejus radix fuit *charitas* in Decalogo præscripta, & quam adversarii ad evitandam hypocrisim in omni obedientia postulant, lege, ut putant, indispensabili.

Quid faciant Polemonis continentiâ, & sobrietate, ad quam in Schola Xenocratis philosophi gentilis, & ipse manens Ethnicus conversus est? Hypocrisim, aut peccatum appellare non possunt, nè Deum statuant hypocrisis authorem, & maximè hypocritam, qui tot legibus prohibear, & tantis puniat suppliciis peccata, quæ tamquam singularia *dona* largitur hominibus, ut de sobrietate illa, & continentia testatur Augustinus Epist. 130. quæque Deus, ut ait Augustinus lib. 1. de gratia cap. 24. *interna, & occulta; mirabili, ac ineffabili in cordibus hominum potestate* operatur? Quid autem in sua hypothesi Quesnellus cum suis sentiat de Augustino, qui (si vera Quesnelli Propositio est) hypocrisim Polemonis, & Assueri prædicet tanquam *voluntates bonas*? Illarum *radicem* non fuisse in *terra viventium*, neque charitatem propriè dictam, omnibus indubitatum est.

Habueruntne Romani veteres, notissimi Ethnici, radicem operum suorum in terra viventium? Num processere illa ex charitate? Nullus asseret catholicus: minùs asseret Quesnellus, penès quem *fides est prima gratia*, juxta Propositionem 27. & juxta 40. *Sinè gratia nihil amare possumus, nisi ad nostram condemnationem*. Agnovit tamen in gentilibus istis opera bona, & omnis noxæ expertia Augustinus lib. 5. de Civitate Dei cap.

cap.12. *justitiam* scilicet, *& actus strenuos*, quibus *à Deo promeruerunt imperium*. Justitiam autem illam, & actus strenuos caverit Augustini discipulus peccati, & hypocrisis maculâ conspergere, nisi Deum finxerit impium peccari, & hypocrisis approbatorem, remuneratoremque, quo nihil excogitari potest à Sanctitate Numinis, sapientiâ, justitiâ, magis alienum.

Aliud igitur Augustino est, *radicem habere in terra viventium*, radicemque charitatem dici operum ad veram pietatem, salubrem justitiam, atque æternam beatitudinem pertinentium; aliud, radicem illam esse necessariam actionibus humanis omnibus, ut sint qualiscunque legis naturalis obedientia, immunis saltèm ab hypocrisi, & peccato.

5 Hinc pariter responsio patet ad aliud, quod objicitur ex libro de gratia, & libero arbitrio cap. 18. *Hæc omnia præcepta dilectionis* (Dei, & proximi) *id est, charitatis, tanta, & talia sunt, ut, quidquid se putaverit homo facere bene, si fiat sinè charitate, nullo modo fiat bene*: ubi si *benè* intellexeris de bonitate cœleste præmium promerente, non litigabo; si de bonitate qualicunque morali, innocuâ saltèm, & sufficiente, ut hypocrisis evitetur, & peccatum, repugnantem offendis Ecclesiam Catholicam, & maximè Augustinum. Ecclesiam inquam catholicam, quæ damnat Bajanum Articulum 16. *Non est vera legis obedientia, quæ fit sinè charitate*. Et 25. *Omnia opera infidelium sunt peccata, & philosophorum virtutes sunt vitia*. 27. *Liberum arbitrium sinè gratiæ Dei adjutorio non nisi ad peccandum valet*. Repugnat, & Augustinus tum in clarissimis, quæ jam protuli, exemplis; tum in eo, quod de similibus impiis, & uti à fide, ita à charitate procul exulantibus ait lib. de Spiritu, & lit. cap. 26. *In numero etiam hominum impiorum, nec Deum verum veraciter justèque colentium quædã facta vel legimus, vel novimus, vel audivimus, quæ secundùm justitiæ regulam non solùm non vituperare possumus; verùm etiam meritò justèque laudamus; quamquam, si discutiatur quo fine fiant, vix inveniuntur, quæ justitiæ debitam laudem, defensionemque mereantur*; quia pleraque, non omnia, vel in honorem falsorum numinum, vel ex vana gloria, vel alio fine illicito facta labem contrahunt iniquitatis.

Cur verò non omnia in eis iniqua sint, non inhonesta, rationem ibi reddit Augustinus; quia *ipsi homines erant, & vis illa naturæ inerat illis, quâ legitimum aliquid anima rationalis, & sentit, & facit: & sicut non impediunt à vita æterna justum quædam peccata venialia, sinè quibus hæc vita non ducitur; sic ad salutem æternam nihil prosunt impio aliqua opera bona, sinè quibus difficillimè vita cujuslibet pessimi hominis invenitur*.

6 Eadem responsio dissolvit quod opponitur ex libro de dono perseverantiæ cap. 16. *Si autem gratia prævenit fidem, quoniam prævenit voluntatem, profectò prævenit omnem obedientiam, prævenit etiam Charitatem, qua una veraciter, & suaviter obeditur*; veraciter, seu prout oportet ad veram justitiam, ad veram pietatem, meritum salutiferum, veram beatitudinem; quamvis sinè charitate pluribus præceptis obedientia præstari valeat, quarum sufficit ad vitandam hypocrisim, & peccatum, ut pluribus ex Augustino testimoniis, & exemplis jam demonstratum est.

Alius objectæ sententiæ sensus esse potest, quòd una charitas veræ, & suavi obedientiæ obtinendæ modus præ cæteris optimus sit, præscindendo, an non etiam alia veræ obedientiæ ratio sit. Tertia Augustiniani textûs interpretatio videtur non incongrua, si charitas non accipiatur rigidè pro tertia solùm virtute theologica; sed pro quolibet affectu pio, quo diligitur quod jubetur. Quisquis enim in Sanctissimi Doctoris operibus pacato ingenio, & non spiritu novitatis versatus est, facilè agnoverit, variam apud Augustinum esse vocis *charitas* acceptionem, ut superiùs indicare cœperam, & nunc in Lectoris commodum iterum, & copiosiùs ostendo.

Lib. 5. de civit. Dei cap. 24. amorem beatitudinis vocat *charitatem felicitatis æternæ*.

Serm. 350. de charitate, aliàs de tempore 39. dicitur: *Charitas ideo tolerat omnia in præsenti vita, quia credit omnia de futura vita; suffert omnia, quæ hic immissuntur; quia sperat omnia, quæ ibi promittuntur*: quæ charitas sistens in amore beatitudinis, quam sperat, videtur ad secundum potius virtutem theologicam pertinere, quàm ad tertiam.

Lib. de Virginitate cap. 38. obedientia ex timore gehennæ elicita charitas Augustino est; licèt imperfecta. *Est enim*, inquit, *timor ignis æterni, propter quem devitandum Deo inservire, nondum est utique perfectæ charitatis*. Quid autem perfectæ hic charitatis nomine Augustino est? indicatur ab ipso beatitudinis desiderium, mox ratione redditâ cur prior charitas imperfecta sit. *Aliud est enim* [inquit] *desiderium præmii, aliud formido supplicii: aliæ voces sunt, Quò ibo à spiritu tuo, & quò à facie tua fugiam? Et aliæ voces sunt*, Unam

Unam petii à Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo tua.

7 Imò quemlibet amorem recti, quamlibet volitionem bonam Augustinus subinde donat nomine charitatis. Ita in psalm. 9. num. 15. *Pes animæ rectè intelligitur amor, qui cùm pravus est, vocatur cupiditas, aut libido; cùm autem rectus, dilectio, aut charitas.* Lib. 2. ad Bonifacium cap. 9. *Quid est boni cupiditas, nisi charitas?* Lib. de Gratia Christi cap. 21. *Quasi verò aliud sit bona voluntas, quàm charitas?* Lib. 8. de Trinitate cap. 10. *Quid est dilectio, & charitas nisi amor boni?*

Serm. 52. de tempore dicitur: *Licita est humana charitas, qua uxor diligitur; illicita, qua meretrix, vel uxor aliena; humana est; sed, ut dixi, licita est, non solùm autem ita licita est, ut concedatur; sed ita licita est, ut, si defuerit, reprehendatur. Liceat vobis humanâ charitate diligere conjuges, diligere filios, diligere amicos vestros, diligere concives vestros; sed videtis, istam charitatem esse posse & impiorum, id est Paganorum, Judæorum, Hæreticorum.*

Denique adversarii, quia adæquatam esse statuunt in Augustini Sententia divisionem humanorum actuum in charitatem, & cupiditatem, necessariò admittere coguntur, juxta S. Doctorem in Psalm. 34. Serm. 2. num. 16. omnem actionem bonam esse charitatem; voluntatem non inebriandi se, esse charitatem; voluntatem cantandi hymnum, esse charitatem; voluntatem non faciendi fraudem, esse charitatem, atque ita de cæteris boni faciendi, vel mali omittendi volitionibus, omnes apud Augustinum charitatis esse titulo dignas; velut synonyma enim apud eum habentur laudare Deum, diligere, honorare, quærere ejus gloriam.

Hinc, dum loco citato ait, *Totâ die Deum laudare quis durat?* Idem est ac si dicat Deum diligere tota die quis durat? ad quod respondet. *Suggero remedium unde tota die laudes,* diligas *Deum, si vis. Quidquid egeris, bene age, & laudasti,* dilexisti *Deum. Quando cantas hymnum, laudas,* diligis *Deum: Cessasti ab hymno cantando, discedis, ut reficiaris? noli inebriari, & laudasti,* dilexisti *Deum. Discedis, ut dormias: noli surgere ad malefaciendum, & laudasti,* dilexisti *Deum. Negotium agis, noli fraudem facere, & landasti,* dilexisti *Deum.* Agnovit igitur Augustinus in his omnibus actibus, & volitionibus, quas velut Dei laudes prædicat, obedientiam bonam, quæ tamen propriè dicta charitas non sit, sive actus, sive habitus virtutis inter Theologicas præcipuæ.

Quantò igitur prudentiùs, & religiosiùs adversarii amplecterentur communem Ecclesiæ sententiam, & juxta eam Augustinum intelligerent cum Eminentissimis Bellarmino, & Aguirre, peridoneis Ecclesiasticæ traditionis testibus, toto superiori capite allegatis! Eorum explicatio consona est Doctori Angelico, & apud ejus passim discipulos celebratissima: est certissimè S. Salesii, Seraphici, & totius Scholæ ejus tam Catholicæ, tam Religiosæ.

Quæcumque demum alia probabilis cuipiam videbitur Augustini interpretatio, non reluctabor; modò non sit ejusmodi, quæ falsâ pietatis specie Deum constituat erroris, ad impietatem sacrilegam, & atheismum proximè ducentis authorem, ut nostri eum hic constituunt adversarii. Ut enim toti Augustiniani haberi volunt, & ejus velut autonomasticè discipuli, subscribere coguntur tot ejus textibus apertissimis, quibus aliquas infidelium in infidelitate manentium, atque adeò, omnis fidei, omnis salutiferæ charitatis expertium actiones prædicat, ut *justè meritòque laudandas*, ut *Dei munera, quæ Deus interna, & occulta; mirabili, ac ineffabili potestate operatur; ut justitiam, qua à Deo promeruerint imperium.* Quæ si simul, Augustino judice, peccata fuerint, & hypocrisis, ut hactenus statuunt adversarii, nulla superest, quâ elabantur, via, quin eum faciant non solummodo iniquitatis encomiasten, sed etiam fingentem Numen, quod peccata, & hypocrisim approbet, ac præmio remuneretur, quæ gravibus deberet vindicare suppliciis. Istud tam detestabile consectarium nullo sophismate, aut studiosæ ratiocinationis arte à me elicitur; sed sponte fluit, utpotè in antecedente patentissimè contentum.

Instant nihilominus adversarii ex libro de gratia Christi cap. 26. *Quid autem boni faceremus, nisi diligeremus?* Nemo bonum facit, nisi volens, atque adeò diligens: nam qui opus præceptum merè exteriùs operatur timore, ut Scholastici vocant, *serviliter servili*, retinens desiderium peccandi, si abesset periculum supplicii, obedientiam simulat, non præstat.

De quo autem illic bono agitur? *De bono*, inquit Augustinus, *quod ad pietatem pertinet, veramque justitiam*. Ad tale bonum non restringitur Propositio; sed ad omnem extenditur, etiam legis naturæ obedientiam. Aliud scilicet opus est *ad pietatem pertinens, veramque justitiam*, quod in impiis, & infidelibus, quamdiu tales permanent, nec ad conversionem divinitùs adjuti se disponunt, non reperitur; aliud opus solum-

lummodo moraliter bonum, qualis eft legis alicujus naturalis obedientia, honorandi parentes, reddendi depofitum, folvendi debitum, admiuiftrandi civilem juftitiam, auferendi offendiculum cæco, nè cadat, impediendi hominem, nè fe occidat, fubducendi infantem, nè à currente equo obteratur, dandi fruftum panis pauperi, nè fame pereat, & plura ejufmodi, quæ etiam cuilibet barbaro natura dictat effe facienda.

Nihil eorum fieri poffe finè explicita dilectione Dei, imò finè propriè dicta *charitate*, aliàs fore femper peccatum, & hypocrifim, etiam abfente omni pravâ intentione, ac circumftantiâ, non Auguftinus; fed cum Luthero, Calvino novaturiens Quefnellus affirmat: *Obedientia legis profluere debet ex fonte, & hic fons eft charitas. Quando Dei amor eft illius principium interius, & Dei gloria ejus finis, tunc purum eft, quod apparet exteriùs; alioquin non eft nifi hypocrifis, aut falfa juftitia.* Quid autem Deus in Scripturis? Proverb. c.8. *Ego diligentes me diligo.* 1. Petri c. 4. *Charitas operit multitudinem peccatorum.* 1. Joan.4. cap.4. *Omnis qui diligit, ex Deo natus eft.* Et in fenfu proprio, & obvio charitas five pro actu accipiatur, five pro habitu, intelligitur juftificans: faltèm non aliam intelligi à Quefnello, ex ejus propofitionibus exploratum eft, nam prætermiffâ 28. *Prima gratia, quam Deus concedit peccatori eft peccatorum remiffio*, juxta 15. *Fides juftificat, quando operatur; fed ipfa non operatur nifi per charitatem*; hanc enim non operari nifi operante fide, Theologis omnibus indubitatum eft, neque de hoc dubitant adverfarii.

Igitur quotiefcunque charitas operatur *obedientiam legis*, quod Quefnello neceffarium eft, ut obedientia non fit peccatum, & *hypocrifis*, femper eft juftitia, vel juftificatio, & amicitia cum Deo. Confecutionem effe legitimam, & plura errorum monftra in tali principio contineri, quivis mediocriter theologus facilè deprehendit; damnata videlicet à pluribus olim Pontificibus, & Tridentino Concilio, adverfantia Scripturis, & traditioni, maximè Auguftino.

Hactenus expedivimus argumenta Hexaplorum, fi tamen argumentorum nomine appellari mereatur incondita textuum congeries; ex qua quomodo ftabilienda fit Propofitio, Lectori divinandum relinquitur: quod non cuilibet fempet facile: neque conduceret fortè adverfariis mentem fuam ubique exprimere diftinctiùs; non enim novis hæreticis apparet confultum, fenfuum fuorum impietatem ftatim initio omnem prodere, donec partes fuas, faventibus inferis, præpotentis alicujus Principis, vel Reipublicæ authoritate firmaverint. Interim promovenda novitas eft quibus poteft artibus, & inter cæteras, ob fcurorum, quotquot corradi ex Patribus poffunt textuum coacervatione, qui ab ignorantibus, non ut oportuit intellecti, videantur erroribus patrocinari?

9 Hexaplis more fuo fuppetias fert *Collator Propofitionum damnatorum cum Scripturis, & SS. Patribus.* Addit is ex Auguftini libro contra Fauftum cap.27. *Solâ charitate juftitia legis impleri poteft*: Et libro de catechizandis rudibus cap.20. *Legem non implet nifi charitas.* Cùm præcipua legis præcepta fint de diligendo Deo, & proximo propter Deum, patet, impleri legem non poffe finè charitate. Non iftud dogma eft, quod in Quefnelli Propofitione Catholici reprehendunt, aut damnat Conftitutio; fed quod ad quamlibet legis obedientiam requiri charitas dicatur, & *falfa declaretur juftitia, aut vera hypocrifis*, quoties alterius virtutis motivo quantumvis honefto, & abfque ulla pravitatis circumftantiâ obeditur legi qualicumque, etiam ordinis naturalis. Quæ opinio tot execrabilium dogmatum fodina eft, ut poft demonftrationes adeò manifeftas, & iteratas contra eam toties Sedis Apoftolicæ cenfuras non appareat cui placere impofterum poffit, nifi iis, qui cum fupremæ auctoritatis reverentiâ omnem exuerint religionem.

Si fenferis, nullam impleri legem finè charitate latè dicta, quæ Auguftino aliud non eft, quàm bona voluntas, non refragabimur; fed indè nihil eft pro neceffitate charitatis perpetuæ actualis juxta appellationem propriam, feu dilectionem Dei explicitam, & fuper omnia benevolam, feu juftificantem, ut explicat Quefnellus.

10 Protruditur & illud libri 3. contra 2. epiftolas Pelagianorum cap. 7. *Sic eos litera occidit, aut apertè etiam fibi reos, non faciendo quod præcipit, aut putando fe facere quod fpiritali, quæ ex Deo eft, non faciunt charitate; ita remanent aut apertè iniqui, aut fallaciter jufti.* Ipfe fe explicat Auguftinus, ubi textus integer attenditur: *Hoc eft*, inquit *quod etiam fuperiùs demonftravimus, eos effe fub lege, qui ignorantes Dei juftitiam, & fuam volentes conftituere, Juftitiæ Dei non funt fubjecti. Putant enim, fe arbitrii fui viribus implere legem jubentem, & iftâ implicati fuperbiâ ad gratiam non convertuntur juvantem.* Tum fequuntur verba, quæ collator objicit: poft quæ pergit Sanctus: *In aperta iniqui-*

tate evidenter elisi, in fallaci justitia insipienter elati, ac per hoc miro quodam modo; sed tamen vero justitiam legis non implet justitia, quæ in lege est, vel ex lege; sed quæ in spiritu gratiæ .... quod planius, & brevius ita dici potest; Justitiam legis Dei non impleri, cùm lex jubet, & homo quasi suis viribus facit; sed cùm spiritus adjuvat, & hominis non libera, sed Dei gratiâ librata voluntas facit. Legis itaque justitia est, jubere quod Deo placet, vetare quod displicet. In lege autem justitia est servire literæ, & extra eam nullum Dei adjutorium ad rectè vivendum requirere. Ubi perspicuum est, non agi de obedientia legi præstanda motivo charitatis Theologicæ; sed de excludenda Pelagiana superbia dictante, nobis sufficere legem, qua ostenditur, quid facere debeamus, & liberum arbitrium cum propriis naturæ viribus, ut fiat quidquid præcipitur.

Quæ elatæ mentis persuasio efficit, ut ad Salvatorem pro necessario ejus gratiæ subsidio non recurratur. Unde Pelagianus semper magis redditur indignus gratiâ, dignus autem, qui suæ relictus infirmitati justitiam minimè consequatur. Fallitur proinde, dum sibi justus, & legi obsequens videtur; cùm semper in sua maneat iniquitate, quam infidelitate, & superbiâ auget potiùs, quàm extinguat. Facta autem in objecta periodo mentio charitatis satis determinatur à circumstantiis, ut censeas significatione latiore, quàm pro principe virtute theologica vocem *charitas* adhiberi, juxta illud ab Augustino sæpius usurpatum: *Quid est bona voluntas nisi charitas?* Et *quid est charitas nisi bona voluntas?* Usuvenit hîc dilectio Dei implicita omnibus bonis actibus & fine proximo honestis conveniens, si nullâ pravâ circumstantiâ vitientur, ut superiore capite Eminentissimi Bellarminus, & Aguirre cum S. Thoma, Salesio, & Scholasticis eos communissimè sequentibus exponunt.

11 Non plus probat quod opponitur ex Quæstionibus in Deuteronomium cap. 54 *Si forinsecus ea, quæ Deus jubet, manibus fiant, & in corde non fiant, nemo est tam insulsus, qui præcepta arbitretur impleri.*

De Pelagianorum hæresi hic aliquid præmittendum. Non solus eorum error fuit negata gratiæ necessitas ad implendam legem, sed etiam asserta temere bonitas operis; modò ex objecto seu officio honestum esset, qualicumque fieret ratione seu fine, etiam perverso. De quo acris fuit Hypponensi antistiti contra Julianum disputatio, præsertim lib. 4. cap. 3. quo multum exultat Lutherus resolutione 2. contra conclusiones Eckianas. Calvinus lib. 3. Institut. cap. 14. Michael Bajus lib. 2. de virtutibus impiorum cap. 2. Sed nihil illos indè pro suo contra Ecclesiam errore, qui Quesnello communis est, habere præsidii, pridem catholicæ doctrinæ vindices ostenderunt. Sic ergo de plerisque philosophorum, & aliorum infidelium apparentibus virtutibus Augustinus: *Virtute civili non vera; sed verisimili dæmonibus, vel humanæ gloriæ servierunt.* Unde inquit S. Doctor fuêre *virtutes istæ tali fine turpes, atque deformes; & ideo nullo modo germanæ, vereque virtutes.* Ibidem: *Absit enim, ut sit, vel dicatur voluntas bona, quæ in aliis, vel in se ipsa, non in Domino gloriatur.* Opera itaque externa, quamtumvis appareant honesta, si fine malo patrata fuerint, peccati nigredine inquinantur, & bona esse desinunt.

Ita Augustinum interpretatur Angelicus 2. 2. q. 23. art. 7. & in caput 14. ad Rom. lect. 3. *Cùm dicitur omne, quod non est ex fide, peccatum est, sic intelligendum est: omne, quod est contra fidem, vel conscientiam, peccatum est, etsi ex genere suo bonum videatur; puta si paganus ad honorem suorum Deorum Virginitatem servet, vel eleemosynam det, hoc ipso peccat, quia omnis infideliter vivens, vel agens, peccat.* Sensus itaque Augustinianæ sententiæ est; ad veram legis obedientiam, vel boni operis exercitium laudabile, & pium non sufficere actionem externam, quæ manibus fit, sed requiri bonum animi affectum, sive intentionem virtutis; sinè qua opus, quodcumque forinsecus fit, inane prorsus est, & pro nihilo reputatur: ea verò si adfuerit, etiam deficiente externi operis potestate, *pax illi est utique cum hominibus bonæ voluntatis*, remunerante etiam Deo voluntatem bonam, ubi non invenit facultatem.

Subscribimus itaque Augustino dicenti, *si forinsecus ea, quæ Deus jubet, manibus fiant, & in corde non fiant, nemo est tam insulsus, qui præcepta arbitretur impleri.* Quis nempe sanæ mentis, aut Pelagianâ non aspersus fuligine theologus dubitet, quin qui manum à spurcitia, ab ultione, ab injustitia invitus continet, non propterea verè mitis, castus, & justus in Dei judicio habeatur, neque legem impleat, virtutum exercitia præcipientem. Sed nihil indè adversarius conficiet pro necessitate charitatis theologicæ, ad omnes obedientiæ actus, adeò, ut falsa justitia, aut hypocrisis sit, quidquid inferioris intentione virtutis sive moralis, sive etiam theologicæ præstari contigerit.

12 Denique intorquetur illud Augustini ad psalmum 67. *Per charitatem lex imple-*

pletur, non per timorem: & ad psalm. 77. *Ex corde nullo modo fieri potest, quod formidine fit pœna, non dilectione justitiæ*. Charitate totam legem impleri, omnibus indubitatum est; quia fortis est ut mors dilectio, nec flumina obruent illam: Charitas patiens est, benigna est, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet; nihil denique tam arduum præcipitur, quod charitas non avidè amplectatur, & non omnimodè perficiat. Non tantum roboris est timori, qui sæpe secum patitur affectum peccandi, si posset impunè, ut docet S. Thomas 2. 2. q. 19. art. 9. *Timor servilis non est numerandus inter 7. dona Spiritus Sancti, licèt sit à Spiritu Sancto; quia potest habere annexam voluntatem peccandi*. Quamquam & timor servilis aliquis adeò efficax esse potest, ut *voluntatem peccandi excludat*: talem dari posse, & subinde existere, Tridentinorum Patrum sententia fuit indicata sess. 14. cap. 4. Perfectior quoque metus filiorum est; alius verò timor hypocritarum, qui propter solam infamiam apud homines incurrendam à criminibus exteriùs abstinent, pleni affectibus illicitis.

Similis huic est timor latronum, dum à latrociniis abstinent tunc solùm, cùm supplicii ab hominibus infligendi imminet periculum: talis quoque reprehenditur Judæorum timor, qui præ oculis habentes pœnam mortis transgressoribus legis decretam, à violatione ejus publica abstinebant, & ubicumque convinci à judicibus possent; in occulto autem, præsertim in intimis animorum recessibus pleni erant immunditie, & libidine peccandi. Plurimum itaque interest, qua formidine ducaris; unde Jansenistæ perperàm timorem sinè discrimine veluti bestiis proprium aspernantur, vix aliud ingeminantes identidem præter charitatem, qua nihil est ab eorum actibus remotius. Catholicis in summo, ut meretur, pretio charitas est; sed non contemnitur, non negligitur varia superius relata utilis, & honestissima formido. Sic à Scripturis, Summis Pontificibus, Patribus, & aliis Sanctissimis Magistris edocti sumus.

Ecclesiastici cap. 1. *Initium Sapientiæ timor Domini*.

Proverb. 14. *Timor Domini fons vitæ, ut declinent à ruina mortis æternæ*.

Isaiæ cap. 26. juxta septuaginta Interpretes: *A timore tuo concepimus, & peperimus spiritum salutis*.

Rursus Ecclesiastici 1. *Timor Domini expellit peccatum*.

Augustinus Tract. 9. in Epistolam Joannis: *Timor Dei sic vulnerat, quomodo medici ferramentum putredinem tollit. Opus ergo est, ut intret timor primò, per quem veniat charitas: timor medicamentum, charitas sanitas*. Libro de catechizandis rudibus cap. 5. *Rarissimè accidit; imò verò numquam, ut quisquam veniat volens fieri Christianus, qui non sit aliquo Dei timore perculsus*; & quidem timore mortis æternæ, & perennium cum ea suppliciorum.

Neque solùm hoc impulsus timore Ecclesiam ingreditur; Sed etiam in ea constans perseverat, cum sanguinis, ubi opus est, effusione. Ita Augustinus lib. 13. de civitate cap. 18. „ Si enim consideremus diligentiùs, „ etiam eùm quisque pro veritate fideliter „ & laudabiliter moritur, mors cavetur. „ Ideo quippe aliquid ejus suscipitur, nè „ tota contingat, & secunda insuper, quæ „ numquam finiatur, accedat. Suscipitur „ enim animæ à corpore separatio, nè, Deo „ ab anima separato, etiam ipsa separetur „ à corpore, ac sic totius hominis morte „ completâ, secunda excipiat sempiterna.

t3 In psalm. 127. circa finem. „ Quomodo si videas avem cadere in muscipulam, facis majorem strepitum, & volat „ de muscipula: sic & martyrum jam fortè „ aliqui ipsorum intendebant collum in „ dulcedinem vitæ hujus; Dominus, qui erat „ in illis, fecit strepitum gehennarum, & „ erutus est passer de laqueo venantium.

Non igitur de istiusmodi timore est, sed de humano, latronibus, ut dixi, & Judæis plurimis communi, de quo ab Augustino dicitur in psal. 77. *Ex corde nullo modo fieri potest quod formidine fit pœna, non dilectione justitiæ*. Ex corde scilicet nullo modo fieri potest, quod fit solummodo infamiæ metu apud homines incurrendæ & infligendi cujuscumque ab hominibus supplicii; cùm enim neque ipsi corda intueantur, neque pravitas cordium, si exteriùs non prodeat, ulli subjaceat apud homines pœnæ, infamiæ, aut reprehensioni, evidens est, formidine istiusmodi sola imperari, sola effici externa opera præcepta, & à prohibitis abstineri exterius; sed dilectionem justitiæ non obtineri. Talis timor veram legis obedientiam non efficit, sed simulatam, expertem meriti, laudis, & honestatis: tali proinde formidini aptè convenit censura hypocrisis; non verò timori suppliciorum perennium, quæ cùm statuantur à Deo intuente, prohibente, vindicante etiam intima animorum peccata, & desideria perversa; imperante autem similiter non solùm facta externa temperantiæ, castitatis, misericordiæ, justitiæ; sed etiam volitionem, sive dilectionem istiusmodi operum, patet damnationis formidine non solùm

lùm opera fieri externa, sed etiam volitionem, seu dilectionem justitiæ.

Perspicua hujus veritatis confirmatio est in actibus spei. Pollicitatio præmii ab hominibus conferendi obtinere potest actus externos difficiles, & in speciem heroicos; verùm, cùm introspicere illi animos nequeant, & à solis externis actibus pendeat consecutio præmii, qualicumque mente seu bonâ, seu perversissimâ eliciti fuerint; talis quidem spes premii excitare poterit ad actus externos, qui videantur castitatis, temperantiæ, misericordiæ, justitiæ, amoris erga patriam; sed, ut ex istiusmodi virtutum dilectione opera proficiscantur, efficere nequit humana qualiscumque pollicitatio præmii; potest autem pollicitatio divina, æternæ præsertim beatitudinis; quia Dei Sapientia nec falli potest, nec fallere: & scitur beatitudo non merè exterius operantibus, sed justitiam diligentibus præparari. Unde absurdissima Quesnelli enunciatio est, & à sensu Augustini, catholicæ Ecclesiæ, Superiorumque Pontificum non minùs, quàm Clementis XI. imo à divinis oraculis aliena, ac proinde merito proscripta, quæ dicitur: *Obedientia legis profluere debet ex fonte, & hic fons est charitas. Quando Dei amor est illius principium interius, & Dei gloria ejus finis, tunc purum est quod apparet exterius; alioquin non est nisi hypocrisis, aut falsa justitia.*

CAPUT VI.

Cætera ex Patribus objecta dissolvuntur.

1 Sanctus Prosper sententia 223. ait *Plenitudo legis charitas; quia per charitatem lex impletur, non per timorem.* Sic numquam tædet novæ sectæ artifices eandem perpetuò recoquere crambem; tædet autem scriptorem catholicum se, suumque lectorem iisdem semper responsionum repetitionibus fatigare: quapropter vide quæ superiore capite diximus de Augustini sententia in psalmum 67. unde præsens à Prospero lacinia decerpta est. Hic tantùm addo malæ fidei specimen in adversariis; quod enim in Prospero immediatè sequitur, & subdolè illi reticent, ignorare eos non patitur, de quo illic timore sermo sit; videlicet de naturali & humano; *in tantum enim*, inquit Sanctus, *fiunt mandata justitiæ, in quantum adjuvat Spiritus gratia.* Unde nihil hic contra timorem gehennæ saluberrimum, quem esse *à Spiritu Sancto* superiùs ex D. Thoma vidimus, & post Concilium Tridentinum, cujus eadem sententia indicatur Sess. 14. cap. 4., tenent omnium Scholarum Theologi; denique definivit Alexander VIII., damnans hunc articulum 14. inter 31. *Timor gehennæ non est supernaturalis.* & 15. *Attritio, quæ gehennæ, & pœnarum metu concipitur sinè dilectione benevolentiæ Dei propter se, non est bonus motus, ac supernaturalis.*

Timorem hunc à Deo esse, & ad superandas tentationes, & subeunda fortiter imminentia pro fide supplicia perutilem, docet ipse Augustinus, cujus verba in psalmum 127. dedi ad ultimam ex eodem Sancto objectionem. Quòd autem timor humanus, & naturalis legi implendæ non sufficiat, indubitatum est; sed quid indè conficies pro stabiliendo errore articuli, omnia opera hypocrisim statuente, quæ non profluunt ex charitate?

2 S. Leo Sermone 10. de quadragesima cap. 3. dicit: „ Quamvis enim magnum „ sit, habere fidem rectam, sanamque do„ ctrinam, & multâ laude digna sit circum„ cisio gulæ, lenitas mansuetudinis, puri„ tas castitatis; nudæ sunt tamen sinè cha„ ritate virtutes: nec potest dici in quali„ bet morum excellentia fructuosum, quod „ non dilectionis partus ediderit. Unde in „ Joannis Euangelio Dominus dicit; in hoc „ cognoscent omnes, quia discipuli mei „ estis, si dilectionem habueritis ad invi„ cem: & ideo celebraturi illud eminens „ super omnia Sacramentum, quo iniqui„ tates nostras Jesu Christi Sanguis abole„ vit, misericordiâ primitus hostias præpa„ remus, & quod in nobis bonitas Dei con„ tulit, nos quoque eis, qui in nos pecca„ vere, præstemus. In oblivionem mitta„ tur injuriæ: supplicium jam nesciant cul„ pæ, & à vindictæ metu omnes subdito„ rum absolvantur offensæ. „ Favere videtur S. Pontificis sententia iis, qui nullum in humanis actibus supernaturale meritum agnoscunt, nisi charitatis imperio eliciantur; quæ disceptatio ad præsens institutum necessaria non est; sufficit remotissimum esse S. Leonem ab accusanda velut hypocrisi omnis legis obedientiâ, quæ non processerit ex charitate.

Imò *magnum* esse asserit, *habere fidem, sanamque doctrinam*, *& multa laude dignam* prædicat *circumcisionem gulæ, lenitatem mansuetudinis, puritatem castitatis, morum excellentiam*; magna, inquam, hæc laude digna secundùm se, & simpliciter, etiam in sen-

ten-

tentia S. Leonis funt, dum nullo, ut fupponitur, fine pravo, vel illicitâ circumftantiâ vitiantur; quamvis omnes illæ virtutes, & quæcumque aliæ *nudæ*, informes, mortuæ fiat, fi charitas, quæ virtutum omnium fpiritus, & vita eft, defuerit. Fides, & fpes virtutes theologicæ, & fupernaturales funt, etiam dum charitatem præcedunt; &, quamvis, donec charitas advenerit, *nudæ* illæ fint, informes, & mortuæ, non definunt virtutes effe, à Spiritu Sancto inditæ, quas de peccato, & hypocrifi accufare nullus audeat Catholicus, nullus valeat finè impietate; fed quid non audent novi hæretici? Ut omnis, quæ fub cœlo eft authoritatis, ita virtutum omnium contemptores, unicam ftabilire vocetenus videntur charitatem, quâ non minus vacuos effe conftat, quàm fide chriftianâ, humilitate, & obedientiâ.

Etiam fortitudo, & humilitas, & quædam aliæ virtutes morales poffunt per accidens priores effe fide, ut ait S. Thomas 2. 2. quæft. 4. art. 7. *in quantum removent impedimenta credendi; ficut fortitudo removet inordinatum timorem, impedientem fidem; humilitas autem fuperbiam, per quam intellectus recufat fe fubmittere veritati fidei; & idem poteft dici de aliquibus aliis virtutibus, quamvis non fint veræ, id eft fimpliciter perfectæ virtutes, nifi præfuppofita fide*. Virtutes autem illas etiam cum fide, & fpe, fi charitas abfuerit, ad hypocrifim relegare, folis digna hæreticis temeritas eft. Apoftolus 1. Cor. cap. 12. *Si habuero omnem fidem ita, ut montes transferam; charitatem autem non habuero, nihil fum; & fi diftribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, et fi tradidero corpus meum ita, ut ardeam; charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeft*. Verùm neque Apoftolus, ueque ullus interpres Catholicus fidem illam, eleemofynas, & mortem ipfam ex folo charitatis defectu arguit hypocrifis, aut peccati.

3 Ipfe S. Leo fermone 7. de quadragefima cap. 3. de operibus mifericordiæ, ad corpus pertinentibus *Quid hac*, inquit, *humanitate facilius? quæ utique laude fuâ fraudanda non effet, fi propter ipfam naturæ communionem juvando homini ab homine præberetur; fed quia non ex fidei procedit fonte, ad præmia æterna non pervenit. Alia eft conditio operum cœleftium, alia terrenorum: mundana benevolentia in iis, quos adjuvat, habet finem: Chriftiana pietas in fummum tranfit authorem, dum in ipfum dicamur benigni, quem in nobis fatemur operari, dicente Domino: fic luceat lux veftra coram hominibus, ut videant opera veftra bona, & magnificent Patrem veftrum, qui in Cœlis eft*. Ubi patet, opera mifericordiæ corporibus impendi folita, fi juvando homini ab homine præbeantur propter naturæ ipfius communionem, etfi non proceffferint ex fidei fonte, ideoque ad præmia æterna non perveniant, tamen *laude fua* in S. Leonis judicio *fraudanda non effe*; proinde neque hypocrifim effe, neque alterius generis peccata, quæ laudem apud Sanctos non merentur; fed vituperium, & reprehenfionem.

Hanc Sanctiffimi pariter, ac Doctiffimi Pontificis mentem fatis perfpectam habuit Hexaplorum author; ideo, ut in novitatis eum pertraheret patrocinium, corruptione opus fibi cenfuit, *fructuofum* transferens gallicè in *BON*, & quidem majoribus expreffum characteribus, quibus fingularis ad eam vocem veluti pondus maximum continentem exigitur lectoris attentio. Ita non fimplicibus folùm, & imperitis, fed etiam eruditiffimis imponitur, quibus non femper vacat verfionem gallicam ad latinæ fententiæ examen revocare; fed fidem bonam fupponunt, qualis in tanti momenti quæftionibus pertractandis præcipuè requiritur.

Quantum autem difcriminis fit, *bonum* inter, & *fructuofum*, norunt omnes, qui in Theologicis planè hofpites non funt: fidem, & quofcumque virtutum moralium actus fiuè charitate infructuofos effe, clariffimè definit Apoftolus 1. Cor. cap. 13. *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam; charitatem autem non habuero, nihil fum; & fi diftribuero in cibos pauperum omnes facultates meas; & fi tradidero corpus meum ita, ut ardeam; charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeft*; ad veram fcilicet juftitiam, & vitam æternam: bonam tamen etiam finè charitate fidem effe, quivis Theologus facilè colligit ex Tridentinæ feffionis 6. can. 28. *Si quis dixerit, amiffâ per peccatum gratiâ, fimul & fidem femper amitti; aut fidem, quæ remanet, non effe veram fidem; licèt non fit viva; aut eum, qui fidem finè charitate habet, non effe Chriftianum, anathema fit*. Quis autem dubitat, quin *vera fides*, qua *Chriftiani* conftituimur, bona fit?

Adeamus feffionis 14. caput 4. Illic facra Synodus „ Contritionem imperfectam, „ quæ attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati confideratione, vel ex „ gehennæ, & pœnarum metu communiter concipitur, fi voluntatem peccandi „ excludat, cum fpe veniæ declarat, non folùm non facere hominem hypocritam, „ & magis peccatorem; verùm etiam donum Dei effe, & Spiritûs Sancti impul- „ fum,

„ sum, non adhuc quidem inhabitantis; sed „ tantùm moventis, quo pœnitens adjutus „ viam sibi ad justitiam parat: &, quamvis „ sinè Sacramento pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat; tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento pœnitentiæ impetrandam disponit. „ Bona igitur ea attritio est; donec tamen Sacerdotis absolutio accesserit, est informis, mortua, & ad justitiam, salutemque non sufficiens: sensu quoque Apostoli 1. Cor. 13. *nihil prodest*; adeò, ut, si peccator eum ea sola attritione, quantumvis bonâ, sinè Sacramento è vita excesserit, non effugiat damnationem.

Latissimum itaque discrimen est inter actum *bonum*, & *fructuosum*: quod cùm fugere adversarium non potuerit, non apparet, quo obtentu verisimili notam à se perfidiæ amoliatur. Denique nihil dubitationis de Sanctissimi Pontificis mente patitur, quod ex sermone ejus 7. de Quadragesima retuli, laudabilem esse humanitatem, vel misericordiam, *quæ propter ipsam naturæ communionem juvando homini ab homine præbetur*; etsi *non ex fidei*, adeòque nec ex *charitatis profluat fonte*. Non igitur processionis illius defectus, sive absentia charitatis, humanitatem illam, & misericordiam in hypocrisim vertit.

4 Citatur contra nos Chrysostomi homilia 19. in epistolam ad Hebræos. „ A charitate fiunt bona opera: magnum bonum „ est conventus, ac congregatio. Ipsa „ enim eam charitatem reddit ardentiorem, & ex ipsa omnia nascuntur bona; „ nullum est enim bonum, quod non sit „ charitatis. „ Sermonem quoque de charitate, quæ cuncta dirigit, & perficit sic orditur Sanctus: „ Charitatem optimum amoris genus inter nos sanciamus, quando „ nihil est boni, & honesti, quin ortum ex „ ea ducat. Charitas enim, ut Paulus inquit, legis est adimpletio. Ita fit, ut, si „ mutuo fuerimus amore detenti, facilè „ omnia sint successura; si quidem charitas „ via quædam est ad virtutem proclivior; „ nam quemadmodum, qui callem fuerit „ non obliquum ingressus, nullo egebit ad „ progrediendum duce, tramite ipso rectâ „ ducente; sic charitas ubi initium dederit, „ ad rectum deferet.

Breviores hìc iterum lacinias Hexapla decerpunt, nè tenebras brevitatem comitari solitas lux circumstantiarum antecedentium, aut consequentium dispellat. Hæ scilicet indicant, utrobique Chrysostomum loqui de unione, & charitate fraterna, ut diserti concionatores solent, qui quamcunque virtutem sibi prædicandam assumpserint, magnificis adeò exornant encomiis, quasi nihil sinè ea uspiam boni sit, nihil salutiferi. Indè Lutherus tantùm colligit ex Patribus armamentarium pro fide justificante.

Verùm Bellarminus lib. 1. de justificatione cap. 13. respondet etiam similia spei, timoris, dilectionis, aliarumque virtutum elogia, non ex Patribus solùm; sed ex sacris quoque literis facilè adducenda. Specimen dat de timore; Ecclesiastici 1. *qui sinè timore est, non poterit justificari*.

Psalm. 110., & proverbior. 1. *Timor Domini initium est sapientiæ*.

Proverbiorum 14. *Timor Domini fons vitæ* Eccli. 1. *Timor Domini expellit peccatum*.

Isaiæ 26. juxta 70. interpretes *A timore tuo concepimus, & peperimus spiritum salutis*.

S. Gregorius hom. 34. in Evang. *Prava mens, si non prius per timorem evertitur, ab assuetis vitiis non emendatur*.

Similiter de spe Proverb. 28. *Qui sperat in Domino, salvabitur*.

Psalm. 36. *Salvabit eos, quia speraverunt in eo*.

Psalm. 90. *Quoniam in me speravit, liberabo eum*.

Matth. 9. *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua*. Quæ non encomia Scriptores mystici dant obedientiæ, humilitati, prudentiæ, fortitudini, temperantiæ, castitati? Ita virtutes singulas, quas institutum exigit commendare, laudibus efferunt, ut nulla sit, cui palmam præ cæteris non tribuere videantur.

Sic juxta S. Gregorium lib. 35. moral. cap. 12. *Obedientia sola virtus est, quæ virtutes cæteras menti inserit, insertasque custodit*. Simile quid evenerit Chrysostomo in utraque concione, in qua propositum fuit inculcare unionem fraternam, & erga proximum charitatem, quam excellentibus adeò depingit coloribus, & eminenti sua inter oratores eloquentia, ut nihil quodammodo sinè ea virtute inter homines boni sit, nihil honesti.

5 Tales Propositiones accommodè potiùs intelligendas esse, quàm universalitate rigidâ non in Patribus solùm, sed subinde etiam in sacris literis, sapienter monent interpretes, & scriptores Polemici: inter quos non infimo loco Bellarminus, qui lib. 5. de gratia, & libero arbitrio cap. 11. „ Respon-

„ deo

» deo (inquit) rectè dicitur liberum arbitrium non nisi ad peccandum valere, tum quia magnas vires ad peccandum habet, tum quia ut plurimum re ipsa peccat, nisi divinitus adjuvetur; nam pauca quædam bona moralia, quæ potest facere, pro nihilo reputantur; cùm & nihil prosint ad salutem æternam, & obruantur multitudine peccatorum. Similes sententiæ frequentissimè occurrunt in Scripturis Divinis, ubi dicitur ab omnibus fieri, quod à pluribus fit, ut Gen. cap. 6. *Omnis caro corruperat viam suam*. Matth. 2. *Turbatus est Herodes, & omnis Hierosolyma cum illo*. Joann. 12, *Mundus totus post eum abiit*. Act. 21. *Tota confunditur Jerusalem* .,.. Damnat igitur rectissimè Augustinus illa opera infidelium, quæ ad malum ab illis referebantur; &, quoniam talia erant ferè omnia, quæ ab iis fiebant, ut ipse idem dicit in libro de Spiritu, & litera cap. 27. ideo simpliciter omnia opera infidelium peccata fuisse dicit, tribuens omnibus, quod maximæ parti conveniebat. „

Præterea frequenter in sermonibus usuvenit, ut quælibet charitatis erga proximum opera, etsi non ex amore Dei, vel proximi propter Deum exercita, charitas vocentur. Ita Augustinus sermone 52. de tempore, *licita est*, inquit, *humana charitas, qua uxor diligitur, illicita, qua meretrix; aut uxor aliena. Licitam ergo charitatem habete, humana est; sed, ut dixi, licita est .... Liceat vobis humana charitate diligere conjuges, diligere filios, diligere amicos vestros, diligere concives vestros &c. sed videtis, istam charitatem esse posse & impiorum; id est, Paganorum, Judæorum, Hæreticorum*. Sic eleemosyna, & quælibet aliæ misericordiæ opera passim charitas vocantur; quisquis in religiosa familia, vel pia congregatione pacificus degit, & ad serviendum sociis promptus, charitatis amans dicitur.

6 Adde quod Cardinalis Aguirre Theologiæ S. Anselmi disput. 130. sect. 11. communem totis viribus propugnans sententiam, ad objectos quosdam è Patribus textus præsertim ex homiliis, & sermonibus ad populum, ex quibus utraque de Chrysostomo objectio formata est respondet numer. 110. „ Præmitto quintò, Patres Ecclesiæ sæpissimè in suis concionibus ad populum, & scriptis in id potissimum incumbere, ut auditores, & lectores non solùm trahant in id, quod simpliciter necessarium est ad vitandum omne peccatum; verùm etiam in illud, quod majoris perfectionis est, & ad ampliorem charitatem Dei, & proximorum animo imprimendam confert. „

Idem Cardinalis eadem disputatione sect. 5. contra adversarios citat ipsum Chrysostomum in illud Apostoli ad Philippenses cap. 3. *Non habens meam justitiam* sic animadvertit S. Doctor: *Rectè dixit*, Apostolus, *non habens meam justitiam, id est non illam, quam meis sudoribus, ac laboribus comparaveram; sed quam ex gratia inveni*. Et paulò post, *Dei autem dona longo intervallo antecedunt utilitatem rectorum factorum, quæ ex nostro studio profecta sunt*. Unde ita Eminentissimus subsumit: „ Ubi agnoscit planè (Chrysostomus) justitiam aliquam, & quædam rectè facta non per Dei gratiam; (adeóque non ex charitate) sed ex studio nostro facta. Cùm igitur adversarii doceant, nullum opus referri posse sinè gratia in Deum ultimum finem, sinè hac concedere debent, & agnoscere quamdam justitiam, & aliqua bona opera ex mente Chrysostomi sinè charitate.

Idem Sanctissimus Patriarcha homilia 67. ad Populum Antiochenum agnoscit etiam in pessimis hominibus, & infidelibus à vera charitate remotissimis quædam opera bona dicens: *Non potest malus omnino malus esse; sed evenit, ut aliquid habeat boni; neque bonus esse omnino bonus; sed non nulla solet habere peccata; cùm itaque malus prosperis utitur rebus, ad capitis sui perniciem utitur; ut enim illorum paucorum bonorum retributionem hic capiens, illic deinde puniatur, hac de causa recipit*. Quem locum considerans Bellarminus lib. 5. de gratia, & libero arbitrio cap. 9. sic monet lectorem „ Loquitur Chrysostomus de omnibus malis, etiam infidelibus; generatim enim dicit, nullum esse malum, qui non habeat aliquid boni: & loquitur de opere bono non ex genere tantùm, sed simpliciter; quia opponit illud peccato, & mercedem illi debitam assignat. Non enim merces debetur operi, præsertim apud Deum, quod non sit ex genere, & simpliciter bonum; sed absolutè peccatum. „ Evidens igitur est, Chrysostomum agnoscere opera bona, honesta, & digna præmio, etiam apud Deum; & proinde immunia ab hypocrisis, & cujusvis alterius generis peccato; etsi non profluxerint ex charitate.

7 Unde & perspicuum fit, objecta Chrysostomi verba ab adversariorum sensu esse alienissima; sed accipienda de bonitate, & honestate supernaturali, quæ ejusdem ordinis præmium beatitudinem mereatur; nulla enim opera eo sensu bona, atque honesta sunt

sunt absque charitatis habitu, ut monet Angelicus in 2.dist.41.art.2. ubi inter varios in actibus nostris bonitatis gradus, designat essentialem ex genere, & ex circumstantia: *Et sic deinceps*, inquit, *usque dum perveniatur ad ultimam bonitatem, cujus humanus actus est susceptivus; quæ est ex ordine in finem ultimum, per habitum gratiæ, & charitatis: Et ideo actus eorum, qui gratiam, & charitatem non habent, hoc modo bonus esse non potest: & hæc est bonitas, secundùm quam actus meritorius dicitur*. Talem bonitatem, & honestatem actibus, absente charitatis habitu, denegari non solùm patimur, sed assensu omnes ultroneo confirmamus.

Denique quiscunque alius tribuatur verbis Chrysostomi sensus, non repugnabimus, modò istiusmodi sit, qui cum doctrina Ecclesiæ, atque ipsius Chrysostomi in textibus à me allegatis conciliari valeat, neque sæpius damnatus sit, quemadmodum adversariorum sensum pridem, & sæpius damnatum fuisse à S. Pio V., Gregorio XIII., Urbano VIII., Alexandro VIII. ostendi cap. 1. neque ipsi ignorant adversarii, aut revocant in dubium; sed omnes Pontificum definitiones suis erroribus oppositas flocci faciunt, declarante Quesnello semel pro semper in epistola gallicè typis edita sub nomine Abbatis ad quemdam Romanæ Curiæ Prælatum occasione Diplomatis Alexandri VIII. contra Propositiones 31. pag. 18. *Habemus hoc singulare præ cæteris, quod simus in possessione, qua nobis bene est, & quam semper tenebimus, eandem semper sequendi viam; quidquid opponant Censores Romani, & quodcunque Decretum ab isto Tribunali emanet*. Errat Quesnellus, hoc sibi suisque singulare esse existimans; cùm istud Jansenistæ communissimum habeant cum cæteris hæreticis, à quibus ut plura alia dogmata, ita & Sedis Apostolicæ contemptum mutuati sint, vel hæreditate acceperint.

Propterea si soli Quesnello, & ejus sociis scriberemus, alia subinde disputandi ratio ineunda videretur; sed quia etiam confirmandis in fide Catholicis laboramus, & ipsi Jansenistæ passim, ad fallendam Ecclesiam, erga Summos Pontifices reverentiam mentiuntur, ut solebat initio Lutherus, & quivis hæreticus, antequam palàm ab Ecclesia segregaretur; meritò contra eos etiam superiorum Pontificum producuntur censuræ.

8 Non officit quoque nobis Gregorius Magnus homil. 27. in Euangelia, quem ipse adversarius sibi infestum esse minimè ignoravit; sed truncando sententiam Summi Pontificis, decipere voluit lectorem. Sic nempe S. Doctor: „ Quidquid præcipitur, in sola „ charitate solidatur: ut enim multi arbo„ ris rami ex una radice prodeunt, sic mul„ tæ virtutes ex una charitate generantur: „ nec habet aliquid viriditatis ramus boni „ operis, si non manet in radice charitatis.

Hactenus verba Gregorii ab adversario relata: nos cætera prosequamur. „ Præ„ cepta ergo Dominica & multa sunt, & „ unum: multa per diversitatem operis, „ unum in radice dilectionis; qualiter ista „ dilectio tenenda sit, ipse insinuat, qui in „ plerisque scripturæ suæ sententiis & ami„ cos jubet diligi in se, & inimicos propter „ se..... nam sunt nonnulli, qui diligunt „ proximos; sed per affectionem cognatio„ nis, & carnis; quibus tamen in hac dile„ ctione sacra eloquia non contradicunt. „ Sed aliud est, quod sponte impenditur na„ turæ; aliud, quod præceptis Dominicis ex „ charitate debetur obedientiæ.

Clarissimum est Dei præceptum, quo ipsum jubemur diligere propter se; proximum autem propter Deum. Verùm novit omnis Theologus, præceptum dilectionis partim negativum esse, obligans pro omni tempore; unde nunquam odisse Deum, vel blasphemare licitum est, nunquam contra proximum dicere falsum testimonium, furari, aut concupiscere rem alienam: partim esse affirmativum, quo Deum tenemur diligere interiori cordis affectu, & ex tota mente propter se; proximum autem sicut nos ipsos, & propter Deum. Verùm, ut Theologis quoque notissimum est, præceptum dilectionis, quatenus affirmativum est, non obligat pro semper. Ita de præcepto Apostoli, sive Dei per Apostolum prædicato omnia opera referendi in Deum docet Sanctus Thomas in quæstionibus disputatis, quæst. 7. de malo art. 1. *Ad 9. dicendum, quòd cùm illud præceptum Apostoli sit affirmativum, non obligat ad hoc, quòd semper observetur in actu; observatur autem semper in habitu, quamdiu homo habitualiter se habet ad Deum, sicut finem ultimum*, per habitum charitatis.

Ne verò autumes, omnia saltèm impiorum, infidelium opera defectu illius habitûs esse peccata, monemur ab eodem Angelico 2. 2. quæst. 10. art. 4. *Manifestum est, quòd infideles non possunt operari bona opera, quæ sunt ex gratia* (sanctificante) *scilicet opera meritoria: tamen bona opera, ad quæ sufficit bonum naturæ, aliqualiter operari possunt; unde non oportet, quòd in omni opere suo peccent*. Non video, quid illo possit esse pro communi sententia evidentius: quod attendens

dens Cardinalis Aguirre disput. 130. sect. 4. ait esse *argumentum luculentissimum*, *quod nullam videtur adversariis evasionem relinquere*.

9 Sed neque relinquit ipsa Gregorii Magni sententia jam relata; nam, licèt adversariis ultro concedamus, quòd sinè radice, seu habitu charitatis, ut modò Sanctus Thomas explicuit, non detur obedientia, sive aliud opus bonum bonitate meriti simpliciter, seu propriè dicti capace; non excluditur bonitas qualiscunque inferioris ordinis; aut certè, quòd nobis hic contra adversarios sufficit, opus innocuum, & omnis expers *hypocrisis*, *ac peccati*; videlicet amor, quo juxta Gregorium *nonnulli diligunt proximos*, *sed per affectum cognationis*, *& carnis*, *quibus tamen in hac dilectione sacra eloquia non contradicunt*; *sed aliud est*, *quod sponte impenditur naturæ*; *aliud*, *quod præceptis Dominicis ex charitate debetur obedientiæ*.

Idem adhibens argumentum Bellarminus lib. 5. de gratia, & libero arbitrio ex relatis Gregorii verbis sic concludit: *Quòd si naturali dilectioni* (quæ ut per se liquet, non proficiscitur ex charitate) *sacra eloquia non contradicunt*, *certè ea dilectio nihil peccati continet*, *ac per hoc bona est moraliter*; *siquidem sacra eloquia peccatis omnibus contradicunt*: præterea quòd idem Sanctus Pontifex hom. 34. in Euangelia dicat: *Prava mens, si non prius per timorem evertitur*, *ab assuetis vitiis non emendatur*. Et lib. 2. Moral. capit. 33. *Si fides non prima in corde nostro gignitur*, *reliqua quæque bona esse non possunt*. Denique nimis aperta est Concilii Tridentini sess. 6. cap. 6., & sess. 14. cap. 4. doctrina de modo, quo peccatores communiter à Deo ad amorem, quo Deum diligere incipiunt, & ad justificationis gratiam disponuntur, per actus fidei, timoris, ac spei, quos etiam, ut charitati prævios, atque adeò ex illa non profluentes, accusare de peccato, aut hypocrisi nemo potest sinè crimine, & errore gravissimis digno censuris.

Quòd Hexapla addunt ex S. Laurentii Justiniani opusculo de charitate cap. 3., & Thomæ à Kempis lib. 3. cap. 7. nihil novæ difficultatis continet, quod non abunde sit in superioribus solutum.

Quadragesimaoctava Propositio damnata.

Quid aliud esse possumus, nisi tenebræ, nisi aberratio, & nisi peccatum, sinè fidei lumine, sinè Christo, & sinè charitate? *Observ. Moral. Ephes.* 5. *vers.* 8.

CAPUT I.

Authoris perfidia in corrumpendo sacro Textu.

1 NOn videbatur Quesnello epistola ad Ephesios subsidio esse posse ad confirmandum, quem pridem animo conceperat, errorem à tribus in Bajo Pontificibus damnatum; sed quod suppeditare non potuit revelata veritas, Quesnelli fœcunda fraudibus astutia facilè supplevit. Quod nempe à Paulo Ephes. 5. dicitur *Eratis enim aliquando tenebræ*; *nunc autem lux in Domino*, Gallicè Novator vertit: *Vous n'etiez autrefois que tenebres*, quasi dictum foret: *Non eratis aliquando, NISI tenebræ*: sive *non eratis aliud, quàm tenebræ*: unde non videretur incongrua moralis observatio: *Quid aliud esse possumus, nisi tenebræ*; *nisi aberratio*, *& nisi peccatum sinè fidei lumine*, *sinè Christo*, *& sinè charitate*? Quantùm autem interest, inter habere in se dominans peccatum, dominantem ignorantiam, quod Apostolus ait; & non habere in se nisi peccatum, nisi ignorantiam, quod perfidus ingerit interpres, facilè perspicit quisquis discrimen noverit assertionem inter particularem, quæ est Apostoli, & universalem, quæ Quesnelli. Lucem adfert Commentarius Angelici: *Notandum est*, *quòd indeterminatè non dicit* (Apostolus) *tenebrosi*, *sed tenebræ*; *quia sicut quilibet videtur esse id*, *quod principaliter est in eo*; *sicut tota civitas videtur esse rex*, *& quod rex facit*, *civitas dicitur facere*; *ita*, *quando peccatum regnat in homine*, *tunc totus homo dicitur peccatum*, *& tenebræ*. Non igitur omnia in Ephesiis ante conversionem opera fuerunt inquinata vitio, ut novaturiens assumit Quesnellus, & insigni sacrilegio Spiritum Sanctum, revelatorum in Scripturis

dogmatum authorem, Magiſtrum ſtatuit erroris, non uno dudum perſtricti anathemate, ut ſequenti capite videbitur.

2 Duas complectitur partes Paulina ſententia: *Eratis enim aliquando tenebræ; nunc autem lux in Domino*. Si prioris partis legitima foret interpretatio, *non eratis aliud niſi tenebræ*, quid ni & poſterioris legitima ſit; *nunc autem non eſtis aliud, quàm lux in Domino*, ut ſenſus totius ſententiæ ſit: ante converſionem omnia veſtra opera tenebris obſita erant, & peccata; nunc autem omnia veſtra opera lucida, & ſancta ſunt? Sic omne opus innocuum ab infidelibus; à juſtificatis autem omne etiam delictum veniale minimum arcebitur; ſed an Catholicè? Hinc Huſſitarum in Conſtantienſi Concilio damnata hæreſis reviviſcet, plaudentibus ſimul Calviniſtis, & Quietiſtis affinibus, & quaſi conſanguineis Huſſitarum proximis.

Queſnelliana iſta Scripturarum corruptio ſimilis eſt Lutheranæ, quâ ubi fides legebatur juſtificans, addita eſt vox *ſola*: ita Queſnellus volens, omnia infidelium opera fieri peccata, Lutheri ſibi opus cenſuit induſtriâ: & ubi infideles appellantur *tenebræ* (ignorantia, peccatum) vox *ſola*, vel ei æquivalens addenda fuit, *non eratis niſi tenebræ*, niſi ignorantia, niſi peccatum. Hic uſus, hic fructus verſionum eſt in linguam vernaculam, quas Janſeniani continuò procudunt novas, ut ſua dogmata tanquam Spiritûs Sancti oracula inſinuent, unius hinc indè voculæ mutatione à ſimplicibus non facilè, & vix ab aliis percipiendâ. Quis enim, niſi ubi ſuſpecta fuerit Scriptoris fides, & abundat otium, cum vulgata Latina à Tridentinis Patribus approbatâ verſione ſemper conferat vernaculam?

3 Ea ars & fallacia ſemper hæreticorum fuit, *vitiare libros Scripturæ ſacræ*, ut aliàs notavit Franciſcus Simonis de fraudibus hæreticorum parte 3. Fraude 10., „ Tot „ exhauſti (inquit) fractique contentionibus, „ & certaminibus hæretici, abdere ſe gaudent in quoddam otium minimè otioſum, „ non ſcelere vacuum: perſuaſum voluêre „ pridem, ut alibi vidimus, non poſſe ruete ſua dogmata, niſi ruinâ eâdem involvatur quidquid eſt Divinarum literarum. „ Ruinam igitur lugentes impiorum dogmatum, ringenteſque ſuam conſtare venerationem ſacris libris, facinus occœptant, quod omnes pii horreant, ac deteſtentur: ſacrilegâ manu, ſtyloque vim „ afferunt Divinis oraculis, & ſuis dogmatibus conſentanea faciunt, labemque ſuam „ Spiritui Sancto tranſcribunt. „ Apud Theodoretum lib. 2. de Hæret. fabulis capit. 5. dicitur „ Divinam Scripturam interpolare auſi ſunt, & quædam amputare, „ quædam adjicere, emendaſſe ſe dicentes, „ quæ non bene habebant, & ſapientiores „ ſe Spiritu Sancto pronuntiantes.... alio „ modo id fecit Theodotus, alio Aſclepiades, & Hermophilus, aliter Apollonides „ &c. „ Hos impoſtores S. Ambroſius in Pſalm. 118. ſermone 11. ait *miſcêre aquam vino, tanquam caupones peſſimos, adulterantes ſermonem Dei*.

Hanc artem diſcipulos ſuos hæreticos Diabolus docuit, teſte Ruffino de adulter. lib. Orig. ad Macar. *Sicut ipſorum Patri Diabolo ab initio falſare verba, atque inflectere à ſuo ordine, & ſui veneni interſerere virus ſtudium fuit, ita & iſtis ſucceſſoribus ſuis banc ſuæ artis bæreditatem reliquit. Ille, cùm vellet Evam decipere, liberalitatem Dei omnia edere permittentis unâ tantummodo interjectâ ſyllabâ in quantas coarctavit anguſtias! Ait enim quid eſt, quod dixit Deus, ut ex omni ligno paradiſi NON manducetis?* In hos ſacrilegos graviter, & meritò invehitur Cardinalis Baronius ad annum 231. num. 57. „ Erubeſcant (inquit) novatores omnes, qui nullâ „ antiquitatis reverentiâ ducti, neque religione abſterriti, perinde ac ſi in ſcriptis „ Gentilium verſarentur, atque illotis, „ quod ajunt, manibus ſacra contingerent, „ mox ut ſibi viſi ſunt eſſe Græculi, & ſemijudæi linguarum peritiâ, quodam furoris „ impetu potiùs, quàm afflatu Divini Spiritûs, in ipſam ſacroſanctam, Divinamque „ Scripturam irrumpunt, eamque mox ingenii ſui vires experturi aggrediuntur, & „ quantum in profanis profecerint, in ſacris periculum facere non verentur, novas indies Divinæ Scripturæ editiones „ cudentes: alterâque manu refractario calamo impietatis, alterâ armatâ gladio „ maledicentiæ procedunt, atque inflati „ ſuperbiâ, protervoque animo, ingenio „ duro, & aſpero, rictuque ferali progrediuntur in medium, agminibus Dei venientis procaciter inſultantes. „

Quod de ſui ſæculi hæreticis Lutheri, & Calvini ſectatoribus Baronius ſcripſit, crederes hoc tempore contra Queſnellum, & ejus ſocios ſacrorum codicum violatores prophetico ſpiritu dictatum. Sed nunc errorem ipſum, cui ſtabiliendo impietatis iſta excogitata eſt machina, meliore ſacri omnis apparatûs genere dejiciamus.

CA-

CAPUT II.

Fallacis Propositionis perversitas, & authoris subdoli hypocrisis detegitur.

1 Vix alius articulus est, cujus censuram ægriùs ferunt Quesnelliani, & conquisitis undique Scripturarum, ac Patrum testimoniis vehementiùs aggrediuntur. Sola sententiarum relatio absque commentario implet *Hexaplorum* paginas novem, ferè sex *Collationis*: atque ego quidem sic statuo, simplicibus, & imperitis ante CLEMENTIS XI. sententiam ignosci potuisse, si pietatis specie circumventi nihil in hac Propositione primo intuitu cognoscerent à sensu Catholico alienum. Talibus enim videri poterat Propositio ad humilitatem conducere Christianam, & stimulos addere ad charitatem, quando sinè fidei lumine, sinè Christo, & sinè charitate nihil aliud esse possumus nisi tenebræ, nisi aberratio, & nisi peccatum.

Verùm prudentiores, & sanioris doctrinæ Theologi, hoc periculoso tempore, serpente per Gallias, & Belgium Jansenianâ, atque Bajanâ hæresi, cum annexis novitatibus articulum accipiendum censuere non benigniore quodam sensu, & improprio, sed obvio, & in rigore intellectum accusarunt, quia & ipsum, attentâ authoris, & cæterorum ejus dogmatum circumstantiâ, annulum esse deprehenderant impiissimæ catenæ, quâ Diabolus per suos ministros, præposteros Ecclesiæ, & fidei reformatores, veros hypocritas, & hæreticos nititur religionem, & cum ea animas trahere in ruinam.

2 In propria, & obvia articuli acceptione contineri manifestum est hunc Bajanum 27. *Liberum arbitrium sinè gratiæ Dei adjutorio non nisi ad peccandum valet*. Non inficiabitur id Quesnellus, sed hanc inter novæ suæ Ecclesiæ bases collocat, pluribus instaurans Propositionibus, inter quas est 40. *Sinè gratia nihil amare possumus, nisi ad nostram condemnationem*, quod cum majore emphasi exprimit 39. *Voluntas, quam gratia non prævenit, nihil habet luminis, nisi ad aberrandum; ardoris, nisi ad se præcipitandum; virium, nisi ad se vulnerandum: est capax omnis mali, & incapax ad omne bonum*. Propos. 41. *Omnis cognitio etiam naturalis, etiam in Philosophis Ethnicis, non potest venire nisi à Deo, & sinè gratia non producit nisi præsumptionem, vanitatem, & oppositionem ad ipsum Deum, loco affectuum adorationis, gratitudinis, & amoris*. Cùm autem juxta Propositionem 27. *Fides sit prima gratia, & fons omnium aliarum*, & Propos. 26. *Nullæ dentur gratiæ nisi per fidem*; hinc fluit Propositio Bajana 25. à tribus olim damnata Pontificibus: *Omnia opera infidelium sunt peccata, & Philosophorum virtutes sunt vitia*. Imò & sequitur 8. inter 31. ab Alexandro VIII. proscriptas: *Necesse est infidelem in omni opere peccare*. Necesse est enim verò, inquiet Quesnellus; *quid*, enim, *aliud* juxta præsentem articulum *esse possumus nisi tenebræ, nisi aberratio, & nisi peccatum sinè fidei lumine, sinè Christo, & sinè charitate*?

3 Istud quidem improbæ catenæ initium est: attende nunc cætera: ut fides Quesnello est prima gratia, sinè qua charitas esse non potest, & juxta illum fides ad vitandum peccatum, imò ad vitandi illius potestatem, est necessaria; sic etiam juxta Prop. 51. *Fides justificat, quando operatur; sed ipsa non operatur nisi per charitatem*. Igitur omnis actus humanus vel peccatum est, vel justificat. Peccatum scilicet est, si est sinè fide juxta articulum præsentem 48, & plures alios jam relatos, juxta quos omne, quod non est ex charitate, adeóque omne, quod non est ex fide, peccatum est. Neque Quesnellus hanc suam sententiam volet revocari in dubium. Omne autem quod ex fide est, sive *quod fides operatur*, est opus justificans juxta Quesnellum, ut patet ex relata Proposit. 51. *Fides justificat, quando operatur*, id est, quotiescunque operatur. Nolim hìc discutere, an Quesnellus non videatur justificationem potiùs fidei tribuere, quàm charitati: istud certum est juxta relatum articulum, fidem semper justificare, quando operatur, nec aliter operari, quàm per charitatem; omne denique opus, quod fides per charitatem non operatur, esse peccatum, atque adeò actionem omnem vel peccatum esse, vel justificare.

In hunc sensum confluit Propositio 28. *Prima gratia, quam Deus concedit peccatori, est peccatorum remissio*; quia juxta Propos. 27. *Fides est prima gratia*; ergo fides, quam Deus concedit peccatori, est peccatorum remissio, atque ita semper est justificans; non enim minoris virtutis est in justis, quàm peccatoribus; dicitur autem Prop. 51. *Fides justificat, quando operatur*, nè putares, habitum fidei otiosum, si fortè in adultis existeret, justificare. Sed tales ex omnium adultorum animis videntur novi Theologi eliminare. Ita Namurci devotus Quesnello Professor, dein ab Episcopo docendi munere privatus, in dictatis de fine §. 9. *Non ad-*

mittimus, inquiebat, *in adultis dari habitus otiosos sive bonos, sive malos, sive supernaturales, sive naturales*.

4 At quomodo Quesnelli Propositio (*fides est prima gratia*) convenit cum illa Jansenii lib. 5. de gratia Christi cap. 6. *Nullam ipse* (Augustinus) *agnoscit fidem veram, atque Christianam .... nisi ex Dei charitate dimanet*? Nempe ratio movens, sive finis est primus in intentione; hinc fides elicita propter Deum benevolè dilectum dicitur ex charitate dimanare: talis fides cum charitate juxta Quesnellum prima gratia est, & præter hanc nulla fides vera, & Christiana, etiam juxta Jansenium est; sed *vel Dæmonum pœnarum timore, vel carnalis ex mundi amore*, ut Jansenius definit lib. 5. de gratia Christi cap. 7.

Sic quoque ad præsentem Quesnelli articulum 48. observari jubet *Collator*, sive Hexaplorum subsidiarius Latinus. *Verissimum est, quòd non aliud simus, quàm tenebræ, quàm aberratio, & peccatum sine charitate; si charitatem cum Augustino latè sumas pro quolibet motu animi ad fruendum Deo propter ipsum; nam nec fides, si modò vera sit, ac distincta à fide Dæmonum, tali motu caret*. Unde & ego observari duo à lectore cupio: primum est, quid Quesnellianis sit charitas latè dicta ex Augustino, nempe *Motus animi ad fruendum Deo propter se*.

Alterum est, quòd sicut talis charitas, etiam adversariis sufficit, ut actio immunis sit à peccato, & possit esse vera fides, ita pariter sufficiat, ut fides juxta eos operetur, adeóque justificet; nam juxta Proposit. 51. *Fides justificat, quando operatur*, id est, quandocunque operatur; *sed non operatur nisi per charitatem*. An hic Jansenium Quesnellus non superaverit, alii statuant; sic enim Jansenius lib. 5. de gratia Christi cap. 7. „ Augustinus gratiam plerumque accipere solet pro dilectione, qua verè, sincerè, & gratis ex animo propter se ipsum diligitur Deus; sive ad illam pertineat perfectionem, ut supra omnia creata diligatur; sive in simpliciori, & inferiori affectu hæreat.... Talis igitur amor Dei nisi voluntatem hominis ad credendum flectat, non erit fides Christiana, sed vel Dæmonum &c. „ Atqui si dilectio non ad illam pertingat perfectionem, ut Deus supra omnia creata diligatur; sed in affectu hæreat inferiore, non justificat: si autem fides justificet, quandocunque operatur, quid si operetur per charitatem illam, seu dilectionem inferioris ordinis, & quæ non sit super omnia; An tunc etiam justificat? Novitas ista hactenus apud Theologos inaudita est, nec memini, me eam legere vel in Jansenio. Et quis non erroris arguat asserentem, quòd fides, & dilectio Dei, quæ non est super omnia, per se statâ lege justificet absque Sacramento?

Præterea, si ad licitè operandum juxta Quesnellum, interprete *Collatore*, requiratur *motus animi ad fruendum Deo propter se*, ut loquitur Augustinus, videtur requiri amor Dei super omnia; nam ut S. Bonaventura in 2. dist. 42. art. 2. quæst. 1. ait: *Sextò ad illud, quod objicitur, quòd amor venialis peccati sit amor fruitionis, dicendum, quòd falsum est, secundum, quòd frui accipitur propriè; videlicet quiescere in aliquo tanquam in fine ultimo*. Quiescere scilicet in aliquo tanquam in fine ultimo, est amare illud super omnia. Ideo neque S. Thomas peccatum veniale appellari patitur rei creatæ fruitionem qu. 7. de malo art. 10. & in 4. distinct. 31. quæst. 2. art. 3. sed mavult *usum* dicere: Sanctus Bonaventura loco cit. *abusum*: neuter fruitionem.

5 Denique quoties Quesnellus ad vitandum in aliqua actione peccatum necessariò postulat fidem, meminerimus, quid fidei intelligat vocabulo; videlicet quòd Jansenius l. b. 5. de gratia Christi cap. 6. *Nullam ipse* (Augustinus) *agnoscit fidem veram, atque Christianam ..... nisi ex Dei charitate dimanet*, & cap. 7. *Amor Dei nisi voluntatem hominis ad credendum flectat, non erit fides Christiana, sed vel Dæmonum, pœnarum timore, vel carnalis ex mundi amore*.

Credideramus hactenus Tridentino, hanc nobis dispositionis seriem ad justificationem describenti sess. 6. cap. 6. „ Disponuntur „ autem ad ipsam justitiam, dum excitati „ Divinâ gratiâ, & adjuti fidem ex auditu „ concipientes, liberè moventur in Deum, „ credentes vera esse, quæ divinitus revelata sunt; &, dum peccatores se esse intelligentes, à Divinæ justitiæ timore, quo „ utiliter concutiuntur, ad considerandam „ Dei misericordiam se convertendo, in „ spem eriguntur, fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore, illumque „ tanquam omnis justitiæ fontem diligere „ incipiunt. „ Verùm Quesnellus cum cæteris Jausenistis vult priùs Deum diligi, atque ex illo amore fidem, spem, & cæteras dispositiones profluere; alioqui vitio non carituras. Eâdem sessione cap. 8. declarat Synodus: *Fides est humanæ salutis initium, fundamentum, & radix omnis justificationis*: juxta Jansenii discipulos, loco fidei substituenda est charitas, à qua fides imperanda est,

est, nè & ipsa peccatum sit.

Hinc devotus Jansenio Belga in thesibus anni 1676. die 25. Julii concludebat, *Quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor, deficit etiam fides; & , etiamsi videantur credere, non est fides Divina, sed humana.* Damnavit quidem Alexander VIII. eumdem, & iisdem prorsus expressum vocibus articulum 12. inter 31., uti & hunc 11. *Omne, quod non est ex fide Christiana supernaturali, quæ per dilectionem operatur, peccatum est.* Verùm Quesnellus in epistola gallicè typis edita sub nomine *Abbatis ad quemdam Romanæ Curiæ Prælatum*, facili responsione omnes Decreti illius Pontificis censuras, & definitiones obducit, ac diluit, quantum aliquibus novæ Ecclesiæ sectatoribus tunc videbatur sufficere pag. 55. *Contra hoc Decretum*, inquit, *magnum aliquid esset audendum; sed, quia Curia Romana exigeret sibi fieri satis, consultius est, nihil omnino facere, & Decretum contemnere.*

6 Hæc resolutio non satisfecit Ludovico du Vaucel, aliàs *Walloni*, qui Româ, ubi Jansenistarum clanculum agebat partes, documenta submiserat, quibus Decretum Pontificis impugnaretur fortiùs. Cujus consilio obsecutus Arnaldus tunc octogenario vicinus (quanquam, ut credibile est, contubernale Quesnello operam conferente) edidit *Nonam partem difficultatum propositarum Domino Steyaert* ubi pag. 203. ait: *Esse in hoc Alexandri VIII. Decreto obscuritates impenetrabiles, vel ex hoc exemplo compertum est: Quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor, deficit etiam fides; & , etiamsi videantur credere, non est fides Divina, sed humana.* pag. 206. *Condemnare non potes Propositionem hanc 12. nisi condemnando te ipsum, S. Thomam, & cæteros passim Theologos*, castra scilicet Jansenii sequentes. Inflictam Angelico calumniam contempsere facilè inter cæteras Jansenistarum ineptias doctissimi Thomistæ.

Quod dicitur de *obscuritatibus Decreti impenetrabilibus*, solitum est de omnibus, quibus Janseniana novitas proscribitur, Decretis, & Constitutionibus mendacium. Gabrieli Gerberon in nova sua Bajanorum operum editione cum vindiciis, Constitutio Pii V. sapientissimi, atque eruditissimi Pontificis, contra Baji, & sociorum articulos, erat prorsus ambigua. Unde, inquit, pag. 234. „ Æquiores arbitri deducunt „ non inutilem modò; sed fovendis, & au„ gendis, quàm sedandis, ac componendis „ contentionibus aptiorem; Imò magis in „ Catholicæ veritatis perniciem, quàm in „ errorum extirpationem latam esse arbi„ trantur censuram hanc, quæ sensum ve„ rum, & Catholicum à falso, & hæretico „ non discernens, istum æquè, ac illum in„ discriminatim damnat. „ Nihil magis æquivocum, si Jansenistis credimus, quàm quinque Propositiones hæreseos censurâ in sensu Jansenii notatæ. De prætensis Constitutionis UNIGENITUS tenebris, & de negatis hactenus à Clemente XI. explicationibus omnia Quesnelli, & ei adhærentium opuscula, fallacibus plena sunt querelis; verùm perpetua nos experientia edocuit, futilem esse novaturientium obtentum de censurarum, quibus feriuntur, obscuritate; Explicationum nomine non lumen, & veritatem quærunt; sed ampliorem altercandi materiam. Nunc ad pertexendam errorum seriem, à qua tantisper divertimus, revertamur.

Apologiarum scriptoribus familiare est, Propositiones duriùs sonantes, explicatione quàm possunt benignissimâ mitigare; ideo mirum fortè *Hexaplorum*, & *Collationis* lectoribus apparebit, crudiorem, quàm præ se ferre aliàs Propositio 48. videretur, sensum, ei à Defensoribus illis tribui. Cùm enim dicitur, *quid aliud esse possumus nisi tenebræ, nisi aberratio, & nisi peccatum, sinè fidei lumine, sinè Christo, & sinè charitate*, peccatum continuum non asseritur, charitate solâ, neque fide cum charitate carentibus; sed fide simul, Christo, & charitate. Uterque autem Propositionis vindex divisim de singulis probandum suscipit, nihil nisi peccatum in nobis esse posse sinè fide, nihil nisi peccatum sinè Christo, nihil nisi peccatum sinè charitate.

7 Sed mirari desinet, quisquis meminerit connexionis inter illa tria juxta Quesnellum indissolubilis; nam auxilium supernaturale ex Christi meritis, quod *Christi* nomine hìc intelligitur, non est sinè fide, quæ juxta Propos. 27. *Est prima gratia, & fons omnium aliarum*, & 26. *Nullæ dantur gratiæ, nisi per fidem.* Quòd fides *sinè Christo*, seu ejus gratiâ esse nequeat, omnibus compertum est; quòd verò nec sinè charitate fides esse juxta Jansenium, & ejus discipulos possit, jam vidimus.

Sic & Quesnellus Prop. 44. *Non sunt nisi duo amores, unde volitiones, & actiones omnes nostræ nascuntur; amor Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur, & amor, quo nos ipsos, ac mundum diligimus, qui quod ad Deum referendum est, non refert, & propter hoc ipsum fit malus.* Imperium itaque voluntatis, ex quo fides nascitur, & volitio quæ-

quædam est, ipsa etiam actio fidei, si non nascitur ex amore Dei, nascitur necessariò ex amore mundi, & propter hoc ipsum fides, & volitio illam imperans est mala. Propos. 45. *Amore Dei in corde peccatorum non amplius regnante, necesse est, ut in eo carnalis regnet cupiditas, omnesque actiones ejus corrumpat*, etiam fidem. Nobis hactenus regula fuerat Tridentini definitio sess. 6. can. 28. *Si quis dixerit, amissâ per peccatum gratiâ, simul & fidem semper amitti; aut fidem, quæ remanet, non esse veram fidem; licèt non sit viva; aut eum, qui fidem sinè charitate habet, non esse Christianum, anathema sit*. Amissâ per peccatum gratiâ non *regnare* in corde peccatoris amorem Dei, evidens est. Si itaque tunc necesse sit, regnare illic cupiditatem, omnesque ejus corrumpere actiones, corrumpitur etiam fides, atque hæc desinit esse vera, & Christiana.

Propos. 46. *Cupiditas, aut charitas usum sensuum bonum, vel malum faciunt*. Quæ pro usu sensuum, eadem valet ratio pro usu alterius cujuslibet facultatis, seu potentiæ. Si autem usus intellectûs, & voluntatis redditur malus à cupiditate, quisquis non redditur bonus à charitate, necesse est, fidem, quoties prævenit charitatem, fieri perversam.

Propos. 47. *Obedientia profluere debet ex fonte, & hic fons est charitas. Quando Dei amor est illius principium interius, & Dei gloria ejus finis, tunc purum est, quod apparet exteriùs; alioquin non est nisi hypocrisis, aut falsa justitia*. Igitur obedientia, qua quis submittit intellectum in obsequium fidei, est hypocrisis, si non oritur ex charitate, ut certè non oritur, quando generatione prior est juxta Angelicum 2. 2. quæst. 4. art. 7. *Necesse est*, inquit, *quòd fides sit prima inter virtutes*. Et quæst. 18. *Secundùm ordinem generationis spes est prior charitate*. Juxta Quesnellum autem & fides, & spes sunt hypocrisis, quoties, ut juxta ordinem generationis solent, præveniunt charitatem, vel ex ea non profluunt.

Quapropter, cùm dicitur in Quesnelli Propositione 48. *Quid aliud esse possumus nisi tenebræ, nisi aberratio, & nisi peccatum sinè fidei lumine, sinè Christo, & sinè charitate*, idem est ac si simpliciter diceretur, sinè charitate non possumus aliud esse, quàm peccatum. Quia fides juxta Quesnellum non potest esse nisi peccatum, si non oritur ex charitate, & *fides non operatur, nisi per charitatem*, juxta Propos. 51. Neque gratia ulla datur ante fidem, & proinde ante charitatem Propos. 27. Non est operæ pretium hic iterum ostendere, quòd sinè gratia possint esse actiones immunes à peccato; istud enim firmissimè stabilitum est initio hujus tomi contra Propos. 38. 39. 40. 41.

8 Et quantum ad præsens attinet, sufficere deberet, trium olim Summorum Pontificum Pii V., Gregorii XIII., Urbani VIII. authoritas, & lata contra hunc Bajanum articulum censura: *Liberum arbitrium sinè gratiæ Dei adjutorio non nisi ad peccandum valet*.

Si Sedem Apostolicam in tot Pontificibus spernere ludus est Quesnello, & sociis ejus schismaticis, quid dicent ad censuras celebratissimæ suæ Facultatis Theologicæ Parisiensis, quæ zelo olim fidei excitata, Romanorum Pontificum censuras suo judicio prævenit, & dein latas obedientiâ prosecuta est. Sic ipsa contra duos articulos ad præsentem controversiam pertinentes statuit: videlicet art. 1. *Liberum arbitrium ex se non potest nisi peccare: & omne opus liberi arbitrii sibi dimissi est peccatum mortale, vel veniale*. Censura Sorbonæ. *Hæc Propositio per utraque parte est hæretica*. Articulus alter: *Homo faciendo quod in se est, peccat, & non potest non peccare, faciendo quod in se est*. Censura, *Hæc Propositio est hæretica*.

Ita Parisienses Sancti Pii V. judicium anno 1560. prævenerant: post illud etiam obedientes anno 1644. novo diplomate præceperunt tam Doctoribus, quàm *Baccalaureis, nè probent, vel sustineant prædictas Propositiones per Bullas Pii V., Gregorii XIII., Urbani VIII. Summorum Pontificum prohibitas*.

9 Quòd autem non omnis actio peccatum sit sinè fidei lumine, probatum est contra Propositionem 42. cùmque fides vera juxta Quesnellum profluere debeat ex charitate, sinè qua & ipsa fides non sit nisi hypocrisis, & peccatum, tota reducitur difficultas, & disceptatio ad charitatem; utrùm ea semper necessaria sit, ut actio qualiscunque vitio eximatur.

Non potest esse quæstio de charitate habituali; aliàs incurreretur ab adversariis non solùm censura inflicta Bajanis articulis 35. *Omne quod agit peccator, vel servus peccati, peccatum est*; & 40. *In omnibus suis actibus peccator servit dominanti cupiditati*; sed etiam non effugerent Tridentinum anathema latum sessione 6. can. 7. *Si quis dixerit, opera omnia, quæ ante justificationem fiunt, quacunque ratione facta sint, verè esse peccata .... anathema sit*. Aliud anathema jam retuli ex can. 28. *Si quis dixerit, amissâ per peccatum gratiâ, simul & fidem semper amitti; aut fidem, quæ remanet, non esse veram fidem,*

licèt

licèt non fit viva..... anathema fit.

De folis igitur fidei, & charitatis actibus tota præfens difceptatio eft, an finè illis nihil in homine, five in ejus deliberatis operationibus fit nifi peccatum. Quæ controverfia pridem à Sorbona, dein certiùs à plurimis Romanis Pontificibus decifa eft: atque iterum à Sorbona octoginta quatuor annis poft veterem cenfuram novo decreto ftabilita fententia, præcepta fimul omnibus fuis obedientia erga Conftitutiones trium Pontificum; ut nemo jam Sorbonicus poffit, nifi à majoribus fuis degener, nemo Chriftianus, nifi Schifmaticus, & gravioribus dignus cenfuris pro Quefnelliano præfente articulo 48. prælium inftaurare.

10 Sed quia nobis cum pervicaciffimis hoftibus, & præter oftentationem Pharifaicam, parum religionis habentibus, res eft, omni armorum genere impugnandi, ac conterendi funt.

Non commemoro nunc folemnem Bullæ UNIGENITUS fufceptionem, quam vivente Ludovico XIV. Rege Chriftianiffimo Sorbona præftitit, & fuis inferuit faftis, five, ut vocant, Regeftis, quæ profcriptorum omnium articulorum manifefta condemnatio fuit: neque fecura dein inconftantia, cenfenda eft doctrinæ totius approbatio; cùm obtentus alii non defuerint, quos expendere non vacat modò; opportunius tempus, locusque, ut fpero, dabitur, fuito contra Propofitiones certamine.

Denique à Venerabilibus *plurimis Parifienfis Civitatis Metropolitanæ Ecclefiæ Canonicis, Urbicis Parochis, Superioribus Regularibus, & facræ Facultatis Parifienfis Theologis*, prodiit *ad Eminentiffimum Cardinalem de Noailles Archiepifcopum Parifienfem fupplicatio, ac denuntiatio* contra Lucionenfem, & Rupellenfem Epifcopos: neque illi hactenus denuntiationem retractarunt. In hac Viri iidem graviffimi fectionis 2. fic titulum adornant:*Propofitio 27. Michaelis Baji. Liberum arbitrium, finè gratiæ Dei adjutorio, nonnifi ad peccandum valet, in Lucionenfi mandato renovata.*

Tum fectionem fic ordiuntur: „ Quam „ propofitionem olim S. Pius V. Grego- „ rius XIII. Urbanus VIII. in Michaele Ba- „ jo damnarunt, eandem Mandati Lucio- „ nenfis, & Rupellenfis Scriptor tueri non „ erubefcit, fpreta Romanorum Pontifi- „ cum auctoritate. „ Iidem in præfatione: „ Eminentiffime Cardinalis, ac Reve- „ rendiffime in Chrifto Pater...... quod „ nobis, & Ecclefiæ periculum non debe- „ mus metuere, quando nonnulli Epifcopi, „ & Ecclefiafticæ communionis, & loci fui „ immemores...... nec Romanæ Sedis „ Primatum reverentes..... Apoftolicæ „ Sedis...... de fide, & moribus judicia „ reformandi jus fibi vindicant! Has Ro- „ mani Pontificis contumelias diffimulare „ non poffumus, nec debemus; fiquidem „ plebs Chriftiana decipitur, damnati pri- „ dem ab Ecclefia errores inftaurantur...... „ Sanctorum Auguftini, & Thomæ incon- „ cuffa dogmata impugnantur, Romanæ „ Sedis, quæ unitatis Catholicæ centrum „ eft, reverentia conculcatur „.

Digniffima foret Viris tantis, fi modò vera, denuntiatio, quam de calumnia convicerunt Antiftites accufati; & meritò mirantur, adverfarios fuos Quefnelli Patronos illum denuntiationi articulum delegiffe, quem in accufatorum Epifcopali Mandato nufquam reperire eft, dum incredibili cœcitate eum in Quefnelli libro non perfpiciunt, vel malitiâ diffimulant tot locis obvium; ut exprimitur damnatis Propofitionibus 38.39. 40.41.42. & pluribus fequentibus, etiam 48.

11 Contra iftos igitur Quefnelli articulos Denuntiantium, & Supplicantium pathericè declamet, & vires exerat eloquentia; fi denuntiatio feria eft, fi fincera, ut tantorum Virorum exigit auctoritas, quorum in fronte operis nomina proferuntur: aliàs, quod pace illorum dixero, & falvâ tantis debitâ nominibus reverentia, diffimulatio erroris in Cliente fuo Quefnello adeò manifefti, tot locis, & modis clariffimis inculcati, dum Epifcopis eum deteftantibus affingitur, & in his, tanto ftrepitu denuntiatur, fallaciam fapit, & iniquitatem. Quis enim Lector æquus hic non videat, & averfetur non folùm *pondus & pondus, menfuram & menfuram*, à Deo in facris Literis deteftatam; fed etiam calumniam in Epifcopos zelo fidei, & erga Sedem Apoftolicam obedientiâ plurimum commendabiles? Unde ficut accufationem erroris omnes approbare debent Catholici, ita perfonarum acceptionem de tanta convictam injuftitia omnis probus femper execrabitur.

Verùm, ut miffam faciam duorum Antiftitum caufam, ab ipfifmet ftrenuè vindicatam, rogari denuntiatores velim, ut pro ea, qua valent apud Eminentiffimum fuum Archiepifcopum gratiâ, novam ad ejus thronum dirigant fupplicationem, quâ perfuadeant, ut errorem hunc in plurimis Quefnelli Propofitionibus, etiam in 48. rectiffimè damnatum palàm rejicere, ac profcribere dignetur.

In

In præsenti capite cum denuntiatoribus egi tanquam veris, non fictitiis; quia toto quadriennii spatio, quo denuntiatio vagatur, nullus hactenus eorum, quorum nomine instituitur, reclamare auditus est. Unde, licèt Scriptor commissionem forsitan à paucis, fortè etiam à nemine acceperit, eam tamen ex nota animorum dispositione, præsumptioneque creditur supposuisse; denuntiatio verò privatim approbata, à pluribus istorum excepta eum plausu, atque encomio est.

CAPUT III.

Damnatæ Propositioni nulla suffragatur Scriptura.

CUmulanr hic Adversarii Scripturas magno numero, sed labore inurili; nisi quòd sacrorum Textuum, etsi ad causam minimè pertinentium, frequens citatio imponere soleat simplicibus, qui facilè credunt, quod multis adeò Scripturarum restimoniis, licèt à se minimè intellectis, viderint confirmatum.

1 Objicitur illud Act. 15. *Qui novit corda Deus, testimonium perhibuit, dans illis Spiritum Sanctum, sicut & nobis, & nihil discrevit inter nos, & illos, fide purificans corda eorum.* Gentiles Apostolorum operâ ad fidem eonversos accepisse Spiritum sanctum, purificatis per fidem cordibus, legimus omnes, & eredimus. Unde non incongruè colligitur, eos, qui etiam hodie ex Infidelibus adultis justitiam eonsequuntur, eam purificatis fide cordibus adipisci. Sed quomodo inde conficies, omnia opera esse peccata, quæ fiunt sinè Christi gratia, fide, & charitate? Nihil profectò simile assequi potuere S. Pius V. Gregorius XIII. Urbanus VIII. & Alexander VIII. Neque assequetur unquam Ecclesia Catholica, damnatura semper universos, qui cuncta Infidelium opera, omnia liberi arbitrii absque gratiæ adjutorio exercitia peccati accusare præsumpserint: accnsat Quesnelli Propositio.

2 Non illi favet Apostolus ad Hebræos cap. 11. dicens: *Sinè fide autem impossibile est placere Deo; accedentem enim ad Deum oportet credere, quia est.* Quis de hoc Catholicus dubitat? Placere enim hominem Deo, est Dei amicum esse, filium, & hæredem, quod adulto nemini obtingit sinè fide. Circa res homine inferiores, atque ipsas ejus actiones varia in Deo sunr placitorum genera; placuerunt Deo in mundi exordia cuncta, quæ fecerat, ut in Genesi deelaratur: *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona.* In humanis verò operibus diversa Dei eomplacentia est pro diversitate operum bonorum, & operantium circumstantiâ. Aliter enim placent Deo opera bona justorum; aliter peccatorum, ad pœnitentiam se disponentium; aliter rursus impiorum, & infidelium. Justorum enim placent adeò, ut mereedem eis decernat Deus beatitudinem; peccatorum, ad conversionem anhelantium pia vota, & conatus approbat, & adjuvat, ut ad perfectam pœnitentiam promoveantur.

Aliter denique, & gradu longè inferiore placent Deo *aliqua* impiorum, & infidelium de conversione non cogitantium bona opera, *sine quibus*, ut ait Augustinus lib. de Spiritu, & Littera cap. 26. *difficillimè vita cujuslibet pessimi hominis invenitur.* Quæ quidem ei, ut ibidem Sanctus Doctor asserit, *ad salutem æternam nihil prosunt.* Talia tamen etiam Deo placere; etsi fide vacua, artribui Deo velut ejus munera, à Deo laudari, & donari præmio temporali, pluribus Scripturarum, & Patrum testimoniis sæpe contra superiores articulos allegatis compertissimum est. Videri ea potissimùm possunt contra Proposit.44.

3 *Collator* opponit illud ad Ephesios cap. 5. v. 8. *Eratis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.* Hic Adversarii si fide, aut saltèm rationis luce non penitùs destituerentur, viderent Apostoli textum nihil subsidii afferre damnato articulo; sed ei potiùs refragari. Quemadmodum enim, dum Ephesii *lux* facti fuerant *in Domino*, non propterea omnia ipsorum opera lux erant absque ulla delictorum saltèm levium umbra, & subinde graviorum caligine; ita cùm iidem tenebræ essent, antequam Christianæ fidei lumine imbuerentur, non necesse fuit, omnia, & singula eorum tunc opera tenebris annumerari, & peccatis. *Fit* enim aliquando, teste Augustino lib. 1. de peccatorum meritis cap. 22. *ut homo ab ineunte ætate* (exceptis Religionis Christianæ operibus) *ad virtutes cæteras provectior, aptiorque consurgat; & tamen eo loci sit, ubi ei prædicari gratia Christiana non possit.*

4 Instat Collator multa inanissimè „ conglomerans. Matth. 4. dicitur: „ Relicta Civitate Nazareth venit, & habitavit „ Capharnaum, ut adimpleretur, quod dictum est per Isaiam Prophetam: Populus, qui sedebat in tenebris, vidit lucem „ magnam, & sedentibus in regione umbræ „ mortis, lux orta est eis. „ Joan. c. 8. v. 12. „ Ego sum lux Mundi, qui sequitur me „ non

„ non ambulat in tenebris; fed habebit lumen vitæ„ Ibid. cap.12. v.46.„ Ego „ lux in mundum veni, ut omnis qui credit in me, in tenebris non maneat. „ Cap.14. v.6. Ego fum via, & veritas, & „ vita: nemo venit ad Patrem, nifi per me.

Ad primum patet refponfio ex fuperiori; Sicut enim, poftquam fedentibus in regione umbræ mortis lux orta eft, non ita lucida fuerunt eorum opera,ut nihil fubinde nubeculæ, & caliginis paffi fint; fepties enim labitur juftus: Sic in iifdem ante obortam fidei lucem non adeò denfis femper intellectus obfitus fuit tenebris, ut nihil veri & honefti, aut faltèm innocui perfpexerit, cenfueritque amplectendum, fubinde etiam perfuaferit ratio voluntati. Ad vitam autem veræ juftitiæ,ac beatitudinis, five *ad Patrem* abfque fupernaturali Chrifti gratia pervenire neminem, omni catholico certum eft.

5 Denique,ut probet adverfarius, omnia opera finè charitate effe peccata, profert illud Apoftoli ad Ephefios Cap.1. v.4. *Elegit nos in ipfo ante mundi conftitutionem, ut effemus fancti, & immaculati in confpectu ejus in charitate.* Sanctos nos effe, & immaculatos *in charitate*, & per eam, non diffiteor; fed omnia & fingula opera finè charitate effe maculata vitio, nullus admittere poteft, nifi qui & Scripturas clariffimas, & traditionem Patrum, maximè Auguftini, atque Angelici, & ante CLEMENTEM XI. quatuor Pontificum definitiones, præcedenti capite memoratas contempferit: is verò folemni Sorbonæ judicio, & iteratâ cenfurâ declaratus eft *hæreticus* anno 1560. Verba cenfuræ dedi fupra.

6 Redeunt in certamen Hexapla eum illo Lucæ 2. capite: *Viderunt oculi mei falutare tuum, quod parafti ante faciem omnium populorum, lumen ad revelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Ifrael.* Et 1. Cor. cap.16. *Si quis non amat Dominum noftrum Jefum Chriftum, anathema fit.* Quid Simeonis dictum ad præfens faciat inftitutum, qui poteft capere, capiat.

De Epiftola ad Corinthios audiatur Angelicus: *Numquid funt excommunicandi omnes, qui non funt in charitate? Refpondeo: dicendum, quòd hoc intelligitur, fi quis non amat Dominum Jefum Chriftum, id, eft fidem Chrifti: & ifti funt hæretici, & funt excommunicati: vel fi quis ufque ad finem mortis non perfeverat in amore Domini Noftri, in adventu erit feparatus à bonis.* Procul dubio qui extra ftatum gratiæ, feu charitatis, atque adeò in peccato lethifero moritur, damnationem non effugiet; fed quis indè eliciat, omnia & fingula, præterquam charitatis opera effe peccata? Etiam quisquis in fpe ufque ad finem non perfeveraverit, damnabitur; ideone actus omnes à fpe feparatos adfcripferis peccatis?

Hic velim lector attendat, quò vergat ea adverfariorum objectio. Inter Conftitutionis UNIGENITUS hoftes; & ejus defenfores difceptatio eft, num quæcumque opera haud nobilitaverit charitas, hoc ipfo laborent infamiâ vitiorum? Imò,inquiunt adverfarii, *Si quis non amat Dominum Jefum Chriftum, fit anathema*; quo argumento fuo ajo ego adverfarios, aut ridiculos convinci, aut graviore dignos cenfurâ, quàm damnatus in fenfu obvio articulus poftulaverat. Ridiculi, inquam, convincuntur, fi ex eo, quòd anathemati fubjaceat quisquis numquam Chriftum diligit,vel extra ftatum charitatis moritur, inferant peccari in omnibus actibus, quos ad Chrifti amorem explicitè charitatis ratio non direxerit.

Si verò, ut conclufio contra nos appareat legitima, textus Apoftoli intelligatur, ita ut anathema fit, quisquis non fingulis momentis actum amoris erga Chriftum exerceat,graviori fe irretiunt cenfurâ, quàm obvia propofitionis fignificatio exigere videbatur. Intelligi enim Propofitio poterat de peccato mortifero,vel veniali; nunc autem juxta argumenti hypothefim omnes actus dilectione vacui peccata funt graviffima, quæ hominem excommunicationi fubjiciant, feu anathemati: hoc fenfu Quefnelli Propofitio continet vigefimum inter articulos, vulgò Bajanos, *Nullum eft peccatum ex natura fua veniale; fed omne peccatum meretur pœnam æternam*; quia juxta Hexapla nullum datur in humanis actibus medium inter amorem Chrifti, & actum qui ob amoris illius abfentiam crimen fit dignum anathemate.

Cùm autem inter cenfuras varias, illis articulis à tribus olim Pontificibus *refpectivè* inflictas, prima fit *hærefeos*, difpiciendum aliis relinquo, an relatus articulus tali fenfu non in hæreticorum numero cenfendus fit. Articulos dixi *vulgò Bajanos*; quia à parte longè maximâ defumitur appellatio: cæteri quorumdam Bajo adhærentium funt. A vigefimo autem aliqui Bajum liberum pronuntiant; fed non difplicere eum errorem hodiernis novatoribus plura indicia fufpicionem movent, quale eft affertio peccati mortalis in omnibus actibus, qui Dei dilectio non funt, quam effe adverfariorum fententiam non in præfenti folummodo objectione; fed in pluribus ad fuperiores

res de charitate articulos animadvertimus.

CAPUT IV.

Propositioni damnatæ nullus favet Sanctorum Patrum.

1 Hermas ab Hexaplis adducitur, fidem statuens primam inter bona opera; quod etsi verum sit de operibus salutiferis, non tamen excludit Infidelium moraliter bona, & saltèm immunia à peccato, juxta trium Pontificum contra Baji articulum 25. definitionem, qua proscribitur hæc assertio: *Omnia opera Infidelium sunt peccata, & Philosophorum virtutes sunt vitia*. Præterea si nullus possit esse actus innoxius ante fidem, *liberum arbitrium sinè gratia Dei adjutorio, nonnisi ad peccandum valet*; quod iisdem trium Pontificum diu ante CLEMENTEM XI. Constitutionibus damnatum est. Sed & quando inter opera ad justitiam conducentia primus generationis ordine decernitur locus fidei, ea complerè accipienda est cum suis ad eandem dispositionibus, atque adeò cum iis virtutum moralium actibus, qui per accidens ad fidem, juxta Sanctum Thomam, sunt ad superanda fidei impedimenta necessarii, ut fortitudo ad vincendam formidinem, quam aliàs mundana solet prudentia dictare, nè animus obscuro fidei articulo nimiùm credulus sit, nec absque errandi discrimine assensum præbeat? Non minùs ad fidem prævia est humilitas, & obedientia, intellectum captivans in fidei obsequium.

2 Mirum aliquibus videbitur, quòd Jansenii Sectatores voluerint opponere nobis Origenem, non solùm ob gravissimos errores, quos in eo detexêre Epiphanius, Theophilus, Hieronymus, Theodoretus, Nicephorus, & alii; sed maximè, quia is à Jansenio, velut Pelagii Prodromus describitur tomo 1. col.367. ubi Origeni tribuitur *totius Pelagianæ structuræ basis præcipua*; & col.438. ait, *Scriptores inter Origenis, & Augustini ætatem interjectos, plerosque Semipelagiana labe infectos fuisse, quam in Oriente ab ipso Origene (quem in Scripturarum explicatione sectabantur) traxerint, præcipuè Græci*.

Verùm & ea in Jansenio ars pridem observata est tam dextera velificandi, quam à Batavicis suis didicerit, ut eodem vento noverit modò in Orientem, modò in Occidentem navigare, & eundem Authorem mox inter Hæresiarchas rejicere, mox in suum consciscere patrocinium, etiam nolentem. Ita Jansenius Origenem pro conciliando cum necessitate libero arbitrio in suas invitum cogere partes nititur tomo 3. col. 658. Quamvis autem Origenes in aliquibus innoxiè citetur; nobis tamen hic in tanta probabilium Patrum, & Interpretum copia de mente ejus studiosius disputare, non est operæ pretium.

3 Audiatur qui in *Collatione* mox sequitur Augustinus tract. 10. in Epist. Joannis num. 1. „ Opera tua præterita antequam „ crederes, vel nulla erant, vel si bona vi„ debantur, inania erant. Si enim nulla „ erant, sic eras quasi homines sinè pedi„ bus, aut vexatis pedibus, ambulare non „ valens. Si autem bona videbantur, ante„ quam crederes, currebas quidem; sed „ præter viam currendo, errabas potiùs, „ quàm perveniebas. Est ergo nobis, & „ currendum, & in via currendum. Qui „ præter viam currit, inaniter currit; imò „ ad laborem currit: tanto plus errat, „ quanto præter viam currit „.

In psalm. 31. n.4. „ Ea ipsa opera, quæ „ dicuntur ante fidem; quamvis videan„ tur hominibus laudabilia, inania sunt. „ Ita mihi videntur esse ut magnæ vires, „ & cursus celerrimus præter viam. Ne„ mo ergo computet bona opera sua ante „ fidem; ubi fides non erat, bonum opus „ non erat; bonum enim opus intentio fa„ cit; intentionem fides dirigit.

Sic est: inania sunt infidelium opera, quantumvis bona videantur, & sint in genere morum; quia nihil ad veram justitiam conferunt atque beatitudinem, hoc sensu nec fides ipsa, rectè Apostolo, sinè charitate prodest. Meritò quoque dicit Augustinus à vera felicitatis semita aberrare actiones omnes, quas per fidem intentio non direxerit.

Vita itaque infidelium aberratio continua appellatur à via veræ justitiæ, & salutis; sed non propterea *omnia infidelium opera sunt peccata, & virtutes philosophorum vitia sunt*, quod ut Scripturis, & traditioni maximè contrarium, justissimo anathemate à pluribus pridem Pontificibus damnatum est.

4 At, inquiunt adversarii, Augustinus lib.3. contra duas Epistolas Pelagianorum ad Bonifacium cap.5. num.14. dicit *sinè ipsa* (fide) *etiam quæ videntur bona opera in peccata vertuntur; Omne enim, quod non est ex fide, peccatum est*.

Lib.4. contra Julianum cap.3. num.30. Si

Si gentilis, inquis, nudum operueris, numquid quia non est ex fide, peccatum est? Prorsus in quantum non est ex fide peccatum est; non quia per se ipsum factum, quod est nudum operire, peccatum est, sed de tali opere non in domino gloriari, solus impius negat esse peccatum. Ibidem n.31. *Quod si & ipsa* (misericordia) *per se ipsam naturali compassione opus est bonum, etiam isto bono malè utitur, qui infideliter utitur: & hoc bonum malè facit, qui infideliter facit: qui autem malè facit aliquid, profectò peccat.*

Ibidem num.33. ad illud Euangelii *Si oculus tuus nequam est*, Ita monet Sanctus: *hunc oculum agnosce intentionem, qua facit quisque quod facit, & per hoc disce eum, qui non facit opera bona intentione fidei bona, hoc est ejus, quæ per dilectionem operatur, totum quasi corpus, quod illis velut membris, operibus constat, tenebrosum esse, hoc est plenum nigredine peccatorum.*

Si de Augustini sensu cum adversariis solus contendero, finem difficulter inveniet disputatio, neque, quantumvis convicta, eorum pertinacia se submittet, dum quibuscumque clarissimis ex Augustino textibus tenebras illi affundere semper conabuntur ex locis quibusdam ejusdem Sancti minùs perspicuis; nisi arbitrum nanciscamur, cujus interpretatione & judicio pars utraque stare vel cadere non refugiat.

Quis autem inter Scholasticos magis idoneus Augustinianæ sententiæ interpres designabitur Doctore Angelico, ad quem ab adversariis identidem provocamur? Neque nos ejus detrectamus judicium: ità Angelicus 2.2.q.23.art.7.ad 1. „ Dicendum, quòd „ actus alicujus charitate carentis potest „ esse duplex: unus quidem secundùm hoc „ quod charitate caret, utpote cùm facit „ aliquid in ordine ad id, per quod charitate caret; & talis actus semper est malus; „ Sicut Augustinus dicit in 4. contra Julianum, quod actus infidelis, in quantum est „ infidelis, semper est peccatum; etiamsi „ nudum operiat, vel quidquid aliud hujusmodi faciat ordinans ad finem suæ infidelitatis. Alius autem potest esse actus „ charitate carentis, non secundùm quod „ charitate caret; sed secundùm quod habet aliquod aliud donum Dei, vel fidem, „ vel spem, vel etiam naturale bonum, „ quod non totum per peccatum tollitur, „ ut supra dictum est quæstione 10. art.4. „ ut & 1. 2. quæst.85. art.2. & secundùm „ hoc finè charitate (& fide) potest quidem esse aliquis actus bonus ex suo genere; non tamen perfectè bonus; quia „ deest debita ordinatio ad finem ultimum„. Hujus itaque solùm perfectionis defectu, non est oculus nequam, neque totum corpus, tota anima repletur nigredine peccatorum; sed per relationem fini isti contrariam; per relationem videlicet ad vanam gloriam, vel honorem falsorum Numinum, vel similem.

5 Rursus Angelicus in Epist. ad Rom. cap.14. lect.3. explicans illud Apostoli: „ Omne, quod non est ex fide, peccatum est. „ (ait) ex quo videtur, quòd sicut dicitur in „ glossa, omnis vita infidelium peccatum „ sit, sicut omnis vita fidelium est meritoria, in quantum ad Dei gloriam ordinatur, secundùm illud 1.Cor.10. sive manducatis, sive bibitis, sive aliquid aliud facitis, omnia in gloriam Dei facite. Sed „ dicendum est, quòd aliter se habet fidelis „ ad bonum, & infidelis ad malum; uam in „ homine, qui habet fidem formatam, nihil „ est damnationis, ut supra 8. dictum est; „ sed in homine infideli cum infidelitate „ est bonum naturæ; & ideo cùm aliquis „ infidelis ex dictamine rationis aliquod „ bonum facit, non referendo ad malum „ finem, non peccat; non tamen opus ejus „ est meritorium... Cùm verò homo infidelis aliquid agit ex eo quòd infidelis „ est, manifestum est, quòd peccat, unde „ in glossa cùm dicitur: opus omne, quod „ non est ex fide, peccatum est, sic est intelligendum, omne quod est contra fidem, „ vel contra conscientiam, peccatum est; „ etsi ex genere suo bonum esse videatur: „ puta si paganus ad honorem suorum „ Deorum virginitatem servet, vel eleemosynam det, hoc ipso peccat„ Usus scilicèt sacris literis familiaris pridem ab interpretibus observatus est, ut enuntiatio expressa negativè, contrariè intelligatur. Sic *quod non est ex fide*, idem est quasi diceatur *quod est contra fidem*. Lib.1.Regum c.27. *Virum & mulierem non vivificabat David*: intellige, virum, & mulierem occidebat. Jeremiæ cap.7. *ut intenderent filios suos, & filias suas igni, quod non præcepi*, id est, quod prohibui. 2. Paralip. cap.13. *Nolite pugnare contra Dominum; quia non vobis expedit*; id est, nocebit plurimum.

Sic & in Augustini sententia cùm dicitur *Non quia per se ipsum factum, quod est operire nudum, peccatum est; sed de tali operari, non in domino gloriari solus impius negat esse peccatum*, sensus est, contra dominum gloriari, seu gloriari contra præceptum Domini.

6 Hinc Eminentissimus Aguirre in Theologia S. Anselmi disp.130. sect.2. re-

ferens alicujus novatoris Belgæ sententiam, qua Augustini textum corruptè pro se adduxerat, negationem sic perperam transponendo *in Domino non gloriari*, ita monet: „ Si dixisset *gloriari non in Domino*, verum „ diceret, consentiretque Augustino alicubi ita loquenti. Dicens verò *in Domino non gloriari*, præfert alium sensum negationis, non infinitantis; sed negantis „ ut Summulistæ loquuntur, nimirum denotat executionem, sive observantiam præcepti esse vitiosam, nisi positivè, & expresse referatur in Dei gloriam; cùm verò omnes Scholastici post D. Thomam & Bonaventuram id negent; imò & Pius V. ac Gregorius XIII. eandem in hac parte Scholasticorum doctrinam tradidisse videantur, ut postea constabit, ii omnes impii habendi erunt: parum est, si impii dicantur, hæretici quoque censendi erunt juxta Thesim (alterius illic novatoris) Sect.3. post multa contra novitatem ait „ Vide præterea Sotum in præfatione ad libros de natura & gratia, „ quæ sanè lectu dignissima est in rem hanc; ac præterea lib.1. cap.22. ubi opinionem (nobis) contrariam, Lutheranis tribuit; nostram verò sententiam appellat *catholicis omnibus receptissimam* „.

Michael Bajus lib.2. de virtutibus impiorum cap.4. satis videns suam Augustinianæ sententiæ explicationem esse contrariam S. Thomæ, *In primis* (inquit) *mirandum occurrit, quòd D. Thomas hanc proximi finis ad universale bonum referibilitatem ad rationem virtutis sufficere existimet*. Contra quod dirigit Bajus caput 5. hoc titulo: *Virtutes impiorum, quæ in Deum non referuntur, non ideo ab Augustino negantur esse veræ, quia non salvant; sed quia vitia sunt, & damnant*, ac denique concludit: *quidquid non fit ex fide per dilectionem operante, ipso non recto fine peccatum est*.

Bajum in hoc secutus est Jansenius lib.3. de natura lapsa cap.17. Præcessere Lutherus resolutione 2. contra conclusiones Eckianas: & in epistolam ad Galatas cap.4. Melanchton in epist. ad Rom. cap.14. Kemnitius in Examine Tridentini cap.1. & 7. Petrus dictus martyr. in epistolam ad Rom. cap.2. Calvinus lib.3. Instit. cap.14. Qui omnes adversariorum nostrorum heroes, & duces errantium, memoratis Augustini, & Apostoli textibus perperàm intellectis ad veritatis catholicæ subversionem abutuntur.

7 Augustinum adversariis oppositum exhibui sæpius, & evici locis Sanctissimi Doctoris apertissimis, nullâ sophismatum arte eludendis; ubi *voluntates bonas* infidelibus in infidelitate manentibus à *Deo inspiratas*, ostendi, quas Deus in cordibus eorum *interna, & occulta; mirabili, ac ineffabili potestate operatur*, ut loquitur lib.1. de gratia Christi cap.24.

Lib. de Spiritu & lit. cap.27. prædicat in illis *quædam facta, quæ secundùm justitiæ regulam non solùm vituperare non possumus; verùm etiam meritò, rectèque laudamus*: Quæ etiam *si discutiatur quo fine fiant*, quamvis pauca, tamen aliqua *inveniuntur quæ justitiæ debitam laudem, defensionemque merentur*.

Lib.4. contra Julianum cap.3. concedit Augustinus infidelibus *Virtutes*; sed *Divino muneri tribuendas*: *bona opera*; sed simul *dona Dei*.

Epist.130. agnoscit in infidelibus *justitiam, & actus strenuos*, quibus temporale *à Deo promereantur* præmium, quæ omnia apud illos, quibus aliqua Augustini reverentia, neque tantus ardor novitatis est, ut velint eam cum tanti Præsulis infamia, contra gravissimas Ecclesiæ definitiones defendere, abunde sufficiunt, ut damnatum articulum velut doctrinæ sanæ, atque ipsius Augustini placitis contrarium aversentur.

Si verò omnia opera absque charitatis, & fidei actu exercita rejicere inter peccata obstinatiùs quis perrexerit, necesse est, illum vel systematis Augustiniani ignorantissimum esse, vel Augustini hostem, qui Sanctissimo Doctori tribuere non vereatur impietatem adeò execrabilem qua statuatur *Deus internâ, & occultâ; mirabili, ac ineffabili potestate operari in cordibus hominû*, tamquam *sua dona*, & cœlestia *munera* approbare, ac remunerari præmio ea, quæ juxta eundem Hipponensem Antistitem *solus impius neget esse peccatum*. Hic iterum Lector animadverte adversariorum impudentiam, ac temeritatem, qua Propositionis duritiem adeò non emollire studeant, ut eam objectionibus suis in sensu authoris, eique patrocinantium efficiant deteriorem. Per illud enim *Sinè Christo*, ut in sensu obvio significat sinè Christi gratiâ, tantum rea videbatur Propositio censuræ à Pontificibus inflictæ huic dogmati Bajano: *Liberum arbitrium sinè gratiæ Dei adjutorio non nisi ad peccandum valet*: Et alterius priùs latæ & repetitæ à Sorbona anno 1560. qua Quesnelli in Bajo propositio declaratur *Hæretica*.

8 Verùm quando tot modò à Quesnello, seu præcipuis ejus defensoribus congeruntur sententiæ ad probandum, quòd omnia

nia ante fidem opera, vel etiam finè charitate sint peccata, in plura impingitur anathemata, quibus articuli plures Bajani à memoratis Pontificibus, & alii inter 31. ab Alexandro condemnatos feriuntur. Nempe adversariis idem est finè gratiæ auxilio, & finè fide: rursus finè fide, & finè charitate: istud ubique nobis inculcatum volunt, & stabiliri Propositionem 27. *Fides est prima gratia, & fons omnium aliarum*. 26. *Nulla dantur gratiæ nisi per fidem*. 45. *Amore Dei in corde peccatorum non amplius regnante, necesse est, ut in eo carnalis regnet cupiditas, omnesque actiones ejus corrumpat*; etiam fidem, quæ proinde tunc esse ex gratia non potest. Propositio 49. *Ut nullum peccatum est finè amore nostri, ita nullum est opus bonum finè amore Dei*. Propos. 58. *Nec Deus est, nec religio, ubi non est charitas*. Atque ita ubi non est charitas, non est fides: ubi non est fides, nulla est gratia; ubi etiam fides non est, non nisi peccatum esse potest.

Igitur Propositio hæc 48. *Quid aliud esse possumus nisi tenebræ, nisi aberratio, & nisi peccatum finè fidei lumine, finè Christo, & finè charitate*, in sensu authoris & ejus sodalium, ad perpetuam peccandi necessitatem non plus requirit, quàm fidei vel gratiæ Christi, vel charitatis absentiam; quidcumque enim è tribus defuerit, cætera duo pariter juxta Quesnellum deficere, & abesse necesse est.

9 Ad objectos ex Prospero textus non respondebo quod nobis adversantium magister Jansenius lib. 3. de gratia Christi. cap. 21. *Prospero doctior, & antiquior est Augustinus*. Nos Prospero plus reverentiæ deferamus. Citatur ex illo sententia 106. *Omnis infidelium vita peccatum est, nihilque bonum finè summo bono; ubi enim deest agnitio æternæ, & incommutabilis veritatis, falsa virtus est, etiam in optimis moribus*.

Sententiæ illæ collectæ sunt à Prospero ex operibus S. Augustini, ut proinde in illis præter colligendi studium nullam partem habuerit Prosper. Augustini autem mentem communi Theologorum sensui, & Pontificum definitionibus consentaneam jam dedi. Et de illa sententia dici potest quod Bellarminus ad plures similes Augustini respondet libro 5. de gratia, & lib. arb. cap. 11. „ Damnat rectissimè Augustinus illa opera infidelium, quæ ad malum ab eis referebantur: & quoniam talia erant ferè omnia, quæ ab illis fiebant, „ ut ipse idem dicit in libro de Spiritu, & lit. cap. 27. ideo simpliciter omnia opera „ infidelium peccata fuisse docet, tribuens „ omnibus quod maximæ parti conveniebat: & meritò reprehendit Julianum, qui „ posse infideles viribus naturæ præcepta „ omnia moralia servare, & finè peccato „ vivere, temere asserebat „. Modum illum loquendi, quo vox *omnes* & *omnia* accommodè, non necessariò semper strictè universaliter accipitur, aliàs notavi, non in vulgari solùm sermone, sed in Scripturis quoque usitatum esse, ut cùm in Genesi dicitur: *Omnis caro corruperat viam suam*. Joannis 12. *Mundus totus post eum abiit*. Psalm. 34. *Benedicam Dominum in omni tempore*. Lucæ 18. *Oportet semper orare, & numquam deficere*. Idem respondeo ad similem ex Prosperi versibus sententiam. Libertas etiam poetica plus indulget figuris, & expressionibus exaggeratis, seu hyperbolicis.

Dilucida verò est Prosperi pro nobis sententia libro contra Collatorem cap. 26. „ Naturæ humanæ, cujus creator est Deus, „ etiam post prævaricationem manet substantia, manet forma, manet vita, & sensus, & ratio, cæteraque corporis atque „ animi bona, quæ etiam malis, vitiosisque „ non desunt. Sed non in illis veri boni „ perceptio est, quæ mortalem vitam honestare possunt, æternam conferre non „ possunt „. Quod Bellarminus lib. 5. de gratia, & lib. arb. cap. 9. referens ait: *nota illud* HONESTARE; *non enim peccata; sed sola virtutes vitam nostram honestare possunt*.

10 Non est prætermittendum quod idem Cardinalis citato superius cap. 11. ex Augustino sibi objicit, & solvit; unde facilior fiat etiam cæterorum Patrum intelligentia: „ Sextum (inquit) argumentum ex „ lib. 3. contra duas Epistolas Pelagianorum cap. 8. liberum arbitrium captivatum „ non nisi ad peccandum valet; ad justitiam „ verò nisi divinitus liberatum, adjutumque „ non valet: Respondeo: rectè dicitur liberum arbitrium nonnisi ad peccandum valere, tum quia magnas vires ad peccandum habet, tum quia ut plurimum re ipsa „ peccat, nisi divinitus adjuvetur. Nam „ pauca quædam bona moralia, quæ potest „ facere, pro nihil reputantur; cùm & nihil prosint ad vitam æternam, & obruantur multitudine peccatorum. Similes „ sententiæ frequentissimè occurrunt in „ Scripturis Divinis, ubi dicitur ab omnibus fieri, quod à plurimis fit „. Cujus exempla illic Eminentissimus adducit.

Deinde ad 8. argumentum: *Omne, quod non est ex fide peccatum est*, respondet Cardinalis conformia iis, quæ ad argumenta superiora dicta sunt, videlicet: „ Vocari

pec.

„ peccata omnia opera infidelium;quia ferè „ omnia fiunt ob malum finem, ut in cultum „ falsorum Deorum, vel ad inanem gloriam: & hoc modo loquitur ipse S. Augustinus lib. 4. in Julianum cap. 3. *Quidquid boni fit ab homine, & non propter hoc fit, propter quod fieri vera Sapientia præcipit, etsi officio videatur bonum, ipso non recto fine peccatum est*.

Dein aliquibus interpositis „ Nonum „ argumentum sumitur ex iis Augustini testimoniis, quæ docent, virtutes morales „ esse etiam dona Dei, sive in fidelibus, sive „ in infidelibus inveniantur. Id enim docet Augustinus de Virtute continentiæ „ in Epistola 89. quæst. 2., & in Epist. 105., „ & 130. in quo loco postremo continentiam, infidelis hominis dixit esse donum „ Dei. Idem docet de patientia à cap. 15. „ usque ad finem. Denique lib. 4. in Julianum cap. 3. idem affirmat de omnibus „ virtutibus infidelium „.

11 Hactenus est objectio, ad quam Cardinalis „ Respondeo (inquit) virtutes „ morales dicuntur meritò dona Dei, quia „ non acquiruntur, nisi per actus frequentes; non possunt autem frequentari ejusmodi actus, nisi resistendo passionibus, „ easque frænando, & coercendo, quod supradiximus sinè adjutorio, & protectione „ Dei fieri non posse. Sed non sequitur, si „ virtutes sint dona Dei, non posse hominem suis viribus aliquod bonum opus facere, quando nullâ tentatione pulsatur, „ quod sit bonum moraliter, hoc est non sit „ peccatum propriè dictum. Atque ex his, „ quæ dicta sunt, explicari possunt testimonia omnium aliorum Patrum; si quæ „ inveniantur in speciem contraria Doctrinæ jam traditæ. Vel enim intelligi debent de bonis operibus, quæ ad salutem „ pertinent... Vel debent exponi de opere, quod re ipsa ad malum finem refertur... Vel denique accipi debent de „ operibus non ratione difficultatis, quæ „ sit in ipso actu; sed ratione tentationum, „ quæ vel adsunt, vel adessent, nisi Dei „ protectio, & singularis providentia vigilaret. Hoc enim modo dictum esse intelligimus à Zosimo, ut refert Cœlestinus in „ Epistola ad Gallos in omni actu, & motu „ adjutorem, & protectorem invocandum „ esse Deum: & à Concilio Arausicano „ can. 9. *Divini muneris est, cùm pedes nostros ab injustitia detinemus*; Et Can. 22. nihil „ nos habere à nobis nisi mendacium, & „ peccatum; Quamvis hoc possit etiam „ intelligi de auxilio generali, quod à Pelagio pariter negabatur; ut sensus sit, à „ nobis habemus mendacium & peccatum: „ veritatem & bona opera non habemus, „ nisi concurrente Deo per auxilium generale, vel speciale, prout operum ipsorum „ qualitas, & varietas postulat.

Hactenus Bellarminus. Si autem juxta eruditissimum Cardinalem possumus opera innoxia exercere absque supernaturalis gratiæ auxilio, evidens est, nos etiam illa posse sinè amore Dei, præsertim qualis à Quesnello intelligitur ordinis supernaturalis.

12 Quod adversarii volunt, ut agnoscamus cum S. Prospero, nihil juvat damnatum articulum. Sic nempe Sanctus Epistola ad Rufinum cap. 7. *Agnoscat se humana debilitas, & in primo homine universarum generationum damnata successio: &, cùm mortui vivificantur, cùm cæci illuminantur; cùm impii justificantur, confiteantur vitam, & lumen, & justitiam suam Jesum Christum*. Quæ cùm pateat esse intelligenda de vera & Christiana justitia ad beatitudinem conducente, nihil indè emungere possumus ad accusandum de peccato opus quodlibet solis patratum naturæ viribus, cum divino naturali ordinis auxilio.

Nihil amplius de necessitate gratiæ, & fidei, quàm quod sæpe solutum est, continent allegata ex Bernardo, & Hieronymo, quos etiam mox exhibebimus Propositioni intellectæ juxta sensum à Quesnello, & ejus defensoribus intentum prorsus contrarios.

13 Superest tertius objectionum ordo de charitate. Notavimus cap. 2. nihil pro damnato articulo facere illud Apostoli ad Ephes. cap. 1. *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti, & immaculati in conspectu ejus in charitate*. Quod enim per charitatem sancti simus, non ostendit omnia, & singula opera sinè charitate esse peccata.

Videamus, an illud probet sententia Augustini lib. 1. operis imperfecti cap. 107. *Ab hac necessitate servitutis ille liberat, qui non solùm dat præcepta per legem; verùm etiam donat per Spiritum charitatem, cujus delectatione vincatur delectatio peccati; alioquin perseverat invicta*. Quod delectatio peccati maneat invicta sinè charitate, indicat quidem charitatis necessitatem ad referendam de cupiditate victoriam; sed hinc nondum apparet peccatum in omnibus actibus, quoties charitas abfuerit; non enim semper, & in omnibus actibus difficili stimulo premimur concupiscentiæ. Deinde intelligendum est de peccato habituali, quod sinè charitate non tollitur; sed manet invi-

ctum;

ctum. Aliàs procul dubio peccatum actuale in multis occasionibus impediri posse timore supplicii à Deo inferendi, & per se evidens est, & Patrum traditione testatissimum dabimus, ubi expeditis de charitate quæstionibus, de timore occurret disputatio.

Deinde charitatis nomine non solùm ab Augustino intelligi tertiam virtutem theologicam, sed subinde amorem boni, amorem justitiæ, & quemcumque virtutis nulla vitiatum circumstantiâ, exemplis clarissimis superiùs demonstratum est.

14 Libro de Spiritu, & lit. cap. 14. *Non fructus est bonus, qui de charitatis radice non surgit*. Iterum charitatem intellige latè dictam pro amore quolibet boni, & honesti; non enim externa actio est digna nomine virtutis, si ex vana gloria aut intentione alia quacumque proficiscatur perversâ: quamquam & fructus bonus bonitate æternæ salutis meritoriâ negari potest, qui non de radice charitatis theologicæ processerit. Sic quoque intelligi potest illud lib. de gratia, & lib. arb. cap. 18. *Quidquid se putaverit homo bene facere, si fiat sinè charitate, nullo modo fit bene*. Sicut Apostolus dicit, nihil sibi prodesse fidem, misericordiam, & quamlibet virtutem aliam sinè charitate, eo sensu, quod nullo modo bene fiant, ut ad justitiam oportet & salutem. Nam aliàs opera aliqua bene fieri sinè charitate strictè dicta, seu theologica, fieri, inquam, bene, seu innoxiè; imò honestè, bonitate laudabili, quæ non apud homines solùm, sed etiam apud Deum approbationem, laudem & præmium aliquod temporale mereatur, exemplis superiùs luculentis contra Propositionem 44. & plures sequentes testimoniis ex ipso Hipponensi Antistite sæpius ostendi, & demonstratio resumetur in fine forsitan sequentis tomi, ubi necessitas occurret respondendi ad Eminentissimi Parisiensis Antistitis *appellationem*.

15 Interim hic paululum attentionem tuam, Catholice Lector, postulo. Ultimo loco *Collator* objicit illud ex Augustini libro de Peccatorum meritis, & remissione: *Quis dubitet, voluntatem nullo modo justitiam diligentem, non modò esse malam; sed etiam pessimam voluntatem*? Vicissim *Collatorem* interrogo, num justitiam illic accipiat pro increata, quæ Deus ipse est; an pro creata, & justitia qualibet morali, seu honestate? Posterior, ut patet, minimè juvaret damnatum articulum, in qua de charitate propriè dictâ, seu virtute theologica sermo est. Prior autem acceptio de justitia increata, seu Deo ipso majorem detegit *Collatoris*, atque ita Quesnelli, & omnium ipsi adhærentium nequitiam, quam præ se ferat obvia damnati articuli significatio. Nam, etsi reverà *pessima* sit voluntas, quæ nullo modo justitiam increatam diligit, id est, nunquam diligit, vel etiam quoties primum, & gravissimum præceptum urget; à veritate tamen catholica alienum est, *pessimam esse voluntatem*, quoties ab actu aliquo charitas absfuerit, sive omni tempore, quo voluntas charitatis actibus non occupetur.

Hic autem necessarius *Collatoris* sensus est, nisi disputator haberi velit ineptissimus, qui damnatum articulum suscipiat vindicandum argumento ad quæstionem nullatenus pertinente; Ipse enim in *observatione* statim nos monet: juxta Propositionem „ Verissimum est, quòd non aliud simus quàm tenebræ, quàm aberratio, & peccatum, sinè charitate; si charitatem cum Augustino latè sumas pro quolibet motu animi ad fruendum Deo propter ipsum; nam nec fides, si modò vera sit, & distincta à fide Dæmonum, tali motu caret; quippe pio affectu in Divinam fertur veritatem, qui fidem habet Christianam, etiam informem: atqui sinè fide, saltèm inchoata, nil esse possumus nisi tenebræ, aberratio, & peccatum; ut ad hanc ipsam Propositionem vidimus sat fusè ex Patribus. „ Patet, hìc de actu fidei, & charitatis Propositionem intelligi, ita quidem, ut voluntas sit pessima, quandocunque abest charitatis actus; ut etiam fides sinè illo sit diabolica; sic quælibet actio, à Dei amore separata, peccatum est lethiferum; veniale enim *voluntatem* reddere *pessimam* non potest. Unde iterum renascitur damnata Propositio inter Bajanas 20. *Nullum est peccatum ex natura sua veniale; sed omne peccatum meretur pœnam æternam*.

Si autem *verissimum* sit, quod *observatio* statuit, *nos aliud non esse, quàm tenebras, aberrationem, & peccatum, sinè charitate, quæ est motus animi ad fruendum Deo propter ipsum*; si & is Propositionis sensus sit, evidens fit, tria illa *sinè fidei lumine, sinè Christo, & sinè charitate*, non modò conjunctim; sed etiam divisim ab adversariis intelligi: atque ita ad peccatum sufficere unius è tribus absentiam, ut patet in charitate, quæ sola si defuerit, satis est juxta *observationem Collatoris*, ut nihil simus nisi tenebræ, aberratio, & peccatum. Neque id mirum; quia tanta est inter illa tria apud novos Theologos connexio, ut nullum eorum sinè utroque altero subsistat; quod enim charitas sinè fide, & gratiâ esse nequeat, uti neque sinè gratia

gratia fides, etiam nos asserimus; quòd autem, neque gratia sinè fide, neque fides esse valeat sinè charitate, dogma est novæ Ecclesiæ proprium, art. 27. *Fides est prima gratia, & fons omnium aliarum*. art. 26. *Nullæ dantur gratiæ, nisi per fidem*.

16 Quod autem fides nequeat esse sinè charitate, non *Collatoris* tantummodo statuit *observatio*; sed etiam Propositio Quesnelli multiplex. Nam per 44. *Omnis volitio, & actio*, atque ita fides, vel ex amore Dei, seu charitate nascitur; vel ex amore mundi noxio, qui cupiditas est, & cujus effectus nequit esse alius quàm peccatum. Per Prop. 45. *Amore Dei in corde peccatorum non ampliùs regnante, necesse est, ut in eo carnalis regnet cupiditas, omnesque actiones ejus corrumpat.* Si actiones omnes, igitur & fidem: atque ita fides, quæ primæ virtutis theologicæ actus supernaturalis est, existere nequit sinè charitate, &, ut plures alios articulos omittam, juxta 58. *nec Deus est, nec religio, ubi non est charitas*. Quomodo igitur sinè charitate fides consisteret? Unde facillimè Lector perspicit, cur *Collatoris observatio* damnatum articulum sic explicet, sic defendat, ut sit *verissimum, quòd non aliud simus, quàm tenebræ, quàm aberratio, & peccatum sinè charitate; si charitatem sumas pro motu animi ad fruendum Deo propter se*.

Quis autem è Sanctis Patribus Propositioni sic intellectæ conciliari umquam poterit? Non Bernardus, & Hieronymus à Collatore superiùs in patrocinium vocari; Bernardi enim notissima, & à me sæpiùs producta sententia est ex tractatu de præcepto, & dispensatione: *Bonus obedientiæ gradus est, si propter metum gehennæ quisquam obedierit; melior tamen, cùm ex amore obeditur*. Atqui prior obedientiæ gradus, cùm bonus sit, non est aberratio, & peccatum; quamvis absque amore, seu charitate. Similia habet Mellifluus Dominicâ primâ post octavam Epiphaniæ serm. 1., & rursus serm. 2., dein sermone 16. in Cantica, serm. de diversis affectionibus animæ &c.

S. Hieronymus in cap. 1. Malachiæ: *Vult itaque Deus primò, ut filii ejus simus, & bonum voluntate* (seu amore) *faciamus: si hoc consequi nolumus, ut saltèm servos suos habeat, & à malis per suppliciorum formidinem recedamus*. Si absque amoris actu possumus *à malis per suppliciorum formidinem recedere*, igitur absque charitate actuali, de qua juxta adversarios in damnato articulo agitur, possumus esse aliud, quàm tenebræ, aberratio, & peccatum: neque necesse est, formidinem illam, per quam à malis recedimus, esse vitium. Idem Sanctus in Psalmum 111. *Qui gehennam timet, & propterea non fornicatur, non habet tantam mercedem, quantam ille, qui propter dilectionem Dei facit*. Si prior aliquam, ut supponit Hieronymus, mercedem habeat, ejusmodi fuga fornicationis ob timorem gehennæ absque dilectione Dei, non est aberratio, & peccatum.

17 Idem in cap. 5. epistolæ ad Galatas „ Quomodo juxta Jacobum fides absque „ operibus mortua est, sic absque fide, „ quamvis bona opera sint, mortua computantur. „ Dum absque fide reperiuntur opera bona; etsi mortua sint, peccata esse nequeunt, sicut fides, etiam mortua, non est mala, neque laborant peccati vitio; sed perfectionis defectu.

In caput 1. ejusdem Epistolæ: „ Multi „ absque fide & Euangelio Christi vel sapienter faciunt aliqua, vel sanctè, ut pa„ rentibus obsequantur, ut inopi manum „ porrigant; non opprimant vicinos, non „ aliena diripiant. „ Quæ verba considerans Bellarminus lib. 5. de gratia & libero arbitrio cap. 9. sic monet: „ Hoc loco San„ ctus Hieronymus, non solùm concedit, „ sinè fide aliqua opera sancta fieri, sed „ etiam sanctè. Nullo autem modo sanctè „ fieri dici potest, quod cum peccato fit.

Et ad priorem Hieronymi sententiam advertit Idem Cardinalis: *Fides sinè operibus non est falsa; sed vera, tametsi mortua dicatur, quia non operatur salutem æternam: igitur & opera bona sinè fide non sunt mala; sed verè bona; mortua tamen, quia nihil prosunt ad veram vitam, quæ est in cœlis*. Si autem sinè fide existant bona opera, evidens est, etiam bona esse sinè charitate, utpote quæ fidem necessariò præsupponit. Denique Hieronymus in cap. 29. Ezechielis, *Ex eo*, inquit, *quòd Nabuchodonosor mercedem accipit boni operis, intelligimus, etiam Ethnicos, si quid boni fecerint, non absque mercede Dei judicio præteriri*.

In eundem Ezechielis locum, citans Bellarminus eundem S. Hieronymi commentarium capite 9. superiùs memorato ait: „ Exercitus iste sinè dubio infidelis erat; „ & tamen quia fideliter Regi suo servivit „ in bello justo contra Tyrum, quam ur„ bem ob sua peccata Deus everti volebat, „ ideo mercedem illi reddidit, donans ei „ mirabili providentiâ spolia Ægypti, quæ „ propter scelera quoque sua spoliari me„ ruerat. Itaque S. Hieronymus &c.

Omitto Gregorium Magnum hom. 27. in Euangelia, Gregorium Nazianzenum oratione 40. in S. Baptisma cap. 13. & oratione 3.

ne 3. contra Julianum. Præterea quoque Sanctum Joannem Damafcenum lib. 3. de fide cap. 14. S. Fulgentium lib. de incarnatione, & gratia Christi cap. 26. Authorem Hypognostici lib. 3. non procul ab initio; authorem operis imperfecti in Matth. homil. 26. Superiùs dedimus S. Thomam, Bonaventuram, Salcfium: quos authores graviffimos, & tutiffimos, præfertim post tot anathemata à multis pridem Pontificibus in adverfarios vibrata, quis probus Catholicus non fequatur?

Quadragefimanona Propofitio damnata.

Ut nullum peccatum eft finè amore noftri, ita nullum eft opus bonum finè amore Dei. *Obfervàt. Moral. Marci 7. verf. 23.*

CAPUT UNICUM.

Propofitio damnata convellitur.

1 Aliquantò mitior, feu minùs dura apparet præfens enuntiatio, quàm fuperiores, quòd iftæ omnia opera charitate vacuâ damnarent velut vitia; præfens folùm neget pollere bonitate, quod quidem in fenfu ab authore, & ejus fociis intento idem eft cum priore; quia carère bonitate, & laborare peccati vitio connexa funt vinculo infolubili penès adverfarios, quibus nullum opus eft indifferens, nullum medium charitatem inter & damnabilem cupiditatem. Modò enuntiationem propiùs infpiciamus. Prior ejus pars nihil præ fe ferre videtur, à quo communis mortalium fenfus, & ratio abhorreat; familiaris fcilicet ufus apud afceticos obtinuit, ut amor proprius, amor fui in partem deteriorem, & pro cupiditate noxia accipiatur, juxta illud Apoftoli 2. Tim. 3. *Erunt enim homines fe ipfos amantes, avari, elati, fuperbi*; & Sanctus Thomas 1. 2. quæft. 77. art. 4. quærens *Utrum amor fui fit principium omnis peccati:* argumento *fed contra* concludit: *ergo amor fui eft caufa omnis peccati*. In refolutione fe diftinctiùs explicans ait, *Inordinatus amor fui eft caufa omnis peccati:* & in refponfione ad 1. *Amor fui ordinatus eft debitus, & naturalis.*

Quapropter, præteritâ priore damnati dogmatis parte, fecunda anathemati fubduci non poteft, five eam fecundùm fe in fenfu obvio acceperis, five cum aliarum Propofitionum circumftantiâ, quæ fenfum ejus magìs efficit abominabilem; quid enim magis abfonum, quàm omnia opera mifericordiæ, temperantiæ, juftitiæ, & cæterarum virtutum moralium, imò fidem ipfam Divinam, fi eliciantur propter fines virtutibus illis proprios, & à charitate diftinctos, omni fpoliare penitùs bonitate? Eadem videtur fpei Divinæ inferri calumnia, fi Propofitio, ut fonat, & exploratiffimus Quefnelli, omniumque ei adhærentium fenfus eft, de charitate, five amore benevolentiæ intelligitur.

2 Credidit hactenus Ecclefia, bonam effe, ac laudabilem agendi fpe mercedis rationem, à Pfalte Regio edocta pfalm. 118. *Inclinavi cor meum ad faciendas juftificationes tuas in æternum propter retributionem.* Neque Apoftolus arbitratus eft, fe omnis expers bonitatis motivum fidelibus proponere, quando Coloff. cap. 3. v. 24. monet: *Quodcunque facitis, ex animo operamini, ficut Domino, & non hominibus, fcientes quod à Domino accipietis retributionem hæreditatis.* 1. Cor. 9. v. 25. *Omnis, qui in agone contendit, ab omnibus fe abftinet: & illi quidem, ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam.* Ad Hebræos 11. v. 25. *Majores divitias æftimans thefauro Ægyptiorum improperium Chrifti; afpiciebat enim in remuneratorem.*

Eodem incentivo accendebat Petrus fidelium animos epift. 1. cap. 5. v. 4. *Cùm apparuerit Princeps Paftorum, percipietis immarcefcibilem gloriæ coronam.* Ipfe Deus iifdem nos illecebris allicit ad conftantiam in bono Apocal. 2. v. 10. *Efto fidelis ufque ad mortem, & dabo tibi coronam gloriæ.* Cap. 12. v. 2. *Benefac jufto, & invenies retributionem magnam, & fi non ab ipfo, certè à Domino.* In quibus Scripturarum oraculis non excluditur quidem charitas; fed ab ea præfcinditur, quod fatis eft, ut tradita actionum ratio, feu motivum fecundùm fe, & præfcindendo ab omni alio, bonum, & laudabile cenfeatur.

Præterea Apoftolus 1. Cor. 13. tres virtutes theologicas commendat dicens: *Nunc autem manent fides, fpes, charitas, tria hæc; major autem horum eft charitas.* Hanc veluti virtutem non cæteris majorem; fed unicam prædicari Quefnellus vellet.

Non magis illi placere poteft moralium virtutum laus eximia finè charitatis men-

tione Sapient. cap. 8. v. 7. *Si justitiam quis diligit, labores ejus magnas habent virtutes: sobrietatem enim, & prudentiam docet & justitiam, & virtutem* (seu fortitudinem,) *quibus nihil utilius est in vitâ hominis*.

3 Non solùm vitæ humanæ utiles, sed etiam Deo gratas esse morales virtutes, præscindendo à Dei amore, docet Apostolus 1. Tim. 5. *Si qua vidua filios, aut nepotes habet, discat primùm domum suam regere, & mutuam vicem reddere parentibus; hoc enim acceptum est coram Deo*. Omitto Scripturas alias clarissimas, & damnato articulo implacabiles, quales sunt Estheris cap. 15. ubi Deus *convertit spiritum* Regis Ethnici *in mansuetudinem*. Num mansuetudo illa à Deo inspirata, non fuit bona in tali Principe destituto veri Numinis dilectione supernaturali, quæ originem duceret ex fide? Non existimo, Quesnellum tam liberalem in Ethnicos fore, ut in damnati erroris gratiam donaturus Assuerum sit amore Dei salutifero.

An bonum non fuit in Ninivitis initium conversionis cœptum à formidine, & tam solemnis in sacco, cinere, inediâ, laerymis pœnitentiâ, quàm timor interitûs expresserat, antequam succederet charitas? Quæ non portenta erroris invehit novitatis studium! Quam verò detestabilis est pertinacia, pro talium contra Apostolicam Sedem defensione orbem clamoribus, & protestationibus commovere!

Habueruntne etiam Romani Ethnici amorem Dei in suis actibus strenuis, & virtutibus moralibus laudatis ab Augustino epistola 5. ad Marcellinum, lib. 5. de civitate cap. 12., &, ipso teste, à Deo Præmium consecutis? Aut boni actus non fuerint, quos Augustinus encomio, mercede Deus dignos censuit, teste etiam Augustino?

Audiatur S. Salesius eundem pariter testem advocans lib. 11. de amore Dei cap. 20., „ Cùm (inquit) ratio naturalis sit arbor „ bona, quam Deus in nobis plantavit, certi fructus ex ea provenientes non possunt „ non esse boni. Fructus equidem boni sunt, „ sed comparati iis, qui procedunt ex gra„ tia, sunt exigui pretii, & valoris; sed „ non ideo tamen nullius; si quidem Deus „ illos laudavit, & bonis temporalibus, „ quin & secundùm S. Augustinum morales „ Romanorum virtutes, magnitudine, & „ magnificâ imperii famâ, existimatio„ ne, commendatione apud gentes exte„ ras remuneratus est. „ Ad has autem laudabiles gentilium actiones, sive Deum speciali auxilio naturalis ordinis, vel etiam supernaturalis concurrisse statuas, non refragabor; modò pariter agnoscas, non fuisse in illis fidem, quæ per charitatem operatur.

4 Repugnat quoque Quesnelli Propositio definitioni Tridentinæ sess. 14. cap. 4. qua „ Attritio ex turpitudinis peccati con„ sideratione, vel ex gehennæ, & pœnarum „ metu concepta, si voluntatem peccandi „ excludat cum spe veniæ (declaratur) „ donum Dei esse, & Spiritûs Sancti im„ pulsus; non adhuc quidem inhabitantis; „ sed tantùm moventis, quo pœnitens „ adjutus viam sibi ad justitiam parat; &, „ quamvis sinè Sacramento pœnitentiæ per „ se ad justificationem perducere peccatum „ nequeat; tamen eum ad Dei gratiam in „ Sacramento pœnitentiæ impetrandam „ disponit. „

Nulla hic requisitio amoris Dei, ut attritio bona sit, ut sit donum Dei, & Spiritus Sancti impulsus, & ad justitiam, sive sanctificantem Dei gratiam in Sacramento pœnitentiæ conferendam disponat. Sessione quoque 6. cap. 6. sacra Synodus nobis exhibet fidem, timorem, spem in peccatoribus, veluti dispositiones, ut *Deum diligere incipiant*. Boni igitur fidei, timoris, spei actus sunt, etiam ante dilectionem. Verba Synodi Oecumenicæ sunt: „ Disponuntur „ autem ad ipsam justitiam, dum excitati „ divinâ gratiâ, & adjuti fidem ex auditu „ concipientes, liberè moventur in Deum, „ credentes vera esse, quæ divinitus reve„ lata, & promissa sunt: atque illud impri„ mis, à Deo justificari impium per gratiam „ ejus, per redemptionem, quæ est in Chri„ sto JESU: Et, dum peccatores se esse intel„ ligentes, à Divinæ justitiæ timore, quo „ utiliter concutiuntur, ad considerandam „ Dei misericordiam se convertendo, in „ spem eriguntur, fidentes, Deum sibi pro„ pter Christum propitium fore, illumque „ tamquam omnis justitiæ fontem diligere „ incipiunt, ac propterea moventur adver„ sùs peccata per odium aliquod &c. „

Timorem bonum etiam ante amorem Dei, & ad eum homines præparantem agnoscit ipse Augustinus tract. 9. in illud epistolæ 2. Joann. *Perfecta charitas forâs mittit timorem*. Sic nos S. Doctor instituit: „ Sunt „ homines, qui propterea timent Deum, nè „ mittantur in gehennam, & nè ardeant „ cum Diabolo; sed sic veniat (timor) ut „ exeat; si enim adhuc propter pœnas ti„ mes Deum, nondum amas, quem sic times: „ non bona desideras; sed mala caves; sed „ ex eo, quòd mala caves, corrigis te, & in„ cipis

„ cipis bona defiderare. „ Audiant hæc Auguftini difcipuli, *nondum amas, quem fic times*: fub initium nondum bona defideras; *fed mala caves: & ex eo, quod mala caves, corrigis te, & incipis bona defiderare*. Quis præter Bajanos, Janfeniftas, & deteriores forfitan notæ fectarios non dignabitur bonitatis encomio timorem, quo mala caves, quo te corrigis, & paulatim incipis defiderare bona? Ad iftam Auguftini fententiam fe refert Doctor Angelicus 2. 2. quæft. 17. art. ultimo, quem mox videbimus.

5 Sed difpiciendum priùs, quàm multiplici pridem Quefnelli Propofitio involuta, proftrataque fuerit anathemate. Convenit cum hac 16. Bajana: *Non eft vera legis obedientia, quæ fit finè charitate*. Congruit etiam huic 10. inter 31. ab Alexandro VIII. confixæ: „ Intentio, qua quis deteftatur „ malum, & profequitur bonum merè, ut „ cœleftem obtineat gloriam, non eft recta, „ nec Deo placens. 15. Attritio, quæ ge„ hennæ, & pœnarum metu concipitur finè „ dilectione benevolentiæ Dei propter fe, „ non eft bonus motus, ac fupernaturalis. „ 12. Quando in magnis peccatoribus defi„ cit omnis amor, deficit etiam fides; &, „ etiamfi videantur credere, non eft fides „ Divina; fed humana. „ Si enim nullum effet opus bonum finè amore Dei, evidens eft, quòd, deficiente omni amore, deficeret inter cætera bona opera, etiam omnis actus fidei Divinæ, & fupernaturalis. Quandocunque igitur magni peccatores finè amore Dei viderentur credere, non poffet effe fides Divina; fed humana; imò, juxta *Collatoris* Quefnelliani relatam fuperiore capite *obfervationem*, fides diabolica.

Si verò, ut ab illo Pontifice definitur, poffit effe fides divina, etiam ubi omnis Dei dilectio defecerit, patet, non omne opus bonum à Dei dilectione pendère neceffariò. Rurfus, fi *Attritio, quæ gehenna, & pœnarum metu concipitur finè dilectione benevolentiæ Dei propter fe, fit bonus motus, ac fupernaturalis*, ut idem Alexander Pontifex ftabilivit, liquidò patet, dari opus bonum finè amore Dei benevolo, qui à Quefnello certiffimè, & à Theologis paffim nomine *amoris Dei* fimpliciter intelligitur; fpes autem amor quidam eft; fed communiter cum addito *fpei*, vel *concupifcentiæ* appellatur.

6 Quid verò de hoc amore S. Thomas? Opufculo de dilectione cap. 22. *Voluntate* (inquit) *Deum diligis dilectione concupifcentiæ, cùm ipfum vis; hæc eft bona voluntas: imò optima, quæ vult fummum bonum*. Si ea dilectio concupifcentiæ, ea voluntas in fe bona fit, *imò optima*, ut Angelicus cenfet, bonitas ejus non pendet à focietate amoris benevoli; fed eo etiam abfente laudabilis, fancta, & fupernaturalis eft.

Id ipfum difertè iterum confirmat Sanctiffimus amoris magifter Francifcus Salefius lib. 2. de amore Dei cap. 17., cui titulus, *Quod amor fpei fit valde bonus*. „ Amor „ (inquit) quem in fpe exercemus, Theo„ time, tendit quidem in Deum; fed ad „ nos revertitur: fpectat Divinam bonita„ tem; fed cum refpectu ad noftram utilita„ tem: tendit ad fupremum perfectionem; „ fed refpicit noftram fatisfactionem, id eft, „ non transfert nos in Deum, qua Deus in „ femetipfo fummè bonus eft; fed qua „ fummè bonus eft nobis. Amor igitur ille, „ quem vocamus fpem, eft amor concupi„ fcentiæ; fed concupifcentiæ fanctæ, & „ bene ordinatæ. „

Hac Sancti Patres animabant Martyres, & Confeffores ad conftantiam. S. Cyprianus lib. de exhortatione Martyrii cap. ult. „ Hæc oportet mente, & cogitatione com„ plecti: Hæc die, ac nocte meditari: fi ta„ lem perfecutio invenerit Dei militem, „ vinci non poteft virtus ad præmium „ prompta. „

S. Auguftinus in pfalmum 104. „ Vide„ tur mihi admoneri femen Abrahæ, qui „ funt omnes filii promiffionis, pertinentes „ ad æternam hæreditatem teftamenti æter„ ni, ut tanquam ipfam hæreditatem fibi „ eligant Deum, & ut eum gratis colant, „ id eft propter ipfum, non propter aliud „ emolumentum extra ipfum. „

In pfalm. 77. „ Rectum cor cum Deo „ eft, quando propter Deum quærit Deum: „ unam quippe concupivit à Domino, hanc „ requiret, ut inhabitet in domo Domini „ femper, & contempletur ejus delecta„ tionem. „ Quæ omnia fecundæ potiùs quàm tertiæ virtuti theologicæ conveniunt: certè de fecunda commodè explicantur.

Controverfiam cum Auguftino finiat Angelicus 2. 2. quæft. 17. art. ultimo in argumento *fed contra*, ait: *Spes eft prior charitate*, & in Corpore, feu Refolutione quæftionis. „ In via generationis (inquit) „ fpes eft prior charitate: ficut enim aliquis „ introducitur ad amandum Deum per hoc, „ quòd timens ab ipfo puniri, ceffat à pec„ cato, ficut Auguftinus dicit fuper primam „ Canonicam Joannis, ira etiam fpes intro„ ducit charitatem in quantum aliquis fpe„ rans remunerari à Deo, accenditur ad „ amandum Deum, & fervandum præce„ pta ejus. „ Quis autem in Ecclefia Ca-

catholica patiatur asserentem, quòd spes theologica, dum generatione prior est amore Dei, & hominem ad amandum disponit, animat, accendit, bonus non sit, honestus non sit, nisi quando amor accesserit? Quasi causa boni bona non sit, cùm ex fructibus judicium de bonitate arboris ferendum æterna sapientia monuerit.

7 Fidem quoque esse priorem charitate, sæpius ostendi ex S. Thoma, qui 2. 2. q. 4. art. 7. examinans „ utrum fides sit prima inter virtutes, Respondeo (inquit) „ dicendum, quòd aliquid potest esse prius „ altero dupliciter: primo modo per se: „ alio modo per accideus. Per se quidem „ inter omnes virtutes prima est fides; cùm „ enim in agibilibus finis sit principium, „ necesse est, virtutes theologicas, quarum objectum est ultimus finis, esse „ priores cæteris virtutibus; ipse autem „ ultimus finis oportet, quòd prius sit in „ intellectu, quàm in voluntate, quia voluntas non fertur in aliquid, nisi prout „ in intellectu apprehensum. Unde, cùm „ ultimus finis sit quidem in voluntate per „ spem, & charitatem; in intellectu autem „ per fidem, necesse est, quòd fides sit prima „ inter omnes virtutes; quia naturalis cognitio non potest attingere ad Deum secundùm quod est objectum beatitudinis, „ prout tendit in ipsum spes, & charitas,,. Ecce fidem virtutem theologicam, atque ita necessariò bonam: priorem quoque spe, & charitate; licèt informem, & mortuam, antequam charitas, quæ velut anima virtutum omnium est, accesserit.

Statim progreditur Angelicus: „ Sed „ per accidens potest aliqua virtus esse „ prior fide. Causa autem per accidens „ est per accidens prior: removere autem „ prohibens pertinet ad causam per accidens, & secundùm hoc aliquæ virtutes „ possunt dici per accidens priores fide, in „ quantum removent impedimenta credendi, sicut fortitudo removet inordinatum „ timorem, impedientem fidem; humilitas autem superbiam, per quam intellectus recusat se submittere veritati fidei, „ & idem potest dici de aliquibus aliis virtutibus: quamvis non sint veræ virtutes, (id est salutiferæ,) *nisi præsupposita fide* „. Bonæ tamen sunt, & honestæ, ac sæpe ad ipsam fidem, & charitatem dispositiones necessariæ. Hic præter fidem, & spem conspicimus virtutum moralium exercitia, ut sunt *fortitudinis*, & *humilitatis*.

8 Hactenus articulum impugnavi intellectum sensu, quàm potui benignissimo; juxta quem amor Dei præscinderet à perfecto, & imperfecto, justificante, & eo qui ad justitiam solummodo disponit, qualis ab aliquibus in attritione statuitur. Crescit verò plurimum proscripti dogmatis perversitas, & pluribus, ac gravioribus obnoxia fit censuris, etiam pridem à Tridentino Concilio, & Sede Apostolica inflictis, si amoris Dei nomine accipiatur justificans, & hoc sensu charitas perfecta; quamvis alia possit esse perfectior, videlicet magis ardens, magis constans, robusta, & aliis præcellens proprietatibus.

Non alio Quesnellum amore, non alia charitate contentum esse, quàm justificante, colligitur ex variis ejus de hac materia propositionibus: atque ex ipsis, ut aliquoties notavi, adversariorum vindiciis. Considera Propositionem 44. *Non sunt nisi duo amores, unde volitiones, & actiones omnes nostræ nascuntur; amor Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur; & amor, quo nos ipsos, ac mundum diligimus, qui quod ad Deum referendum est, non refert, & propter hoc ipsum fit malus.* 45. *Amore Dei in corde peccatorum non ampliùs regnante, necesse est, ut in eo carnalis regnet cupiditas, omnesque actiones ejus corrumpat.* Amor Dei, ex quo omnes volitiones, & actiones bonæ procedunt; amor, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur; amor Dei in cordibus regnans, indubiè perfectus est, eâ saltèm perfectione, quæ satis ponderis habeat ad justificandum. De hoc nihil dubii relinquit Propositio 51. *Fides justificat, quando operatur; sed ipsa non operatur nisi per charitatem.* Cujus pronuntiati perspicuus sensus est, effectum fidei semper esse justitiam; sed nihil à fide effici, nisi per charitatem. Hæc itaque, quam constat non posse nisi ex fide profluere, semper comitem habet, à se, & fide progenitam Sanctitatem. Porrò nullus amor Dei naturalis ab adversariis agnoscitur juxta Propositionem 40. *Sine gratia nihil amare possumus, nisi ad nostram condemnationem.* 39. *Voluntas, quam gratia non prævenit, nihil habet luminis, nisi ad aberrandum; ardoris nisi ad se præcipitandum; virium nisi ad se vulnerandum: est capax omnis mali, & incapax ad omne bonum.* Liquet igitur, à Quesnello nusquam amorem commendari, nisi elicitum auxilio gratiæ.

Amori illi semper necessariò præsupponi fidem, docet Synodus Tridentina sess. 6. cap. 8. *Fides est humanæ salutis initium, fundamentum, & radix omnis justificationis:* imò penes Quesnellum Propos. 27. *Fides est prima gratia, & fons omnium aliarum.* 26. *Nul-*

Nullæ dantur gratiæ nisi per fidem. Si autem fides est fons omnium aliarum gratiarum, necessariò pariter fons est omnis Amoris Dei: atque ita nulla Dei dilectio esse potest, ad quam non concurrerit fides, *quæ quando operatur, justificat*. Fieri itaque non potest, ut Dei dilectio sit, sive perfecta, sive inchoata sinè justificatione. Quapropter si nullum est opus bonum sinè amore Dei, compertissimum est, nullum esse bonum sinè justitia, & sanctitate; cúmque opera omnia, quæ bona non sunt, & quidem ex gratia, juxta Propof.39. & 40., peccata sint, & condemnationem mereantur, manifestum est, opera omnia absque amore justificante à Quesnello rejici inter vitia.

9 Hinc sequitur 38. Prop. Bajana *Omnis amor creaturæ rationalis aut vitiosa est cupiditas, qua mundus diligitur, quæ à Joanne prohibetur; aut laudabilis illa charitas, qua per Spiritum Sanctum in corde diffusâ Deus amatur*.

XL. In omnibus suis actibus peccator servit dominanti cupiditati.

XXXV. Omne quod agit peccator, vel servus peccati, peccatum est; quamdiu nempe per charitatem non convertitur.

Ibidem Propof. 25. *Omnia opera infidelium sunt peccata, & philosophorum virtutes sunt vitia*.

XXVII. Liberum arbitrium sinè gratiæ Dei adjutorio non nisi ad peccandum valet.

Inter damnatas 31. ab Alexand. VIII. restituitur à Quesnello hæc 7. *Omnis humana actio deliberata, est Dei dilectio, vel mundi. Si Dei, charitas Patris est; si mundi, concupiscentia carnis, hoc est, mala est*.

VIII. Necesse est, infidelem in omni opere peccare; quamdiu scilicet infidelis manserit:

IX. Revera peccat, qui odio habet peccatum merè ob ejus turpitudinem, & disconvenientiam cum natura sinè ullo ad Deum offensum respectu.

10 Memorata superiùs Bajana 35. fuit etiam Joannis Huss proscripta in Constantiensi Concilio.

Plura sunt Tridentini anathemata, quibus idem Quesnelli sensus configitur; Videlicet sess.6. de justificatione can.7. *Si quis dixerit, opera omnia, quæ ante justificationem fiunt, quacumque ratione facta sint, verè esse peccata .... Anathema sit*. Sess. 14. De Sacramento pœnitentiæ can. 1. *Si quis dixerit, in catholica Ecclesia pœnitentiam non esse verum, & propriè dictum Sacramentum pro fidelibus, quoties post baptismum in peccata labuntur, ipsi Deo reconciliandis à Christo Domino nostro institutum, anathema sit*.

Juxta adversarios quolibet actu, quo se peccator ad pœnitentiam disponit, justitiam consequitur. Non potest enim se ad pœnitentiam disponere sinè bono opere, ut manifestum est: *Nullum* juxta adversarios *est opus bonum sinè amore Dei*. Nullus juxta eosdem, & catholicos quoque theologos est amor Dei, vel actus qualiscunque ad justitiam disponens, qui non sit ex fide *radice omnis justificationis*, ut à Tridentinis Patribus, & aliunde dicimus. Fides autem penès Quesnellum *justificat, quando operatur*. Quoties itaque operatur, amorem Dei parit, & justitiam. Quapropter nunquam peccatorem in Sacramento pœnitentiæ absolutio Sacerdotis Dei reconciliar; si vera est novaturientium doctrina; Et tamen Tridentini sess. 14. can.9. *Si quis dixerit, absolutionem Sacramentalem Sacerdotis non esse actum judicialem, sed nudum ministerium pronuntiandi, & declarandi, remissa esse peccata confitenti; modò tantum credat, se esse absolutum; aut Sacerdos non seriò, sed joco absolvat; aut dixerit, non requiri confessionem pœnitentis, ut Sacerdos eum absolvere possit, anathema sit*. In Quesnelli sententia, sive Sacerdos absolverit joco, sive seriò, semper pœnitens sua fide justificante remissionem consequitur.

Quomodo igitur Christus homines non deceperit Joan. cap. 20. dicens Apostolis, Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt? Quis enim hic non intelligat, concedi Apostolis potestatem remittendi noxas peccatoribus? In novo autem systemate Sacerdotes nunquam reos criminibus liberant; sed solos justificatos iteratâ, & quasi superabundanti impertiunt remissione. Quomodo etiam retinere unquam Sacerdos poterit peccata pœnitentium; si quælibet bona ad Confessionem dispositio delicta sustulerit? Denique à Sacerdotis absolutione nunquam pendebit peccatoris justificatio juxta novi præcones Euangelii.

Quomodocunque igitur Quesnelli Propositionem acceperis, sive secundùm se solam, & in sensu verborum obvio, ab omnibus præcisam authoris, & aliarum ejus enuntiationum circumstantiis, sive juxta sensum authoris, & libri, tot propositionibus enitentem, censuris minimè levibus obnoxia est: gravioribus tamen, ut jam ostendi; si ratione intelligatur posteriore.

Telorum contra nos pharetram exhauserunt adversarii in pertinaci; sed contra catholicam veritatem infelici certamine, pro defendendis quinque damnatissimis à Sede Apostolica erroribus, ut pro præsenti super-

ſuperfuerit nihil, niſi confractum in ſuperioribus, protritumque non ſemel.

Quinquageſima Propoſitio Damnata.

Fruſtrà clamamus ad Deum, Pater mi, ſi ſpiritus charitatis non eſt ille, qui clamat. *Obſerv. Mor. Rom.* 8. *v.* 15.

CAP. I.

Fundamentum Propoſitionis corruptio Scripturæ.

1 Locus Apoſtoli indicatus; ſed ſacrilegè corruptus à Queſnello aſſumitur tamquam præclara occaſio, & veluti fundamentum novi dogmatis de eliminanda omni penitùs oratione, quæ à ſpiritu charitatis non proceſſerit.

Paulus Rom. cap. 8. v. 15. fidelibus gratulando annuntiat, non ſicut aliàs Judæis in lege veteri ſpiritum ſervitutis, & timoris, etiam ipſos in novo fœdere accepiſſe; ſed ſpiritum filiorum, & charitatis. *Non enim accepiſtis ſpiritum ſervitutis iterum in timore; ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba, Pater.* Quæ verba ſi Queſnellus integra reddidiſſet gallicè, non potuiſſent, ut patet, ſubſidio eſſe novitati, ſive præſenti, ſive pluribus ſequentibus.

Verùm eas novæ fundator Eccleſiæ, verbis Apoſtoli, ſuo uſui (fallaciâ qualicunque) accommodatis, ſtabilire decreverat. Spiritus ſcilicet ſervitutis in timore à Deo Judæis inditus, implacabili Lutheranorum, & Janſeniſtarum adversùs timorem odio opponitur. Si enim is Dei donum ſit, etſi minùs perfectum, quàm charitas, non apparet, cur ex illo profecta oratio Deo ingrata eſſe debeat, aut fruſtranea. Ideo digna hæretico induſtria, ac, ſi non albus, ſaltèm ater ſpiritus, ut plura Luthero, ita modò Queſnello, dictaverit verſionem, in qua nullo modo eluceat acceptus à Deo priùs ſpiritus ſervitutis, & timoris, ut elucet clariſſimè in verbis Apoſtoli, & à S. Thoma, Anſelmo, Chryſoſtomo, Theodoreto, ac cæteris paſſim interpretibus, Bellarmino quoque contra Lutherum lib. 2. de pœnitentia cap. 17. declaratur.

2 Sic igitur callidè Queſnellus verba Apoſtoli interpretando pervertit: *Auſſi vous n'avez point reçu l'eſprit de ſervitude pour vous conduire encore par la crainte: mais vous avez reçu l'eſprit d'adoption des enfans, par le quel nous crions; Mon Pere, mon pere.* Quæ Latino idiomate ſic ſonant: *Etiam vos non accepiſtis ſpiritum ſervitutis ad vos conducendum adhuc timore; ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba, Pater.* Ubi quidem ſupponitur, quòd antea ducti fuerint timore; ſed non quod timorem illum, ſeu ſpiritum timoris à Deo acceperint, ut ſignificatur in textu Apoſtoli, & paſſim omnes cum Angelico interpretes intelligunt. Ita Doctor Sanctiſſimus in Rom. 8. lect. 3. *Non enim iterum in nova lege, ſicut in veteri lege fuit, accepiſtis ſpiritum ſervitutis in timore, ſcilicet pœnarum, quem timorem Spiritus Sanctus faciebat. Sed accepiſtis Spiritum, ſcilicet charitatis, qui eſt adoptionis filiorum, id eſt, per quem adoptamur in filios Dei. Gal. 4. ut adoptionem filiorum reciperemus. Non autem hoc dicitur, quaſi ſit alius, & alius Spiritus; Sed quia idem eſt ſpiritus, ſcilicet qui in quibuſdam, facit timorem ſervilem, quaſi imperfectum; in aliis facit amorem quaſi quoddam perfectum.* Quæ expoſitio ex ipſo fluit textu Apoſtoli, & ut in ea Thomas Duces ſecutus eſt veteres, ita recentiores omnes catholicos facilè obtinuit ſuffragatores.

3 Bellarminus lib. 2. de pœnitentiâ cap. 17. cui titulus eſt *Contritionem imperfectam, ſive attritionem ex timore pœnæ ortam bonam, atque utilem eſſe*, locum Apoſtoli contra Lutherum ſic explicat: *Eædem Scripturæ timorem iſtum à Deo inſpirari tam operosè docent, ut nimis magna temeritas videri debeat, ſi quis eum adhuc damnare voluerit. Rom. 8. Non accepiſtis ſpiritum ſervitutis iterum in timore; Sed accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum &c. Quo loco Beatus Paulus docet, in teſtamento veteri datum à Deo ſpiritum ſervitutis, quo timeretur; quemadmodum in teſtamento novo dedit ſpiritum adoptionis, quo diligeretur.* Ubi quidem qualis Teſtamento veteri fuerit ſpiritus, qualis novo proprius ſit, exponitur; non tamen quaſi hominibus, maximè novi fœderis peccatoribus, nullus obveniat modo timor ſervilis: Imò juxta Bellarminum cap. citato. „ S. Auguſtinus Tract. 9. in Epiſtolam S. Joannis „ docet, timorem ſervilem eſſe de quo loquitur Salomon Proverb. 1. *Initium Sapientiæ timor Domini*: Quod etiam do-

„ cent

„ cent S. Basilius oratione in principium „ Proverbiorum, Beda in caput 1. Proverbiorum, Bernardus homil. 23. in Cantica, „ & Epist. 9 ad Episcopum Coloniensem: „ & Magister cùm Theologis scholasticis „ in 3. Sentent. dist. 34. Rursus idem Augustinus lib. 1. de Sermone Domini in „ Monte cap. 9. & Gregorius hom. 19. in „ Ezechielem &c. „.

4 Quæ timoris servilis commendatio nimiùm contraria est Lutherano, & Janseniano contra eum odio, ac propositionibus non paucis in nova Ecclesia firmandis, si recipi nequeant in catholica. Quis enim eum timoris servilis utilitate, & pietate conciliet Propositionem 66. *Qui vult Deo appropinquare, nec debet ad ipsum venire cum brutalibus passionibus, neque adduci per instinctum naturalem, aut per timorem, sicuti bestiæ; sed per fidem, & per amorem sicuti Filii.* Prop. 67. *Timor servilis non sibi repræsentat Deum, nisi ut Dominum durum, imperiosum, injustum, intractabilem.*

Quid igitur miri, si oratio ex tali formidine oriunda Deo nequaquam placeat, & minimè exaudiatur? Fixum itaque penès novum hunc Apostolum habeatur, quòd frustranea omnis oratio sit, quam timor istiusmodi pepererit.

Quamquam negari possit educta indè conclusio, quod *frustrà clamemus ad Deum: Pater mi, si spiritus charitatis non est ille, qui clamat*. Quid enim, si clamemus ex fide misericordiæ ejus, qui non volet mortem peccatoris, sed magis, ut convertatur, & vivat? qui invitans peccatores omnes ad pœnitentiam, & salutem, dixit *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos* Matth. 11. v. 28.? Quid si clamemus ratione spei, & fiduciæ, ut invictissimam pœnitendi gratiam largiatur, *qui est salvator omnium hominum, maximè fidelium*, 1. Tim. 4. *Nolens aliquos perire; sed omnes ad pœnitentiam reverti*? Ita nequidem Scripturæ corruptio contra preces ex pœnæ formidine procedentes, etsi versio supponeretur legitima, sufficeret excludendæ orationi ex duabus primis virtutibus theologicis profectæ.

5 Verùm Lutherus, Calvinus, Jansenius, Quesnellus spem theologicam æquè, ac timorem supplicii, ad cupiditatem noxiam rejiciunt. Et propter rationis affinitatem ab accusatione formidinis gradum faciunt adversùs spem, quoties destituta fuerit charitate. Lutherus in assertionibus articulorum contra Bullam Leonis, assert. 6. *Contritio, quæ paratur per discussionem, & collectionem, & detestationem peccatorum, quâ quis recogitat annos in amaritudine animæ suæ, ponderando peccatorum gravitatem, multitudinem, fœditatem, amissionem æternæ beatitudinis, & acquisitionem æternæ damnationis; Hæc contritio facit hypocritam, imò magis peccatorem.*

Calvinus in Antidoto ad sess. 6. can. 25. *Dei judicio nihil est sincerum, nihil probum, nisi quod ex perfecto ejus amore manat.* Ibid. can. 31. *Cum ingenuam à filiis suis obedientiam requirat Deus, servile hujusmodi obsequium* (quod præstatur spe cœlestis retributionis) *non repudiabit modò; sed procul etiam rejiciet.*

Jansenius tomo 3. editionis 1. Lovan. col. 587. *Præceptum bonum ex timore nè quidem concupisci potest, sed solâ charitate.* Col. 525. *Concupiscentia respectu Dei, amor vitiosus est.* Col 526. *Spem Christianam deprimunt, qui eam subtrahunt charitati, & quodam sinceritatis adulterio puritatem Divinæ, & gratuitæ charitatis in concupiscentiæ amorem, aut in mercenariæ cupiditatis fœditatem vertunt.*

Similia quoad sensum continent attienli plures Quesnelliani; videlicet quadragesimus quartus, & reliqui sequentes usque ad præsentem, *Frustrà clamamus ad Deum, Pater mi, si spiritus charitatis non est ille, qui clamat.*

6 Omissioni itaque vocis *iterum* in versione gallicâ applicari posset quod S. Ambrosius exprobrat Arianis apud Franciscum Simonis de fraudibus hæreticorum parte 3. fraude 10. „ Sancti Spiritus divinitatem te„ statur ipse Dominus in Euangelio: quo„ niam Deus spiritus est. Quem locum ita „ Ariani testificamini esse de spiritu, ut eum „ de vestris codicibus auferatis: atque uti„ nam de vestris, & non etiam de Ecclesiæ „ codicibus tolleretis! Literas quidem „ potuistis abolere; sed fidem non potui„ stis auferre. Plus vos illa litura prode„ bat; plus vos illa litura damnabat. Ne„ que enim vos poteratis oblinere verita„ tem: sed illa litura de libro vitæ nomi„ na vestra delebat.

7 Si adversarii, ut hæretici semper mirabiles sunt ad comminiscendas excusationes in peccatis, dixerint gallicum *aussi*, & quod postea sequitur *encore*, accipi posse pro latino *iterum*; respondeo, utrumque adverbium gallicum saltèm æquivocum esse, atque eo ordine collocatum, ut minimè sensum exprimat Scripturæ. Quis enim in versione ista gallica intelligat acceptum spiritum servitutis iterum in timore, acceptum, in-

inquam, inspirante Deo? Ea vocum transmutatio, quæ gallicâ introducitur versione, sensum Scripturæ involvit tenebris, ut à nemine percipiatur.

Unde conveniet Quesnello, & ejus sociis saltèm observatio Sancti Irenæi lib. 1. contra hæreses cap. 1. *Ordinem, & textum Scripturarum supergradientes, & quantum in ipsis est, solventes membra veritatis transferunt, & transfingunt, & alterum ex altero facientes seducunt multos, ex iis, quæ aptant malè composito phantasmati*.

Redit & illud Tertulliani libro de præscriptionibus cap. 38. „ Illic & Scripturarum, & expositionum alteratio deputanda est, ubi diversitas invenitur doctrinæ. Quibus fuit propositum aliter docendi, eos necessitas coegit aliter disponendi instrumenta doctrinæ; aliàs enim non potuissent aliter docere, nisi aliter haberent, per quæ docerent hæresim. Sicut illis non potuisset succedere corruptela doctrinæ sinè corruptela instrumentorum ejus; ita & nobis integritas doctrinæ non competisset sinè integritate eorum, per quæ doctrina tractatur.

CAPUT II.

Propositio à Centum Galliæ Episcopis impugnata adversatur SS. Scripturis.

1 Spiritum Sanctum esse Spiritum charitatis, atque illius in cordibus nostris operationem ad salutiferas preces necessariam esse, omnes agnoscimus. Verùm plus aliquid in damnato dogmate ab ejus authore, & defensoribus intendi, exploratum est, non ex antecedentium solùm, & sequentium propositionum circumstantiis; sed etiam ex communi inter Theologos maximè asceticos, loquendi scribendique consuetudine. Neque adversarii inficiantur damnati dogmatis sensum esse, quod *frustrà clamemus ad Deum, nisi Spiritus charitatis*, id est ipsa charitas saltèm actualis in cordibus clamet. Sensum hunc suum agnoscit Quesnellus in *Querimonia, & protestatione*. In eadem significatione articulum defendunt *Hexapla*, & *Propositionum collatio*.

Qualis autem charitatis actus intelligi juxta Authorem debeat, monet *Collatio* pag. 78. Videlicet ex definitione Augustini *Motus animi ad fruendum Deo propter se*; quamquam alio interprete opus non est, ubi author ipse mentem suam dilucidè exprimit Prop. 44. *Non sunt nisi duo amores, unde volitiones, & actiones omnes nostræ nascuntur: amor Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur; & amor, quo nos ipsos, ac mundum diligimus, qui quod ad Deum referendum est, non refert, & propter hoc ipsum fit malus*. 45. *Amore Dei in corde peccatorum non amplius regnante, necesse est, ut in eo carnalis regnet cupiditas, omnesque actiones ejus corrumpat*. Oratio itaque, ut frustranea, imò mala non sit, procedere debet ex amore Dei in corde regnante, atque omnia agente propter Deum, quemque Deus remuneratur; aliàs oratio necessario *corrumpitur cupiditate*. Quanta autem sit damnari dogmatis quinquagesimi secundùm eam charitatis intelligentiam perversitas, nunc dispiciendum est.

2 Sapientissimè advertunt quadraginta Galliæ Antistites in Documento pastorali anni 1714. deinde à sexaginta aliis Episcopis approbato, atque adoptato (quod proinde *Documentum* centum Galliæ Episcoporum imposterum appellabo) „ Apertum hic esse abusum Apostolici textûs, cùm dicitur: *Frustrà clamamus ad Deum, Pater mi, si Spiritûs charitatis non est ille, qui clamat*. Paulus in Epistola ad Rom. cap. 8. *Accepistis* (inquit) *Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba Pater*; sed non dicit, Deum frustrà clamoribus solicitari, quando charitatis spiritu non rogatur. Clamat etiam ad Deum fides; clamat & spes; sed inferiore perfectionis gradu, quàm charitas: voces fidei, & spei obtinent à Deo gratiæ subsidia, quibus via sternitur ad charitatem „. Sic illi Reverendissimi Antistites, inter quos Archiepiscopi multi, & Cardinales duo. Nos aliquantò diutius in loco Apostoli expendendo hæreamus.

Monentur itaque Christiani, quòd non acceperint spiritum servitutis iterum in timore, ut in lege veteri; sed spiritum adoptionis filiorum. In quem locum ita S. Thomas, *Est timor, qui refugit malum, quod contrariatur naturæ creatæ; scilicet malum pœnæ; sed tamen refugit hoc pati à causa spirituali; scilicet à Deo, & hic timor est laudabilis, quantùm ad hoc saltèm, quòd Deum timet. Deuteronomii cap. 5. Quis det, eos talem habere mentem, ut timeant me? Et secundùm hoc à Spiritu Sancto est*; Imperfectus tamen est, inquit Angelicus: *in quantum autem talis timor non refugit malum, quod opponitur bono spirituali, scilicet peccatum; sed solam pœnam, non est laudabilis: & istum defectum non habet à Spiritu Sancto; sed ex culpa hominis, sicut*

&

& fides informis, quantum ad id, quod est fidei, est à Spiritu Sancto; non autem ejus informitas.

Si fides informis, & timor servilis (eadem de spe informi ratio est) à Spiritu Sancto sint, ut ex Angelico discimus, &, ipso interprete, ex Scripturis, cur ad authorem suum clamare nequeunt utiliter, ut ab ipso exaudiantur? 1. Cor. 13. *Nunc autem manent fides, spes, charitas, tria hæc; major autem horum est charitas*: ubi clarè traditur trium virtutum Theologicarum distinctio, quæ uti sunt singulæ à Spiritu Sancto, cur, deficiente tertiâ, duæ alteræ, quæ remanent, Deo gratæ non sint; &, si ad Deum clamaverint, exaudiri nequeant, ut gratiæ quidpiam ulterioris à Deo impetrent; cùm ad hunc finem virtutes illas in peccatoribus Dei misericordia relinquat?

3 Sic Augustinus lib. de Spiritu, & litera cap. 32. *Unde ista ... dilectio*, id est, charitas, *per quam fides operatur, nisi unde illam fides ipsa impetravit?*

Lib. de prædestinatione Sanctorum cap. 7. *Fides prima datur, ex qua cætera impetrantur.*

Rursus libro de Spiritu, & lit. cap. 30. *Per legem cognitio peccati, per fidem impetratio gratiæ ... per gratiam sanatio animæ .... justitiæ dilectio.*

Sermone 22. de verbis Apostoli *Domus Dei credendo fundatur, sperando erigitur, diligendo perficitur.*

Fidem posse esse sinè charitate discimus etiam ex citato ad Cor. capite: *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam; charitatem autem non habuero, nihil sum.* Et Jacobi cap. 2. *Quid proderit fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat; numquid poterit fides salvare illum?* Non tamen fides ea informis, & timor in peccatoribus frustrà sunt.

4 Statuamus hominem immersum illecebris vitiorum; sed & divini judicii, & gehennæ perculsum formidine, voluntatem concipere emendationis, sed debilem, quæ velleitas dicitur; Vellet evadere gehennam; sed adduci hactenus non potest, ut pellat ædibus suis concubinam: persuaderi nequit usurario, ut iniquitatis lucra à se abdicet: vindictæ cupido, ut adversariis ignoscat: addo fœminam sacrilegis confessionibus assuetam, ex eo quod regulâ, vel aliis humanis rationibus ad frequentanda Sacramenta adstringatur; exponere tamen non audeat lapsum in impudicitiam, atque adeò cumulet semper sacrilegia. Sentit hæc sæpius; sentiunt, & viri illi remorsus conscientiæ: concutiuntur timore calamitosissimæ æternitatis, qui timor servilis quidem; sed tamen bonus, laudabilis, & à Spiritu Sancto est, quemadmodum interprete Angelico, & cæteris communiter catholicis, docet Apostolus Romanos, atque in illis universam Christi Ecclesiam. Memorati itaque criminum inveteratorum vinculis irretiti precentur Dominum, ut potentissimâ suâ gratiâ humanæ subveniat infirmitati, & quod hactenus impossibile videbatur, reddat facile: nemo catholicus dixerit, orationem hanc inhonestam esse, vel frustraneam; oritur enim ex timore servili quidem; sed qui, ut dixi, teste Apostolo, & Scholæ Angelo cum reliquis Ecclesiæ Doctoribus, à Spiritu Sancto est. Neque occurrit aliunde ratio, vel circumstantia, quæ precationi isti vitium afferat, ejusque honestatem impediat, vel utilitatem. Non est tamen spiritus charitatis, qui clamat; sed timoris. Ut charitatis, spiritui oratio bona tribueretur, deberet juxta art. 44. procedere *ex amore Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur; sinè quo omnis actio, & volitio* novis theologis *mala est*: Deberet quoque juxta art. 45. profluere *ex Amore Dei in cordibus regnante*; aliàs oritur *ex cupiditate, quæ omnes actiones corrumpat.*

Cùm igitur timor ille, & profectà indè oratio in peccatoribus tam pravâ implexis consuetudine, non nascatur, ut patet, *ex amore Dei in eorum cordibus regnante, omnia agente propter Deum, quemque Deus remuneratur*; & tamen à Spiritu Sancto sit, nihil tali orationi obest, quin juxta receptam in Scholis omnibus sententiam, etsi incapax meriti, idonea tamen ad impetrandum sit. Rationem reddit S. Thomas 2. 2. quæst. 83. art. 16. ad 2. „ Peccator non potest piè „ orare, quasi ejus oratio ex habitu virtu- „ tis informetur; potest tamen ejus oratio „ esse pia quantum ad hoc, quod petit „ aliquid ad pietatem pertinens; sicut ille, „ qui non habet habitum justitiæ, potest „ aliquid justum velle: & quamvis ejus „ oratio non sit meritoria, potest tamen es- „ se impetrativa; quia meritum innititur „ justitiæ, sed impetratio gratiæ „. Hoc posito fundamento, quod nulla subruent, vel concutient adversariorum sophismata, ad Scripturas cæteras progrediamur.

5 Epist. 2. Petri cap. 3. Deus dicitur *nolens aliquos perire; sed omnes ad pœnitentiam reverti*. Convenit tamen inter Theologos, quòd peccatoribus non semper obtingat potestas proxima, & immediata pœnitentiæ justificantis; sed in multis, præsertim lon-

gâ depravatis consuetudine, tantùm sit facultas, mediâ oratione, qua petantur à Deo majora auxilia, non deneganda petentibus uti oportet. Talis autem orario non præsupponit in peccatoribus charitatem, præsertim qualis à Quesnello describitur *in cordibus regnans, omnia agens propter Deum, quamque Deus remuneratur*. Talis nempe in peccatoribus non reperitur; sed solis Sanctis propria est.

Attamen via aliqua in peccatoribus istiusmodi necessariò est admittenda, quâ se ad pœnitentiam convertere valeant, nè fallere censeatur Sancti Petri, & in eo Spiritûs Sancti affirmatio. Quæ autem via designabitur stabilita magis Scripturarum, Patrum, Doctorumque authoritate, quàm oratio? *Petite* enim, inquit æterna Veritas, *& dabitur vobis: pulsate & aperietur. Si quis vestrûm indiget sapientiâ, postulet à Deo: dabit Deus spiritum bonum petentibus se*. Quesnellus vult prius haberi spiritum bonum, & sapientiam, antequam petatur. Quis enim neget, amorem Dei in corde regnantem, & omnia agentem propter Deum, quemque Deus remuneratur, esse Spiritum bonum imò optimum, & verissimam Sapientiam?

6 Non posset peccator quilibet cum Psalte Regio petere à Deo Ps. 118. *Confige timore tuo carnes meas; à judiciis enim tuis timui*. Proverbiorum 14. *Timor Domini fons vitæ, ut declinent à ruina mortis*, & ad charitatis, ac salutis semitam perducantur. Quin David prædìtus fuerit charitatis spiritu, atque hic in eo clamaverit, etiam dum petiit timorem, non dubito; sed neque ullus, nisi novitatis Spiritu abreptus, negare potest, eundem Principem utilissimè timoris Divini gratiam petiturum fuisse aliàs, quando turpi adulterio, & magis execrabili Uriæ cæde spiritum in se charitatis extinxerat. Quis magìs Dei timore indiget, quàm peccator? cui proinde major ratio est, votis eum ardentibus postulandi? Quesnellus verò, ut novam nobis fidem cudit, novum Euangelium, ita orandi leges præscribit numquam in Dei Ecclesia auditas, & tam animis fidelium exitiales, quàm horrificas auribus Sapientum. Pergit itaque hìc novator inter orationes temerarias rejicere omnem illam, qua Dei Timor humillimè exposcitur, nisi priùs in *corde regnet Amor Dei omnia agens propter Deum, quemque Deus remuneratur*. Istum amoris, istum charitatis spiritum clamare oportet, sinè quo omnis oratio *frustranea* est juxta art. 50. *mala* juxta 44. *corrupta cupiditate* juxta 45.

Monentur omnes homines ad vigilandum, & orandum, ut non intrent in tentationem. Atque hanc eos docuit Christus orationem verè Dominicam, & Divinam, *dimitte nobis, debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris, & nè nos inducas in tentationem*. Quibus magìs, quàm peccatoribus, & charitatis spiritu destitutis hæc oratio necessaria est? Solus cum suis Quesnellus ab ea tales avertere conatur, nè scilicet verba inutiliter precando perdant, & (art. 44. & 45.) novo se commaculent peccato. Hortatur Apostolus 1. Thess. cap. ult. *Sinè intermissione orate*. Lucæ 18. Christus: *Oportet semper orare, & non deficere*. Saluberrima hæc cœlestis Sapientiæ documenta pertinentia, ut constat, ad omnes homines rationis compotes Quesnelliana novitas restringit ad solos Sanctos, in quorum cordibus *regnet Dei amor omnia agens propter Deum, quemque Deus remuneratur*. Hæc nempe definitio *charitatis* est, cujus spiritum in orantibus clamare necesse sit, nè *frustranea* juxta Quesnellum, imò *mala*, & *corrupta cupiditate* precatio reddatur Prop. 50. 44. 45.

7 Ezechielis cap. 18. *Numquid voluntatis meæ est mors impii, dicit Dominus Deus, & non ut convertatur à viis suis, & vivat...? Quare moriemini Domus Israel? Quia nolo mortem morientis, dicit Dominus; revertimini, & vivite*.

Apud eundem Prophetam cap. 33. *Sic locuti estis dicentes, iniquitates nostræ, & peccata nostra super nos sunt... Dic ad eos: vivo ego, dicit Dominus Deus, nolo mortem impii, sed ut convertatur à via sua, & vivat. Convertimini, convertimini... impietas impii non nocebit ei*. Atque hæc quidem diriguntur ad constitutos in veteri fœdere peccatores, quibus spiritus timoris proprius erat, ut testatur Apostolus ad Romanos cap. 8. Christianorum in eo sortem longè præferens Judaicæ. *Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore*, sicut antea in Judaismo; sed *accepistis spiritum adoptionis filiorum*.

Imò, inquit Quesnellus Art. *6*. *Discrimen inter fœdus Judaicum, & Christianum est, quòd in illo Deus exigit fugam peccati, & implementum legis à peccatore, relinquendo illum in sua impotentia: in isto verò Deus peccatori dat quod jubet; illum suâ gratiâ purificando*. Art. 7. *Quæ utilitas pro homine in veteri fœdere, in quo Deus illum reliquit ejus propriæ infirmitati, imponendo ipsi suam legem? Quæ verò felicitas non est, admitti ad fœdus, in quo Deus nobis donat quod petit à nobis!* Conciliare illa de veteri restamento dicta Quesnellus numquam poterit eum Di-

vinis

vinis apud Ezechielem teftimoniis, ut in priore tomo contra Propofitiones illas difputans demonftravi; & fola Sacrorum textuum cum damnatis Propofitionibus collatio, cuilibet, etiam primæ lanuginis theologo, perfpicuam patefacit oppofitionem. Quid enim manifeftius, quàm non velle Deum, ut convertatur impius à via fua, & vivat, fi relinquat illum *propriæ infirmitati*, quæ tanta eft, ut fit *impotentia* converfionis, negando ei auxilium fufficiens etiam remotum, quo poffet ulteriora impetrare ad converfionem, & falutem neceffaria?

Juxta Epiftolam ad Rom. *Plenitudo legis eft dilectio*, finè qua legem impleri non poffe, omnibus compertum eft, quia primum & maximum mandatum eft de dilectione Dei, & quidem amandi ex toto corde: in veteri quoque teftamento talis dilectio potiffimum neceffaria erat peccatoribus, quibus Sacramentum fe ipfo juftificans deerat: proinde finè amore perfecto reconciliari Deo non poterant. Atqui peccatores in illo fœdere fpiritum adoptionis, & filiorum, qui charitas eft, non acceperant; tunc faltèm, quando de iis Deus per Ezechielem locutus eft. Supererat ergo, ut, nè fubdola appareat, & fallax Dei per Prophetam denuntiatio, potuerint illi oratione fupplici fpiritum hunc à Deo petere.

Non, inquiet Quefnellus; fed fpiritum charitatis priùs habere debuerunt, quàm peterent; nam fruftrà ad Deum clamat oratio, *fi fpiritus charitatis non eft ille, qui clamat*. Quefnello igitur judice, impoffibilis illis peccatoribus fuit converfio; non enim inerat eis *fpiritus charitatis*, abfque quo nulla peccatoribus illis fufficiens poterat effe pœnitentia, nulla obtingere juftificatio; neque illam poterant precibus obtinere, aut petere ficut oportet; quia per 50. articulum fpiritus ille ad petendum eft neceffarius: *Fruftrà clamamus ad Deum, fi fpiritus charitatis non eft ille, qui clamat*.

Juxta Theologos orthodoxos, in teftamento veteri, quibus fpiritus charitatis deerat, in promptu erat fpiritus fidei, timoris, fpei, quo fe ad charitatem difponere poffent, eamque à Deo orationibus obtinere. Sic facilè intelligitur veritas locorum omnium, quibus traditur quòd, Deus etiam in teftamento veteri peccatores omnes redire voluerit ad pœnitentiam, & falvari. Quefnelli autem fententiam cum facris illis textibus non priùs, quàm cum luce tenebras compofueris.

• 8 In lege nova habemus amantiffimi Redemptoris invitationem plenam confolatione, & dulcedine, Matth. 11. *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eftis, & ego reficiam vos*. Quanta cæcorum, claudorum, Energumenorum, & cæteris mentis, & corporis infirmitatibus laborantium turba, ad Divinum illum medicum, cùm inter homines verfaretur, accurrit! Omnibus autem fe implorantibus præfto fuit; fubinde etiam plus beneficii largiens, quàm peteretur, cùm fanationem corporum quærentibus, animorum quoque impertiit incolumitatem. Num in omnibus iftis ad Chriftum fanationis obtinendæ gratiâ undique confluentibus, &, prout ex facra conftat hiftoria, non *fruftrà* eum interpellantibus, clamavit *Spiritus charitatis*? Fidem ab aliquibus requifiviffe Chriftus legitur, de requifita ab eo priùs dilectione, aut fpiritu charitatis, veluti ad poftulati beneficii impetrationem neceffario, nufquam meminit Scriptura. Illum fcilicet Servator benigniffimâ fuâ mifericordiâ conferre voluit ad fe venientibus cùm petitione, etiam charitatis experte. Atque ita non fruftranea oratio eft, etfi virtutis alterius, quàm charitatis fpiritu animata, ut rectè in communi fuo paftorali Documento obfervant centum Galliæ Epifcopi fuperiùs memorati.

Si Apoftoli imbuti fuiffent Quefnelli principiis, miferos omnes ad Chriftum confluentes ftitiffent, examinaturi priùs an in eis *clamaret fpiritus charitatis*; an in eorum *corde regnaret amor Dei omnia agens propter Deum, quemque Deus remuneratur*, nè aliàs non folùm fruftrà fibi aliifque clamando moleftiam crearent; fed novam quoque incurrerent noxam. Arcendum à templo, vel faltèm precibus curaffet Quefnellus publicanum, in quo, antequam oraret, nondum *regnabat amor Dei omnia agens propter Deum*. Sed deprecatione humili à Deo exauditus gratiam converfionis juftitiamque impetravit. *Defcendit in Domum fuam juftificatus*, Lucæ 18. ex qua ad orationem exiverat peccator.

9 Quid ftatuiffet Quefnellus de Filio prodigo, qui Lucæ 15. orabat, *Pater, peccavi in Cœlum, & coram te, jam non fum dignus vocari filius tuus: fac me ficut unum de mercenariis tuis*? Compulfus fuis calamitatibus ad Patrem pœnitens rediit, & veniam confecutus eft, non meritis operum, non amore Patris regnante in fuo corde, & omnia agente propter Patrem. Filius meritò fe indignum vocat tali nomine; neque tamen veretur appellare Patrem, neque eum quantumvis indignus, interpellare precibus, quas non inutiles fuiffe, eventus docuit.

quam sive historiam, sive parabolam Christus ad erudiendam Ecclesiam referens, addidit Matth. 6. orationem Dominicam, qua docemur omnes tum justi, tum peccatores ad justitiam aspirantes, dicere *Pater noster, qui es in cœlis*.

Ideo Divino Spiritu dictante S. Mater Ecclesia usu perpetuo eam orationem in ore omnium fidelium ponens, non expectari vult, donec Spiritus charitatis clamet, qui etiam præveniendus est, & precibus invitandus, ut veniat. Cur autem peccatores abstineant à vocando, & implorando Deo Patre suo, cùm verè omnium per creationem, & alia verè paterna beneficia Pater sit, Malachiæ cap. 2. *Numquid non Pater unus omnium nostrûm? Numquid non unus Deus creavit nos? Quare ergo despicit unusquisque fratrem suum?* Eodem titulo Moyses populum Israeliticum peccatorem vehementiùs objurgat Deuteronomii cap. 32. *Haccine reddis Domino, popule stulte, & insipiens? Numquid non iste est Pater tuus, qui fecit, & creavit te?* Quod in novo testamento potissimum locum habet, in quo fideles omnes à Christo instituimur Matth. 6. *Sic ergo vos orabitis: Pater noster, qui es in cœlis*.

10 Si totum Quesnelli studium in eo positum esset, ut in peccatorum ad Deum orationibus prohiberet solummodo titulum *Patris*, foret quidem novitas, & temeritas non toleranda, utpote contraria intentioni Christi, & Sponsæ ejus, atque perpetuo usui fidelium, ut patet in oratione Dominica, quam peccatoribus reconciliationem optantibus æquè ac justis, Christus, & Ecclesia cupit esse quotidianam: ut enim panis quotidie necessarius est, ita docemur eum petere quotidie, *panem nostrum quotidianum da nobis hodie*.

Sed gravior hic à novatoribus intenditur pernicies, quàm quæ solius nominis quæstione terminetur: interdicere penitùs orationem omnem volunt iis, in quibus charitatis spiritus non clamaverit, sinè quo scilicet omnis oratio frustranea sit, hic sensus Propositionis obvius est, & clarissimè elucet simul in Propositione 54. *Sola charitas est, quæ Deo loquitur: hanc solam Deus audit*. Et universim Propositione 53. *Sola charitas Christiano modo facit* (actiones Christianas) *per relationem ad Deum, & Jesum Christum*: per Propos. 44. *Omnis actio, & volitio, quæ non nascitur ex amore Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur, sit mala*: per Propos. 45. *Cupiditate corrumpitur*, si amor Dei in corde non ampliùs dominetur, ac regnet. Quæ igitur orationis, eadem cæterorum operum bonorum ratio est, & dum fiunt desiderio obtinendi à Deo beneficii, oratio quædam sunt.

Ita S. Thomas in epist. 1. ad Thessal. cap. 5. ad illud *sinè intermissione orate*, observat „ Oratio est petitio decentium à Deo; „ & ideo desiderium habet vim orationis. „ Psalmo 9. desiderium Pauperum exaudivit Dominus. Omnia ergo, quæ facimus, „ ex desiderio proveniunt: ergo oratio in bonis, quæ faciunt, manet in virtute; quia „ bona, quæ faciunt, ex desiderio bono „ proveniunt. Glossa: Non cessat orare, qui „ non cessat benefacere.

Id locum maximè habet in eleemosyna, ut Danielis cap. 4. vers. 14. dicitur, *Quam ob rem rex consilium meum placeat tibi, & peccata tua eleemosynis redime*. Sic Daniel regi impio, & infideli suadebat, satis conscius in ejus corde minimè *regnare amorem Dei, qui omnia agit propter Deum*, ac proinde non profecturam ejus eleemosynam ex charitatis spiritu, non hunc in pio isto opere clamaturum ad Dominum pro obtinenda regi gratia pœnitentiæ, quâ tot ejus crimina remitterentur: ineptus tamen, & insipiens suasor fuisset, si perspectum habens Regis animum, ad ea ipsum opera excitasset, quæ cognosceret fore ad consequendam Dei misericordiam prorsus inutilia, juxta præsentem Quesnelli articulum, imò *mala*, & *corrupta cupiditate* juxta 44. & 45. Teneamus illud S. Joann. Epist. 1. cap. 5. *Hæc est fiducia, quam habemus ad Deum, quia quodcunque petierimus secundùm voluntatem ejus, audiet nos. Hæc est autem voluntas ejus, sanctificatio nostra*. Cùm igitur peccator pro obtinenda Divina gratia precatus oratione constanti, & humili Deum fuerit, confidere in Servatoris misericordia poterit, se non repellendum.

CAPUT III.

Damnata Propositio contraria doctrinæ Conciliorum, & pridem editis à Sede Apostolica definitionibus.

1 Concilium Remense cap. 2. docet *Non licere homini Christiano Dominicam orationem aut non retinere memoriâ, aut non intelligere, aut non frequentare*. Quesnellus oppositam Concilio sententiam collocat inter *Meditationes Christianas* in suo *Christianæ ethicæ compendio*, quo fallaci titulo, librum ad fidelium subversionem compositum voluit insigniri: ita ab ora-

orationis Dominicæ frequentatione avertere peccatores omnes nititur, nè inutili, imò noxiâ invocatione Deum Patrem appellare præsumant, certò non exaudiendi, quamdiu in eis spiritus charitatis non clamaverit. Ad orationem autem *frustraneam*, & ut superiore capite ex Quesnello audivimus, *malam*, & *cupiditate corruptam* non concurrere supernaturale Dei auxilium omnibus Theologis compertum est; *sinè gratia* autem juxta Propositionem 40. *nihil amare possumus, nisi ad nostran condemnationem.* Ejusdem rationis necessariò est quævis actio, & oratio, cujus est amor, ex quo nascitur.

Nonnè ergo Quesnellus more suo providè, ac piè à precibus miseros arcet peccatores, nè pro sperata misericordia cumulum augeant delictorum, Deumque vindicem ampliùs irritantes, gravius in sua capita convertant supplicium? Novum hunc si audierimus Doctorem, non priùs dicere licebit, *Pater noster, dimitte nobis debita nostra*, quàm spiritus charitatis ea extinxerit, quia ut habet S. Petri epistola 1. cap. 4. *Charitas operit multitudinem peccatorum*. Nihil autem Dei oculis opertum est, nisi quod esse desierit, ut à Catholicis contra Calvinum Scriptoribus pridem demonstratum est. Augustino *Charitas* est *sanitas*. Tunc itaque primùm licebit Divinum implorare medicum, quando cum charitate sanitas redierit.

2 Ad Remensis Concilii sententiam varia Novatoribus in promptu est responsio. Prima continetur primo Quesnelli articulo: „ Quid aliud remanet animæ, quæ Deum, „ atque ipsius gratiam amisit, nisi peccatum, & peccati consecutiones, superba „ paupertas, & segnis indigentia; Hoc est „ generalis impotentia ad laborem, ad orationem, & ad omne opus bonum? „ Omnis ille, qui spiritum charitatis perdidit, excidit Dei gratiâ, atque ita perdidit Deum; nam articulo Quesnelli 58. *Nec Deus est, nec religio, ubi non est charitas*. Quæ cuicumque defuerint, quid superest juxta relatum articulum; *nisi impotentia ad laborem, ad orationem, & ad omne opus bonum*? Potestnè clamare Pater mi, is qui habet *impotentiam ad orationem*? Quis fructus esse potest motui labiorum, & clamori sinè spiritu orationis? Nè usus quidem sensuum potest esse bonus, aut etiam non malus absque charitate art. 46. *Cupiditas, aut charitas usum sensuum bonum, vel malum faciunt*. Non est igitur mirum, quod Quesnellus enunciat art. 54. *Sola charitas est, quæ Deo loquitur; eam solam Deus audit*. Et præsenti art. 50. *Frustrà clamamus ad Deum, Pater mi, si spiritus charitatis non est ille, qui clamat*.

Altera in damnatis Quesnelli articulis continetur ad Remense Concilium responsio art. 28. *Prima gratia, quam Deus concedit peccatori, est peccatorum remissio*, quæ cum spiritu charitatis semper conjuncta est: hoc igitur absente, nulla adest gratia, sinè qua oratio fructuosa est impossibilis, ut contra Pelagianos semper censuit, & docuit Ecclesia. Quesnellus etiam supra Ecclesiæ doctrinam addit articulum 38. *Peccator non est liber, nisi ad malum, sinè gratia Liberatoris.* 39. *Voluntas, quam gratia non prævenit, nihil habet luminis, nisi ad aberrandum; ardoris, nisi ad se præcipitandum; virium, nisi ad se vulnerandum: est capax omnis mali, & incapax ad omne bonum*: igitur & ad orationem. Art. 40. *Sinè gratia nihil amare possumus, nisi ad nostram condemnationem*.

Quod de amore dicitur, intellige quoque de oratione. Nam, si absque gratia nihil amare possumus, nisi ad nostram condemnationem, perspicuum est, nos sinè gratia nihil petere posse nisi ad nostram condemnationem; oratio enim, & omnis petitio semper ex amore proficiscitur ejus rei, quæ postulatur. Art. 42. *Sola gratia Christi reddit hominem aptum ad sacrificium fidei: sinè hoc nihil, nisi impuritas; nihil, nisi indignitas*. Sinè sacrificio fidei non fit oratio salutaris. Videmus hic Propositionem 50. non fortuitò, aut inconsideratè Quesnelli calamo excidisse; sed fundatam in pluribus ejus principiis, haud sanioribus. Tertia ad Remense Concilium responsio adversariis superest, quòd illud enuntiet de omnibus, & solis Christianis. *Non licere homini Christiano Dominicam orationem non frequentare*; estnè autem Christianus, à quo cum charitate exulat Deus, & omnis religio? Art. 58. *Nec Deus est, nec religio, ubi non est charitas*. Et pridem in nova Ecclesia receptum axioma fuit; sed ab Alexandro VIII. prohibitum, & condemnatum inter 31. articulos, inter quos est ordine duodecimus: *Quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor, deficit etiam fides; & , etiamsi videantur credere, non est fides Divina, sed humana*. Cujus dogmatis censuram Arnaldus Quesnelli magister domesticus impetit in difficultatibus propositis Doctori Steyaert parte 9. pag. 206., & articulum instaurat velut irrefragabilem.

Quesnellus quoque in Epistola gallicè edita nomine *Abbatis ad quemdam Romanæ Curiæ Prælatum*, idem Pontificis Decretum contumeliis dilacerat; in *Querimonia* autem

tem, ac *protestatione* contra Constitutionem UNIGENITUS pag.197. *Fidem sinè ullo motu amoris Dei* æquat *diabolicæ*. Quid igitur faciet habitu fidei, si quem agnoverit ab omni amoris erga Deum habitu, actuque discretum? Si & ipse talis habitus fide diabolicâ pejor est, sufficere non poterit, ut homo per eum dicatur constitui Christianus. Sed tum occurrit Concilium Tridentinum Seff.6. can.28. *Si quis dixerit, amissâ per peccatum gratiâ, simul & fidem semper amitti; aut fidem, quæ remanet, non esse veram fidem; licèt non sit viva; aut eum, qui fidem sinè charitate habet, non esse Christianum, anathema sit*. Magnum de hoc canone apud Quesnellum, & ejus vindices, ac socios video esse silentium: indubiè quia perspiciunt impossibilem ejus cum novæ Ecclesiæ Systemate conciliationem.

3 Et sanè non apparet, quem usum habere posset in Novatorum sententia habitus fidei in peccatore relictus; nam juxta catholicos extincto per peccatum habitu charitatis, Divina bonitas habitum fidei, & spei relinquit, velut radicem, vel semen, unde cum Divinæ gratiæ auxilio elici possint actus illis virtutibus convenientes, & per illos animus disponi ad Charitatem, atque in semitam redire justitiæ; at istud in Quesnelli novitate locum non obtinet, ubi propositione 28. *Prima gratia, quam Deus concedit peccatori, est peccatorum remissio*. Ad reconciliationem scilicet peccatoris nulla in ipso per actus fidei, timoris, spei, doloris de peccatis prærequiritur dispositio, torum absolvente primâ gratiâ, quæ à Deo conceditur. Prop.5. *Totum deest peccatori, quando ei deest spes, & non est spes in Deo, ubi non est amor Dei. Ubi totum deest*, deest etiam fides.

Præterea quem usum habere posset habitus fidei sinè charitate, quando sinè hac est mortua, non catholico solùm sensu, quòd non sit viva per sanctificantem gratiam, neque ad justitiam, neque ad salutem sufficiat; sed mortua sensu Quesnelli, ut nihil agere valeat. Prop.51. *Fides justificat, quando operatur; sed non operatur, nisi per charitatem*. Vel hinc colligimus, cur juxta novum Euangelium necesse fuerit asserere propositione præsenti 50. *Frustra clamamus, Pater mi, si Spiritus charitatis non est ille, qui clamat*. Quia sinè dubio frustranea est oratio, quæ fit sinè gratia, & fide; fides juxta Quesnellum clamare ad Deum non potest sinè charitate, sinè qua nihil operatur, ut jam vidimus Prop.51.

Fieri quoque nullatenus potest penès eumdem, ut gratia in orationem influat charitatis expertem; potestne enim concurrere gratia ad peccandum? Omnia autem opera sinè charitate peccata esse superiùs vidimus variis à Quesnello propositionibus stabilitum. Prop.44. „ Non sunt nisi duo amores, „ unde volitiones, & actiones omnes no„ stræ nascuntur: Amor Dei, qui omnia „ agit propter Deum, quemque Deus re„ muneratur; & amor, quo nos ipsos, ac „ mundum diligimus, qui quod ad Deum „ referendum est, non refert, & propter „ hoc ipsum fit malus. „ Prop.45. „ Amore „ Dei in corde peccatorum non ampliùs re„ gnante, necesse est, ut in eo carnalis re„ gnet cupiditas, omnesque actiones ejus „ corrumpat „. Oratio itaque non proveniens ex amore Dei *regnante*, & *omnia agente propter Deum, quemque Deus remuneratur*, necessario nascitur *ex amore malo, quo nos ipsos ac mundum diligimus*. Quo dogmate supposito, patet, orationem sinè charitate neque ex fide procedere posse, neque ex gratia; sed ex vitio: ideoque frustrà Deum precibus istiusmodi interpellari, *si Spiritus charitatis non clamaverit*; Quia omnis illa oratio non solùm inutilis noscitur; sed etiam illicita.

4 Verùm quæ tunc penès adversarios sors erit clamoris, quo ad Deum confugitur per attritionem, prout à Tridentinis Patribus describitur Seff.14. cap.4.? „ Contri„ tio imperfecta, quæ attritio dicitur, quo„ niam vel ex turpitudinis peccati conside„ ratione, vel ex gehennæ, & pœnarum „ metu communiter concipitur, si volun„ tatem peccandi excludat (ut excludit „ sæpissimè) cum spe veniæ, declarat hæc „ Sacra Synodus, donum Dei esse, & Spiri„ tûs Sancti impulsum; non adhuc quidem „ inhabitantis; sed tantùm moventis, quo „ pœnitens adjutus viam sibi ad justitiam „ parat; &, quamvis sinè Sacramento pœni„ tentiæ per se ad justificationem perduce„ re peccatorem nequeat, tamen eum ad „ Dei gratiam in Sacramento pœnitentiæ „ impetrandum disponit.

Attritionis ibi traditæ clamor, etsi ex charitatis spiritu non procedens, minimè tamen, ut ex Sacrosancta Synodo discimus, est inutilis, utpote quo Dei clementia movetur ad largiendum ulteriorem gratiam, & tandem ipsam in pœnitentiæ Sacramento per Sacerdotis ministerium justificationem. Ut enim traditur Seff.6. cap.14. „ Qui ab „ acceptâ justificationis gratiâ per pecca„ tum exciderunt, rursus justificari pote„ runt, cùm excitante Deo per pœniten-

tiæ

„ tiæ Sacramentum, merito Christi amissam gratiam recuperare procuraverint; „ hic enim justificationis modus est lapsis „ regeneratio, quam secundam post naufragium deperditæ gratiæ tabulam Sancti „ Patres aptè nuncuparunt. Etenim pro „ iis, qui post baptismum in peccata labuntur, Christus Jesus Sacramentum „ instituit pœnitentiæ, cùm dixit, Accipite „ Spiritum Sanctum: quorum remiseritis „ peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt „. Quod repetitur sess. 14. cap. 1. & statim subjungit Synodus: „ Quo tam insigni facto, & verbis tam „ perspicuis potestatem remittendi, & retinendi peccata ad reconciliandos fideles post baptismum lapsos Apostolis, & „ eorum legitimis successoribus fuisse communicatam, universorum Patrum consensus semper intellexit: & Novatianos „ remittendi potestatem pertinaciter negantes, magnâ ratione Ecclesia catholica tamquam hæreticos explosit, atque „ condemnavit.

Eâdem ratione videtur Ecclesia Catholica damnare, si non Quesnellum, saltèm ejus errorem, & tanquam hæresim explodere, qui dum rogari Deum non finit, nisi à justis, in quibus clamat spiritus charitatis regnans in cordibus, & omnia agens propter Deum, quemque Deus remuneratur, revera negat, Sacramentum pœnitentiæ esse secundam post naufragium tabulam, & reconciliandis Deo peccatoribus institutum; cùm absolvere Sacerdos numquam peccatores valeat; sed solùm confirmare in justitia sanctos, & iteratâ Deo reconciliatos exhibere sententiâ.

Idem Concilium sess. 6. can. 8. definit: *Si quis dixerit, gehennæ metum, per quem ad Dei misericordiam de peccatis dolendo confugimus, vel à peccando abstinemus, peccatum esse, aut peccatores pejores facere, anathema sit.* Quesnellus confugere ad Dei misericordiam nullos patitur peccatores; sed justos solummodo; confugere enim ad Dei misericordiam, obsecratio quædam est; *frustrà* autem *clamamus ad Deum, Pater mi, si spiritus charitatis non est ille, qui clamat.* Nè verò existimes, solam novo theologo displicere in peccatoris precibus appellationem *Patris*, addit Propos. 54. *Sola charitas est, quæ Deo loquitur; eam solam Deus audit.* Quod modò talis peccatorum ad misericordiam confugientium attritio ex gehennæ metu, & oratio eos in Novaturientium tribunali *faciat pejores*, evidens est ex eo, quòd non profluat ex *amore Dei in cordibus regnante, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur*, qui amor justis proprius, & in illis solis locum obtinet. *Omnis* autem *actio, & volitio*, atque ita oratio, quæ ex tali *non nascitur* fonte, *mala* est, *& corrupta cupiditate*, per propositionem 44. & 45.

5 Denique Tridentinum sess. 6. c. 11. cui titulus est *De observatione mandatorum, eamque necessariam esse, nec impossibilem*, Ita declarat: *Deus impossibilia non jubet; sed jubendo monet, & facere quod possis, & petere quod non possis, & adjuvat ut possis.* Jansenius lib. 3. de gratia Christi cap. 13. hanc Synodi sententiam referens, duplici corrumpit fallaciâ. Primò sistit in eo *petere quod non possis*, ut contra manifestam Synodi mentem expressam prioribus verbis etiam à Jansenio citatis, *Deus impossibilia non jubet*, inferat suam hæresim de observatione mandatorum impossibili etiam fidelibus, & justis, *quando ea servare volunt, & secundùm præsentes, quas habent, vires, conantur; deesse quoque illis gratiam, qua possibilia fiant.*

Altera Jansenii fallacia, & declarationis Synodicæ corruptio est, dum aliquantò post restituens ablatum, *& adjuvat, ut possis*, ejus robur enervare studet hac subdolâ interpretatione, *id est, si exaudiat*; quasi subinde accidat, ut Deus homines etiam justos tentationibus gravibus pulsatos, & gratiam quanto possunt fervore implorantes non exaudiat, sed sufficiente destituat auxilio, *quo præcepta possibilia fiant*. Quesnellus non solùm Jansenii hæresim instaurat, ut tomo primo hujus operis sæpius ostendi; sed nunc quoque prohibet orationem omnibus, præterquam iis, qui orarent spiritu charitatis in suis *cordibus regnante, & omnia agente propter Deum, quemque Deus remuneratur.*

Teste Concilio Oecumenico, Deus jubendo omnibus hominibus, tam peccatoribus, quàm justis; singulos monet & facere quod possunt, & petere quod non possunt: Quesnellus excipit peccatores omnes, & ipsos justos, quandocumque in eis non clamaret spiritus charitatis, & quidem adeò dominantis humanis actibus, adeò regnantis in corde, ut omnia agat propter Deum, atque ab eo remunerationem obtineat. Si alii, aut aliter petant cœleste in tentationibus auxilium, non aliud consequentur in Quesnelli sententia, quam augmentum demeriti, & supplicii.

6 Superest definitio multiplex Alexandri VIII. in Decreto contra 31. articulos. Con-

Conjiciat tantum Lector catholicus oculos in sequentes ab illo Pontifice condemnatos.

X. *Intentio, qua quis detestatur malum, & prosequitur bonum, merè, ut cœlestem obtineat gloriam, non est recta, nec placens Deo.*

XII. *Quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor, deficit etiam fides; &, etiamsi videantur credere, non est fides Divina, sed humana.*

XIV. *Timor gehennæ non est supernaturalis.*

XV. *Attritio, quæ gehennæ, & pœnarum metu concipitur, non est bonus motus, ac supernaturalis.* Ex quorum condemnatione errorum sequitur indubiè opposita singulis veritas; videlicet, intentionem, qua quis detestatur malum, & prosequitur bonum merè, ut cœlestem obtineat gloriam, esse rectam, & placere Deo: neque deficere fidem divinam, ubicumque defecerit Dei amor: timorem gehennæ esse supernaturalem: Denique attritionem, quæ gehennæ, & pœnarum metu concipitur, etiam sinè dilectione benevola Dei propter se, esse bonum motum, & naturæ viribus superiorem.

Hisce positis fundamentis apud omnes catholicos inconcussis, immobilis fit conclusio à nemine sanæ mentis Theologo neganda, bonum esse, & minimè frustraneum clamorem ad Deum ex motivo fidei, qua peccator suis ingemiscens pravæ consuetudinis vinculis, quibus à prosequendâ hactenus justitiâ, & cœlesti beatitudine impedirus, pertrahi se prospicit in æterna supplicia, orationem ad Deum dirigit, ut omnipotenti suæ gratiæ auxilio rebellem compellat propitius voluntatem. Precandi ratio omni sua parte est honestissima, & natã flectere Patrem misericordiæ, ut non pro peccatorum pœnitentium meritis, quæ nulla sunt; sed pro sua infinita bonitate, & clementiâ gratiam conferat conversionis integræ, quantum saltèm ad justitiam opus est, ac salutem.

CAPUT IV.

Damnata Propositio opponitur Doctrinæ Ecclesiæ, in primis Sanctorum Augustini, & Thomæ.

1 Ne obcæcatorum quidem preces inutiles censuit Augustinus lib. de natura, & gratia cap. 22. dicens: *Nec cogitat* (Pelagius) *prævaricatorem legis quàm dignè lux deserat veritatis, qua desertus utique fit cæcus, & plus necesse est offendat, & cadendo vexetur, vexatusque non surgat, ac ideo tantum audiat vocem legis, quo admoneatur implorare gratiam Salvatoris.* Habetne peccator obcæcatus, prout ab Augustino describitur, spiritum charitatis? Attamen monetur, ut oret, & *imploret gratiam Salvatoris.* Non igitur ad orandum utiliter, ut gratia impetretur, necessarium est in orante clamet spiritus charitatis. Quesnellus verò neminem orare finit, nisi spiritu illo præditum: *Frustrà clamamus ad Deum, Pater mi, si spiritus charitatis non est ille, qui clamat.* Nemo scilicet clamare ad Deum potest in nova Ecclesia, nisi justus.

Edocti etiam nos Divinis literis fateri cogimur, neminem posse dicere *Domine Jesu* nisi in Spiritu Sancto; quare contra Pelagium dicimus, orare neminem posse sicut oportet ad justitiam absque gratiæ auxilio. Cui indubitato dogmati Quesnellus Propositione 28. addit suum novæ Ecclesiæ proprium: *Prima gratia, quam Deus concedit peccatori, est peccatorum remissio.* Unde fluit consecutione inevitabili, numquam contingere, ut oret peccator, aut orare possit. Non enim potest, nisi præventus gratiæ auxilio; si autem prima gratia, quam Deus concedit peccatori, sit peccatorum remissio, perspicuum est, quòd primæ gratiæ beneficio fiat justus, & peccator esse desinat. Ita statuit Tridentini Concilii sess. 6. de justificatione can. 3. *Si quis dixerit, sinè præveniente Spiritûs Sancti inspiratione, atque ejus adjutorio hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, anathema sit.*

Ad credendum itaque sicut oportet, opus est prævenientis gratiæ auxilio. Orationem autem utilem profluere ex fide, docet Tridentina Synodus sess. 6. cap. 8. *Fides est humanæ salutis initium, fundamentum, & radix omnis justificationis.* Cùm igitur ad orationem necessaria sit fides tamquam orationis principium, & radix; fides verò requirat *prævenientem Spiritûs Sancti inspirationem*, patet, hominem peccatorem antè orationem necessariò justificari, *si prima gratia, quam Deus concedit peccatori, sit peccatorum remissio.* Qua ratione numquam oraret peccator, utpote *præveniente Spiritûs Sancti inspiratione* justificatus.

2 Non ita S. Thomas 2. 2. quæst. 83. art. 16. ubi examinat, utrum peccatores orando impetrent aliquid à Deo. „Respondeo (inquit) quòd in peccatore duo „sunt

„ sunt consideranda, scilicet natura, quam „ diligit, & culpa, quam odit. Si ergo peccator orando aliquid petit, in quantum „ est peccator, id est secundùm desiderium „ peccati, non auditur ex misericordia.... „ orationem verò peccatoris ex bono naturæ desiderio procedentem Deus audit; „ non quasi ex justitia, quia peccator non „ meretur; sed ex pura misericordia, observatis tamen quatuor præmissis conditionibus, ut scilicet pro se petat, necessaria ad salutem, piè, & perseveranter „. Dein refellit S.Doctor argumenta contraria: „ Ad secundum dicendum, quòd peccator „ non potest piè orare, quasi ejus oratio ex „ habitu virtutis informetur; potest tamen „ ejus oratio esse pia, quantum ad hoc, „ quòd petit aliquid ad pietatem pertinens: sicut ille, qui non habet habitum „ justitiæ, potest aliquid justum velle, & „ quamvis ejus oratio non sit meritoria, „ potest tamen esse impetrativa; quia meritum innititur justitiæ, impetratio gratiæ.

Totus Angelici discursus liquidissimè ostendit, non requiri statum gratiæ, neque spiritum charitatis ad orandum utiliter, & impetrandum aliquid à Deo; quia *orationem peccatoris ex bono naturæ desiderio procedentem Deus audit, non quasi ex justitia, sed ex pura misericordia*.

Ideo quoque Augustinus Tractatu 44. in Joannem, ad illam cæci sententiam *scimus quia peccatores Deus non exaudit*, respondet:*Si peccatores Deus non exaudiret,frustrà Publicanus oculos in terram dimittens, & pectus suum percutiens diceret, Deus propitius esto mihi peccatori*. Non igitur ad orandum utiliter prærequiritur necessariò justificatio, sive spiritus charitatis in corde regnans, qui ad Deum clamet. Imò Auctor operis imperfecti in Matthæum hom. 18. illud Matthæi cap.7. *omnis qui petit accipit*, sic interpretatur,*sive justus,sive peccator sit*. Ibid. *Peccatores quidam, ac reprobi dicunt, Nonne in nomine tuo Dæmonia ejecimus?*

S.Hilarius canone 6. in Matthæum loquens de improbis, quorum oratio subinde impetrat miracula, *quasi verò*, inquit, *eorum aliquid proprium sit, & non omnia virtus Dei invocata perficiat*. Sanctus Basilius in Constitutionibus Monasticis cap.1. peccatores in precibus perseverantes à Deo exaudiri, & petita obtinere colligit ex illo Lucæ 11. *Dico vobis, etsi non dabit illi eo quòd amicus ejus sit; propter improbitatem tamen ejus surget, & dabit ei quotquot habet necessarios*. Idem Sanctus lib. Summarum moralium summa 62. cap.3. *Oportet ad tempus ab insidiantibus discedere; ubi tamen quis permissus est in tentationem incidere, eventum, ut sufferre possit, & voluntatem Dei per orationem petere*, quæ si justis, magis etiam peccatoribus propter infirmitatem, & periculum gravius necessaria est.

3 S. Prosper libro adversùs Collatorem cap.35. *Quisquis igitur in tribulatione non deficit, ab illo non dubitet se adjuvari, ad quem quotidie corda universorum fidelium* (etiam peccatorum!) *clamant, nè nos inferas in tentationem, sed libera nos à malo*.

Neque peccatores excipit Zosimus Papa in Epistola, cujus meminit Cœlestinus ad Gallos scribens cap.9. *Quod tempus intervenit, quo ejus non egemus auxilio? in omnibus igitur actibus, caussisque, cogitationibus, motibus, adjutor, & protector orandus est*: non à justis solùm; sed à peccatoribus vel maximè, & quoties apparet gravior in mandatorum observationibus difficultas. Sic Augustinus libro de Natura, & gratia cap. 69. *Eo ipso, quo firmissimè creditur, Deum justum, & bonum impossibilia non potuisse præcipere, hinc admonemur, & in facilibus quid agamus, & in difficilioribus quid petamus*.

S. Leo Sermone 5. de Quadragesima: *Si quid arduum in mandatorum effectibus experitur, non in se remaneat; sed ad jubentem recurrat; qui ideo dat præceptum, ut excitet desiderium, & præstet auxilium*. Quis catholicus dicet,ista ad solos eos dirigi,in quibus regnat spiritus charitatis omnia agens propter Deum, quemque Deus remuneratur; cæteros eo spiritu nondum imbutos, in gravissimis difficultatibus, & tentationibus auxilia à Deo petere non posse, nisi inutiliter? Quid magìs pronum, quàm ut hinc injiciatur peccatoribus desperatio?

4 Quandoquidem adversarii, qui se *Galliæ Theologos* nuncupant,aliàs nos provocent ad Bellarminum, ejus hìc non refugient audire sententiam lib.1. de bonis operibus in particulari cap. 6. „ Tertia (inquit) dubitatio est, an qui ex animo remittit injurias, & tamen in aliquo alio peccato voluntariè perseverat, possit hac oratione „ (Dominica) aliquid impetrare? Respondeo: vel is qui in peccato voluntariè perseverat, cupit sibi dari gratiam à Deo „ perfectæ conversionis, eamque seriò postulat: vel non cupit, nec seriò postulat: „ si cupit gratiam conversionis, quamvis „ interim à concupiscentia victus peccatum non relinquat, non inutiliter dicit „ Deo, dimitte nobis debita nostra: Et, si „ ex corde dimittit fratri suo injuriam, „ dispo-

„ diſponetur ad gratiam perfectæ conver-
„ ſionis adipiſcendam; nam qui cœpit opus
„ bonum inſpirando illi deſiderium, & pe-
„ titionem converſionis, & condonatio-
„ nem injuriarum, perficiet ſinè dubio, ſi
„ perſeveret ille pulſando, & orando, ut
„ Deus adjuvet infirmitatem ipſius, & re-
„ bellem ad ſe convertat propitius volun-
„ tatem „. Interea non clamat in eo ſpiri-
tus charitatis; non enim hic conſiſtere po-
teſt cum voluntaria perſeveratione in pec-
cato, qualis hìc ſupponitur; & tamen mi-
nimè inutilis prædicatur ejus oratio.

Nè verò ſcrupulum moveat appellatio *Patris*, monet Bellarminus eodem lib. cap. *6*. ubi exponitur oratio Dominica, „ Si pec-
„ cator pœnitentiam agere incipiat, & jam
„ ſpe, ac deſiderio filius Dei ſit, non abſur-
„ dè dicere poterit, Pater noſter, ut San-
„ ctus Hieronymus docet in Epiſtola ad
„ Damaſum de filio Prodigo: & probat ex
„ eo, quòd filius Prodigus Lucæ 15. non-
„ dum reconciliatus, dicit ſe indignum qui
„ vocetur filius: & tamen patrem appellat,
„ cùm ait: Pater peccavi in Cœlum, & co-
„ ram te. Quomodo etiam Iſaias in perſona
„ pœnitentium orat cap. *63*. Tu Domine
„ Pater noſter es „. In his omnibus ſpiri-
tus charitatis deſideratur, & petitur, quan-
do nondum in corde diffuſus eſt, atque ita
in orante non clamat: nondum regnat in
corde: nondum omnia agit propter Deum;
nondum meretur juſtitiæ præmium.

Denique viam abſurdiſſimis conſecta-
riis, & omne bonorum operum ſtudium,
omnem pietatem, religionem ſubvertenti-
bus præbet hæc plena hypocriſi, & ſedu-
cendis ſimplicibus peridonea enuntiatio:
*Fruſtrà clamamus ad Deum, Pater mi, ſi ſpi-
ritus charitatis non eſt ille, qui clamat*. Con-
ſectaria illa vide ubi refutabitur Propoſitio
54. à præſenti non multum differens: *Sola
charitas eſt, quæ Deo loquitur; eam ſolam
Deus audit*: aliquod illorum ſpecimen da-
bit capitis proximi concluſio.

CAPUT V.

Diluuntur objectiones deſumptæ ex Scripturis.

1 IN prima contra nos acie ſtatuit *Colla-
tor* Apoſtolum ad Rom. cap. 8. dicen-
tem: *Non accepiſtis ſpiritum ſervitutis
iterum in timore; ſed accepiſtis ſpiritum ado-
ptionis, in quo clamamus Abba, Pater*. Nos
autem initio capitis primi contra præſentem
Queſnelli articulum produximus eun-
dem Apoſtoli textum tamquam apertiſ-
ſimè adverſariis refragantem. Si enim Spi-
ritus ſervitutis, qui eſt in timore, ſit San-
ctus, & fuerit Judæis à Divino Spiritu indi-
tus, non eſt cur ad Deum preces dirigere
nequeat, & ab ipſo aliquid impetrare.
Quapropter illam Queſnelli temeritatem,
& textûs Apoſtolici abuſum reprehende-
runt meritò centum Galliæ Antiſtites com-
muni omnibus *Documento paſtorali*. Dedi-
mus quoque tutiſſimam, & inconcuſſam An-
gelici interpretationem oppoſitam novi-
tati.

Non in ſolo iſto commentario articu-
lum damnatum S. Thomas enecat; ſed
etiam 2. 2. quæſt. 19. art. 4. Argumento
Sed contra, dicens: „ Nullum malum eſt à
„ Spiritu Sancto; ſed timor ſervilis eſt à
„ Spiritu Sancto; quia ſuper illud Rom. 8.
„ non accepiſtis ſpiritum ſervitutis &c. di-
„ cit Gloſſa: unus ſpiritus eſt, qui facit
„ duos timores, ſcilicet ſervilem, & ca-
„ ſtum. Ergo timor ſervilis non eſt malus „.
Et in concluſione „ Servilitas „ (qua quis
in vitatione pœnæ ſtatuit ultimum ſuum
finem) „ non pertinet ad ſpeciem timoris
„ ſervilis; ſicut nec informitas ad ſpeciem
„ fidei informis; ſpecies enim moralis ha-
„ bitus, vel actus ex objecto accipitur; ob-
„ jectum autem timoris ſervilis eſt pœna;
„ cui accidit, quòd bonum, cui contrariatur
„ pœna, ametur tamquam finis ultimus, &
„ per conſequens pœna timeatur tamquam
„ principale malum..... vel quòd ordi-
„ netur in Deum ſicut in finem, & per con-
„ ſequens pœna non timeatur tamquam
„ principale malum.... & ideo timor ſer-
„ vilis ſecundùm ſubſtantiam bonus eſt,
„ ſed ſervilitas ejus mala eſt „; quæ eſt
conſtitutio finis ultimi in fuga ſupplicii: ſic-
ut informitas fidei conſiſtens in privatione
juſtitiæ, ſeu gratiæ ſanctificantis, eſt mala,
licèt fides etiam informis, ſecundùm quod
fides eſt, in ſe bona ſit, à Spiritu Sancto, &
ſupernaturalis: ita ſervilis timor bonus eſſe
poteſt, à Spiritu Sancto, & naturæ vires
atque ordinem ſupergrediens; ut definivit
Alexander VIII. contra art. 14. & 15. in-
ter 31. & eruditiſſimus Pater Joannes Ni-
colai ex ordine S. Dominici in nota margi-
nis ad textum ex Doctore Angelico jam ci-
tatum de timore ſervili ait: „ Hinc ex im-
„ pulſu Spiritûs Sancti eum eſſe aſſerit Con-
„ cilium Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 4. ac eos
„ damnat ſeſſ. 6. can. 8. qui peccatum po-
„ tiùs eſſe dicunt, & pejores facere pecca-
„ tores, ut jam Leo X. contra Lutherum in
„ Con-

„ Concilio Lateranenfi decreverat. An „ porrò Chriftus Lucæ 12. v. 5. & Matth. „ 10.v.28. eum inculcaret, fi malus effet„? De his etiam in tertium fententiarum diftinctione 34. q. 2. art. 1. quæftiuncula 1., uti ad Rom. 8. lect. 3.

Doctori Angelico confentit S. Bonaventura in opufculo de gratia fanctificante lib. 5. cap. 4. *Timor fervilis donum Spiritûs Sancti eft .... Timor fervilis Spiritui Sancto locum præparat .... timor fervilis duo facit: primum eft, quòd viam præparat charitati; fecundum, quòd retrahit à peccato metu pœnæ tantùm*. Si timor ille, & proveniens ex co attritio fit à Spiritu Sancto, cur ad Deum clamare nequit, & ab ejus mifericordia aliquid imperrare?

2 Explicandum fupereft, cur lex vetus ab Apoftolo dicatur data in timore, & in fpiritu fervitutis; nova autem in fpiritu charitatis. Audiamus commentarium Aquinatis in dictum caput 8. ad Rom. lect. 3. „ Lex igitur vetus data eft in timore, quod „ fignificabant tonitrua, & alia hujufmodi, „ quæ facta funt in datione veteris legis, „ ut dicitur Exodi 19., & ideo dicitur „ Hebr. 2. ita terribile erat quod videba„ tur; & ideo lex vetus per inflictionem „ pœnarum inducens ad mandata Dei fer„ vanda data eft in fpiritu fervitutis. Un„ de dicitur ad Gal. 4. Unum quidem in „ Monte Sina in fervitutem generans; & „ ideo rectè dictum eft, quòd qui Spiritu „ Dei aguntur &c. Non enim in nova lege „ ficut in veteri lege fuit, accepiftis fpiri„ tum fervitutis in timore, fcilicet pœna„ rum, quem timorem Spiritus Sanctus fa„ ciebat; fed accepiftis Spiritum, fcilicet „ charitatis, qui eft adoptionis filiorum, „ ideft, per quem adoptamur in filios Dei. „ Galat. 4. ut adoptionem filiorum recipe„ remus. Non autem hoc dicitur, quafi fit „ alius, & alius fpiritus; fed quia idem eft „ fpiritus, fcilicet, qui in quibufdam facit „ timorem fervilem, quafi imperfectum; in „ aliis facit amorem, quafi quoddam per„ fectum „.

Lex itaque nova non datur nobis per tonitrua, & alia externa figna terrorem incutientia, ut folent fervi à Dominis timore adigi ad ferviendum. Sed datur mitiùs per Spiritum Sanctum, quando juftificamur, diffufà in cordibus charitate: qui fpiritus propriè adoptionis, & filiorum eft. Non quafi timor fervilis non fit à Spiritu Sancto, aut non detur etiam in lege nova; fed quòd legi veteri magis proprius fuerit, ficut & jufits in illo fœdere non defuit fpiritus adoptionis, & filiorum per charitatem diffufam in eorum cordibus; fed ea in ipfis fuit per fidem, & gratiam Mediatoris, quæ erat novi fœderis participatio. Sufficere ad Novatuarientium convictionem, & inftructionem fidelium debet illud Angelici, nullo refragante catholico, effatum: *Non hoc dicitur*, (ab Apoftolo) *quafi fit alius, & alius fpiritus; fed quia idem eft fpiritus, fcilicet, qui in quibufdam facit timorem fervilem, quafi imperfectum; in aliis facit amorem, quafi quoddam perfectum*. Qua igitur ratione deberet fruftraneus effe clamor, Deum invocantium illo fpiritu, licèt imperfecto; fancto tamen, & cœlitus nobis dato? Num Spiritûs fui clamorem Deus velut inanem, & inutilem rejiciet? Contumeliam iftud magis adversùs Deum, & blafphemiam omni fanæ mentis theologo fapere videbitur, quàm pietatem.

3 Quod objicitur ex Epiftola 1. Cor. cap. 13. novum fubminiftrat, & inclutabile argumentum, quo convincatur, adverfarios non qualicumque dilectionis motu contentos effe, nè oratio habeatur fruftranea; fed eos requirere neceffariò charitatem, quæ finè juftificatione confiftere nequeat. Apoftolus declarat: *Si linguis hominum loquar, aut Angelorum, charitatem autem non habeam, factus fum velut æs fonans, aut cymbalum tinniens*. Hìc centum Galliæ Epifcopis, atque ipfi Summo Pontifici, & Sacro Cardinalium, atque Confultorum Cœtui infultat *Quefnelli Querimonia, & Proteftatio* pag. 169. infultant *Hexapla, & Obfervationes adversùs inftructionem Paftoralem*, plerifque Galliarum Epifcopis communem, quòd cenfuerint orationem fono æris, aut cymbali tinnientis fimilem, poffe effe non fruftraneam.

Verùm neque loco ifto Apoftoli agitur de locutione hominis ad Deum, ad impetranda ab eo quædam beneficia difponentia ad ulteriorem gratiam, etiam charitatis, qua tandem Deo valeat reconciliari: neque ullus interpres catholicus ita locum Apoftoli accipit, ut fides, & indè procedens oratio finè charitate fit inutilis ad obtinendum à Dei mifericordia aliquod gratiæ auxilium; fed hoc folummodo fenfu dicitur homo velut æs fonans, aut cymbalum tinniens, in ordine ad meritum, juftitiam, & falutem, fi fteterit in fola fide, cum magnifica illa, quæ defcribitur, locutione, *fi linguis hominum loquar, aut Angelorum*. Neque per locutionem iftam intelligitur oratio ad Deum pro impetratione gratiæ; fed prædicatio fidei, donumque linguarum. Sicut autem prædicatio illa fubinde à peccatoribus profecta non

non desinit esse utilis audientibus, & eisdem conversionis occasio, quos, accedente gratiæ auxilio, salubriter movet, etsi nihil indè sibi mereatur prædicans, atque hac ratione factus sibi fit velut æs sonans, aut cymbalum tinniens; sic etiam oratio peccatoris sinè charitate; si tamen hanc desideret: &, si oratio instituatur, sicut oportet, cum ardore, humilitate, & perseverantia, non inutilis erit ad impetrationem, etsi inutilis ad meritum; neque per se, & immediatè hominem justificare possit, ac donare beatitudine.

Rationem discriminis, cur peccatoris oratio utilis ad impetrandum esse valeat, non ad merendum, suggerit Angelicus 2.2. quæst. 83. art. 16. ad 2. *Quamvis ejus oratio non sit meritoria, potest tamen esse impetrativa; quia meritum innititur justitiæ; sed impetratio gratiæ.* Quod de precibus dicitur, idem cense de prædicatione Evangelii, & pœnitentiæ, ac de cæteris operibus bonis ex fide informi, & ope gratiæ exercitis, quod per se nihil justitiæ, nihil meriti homini conferant; sed impetrare à Divina clementia possint ea gratiæ subsidia, quibus peccator ad charitatem, justitiam, ac tandem beatitudinem promoveatur. Hic sensus non Quesnelli quidem; sed omnium catholicorum est.

4 Stemus Doctoris Angelici interpretatione circa locum ab adversariis objectum: „ Apostolus gratiarum gratis datarum distinctionem assignavit, & ministrationum, „ in quibus membra Ecclesiæ distinguuntur. Hic agit de charitate, quæ inseparabiliter concomitatur gratiam gratum facientem: &, quia promiserat eis se demonstraturum viam excellentiorem, „ ostendit præeminentiam charitatis ad cætera gratuita dona..... Rectè ergo „ comparat loquelam charitate carentem „ sono rei mortuæ, scilicet æris, aut cymbali, quod licèt clarum sonum reddat, non „ tamen est vivus; sed mortuus; ita etiam „ locutio hominis charitate carentis, quantuncunque sit diserta, tamen habetur „ pro mortua; quia non proficit ad meritum vitæ æternæ „. Considerent hoc adversarii, *non proficit ad meritum vitæ æternæ*. Omnes idem dicimus; sed minimè negatur utilitas ad impetrandam gratiam, si prædicatio fidei, aut quævis alia bona locutio ex fide, & actualis gratiæ auxilio proveniens, ad Deum à loquente dirigatur.

Deinde ad illud Apostoli: *Et si habuero omnem fidem ita, ut montes transferam*, ita notat S. Interpres: *Omnem fidem; idest, omnium articulorum; sed melius est, ut exponatur, omnem, idest, perfectam fidem, propter illud, quod subditur: ita ut montes transferam .... Si, inquam, habuero omnia prædicta ad perfectionem intellectûs pertinentia, charitatem autem non habuero, per quam perficitur voluntas, nihil sum, scilicet secundùm esse gratiæ, de quo dicitur Ephes. 2. Ipsius enim sumus factura in Christo Jesu in operibus bonis.* Aspice hic *fidem perfectam, ita ut montes transferam*, & tamen sinè charitate. Aliquanto post pergit S. Thomas: *Cùm dicit* (Apostolus) *etsi distribuero &c. ostendit idem in his, quæ pertinent ad opera, quæ consistunt in hoc, quòd homo faciat bona, secundùm illud Galat. 6. Bonum facientes non deficiamus: & in hoc, quòd patienter sustineant mala secundùm illud psalmi 91. Bene patientes erunt, ut annuntient. Inter cætera verò bona opera magìs commendantur opera pietatis, secundùm illud 1. Tim. 4. Pietas ad omnia utilis est. Circa quod opus quatuor conditiones designat*, quæ possunt esse sinè charitate. Hic igitur *opera bona, opera pietatis, pietatem ad omnia utilem*, bonam *in sustinendis malis patientiam* ab Apostolo, teste Aquinate, commendatam cernimus, etiam ubi charitas defecerit. Cur autem tam præclara, & à tantis laudata Authoribus opera, Divino afflante, & adjuvante Spiritu præstita, ad Deum clamare sinè charitate nequeant, & aliquid ab ejus misericordia impetrare; etsi non sufficiant ad meritum, & debitam ex justitia mercedem? Hac ratione nihil prodest attritio in peccatore ad meritum: prodest tamen plurimum ad obtinendum à Dei clementiâ gratiæ majoris auxilium, quo ad actus nobiliores, ac tandem ad Justitiam ampliùs disponatur.

5 Hoc si negare adversarii obstinatiùs perrexerint, videant quam labem inferant religioni, quam bonis operibus stragem, obstructo etiam aditu charitati, & impeditâ in peccatorum animis conversione. Non enim solet Deus in hoc providentiæ ordine perfectam simul, absque aliorum actuum præviâ dispositione, peccatoribus pœnitentiam infundere, aut charitatem: præeunt actus fidei, timoris, spei, ut à Concilio Tridentino Sess. 6. cap. 6. traditur, & theologi omnes catholici agnoscunt.

Imbutus autem Quesnelli novitatibus peccator, ita secum statuet: Oratio omnis est frustranea, nec minùs inutile cæterarum omnium virtutum exercitium, quamdiu charitas sanctificans defuerit, secundùm præsentem art. 50. Imò juxta 44. & 45. Omnia opera charitatem antecedentia sunt ma-

la, & cupiditatis corrupta vitio; cur igitur me macerem ciliciis, verberibus, vigiliis, orationibus, jejuniis, saltèm quando non præcipiuntur? Hæc adhibeant peccatores, Euangelii Quesnelliani mysteria ignorantes, qui putant, istiusmodi exercitia viam sternere conversioni, implorando Dei misericordiam, ut potentiora gratiæ largiatur præsidia; Ego verò à novis Apostolis, Romanæ fidei, & Ecclesiæ reformatoribus meliùs edoctus, nolo me frustraneis, imò noxiis cruciare curis, ac laboribus: ad primam gratiam nullatenus possum me disponere, ut Catholici omnes rectè contra Pelagium credunt: *Prima* autem *gratia, quam Deus concedit peccatori est peccatorum remissio* juxta art. 28. Ita liberamur omni solicitudine disponendi nos ad justitiam, quæ nullo nostro opere prævio, nulla dispositione, ut prima gratia solet, cordibus infunditur. Hactenus Quesnelli discipulus: quo Systemate nihil commodius peccatoribus, nihil ad omnem in iis fovendam impœnitentiam, morum dissolutionem magis idoneum.

CAPUT VI.

Argumenta adversariorum reliqua dissolvuntur.

I. FOrtissimus in Constitutionem aries adversariis apparet, vel potiùs subdolè ab eis fingitur, ex illo Augustini Sermone 2. num. 29: „Apostolus „ dicit: Misit Deus Spiritum Filii sui in corda nostra clamantem, Abba Pater; hoc „ est, clamare facientem. Nos enim clama„ mus; sed in illo, id est, ipso diffundente „ charitatem in cordibus nostris, sinè qua „ inaniter clamat, quicumque clamat.

Error tironibus condonandus est, qui, theologiâ scholasticâ vix à limine salutatâ, in Augustinum temerè involant, atque in eo vocem *charitas* quoties offendunt, interpretantur vulgari, & usitatissimo apud nos sensu de tertia virtute theologicâ, vel ejus actu, amore Dei scilicet propter se, & super omnia benevolo. Unde in errores varios pridem ab Ecclesia damnatos facilè ruunt præcipites. Verùm theologiæ, & quidem polemicæ magistros, qui antonomasticè haberi volunt discipuli Doctoris maximi Augustini, non est verisimile in doctrina ejus adeò esse hospites, aut tam parum perspicaces, ut non videant charitatis nomine accipi non solam inter virtutes theologicas principem; sed etiam subinde spem, quemlibet virtutis actum à gratiâ inspiratum; subinde ipsum, quod in voluntate est, auxilium gratiæ.

Et quidem ad spem quod attinet, Augustinus de S. Virginitate cap. 38. „Est etiam „ (inquit) timor ignis æterni; propter quem „ devitandum Deo servire non est utique „ perfectæ charitatis. Aliud est enim desi„ derium præmii, aliud formido supplicii. „ Aliæ voces sunt, Quò abibo à Spiritu „ tuo, & à facie tua quò fugiam? Et aliæ „ voces sunt, Unam petii à Domino, hanc „ requiram, ut inhabitem in Domo Domi„ ni &c.„ ubi timor gehennæ charitas vocatur; sed non perfecta, perfectior autem cœlestis beatitudinis desiderium.

Lib. 5. de civitate Dei cap. 24. frænandas esse docet cupiditates, *non propter ardorem inanis gloriæ; sed propter charitatem vitæ æternæ.*

In psal. 53. „Deus noster laudetur vo„ luntate, ametur charitate, gratuitum sit „ quod amatur, & quod laudatur: quid est „ gratuitum? ipse propter se, non propter „ aliud. Si enim laudas Deum, ut det tibi „ aliquid aliud, jam non gratis amas Deum. „ Erubesceres, si te uxor tua propter divi„ tias amaret.... Ipsum autem gratis dili„ ge; quia melius ab eo non invenis, quod „ det, quàm se ipsum „. Ubi charitatis, & amoris gratuiti sonant appellationes; in expositione autem nihil est, quod secundæ virtuti theologicæ non apprimè conveniat.

Sermone 334. aliàs 48. de Sanctis ad illud Scripturæ „ Dominus pars hæreditatis „ meæ, non dixit (Psalmista) O Domine „ quid das mihi aliquam hæreditatem? „ Quidquid mihi dederis, vile est. Tu esto „ hæreditas mea, amo te, totus amo te, „ toto corde, tota anima, tota mente amo „ te, quid erit mihi quidquid dederis mihi „ præter te? Hoc est Deum gratis amare, „ de Deo Deum sperare, de Deo prope„ rare impleri, de ipso satiari. Ipse enim „ sufficit tibi „. Quamtumvis charitate arserit Sanctus doctor, attamen amor spei hic ipsi venit nomine amoris gratuiti, *Deum* enim *gratis amare est de Deo Deum sperare.*

2 Deinde quoties ostendero amorem spei ab Augustino velut salutiferum prædicari, invictè concicio, Augustinum charitatis nomine comprehendere amorem etiam spei proprium, eùm ait, *sinè charitate inaniter clamari.* De amore autem spei salutifero absque ulla amoris benevoli mentione illustris locus est libro de cathechizandis rudibus cap. 17. „ Sunt enim qui propterea volunt „ esse christiani, ut aut promereantur ho„ mi-

„ mines, à quibus temporalia commoda „ expectent, aut quia offendere nolunt „ quos timent; sed isti reprobi sunt; etsi „ ad tempus eos portat Ecclesia, sicut area „ usque ad tempus ventilationis paleam „ sustinet: si non se correxerint, & propter „ futuram sempiternam requiem christiani „ esse cœperint, in fine separabuntur: nec „ sibi blandiantur, quòd in area possint esse „ cum frumento Dei; quia in horreo cum „ illo non erunt; sed igni debito destinan- „ tur. Sunt etiam alii meliore quidem spe, „ sed tamen non minore periculo, qui jam „ Deum timent, & non irrident christia- „ num nomen, nec simulato corde intrant „ Ecclesiam Dei; sed in ista vita expectant „ felicitatem, ut feliciores sint in rebus „ terrenis, quàm illi, qui non colunt Deum: „ ideoque, cùm viderint quosdam scelera- „ tos, & impios istâ sæculi prosperitate „ pollere, & excellere; se autem vel mi- „ nùs habere ista, vel amittere, perturban- „ tur, tamquam sinè causa Deum colant, & „ facilè à fide deficiunt. Qui autem pro- „ pter beatitudinem sempiternam, & per- „ petuam requiem, quæ post hanc vitam „ Sanctis promittitur, vult fieri christianus, „ ut non eat in ignem æternum cum diabo- „ lo; sed in regnum æternum intret cum „ Christo, verè ipse Christianus est, cau- „ tus in omni tentatione, nè prosperis re- „ bus corrumpatur, & nè frangatur adver- „ sis, & in abundantia bonorum terreno- „ rum modestus, & temperans, & in tri- „ bulationibus fortis, & patiens; qui „ etiam proficiendo perveniet ad talem „ animum, ut plus amet Deum, quàm ti- „ meat gehennam; ut, etiamsi dicat illi „ Deus, utere deliciis carnalibus sempiter- „ nis, & quantum potes, pecca; nec mo- „ rieris, nec in gehennam mittêris; sed „ mecum tantummodo non eris, exhorre- „ scat, & omnino non peccet, non jam, ut „ illud, quod timebat, non incidat; sed nè il- „ lum, quem sic amat, offendat, in quo uno „ est requies, quam oculus non vidit &c.

In tam prolixa Hipponensis Antistitis oratione, qua describuntur varia Christianorum genera, nullum video requisitæ charitatis indicium. Primum quidem genus *reproborum* est, qui Christianismum exteriùs simulant potiùs ad fallendum, quàm amplectantur seriò ad salutem. Alii *meliore spe* Christiani, in gravissimo tamen versantur deficiendi periculo; quia, dum propter temporalia solùm à Deo accipienda ipsum colunt, quæ auferuntur facilè, & sæpe infidelibus magis, quàm fidelibus obtingunt, magis obnoxii sunt tentationibus, & semper ruinæ proximi. Qui verò „ propter æter„ nam requiem (& iterum) qui propter „ beatitudinem sempiternam, & perpetuam „ vult fieri Christianus, ut non eat in ignem „ æternum cum Diabolo; sed in regnum „ æternum intret cum Christo; verè ipse „ Christianus est, cautus in omni tentatio- „ ne, nè prosperis rebus corrumpatur, & „ nè frangatur adversis: & in abundantia „ bonorum terrenorum modestus, & tem- „ perans; & in tribulationibus fortis, & „ patiens. „ Dum hæc omnia operatur spes beatitudinis cum timore inferni, nullum potest esse dubium, quin Augustino & spes illa bona sit, & laudabilis formido supplicii. Unde necesse est, utramque ab eo etiam charitatis nomine comprehendi, quoties omnia charitati tribuere videtur, & extra eam nihil agnoscere bonitatis. De hoc adversarii convincentur mox certiùs.

In relatis interim Augustini vocibus non subintelligi proprii nominis charitatem patet ex sequentibus: „ Qui etiam proficien- „ do perveniet ad talem animum, ut plus „ amet Deum, quàm timeat gehennam: ut, „ etiamsi dicat illi Deus, quantum potes „ pecca, nec morieris, nec in ignem mitte- „ ris, sed mecum tantummodo non eris, „ exhorrescat, & omnino non peccet; non „ jam ut illud, quod timebat, non incidat: „ sed nè illum, quem sic amat, offendat; in „ quo uno est requies, quam oculus non „ vidit &c. „ Amorem posteriùs explicatum non fuisse in priore Christiani hominis dispositione comprehensum, patet apertissimè ex eo, quòd *ad talem animum* non priùs habitum, *proficiendo perveniet*. Sed & is tandem perfectionis apex à S. Antistite ibi tantopere laudatus, quid continet, quòd amorem spei theologicæ excedere censeatur? Iterum igitur exploratissimum fit, Augustinum, quoties nihil boni admittere videtur præter charitatem, hujus appellationem in largissima accipere significatione; ut ad omnia extendatur opera, quæ Spiritu Sancto excitante, atque adjuvante perficiuntur.

3 Clarissima de hoc est Augustini sententia lib. 8. de Trinitate cap. 10. *Quid est dilectio, vel charitas, quam tantopere Divina Scriptura laudat, & prædicat, nisi amor boni?* Quem esse à Spiritu Sancto, concedunt nobis ultro adversarii, & perspicua habetur ab ipso Augustino explicatio, lib. de gratia Christi cap. 26. *Si consenserit Pelagius nos gratiâ Dei recipere charitatem*, seu actum bonum & salutarem (non enim de sola charitate theologica, sed de omni pietatis opere di-

scepta-

fceptatio fuit, *non fic fentiat, tanquam ulla merita bona noftra præcefferint*.

Cap. 24. ad illud Eftheris cap. 15. *Convertitque Deus fpiritum Regis* (Affueri aliàs furentis) *in manfuetudinem*, fic Auguftinus animadvertere, ac profiteri Pelagianos jubet. „ Intueantur, atque fateantur, non„ lege, atque doctrina infonante forinfe„ cus; fed internâ, & occultâ, mirabili, ac „ ineffabili poteftate operari Deum in cor„ dibus hominum, non folùm veras revela„ tiones; fed etiam bonas voluntates. „ Has voluntates bonas vocaverat S. Doctor charitatem cap. 21. *Bona voluntas nihil aliud eft, quàm charitas*.

Et lib. 4. contra Julianum cap. 3. *Ex quo colligitur, etiam ipfa bona opera, quæ faciunt infideles, non ipforum effe, fed illius, qui bene utitur malis*. Nimirum ridiculi fient adverfarii, fi in Affuero Rege Ethnico, & cæteris infidelibus, in quibus *voluntates bonas, opera bona* prædicat, & Spiritui Sancto tribuit Auguftinus, fingere voluerint appellationis propriæ charitatem, quæ virtutes inter theologicas veluti regina eft, & cujus actus conftat fidei, & fpei actibus effe in generationis ordine pofteriores, quod ex S. Thoma, ex Tridentino Concilio, ex ipfo S. Paulo Apoftolo difcimus: & ipfi maximè adverfarii vocare in dubium nequeunt, penès quos Propofitione 27. *Fides eft prima gratia, & fons omnium aliarum*. Prop. 26. *Nullæ dantur gratiæ, nifi per fidem*. 28. *Prima gratia, quam Deus concedit peccatori, eft peccatorum remiffio*. Habuitnè Affuerus Rex impius, & Paganus veram fidem, charitatem, remiffionemque peccatorum? Habueruntnè infideles reliqui, in quibus Auguftinus bona opera, voluntates bonas commemorat, totidem Divinæ gratiæ fœtus?

4 Quapropter ineluctabili neceffitate agnofcere coguntur adverfarii, Auguftinum, cùm ait lib. de gratia Chrifti cap. 21. *Quafi verò aliud fit bona voluntas, quàm charitas*, & quoties alibi nullum admittere videtur bonum, nifi charitatem, hoc nomine non uti in fignificatione rigida, in qua Doctorem fanctiffimum intelligi volunt ipfi, pro virtute fcilicet inter theologicas præcipua; fed exponendum effe tunc latiffimè, ut, ipfo Auguftino duce, fuperiùs indicavi, de quolibet bono opere, Divinâ excitante, atque adjuvante gratiâ, exercito. Ita Doctorum maximus cum definitionibus Apoftolicis, cum Tridentino Concilio, cum Scripturis, & fecum ipfo facilè conciliatur; ab erroribus autem graviffimis, & fuorum inter fe dogmatum collifione nunquam in adverfariorum fententia liberandus.

Eft & alia charitatis apud Auguftinum appellatio, pro ipfa, quæ voluntatem fuaviter afficit Divina gratia. Hæc in expofitione Propof. epiftolæ ad Rom. num. 60. dicitur *charitas*. Epift. 100. ad Paulinum iterum *charitas*. Lib. 10. contra Fauftum rurfus gratia eft *charitas*. Lib. 1. ad Simplicianum quæft. 1. *fpiritus charitatis*: Epift. 147. ad Julianam viduam fub finem *infpiratio charitatis*: Lib. 2. ad Bonifacium cap. 8. *infufio charitatis*. Lib de fpiritu, & lit. cap. 3. *delectatio, dilectioque fummi boni*. Lib. 4. ad Bonifacium cap. 5. *infpiratio dilectionis*. In difputatione contra Fortunatum *amoris Divini infpiratio*. Lib. de fpiritu, & litera cap. 4. *concupifcentia bona*. Lib. 2. ad Bonifacium cap. 9. *cupiditas boni*. Lib. de gratia Chrifti cap. 24. *bona voluntas*. Quæ omnia pridem contra Janfenium obfervarunt Scriptores Catholici. Hæc adverfarii callidè diffimulant; & quæ de indeliberatis gratiæ motibus ab Auguftino proferuntur, ipfi transferunt ad actus humanos, & quæ in fignificatione latiore, ac per figuram Rhetorices dicuntur, inculcant fimplicibus in fenfu rigido, ut damnatis videantur erroribus patrocinari.

Neque iftos novæ Ecclefiæ Apoftolos morantur, aut terrent tam horrifica confectaria, quibus fuperiorum etiam Pontificum, & Tridentinæ Synodi definitiones, Scripturarum oracula, & Catholicæ Ecclefiæ ftabilita pridem veritas convelluntur. Sacra fcilicet peffundare omnia, columnamque veritatis, fi fieri poffet, dejicere non veretur hæreticorum temeritas, quoties ad firmandas novitates vifum fuerit neceffarium. Sic & Quefnello, & obftinatiffimis ejus fodalibus decretum, fixumque eft, Conftitutionem UNIGENITUS confodere, etiam per latus, quoniam aliter nequeunt, Conciliorum, Traditionis, Divinarumque Scripturarum; ut, his omnibus conculcatis, *Obfervationum Moralium* novitas fubftituatur.

5 Alterum contra nos argumentum depromitur ex Auguftini Tractatu 74. in Joannem: *Nemo dicit Dominus JESUS animo, verbo, facto, corde, ore, opere; nemo dicit Dominus Jefus, nifi in Spiritu Sancto: & nemo fic dicit, nifi qui diligit*. Dominum Jefum indubiè diligit, qui *Jefum Dominum* fuum non verbo folùm, & ore confitetur; fed etiam animo, facto, corde, & opere; cùm inter affectus animi, inter facta, & opera, quibus fupremo Domino nos fubmittimus, fit dilectio primum, & maximum man-

mandatum. Nemo sic dicit Dominus Jesus, nisi in Spiritu Sancto: Nemo sic dicit, nisi qui diligit. Perfectum istud orationis genus est, quo non excluditur aliud ordinis inferioris, de quo Augustinus lib. 1. ad Simplicianum quæst. 2. „ Nonnè aliquando ipsa „ oratio nostra sic tepida est, vel potiùs frigida, & planè nulla; imò interdum ita nulla, ut neque hoc in nobis cum dolore advertamus? Quia si vel hoc dolemus, jam oramus. „ Iste tepor, istud frigus subinde evenit etiam justis, & sanctis, permittente Deo, vel in pœnam defectuum anteriorum, vel ad humilitatis, & patientiæ exercitium, ad magis accendendum amoris ignem, & studium orationis.

Frequentior tamen, & magis proprius accidit tepor ille peccatoribus; tum ob dispositionem animi criminibus depravati, tum ob tenuiora gratiæ præsidia, & quodammodo desertionem, quam eorum meretur iniquitas. Qualecumque tamen istud orationis frigus, etiam in peccatoribus fuerit, *si vel hoc dolent, jam orant*, ipso judice Augustino, in quo quidem dolere aliqua dilectio orationis est, dilectio majoris gratiæ, atque adeò melioris vitæ, & pœnitentiæ; verùm non ea requisita ab adversariis charitas. Ut autem oratio non sit penitùs frustranea, haud necesse est, dilectionem esse istiusmodi, ut justificet, & perfectam contineat pœnitentiam: sufficit conversionem sincero, etsi adhuc inefficaci, gemitu desiderari, atque ideo peti potentiorem ab Excelsi dextera succursum. Quod desiderium, ut patet, licèt pium; nondum tamen in sensu obvio, & à damnati articuli authore, ac defensoribus intento, est charitas.

Cur enim peccator pravâ, ut aliàs notavi, consuetudine, & voluptatum illecebris nimiùm irretitus, & simul aliquâ perculsus æternæ damnationis formidine, non potest invocare Dominum Jesum pro obtinendo victricis gratiæ præsidio, quo contra tentationes fortior, inolitam consuetudinem deinceps superet, verâ donetur pœnitentiâ, ac tandem beatitudinem consequatur. Nihil absoni in hac oratione est; nec tamen in ea clamat spiritus charitatis; sed timoris solùm, & concupiscentiæ sanctæ.

Attamen si in isto conversionis desiderio, quantumvis hactenus inefficaci, aliquem dilectionis; sed tenuissimæ affectum contineri sentias, qualis esse potest in peccatore gravissimis obstricto criminibus, dum exiguam rogatus pro amore Dei eleemosynam facilè largitur, non est cur magnopere repugnem. Verùm immeritò, & contra communissimum Ecclesiæ usum, dilectionis istiusmodi scintillam vocaveris *spiritum charitatis*, in corde hominis *clamantem*: neque isthæc obvia enuntiationis damnata significatio est, neque sensus authoris; *amorem enim* exigit *in cordibus regnantem* art. 45. *omnia agentem propter Deum, quemque Deus remuneratur*, art. 44. nè alias *omnis actio, & volitio mala sit*, & Prop. 45. *cupiditate corrumpatur*. Ineptissima itaque deducitur consecutio, quando ex eo, quod nemo in Spiritu Sancto dicat *Dominus Jesus animo, verbo, facto, corde, ore, opere, nisi qui diligit*, infers, neminem posse invocare Deum, nisi in *spiritu charitatis*, quæ & in sensu obvio, & maximè authoris, est justificans. Non omnis scilicet dicens *Dominus Jesus* in Spiritu Sancto, sive excitante Spiritûs Sancti auxilio, illud dicit etiam *facto*, & *opere*; nam Spiritus Sanctus sæpe velleitates solummodo, & inefficacia à voluntate hominis obtinet vota.

6 Non igitur ex eo, quòd aliquis non possit dicere *Dominus Jesus animo, verbo, facto, corde, ore, opere*, absque Divini spiritûs subsidio, & aliqua dilectione, statim sequitur, frustraneam esse orationem peccatoris nondum charitate præditi, nondum *animo, corde, facto, & opere* exequentis professionem, quam ore declarat, quam animo quoque piè; sed adhuc inefficaciter desiderat, ubi major gratia accesserit, factis, & operibus impleturus.

Contra illos agit Augustinus, ut objectam laciniam immediatè præcedit, qui *voce dicunt, corde autem, & factis negant: sicut de talibus ait* (Scriptura;) *confitentur enim se nosse Deum, factis autem negant. Si negatur factis, procul dubio etiam verbis dicitur fictis*. Tales non sunt, qui, etsi charitatis spiritu adhuc privati; eum tamen precibus petunt; quæ virtualis quædam dilectio est, contenta in proposito servandi mandata, quale ad pœnitentiam etiam attritionis in omnium sententia requiritur. Sed qualiscumque ea dilectio sit, non est *charitatis spiritus in cordibus regnans, omnia agens propter Deum, quemque Deus remuneratur*, ut postulant adversarii, nè omnis sit *frustranea oratio*.

Tales peccatores pro conversionis gratia orantes *magis computandos in numero pœnitentium, quàm peccatorum*, censuit S.Thomas in expositione aurea cap. 9. Joannis lect. 3. Denique Augustinus orationem commendavit, etiam ex motivo concupiscentiæ sanctæ, quæ in secunda virtute Theologica est Sermone 25. ut manifestum est

ex

ex 25. aliàs 19. de diversis: *cùm Christus apparuerit Vita vestra, tunc & vos cum ipso apparebitis in gloria: ecce dies boni, ipsos desideremus: propter hoc vivamus, propter hoc oremus, propter hoc eleemosynas demus.*

7 Ultimum in Constitutionem arietem intorquent Hexapla illud Sancti Bernardi Serm. 2. in Salve Regina: *Clamor est alius oris; alius cordis: clamor oris alta vociferatio: clamor cordis valida, & supplex ad Deum intentionis directio; Deus intus, homo foris: ad eos, qui foris sunt, clamor oris, ad Deum, & qui cum co intus sunt, clamor cordis.*

Quidquid hic à Mellifluo dicitur, à nemine revocatur in dubium. Verùm quàm evidens est, vociferationem oris esse frustraneam, si vocibus animus non responderit, tam est perspicuum, Sancti Patris sententiam damnato non suffragari articulo. Quid ni enim supplex, & valida intentionis ad Deum directio fiat per fidem, suppliciorum formidinem, & spem reconciliationis, atque beatitudinis? De charitatis ad orationem necessitate nullus Mellifluo sermo est. Quapropter non dubito, quin in Bernardi vocibus lector quærat, sed minimè repetiat, quid ansam præbere potuerit objectioni; nè reperit quidem Quesnelli subsidiarius *Collator*; ideo de Bernardo altum siluit, & siluissent *Hexapla*, si Sancti Patris sententiam, eo, quo scripta, & edita est, Latino idiomate referri oportuisset.

Verùm nihil in Patribus adeò à novitatibus remotum est, quod in earum patrocinium pertrahere nequeat Janseniana in versionibus gallicis perfidia. Quod à Bernardo dicitur *Clamor cordis valida, & supplex ad Deum intentionis directio*, Hexapla vertunt *le cri du cœur est un attache sincere à Dieu*, Quasi à Mellifluo scriptum foret: clamor cordis est sincera cum Deo unio, sive *adhæsio*, ad quam charitas necessaria est, non ad validam, & supplicem intentionis directionem; utpote ad quam excitata timore, & spe oratio sufficiat.

Non suo tantùm, & justorum omnium; sed maximè peccatorum nomine sic ibi paulò post Bernardus Divam Virginem alloquitur: *Et nos adhuc filii Evæ transgressores, filii inobedientiæ, filii matris antiquæ ad te clamamus, Regina Misericordiæ*, ut potenti tuo apud Deum patrocinio nobis impetres peccatorum veniam, spiritum charitatis, ubi defuerit; in quibus viget, conservationem perpetuam, & incrementum. Quæ oratio, & justis convenit, & injustis: prioribus utilis ad meritum; posterioribus ad impetrationem ejus, quæ adhuc deest, & requiritur, charitatis. Hic sensus Melliflui est, SS. Thomæ, & Augustini, Summorum Pontificum, Rhemensis Synodi, & Tridentinæ, Scripturarum, atque Ecclesiæ Universæ, nihil habens cum novo dogmate commune.

Quinquagesimaprima Propositio damnata.

Fides justificat, quando operatur; sed ipsa non operatur, nisi per Charitatem. *Obs. Moral. Actor. cap. 10. vers. 43.*

CAPUT I.

Propositio est contraria Scripturis Sacris.

1 ERrores geminos, & minimè leves enuntiatio damnata complectitur: primum, quòd fides justificet, quando, sive quandocumque operatur. Illimitata nempe enuntiatio dogmatica semper æquivalet universali. Alterum, quòd nulla fidei operatio fit, nisi per charitatem, eamque sanctificantem. Sensus hic, & enunciationis obvius est, & intentus ab authore; Scripturis autem Sacris minimè consentaneus. Ex illis omnes theologi, Tridentino præsertim Concilio posteriores colligunt, inter septem Ecclesiæ Sacramenta esse duo *mortuorum*, revocandis ad vitam animæ peccatoribus instituta. Non enim ut cætera, sanctificantem gratiam præsupponunt; sed efficiunt: sunt illa baptismus, & Pœnitentia. De primo habetur Actorum 2. *pœnitentiam..... agite, & baptizetur unusquisque vestrûm.. in remissionem peccatorum.* Cap. 22. *Baptizare; & ablue peccata tua.* Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.*

De pœnitentia est illud Christi dictum Petro apud Matth. cap. 16. *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis; & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cœlis.*

Cap. 18. Omnibus Apostolis, & eorum successoribus, Servator denuntiat: *Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis super terram*

ram, erunt ligata & in cœlo: & quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in cœlo.

Joan: 20. *Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt.* Quæ omnia Ecclesia Dei, columna & firmamentum veritatis sic intelligit, ut peccata, quæ per privatam pœnitentiam remissa non fuerint, Sacramentum baptismatis, & in relapsis sacerdotis absolutio remittat; quæ verò hìc retinenda censuerit, nec apud superos condonentur.

2 At, si Quesnelli audiatur articulus, nunquam vitam animæ restituit adultis peccatoribus baptismus, numquam absolutio Sacerdotis. Hic neque ligare pœnitentium peccata, vel retinere umquam poterit, neque umquam nisi ipsorum prius pœnitentium actibus condonata remittere, quæ magis propriè remissionis antea obtentæ confirmatio est, quàm peccatorum cum Deo reconciliatio; cùm delicta, antequam à Presbyteris remittuntur, neque physicè amplius existant, neque moraliter.

Dixi, Sacerdotem in Quesnelli sententia numquam posse noxas pœnitentium ligare, vel retinere; quia numquam penès hunc theologum potest esse supernaturalis dolor de peccatis, seu pœnitentia adeò debilis, quin universa crimina abstergat, ac deleat. Est enim, ut supponitur, ex fide, ex qua justificationem omnem in adultis ducere originem, satis compertum est. Ex fide autem juxta damnatum articulum profluere nihil potest, nisi comite charitate, & justitiâ, quæ peccatorum omnium remissio est. *Fides justificat, quando operatur; sed ipsa non operatur, nisi per charitatem.* Quo posito, Christus Ecclesiam decepisse videretur, quæ verba sacratissima in sensu longè ampliore, & magis proprio communissimè hactenus intellexit. Hunc nobis Scripturarum sensum testantur non præsentis solùm temporis theologi; sed antiquissimi Patrum, etiam Pontificum, quos dabo cap. sequenti, Tridentinum postea Concilium, & recentiores Sedis Apostolicæ definitiones.

Audiatur interim Bellarminus de Sacramento baptismi lib. 1. cap. 13. *Quòd baptismus verè tollat peccatum. Probatur ex Scripturis baptismo re ipsa tolli omnia peccata. Et quia Scripturarum testimonia plurima sunt, reducam ea ad aliquot capita: primum est eorum, quæ habent vocabula mundandi, lavandi tollendi, delendi, auferendi & similia, quæ in primis pugnant cum modo loquendi adversariorum, ac præsertim Lutheri* de peccatis solummodo non imputandis. Ita scilicet non nisi impropriè, & incongruè à Scriptura hæc vocabula adhiberentur ad significandam sive Baptismatis, sive Sacramenti pœnitentiæ potestatem, si neutrum Sacramentum ullam umquam posset culpam remittere, nisi præviè condonatam.

3 S. Thomas in cap. 5. Ephes. lect. 8. citans illud Isaiæ 53. *Tradidit in mortem animam suam* interrogat: *Sed ad quid? ut illam* (Ecclesiam) *sanctificaret. Hebr. ultimo: Jesus, ut sanctificaret per suum Sanguinem populum &c. Joan. 17. Sanctifica eos in veritate. Iste est effectus mortis Christi; effectus autem sanctificationis est mundatio ejus à maculis peccatorum. Ideo subdit dicens, Mundans eum lavacro aquæ. Quodquidem lavacrum habet virtutem à Passione Christi. Rom. 6. Quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus. Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem. Ezechiel. 36. Effundam super vos aquam &c. Zach. 13. Erit fons patens Domui David &c., & hoc in verbo vitæ, quod adveniens aquæ, dat ei virtutem abluendi.* Quæ verba Angelici, & tot ab eo relati ex sacris paginis textus de virtute abluendi, sanctificandi, & similes, toties in Scripturis adhibiti, viderentur subdolè compositi ad fallendum; si baptismi virtus, ad cujus commonstrandum efficaciam proferuntur, non se extenderet, nisi ad concedendam veniam criminum antea extinctorum. Baptismus autem, ut hominem adultum constituat in statu gratiæ, exigit fidem præviam, eamque operantem; qua scilicet homo credere incipiens, in spem salutis erigitur, & propterea adducitur ad desiderium baptismi, & procurandas sibi dispositiones, suscipiendo utiliter mysterio necessarias. Inter eas est pœnitentia de peccatis, etsi nondum ex charitate per se ad justitiam sufficiente, qui fructus demum præstabitur ablutione. Idem est de Sacramento pœnitentiæ, in quo Sacerdos quidem potestate clavibus annexâ absolutionem impertit peccatoribus, sed præmissâ ab eis fide; non otiosâ; sed plura opera efficiente: nondum tamen necessariò per charitatem justificantem, quæ reconciliatio hominis cum Deo absolutione donabitur.

4 Prolixus hìc, & simul dilucidus occurrit commentarius S. Thomæ in illud Matth. 16. *Quodcumque solveris super terram &c. Sed,* inquit, *videamus, quæ sunt claves. Domus, quando est serata, impedit introitum; clavis verò removet impedimentum. Regnum Cœlorum habebat impedimentum; sed non ex par-*

parte sua; sed impedimentum erat ex parte nostra, scilicet peccatum. Igitur, antequam Petrus, seu ejus in Sacerdotali munere successor potestate clavium absolvendo utitur, clausum peccatori est cœli ostium, ingressum prohibentibus ejus peccatis. Non itaque supponitur præcessisse remissio absolutionem, cùm illa ex absolutione profluxerit. Unde patet, neque *fide* semper, etiam *quando operatur*, conferri justitiam, neque ad operationem fidei necessariam esse *charitatem*; quia & *fides* actu *operans* necessaria ad pœnitentiam dispositio est, & hanc sæpissimè ita imperfectam esse contingit, ut nisi absolutio accesserit, exposita in confessione crimina non aboleantur.

Atque hic est, Angelico interprete, sensus Scripturæ, quòd, sicut obseratam domum ingredi non possumus, nisi usu clavium, ita neque in justitiam, & cœlestem Beatitudinem, criminibus clausam, detur introitus, saltèm communiter, nisi usu clavium re ipsa adhibito: numquam absque ejus, quantum in potestate hominis est, desiderio efficaci. Prosequamur Aquinatis commentarium. *Quare dicit* (Christus) *claves? quia absolvere est removere obstaculum.... Ipsum Cælum apertum est, sed ligatus qui debet introire; oportet, quòd solvatur.... Dico, quòd sic est in Sacramento isto confessionis, sicut in Sacramento Baptismi, quod habet virtutem spiritualem instrumentalem, secundùm quam mundat à culpa*.

Tum sibi Sanctissimus interpres objicit: *Hic facit difficultatem, quòd... in Sacramento Baptismi veniens adultus, si præparat se, recipit remissionem culpæ. Sic in Sacramento pœnitentiæ, ad quod soli adulti accedunt, non est contritus, nisi habeat in proposito, se subjicere discretioni, & judicio Sacerdotis. Si non est contritus, non consequitur effectum, sicut nec in Baptismo*. Quam difficultatem ita Angelicus solvit: *Sed potest accidere, quòd aliquis accedit non totaliter contritus, qui virtute gratiæ collatæ in Sacramento perfectè efficitur contritus. Ideo intelligendum est; quodcumque solveris, id est, si ministerium absolutionis adhibes*.

Quomodo attritus adveniens ad Sacramentum, virtute gratiæ in illo collatæ fiat perfectè contritus, Scholarum explicationi, & disputationibus relinquo: hic mihi ad convictionem damnari articuli sufficit, quòd attritio ad justitiam in Sacramento, sive Baptismatis, sive Pœnitentiæ, accipiendam disponens, fuerit ex gratiæ auxilio, & *fide* illam *operante*: unde tamen peccatorum remissio non sequatur, nisi accedente ministerio Baptismatis, vel absolutionis. A veritate itaque alienum est, quod fides, *quandocumque operatur justificet*; neque *operetur* umquam, *nisi per charitatem*.

Nusquam magis commendat Apostolus hanc virtutem, quàm in prima Epistola ad Corinth. cap. 13. ubi versu 2. dicitur: *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam; charitatem autem non habuero, nihil sum. Fides* hìc *operans* cernitur, separabilis à Charitate, & Justitia. In quem locum ita S. Thomas: *Melius est, ut exponatur omnem, id est, perfectam fidem propter illud, quod subditur, ita ut montes transferam. Dicitur enim Matth. cap. 17. Si habueritis fidem, sicut granum sinapis, dicetis monti huic, transi hinc, & transibit, Matth. 21. Si habueritis fidem, & non hæsitaveritis, non solùm de ficulnea facietis; sed etiamsi monti huic dicetis, tolle, & jacta te in mare, fiet*. Imperium, quo monti dicitur, jacta te in mare, profluit ex *fide*, atque ita *fidei operatio est*; non tamen per charitatem; proinde non justificat.

Prosequitur interpres Angelicus: *Si, inquam, habuero omnia prædicta ad perfectionem intellectûs pertinentia, charitatem autem non habuero, nihil sum, scilicet secundùm esse gratiæ.... De prophetia, & fide manifestum est, quòd sinè charitate haberi possunt; sed notandum est hìc, quòd fides firma etiam sinè charitate miracula facit. Unde Matth. 7. dicentibus: Nonne in nomine tuo prophetavimus, & multas virtutes fecimus, dicitur, numquam novi vos*. Unde etiam rectè Cornelius à Lapide ad illud, quod eodem epistolæ Apostolicæ capite sequitur v. 3. *Si tradidero corpus meum ita, ut ardeam; charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest*, ita verissimè observat: *Si quis se igni tradat ob fidem Christi; simul tamen servando odium proximi, aut voluntatem peccandi mortaliter, quod martyrium est materiale, non formale; tum enim est sinè charitate, & nihil prodest. Ita D. Thomas, Anselmus, Theodoretus*, nemine dissentiente. Est hìc *fides operans* contemptum vitæ; sinè charitate tamen, & justitiâ.

CAPUT II.

Damnata Propositio repugnat traditioni Patrum, etiam antiquorum Pontificum.

1 Tertullianus lib. de pœnitentia: *Hæc*, inquit, *venena providens Deus, clausâ ignoscentiæ januâ, & intinctionis serâ obstructâ, aliquid adhuc permisit patêre: collocavit in vestibulo pœnitentiam secundam, quæ pulsantibus patefaciat*. Similia habet scribens contra Marcionem. Duas scilicet peccatoribus statuit remissionis januas, Sacramenta Baptismi, & Pœnitentiæ. In Quesnelli sententia neque Baptismus adultis, neque Sacerdotis absolutio est janua, quæ pulsantibus aperiatur, ut ingredi in justitiam liceat, & amicitiam cum Deo; sed ante *intinctionem*, ante Sacerdotis judicium semper necessariò per fidem, ut illa primùm cœpit operari, reconciliationis janua patuit, in eamque peccator intrat sanctificatus. Sanctus Cyprianus, vel quisquis author est sermonis de ablutione pedum, qui certè Bellarmini testimonio antiquus est, *per Baptismum*, inquit, *qui sui reverentiâ non patitur iterari, aliud lavacrum procurasti &c.* Juxta Quesnellum antequam in adultis crimina abluantur per Baptismum, vel absolutionem, necesse est, deleri semper primâ fidei operatione; *fides, quando operatur, justificat*. Hanc autem, & quidem operantem præmitti necessariò adultorum Baptismo, & absolutioni, omnibus indubitatum est. S. Ambrosius lib. 1. de Pœnitentia, quærit ex hæreticis: *Cur baptizatis, si per hominem peccata remitti non licet; in Baptismo enim utique remissio peccatorum omnium est: neque interest, utrum per pœnitentiam, an per lavacrum hoc jus sibi datum Sacerdotes sibi vindicent: idem in utroque mysterio est*. Novæ autem Ecclesiæ mysterium est, *numquam per hominem peccata remitti* adultis in Baptismo, neque in Sacramento pœnitentiæ, nisi operatione fidei remissa priùs fuerint.

Julius Papa cap. *si Presbyter 26.* quæst. 6. *Si Presbyter pœnitentiam morientibus denegaverit, reus erit animarum*. Minimè, inquit Quesnellus, quia morientes illi vel fidem habuere operantem, vel ea caruerunt; si habuerint, tunc illa justitiam contulit, & salutem; si autem ea defuerit, Sacerdotis absolutio in omnium sensu fuisset frustranea. Denegante igitur presbytero pœnitentiam morientibus, nulla indè, si Quesnello credimus, oritur animis pernicies.

Cœlestinus cap. illic sequente: *Agnovimus pœnitentiam morientibus denegari: quid hoc, rogo, aliud est, quàm morienti mortem addere?* Quesnellus morituros sinè absolutione facilè consolatur ratione jam tradita. Absolutionis, inquiet, denegatio obesse nequit *fidem* habentibus, *operantem*; illâ carentibus prodesse absolutio non poterit.

2 Innocentius Papa Epist. ad Exuperium Episcopum Tolosanum: *Tribuitur ergo cum pœnitentia extrema communio, ut homines hujusmodi, vel in supremis suis, permittente Salvatore nostro, à perpetuo exitio vindicentur*. Inculcat verò iterum Quesnellus, omnes cum *fide operante* ex hoc seculo decedentes salvari necessariò, quia eâdem fide, utì justitiam consequuntur, ita *à perpetuo vindicantur exitio*. Quid autem sinè hac fide præstare eis absolutio potuisset, nisi damnationis augmentum pro completo sacrilegio confessionis.

S. Augustinus Epistola 180. ad Honoratum: *Si autem ministri desint, quantum exitium sequitur eos, qui de isto seculo vel non regenerati exeunt, vel ligati? Quantus est etiam luctus fidelium suorum, qui eos secum in vita æterna requie non habebunt?* Fidelium istorum, atque ipsius Augustini ignorantiam depellere præsumit novus Doctor, securos omnes esse jubens, quòd, etsi omnes defuerint ministri, sive baptismi, sive pœnitentiæ, nullum propterea exitium secuturum sit, saltèm adultos, qui vel sinè baptismate, vel sinè absolutione ex hac vita decesserint. Quibuscumque enim fons sacer non obtigerit, vel absolutio, si non defuerit *fides operans*, non defuerit etiam regeneratio, & omnium dissolutio vinculorum. Si autem *fide operante* caruerint, frustranea ipsis ad salutem omnis absolutio, & ablutio fuisset. Non enim utraque contritos facit, nisi quos saltèm reperit attritos, quæ dispositio, nisi ex *fide operante* non proficiscitur. Porrò juxta Quesnellum *fides operans* semper *justificat*: quia non nisi per charitatem peccata omnia delentem, potest ulla esse fidei operatio.

Gregorius Magnus lib. 1. Dialog. cap. 12. narrat de S. Severo Pastore, quòd, cùm aliquâ suâ severitate nimiâ, vel fortè negligentiâ ad absolvendum moribundum seriùs adveniens, deprehendisset mortuum, *contremuerit, magnisque vocibus clamare cœperit,*

rit, *se ejus interfectorem*. Neque destitit, donec suis precibus eum revocaverit ad vitam, atque expiaverit pœnitentiâ, aliàs damnandum. Minister Quesnellianus, si noctu, vel alio importuno tempore ad moribundi pauperis absolutionem evocetur, poterit dormire securus, & differre iter in tempus commodius, neque, si interea æger è vita excesserit, multum turbabitur: non contremiscet, non magnis vocibus se ejus interfectorem, ut Sanctus ille, clamabit. Ex mortui amicis miseram ejus sortem deflentibus, ejulantibus, ipse voce pacata sciscitabitur, an defunctus revera confiteri desideraverit, an Christi è cruce pendentis non semel fuerit imaginem osculatus, vel non cum aliquo pietatis sensu pronuntiaverit nomen Jesu? Affirmantibus edicet, ad justificationem à moribundo præstitum satis, etsi mille criminibus obsitus antea fuisset; quæcumque enim de ipso jam exposita sunt, signa fidei essent minimè obscura, & quidem *fidei operantis*; cùm ab ipsa indubiè suggesta, & effecta profluxerint. Minimum autem *opus fidei* ad peccatorum veniam sufficit juxta axioma novis theologis securissimum, & plenum consolatione; *fides, quando operatur, justificat*.

Dixi ad *moribundi pauperis*; potentium enim, quorum favor, & protectio progressibus novæ sectæ necessaria sunt, preces spernere, vel nimiùm differre vota, prudentia non permitteret. Alius pastoribus istis modus facilis expediendi se labore simul, & invidiâ est in urbibus, vel in oppidis, ubi Religiosi Ordines sunt ad charitatis officia semper prompti: ad illos solent remittere pauperes, dum noctibus præcipuè ingruit ægrotantibus periculum. Pergamus in dogmate.

3 S. Hieronymus lib. 1. contra Pelagianos: *Redimatur* (inquit) *Sanguine Salvatoris, aut in domo Baptismatis, aut in Pœnitentia, quæ imitatur Baptismatis gratiam*.

Idem lib. 2. *Quod scriptum est: Et Sanguis Jesu emundat nos ab omni peccato, tam in confessione baptismatis, quàm in clementia pœnitudinis accipiendum est*. Si his non moveantur adversarii, qui ad sanctificationis gratiam sive in Baptismi, sive in Pœnitentiæ Sacramento accipiendam requirunt istiusmodi dispositionem, quæ ante ratione præditi baptismum, & absolutionem se ipsâ justificat, saltèm videbunt non obcæcati novitatibus fideles, traditionem Patrum hodiernis Ecclesiæ dogmatibus, & Clementis XI. contra Quesnellum definitionibus suffragari.

S. Chrysostomus lib. 3. de Sacerdotio: *Corporalem*, inquit, *lepram purgare; severiùs dicam, non purgare quidem, sed purgatos probare, Judæorum Sacerdotibus solis licebat; at verò nostris Sacerdotibus, non corporis lepram; verum animæ sordes non dico purgatas probare, sed purgare prorsus concessum est*. Nova Ecclesia non concedit suis Sacerdotibus sordes animæ, quando sunt, detergere; sed, postquam esse desierint, iteratâ dimittere sententiâ: neque spiritûs lepram curare cupiunt, nisi postquam abcesserit, & extincta sit.

Idem lib. 1. *Neque enim*, inquit, *solùm, cùm nos regenerant; sed etiam postea condonandorum nobis peccatorum potestatem obtinent*, quæ à novatoribus nulla agnoscitur, nisi postquam ipsa reorum credentium *fide operante* fuerint condonata: tunc condonationem confirmare Presbyteri suo judicio poterunt; non autem primam remissionis gratiam impertiri. Iterum S. Augustinus Epist. 180. ad Honoratum: *An non cogitamus, cùm ad istorum periculorum perveniatur extrema, nec est potestas ulla fugiendi, quantus in Ecclesia fieri soleat ab utroque sexu, atque ab omni ætate concursus, aliis baptismum flagitantibus, aliis reconciliationem, aliis etiam pœnitentiæ ipsius actionem, omnibus consolationem, & Sacramentorum confectionem, & erogationem?* Et paulò post: *Si ministri adsint, alii baptizantur, alii reconciliantur, nulli Dominici corporis communione privantur*. Si præceptum secluseris, non apparet tanta ad Sacramenta illa concurrentium necessitas, quandò priùs omnes suâ *fide operante justificantur*. Minùs etiam, quod supra notavimus, potuisset Augustinus in hanc prorumpere exclamationem, juxta Quesnellum ratione vacuam, & veritate: *Si autem ministri desint, quantum exitium sequitur eos, qui de isto seculo, vel non regenerati exeunt, vel ligati!* Exitium satis averteret juxta novos theologos *fides operans*, à qua *justificatio* numquam sejungitur, & sinè qua neque unda baptismatis, neque Sacerdotis absolutio justificationem efficeret, aut quidquam conduceret ad salutem.

4 Victor Uticensis lib. 2. de persecutione Wandalica inducit populum mœstis sermonibus sic prosequentem Presbyteros, cùm hi in exilium pellerentur. „ Quibus „ nos miseros relinquitis, dum pergitis ad „ coronas? Qui hos baptizaturi sunt parvulos fontibus aquæ perennis? Qui nobis „ munus pęnitentię collaturi sunt, & reconciliationis indulgētiâ, obstrictos peccatorum

» rum vinculis soluturi? Quia vobis dictum » est, quæcumque solveritis super ter», ram &c. » Populum facilè consolaretur Quesnellus persuadendo, *fidem justificare, quando operatur*: sinè illa reconciliationem adultorum seu Baptismate, seu pœnitentiæ Sacramento esse impossibilem: parvulis baptizandis in necessitate sufficere cujuscumque ætatis, & sexûs laicum. Verùm tunc nondum Quesnelli novitas *de fide justificante* emerserat, neque hanc tolerasset fidelium à Sanctis Episcopis, & Doctoribus meliùs instituta pietas. Recentiorum Patrum, & Scholasticorum contra novitatem referendis textibus non immoror; quia istos præter Bernardum nobis faciliùs largientur adversarii: de Mellifluo vide in objectionibus.

Non est prætermittendum, quod Socrates lib. 4. Histor. cap. 23. refert de Novatiano, sive, ut vocat, Novato, ad omnes eum scripsisse Ecclesias, ut, qui simulacris gentilium immolassent, ad sacra non admitterentur mysteria; sed stimularentur ad pœnitentiam; remissionem autem permitterent Deo, cui certa condonandorum criminum est authoritas. Idem de hæretico illo colligitur ex Cypriano lib. 2. epist. 4. & ex Ambrosio lib. 1. de Pœnitentia cap. 2. S. Hieronymus de Montanistis in epistola ad Marcellum: *Illi*, inquit, *ad omne penè delictum Ecclesiæ obserant fores: nos quotidie legimus, malo pœnitentiam peccatoris, quàm mortem*.

Novatianis similes sunt Quesnelliani in eo, quòd nullam agnoscant in Ecclesia potestatem remittendi delicta, nisi priùs à Deo fuerint condonata, posterioribus Novatianis in eo magìs rigidi, quòd illi à majorum crudelitate aliquid remittentes, teste Ambrosio, peccata saltèm non enormia remittenda susciperent; Quesnelliani nulla. Ita S. Doctor lib. 1. de Pœnitentia cap. 2. *Ajunt se, exceptis gravioribus criminibus, relaxare veniam levioribus: non hoc quidem author vestri erroris Novatianus ait, qui nemini pœnitentiam dandam putavit*. Et Paulò post: *In eo igitur Patrem vestrum propriâ damnatis sententiâ, qui distinctionem peccatorum facitis, quæ solvenda à vobis putetis, & quæ sinè remedio esse arbitremini*.

Novatianis aliquid de rigore remittentibus durior est Quesnellianorum secta, quòd pœnas solùm noverit imponere; nullum verò seu grave, seu levius delictum pœnitentibus condonare, nisi quod suis ipsi charitatis actibus ante extinxerint. *Fides* enim *operans* ante absolutionem in omnium sententia requiritur; sed juxta damnatum articulum nunquam ei conceditur operatio, nisi concurrerit charitas, quam necessariò sanctitas comitatur. Quid igitur penès novos Theologos agit absolutio, nisi reconciliationem privatis pœnitentis actibus obtentam, & jam pacificè possessam, Ministri Ecclesiastici judicio confirmare?

CAPUT III.

Propositioni damnatæ opposita est doctrina Concilii Tridentini.

1 Synodus Occumenica contra Lutheri potissimùm, & Calvini hæreses Tridenti celebrata, sess. 6. cap. 6. ita statuit de præparationis modo in peccatoribus ad justificationem per Baptismum: » Disponuntur autem (inquit) ad ipsam » justitiam, dum excitati Divinâ gratiâ, & » adjuti, fidem ex auditu concipientes, li» berè moventur in Deum, credentes vera » esse, quæ divinitus revelata, & promissa » sunt, atque illud inprimis, à Deo justifi» cari impium per gratiam ejus, per redem» ptionem, quæ est in Christo Jesu; &, dum » peccatores se esse intelligentes, à Divinæ » justitiæ timore, quo utiliter concutiun» tur, ad considerandam Dei misericor» diam se convertendo, in spem eriguntur, » fidentes Deum sibi propter Christum » propitium fore, illumque tamquam om» nis justitiæ fontem diligere incipiunt: ac » propterea moventur adversùs peccata » per odium aliquod, & detestationem, hoc » est, per eam pœnitentiam, quam ante Ba» ptismum agere oportet. Denique propo» nunt suscipere baptismum, inchoare no» vam vitam, & servare Divina mandata. » Tunc, citatis aliquot Scripturarum textibus, quibus doctrina posita stabilitur, statim subjungitur initio capitis proximi: *hanc dispositionem, seu præparationem justificatio ipsa consequitur*.

Quàm prolixa actuum series hìc describitur, ac tandem Baptismi susceptio, ut peccatores ad Dei primùm amicitiam admittantur. Recentissimi autem novæ Ecclesiæ Apostoli tot rescissis ambagibus, solius retinent necessitatem fidei operantis; sed ita, ut ea operatio non sit sinè *charitate*. Unde necessariò subvertitur justificationis ordo à Concilio descriptus; imò manifestè redditur impossibilis; præmittit enim Synodus tot actiones, quæ peccatoris animum præparent, ut » Deum tamquam omnis justitiæ fontem » diligere incipiat, ac propterea movea» tur

„ tur adversùs peccata per odium aliquod, „ & detestationem, hoc est, per eam pœnitentiam, quam ante Baptismum agere oportet. Denique proponit suscipere Baptismum, inchoare novam vitam, & servare Divina mandata: atque hanc, tandem dispositionem, seu præparationem „ justificatio ipsa consequitur. „

Dici juxta Quesnellum oportuit, quòd omnes illi actus præter dilectionem Dei, obtentam justitiam sequantur; saltèm minimè præveniant. Quòd enim in justificationis ordine fides sit prima, ab omnibus intelligitur, juxta illud sess. 6. cap. 8. *Fides est humanæ salutis initium, fundamentum, & radix omnis justificationis*. Cæteræ itaque dispositiones, seu actus profluere debent ex fide. Nihil autem prorsus operis juxta damnatum articulum ex fide provenit, nisi per charitatem. Timor igitur, spes, & actus reliqui ex fide per charitatem juxta articulum progeniti, debent utrâque esse posteriores, atque ita posteriores justificatione, ad quam juxta Concilium tantummodo *dispositio* sunt, seu *præparatio*.

2 Mirabitur Lector Theologus, quomodo contra tam claram Synodi Oecumenicæ doctrinam, & totius sensum Ecclesiæ, Quesnellus peccatores quoslibet à fide per charitatem, nullo actu medio timoris, spei, alteriusve virtutis, ad justitiam promoveat.

Sed mirabitur magis, ac detestabitur Novatoris perfidiam, si consideraverit, quomodo sub specie commendandæ peccatoribus charitatis, omne penitùs tum fidei, tum charitatis in eis studium extinguat; eis scilicet novitate suâ author est, ut omnem penitùs salutis, & cujuscumque boni operis curam abjiciant. Quod ut pateat, non difficili opus est ratiocinio; sed ipsius solùm relatione simplici doctrinæ à CLEMENTE XI. condemnatæ. Juxta art. 27. *Fides est prima gratia, & fons omnium aliarum*: art. 28. *Prima gratia, quam Deus concedit peccatori, est peccatorum remissio*.

Ad primam gratiam nemo se disponere potest, ut contra Semipelagianos Catholicis omnibus, etiam Quesnello certissimum est: quomodo igitur se peccator quispiam præsumat oratione, aut cujuscumque boni operis exercitio ad impetrandam peccatorum remissionem, quæ prima gratia est, disponere? Eadem ratio necesse est in ipso impediat omne liberum fidei studium, seu præparationem, conatumque ad credendum. Vel enim conatus ille ordinis naturalis est; vel naturæ viribus superior. Naturalis esse nequit ad gratiam, aut fidem dispositio; supernaturalis autem, qui ex gratia est, cogitari nequit præparatio ad fidem, quando ipsa *fides est prima gratia*. Cùm itaque fides, & peccatorum remissio sit prima penès Quesnellum gratia, quæ peccatori conceditur; nec tamen nisi per charitatem fiat justificatio, necesse est, charitatem & esse primam gratiam, & simul unam cum fide constituere actionem.

3 Hinc quilibet intelligit, cur dicatur art. 49. *Ut nullum peccatum est sinè amore nostri, ita nullum est opus bonum sinè amore Dei*. Hinc fides Divina, & supernaturalis, quæ necessariò actus bonus est, non potest *esse sinè amore Dei*, quia, cùm prima gratia sit fides, & simul peccatorum remissio, quæ sinè charitate non est, liquet, fidem illam esse à charitate nullatenus separabilem, atque in unam cum ea confluere actionem.

Art. 50. *Frustra clamamus ad Deum, Pater mi, si spiritus charitatis non est ille, qui clamat*. Si spiritus charitatis non clamet, non clamat etiam spiritus fidei, spiritus gratiæ, quorum uno deficiente, deficiunt necessariò cæteri, ab invicem non separabiles, neque distincti, si Quesnello credimus, unde & art. 52. *Omnia alia salutis media continentur in fide, tamquam in suo germine, & semine; sed hæc fides non est absque amore, & fiducia*. Mirum non est, fidem illam non posse sinè amore consistere, si eadem cum illo sit, & uterque prima gratia. Cùm dicitur fides ista sinè fiducia esse non posse, necesse est, etiam hanc esse primam gratiam; cur enim aliàs fides, quæ prima gratia est, nequeat esse sinè secunda? Erraverit igitur juxta Quesnellum Apostolus dicens: *Fides, spes, charitas, tria hæc; major autem horum est charitas*; si non tres virtutes theologicæ ab invicem distinctæ sint; sed una sola pluribus æquivalens.

4 Non ita S. Thomas 2. 2. quæst. 22. art. 1. arg. *Sed contra* ait: „ Tria commendat Apostolus dicens: manent autem „ fides, spes, charitas, tria hæc; major „ autem horum est charitas: etsi in charitate concluduntur duo illa præcepta; major tamen dicta est esse, non sola; de fide „ enim nobis quàm multa mandata sunt, „ quàm multa de spe. „

2. 2. quæst. 23. art. 4. „; Nullum generale connumeratur speciali; sed charitas „ connumeratur singularibus virtutibus; „ scilicet spei, & fidei: prima ad Corinth. „ cap. 13.... Ergo charitas est specialis „ virtus. „

1. 2. quæst. 62. art. 4. „ Oportet, quòd „ ordi-

„ ordine generationis fides præcedat spem, „ & charitatem. „

Quæst. 65. art. 4. „ Fides, & spes sinè „ charitate possunt quidem aliqualiter esse; „ perfectæ autem virtutis rationem sinè „ charitate non habent. „

Denique hinc facilè conspicimus, cur in damnato articulo 54. Quesnellus dicat: *Totum deest peccatori, quando ei deest spes; & non est spes in Deo, ubi non est amor Dei*. Ubi scilicet amor defuerit, non potest esse fides, neque gratia, cùm prima gratia fides sit, charitas, & peccatorum remissio. *Nec Deus est, nec religio, ubi non est charitas* art. 58. Quia, si charitas à fide non distinguitur, uti neque gratia, satis apparet, cur sinè charitate fides nulla sit, ac proinde neque Deus, neque religio. Sic error articuli 51. ingentem trahit seriem aliorum.

Pergamus modò Tridentinæ Synodi doctrinam, & anathemata novo dogmati opponere. Sess. 6. can. 9. dicitur: „ Si quis „ dixerit sola fide impium justificari, ita ut „ intelligat, nihil aliud requiri, quod ad ju„ stificationis gratiam consequendam coo„ peretur, & nulla ex parte necesse esse, „ eum suæ voluntatis motu præparari, at„ que disponi, anathema sit. „ Sola fide, si à charitate fuerit distincta, justificari impius videtur in Quesnelli sententia, in qua juxta art. 27. *Fides est prima gratia*: & 28. *prima gratia, quam Deus concedit peccatori, est peccatorum remissio*. Cujus utriusque articuli non potest cogitari significatio planior, quàm primam gratiam, & fidem esse veniam peccatorum. At quandoquidem generationis ordine non posterior, sed prior fides charitate esse debeat, fides prima peccatum erit juxta articulos complures, in quibus omnis actio ex charitate non profluens peccatum est; inter illos est 44. „ Non sunt nisi duo amores, unde voli„ tiones, & actiones omnes nostræ nascun„ tur: amor Dei, qui omnia agit propter „ Deum, quemque Deus remuneratur; & „ amor, quo nos ipsos, ac mundum diligi„ mus, qui quod ad Deum referendum est, „ non refert, & propter hoc ipsum fit ma„ lus: „ Mala proinde omnis actio etiam fides, à perverso principio imperata; sed tunc non poterit fides esse prima gratia, neque conferre justitiam, quoties operatur.

Quare, nè manifestus nimiùm in Novatorum Principe appareat verborum, ac dogmatum conflictus, dicendum necessariò est, fidem Divinam, & dilectionem constituere actum unicum: sic facilè capietur, cur dicat art. 51. *Fides justificat, quando operatur; sed ipsa non operatur, nisi per charitatem*: & cur simul afferat art. 27. *Fides est prima gratia*: & art. 28. *Prima gratia, quam Deus concedit peccatori, est peccatorum remissio*, quia nempe, ut fides est prima gratia, ita etiam fides est charitas; ut autem constat, charitatem remittere peccata, non mirum est fidei, & primæ gratiæ eamdem tribui potestatem. Atque ita quidem se expedire videbitur Quesnellus anathemate lato contra eos, qui dixerint *sola fide impios justificari*; cùm fides Divina in novo systemate numquam sola sit; sed eadem cum charitate.

Non sic tamen elabitur; nam præterquam quòd fidei, & charitatis in unum actum cum prima gratia conjunctio aliis Tridentinæ Synodi canonibus, & veritati Catholicæ non consentiat, ut tamen falsissimum hic ejus suppositum dissimulem, in eo adhuc *nulla ex parte necesse erit ad justificationis gratiam consequendam, hominem suæ voluntatis motu præparari, atque disponi*; quod ad effugiendum anathema requiritur. Quemadmodum scilicet nemo se ad primam gratiam disponit, ac præparat, ita neque ad fidem, charitatem, & justificationem, dum in Quesnelli sententia eum prima gratia confunduntur.

Inspiciantur modò cæteri ejusdem Synodi canones: sess. 6. se offert tertius: *Si quis dixerit sinè præveniente Spiritûs Sancti inspiratione, atque ejus adjutorio hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, anathema sit*. Si *fides sit prima gratia*, art. 27. & *nullæ dentur gratiæ, nisi per fidem*, art. 26. requiri ad fidem nequit *præveniens Spiritûs Sancti inspiratio*; & quidem ad credendum sicut oportet, ut justificationis gratia infundatur. Quia fides, quæ prima gratia est in hoc systemate, est ipsa peccatoris sanctificatio: *Prima gratia, quam Deus concedit peccatori, est peccatorum remissio*, art. 28. Succedit ejusdem sessionis can. 4. *Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum nihil cooperari assentiendo Deo excitanti, atque vocanti, quo ad obtinendam justificationis gratiam se disponat, ac præparet, neque posse dissentire si velit; sed velut inanime quoddam nihil omnino agere, merèque passivè se habere, anathema sit*.

Quemadmodum non dependet à libero hominis arbitrio, primam habere gratiam, vel non habere, ita neque fidem accipere, & justificationem, si fides sit *prima gratia*, & *prima gratia, quam Deus concedit peccatori, sit peccatorum remissio*. Gratiæ ad fidem excitanti, & vocanti in Quesnelli sententia non

non poteſt liberum arbitrium diſſentire ſi velit; quomodo enim diſſentiet, ſeu impediet nè fides cliciatur, ſi excitatio, & vocario, quæ indubiè gratia eſt, ſit ipſa fides; cùm *fides ſit prima gratia*? Utque ad infuſionem primæ gratiæ non ſe diſponit, aut præparat liberum arbitrium, ita neque ad fidem, ſi hæc prima gratia eſt. Cooperaturnè etiam liberum arbitrium, ſive voluntas liberè infuſioni primæ gratiæ? Omnes Theologi aſſerunt, eam infundi nobis ſinè nobis liberè cooperantibus.

Non alio ſenſu, ni fallar, Calvinus aſſeruit, nos in aſſenſu fidei, & omnibus actibus ad ſanctitatem, vel ſanctificationem pertinentibus habere nos, velut inanime quoddam, merè paſſivè, nihil agendo, videlicet liberè. Non ſolùm in Queſnelli principiis non poteſt arbitrium hominis productionem fidei ſuſpendere; ſed neque impedire, nè fides in ipſa ſua origine opereтur; cùm, per art. 10. omnis *gratia*, atque adeò fides, quæ juxta Quæſnellum prima gratia eſt, ſit *operatio manûs Omnipotentis Dei, quam nihil impedire poteſt, aut retardare*.

6 Eadem articuli 51. damnata opinio ſubruit ejuſdem Concilii doctrinam, & canones plures de pœnitentiæ Sacramento. Seſſ. 14. cap. 4. dicitur „ Contritio, quæ „ primum locum inter dictos pœnitentis „ actus habet, animi dolor, ac deteſtatio „ eſt de peccato commiſſo, cum propoſito „ non peccandi de cætero. Fuit autem „ quovis tempore ad imperrandam veniam „ peccarorum hìc contritionis motus ne„ ceſſarius; & in homine poſt Baptiſmum „ lapſo ita demum præparat ad remiſſio„ nem peccatorum, ſi cum fiducia Divinæ „ miſericordiæ, & voto præſtandi reliqua „ conjunctus ſit, quæ ad rite ſuſcipiendum „ hoc Sacramentum requiruntur. „

Si fides juſtificat, quando operatur, non potuit contritionis motus omni tempore ad imperrandam peccatorum veniam eſſe neceſſarius. Vel enim fides pro habitu accipitur, vel pro actu: ſi pro habitu, hoc ipſo in memorata hypotheſi conferet juſtitiam, dum reducetur ad actum fidei, atque ita, ut juſtificet, non erit, cur expectetur contritio. Si appellatione *fidei* actum intelligis, remiſſio concedirur peccatorum primo actui ſive timoris, ſive ſpei, qui ex fide in Tridentini ſententia proceſſerit ante contritionem, ſeu pœnitentiam: multò magis antequam Sacramentum, ſive Baptiſmi, ſive pœnitentiæ ſuſcipiarur.

„ Declarat igitur ſancta Synodus, hanc „ contritionem non ſolùm ceſſationem „ à peccato, & vitæ novæ propoſitum, „ & inchoationem; ſed vereris etiam „ odium continere, juxta illud: Projicite à vobis omnes iniquitates veſtras, „ in quibus prævaricati eſtis, & facite vo„ bis cor novum, & ſpiritum novum. Et „ certè, qui illos clamores Sanctorum con„ ſideraverit, Tibi ſoli peccavi, & malum „ coram te feci: Laboravi in gemitu meo: „ lavabo per ſingulas noctes lectum meum: „ Recogitabo tibi omnes annos meos, in „ amaritudine animæ meæ, & alios hujus „ generis, facilè intelliget, eos ex vehe„ menti anteactæ vitæ odio, & ingenti pec„ catorum deteſtatione manaſſe. „ Hæc omnia, ut ſuppono, Queſnellus admittere poterit tamquam utilia ad expiationem criminum ampliorem; non tamen velut neceſſaria ad juſtificationem peccatoris. Siquidem primus fidei actus, ſeu operatio, etiam ante contritionem, & Baptiſmi, vel pœnitentiæ Sacramentum, ad ablutionem quorumcumque ſcelerum ſufficiat; quia *fides, quando operatur, juſtificat*; cùm ſit *prima* apud Queſnellum *gratia*; hæc autem cùm peccatori concediтur, eſt ipſa peccatorum remiſſio, atque adeò charitas.

Pergunt Tridentini Patres. „ Docet „ prærerea (Concilium) etſi contritionem „ hanc aliquando charitate perfectam eſſe „ contingat, hominemque Deo reconci„ liare, priuſquam hoc Sacramentum actu „ ſuſcipiatur; ipſam nihilominus reconci„ liationem ipſi contritioni, ſinè Sacramen„ ti voto, quod in illa includitur, non eſſe „ adſcribendam. Illam verò contritionem „ imperfectam, quæ attritio dicitur, quo„ niam vel ex turpitudinis peccati conſide„ ratione, vel ex gehennæ, & pœnarum „ metu communiter concipitur, ſi volunta„ tem peccandi excludat cum ſpe veniæ, „ declarat donum Dei eſſe, & Spiritûs San„ cti impulſum, non adhuc quidem inhabi„ tantis, ſed tantum moventis, quo pœni„ tens adjutus viam ſibi ad juſtitiam parat; „ &, quamvis ſinè Sacramento pœnitentiæ „ per ſe ad juſtificationem perducere pec„ catorem nequeat; tamen eum ad Dei gra„ tiam in Sacramento pœnitentiæ impe„ trandum diſponit. „

Juxta Queſnellum fallitur Tridentinum, dum contritionem ex fide progenitam tantùm aliquando eſſe charitate perfectam autumat, hominemque Deo reconciliare; ubicumque enim fides operans reperitur, quod in omni ſupernaturali contritione locum habet, conſpicitur penès Queſnellum peccatorum remiſſio, *Fides juſtificat, quando operatur*,

ratur; sed ipsa non operatur, nisi per charitatem. Semper itaque, & non tantùm *aliquando*, contritio est charitate perfecta; omnis autem eliminatur attritio, quæ tantùm disponere peccatorem valeat ad justificationis gratiam, & remissionem criminum in Sacramento pœnitentiæ accipiendam. Præterea, cùm omnis vera contritio ex gratia sit, & *prima gratia, quam Deus concedit peccatori, sit peccatorum remissio*, Art. 28., quandonam poterit esse contritio supernaturalis imperfecta, sive attritio non justificans?

Sequitur nunc ejusdem 14. sessionis caput 6. de absolutione: „ Non debet pœnitens adeò sibi de sua ipsius fide blandiri, ut, etiamsi nulla ei adsit contritio, aut Sacerdoti animus seriò agendi, & verè absolvendi desit; putet tamen, se propter suam solam fidem verè, & coram Deo esse absolutum; nec enim fides sinè pœnitentia remissionem ullam peccatorum præstaret: nec is esset, nisi salutis suæ negligentissimus, qui Sacerdotem joco se absolventem cognosceret, & non alium seriò agentem sedulò requireret. „ In adversariorum autem supposito minimè apparet, cur *esset salutis suæ negligentissimus, qui Sacerdotem joco se absolventem cognosceret, & non alium seriò agentem requireret*; vel enim aliqua concepta ex fide operante contritio ei adest, & ex illa justificationis gratiam tenet, quam Sacerdotis jocus, & ludicra absolutio non evertit: vel omni prorsus supernaturali pœnitentiâ caret, & tunc quidem justitiâ donatus non est, Sacerdote absque absolvendi animo verba ridiculè proferente; sed & seriò agentis absolutio irrita fuisset propter defectum dispositionis debitæ in peccatore, sinè ullo operantis fidei, & pietatis motu sua crimina confitente.

7 Denique eadem Quesnelli novitas Tridentinis de pœnitentia canonibus minimè consentit. Primus sess. 14. est: „ Si quis dixerit, in Catholica Ecclesia pœnitentiam non esse verè, & propriè Sacramentum pro fidelibus, quoties post Baptismum in peccata labuntur, ipsi Deo reconciliandis à Christo Domino nostro institutum, anathema sit. „

Can. 3. „ Si quis dixerit, verba illa Domini Salvatoris: Accipite Spiritum Sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt, non esse intelligenda de potestate remittendi, & retinendi peccata in Sacramento pœnitentiæ, sicut Ecclesia ab initio semper intellexit .... anathema sit. „

Can. 9. „ Si quis dixerit, absolutionem sacramentalem Sacerdotis non esse actum judicialem; sed nudum ministerium pronunciandi, & declarandi remissa esse peccata confitenti, modò tantùm credat, se esse absolutum: aut (si) Sacerdos non seriò, sed joco absolvat ..... anathema sit. „

Prætereo quod canone 2. doceatur, *Sacramentum pœnitentiæ rectè appellari secundam post naufragium tabulam*. Quis enim hìc intelligat secundam post naufragium tabulam salvandis ab interitu, & reconciliandis Deo peccatoribus, quoties post Baptismum lapsi fuerint, à Christo Domino institutum; si *fides*, quæ prævia ad Sacramentum, & necessaria dispositio est, *justificet quando*, id est quoties *operatur*?

Didicimus scilicet ex sess. 6. cap. 6. de justificatione, & priùs ex Apostolo epist. ad Hebræos cap. 11. *Accedentem ad Deum oportet credere, quia est, & quòd inquirentibus se remunerator sit*. Hæc fides, quæ ad peccatoris adulti justificationem requiritur cum Dei auxilio, suadet intellectui, amplectendum esse bonum, quod præmio Deus remunerabitur; fugiendum vitium, quod gravissimo puniet supplicio; suadet proinde, ut Deus criminibus offensus, pœnitentiâ placetur. Quæ quidem fidei monitio utilis, & necessaria ad pœnitentiam de peccatis præteritis concipiendam dispositio est; nondum tamen ipsa est, ut patet, pœnitentia. Habetur itaque *fides operans* ante pœnitentiam, maximè verò antequam Sacramentum à peccatoribus suscipiatur, quæ si juxta Quesnelli articulum semper justificet, valde impropriè Sacramentum pœnitentiæ secunda appellatur post naufragium tabula, utpote quæ numquam in naufragio fluctuantibus, sed solùm ab interitu liberatis, & in littore tutò considentibus serviat: numquam scilicet Sacramentum reconciliabit Numini peccatores, sed sanctificatos, concessamque veniam iteratâ confirmabit sententiâ. Sive igitur Sacerdos joco absolverit, sive seriò; sive absolvendi voluntas, & forsitan potestas legitima ei defuerit, sola *fides operans*, in nova Ecclesia contulit sanctitatem. Superest, ut qui adeò inauditam, & mirabilem fidem, tamque exoticam invehunt justificationem, novam etiam comminiscantur in suâ aliàs *Noortstrandiâ* beatitudinem.

CA-

CAPUT IV.

Quefnelli Propofitio convenit cum pluribus pridem à Sede Apoftolica condemnatis.

1 Alexander VIII. inter articulos 31. profcripfit hunc 15. *Attritio, quæ gehennæ, & pœnarum metu concipitur finè dilectione benevolentiæ Dei propter fe, non eft bonus motus, ac fupernaturalis.* Huic articulo fubfcribere cogitur Quefnellus; fi enim attritio illa bonus motus fit, ac fupernaturalis, indubiè nafcitur ex fide, atque ita corruit novum dogma, quo ftatuitur *fidem non operari, nifi per charitatem.* Hic nempe fidei confpicitur operatio, & tamen abeft charitas. Unde apertiffimum eft, fidem hic ex charitate, five per charitatem minimè operari; eft enim attritio *finè dilectione benevolentiæ Dei propter fe.*

Articulus ibidem damnatus fuit 14. *Timor gehennæ non eft fupernaturalis.* Oppofitum itaque Ecclefia credit. Si verò timor ille fupernaturalis eft, ex fide nafcitur; nemo autem Theologus dixerit, timorem gehennæ neceffariò procedere ex charitate; cùm illa potiùs ad charitatem ftimulet peccatores, utpote finè qua, neque obtineri juftitiam viderint, neque inferorum fupplicia evitari.

Art. 10. ab eodem Pontifice damnatus eft: *Intentio, qua quis deteftatur malum, & profequitur bonum, merè ut cæleftem obtineat gloriam, non eft recta, nec Deo placens.* Si intentio illa, ut ex articuli condemnatione inferendum eft, fit recta, ac placens Deo; perfpicuum redditur, quòd fit ex fide: hujus itaque operatio eft: Unde falfitatis convincitur Propofitio afferens, *fidem non operari, nifi per charitatem.* Deteftari enim malum, & profequi bonum, merè ut cœleftis obtineatur gloria, effectus fidei, ut patet, & fpei; non charitatis eft.

2 Art. 12. eodem diplomate proftratus fic habet: *Quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor, deficit etiam fides: & etiamfi videantur credere, non eft fides Divina, fed humana.* Inflictum errori anathema exigit, ut afferamus, in magnis peccatoribus, etfi amor Dei defecerit, non propterea exulem fieri, aut extingui fidem; fed hanc poffe etiam in actus prorumpere fibi proprios. Poteft itaque fides operari, & operatur reipfa in iftiufmodi peccatoribus abfque charitate. Dum autem finè hac, faltèm extra Sacramentum, non obtingit fanctificatio, liquet, non juftificari hominem, quotiefcumque aliqua fidei operatio eft. Verùm Antonius Arnaldus, Quefnelli Doctor contubernalis octogenarius, ut rebellem Sedi Apoftolicæ, ac fuo Principi vitam fchifmatico fine claudere videretur, typis edidit *nonam partem difficultatum propofitarum Steyartio*, feu potiùs oppofitarum Pontifici: ubi poft multa fupremæ Cathedræ profciffa contumeliis decreta, quidquid effœto corpori fupererat bilis, effudit in illam Alexandri VIII. fententiam, qua triginta & unus articuli configuntur. Quando ad duodecimum pervenit pag. 203. *Effe*, inquit, *in hoc Decreto obfcuritates impenetrabiles, vel ex hoc compertum exemplo eft: Quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor, deficit etiam fides; & etiamfi videantur credere, non eft fides Divina, fed humana.* Pagina autem 206. ait: *Damnare non potes hanc Propofitionem duodecimam, nifi condemnando te ipfum, Sanctum Thomam, & cæteros paffim Theologos.* Damnationi tamen Lovanienfis ille Doctor, & Sylvæducenfis Diœcefis Vicarius Apoftolicus ultro fubfcripfit, neque Thomifta ullus maculari hìc doctrinam Angelici fufpicatus eft: nec denique ullus contra hujus articuli cenfuram auditus extra malignantium Janfeniftarum Ecclefiam conqueri.

Pro Magiftro autem mortuo refpondere, & exponere nobis poterit Quefnellus, qua ratione Arnaldus eundem articulum, quem pagina 203. deprehenderat *obfcuritatibus laborare impenetrabilibus*, pag. 206. perneget ullâ poffe percuti cenfurâ, nifi Sancti Thomæ, & omnium paffim Theologorum fententia feriatur. Intolerabilis temeritas eft, tribuere Angelico, & cæteris paffim Theologis doctrinam plufquam cymmeriis obfitam tenebris, &, ubi voces diverfiffimæ funt, confidenter adftruere fignificationis confenfum, dum fimul fenfûs ignorantiam fateris, propter *obfcuritates impenetrabiles.* Verùm, quidquid Arnaldus, & Quefnellus ad obediendum intelligere nolunt, facilè capiunt ad calumniandum. Contumeliis Quefnelli contra totum illud Pontificis Decretum plenus eft ejus liber, quem vocat *Epiftolam Abbatis ad quemdam Romanæ Curiæ Prælatum.*

3 Non prætereundi hìc funt 3. articuli de abfolutione, & præmittendâ ei longi temporis pœnitentiâ, quos tradiderat Arnaldus in libro de frequenti communione; fed Alexander VIII. Scholis Catholicis, & Ecclefiæ interdixit. 16. inter 31. eft „ Ordinem

„ dinem præmittendi satisfactionem absolutioni induxit non politia, aut institutio Ecclesiæ; sed ipsa Christi lex, & præscriptio, naturâ rei id ipsum quodammodo dictante. „

Art. 17. „ Per illam praxim mox absolvendi ordo pœnitentiæ est inversus. „

Art. 18. „ Consuetudo moderna, quoad administrationem Sacramenti pœnitentiæ, etiamsi eam plurimorum hominum sustentet authoritas, & multi temporis diuturnitas confirmet, nihilominus ab Ecclesia non habetur pro usu; sed abusu. „

Triplex hæc novitas profluere videtur ex errore, quem CLEMENTIS XI. extirpat Constitutio, *fides, quando operatur, justificat; sed non operatur, nisi per charitatem*. Constat scilicet, nullam ad obtinendum absolutionis beneficium posse esse dispositionem utilem, nisi quæ fidei sit operatio. Si igitur nulla talis operatio foret, nisi per charitatem se ipsa justificantem, quæ non solet à peccatoribus passim, nisi labore multo, oratione, ac variis pœnitentiæ exercitiis comparari, videretur diutius differenda absolutio, quàm usus ferat hodiernus Ecclesiæ.

Verùm benignissimus Servator, misertus infirmitatis humanæ, remedium instituit Sacramentum pœnitentiæ, in quo Sacerdotis absolutio suppleret, quod attritis confitentibus deesset sufficientis ad justitiam dispositionis. Sed exotici novæ sectæ Apostoli hanc Christi misericordiam non agnoscentes, in eundem ordinem hic redigere volunt Ecclesiam cum Synagoga; ut, quemadmodum ista caruit reconciliationis Sacramento, eo quoque destituatur Ecclesia: qui error novatoribus causa est, cur impositas olim pœnas canonicas tam graves, & diuturnas necessitati tribuant consequendæ justificationis ante absolutionem, non aliis rationibus, quæ à Scholasticis deducuntur. Quæ, inquiunt Novatores, præsumptio Peccatorum est, reconciliari velle offenso Numini, antequam satisfecerint! Istud naturæ lumini adversatur. Unde satis apparet, illâ mox absolvendi consuetudine ordinem pœnitentiæ inverti; cùm ordo postulet satisfactionem præviam reconciliationi.

4 Hoc supposito, quis neget „ Consuetudinem modernam, quoad administrationemSacramenti pœnitentiæ,etiamsi eam plurimorum hominum sustentet authoritas, & multi temporis diuturnitas confirmat, nihilominus ab Ecclesia non haberi pro usu, sed abusu. „ Verùm ut Rigidiorum hypothesis falsissima est, quale censeri poterit totum, quod istiusmodi fundamento superstruitur ædificium? Ad justitiæ rigorem, non ad clementiæ benignitatem reducere illi volunt reconciliandi hominis rationem, etiam in Christiano fœdere, in quod Servatorem novimus misericordiæ suæ munera, & quasi viscera cum suo sanguine effudisse: ubi instituto clementissimæ reconciliationis Sacramento, Sacerdotibus contulit potestatem, ut peccata confitentibus condonarent, reciperentque Dei nomine in gratiam attritos, quos aliàs æternis suppliciis justitia decerneret condemnandos.

Rigidis itaque Novatoribus ad Synagogam remissis, nos Christi Ecclesiam sequamur, & verba sacratissima de remittendis, & retinendis peccatis intelligere pergamus sensu proprio, & obvio, ut Patrum ad nos Traditio derivavit, & tenet præsens Ecclesia, columna immobilis, & magistra securissima veritatis.

5 Quærere etiam istud nobis ex adversariis liceat, quem fructum, quem usum penès illos habeant omnia, quæ justificationi præmitti cupiunt pœnitentiæ opera? Vel enim illa ex fide proveniunt,& tunc primum opus, vel minimum, restituit sanctitatem, in nova hypothesi, *fides justificat, quando operatur*: vel, si aliunde nata opera fuerint, nequeunt esse ex gratia, quia per Propos. 27. *Fides est prima gratia, & fons omnium aliarum*: & meliùs ex Tridentino sess. 6. cap. 8. discimus, *Fidem esse humanæ salutis initium, fundamentum, & radicem omnis justificationis*. Quæcumque igitur fidem, & gratiam præcedunt exercitia, quomodocumque corpus affligant, ac spiritum, nequeunt esse ad reconciliationem præparatio. Sed & *prima gratia, quam Deus concedit peccatori, est peccatorum remissio*; si Quesnello credimus, Propos. 28. unde merus ludus, & simulatæ pietatis ostentatio est, quando Prop. 87. dicitur „ Modus plenus sapientiâ, lumine, & charitate est, dare animabus tempus portandi cum humilitate, & sentiendi statum peccati; petendi spiritum pœnitentiæ, & contritionis, & incipiendi ad minus satisfacere justitiæ Dei, antequam reconcilientur. „ Quomodo præmittenda sunt tot opera à peccatoribus, antequam reconcilientur, si primum, quod ex fide est, imò si prima gratia reconciliatio sit? Ut nihil boni operis præparat ad primam gratiam, ita nihil, juxta Quesnellum, ad reconciliationem, quæ prima gratia est, disponere poterit.

Sunt itaque istiusmodi pseudo-Theologi veri

veri hypocritæ, & illusores, dum pœnitentiæ spiritum fingentes, omne pœnitentiæ, omne pietatis studium abolitum eunt, ut ipsi à vera pœnitentia, & charitate sunt alienissimi, qui tantis Ecclesiam turbinibus exagitant, hæreticorum fovent pertinaciam, simplicium Catholicorum fidem dejiciunt, sibique credulos à communi abstractos Ecclesiæ ovili, ipsi latentes sub ovina pelle, quin & pastorum nomine veri lupi rapiunt, æternoque mactant interitu.

CAPUT V.

Frustrà confugiunt Adversarii ad SS. Scripturas.

1 Apostolus in Epist. ad Galat. cap. 5. *Nos autem*, inquit, *spiritu ex fide, spem justitiæ expectamus*; *nam in Christo Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium; sed fides, quæ per charitatem operatur*. Justitia indubiè expectanda, & speranda est ex fide non informi; sed ea, quæ per dilectionem operatur, ut rectè observat Angelicus in hunc locum; non enim fides sola, & dilectionis expers hominem sanctificat; sed per virtutum Principem charitatem. Quis tamen sapiens indè colligat, fidem informem nihil operari posse, quo ad charitatem sive cominus, sive eminus præparemur? Adversùs collectionem tam stolidam reclamant ipsæ Scripturæ toto à me capite primo allegatæ; reclamant Traditio Patrum, Tridentina Synodus, & Definitiones Pontificum exhibitæ cap. 2. 3. & 4.

Prorsus ridiculi novatores sunt, qui homines per fidem ad charitatem, nullis mediis actibus, quales sunt timoris, ac spei, provehi necessariò volunt, contra communem fidelium experientiam, & omnium sensum, contra descriptum nobis usitatissimum Divinæ providentiæ in convertendis peccatoribus ordinem Trid. Sess. 6. cap. 6. & sess. 14. cap. 4. Similes nempe adversarii sunt insanienti Domino, qui famulum juberet in supremum montis apicem, non transito medio, evolare; aut vellet sufficere servo gradum scalarum ultimum ascendisse, vetito per gradus medios ascensu. Ita fides terminum, qui charitas & justitia est, ostendit; sed non exigua superest via, ut ad eam peccator deveniat. Prudens Dominus sanitatem cupiens famuli, non prohibebit medicamina. *Timor medicamentum est*, *charitas sanitas*, inquit Augustinus Tract. 9. in Epist. Joannis, unde rectissimè S. Doctor concludit: *Opus est ergo, ut intret timor primò, per quem veniat charitas*.

Aliud igitur est; fidem per dilectionem operari; aliud, operari per eam solummodo, & absque ullo medio. Primum dicit Apostolus; posterius est figmentum detestabile Novatoris, ut, excusso omni timore, sublatâ omni spe, charitatis, & justitiæ infundendæ cura soli relinquatur Numini: *Prima gratia, quam concedit Deus peccatori, est peccatorum remissio* Prop. 28. *Fides est prima gratia* Prop. 27. *Fides justificat quando operatur; sed ipsa non operatur, nisi per charitatem* Prop. 51. Quis ex tribus his Quesnelli enunciationibus non concludat, primam gratiam, quam Deus concedit peccatori, esse fidem, charitatem, justificationem, sive remissionem criminum? Itaque, cùm nullum posse esse studium, nullus utilis labor, aut conatus ad primam gratiam, ita neque ad fidem, charitatem, aut veniam peccatorum. Quid verò tali hypothesi cogitari potest ad omnem salutis, aut reconciliationis curam abjiciendam accommodatius?

2 Succurens Hexaplis *Collator* addidit illud Epistolæ ad Romanos cap. 3. v. 28. *Arbitramur, justificari hominem per fidem*. Apostolus ait: *arbitramur .... justificari hominem per fidem sinè operibus legis*: ultimum rescindendum callidè censuit Collator, nè sensus Apostoli innotesceret excludentis non opera ex fide profluentia, qualia sunt timor Dei, & æternæ damnationis, Spes Divini auxilii, veniæ, cœlestis præmii, & beatitudinis per Christum Mediatorem, & Salvatorem omnium hominum obtinendæ. Voluit hic Paulus excludere inanem gloriam Judæorum se præferentium conversis gentibus, quasi legis suæ Mosaicæ operibus justitiam sibi comparassent: contra quos sic Apostolus: *Ubi est gloriatio tua*, o Judæe? *exclusa est. Per quam legem? Factorum? Non; sed per legem Fidei; arbitramur enim &c.* ut supra.

Audiatur Angelici commentarius. „ Postquam Apostolus ostendit, quòd Judæi non præcedunt gentiles, neque quantum ad statum justitiæ, hic concludit conclusionem intentam, excludendo scilicet eorum gloriam, qua gentibus se præferebant. Quia autem Judæorum gloriatio erat in lege, ideo oportere videbatur, quòd per aliquid ejusdem generis, id est, per aliquam legem eorum gloriatio excluderetur: & ideo interrogando quærens suddit, per quam, scilicet legem, est eorum gloriatio exclusa? *Factorum?* & respondet, quòd non; *sed per legem Fidei.* „ le-

„ Legem factorum dicit legem exteriùs
„ propositam, & descriptam, per quam ex-
„ teriora facta hominum ordinantur, dum
„ præcipitur, quid fieri debeat. Legem au-
„ tem fidei vocat legem interiùs descri-
„ ptam, per quam non solum exteriora
„ facta, sed etiam ipsi motus cordium dis-
„ ponuntur, inter quos primus est motus
„ fidei; „ Sed non unicus, ut illi soli justificatio tribuatur, exclusis actibus fidem intet, & charitatem mediis, quos ex Tridentino retuli cap.3.

Actus illos à justificationis causa videtur excludere Quesnellus, non solùm cùm ait in præsenti articulo: *Fides justificat, quando operatur*, sed etiam art.27. *Fides est prima gratia*, & art.28. *Prima gratia, quam Deus concedit peccatori, est peccatorum remissio*. Duplex addita conditio, quòd fides debeat operari, & non operetur, nisi per charitatem, videtur conditionis requisitæ & ordinem, & naturam non excedere, juxta quem non conditioni propriè; sed alteri totus tribuatur effectus; soli nempe fidei tota justificatio, ut tota superiùs tribuitur primæ gratiæ; ita ut ipsa per se *peccatorum* sit *remissio*, quæ prima gratia statuitur fides.

Sic Lutherani præter fidem requirunt etiam opera, non tamen ut justificandi virtutem continentia, sed ut signa. Imò de pœnitentia velut necessariâ prorsus ad justificationem loquuntur præcipui Lutheranæ Sectæ proceres Martinus Kemnitius, & Philippus Melanchton. Ita Prior in Examine Concilii Tridentini Parte 2. pag.901. *Est & hoc extra controversiam apud nos, neminem posse Deo reconciliari, & remissionem peccatorum consequi, nisi agat pœnitentiam*. Et paulò inferiùs: *Sic territis, & contritis Deus gratiam, & remissionem peccatorum per ministerium Evangelii offert, & proponit*. pag.957. *Necessaria est contritio, non autem meritum*.

Similia habet Melanchton in *Locis* titulo de contritione; etiamsi Lutherus art. suo 11. docuerit, „ si Sacerdotis absolutionem ob-
„ tinueris, crede fortiter te absolutum, &
„ absolutus eris, quidquid sit de contri-
„ tione.

Hic obiter noto, eundem Apostoli textum ex Epistola ad Rom. ab adversario objectum, etiam à Luthero catholicis oppositum fuisse. non truncando, ut mutilat hic adversarius; sed liberiùs addendo *solam*; ubi Apostolus dicit *arbitramur justificari hominem per fidem*, Lutherus per *solam fidem*. Impudentior verò jungitur additionis ratio Tom.4. operum edit. Germ. Lutheri anno, quo prodiit, 1551. fol.475. ubi suos monet, quid respondere debeant additionem reprehendentibus: „ Doctor Martinus Luthe-
„ rus vult sic habere, & dicit Papistam, &
„ asinum rem esse unam. Sic volo, sic ju-
„ beo, stat pro ratione voluntas. Nolumus
„ enim Papistarum Scholares esse, sed judi-
„ ces. Lutherus ita vult, & ait se Docto-
„ rem super omnes Doctores totius Papa-
„ tûs. „ Quæ verba an hominis sobrii sint judicet lector, etiam acatholicus.

Ad Quesnellum autem, & similes adversarios quod attinet, fidem Divinam, & supernaturalem à charitate, ut aliàs monui, statuunt inseparabilem, adeò ut nè distinctio quidem admittatur. Hoc nititur principio quod ajunt, *Fidem non operari, nisi per charitatem*, & *fidem justificare quando*, seu quoties *operatur*. Item quòd *Prima gratia quam Deus concedit peccatori sit peccatorum remissio*, atque ea gratia sit fides. Dicitur *fides operans*, nè justificatio tribuatur habitui otioso, qui in adultis non videtur agnosci à novis Theologis. Inter Articulos à Defuncto Mechliniensi Archiepiscopo Sedi Apostolicæ denuntiatos, anno 1692. est hic part.8. art.3., in Namurcensi Seminario à Quesnelli Sectatore Discipulis dictatus „ Negamus, in adultis dari habitus
„ otiosos sive bonos, sive malos; sive su-
„ pernaturales, sive naturales: & quod ge-
„ neratim dictum est de habitibus, specia-
„ liùs obtinet in illis habitibus, quorum
„ actus est amor.

CAPUT VI.

In Augustino frustrà asylum quærunt adversarii.

1 Objicitur Augustinus Sermone 53. in Matth. cap.10. sic enuntians *Illa ergo fides mundat cor, quæ per dilectionem operatur*. Sed quid istud ad eximendum errore articulum, quo asseritur, & fidem justificare quoties operatur, & operari numquam, nisi per dilectionem? Argumenti vitium quod apud adversarios frequentissimum detexi tomo 1. in propositionibus de gratia, hic recurrit; ex asserto scilicet particulari illata generalis conclusio, quod dialectici inter absurdissima ratiocinationis propudia rejiciunt, *à termino non distributo procedere ad distributum*. Quid enim ineptius, quàm ex eo, quòd aliqua fides, nempe illa, quæ per dilectionem operatur, sive quòd tunc, quando per dilectio-

nem

nem operatur, justificet, inferre & quòd omnis fides, quoties operatur, justificet, & quòd nulla operetur umquam nisi per dilectionem, sive ut damnatus ait articulus, *per charitatem*?

In tota virtutum, etiam moralium multitudine, nulla est, quæ non justificet, sive juxta Augustini sententiam non mundet cor, quando per dilectionem operatur: ut dicere æquè ac de fide liceat: Illa misericordia, illa castitas, illa sobrietas, illa fortitudo, illa prudentia *mundat cor, quæ per dilectionem operatur*; ideone sanæ mentis theologus inferat, omnes, & singulos actùs moraliter bonos *mundare cor*, sive ad peccatoris justificationem sufficere?

Stolida istiusmodi sophismata fallendæ imperitissimæ plebi existimentur idonea; sed ab illis adhiberi, qui supra Apostolicam Sedem, & omnes ei adhærentes catholicos sapere volunt, nemo satis mirabitur. At talibus semper contra veritatem catholicam armis opus est hæresi, cui contra Christi Ecclesiam suppetias ferre vera numquam ratio poterit. Ut autem adversarius, qui in exiguæ brevitate laciniæ latebras errori speraverat, totius Augustinianæ sententiæ luce convincatur, audiat ipsius S. Antistitis contextum integrum. „ Fide (inquit) mundans corda eorum. Sed qua fide? Quali fide, nisi quam definit Apostolus, ubi ait: Fides, quæ per dilectionem operatur? Ista fides est, quæ discernit à fide Dæmonum, discernit ab hominum flagitiosis, ac perditis moribus. Fides (inquit;) quæ fides? Quæ per dilectionem operatur, sperat quod Deus pollicetur. Comes est ergo Fidei Spes; necessaria quippe Spes est, quamdiu videmus quod credimus, nè forte non videndo, & desperando deficiamus.. Adest ergo Spes, & est comes Fidei. Deinde, & Charitas, qua desideramus, qua pertingere conamur, qua inardescimus, qua esurimus, & sitimus. Adhibeatur ergo & hæc, & erit Fides, Spes, & Charitas.

Hactenus Augustinus, qui ut errori viam præcluderet, nè, cùm dicuntur *fide mundari corda* hominum, quis intelligeret de fide qualibet, solicitè monet accipiendum de fide speciali. *Fide (inquit) mundans corda hominum: sed qua fide? quali fide? nisi quam definit Apostolus Paulus, ubi ait, fides quæ per dilectionem operatur*. Quod iterata mox interrogatio, & responsio amplius inculcat. Sic Augustinus docet, sic explicat Apostolum, ut, quod ad perfectiorem fidem ab utroque restringitur, non possit sinè manifesta perfidia ad fidem quamlibet, etiam bonam à Novatoribus extendi.

Dixi *ad quamlibet fidem bonam*: nam fidem Dæmonum sinè dilectione esse adversarii quoque nobis insultando agnoscunt.

2 Ut autem fides Christianorum, etiam informis, & charitatis expers à calumnia vindicetur, qua à novatoribus solet quasi eadem cum fide Dæmonum appellari: sufficiunt discrimina à Doctore Angelico tradita 2.2. Quæst.5.art.2. „ Ad primum dicendum, quòd Dæmonum fides est quodammodo coacta ex signorum evidentia: & ideo non pertinet ad laudem voluntatis ipsorum, quòd credunt. Ad secundum dicendum, quòd fides, quæ est donum gratiæ, inclinat hominem ad credendum secundùm aliquem affectum boni; etiamsi sit informis: unde fides, quæ est in Dæmonibus, non est donum gratiæ; sed magis coguntur ad credendum ex perspicacitate naturalis intellectûs. Ad tertium dicendum, quòd hoc ipsum Dæmonibus displicet, quòd signa fidei sint tam evidentia, ut per ea credere compellantur, & ideo in nullo malitia eorum minuitur per hoc, quòd credunt. „ In hominibus autem, qui charitatis, non fidei naufragium passi sunt, fides libera est, & ex affectu ad bonum fidei proprium imperata à voluntate ex dono gratiæ: unde supernaturalis est.

Quæst.6. art.1. *utrum Fides informis sit donum Dei*, concludit Angelicus affirmando: & in argumento *sed contra* refert *glossam* ad 1. Cor.11. dicentem, quòd *Fides, quæ est sinè charitate, est donum Dei*. Nota autem quæ in margine est, ait, glossam esse *ex Augustino sumptam in sermone de miraculo quinque panum; sed implicitè tantùm, non expressè*. Cùm autem ipse Jansenius summam Angelici agnoscat esse fidele Augustini compendium, sive *Augustinum contractum*, non possunt adversarii nostri inter Jansenianos præcipui debitam fidei, etiam charitate destitutæ bonitatem omnem, operationemque detrahere.

Denique quod in Augustini sententia citatur ex act.15. ubi Petrus de Spiritu Sancto dicit *fide purificans corda eorum*, explicat S. Thomas 2. 2. quæst.7. art.2. *Impura (inquit) redditur (creatura) ex hoc, quòd temporalibus se subjicit per amorem, à qua quidem impuritate purificatur per contrarium motum; dum scilicet tendit in id, quod est supra se, scilicet in Deum: in quo quidem motu primum principium est fides; accedentem enim ad*

Deum

Deum oportet credere, ut dicitur Hebr. 11. *& ideo primum principium purificationis cordis est fides, qua purificatur impuritas erroris: quæ si perficiatur per charitatem formatam, perfectam purificationem causat.* Loco *charitatem formatam* nota marginis suggerit legendum meliùs *fidem charitate formatam*. Prosequitur S. Thomas „ Ad secundum dicendum „ quòd fides, etiam informis excludit quamdam impuritatem sibi oppositam, scilicet „ impuritatem erroris, quæ contingit ex „ hoc, quòd intellectus humanus inordinatè inhæret rebus se inferioribus, dum „ scilicet vult secundùm rationes rerum „ sensibilium metiri divina; sed quando „ per charitatem formatur, tunc nullam impuritatem secum compatitur.

Fides itaque etiam informis, & sinè Dei dilectione benevolâ, potissimùm super omnia, & justificante, quam adversarii velut ad operandum necessariam requirunt, operatur in peccatoribus bonum aliquod, & purificationem imperfectam, oppositam impuritati erroris. Parte 3. quæst. 85. art. 5. *utrum principium pœnitentiæ sit ex timore* S. Doctor recensens ordinem motuum, & operationum ad pœnitentiam concurrentium, ait: *Quorum actuum primum principium est Dei operatio convertentis cor*, sive auxilium gratiæ ad conversionem excitans, & per sequentes actus efficiens. „ Secundus actus est motus fidei, tertius est motus timoris servilis, quo quis timore „ suppliciorum à peccatis retrahitur. Quartus actus est motus spei, quo quis sub „ spe veniæ consequendæ assumit propositum emendandi. Quintus actus est motus charitatis, quo alicui peccatum displicet secundùm se ipsum, & non jam propter supplicia. „ Ubi plures prodeunt operationes fidei ante charitatem; nam timor servilis, & spes ex fide sunt; non enim aliàs forent idoneæ ad charitatem, & justificantem pœnitentiam dispositiones.

Ibidem in nota marginis ab Eruditissimo Patre Nicolai Dominicano additur: „ Huc pertinere potest quod Augustinus „ tractatu 9. in Epistolam 1. Joannis ait: „ cœpit aliquis credere diem judicii: si cœpit credere, cœpit & timere. Timendo „ corrigit se: vigilat adversùs hostes suos, „ id est, peccata sua: incipit reviviscere interiùs &c. „ Hic fides judicii operatur ejus timorem, propositum melioris vitæ, ac dein sufficientem restituendæ vitæ pœnitentiam. Prima itaque fidei operatio neque per charitatem est, neque justificat, tum penès Augustinum, tum penès Angelicum ejus discipulum, & fidelissimum interpretem.

3 Instant Hexapla illo Augustini in psalmum. 67. num. 41. „ Sinè bonorum operum meritis per fidem justificatur impius „ ..... ut deinde ipsa fides per dilectionem incipiat operari. Ea quippe sola „ bona dicenda sunt, quæ fiunt per dilectionem. „ Sententiam Augustini juverit reddere aliquantò pleniorem. „ Hæc „ autem necesse est, ut antecedat fides, ut „ indè ista, non ab istis incipiat illa; quoniam nullus operatur per dilectionem „ Dei, nisi priùs credat in Deum. „ Hinc primùm convincitur Quesnelli articulus 44. „ Non sunt nisi duo amores, unde volitiones, & actiones omnes nostræ nascuntur: „ Amor Dei, qui omnia agit propter Deum, „ quemque Deus remuneratur: & amor, „ quo nos ipsos, ac mundum diligimus, qui „ quod ad Deum referendum est non refert, & propter hoc ipsum fit malus. „ Si enim, ut ait Augustinus, & ratio dictat, priùs sit credere in Deum, quàm ipsum diligere sicut oportet, ut bona per dilectionem opera oriantur; non igitur volitio fidem imperans, neque ipsa fides, quæ actio quædam est, ex amore Dei nascitur: neque tamen sinè blasphemia de malitia accusabitur; cùm sit à Spiritu Sancto per cœlestis gratiæ auxilium.

Quòd *Sinè bonorum operum meritis per fidem justificetur impius*, nemo catholicus est, qui non fateatur contra Pelagium; quia justificatio impii fit per gratiam, quam nullum meritum præcedere potest, neque impius quidpiam ad veram justitiam, & vitam æternam pertinens promereri. Quòd infusâ sanctificationis gratiâ, fides incipiat per dilectionem operari, verissimum pariter est.

In primis de dilectionis habitu influente in bona justificatorum opera, quæ ope gratiæ exercentur, loquitur S. Franciscus Salesius Suffragatorem Angelicum citans lib. 12. de charitate cap. 2. ad illud Pauli, *Omnia in gloriam Dei facite. Quæ verba Apostoli, ut dicit Doctor Angelicus, sunt in sufficienti usu, & praxi, quando possidemus habitum sanctissimæ charitatis, per quam licèt non habeamus expressam, & activam intentionem faciendi quidquid facimus propter Deum; habemus tamen implicitè contentam in unione, & communione, quam cum Deo habemus, per quam omne bonum, quod facere possumus, unà nobiscum dedicatum est Divinæ bonitati.* Quod declarat exemplo familiarissimo filii familias, qui omnia acquirit Patri, etiam de

Pa-

Patre non cogitans: *Sic & satis est*, prosequitur Sanctus, *nos esse filios Dei per dilectionem* (ut nempe jam explicuit *per habitum sanctissimæ charitatis*) *ut quidquid agimus, integrè destinatum sit ejus gloriæ*.

Præcipuam vim ponit adversarius in eo, quod majoribus exprimit characteribus: *ea quippe sola bona dicenda sunt, quæ fiunt per dilectionem*. Quam verò illic dilectionem nominat Augustinus? Quæ nempe justificatione impii infunditur, estque ipse jam ex Salesio relatus habitus charitatis, qui, ut ait Hipponensium Antistes, ideo conceditur, ut per eum *fides incipiat operari*. Non posse *dilectionem* illic accipi pro actu, perspicuum est, nè aliàs incongruus, & Augustino minimè dignus sensus ejus vocibus tribuatur. Qualis enim sensus fuisset: finè bonorum operum meritis per fidem, quæ per dilectionem operatur, justificatur impius, ut deinde ipsa fides per dilectionem operari incipiat: sive priùs debet diligere, ut postea diligere incipiat? Qua hallucinatione quid cogitari potest à Doctoris maximi sapientiâ magis alienum? Non enim absque fide, & ortâ indè dilectione, juxta doctrinam Ecclesiæ, fit justificatio: atque ita fides per dilectionis actum justitiam operatur.

Vide nunc sensum minimè cohærentem, si in Augustini sententia dilectio ponatur pro actu: tunc nempe per fidei, & dilectionis actum peccator justificabitur, ut justificatus, actu *diligere incipiat*, qui priùs, ut patet, actu dilexerat. Per dilectionem autem intelligendo habitum, Augustinianæ sententiæ dignitas salvatur, & catholica veritas. Tunc scilicet nullis suis meritis justificari impius dicitur per dilectionis actum, qui ad justificationis formam proxima dispositio est, ut per ejusdem postea virtutis habitum *operari incipiat*, quæ sola propriissimè bona sunt æternæ beatitudinis digna præmio, juxta illud Augustini: *Ea quippe sola bona opera*, veræ justitiæ, & vitæ æternæ meritoria *dicenda sunt, quæ fiunt per* Divinæ habitum *dilectionis*.

4 Eadem significatio dilectionis, & bonorum operum est in eo, quod opponitur ex sermone 156. de verbis Apostoli num. 5. *Fides bene operari non potest, nisi per dilectionem. Ipsa est enim fidelium fides, nè sit Dæmonum fides; quia & Dæmones credunt, & contremiscunt. Illa est ergo laudabilis fides, ipsa est vera gratiæ fides, quæ per dilectionem operatur*. Ubi dilectionis nomine habitum potiùs infusum, quàm actum elicitum intelligi confirmant quæ sequuntur, sed callidè reticent adversarii. „ Ut autem habeamus „ dilectionem, & ex ea possimus habere „ bonam operationem, numquid eam nobis dare non possumus; cùm scriptum sit: „ charitas Dei diffusa est in cordibus nostris &c. „ Quod hic *Scriptum* Augustinus memorat, legitur in Pauli Epistola ad Romanos cap. 5. & Tridentinum Concilium Sess. 6. cap. 7. de habitu interpretatur dicens: *Per Spiritum Sanctum charitas Dei diffunditur in cordibus eorum, qui justificantur, atque ipsis inhæret*, quod habitui permanenti convenit, non actui transeunti. Ultra tamen ea justitiæ opera, sunt & alia inferioris ordinis, nihil prorsus habentia charitatis; bonitatis tamen elogio ab ipso decorata Augustino, ut contra superiores de charitate articulos exemplis clarissimis, & nulli illusionum caligini obnoxiis à me sæpius ostensum est. In vita siquidem infidelium, & *impiorum aliqua bona opera* agnoscit Doctor Sanctissimus. Lib. de spiritu, & lit. cap. 26. neque tantum officio, sive ex objecto, & specie bona; sed etiam *quæ, si discutiatur, quo fine fiant, justitiæ debitam laudem, defensionemque mereantur*.

Epist. 130. in Paganis, & infidelibus prædicat quædam opera veluti *Dei dona*. Epistola 5. ad Marcellinum *voluntates bonas*, lib. 1. de gratia Christi cap. 24. *finè vera religione virtutes*, lib. 5. de civitate Dei cap. 10. *Justitiam, & actus strenuos* Romanorum, *quibus à Deo promeruerunt imperium*. Epist. 99. *ut excepto Dei cultu, in quo erraverunt non solùm civibus, verùm, & hostibus imitandi meritò proponantur*; cùm tamen istæ neque charitatis, neque fidei operationes fuerint, neque ad veram justitiam, & beatitudinem ullatenus attinentes.

Ex eodem Doctore maximo proferenda quædam exempla sunt, in quibus & fidei operatio est, & tamen non per dilectionem, neque se ipsa justificans. Homil. 42. ex 50. cap. 8. *Si peccatum non times, time quò perducit peccatum*.

Tract. 41. in Joan:, post medium: *Noli timere pœnam; sed ama justitiam: nondum potes amare justitiam, time vel pœnam, ut pervenias ad amandam justitiam*. Qui timor etsi dilectionis expers, est tamen necessariò ex fide; alioqui nō disponeret ad *amandam justitiam*.

Epistola 50. *Sicut meliores sunt, quos dirigit amor, ita plures sunt, quos corrigit timor*: corrigit itaque aliquos timor, quos non dirigit amor. Non corrigeret autem timor peccatores, si ex fide non esset, supposito juxta Tridentinum Concilium Sess. 6. cap. 8. quòd *fides sit humanæ salutis initium, fundamentum, & radix omnis justificationis*.

Tract.9. in Epist. 1. Joan. ante medium: *Timor quasi locum preparat charitati; sicut videmus per setam introduci linum, quando aliquid suitur: seta priùs intrat; sed nisi exeat, non succedit linum: sic timor, & charitas*. Eadem similitudine utitur S. Bernardus Sermone 4. de timore Dei, ut capite proximo referetur.

Aug. Ibidem: *Opus est ergo, ut intret timor primò, per quem veniat charitas: timor medicamentum; charitas sanitas*.

De Verbis Apostoli Sermone 13. *Timor servus est, charitas libera est; &, ut sic dicam, timor est servus charitatis. Nè possideat diabolus cor tuum, præcedat servus in corde tuo, & servet Dominæ venturæ locum; fac vel timore pœnæ, si nondum potes amore justitiæ*.

De Conjugiis adulterinis lib.2. cap.13. circa finem. *Timore saltèm frænetur concupiscentia; si amore non eligitur continentia*.

Lib. de catechizandis rudibus cap. 5. sub initium: *De ipsa severitate Dei, qua corda mortalium saluberrimo terrore quatiuntur, charitas ædificanda est*. Conspicimus ubique fidei opera laude digna per timorem exercita ante dilectionem.

Procul igitur abest Hipponensium Antistes à sustinendis geminis erroribus, Quesnelli articulo propinatis, quòd *fides justificet, quando operatur*; & quòd *non operetur, nisi per charitatem*: utrique errori infestissima sunt quæ de timore charitatem præcedente, atque ad eum disponente produximus. Timor hic ex fide nascitur, & per timorem fides operatur, non per charitatem, ut patet, cùm ad eam solummodo futuram animum præparet peccatoris. Quòd autem ea præparatio nondum justificet, omnibus indubitatum est.

5 Unde facilis nascitur explicatio ejus, quod à *Collatore* objicitur in Psalmum 30. *Si fides sinè dilectione fit, sinè opere erit*; sinè opere scilicet, non qualicumque, sed justificationis. Nam timorem ex fide progenitum, & prævium charitati, ideo neque ex charitate operantem, neque justificantem se ipso, vel mediâ charitate, utpote nondum exortâ, frequenter in Augustino legimus: *Si tamen fides sinè dilectione fit, sinè opere erit*, videlicet justitiæ, sinè opere justificante, sinè opere capace meriti; *si dilectionis* tum actus excluditur, tum habitus. Qualia autem pro Doctrina Ecclesiæ ex Augustino protuli, plurima in ipso alibi, & cæteris Patribus, atque sanctissimis Scholæ Principibus obvia sunt.

Gemina adhuc addamus ex Augustino testimonia. Epist. 145. novæ editionis num. 3. *Lex itaque docendo, & jubendo quod sinè gratia impleri non potest, homini demonstrat suam infirmitatem, ut quærat demonstrata infirmitas Salvatorem; à quo sanata voluntas possit, quod infirma non possit. Lex igitur adducit ad fidem, fides impetrat spiritum largiorem*, (Beda legit largitorem) *diffundit Spiritus charitatem*. Epist. 506. *Hanc fidem volumus habeant, quâ charitatem impetrent*. Utrobique iterum fides operatur ante charitatem, quam demum agendo, & orando impetrat.

Solis itaque digna hæreticis temeritas apparet, & impudentia, Doctorem Sanctitate, Scientiâ, Sapientiâ præstantissimum, in erroris adeò exotici, & apud catholicos passim hactenus inauditi, vocare patrocinium. Sed & ubi pro constantissimo, atque definito Ecclesiæ dogmate exempla in Scripturis, Patribus, Concilio œcumenico conspicua adeò sunt, & convincentia, ut nullus tergiversationibus locus sit, frustraneus novaturientium labor est in conquirendis quibusdam locis obscurioribus, è quibus nulla formari objectio umquam poterit utcumque probabilis contra veritatem in luce positam meridianâ, firmatamque principiis, quæ à nullo sanæ mentis theologo in dubium valeant revocari. Sic non terruêre Ecclesiam collecta ab Ario testimonia, quibus videretur minor patre filius enuntiari: &, ut mittamus vetera, nihil profuit Luthero, aut Calvino reperta subinde mystica Eucharistiæ veluti panis, & vini appellatio, sicut & attributa fidei justificatio. Ita neque hujus temporis novatoribus Semi-Calvinianis, Jansenistis inquam, suppetias ferre censendus est Augustinus, sicubi in virtutis excellentissimæ commendationem figuræ forsitan Rhetorices indulsisse paululum visus fuerit. Si verò istiusmodi locutiones in rigore semper accipiantur strictissimo, neque ad notam alibi ejusdem authoris sententiam reducantur, neque Patres, neque ipsos Sacros codices à dogmatum inter se pugnâ, & falsitate facilè vindicabis.

6 In turpe ratiocinii vitium rursus incidit *Collator*, vibrans in nos illud Augustini Expos. Epistolæ ad Galatas initio, *Non aufert peccata, nisi gratia fidei, quæ per dilectionem operatur*. Ostendendum incubuit adversario, quòd gratia fidei semper auferat peccata, quando operatur, & quòd non operetur nisi per charitatem, quæ sunt novitates ambæ in Ecclesia hactenus inauditæ, & ab Augustini, ut amplè demonstratum

tum dedimus, sententiâ alienissimæ. Jam autem rudibus imponens *Collator* Augustinum exhibet asserentem, non obtingere peccatori justificationem, nisi per dilectionem, sive non nisi *fide per dilectionem operante*. Sed in istiusmodi effato, quid, amabo, est, unde inferatur Quesnelli conclusio? Ex eo, quòd fides non sanctificet, nisi per dilectionem operetur, non sequitur, quòd nulla fides sit, nisi quæ per dilectionem operatur; neque ulla fides operetur umquam, nisi per dilectionem, eamque justificantem.

7 Non minùs frivolum est, quod Hexapla intorquent ex Epistola 120. num. 8. *Pia fides sinè spe, & charitate esse non vult. Sic igitur homo fidelis debet credere, quod nondum videt, ut visionem & speret, & amet.* Sinè dubio pia fides sinè spe, & charitate esse non vult, quia ipsa dictat homini sperandam Dei visionem, & amandam, ad quam sinè charitate non perveniet. Fidei quoque finis est charitas. Verùm, sicut Dei gratia non vult esse sinè effectu, ad quem excitat, quique gratiæ finis est, & tamen, obsistente hominis seu infirmitate, seu malitiâ, non semper consequitur effectum, neque finem; ita neque pia fides, cui, homine ad charitatis exercitium non concurrente, sufficere subinde debet, salutarem elicuisse formidinem, ut animadvertentem locis pluribus ipsum jam vidimus Augustinum.

CAPUT VII.

Hexaplorum in citando S. Bernardo perfidia, & temerarius ad Tridentinum Concilium recursus.

1 SAnctus Bernardus Serm. 24. in Cantica *Vides*, inquit, *quòd non faciat hominem rectum fides etiam recta, quæ non operatur ex dilectione .... Sed nec opera, quamvis recta, rectum cor efficere sufficiunt, sinè fide; quis enim rectum dicat hominem non placentem Deo? Sinè fide autem impossibile est placere Deo. Qui non placet Deo, non potest illi placere Deus; nam cui placet Deus, Deo displicere non potest. Porrò cui non placet Deus, nec sponsa ejus. Quomodo ergo rectus, qui nec Deum diligit, nec Ecclesiam Dei, cui dicitur, Recti diligunt te? Si ergo nec fides sinè operibus, nec opera sinè fide sufficiunt ad animi rectitudinem, nos..... rectas facere studeamus vias nostras.* Ita Doctor Mellifluus, cujus sententiam mutilam, & corruptam Hexapla sic referunt, *Non facit hominem rectum fides: debet hæc operari per charitatem, quia nequeunt recti esse coram Deo, nisi qui eum diligunt.*

Cur non redduntur verba Melliflui, ut supra dedimus, integra? Vident callidi homines, se illius sententiâ, quem in uno sibi suffragari mentiuntur articulo, in nimis multis, & nimis conspicuè condemnari. Ubi Bernardus ait: *Vides, quòd non faciat hominem rectum fides, etiam recta quæ non operatur ex dilectione*. Rescindendum adversarius duxit illud *etiam recta*; quia videt, quòd *fides recta* non operans per dilectionem, directissimè opponatur articulo 44. affirmanti, quòd *omnis actio, quæ non nascitur ex amore Dei omnia agente propter Deum, quemque Deus remuneratur, profluat ex amore malo.* Art. 45. *Amore Dei in corde peccatorum non amplius regnante, necesse est, ut in eo regnet carnalis cupiditas, omnesque actiones ejus corrumpat*. Art. 47. *Obedientia legis profluere debet ex fonte, & hic fons est charitas: quando Dei amor, est illius principium interius, & Dei gloria ejus finis, tunc purum est quod apparet exterius; alioquin non est nisi hypocrisis, aut falsa justitia*. Art. 49. *Ut nullum peccatum est sinè amore nostri, ita nullum est opus bonum sinè amore Dei*.

Si juxta Mellifluum dicitur *fides recta*, etiã *quæ non operatur ex dilectione*, poterit esse actio non mala, quæ non nascitur ex amore Dei omnia agente propter Deum, quamque Deus remuneratur, quod est contra artic. 44. neque necesse erit, ut amore Dei non amplius regnante in corde peccatorum, in eo actiones omnes corrumpat cupiditas, quod est contra Art. 45. Obedientia legis, dum fides elicitur, ejusque præcepta confessio ex charitate non profluens poterit esse *recta*, seu *pura*, neque necesse erit, ut sit hypocrisis, quod adversatur Articulo 47. Denique erit aliquod *bonum*, seu *rectum* sinè amore Dei, quæ veritas non componitur cum Art. 49. Præterea, quòd omissio illius *opera recta sinè fide* Hexaplis fuerit necessaria; nè illis vocibus dejectus caderet Artic. 42. docens, quòd *sinè sacrificio fidei nihil, nisi impuritas sit; nihil, nisi indignitas*.

2 Cætera in Melliflui textu à me descripta reticere Hexaplorum author potuit; quia ad præsentem controversiam utcumque pertinentia quidem; sed non necessaria: prævideri quoque poterant occasionem præbitura animadversioni catholicæ; at parum honorificæ adversariis. Quis enim Ecclesiam diligens, & non ignarus turbarum, rebellionis, schismatis, quibus eam ipsi hodie concutiunt; si non & subrue-

re moliuntur, ut ejus ruinis novam superstruant, quis, inquam, in eos non retorsisset, quod in Hexaplis objectum ex Bernardo legeret: *Cui non placet Deus, nec Sponsa ejus placet; quomodo ergo rectus, qui nec Deum diligit, nec Ecclesiam Dei, cui dicitur, Recti diligunt te?* Qui Ecclesiam audire non vult, quomodo diligit, habendus propterea à fidelibus tamquam Ethnicus, & Publicanus?

Quæ in Bernardo sequitur conclusio: *si ergo nec fides sinè operibus, nec opera sinè fide sufficiunt ad animi rectitudinem, nos rectas facere studeamus vias nostras*, convincit erroris articulum 28. *Prima gratia, quam Deus concedit peccatori, est peccatorum remissio*. Ad primam enim gratiam obtinendam nihil valent omnia hominis studia, omnes conatus, ut contra Pelagium, & Semipelagianas ejus reliquias credimus universi. Si autem prima gratia, quæ peccatoribus à Deo conceditur, sit peccatorum remissio, est ipsa pariter *rectitudo animi*, ad quam proinde *fides*, quæ per art. 27. *est prima gratia, & fons omnium aliarum*, se sola sinè operibus sufficeret, quod Mellifluus cum orthodoxis omnibus inficiatur.

Sic adversarii speratum ex Bernardo lucrum non referunt, at damnum patiuntur minimè leve. Cùm autem Sancti hujus sententiâ stare, aut cadere se velle simulent, in mentem eis revoco, quod contra alios attuli articulos ex tractatu de præcepto, & dispensatione: *Bonus obedientiæ gradus est, si juxta Magistri nostri sententiam propter metum gehennæ quisquam obedierit; melior tamen, cùm Dei amore obeditur*. Est hic fides operans, & eliciens timorem gehennæ, & obedientiam; non tamen, ut patet, per charitatem, quandoquidem melior alia prædicetur, *cùm Dei amore obeditur*; Corruit igitur Quesnelliana novitas Art. 51. *Fides quando operatur, justificat; sed ipsa non operatur, nisi per charitatem*. Pars utraque authoritate Bernardi dejicitur, ac debellatur, quo judice, & fides aliquando operans non justificat, & operatur sæpius non per charitatem; sed per timorem solummodo gehennæ.

3 Iterum Serm. 4. de timore Dei: „ Volo te scire quatuor esse timores; videlicet humanum, servilem, initialem, & castum. Humanus timor est, ut ait Cassiodorus, quando timemus pati pericula carnis, vel perdere bona mundi, propter quod peccamus. Hic mundanus timor malus est. Secundus timor est servilis, ut ait B. Augustinus, cum timore gehennæ homo recedit à peccato; & omnia bona, quæ facit, non propter dilectionem Dei, sed propter timorem inferni facit. Ille quasi servus timet, qui bonum, quod facit, non timore amittendi bonum, quod non amat, sed timore patiendi malum, quod formidat, facit. Ille non timet perdere amplexus pulcherrimi Sponsi; sed timet, nè mittatur in pœnas inferni. De hoc servili timore dicit Paulus: Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore; sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, idest, spiritum filialem. Bonus est iste servilis timor, & utilis; licet insufficiens, & imperfectus, per quem crescit paulatim consuetudo justitiæ. Cùm incipit homo credere diem judicii, incipit timere..... timor priùs venit in corde, ut præparetur locus charitati.

Hactenus de timore servili, à quo deinde gradum Mellifluus facit ad initialem, indè ad castum, qui ultimus, & perfectus est. Quo exposito, ad servilem revertitur, qui quidem charitate vacet; sed prævia ad eam dispositio sit; quoniam autem sororem alloquitur, familiari mulieribus utitur comparatione, quam didicerat ab Augustino, & nos allegavimus supra ex ejusdem tractatu nono in Epistolam 1. Joannis. Sic autem Bernardus: *Audi soror dilecta congruentem similitudinem. Sæpe videmus per setam introduci linum, quando aliquid suitur: priùs intrat seta, & post setam intrat linum: sic timor priùs intrat in mentem hominis, & post timorem charitas; ideo intrat timor, ut introducat charitatem*. Necesse est igitur, formidinem, qua introducitur charitas, priorem esse, & priùs agere, quàm charitatem, atque ita non minùs à Bernardi, quàm Ecclesiæ catholicæ sensu recedere Quesnelli dogma novaturiens: *Fides quando operatur, justificat; sed non operatur, nisi per charitatem*. In omnibus scilicet Mellifluì textibus neque fides, quoties operatur, justificat, neque pendet omnis ejus à charitate operatio.

4 Magis tamen pudorem exuisse oportet adversarium, dum in Hexaplis objicere audet illud Tridentinæ Synodi sess. 6. cap. 7. *Fides nisi ad eam spes accedat, & charitas, neque unit perfectè cum Christo, neque corporis ejus vivum membrum efficit, quà ratione verissimè dicitur, fidem sinè operibus mortuam, & otiosam esse, & in Christo Jesu neque circumcisionem aliquid valere, neque præputium; sed fidem, quæ per charitatem operatur*. Hexaplorum Scriptore prudentior hìc *Collator* fuit,

fuit, qui nihil prætermittere folitus, quod in Hexaplis deprehenderit momenti aliquid apparentis ad Quefnellianæ causæ fubfidium afferre posse, de Tridentino Concilio altum filet. Prævidere enim facilè potuit, non defuturum Constitutionis vindicem, qui pessimam hic adversantium fidem convinceret, & ex ipsa Synodi allegatione commodam fumeret veritatis catholicæ fortiùs stabiliendæ occasionem.

Inprimis itaque objectam Synodi sententiam expendamus. *Fides, nisi ad eam spes accedat, & charitas, neque unit perfectè cum Christo, neque corporis ejus vivum membrum efficit; qua ratione dicitur fidem sinè operibus mortuam, & otiosam esse*. Quemadmodum catholicis indubitatum est, fidei habitum, nisi ad eum spes, & charitas accesserit, non efficere nos viva Christi membra; ita pariter certum est, per habitus fidei, spei, & charitatis baptizatos infantes, & qui his æquiparantur, perpetuò amentes, viva Christi membra esse sinè ullo fidei, spei, charitatis, aut cujuscumque virtutis opere, neque fidem in iis propriè mortuam esse; etsi otiosam. Idem est de adultis quibuslibet justis, cùm dormiunt, vel actione aliqua indifferenti innocuè distrahuntur, & nullum, saltèm graviter obligans occurrerit Christiani operis præceptum. Contra hæreticos autem definit Synodus, peccatorem rationis compotem non solâ fide justificari; sed necesse esse ad fidem spes etiam accedat, & charitas; quod non obstat, quo minùs fides sinè charitate opus bonum elicere valeat, vel eliciat re ipsa, quo ad charitatem peccatoris animus disponatur. Quorsum enim fidei habitus, etiam extinctâ per peccatum justitiâ, à Deo misericordissimo in anima conservatur, nisi ut seminis instar sit, vel radicis, unde actus fidei, timoris, spei, etiam charitatis cum Divinæ gratiæ rore fœcundissimo renasci valeant, & vita animæ, ac paulatim sanitas restitui. Quæ apertissima Tridentinorum Patrum sententia est, ut toto capite 3. demonstravi.

Et quidem, nè adversarium longiùs dedùcam, quando nobis objicir fessionis 6. caput feptimum, quo traditur *quid sit justificatio impii, & quæ ejus causa*, non est verisimile, quòd levi saltèm oculo non inspexerit caput immediatè præcedens minimè prolixum, quo *modus præparationis* ad justificationem sic ipso explicatur initio. „ Disponuntur autem ad ipsam justitiam, dum excitati divinâ gratiâ, & adjuti, fidem ex auditu concipientes, liberè moventur in Deum, credentes vera esse, quæ divinitus revelata, & promissa sunt, atque illud inprimis, à Deo justificari impium per gratiam ejus, per redemptionem, quæ est in Christo Jesu, & dum peccatores se esse intelligentes, à Divinæ justitiæ timore, quo utiliter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se convertendo, in spem eriguntur, fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore, illumque tamquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt, ac propterea moventur adversùs peccata per odium aliquod &c.

Hic modus præparationis ad justitiam longè amplior à Sacra Synodo proponitur, quàm ab adversariis; qui inaudito apud Sanctos Patres, & Ecclesiæ Doctores compendio eum constituunt in primo fidei opere, quod juxta novos theologos femper imbuitur charitate. Fides scilicet sinè charitate juxta ipsos nequit actionis quidquam, vel levissimæ, operari; dum Tridentinum actus timoris, considerationis variæ, ac spei, à fide procedere, atque ad dilectionis initium peccatores disponere confitetur, ut Deum *diligere incipiant*.

Quando itaque ex cap. 5. Epistolæ ad Galatas Tridentinum pronuntiat sess. 6. cap. 7. *Neque circumcisionem aliquid valere, neque præputium; sed fidem, quæ per charitatem operatur*, minimè asserit, omnem fidei operationem esse justitiam, neque ullum posse à fide effectum procedere, nisi per charitatem, quod utrumque, & damnato affirmatur articulo, & ab omni esse sanâ theologiâ, atque Ecclesiæ sensu alienissimum, primis præcipuè quatuor capitibus demonstratum est. Nè verò propter objectionem ineptissimam, meo & Lectoris tædio repetam quidquid contra præsentem Quesnelli articulum cap. 3. deduxi copiosiùs, liceat eò lectorem remittere. Quamvis enim Scripturarum oraculis, Sanctorum Patrum, & veterum Pontificum sententiis, ac recentiorum definitionibus error proscriptus, obtritusque fuerit, minimè dubito, quin, etsi omnia quantumvis validissima deficerent, sola Tridentinæ Synodi pluribus expressa locis doctrina, cuilibet sanæ mentis arbitro apparitura sit abunde sufficiens, ut Quesnelli articulus, antequam à Clemente XI. feriretur, debuerit perpetuò ab Ecclesia exulare.

CA-

CAPUT VIII.

Hexaplorum, & Collationis observationes subdolæ expenduntur.

1 IMplorato ab adversariis temerè Scripturarum, Patrum, Tridentinæ Synodi patrocinio, successêre observationes perbreves; &, ut Jaosenianarum artium ignaris videbitur, ob levitatem facilè dissimulandæ. Scatent tamen veneno pestifero, & quidem tantò nocentiore, quantò studiosiùs fallacia occultatur. „ Non sola, (inquit Hexaplorum author,) „ oratio debet originem ducere ex amore: est hic „ universarum anima virtutum. Porrò omnibus exploratum est, neminem è Sanctis „ Doctoribus plus lucis huic attulisse veritati, quàm Augustinum. Oculis ille nostris exposuit latentes in Sacris paginis „ thesauros de præcepto dilectionis totam „ legis plenitudinem complectente: ubique docet, Christianas virtutes cæteras „ non esse nisi modos amoris, ac formas varias, neque fidem, neque spem excipiens, quemadmodum adductæ ex eo „ sententiæ testantur: geminas has virtutes „ sustinet amor: atque ea connexio, & catenæ instar colligata virtutum series est, „ quæ Epistola 120. indicatur.

Quid sibi vult, quòd damnati dogmatis vindex studiosè abstineat à *Charitatis* vocabulo, pro eo substituens aliud *amoris*? latiùs scilicet se extendere solet amor, quàm charitas: hæc communiter pro solo amore super omnia, & justificante accipitur: damnata Propositio paucis expressa vocibus nomen *charitatis* tam in textu gallico, quàm latina versione semel iterumque complectitur, & cum eo *justificationem*, quam observatio callidè supprimit, non ut errorem corrigat; sed venenum ejus præcipuum occultet. Quid enim magis horrificum, quàm orare neminem posse, nisi ex *charitate justificante* nascatur deprecatio? Ita facultas orandi peccatoribus denegatur; quia, si charitas justificans præcedere orationem debeat, patet, crimina semper deleta esse, antequam illorum à Deo petatur remissio: absque prævia verò charitate justificante, non inutilis solùm; sed noxia fieret oratio juxta Art.44. Ubi *omnis volitio, & actio, quæ non nascitur ex amore Dei omnia agente propter Deum, quemque Deus remuneratur*, mala est. Sic peccatori, qui se vinculis pravæ consuetudinis irretitum sentit, numquam licitum erit, potentissimam veræ pœnitentiæ, & conversionis gratiam à Deo precibus, jejuniis, eleemosynis postulare. *Fides* scilicet *justificat, quando operatur; sed non operatur nisi per charitatem*; sive, ut observatio explicat, *nisi ex amore*, utique justificante *proficiscatur*.

2 Talia errorum monstra neque Augustinus, neque alius ex SS. Patribus; sed parens mendacii ad impediendam peccatorum pœnitentiam, ad extinguendum in iis omne bonorum operum studium, ad inducendam cum desperatione flagitiosissimam morum licentiam, in orbem primùm invexit. Nunc suorum ministrorum pertinaciam cum rebellione contra Christi Vicarium fovere perpetuò pergit. Charitas est cæterarum anima virtutum per analogiam, & aliquam cum hominis animâ similitudinem, sed non omnimodam. Sinè charitate virtutes cæteræ non possunt exercere opera vitæ, sive justitiæ, & meriti; motum tamen elicere possunt, & ad charitatem, ac pœnitentiam animum præparare. Ita SS. literæ, Patres, & antiqui Pontifices cum Scholarum Principibus, cum Concilio Tridentino, & recentioribus contra novas hæreses definitionibus Apostolicis, nos instituerunt, & universa præsentis temporis confirmat Ecclesia. Solus refragatur quorumdam in Gallia, & Belgio Novaturientium manipulus, cui frequens in scriptis, & ore sonat charitatis vocabulum; nulla in actibus charitas, aut religio est.

In Augustino autem nullum prorsus esse damnato articulo præsidium, toto capite 6., & magna secundi parte, frequentibus ipsius Sancti testimoniis demonstravi. Quid dico nullum præsidium? Adversarium ubique novitati infestissimum se exhibet Augustinus. Hoc autem sensu plenitudo legis est dilectio, quòd nullum adeò arduum sit Præceptum, quod amator Numinis non impleat, juxta illud Spiritûs Sancti: *Qui diligit, legem implevit*. Unde stultè adversarii deducunt, *non esse veram legis obedientiam, quæ fit sinè charitate*, quod à tribus olim Pontificibus in Bajano art. 16. vidimus condemnatum. Addidit & suum dein anathema Alexander VIII. contra Propositiones quarto capite memoratas. Sustinet fidem, & spem charitas; quia, quamdiù hæc firma steterit, neque desperare patietur hominem, neque à Christiana fide deficere. Verùm & charitate à peccatoribus exulante, non propterea necesse est statim ruere fidem,

dem, ut communissimus Theologorum sensus, & clarissima est sententia Tridentini relata à me cap.3.

Ad objectam Augustini Epistolam 120. respondi cap.6. In omnibus autem Augustini textibus nihil minus est, quàm prætensa illa novorum dogmatum *catena*. Hujus fabricatio non sanctissimo charitatis Doctori; sed tam ipsius, quàm Sedis Apostolicæ, quam Ecclesiæ Romanæ, atque ipsius fidei, & charitatis hostibus tribuenda est. Erroribus ad religionis interitum partim recenter excogitatis, partim acceptis à Calvino, non est cur subdolæ negetur connexionis gloria, qualiscunque ea sit, Quesnelli non minùs, quàm Calvini digna ingenio. *Catenæ* partem ad singulos articulos suo loco exhibibimus.

3 Discutienda modò Latini Collatoris observatio. *Sensus*, inquit, *prioris partis est, hominem justificari per fidem; sed eam fidem non esse operibus destitutam: Posterioris autem, ipsam (fidem justificantem) qua talis est, non operari nisi per charitatem; nam quatenus justificans est, non operatur per timorem, ut disertissimis verbis affirmat Augustinus lib. de Spiritu, & litera cap.32. num.56. Hæc est fides (inquit loquens de fide filiorum, seu de fide justificante) quæ per dilectionem operatur, non per timorem: non formidando pœnam; sed amando justitiam.* Cujus observationis non alius scopus est, quàm tenebris involvere mysterium iniquitatis. Sed Janseniano fascino deludi non tam facilè nos patiamur. De priore parte adversarium interrogo: daturne apud Quesnellum fides ulla non justificans? Datur, inquiet, fides humana, fidei Dæmonum similis, qui credunt, & contremiscunt. Insto: De fide humana, & diabolica, aut huic simili non est nobis cura, nec disceptatio; sed de fide divina, & supernaturali, quæ ex gratia est. De hac legimus art. 27. *Fides est prima gratia, & fons omnium aliarum*, Art. 28. *Prima gratia, quam Deus concedit peccatori, est peccatorum remissio.* Cùm igitur prima gratia sit fides, & simul reconciliatio, hoc ipso, quo fides supernaturalis est, justificat.

Itaque: dum in Propositione dicitur, *Fides justificat, quando operatur*, non potest operatio intelligi velut ratio discernens fidem supernaturalem justificantem, à supernaturali aliâ, quæ justificandi destituatur virtute; cùm hoc ipso quo fides est, hoc ipso quo est gratia, justificet. Si prima peccatorem Deo reconciliet, cur minor virtus sit secundæ gratiæ? cur minor in justis, quàm impiis atque ita quælibet gratia vel justificatio est, si peccatoribus detur; vel augmentum justitiæ, si justis. Utque concessio primæ gratiæ non dependet ab hominis arbitrio, nec ab ullo humano opere, ita dependere nequit justificatio, quæ adversariis ipsa prima gratia est.

4 Potest in sententia catholica homo divinæ gratiæ resistere, vel obtemperare, atque ita consensum, & operationem denegare liberam. At juxta novum Quesnellianæ *catenæ* annulum Art: 10. *Gratia est operatio manûs Omnipotentis Dei, quam nihil impedire potest, aut retardare*; illa autem gratia, & operatio non est aliud, quàm Deus ipse, seu omnipotens ejus voluntas. Art.11. *Gratia non est aliud, quàm voluntas Omnipotentis Dei, jubentis, & facientis quod jubet*: atque ita hominis justificatio, quàm adversarii subinde simulant velut à nostris operibus in sui concessione pendentem, nihil aliud ipsis est, quàm ipsa prima gratia, ipsa operatio Dei, ac Deus ipse, jubens, & faciens quod jubet. Quæ si subsisterent, anathema non mereretur Lutheri articulus, quo statuitur liberum arbitrium in statu naturæ lapsæ esse titulum sinè re, seu veram, libertatis nomine, necessitatem. Quàm autem frivola est *Collatoris* circa posteriorem articuli partem *observatio*! Quàm fallax, & simul ridicula per *quatenus justificans*, & *fidem justificantem*! *qua talis est*, restrictio, quasi alia juxta adversarios divina, & supernaturalis Fides detur, quàm justificans, imò, ut in Quesnello vidimus, ipsa prima gratia. Potest nè ex gratia, aut supernaturali fide procedere peccatum? Quæ verò actio, præterquam charitas, aut ex charitate profluens à peccato penès adversarios absolvitur? Per Art.44. *Omnis volitio, & actio, quæ non nascitur ex amore Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur, nascitur ex amore, quo nos ipsos, ac mundum diligimus, qui quod ad Deum referendum est, non refert, & propter hoc ipsum fit malus.*

PRO-

Quinquagesimasecunda Propositio Damnata.

Omnia alia salutis media continentur in fide tanquam in suo germine, & semine; sed hæc fides non est absque amore, & fiducia. *Observ. Mor. in Acta Apostol. cap.* 10. *vers.* 43.

CAPUT I.

Pars Prima Propositionis contraria Scripturæ, Patribus, Concilio Tridentino, & Definitionibus Pontificiis.

1 SI *omnia alia salutis media continentur in fide, tamquam in suo germine, & semine*, nullæ gratiæ, quæ indubiè salutis media sunt, fidem poterunt prævenire, quo nihil est Scripturis sacris, & Definitionibus Ecclesiæ magis oppositum. Psalm. 18. dicitur, *Non est qui se abscondat à calore ejus*. Matth. 11. *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos*. Ibid. cap. 22. *Quoscumque inveneritis vocate ad nuptias*. Joann. 1. vers. 9. *Lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*. Apocal. 3. *Ecce sto ad ostium, & pulso; si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi januam, intrabo ad illum*.

Dum non est qui se abscondat à calore ejus, adultis omnibus, etiam infidelibus aliquando conceditur aliquod Divinæ gratiæ auxilium, quo saltèm eminus ad fidem, & justitiam se disponere valeant. Vocante Christo *laborantes, & oneratos omnes*, nemine excepto, non omne infidelibus denegatur gratiæ præsidium, sinè quo venire non possent, & à Christo refici. Idem statue de vocatione omnium ad nuptias; idem de *luce vera illuminante omnem hominem venientem in hunc mundum*. Circa quod S. Chrysostomus homil. 7. in Joannem. *Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum; illuminat profectò quantum in ipso est. Si qui autem sponte sua, mentis oculis conniventibus, ad hujus lucis radios aciem dirigere noluerunt, non ex luminis naturâ in tenebris perstiterunt, sed ex malitia sua, qua sponte tanto se dono* (fidei, justitiæ, & salutis) *indignos reddiderunt*. Interim emisit sol radios, seu gratiam illuminantem, & excitantem, quam infidelium malitia repulit; ubi manifestè traditur aliquod gratiæ auxilium, datum etiam aliquibus, qui in tenebris infidelitatis permanserint. Unde conficitur, non *omnia salutis media in fide contineri tamquam in suo germine, & semine*, cùm aliqua etiam, ubi fides non successit, constet fuisse minimè denegata.

2 Sic & Cyrillus Alexandrinus lib. 1. in Joann. cap. 11. *Non verbum Dei, & æternam hanc lucem; sed imbecillitatem suam* (imò nequitiam) *mundus accuset. Illuminat enim filius, repellit autem gratiam creatura*, volens in paganismi perfidia, & aliorum criminum sordibus permanere. Augustinus lib. 1. de Genesi contra Manichæos cap. 3. „ Illud „ autem lumen non irrationabilium anima„ lium oculos pascit; sed pura corda eorum, „ qui Deo credunt, & ab amore visibilium „ rerum, & temporalium se ad ejus præce„ pta servanda convertunt, quod omnes „ possunt, si velint; quia illud lumen om„ nem hominem illuminat venientem in „ hunc mundum. „ Quod itaque lumen ad credendum conceditur, nec tamen finem obtinet, contineri nequit in fide, quandoquidem etiam hac absente tribuatur.

S. Prosper, seu quisquis alius Pater non inferior Prospero, author est librorum De Vocatione gentium lib. 2. cap. 26. ait: „ Quæ „ opitulatio per innumeros modos sive oc„ cultos, sive manifestos omnibus adhibe„ tur, & quod à multis refutatur, ipsorum „ est nequitiæ; quod autem à multis reci„ pitur, & gratiæ est Divinæ, & voluntatis „ humanæ. (Cap. 31.) Elaboratum est „ quantum Dominus juvit, ut non solùm „ in novissimis diebus; sed etiam in cunctis „ retro seculis probaretur, gratiam Dei om„ nibus hominibus adfuisse; quoniam sive „ manifestè, sive occultè, ipse est, ut Apo„ stolus ait, Salvator omnium hominum, „ maximè fidelium. „

Si ex eo, quòd Salvator sit omnium hominum, maximè fidelium, rectè deducitur, gratiam Dei non solùm in novissimis diebus, sed cunctis etiam retro sæculis *adfuisse omnibus hominibus*, dum tamen à pluribus abfuerit fides, pater iterum, non omnia prorsus salutis media, quæ fides non sunt, in ipsa velut in semine contineri; cùm tam multa neque præeunte fide, neque comitante obveniant. Quot infidelium non se convertentium ostia pulsat subinde Divina misericordia, & non auditur ita ut obedientia præstetur!

3 Non

3 Non minùs perspicua est Concilii Tridentini locis pluribus sententia; sic enim sess.6.cap.6. Sancta Synodus definit: „ Disponuntur autem ad ipsam justitiam, dum „ excitati Divinâ gratiâ,& adjuti, fidem ex „ auditu concipientes, liberè moventur in „ Deum, credentes vera esse, quæ divinitùs revelata, & promissa sunt. (Cap.5.) „ Declarat præterea ipsius justificationis „ exordium in adultis à Dei per Christum „ Jesum præveniente gratiâ sumendum esse: hoc est ab ejus vocatione, qua nullis „ eorum existentibus meritis vocantur „ primò ad actum fidei, & per eum ad timorem, spem, ac dilectionis initium, ut mox traditur cap. 6. Quomodo terrorem adversariis non incutit ejusdem sessionis canon 3. „ Si quis dixerit sinè præveniente Spiritûs „ Sancti operatione, atque ejus adjutorio, „ hominem credere, sperare, diligere, aut „ pœnitere posse sicut oportet, ut ei justi- „ ficationis gratia conferatur, anathema sit? „ Qui canon etsi plures actus enumeret; cùm tamen omnes sub disjunctione referantur, ad incurrendum anathema sufficit de uno asserere, quod præveniens Spiritûs Sancti auxilium non requirat: atque ita *si quis dixerit sinè præveniente Spiritûs Sancti operatione hominem credere .... posse sicut oportet*, ut ei propter fidem, mediis aliis actibus ex ea profluentibus, *justificationis gratia conferatur*, anathema sit. Propterea & Sanctorum Patrum sententia de prærequisito ad omne opus salutiferum, seu pium, auxilio gratiæ excitantis, tam de fidei, quàm aliarum virtutum actibus intelligenda est: qualis est illa S. Gregorii Hom.9. in Ezechielem: *Nos prævenit, ut velimus, & volentes subsequitur, nè inaniter velimus*: Bernardi lib. de gratia, & libero arbitrio: *Conatus nostri, & cassi sunt, si non adjuventur, & nulli, si non excitentur*: Augustini lib. 2. de peccatorum meritis,& remissione cap. 18. *Quod ad Deum nos convertimus, nisi ipso excitante, & adjuvante non possumus*.

Idem in Enchiridio cap. 32. *Nolentem prævenit, ut velit: volentem subsequitur, nè frustrà velit*. Idem rursus libro de natura, & gratia cap. 32. *Prævenit, ut sanemur, & subsequitur, ut sanati vegetemur: prævenit, ut doceamur, & subsequitur, ut glorificemur: prævenit, ut piè vivamus, & subsequitur, ut cum illo semper vivamus*.

4 Denique fieri nequit, ut *omnia alia salutis media contineantur in fide*; si verum sit, ut apud omnes Catholicos habetur verissimum, quod ait S. Thomas 3. parte quæst.85. art. 5. *Quorum actuum* (supernaturalium) *primum principium est Dei operatio convertentis cor secundùm illud Thren. ult. Converte nos Domine ad te, & convertemur: secundus actus est motus fidei*, qui subsequens operationem Dei, sive gratiam ejus prævenientem, & ex ea profluens non potest eam in se comprehendere, atque ita fides non omnia in se complectitur salutis media. Corruunt hinc pariter articuli Quesnelli complures. 26. *Nullæ dantur gratiæ, nisi per fidem*. 27. *Fides est prima gratia, & fons omnium aliarum*. 28. *Prima gratia, quam Deus concedit peccatori, est peccatorum remissio*.

Verùm & præsens Quesnelli assertio obnoxia est anathemati, quod Alexander VIII. inflixerat Propositioni 5. inter 31. *Pagani, Judæi, hæretici, aliique hujus generis, nullum omnino accipiunt à Jesu Christo influxum, adeoque hinc rectè inferes, in illis esse voluntatem nudam, & inermem sinè omni gratia sufficienti*. Cùm scilicet fide careant, sinè qua nullum salutis medium in Quesnelli sententia est, necesse est, omni simul eos gratia destitui. Ea sunt, quæ primam damnatæ Propositionis partem secundùm se solummodo, ut verba sonant, in sensu obvio intellectam convincunt de malitiâ à Summo Christi Vicario in scholis Catholicis, & libris minimè tolleranda. Si autem enuntiationem accepero cum sensu authoris, atque aliorum ejus dogmatum circumstantiis, damnata novitas longè plus contraher veneni, tantòque majorem merebitur bonorum omnium indignationem. Cùm enim juxta Quesnelli art. 42. *Sola gratia Christi reddat hominem aptum ad sacrificium fidei: sinè hoc nihil, nisi impuritas sit; nihil, nisi indignitas*, sequitur Prop.8. inter 31. ab Alexandro VIII. damnatas: *Necesse est, infidelem in omni opere peccare*, utpote carentem Christi gratiâ, inter cætera salutis media contentâ in fide, sinè qua tum fide, tum gratiâ, juxta Quesnellum *nihil* est in humanis actibus *nisi impuritas, nihil nisi indignitas*. Ita & restituitur proscripta à tribus olim Pontificibus Bajana Propositio 25. *Omnia opera infidelium sunt peccata, & Philosophorum virtutes sunt vitia*.

CAPUT II.

Pars altera Propositionis 52. pridem anathemate profligata à Tridentina Synodo, & dein ab Alexandro VIII. Pontifice.

1 Sed *hæc fides*, inquit Quesnellus, *non est absque amore, & fiducia*; ubi *hujus* designatio *fidei* indicat supernaturalem, quæ à fide Dæmonum secernitur. De fide itaque bona, & laudabili novus Theologus enuntiat, quòd non sit absque *amore, & fiducia*, quamquam ipsa in novo ejus Euangelio sit prima gratia Propos. 27. *Fides est prima gratia, & fons omnium aliarum*. Quemadmodum autem non meremur laudem per hoc, quòd primam gratiam habeamus, quæ à Deo immittitur nobis non deliberantibus, nihil ad ejus productionem conferentibus liberè, quæ proinde motio non ex libertate nostra; sed necessitate obvenit, non erit, unde propterea nobis laudis aliquid vindicetur, docente Angelico in Quæst. disp. q. de malo, cap. 66. de electione: *Si non sit liberum aliquid in nobis; sed ex necessitate movemur ad aliquid volendum* (vel credendum) *tollitur deliberatio, exhortatio, præceptum, & punitio, laus, & vituperium*. De fide igitur, tum quæ prima gratia est, tum de alia quacumque ejusdem ordinis supernaturali, Quesnellus asserit, quòd *non sit sinè amore, & fiducia*. Sed qua ratione hæc sententia secernitur à duodecima inter 31. ab Alexandro VIII. justissimè condemnatas? *Quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor, deficit etiam fides; &, etiamsi videantur credere, non est fides Divina, sed humana*.

Vereor, nè hic bilem moveam octogintaquatuor annorum seniculo, dum articulos 31. ab Alexandro VIII. justissimè condemnatos voco, quorum ipse censuram tot proscidit contumeliis in epistola typis edita nomine *Abbatis ad quemdam Romanæ Curiæ Prælatum*, & mox Arnaldus Quesnelli institutor domesticus, majoris molis volumine insectatus est: qui parte 9. *Difficultatum propositarum Steyaertio* Lovaniensi Doctori pag. 206. *Condemnare*, inquit, *non potes Propositionem hanc duodecimam, nisi condemnando teipsum, Sanctum Thomam, & cæteros passim Theologos*. Quantum hoc institutore Quesnellus profecerit, omnia ejus contra doctrinam Ecclesiæ, & Constitutiones Apostolicas scripta, atque obfirmatissima rebellio abunde testantur.

2 Quomodo autem *deficiente in magnis peccatoribus amore*, non deficeret etiam fides, & dum videntur credere, non esset fides divina, sed humana, imò maculata originis vitio, juxta Quesnellum, penès quem proficiscitur ex amore perverso? Propos. 44. „ Non sunt nisi duo amores, unde „ volitiones, & actiones omnes nostræ (pro- „ inde etiam fides) nascuntur: amor Dei, „ qui omnia agit propter Deum, quemque „ Deus remuneratur; & amor, quo nos „ ipsos, ac mundum diligimus, qui quod „ ad Deum referendum est, non refert, & „ propter hoc ipsum fit malus. (Prop. 45.) „ Amore Dei in corde peccatorum non „ ampliùs regnante, necesse est, ut in eo „ carnalis regnet cupiditas, omnesque „ actiones ejus corrumpat. „ Unde & in fidem corruptio derivatur, dum nullam enuntiatio actionem excipit, fatalem in actiones omnes sententiam ferens.

Sed quoniam illud contra 31. articulos Apostolicum Decretum, ut cætera supremi illius Tribunalis judicia vilipendit Quesnellus, ingerendum nunc ipsi est anathema Tridentinum: quæ sacra Synodus, postquam sess. 6. cap. 15. asseruit „ non modò infide- „ litate, per quam, & ipsa fides amittitur; „ sed etiam quocumque alio mortali pec- „ cato, quamvis non amittatur fides, ac- „ ceptam justificationis gratiam amitti „ hunc statuit Canonem 28. „ Si quis dixerit „ amissâ per peccatum gratiâ, simul & fi- „ dem semper amitti: aut fidem, quæ re- „ manet, non esse veram fidem, licèt non „ sit viva: aut eum, qui fidem sinè chari- „ tate habet, non esse Christianum, ana- „ thema sit. „ Necesse est à Quesnello etiam Synodum Oecumenicam cum isto suo anathemate contemni, quando etiamnum intrepidè sustinet, fidem Divinam sinè amore non subsistere: *Hæc fides* (Divina, & supernaturalis) *non est absque amore, & fiduciâ*, amoris nomine intelligendo eum, qui justificat; nam actionem omnem etiam fidem, quæ non nascitur ex amore Dei omnia agente propter Deum, quemque Deus remuneratur, jam vidimus propos. 44. procedere ex amore malo, quo nos ipsos, ac mundum diligimus, Prop. 45. omnes actiones necessariò cupiditate corrumpi, simul atque amor Dei in peccatoris corde non ampliùs regnaverit, uti evidens est, cum non regnate, ubi peccato lethifero Diabolus cordis adierit possessionem.

3 In eundem Propositionis 51. sensum conveniunt articuli plures, ut primus: *Quid aliud*

aliud remanet anima, qua Deum, atque ejus gratiam amisit, nisi peccatum, & peccati consecutiones, superba paupertas, & segnis indigentia, hoc est, generalis impotentia ad laborem, ad orationem, & ad omne opus bonum, quale maximè est fides? Propof.49. *Ut nullum est peccatum sinè amore nostri, ita nullum est opus bonum sinè amore Dei.* 57. *Nec Deus est, nec religio, ubi non est charitas.* Ubi autem nec Deus est, nec religio, procul exulat fides.

Hinc nihil relinquitur dubii, quin in Prop. 52., & similibus, *Amoris* nomine non intelligatur tenuis adeò, & imperfectus, ut vel benevolus non sit, vel non super omnia, & propterea ad justificationem non sufficiens; sed vera *charitas*, quæ *operit multitudinem peccatorum*, ut dicitur 1. Joann. cap. 4. nam & fides juncta amori, & fiduciæ, non otiosa est, sed operans, ac proinde juxta art. 51. hominem Deo reconciliat: *Fides justificat quando operatur; sed ipsa non operatur nisi per charitatem*. Denique ex omnibus Quesnelli Propositionibus exploratum est, eum *charitatis, amoris, dilectionis* vocabula pro eodem ponere significato, & semper justificante. Quid autem magis à doctrina Ecclesiæ, & veritate catholicâ alienum, quàm nullam admittere fidem bonam, atque Divinam in peccatoribus Christianis, antequam delictorum veniam consequantur? Sed & quomodo illos Christianorum numero comprehendo? Non patitur illud exotica adversariorum pietas, juxta quos Propof. 58. *Nec Deus est, nec religio, ubi non est charitas*.

Quæ si vera fuerit sententia, corrigere debebit Ecclesia preces complures, atque inprimis eas, quæ recitari solent pro agonizantibus, ubi dicitur: „ Lætifica, Domine, animam ejus in conspectu tuo, & nè memineris iniquitatum, & ebrietatum, quas suscitavit furor, sive fervor mali desiderii; licet enim peccaverit, tamen Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum non negavit, sed credidit, & zelum Dei in se habuit, & Deum, qui fecit omnia, fideliter adoravit. „ Si enim fides Divina, ut præsens fert articulus, non sit absque amore; cùm hic, suppositis iniquitatibus, defecerit, necesse est, etiam periisse fidem, atque adeò toto, quo in *iniquitatibus* versatus est tempore, in *Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum* numquam *credidit*; multo minùs *zelum Dei in se habuit, & Deum, qui fecit omnia, fideliter adoravit.* Credere scilicet fide Divina, & amare, tam arcto inter se fœdere, ac vinculo solvi nescio, apud novos Theologos conjuncta sunt, ut desinente amore, fidem Divinam abscedere, extingui, destrui necesse sit. Quis talia errorum monstra Tridentino primùm, ac dein Pontificio anathemate profligata, sanæ mentis Theologus in scholas reducere audeat? Quis Christi Vicarius Ecclesiæ liminibus insidiari iterum conspicatus, exitiali silentio patiatur ingredi, & non protinus toto pectore, totis viribus repellat?

4 *Fiduciam*, quæ à Quesnello individua comes jungitur *fidei*, ita nobis describit Angelicus parte 3. quæst. 129. art. 6. „ Nomen fiduciæ ex fide assumptum esse videtur.... pertinet autem fiducia ad spem secundùm illud Job 11. habebis fiduciam, propositâ tibi spe: & ideo nomen fiduciæ hoc principaliter significare videtur, quòd aliquis spem concipiat ex hoc, quòd credit verbis alicujus auxilium promittentis.... dictum est autem supra (art. 1. ad 2.) quod magnanimitas propriè est circa spem alicujus ardui: & ideo quia fiducia importat quoddam robur spei proveniens ex aliqua consideratione, quæ facit vehementem opinionem de bono assequendo, inde est, quòd fiducia ad magnanimitatem pertinet. Ibid. ad 2. Fiducia quoddam robur spei importat: & ideo opponitur timori, sicut & spes. Ad 3. dicendum, quòd fiducia, ut dictum est, importat quemdam modum spei; est enim fiducia spe roborata ex aliqua firma opinione. „ Hactenus S. Thomas.

Hinc etiam novitas in scholis catholicis inaudita est, & nihil solidæ rationis, sed falsitatis temerariæ plurimum præ se ferens, quòd fides esse nequeat sinè fiducia. Cur enim misericors Deus peccatoris animum Divini judicii, & perennium suppliciorum fide, ac formidine supernaturali concutere non possit, absque eo, quòd reus criminum inveteratorum nimiùm allectus dulcedine, statim se induci sinat ad concipiendum ardens melioris vitæ, & beatitudinis desiderium, quod descripta ab Angelico fiducia complectitur, vel supponit? Longè scilicet facilius est credere æterna supplicia peccatoribus destinata, & simul promissa justis præmia, quàm firmam elicere de evitandis prioribus, de obtinendis autem posterioribus fiduciam. Nè verò fidem illam adversarius reputet diabolicam, talem statuo, quæ ex Spiritu Sancto est, sive supernaturali ejus auxilio, & peccatoribus tanquam apta ad pœnitentiam dispositio conceditur; sed obsistente libertâ eorum malitiâ non semper conversio succedit.

CAPUT III.

Frustrà recurrunt adversarii ad sacras literas.

1 Actorum cap. 10. vers. 43. „ Huic „ omnes Prophetæ testimonium „ perhibent remissionem peccatorum accipere per nomen ejus omnes, „ qui credunt in eum. (Rom. 10. vers. 9.) „ Si confitearis in ore tuo Dominum Jesum, „ & in corde tuo credideris, quòd Deus „ illum suscitavit à mortuis, salvus eris. „ (Ibid. cap. 1. vers. 17.) Justitia enim Dei „ in eo revelatur ex fide in fidem, sicut scri- „ ptum est; justus autem ex fide vivit. „

Hæc & plura istiusmodi reperire adversarii potuerunt collecta apud Lutherum, Calvinum, & utriusque asseclas, solius fidei, quam ubique destruunt, propugnatores. Quandoquidem ipsi Quesnelli articulo conditio apponitur, *sed hæc fides non est absque amore, & fiducia*, non est cur operam perdam demonstrando non soli fidei, sed ei, quam comitatur charitas, tribuendam esse justitiam. In adductis autem Scripturarum testimoniis nihil est, unde conficias in actu fidei, etiam conjunctæ cum spe, & charitate, *omnia salutis media*, *velut in germine, & semine contineri*. Neque enim fides, neque spes, neque charitas, sive divisæ ab invicem, sive unitæ germen sunt, aut semen gratiæ, quæ subinde hæreticis, Judæis quoque, & aliis conceditur infidelibus: neque semen continent gratiarum, quibus Catholici ad actum fidei excitamur, atque disponimur.

2 Fidem asserit primam gratiam Quesnellus, & ipsam esse justitiam, ac peccatorum remissionem, ut patet ex art. 27., & 28., quibus confirmandis opportuna visa est, & necessaria articuli 52. enuntiatio de *omnibus salutis mediis in fide*, *velut semine* comprehensis, ut Tridentinæ sessionis sextæ canon tertius, & Alexandri VIII. contra Propositiones 31. definitio saluberrima subverteretur. Applicemus modò præsentem Quesnelli articulum singulis Scripturarum textibus, ut liquidò constet, Divinæ veritatis oracula ad erroris damnati subsidium iniquissimè detorqueri. Ex actis Apostolicis discimus, *Remissionem peccatorum accipere per nomen ejus* (Christi) *omnes, qui credunt in eum*; sed nihil hic conspicitur, quo omnia Divinæ gratiæ auxilia non credentibus adimantur, & nulla sinatur fidem gratia prævenire, qua ad credendum animus præparetur.

Cùm autem, nè nimium patens appareat Quesnelli ad Calvinistas transitus, non vult justificationem soli tribui fidei; sed prout hæc fiduciæ jungitur, & amori, ostendendum incumbit ipsi, & sectatoribus, nullam penitùs Christi fidem esse absque amoris, & fiduciæ societate. Oppositum ex ipsis ostenditur Scripturis. Joannis 12. *Multi ex principibus crediderunt in eum; sed non confitebantur; dilexerunt enim magis gloriam hominum, quàm gloriam Dei*. In quem locum sic Bellarminus lib. 1. de justificatione cap. 15. „ Hic Euangelista testatur, in illis „ Principibus fuisse fidem absque charita- „ te. Respondent adversarii (Lutherani, „ & Calvinistæ, ut hoc tempore Quesnel- „ lus) non habuisse Principes illos veram „ fidem; sed tantùm notitiam quamdam „ Christi imperfectam. At, si licet ita inter- „ pretari Scripturas, nihil umquam probari „ ex iis poterit. Præterea in eodem capite „ sæpe eâdem phrasi utitur Scriptura, ubi „ tamen per id, quod est credere in Chri- „ stum, omnes intelligunt veram fidem. „ Cogitaverunt, inquit Euangelista, Prin- „ cipes Sacerdotum, ut & Lazarum inter- „ ficerent, quia multi propter illum ab- „ ibant ex Judæis, & credebant in Jesum. „ Et infra: cùm tanta signa fecisset coram „ eis, non credebant in eum, ut sermo „ Isaiæ impleretur, Domine, quis credidit „ auditui nostro? „

3 Augustinus quoque Tract. 53. in Joannem, *Videte, quemadmodum notaverit Euangelista, & improbaverit quosdam, quos tamen in eum credidisse dixit, qui in hoc ingressu fidei si proficerent, amorem quoque humanæ gloriæ proficiendo superarent*. In quem Augustini locum sic Bellarminus eodem cap. 15. „ Quòd si fides ista proficere po- „ terat, & amorem humanæ gloriæ profi- „ ciendo superare, certè vera fides erat, „ (bona, Divina, supernaturalis, non Dæ- „ monum, aut merè humana) eadem enim „ est fides incipiens, proficiens, & perfe- „ cta; sed non semper æquè magna. Alio- „ qui si fides, cùm proficit, non est eadem, „ quæ antea erat; non illa profecit, sed „ aliâ nascente, ipsa defecit. „

Iterum Augustinus Tract. 45. in eundem Euangelii locum ait: „ Quidam crediderunt „ prædestinati in vitam æternam; quidam „ verò non crediderunt; eorum autem, qui „ crediderunt, alii usque adeò confiteban- „ tur, ut palmarum ramis acceptis venienti „ occurerent in eadem laudis confessione „ lætantes; alii verò ex Principibus confi-

„ teri

„ teri non audebant, ut de Synagoga non „ ejicerentur. „ Ubi S. Augustinus (observante iterum Bellarmino cap. citato) eandem fidem tribuit illis „ qui confitebantur Jesum manifestè, & illis, qui confiteri non audebant. Neque dubitari potest, quin fides confitentium, vera fides „ in Christum fuerit. Erat igitur vera & „ non confitentium; sed in prioribus per „ dilectionem operabatur; in posterioribus „ finè dilectione otiabatur. „ Reperitur itaque fides vera, seu Divina, & supernaturalis, ubi tamen non est amor, & fiducia; nam, ut ait S. Gregorius homil. 30. *Amor operatur magna; si autem operari renuit, amor non est*. S. Augustinus præfatione in Psal. 31. *Dilectio vacare non potest, nisi & mali nihil operetur, & quidquid potest, boni operetur.* Ipse Apostolus Rom. 13. *Plenitudo legis est dilectio*. Et paulò superiùs: *Qui enim diligit proximum, legem implevit*. 1. Cor. 13. *Charitas patiens est, benigna est, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet*.

4 Aliud pro fide vera, & Divina finè dilectione, est testimonium Apostoli 1. Corinth. 13. *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam; charitatem autem non habuero, nihil sum*. Quem locum à Lutheranis, & Calvinianis elusionibus vindicans Bellarminus, Quesnello pariter spem sustulit elabendi. „ Argumentum Apostoli (in„ quit eodem cap. 15.) non ducitur à con„ ditione impossibili; sed ab hyperbole in „ sacris literis valde usitatâ. Sententia „ enim ejus loci est, eloquentiam, quamvis „ maximam, scientiam omnium rerum, fi„ dem summam, & certissimam, (S. Tho„ mas in commentario addit etiam *perfe„ ctam*) eleemosynas profusissimas, & om„ nia alia bona finè charitate ad vitam æter„ nam consequendam maximè prodesse. Ex „ quo sequitur, ut, sicut eloquentia, scien„ tia, eleemosynæ finè charitate esse pos„ sunt; sed non prodesse; ita & fides (bo„ na, Divina, supernaturalis) finè charita„ te possit esse, non prodesse.

„ Deinde loquitur Apostolus de fide, „ per quam miracula fiunt, ut patet ex illis „ verbis, *si habuero omnem fidem, ita ut* „ *montes transferam*, hanc autem fidem „ reipsâ separatam in quibusdam fuisse à „ charitate, testatur Dominus Matth. 7. „ cùm ait: *Multi mihi dicent in illa die: non„ nè in nomine tuo prophetavimus, & Dæ„ monia ejecimus, & virtutes multas fecimus? „ quibus confitebor, quia numquam novi vos: „ discedite à me omnes, qui operamini iniqui„ tatem*. Non igitur Apostolus ducit argu„ mentum ab impossibili; sed ab eo, quod „ aliquando factum est, & fieri solet. „ Et agi de fide Divina, & supernaturali colligitur ex eo, quod sola illa fides sit, quæ *montes transferat*, sola illa *Dæmones ejiciat, prophetet*, & *virtutes multas faciat* naturæ viribus superiores: atque hæc omnia finè amore. Unde in eos horrifica à Christo vibratur sententia, *Numquam novi vos, discedite à me*. Hæc in gratiam primi testimonii ab adversariis objecti.

5 Non plus præsidii habent in secundo; nam etsi confitentibus Dominum Jesum, & credentibus, quòd Deus illum suscitavit à mortuis, promissa fuerit salus; indè tamen non nisi inanissimè omne abrogaveris auxilium præveniens fidem, & ad eam excitans, quod necessarium docet Tridentinæ sessionis sextæ canon tertius. Nec minùs inaniter indè elicere conaberis, quòd Judæi, hæretici, infideles omni careant salutis semine, ac proinde omni cœlestis gratiæ subsidio, qui numquam fidei munere donantur: qui error inter 31. ab Alexandro VIII. anathemate perstrictus est.

Neque ex eodem Scripturæ testimonio sequitur, fidem in Christum numquam esse finè amore, & fiducia, qui alter error est in præsenti Quesnelli articulo justissimè proscriptus. Illius, si non inventor, saltèm præcipuus propagator fuit Calvinus, tum in libris Institutionum, tum in antidoto Concilii Tridentini ad sessionis 6. canonem 11. *Sola*, inquit, *fides est, quæ justificat; Fides tamen, quæ justificat, non est sola; sicut calor solus est, qui terram calefacit, ipse tamen calor non est solus in sole, sed cum splendore*. Idem traditur à Kemnitio in examine Concilii, Brentio in catechismo, & à Philippo Melanchtone in *Locis*, & *Apologia Confessionis Augustanæ*. Horum omnium Magister Lutherus uti non in fide, ita neque in erroribus semper constans, in Genes. cap. 15. de charitatis, & aliarum virtutum actibus, „ Scio (inquit) has virtutes esse insignia „ dona: scio, fidem finè his donis non exi„ stere; sed nunc nobis quæstio est, quid „ cujusque proprium sit. Tenes manu varia „ semina: non quæro ego, quæ quibus con„ juncta sint, sed quæ cujusque propria „ virtus sit; hic apertè dico, quid faciat „ sola fides; non cum quibus virtutibus „ conjuncta sit, sola autem fides apprehen„ dit remissionem, credit promittenti Deo: „ Deo porrigenti aliquid admovet manum, „ & accipit; hoc proprium solius fidei est. „ (Et postea) Scimus, quòd fides num„ quam est sola; sed adfert secum charita„ tem,

„ tem, & alia multiplicia dona; sed non „ ideo confundenda res, & quod solius fi- „ dei est, aliis tribuendum. „ Tamen in caput 2. Epistolæ ad Galatas *Fides*, inquit, *finè, & ante charitatem justificat*. Denique in disputatione, utrum opera faciant ad justificationem, ait: *Fides nisi sit finè ullis, etiam minimis operibus, non justificat, imò non est fides*.

6 Sed dimisso cum suâ inconstantiâ corruptissimo tum scriptis, tum moribus Luthero, malunt adversarii propiùs accedere ad Calvinum, & alios quosdam minùs exoticos Lutheri discipulos, qui charitatem à fidei actibus non divellunt. Quin etiam Quesnellus ex horum adeò documentis proficere visus est, ut charitatis, & fidei non separationem solummodo, sed etiam distinctionem aboleverit, quia, ut art. 27. *Fides est prima gratia*, ita art. 28. *Prima gratia, quam Deus concedit peccatori, est peccatorum remissio*: qua propter necesse est, primam gratiam, quæ fides est, simul esse charitatem, siquidem finè charitate, neque justificatio esse poreft, neque ullus actus bonus, aut immunis à vitio per art.44. „ Non sunt, „ nisi duo amores, unde volitiones, & „ actiones omnes nostræ nascuntur: amor „ Dei, qui omnia agit propter Deum, quem- „ que Deus remuneratur; & amor, quo „ nos ipsos, ac mundum diligimus, qui „ quod ad Deum referendum est, non re- „ fert, & propter hoc ipsum fit malus.

Fides igitur, quæ actio quædam est, si neque amor sit, neque ex eo profluxerit, peccatum erit; fides autem, quæ prima gratia est, nequit ex amore procedere, ut patet: vel enim amor ille solis naturæ viribus eliceretur, & tunc semipelagiana hæresis vinceret, initium salutis, & justificationis à libero deducens arbitrio finè gratiâ: vel amor ille gratia esset, vel ex eâ proveniens, & tunc fides, si ab amore distinguitur, prima esse graria desiner. Sic adversarii in quamcumque se partem verterint, suis intricati retibus, numquam elabentur.

7 Non minùs inaniter tertium obtruditur ex Scripturis testimonium; Nam etsi ex fide minùs perfectâ proficiamus ad perfectiorem, etiam ut Angelicus lect. 6. in cap. 1. ad Rom. explicat, *Ex fide veteris Testamenti procedendo in fidem novi Testamenti*: licèt præterea justificemur ex fide, & justus ex fide vivat; non tamen ea sola justificat, neque ex ea sola in justitia vivitur. Ut enim ipsi fatentur adversarii, opus esse etiam *amore, & fiducia*; sic neque tollitur omnis gratia fidem præveniens, quæ dispositio ad justificationem adulti peccatoris necessaria est, neque minùs necessaria ad salutem. Sed neque in fide, velut *in suo germine continetur, & semine*, cùm ipsa fidei semen sit, finè quo numquam fides in animo nascitur. Denique ex eo, quòd viva, & salutifera justi opera proveniant ex fide, atque hoc sensu justus ex fide vivat, non tamen indè sequitur tanta inter fidem, ac bona opera, etiam fiduciam, & amorem connexio, ut, sicut hæc esse finè fide non possunt, ita neque finè ipsis fides subsistere.

Perpetua illorum societas maximè optanda est; sed in tanta fidelium infirmitate, atque indè oriri solitâ lapsuum frequentiâ, contra Ecclesiæ sensum, & veritatem catholicam fingi à Quesnello minimè debuit: sæpe carnis illecebræ ad libidinem provocantes justorum in charitate constantiam infringunt, non fidem; quod apud omnes novitatum vertigine non laborantes certius est, quàm ut probatione egeat. Faterentur idem adversarii, si fragilitatis suæ conscii meminissent, se aliquando charitate, & justitiâ excidisse, dum fidem Christi integram retinerent, quam tandem non luxuria, non gula, non avaritia; sed innovandi temeritas, & erroris contra fidem pertinacia destruxit.

8 Ut autem ad objecta Scripturæ testimonia ex ipsis respondeam Scripturis, Apostolus in epist. ad Romanos cap. 10. ait: *Quicumque invocaverit nomen Domini, salvus erit. Sed quomodo invocabunt, in quem non crediderunt? Aut quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient finè prædicante?* Ut igitur credamus, prærequiritur in nobis auditus fidei, neque qualiscumque, ut est semipelagianus, sive solius corporis auribus naturalis; sed auditus *per verbum Christi*, per vocationis ejus, & excitationis gratiam, quæ non in fide continetur, tanquam in semine, cùm ipsa semen, & origo fidei sit, quemadmodum à Tridentina Synodo definitur sess. 6. can. 3. de justificatione: *Si quis dixerit, finè præveniente Spiritûs Sancti inspiratione, atque ejus adjutorio hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse, sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, anathema sit*.

Fulmen hoc effugere Quesnellus non potest, asserens, nos finè præveniente gratiâ posse credere sicut oportet; quia si penès ipsum *omnia salutis media continentur in fide, velut in semine*, clarum est, nullam ante fidem requiri Spirirûs Sancti inspirationem, nullum præveniens ejus adjutorium. Verùm

novus

novus Theologus confirmare voluit articulum suum 27. *Fides est prima gratia, & fons omnium aliarum*. Art. 26. *Nulla dantur gratia, nisi per fidem*.

9 Proverb. 1. Psalm. 110. dicitur *Timor Domini initium sapientiæ*. Sicut autem per hoc non excluditur fides, ex qua timor oritur, ita neque ex eo, quòd *justus* dicitur *ex fide vivere*, rejicienda est gratia fidem necessariò præveniens, & ad eam hominem excitans. Fidem quoque subsistere absque charitate, variis Scripturæ textibus ostendi superiùs cum Bellarmino, qui dum exempla plurima conglomerat contra Calvinum, disquisitionis labore me liberat lib. 1. de justificatione cap. 15., cui hanc præfigit Epigraphen: *Fidem veram posse reipsa à dilectione, aliisque virtutibus separari*. Circa medium capitis:

„ Quartum (inquit) argumentum sumitur ex illis testimoniis, quæ docent, in „ Ecclesia esse bonos, & malos, ut Matth. 3. „ ubi ponitur similitudo palearum, & tritici in eadem area: Matth. 13. ubi ponitur „ similitudo piscium bonorum, & malorum „ in eodem reti: Matth. 22. Ubi ponitur „ similitudo venientium ad nuptias, sinè „ veste nuptiali: Matth. 25. Ubi ponitur „ similitudo virginum prudentium, & fatuarum; & ovium, atque hædorum. Quoniam enim qui sunt in Ecclesia, fideles „ sunt; si iidem mali esse possint, certè sequitur, fidem, unde dicuntur fideles, cum „ peccato, unde dicuntur mali, posse esse „ conjunctam: „ atque ita separatam ab amore, & fiducia.

Pergit Cardinalis „ Deinde si omnes „ mali, qui sunt in Ecclesia, fide vera carerent (ut certissimè carent charitate) ob „ id potissimùm reprehendi deberent, quòd „ præter alia peccata exciderint à vera fide; at non reprehenduntur de omissione „ fidei, sed de omissione operum. Nam „ Matth. 22. reprehenditur, qui non habet „ vestem nuptialem, non alia de causa, nisi „ quia vestem illam non habet. Illa autem „ vestis charitatem significabat, teste Hieronymo, Chrysostomo, & aliis in eum „ locum, & Gregorio homil. 38. „ Si eis defuerit dilectio, non fides; hæc igitur ab amore juxta sacra eloquia separatur.

10 Iterum Bellarminus: „ Matth. 25. „ non reprehenduntur virgines fatuæ, nisi „ quòd oleum, idest, opera misericordiæ „ non habuerint, ut in eum locum notat „ Chrysostomus: & in eodem cap. 25. non „ damnantur ii, qui ex grege Dominico à „ sinistris erunt, nisi propter mala opera; „ non autem propter carentiam fidei, ut „ admonet S. Augustinus lib. de fide, & „ operibus cap. 15. Sanctus etiam Paulus „ 1. Cor. 5. incestuosum quemdam Corinthium severè puniri jubet, nec tamen „ eum arguit infidelitatis; sed soliùs incestûs. Et S. Petrus Act. 5. non reprehendit Ananiam, & Saphiram, & cap. 8. Simonem Magum propter infidelitatem; „ sed propter alia peccata. Itaque ex his, „ & similibus locis satis apertè colligitur, „ fidem in peccatoribus esse posse, atque „ adeò absque charitate.

11 „ Quintum argumentum sumitur „ à ratione propria fidei, & charitatis; nam „ si fides, & charitas inter se distingui non „ possent, vel id ex eo fieret, quòd una esset de ratione alterius; vel certè, quòd „ una necessariò nasceretur ab altera. Neutrum autem dici potest. Non primum; „ nam fides, & charitas non sunt una virtus; sed duæ, ut Scripturæ passim docent, „ ut 1. Cor. 13. *Nunc manent fides, spes, charitas, tria hæc*. Et 1. Tim. 1. *Finis præcepti charitas de corde puro, conscientia bona, & fide non ficta*. Et præterea habent „ diversa subjecta, actus, & objecta. Fides „ enim est in intellectu, charitas in voluntate: & fides credit, charitas diligit: denique fides respicit veritatem primam, „ charitas summum bonum.

„ Non item secundum, quoniam tametsi charitas oriatur ex fide; tamen non „ oritur, ut propria passio, quæ necessariò „ fluit à subjecto; sed ut virtus, ad quam „ alia disponit, & inclinat; fides enim dicitur gignere charitatem, quia disponit, „ & inclinat eum, qui credit, ad diligendum eum, cui credit. Dispositio, & inclinatio non cogit; sed liberum relinquit „ hominem, ut diligat, si velit, & non diligat, si non velit. „ Quam autem adversariorum sententia relinquit homini libertatem, ut diligat, si velit, non diligat, si non velit; si *prima gratia, quam Deus concedit peccatori, est peccatorum remissio*, ut traditur art. 28.? Ubi necesse est, primam gratiam esse charitatem. Estnè autem liberum homini, habere, vel non habere primam gratiam? Nullus id Catholicus asseret. Quomodo igitur liberum erit diligere, vel non diligere; disponere se ad justificationem, vel non disponere; remissionem peccatorum accipere, vel impedire; si ipsa prima gratia, quæ minimè libera est, sit charitas, & peccatorum remissio?

12 Denique multis interpositis „ Accedat septimò (inquit Cardinalis) con- „ sensus

„ sensus veterum Patrum, quibus numquam „ in mentem venit hæc absurditas, ut non „ possit esse fides, ubi non est charitas „. Absurditas ista novissimis temporibus, perversisque Hæreticorum Calvini, Kemnitii, Quesnelli, & similium ingeniis reservabatur.

Non ita Doctorum Aquila Augustinus lib. 15. de Trinitate cap. 18. *Fides* (inquit) *sinè charitate potest quidem esse; sed non & prodesse*. Tract. 10. in Epist. Joannis. *Jam credit aliquis in Christo, sed odit Christum: habet confessionem fidei in timore pœnæ; non in amore coronæ. Adde huic fidei dilectionem, ut fiat fides, qualem dicit Apostolus Paulus: Fides, quæ per dilectionem operatur*. Lib. de Spiritu, & lit. cap. 32. *Unde est dilectio* (id est, charitas) *per quam fides operatur, nisi unde illam fides ipsa impetravit?* Quid evidentius, quàm fidem charitate priorem esse, si illam impetret? Necesse est quoque, fidem interea sinè charitate subsistere.

Eandem tradidit sententiam Augustinus Tractatu 83. in Joannem de Agone Christiano, & cap. 13. Clemens etiam Alexandrinus lib. 2. & 4. Stromatum. Chrysostomus homil. 9. in Joannem, & hom. 8. in Epist. 2. ad Timotheum: & in Psalm. 14. Ambrosius lib. 9. Epistola 74. Hieronymus lib. 2. in Jovinianum. Cyrillus lib. 10. in Joannem cap. 18., & Gregorius Magnus homil. 38. in Euangelia, cæterorum Patrum prorsus nemine dissentiente. Non tamen pudet Quesnellum cum suis sodalibus Augustinum, & paucos alios conatu inanissimo suæ adscribere defensioni. Hos videamus.

CAPUT IV.

Damnatæ Propositioni nullum in SS. Patribus præsidium est.

1 Sanctus Augustinus in Psalmum 89. num. 17. *Non opera; sed opus dixit manuum nostrarum dirige: tamquam volens ostendere, ipsa opera unum opus esse; id est, ad unum opus dirigi. Tunc enim rectæ sunt opera, cùm ad hunc unum finem diriguntur. Finis enim præcepti charitas est*. Quod sequitur, maximè placet adversariis. *Quia ergo unum est, in quo sunt omnia, fides quæ per dilectionem operatur*. In fide, quæ per dilectionem operatur, contineri virtute cætera virtutum opera, ad quæ fides hominem disponit, omnes agnoscimus; verùm, licèt ea ex fide velut ex semine proficiscantur, non tamen proficiscuntur necessariò, sed quæ modo fides dilectionem à libero arbitrio, adjuvante Dei gratiâ, impetrat, potest succrescente tentatione, & voluntatis inconstantiâ, a pariendis amoris actibus impediri: quod utinam non tam sæpe contingeret!

Nonne in Petro ante negationem fides per dilectionem operabatur, quæ paulò post sterilis reddita est, & velut exanimis, timore noxio prævalente? Dixi, in fide per dilectionem operante contineri velut in semine cætera virtutum opera, quæ à fide vivâ libero proponuntur, & persuadentur arbitrio. Sed inter hæc quomodo reperies illas *Spiritûs Sancti inspirationes*, illa ejus *adjutoria*, quæ fidem præveniunt, & sinè quibus, si quis credere hominem salubriter posse affirmaverit, Tridentinæ sess. 6. canonis 3. feritur anathemate? Inspirationes istæ Spiritûs Sancti, & adjutoria in numerum humanorum operum nonnisi imperitissimè, vel perfidè, ab adversariis referuntur. Cùm igitur inspirationes istæ, & adjutoria adultis maximè necessaria salutis media sint, perperam, & dignâ anathemate audaciâ, ac temeritate asseritur, omnia salutis media in fide, etiam quæ per dilectionem operatur, velut in semine contineri. Neque ullam tam exotico errori Augustinus loco citato, ut jam vidimus, præbuit occasionem.

2 Nihil amplius reperio in eo, quod sequitur lib. de Spiritu, & lit. cap. 29. „ Ideo quippe proponitur justitia legis ... „ ut, cùm quisque infirmitatem suam cognoverit, non per suas vires, neque per „ literam ipsius legis, quod fieri non potest; sed per fidem concilians justificatorem, perveniat, & faciat, & vivat, in „ ea (lege;) opus enim, quod qui fecerit, „ vivet in eo, non fit nisi à justificato. Justificatio autem ex fide impetratur..... „ Sed quid dicit? prope te est verbum in „ ore tuo, & in corde tuo: hoc est, inquit, „ verbum fidei, quod prædicamus; quia si „ confitearis in ore tuo, quia Dominus est „ Jesus, & credideris in corde tuo, quia „ Deus illum suscitavit à mortuis, salvus „ eris... fide igitur Jesu Christi impetramus salutem, & quantum in nobis inchoatur in re, & quantum perficienda expectatur in spe. Omnis enim, qui invocaverit nomen Domini, salvus erit.

Augustini sententiam describo libetaliùs, quàm ab adversariis intorqueatur, ut lector dispiciat, num saltèm in circumstantiis quidpiam sit, quod alterutri suffragetur errori, quem in damnato articulo comprehen-

henfum exhibui, & convici fæpius. Nulla autem hic pro Quefnello fuppetiarum fpecies. Fatemur hominem non fuis viribus, neque virtute legis ad juftitiam pervenire, fed *per fidem*; verùm non propterea *in fide tamquam femine omnia alia falutis media continentur*; non enim ex hoc femine pullulare poteft omnis neceffaria ad fidem, eamque *præveniens* gratia, five, ut Tridentinum can. 3. feff. 6. loquitur, *præveniens Spiritûs Sancti infpiratio, & adjutorium*, ut homo *credere poffit ficut oportet*. Et, quamvis *fide Jefu Chrifti impetremus falutem*, & omnis, qui invocaverit nomen Domini, falvus fiat, intelligendo fidem vivam, & invocationem Domini ex fide per dilectionem operante; non tamen leviter fupponendum eft, fed folidâ ratione, vel authoritate ab adverfariis probandum, quod irrito tentaverint labore, fidem divinam, & fupernaturalem nunquam exiftere, nifi fit viva, cum *amore* atque *fiducia* juftificans. Oppofitum ex ipfo oftendimus Auguftino cap. fuperiore, & antea ex Tridentini Concilii feff. 6. canone 28. atque ex Alexandri VIII. definitione contra Propofitiones 31. Prop. 12.

Detegenda hic Hexaplorum perfidia, quòd illud *Juftificatio... ex fide impetratur*, fic vertant Gallicè: *la juftification de l' homme eft toute renfermée dans la foi*. Quafi Auguftinus diceret: *juftificatio hominis tota comprehenditur in fide*. Sententia Auguftini agit de operibus ad juftitiam difponentibus, quæ per fidem impetrantur, atque ita patet, fide effe pofteriora: verfio autem impetrationem fupprimit, nullo relicto indicio, ex quo colligi valeat, de operibus tantùm fidem fequentibus fermonem effe. Fingit itaque, juftificationem hominis totam fide contineri, ut faltèm rudioribus perfuadeat, totum juftificationis negotium, omnia falutis media in fide, velut in femine comprehendi. Sic nempe fides erit prima gratia; quæ cùm in hominis poteftate non fit, ita neque fides libera erit, neque juftificatio. Art. 27. *Fides eft prima gratia, & fons omnium aliarum*. Art. 28. *Prima gratia, quam Deus concedit peccatori, eft peccatorum remiffio*.

Hinc collige ab iftiufmodi fallacium Scriptionum, & verfionum lectione aut catholicis penitùs abftinendum effe, aut in ea, fi neceffitas poftulet, circumfpectione, & folicitudine maximâ, velut in terris hoftilibus verfandum. Sufpecta autem femper verfio gallica habenda eft, nifi quam à probatis authoribus profectam noveris, aut cum latinis vocibus contuleris ftudiosè.

Nè mihi quidem lubet nequitias verfionis Quefnellianæ, & Hexaplorum fingulas excutere; fed cùm propofitus mihi fcopus fit defenfio Conftitutionis, præcipua cura eft, Patres, ad quos provocamur, attentiùs infpicere, eorumque textus genuinos cum definitione Pontificia confentientes oftendere.

Auguftino Difcipulum jungunt Adverfarii S. Profperum dicentem carmine de ingratis cap. 16.

Omne etenim probitatis opus, nifi femine veræ
Exoritur fidei, peccatum eft, inque reatum
Vertitur, & fterilis cumulat fibi gloria pœnam

E' quibus verfibus petitum pro damnato articulo argumentum, quacumque parte acceperis, ineptiffimum eft, ut mox palàm faciam. Diffimulare interea poffem, tanquam ad præfentem minimè pertinens quæftionem, quod ex Profperi verbis conantur adverfarii educere; videlicet omnia opera finè fide Theologicâ effe peccata; quod quidem plurimis à me omnis generis argumentis aliàs de falfitate apertiffimâ, & non uno afflatâ anathemate convictum eft contra Propofitionem 38., & fequentes ufque ad 42., pofteriorem potiffimùm, ubi toto cap. 5. S. Profperum ab illo errore vindicavi.

Sufficiat hic refponfio Bellarmini lib. 5. de gratia, & libero arbitrio cap. 11. ad fimilem Auguftini fententiam de operibus infidelium, de quibus agit & Profper. „Damnat rectiffimè Auguftinus illa opera infidelium, quæ ad malum ab eis referebantur: &, quoniam talia erant ferè omnia, quæ ab illis fiebant, ut ipfe idem dicit in libro de Spiritu, & litera cap. 27. ideo fimpliciter omnia opera infidelium peccata fuiffe dicit, tribuens omnibus, quod maximæ parti conveniebat, & meritò reprehendit Julianum, qui poffe infideles viribus naturæ præcepta omnia, moralia fervare, & finè peccato vivere, temere afferebat „. Ita fit, ut ftudio impugnandæ hærefeos in errorem priori contrarium quis declinare aliquando videatur, ut Auguftino contigit quando Manichæos fubverfores libertatis, & Pelagianos ejus extra veritatis limitem affertores, fcriptis acerrimis infectatus eft.

Ufum porrò tribuendi aliquid omnibus, quod plerifque convenit, familiarem etiam Scripturis Sacris exhibet Bellarminus lib. citato, cap. 10. contra *fecundum Argumentum Calvini*. Quamquam, & ipfum Profperum certiffimè agnofcentem opera innocua, & nullo commaculata vitio, etfi non ex fide theo-

theologica eliciantur, habemus lib. contra collatorem cap. 26. „ In natura (inquit) humana, cujus creator est Deus, etiam post prævaricationem manet substantia, manet forma, manet vita, & sensus, & ratio, cæteraque corporis, atque animi bona, quæ etiam malis, vitiosisque non desunt. Sed non in illis veri boni perceptio est, quæ mortalem vitam honestate possunt; æternam conferre non possunt „. In quem locum sic iterum Bellarminus lib. 5. de gratia, & libero arbitrio cap. 9. monet: *Nota illud* HONESTARE; *non enim peccata, sed sola virtutes vitam nostram honestare possunt*.

Denique licèt error ab adversariis Prospero attributus, & iterato sæpius prostratus anathemate, supponeretur consentaneus veritati, omnia opera sinè fide theologica esse peccata; quid indè eliceretur subsidii pro stabiliendis erroribus geminis præsenti articulo 52. temerè, ac stolidè enuntiatis? Non enim ex eo, quòd omnia ante fidem opera supposueris peccata esse, umquam conficies, nullum dari gratiæ auxilium fidei prævium, & ad eam excitans, quod proinde non contineatur in fide, & tamen inter salutis media in adultis primum est, & maximè necessarium, ut à Tridentino Concilio vidimus definitum sess. 6. can. 3. Neque ex eodem supposito sequitur, fidem numquam esse absque *amore, & fiducia*, qui alter damnati articuli error est, etiam Tridentino profligatus anathemate sess. 6. can. 28.

S. Prospero ab adversariis comes jungitur alter Augustini discipulus S. Fulgentius lib. de Incarnatione, & gratia cap. 19. dicens: „ Quibusdam verò ex illa lucis formatione laudabili, ad vituperabilem tenebratum informitatem relapsis, affectum piæ mentis ostendens, ita loquitur; Filioli, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis. Quomodo autem in suis Christus formari potest, nisi quomodo in eis inhabitare incipit, id est, per fidem. Dum ergo & formamur, renovamur; & in eo, quo renovamur, vivificamur „.

Quòd Christus inhabitet corda per fidem vivam, catholicis indubitatum est; sed quòd nulla fidem præveniat gratia, atque ita in fide, velut in semine, contineantur omnia salutis media, Quesnelli, & Sociorum ejus novaturientium commentum est, nullo reperto sive in Fulgentio, sive in aliis Patribus vestigio. Fidem autem, per quam Christus habitat in cordibus nostris, non esse sinè spe, & charitate, omnis consitetur non solùm theologus, sed vel primis institutus fidei rudimentis puer. Sed Christus è Petri corde negationis crimine tantisper expulsus, fidem ei tamen reliquit veluti vitæ recuperandæ semen, & dispositionem reducendæ charitati necessariam. Videmus itaque in Petro, & cæteris inter fideles peccatoribus, habitum fidei, etiam ejus actus, sinè charitate; quibus quidem actibus peccatoris animus disponitur ad recipiendam cum charitate justitiam; sed interim, ut dixi, actus fidei sinè amore sunt, neque complectuntur in se omnia ad salutem media, inter quæ ab omnibus cum Tridentino catholicis, numerantur prævia, & necessaria ad credendum auxilia cœlestis gratiæ, ex Christi meritis concedendæ.

CAPUT V.

Eripiuntur adversariis quæ firmandæ potissimùm parti posteriori Propositionis 52. adducunt è Patribus testimonia.

1 NOvum perfidiæ specimen præbet Augustiniani textûs in linguam Gallicam conversio: Epist. 120. num. 8. ad Consentium ait Sanctus: *Pia fides sinè spe, & sinè charitate esse non vult; sic igitur, homo fidelis debet credere quod nondum videt, ut visionem & speret, & amet*. Hexapla illud *pia fides sinè spe, & sinè charitate esse non vult*, sic Gallicè reddunt. *La foi sainte, & salutaire ne subsiste point sans esperance, & sans charité*, quasi idem sit *esse non vult*, & *non subsistit*. Passio sanctissima, & cætera Christi merita non volunt ullius damnationem: mandata Dei non volunt transgressionem: gratia non vult, ut sibi resistatur. Quis autem ferat istiusmodi translationem vernaculam, quæ significet Passionem, & merita Christi cum damnatione ullius hominis non subsistere, neque Dei mandatum cum transgressione, aut gratiam cum resistentiâ voluntatis? Jansenianam quidem hæresim versiones istiusmodi nequissimæ juvarent; sed Calvini, quàm Augustini discipulis digniores sunt.

Pia fides indubiè sinè spe, & charitate esse non vult: ea est Dei illam largientis intentio, atque ipsius piæ fidei propensio quodammodo innata. Quæ dispositio non suum effectum; quod medium non desideret suum finem? Christi Passio, & quælibet alia Servatoris merita pro redemptione, & salute omnium oblata, in plerisque hominibus desti-

ftituuntur effectu. De Deo Sacra Eloquia testantur: *Quoniam non volens iniquitatem tu es: Non vult perire animam: Nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti: Numquid voluntatis meæ est mors impii, & non ut convertatur à viis suis, & vivat? Nolo mortem impii &c.* attamen cum plurium impiorum obduratione, & interitu non desinit Deus, & ejus misericordia subsistere. Patentissimum igitur inter *non velle* quidpiam, & finè eo *non subsistere* discrimen est: neque adeò hebetes Quesnelliani sunt, ut id non perspiciant; sed quomodo absque istiusmodi fraudibus nova secta contra Dei Ecclesiam, quæ columna, & firmamentum veritatis est, se prævalituram confideret? Sic quidem pia fides finè amore, & fiducia subsistere potest; sed non finè dolis, & mendaciis Jansenismus.

2 Idem Sanctus Doctor in Enchiridio ad Laurentium cap. 8. *Est itaque* (inquit) *fides & malarum rerum, & bonarum; quia & bona creduntur, & mala, & hoc fide bonâ, non malâ.... nec amor finè spe est, nec finè amore spes; neque utrumque finè fide*. Amorem non esse finè spe, inter nos & adversarios convenit; in spe quoque aliquem Dei amorem, sed non necessariò qualem adversarii statuunt, fatemur. Contenti scilicet sumus eo, quem nobis tradit Sanctissimus Augustini discipulus, & interpres securissimus Franciscus Salesius in scriptis *cœlesti doctrinâ refertis*, ipsius judicio Ecclesiæ. Lib. itaque 2. de amore cap. 27. cui titulus est, *Quòd amor spei sit valde bonus, licèt imperfectus*, ait: „ Amor, quem in spe exercemus, Theotime, tendit quidem in Deum; „ sed ad nos revertitur; spectat divinam „ bonitatem, sed eum respectu ad nostram „ utilitatem; tendit ad supremam perfectionem, sed respicit nostram satisfactionem: id est, non transfert nos ad „ Deum, qua Deus in semetipso summè „ bonus est; sed qua summè bonus nobis. „ Amor igitur ille, quem vocamus spem, „ est amor concupiscentiæ; sed concupiscentiæ sanctæ, & bene ordinatæ, per „ quem non trahimus Deum ad nos; sed „ ei nos jungimus, ut finali nostræ felicitati. Cur igitur, Theotime, amamus Deum „ hoc amore concupiscentiæ? Quia est bonum nostrum. Sed cur amamus summè? „ Quia ille est summum bonum nostrum. „ Porrò quando dico, summè à nobis amari, non dico, eum à nobis amari, respectu „ amoris maximi; nam supremus amor non „ est nisi in charitate; amor autem, qui est „ in spe, est imperfectus, eò quòd non tendat ad ejus infinitam bonitatem, qua talis est in se ipsa.

Quod Augustinus addit, *neque utrumque*, spem videlicet, & amorem, *finè fide esse*, quis negat? Non de hoc præsens disceptatio est; sed an fides Divina, & supernaturalis existere nequeat *finè amore*, seu charitate, *& fiducia*. Istud Patrum testimoniis firmandum est; si contra veritatem stabiliri falsitas valeat. Augustinum damnato articulo contrarium ostendi compluribus, & clarissimis S. Doctoris textibus, quos nulla nobis umquam adversantium sophismata extorquebunt.

3 Tres Augustino discipulos maximos addunt Hexapla Fulgentium, Bernardum, & Aquinatem: E quibus ita Prior in 2. libro ad Monimum cap. 9. *Simon magus credidit, & Baptismi Sacramentum accepit; nam & Dæmones dum credunt, & contremiscunt, videntur habere fidem; sed nihil eis prodest; quia non habent charitatem*. Et paulò inferiùs: *His igitur demonstratur indiciis, ibi esse Spiritum Sanctum, ubi est finis præcepti, hoc est charitas... ubi autem cum fide charitas non est, quæcumque dona Spiritûs Sancti esse posse; ipsum verò Spiritum Sanctum esse non posse*.

Omnis prædicatio Euangelii, omnes illustrationes intellectûs, excitationes voluntatis, omnia Sacramenta, omnis Christi passio, omnia Christi merita nihil prosunt obstinatis in malitia, repudiantibus Sacramenta, repellentibus omnes illustrationes, excitationes, omnia Divinæ gratiæ auxilia; non tamen ideo desinunt ea omnia esse in se sancta, & Divinæ misericordiæ pretiosissima munera, peridonea ad consequendam justitiam, & beatitudinem media. Sic & fides, & præviæ ad eam gratiæ optima sunt consequendæ *salutis media*, etsi charitatem, & cætera Dei præcepta rejicientibus nihil ad perfectum bonum, qui finis ultimus, & æterna felicitas est, profutura sint, non aliquo bonorum illorum vitio, aut defectu; sed humanæ pervicaciâ voluntatis. Eam ob causam non profuit Simoni Mago fides, neque Baptismatis Sacramentum; quia fidei; & baptismo jungere noluit veram pœnitentiam, & charitatem; sed non propterea negandum est, fidem, & quamlibet ad eam concessam cœlitus illustrationem, excitationemque, uti & aquam Baptismatis fuisse vera *salutis media*, etsi dolosus hypocritæ animus reddiderit inutilia; ad sanctitatem scilicet, & salutem.

4 Dæmonum fides, neque laudabilis in ipsis est, neque ex gratia, neque ad bonum

num ipsis utile à Deo conceditur; sed merè naturalis, invita, & signis evidentibus extorta. Non ita fides viatorum hominum, etiam informis, & expers *amoris*, atque *fiduciæ*. Adversarii miseros peccatores omnibus prorsus destituunt salutis mediis, dum omnia concludunt in fide, non qualicumque, sed eâ, *quæ non est absque amore, & fiduciâ*; ubi amoris nomine non alius ab istis intelligitur, quàm justificans, sive, ut Propositio 44. enuntiat, *amor, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur*, & sinè quo omnis alius *amor sit malus*. Privati *omnibus salutis mediis*, neque orare Deum possunt, neque eleemosynam dare, neque jejunare, aut aliud quodcumque exercere pietatis opus, quo Dei misericordiam, & gratiam pœnitentiæ implorare utiliter possint; sed abstinentes ab omni opere (aliàs omni opere peccaturi) jubentur expectare desides, donec ultro Deus ipsis, absque ulla prævia dispositione, aut præparatione, justificationem forsitan infundere dignabitur; quia juxta art.28. *Prima gratia, quam Deus concedit Peccatori, est peccatorum remissio*: Et juxta art. præsentem est fides, spes, charitas; sive, ut articuli verbis utar, *fides non absque amore, & fiducia*: quorum aliquid quoties defuerit, desunt *omnia salutis media* sive remota, sive propinqua.

Hæc nos attentè meditari jubet in suis *Christianis meditationibus* Quesnellus, istud vocat *Moralis Euangelicæ compendium*. Nos veriùs dicemus compendium iniquitatis, impœnitentiæ fomitem, & omnis boni operis in peccatoribus impedimentum.

5 Remotissimus à tam pernicioso errore fuit Mellifluus, cujus objicitur Sermo secundus de Paschate, ubi initio dicitur. „ Postquā fides nostra mortua est, quodammodo Christus mortuus est in nobis. Porrò fidei vitam opera attestantur ... Sicut enim corporis hujus vitam ex motu suo dignoscimus, ita & fidei vitam ex operibus bonis. Itaque vita quidem corporis est anima, per quam movetur, & sentit; vita verò fidei charitas; quia per illam operatur „. Similem de fide viva, & mortua objectionem Calvinus pridem edidit, & hac ratione retudit Bellarminus lib.1. de justificatione cap.15. „ Fides dicitur mortua, non quomodo homo dicitur mortuus, qui post mortem non est; Sed quomodo corpus dicitur mortuum, quod post mortem est, sed non vivit. Vita enim non est de essentia fidei, quemadmodum est de essentia hominis; sed per metaphoram dicitur fides viva, cùm operatur; mortua, cùm non operatur; sicut etiam aqua dicitur viva, quæ continuò fluit, ut in fonte, & fluviis; mortua, quæ non movetur, ut in stagnis, & paludibus, cùm tamen utraque verè, propriéque sit aqua „.

Præterea neque aqua, quæ in stagnis, & paludibus est, adeò sinè motu est, ut non subinde ventorum flatibus agitetur: Sic neque fides in peccatoribus adeò semper otiosa est, ut, aspirante Spiritus Sancti aurâ, non aliquando excitetur, & tum fidei, tum timoris, & aliarum virtutum moralium actus non eliciat. Qui quidem ipsi actus mortui sunt hoc sensu, quòd omni careant merito, neque peccatorem Deo reconcilient; ad justificationem tamen alii propinquiùs, alii remotiùs disponunt; atque ea est catholicorum omnium in Scripturis, & traditione Patrum, maximè Augustini, & Tridentino Concilio fundatissima doctrina, ut contra tot de charitate articulos, à quadragesimo quarto ad præsentem usque demonstravimus.

Et quidem ad Scripturas quod attinet, monet Apostolus Hebræos cap.11. *Accedentem ad Deum oportet credere, quia est, & inquirentibus se remunerator sit*; ubi fides hactenus in credente mortua est, quia dum ad Deum tantùm credendo acceditur, nondum is charitate possidetur. Etsi autem fides illa adhuc mortua sit; non tamen inutilis; sed medium est ad justitiam, & salutem necessarium: ubi ante amorem, & fiduciam, adeòque ante fidei cum amore, & fiducia conjunctionem, fides aliqua utilis deprehenditur; quæ cùm hominem ad amorem, & justitiam præparet, non est cur è numero mediorum ad salutem quomodocumque disponentium excludatur.

6 Nonne etiam Sacri Scripturarum Codices pleni sunt increpationibus peccatorum, & hortationibus ad pœnitentiam? Nihil autem his inutilius est, nihil magis indignum divinâ Sapientiâ, quàm toties repetitis monitis, minis, ac præceptis stimulare homines ad ea, quæ in illorum nullatenus posita sunt arbitrio, ut non est salutaris pœnitentia, vel ullius observatio præcepti juxta adversarios. Constans enim omnium Catholicorum æquè, ac Jansenistarum sententia est, nihil boni salutiferi à nobis perfici, vel inchoari, vel desiderari fructuosè posse sinè gratia.

Primam quoque gratiam non pendêre ab electione nostra, solo refragante Pelagio, omnes consensu unanimi fatentur. Si nunc

nunc Quesnello, & ejus sociis juxta art. 28. credimus, *primam gratiam, quam Deus concedit peccatori, esse peccatorum remissionem*, quæ libertas peccatoribus ad conversionem est? Nonne eam à Deo desides expectare poterunt, abjectâ omni præparationis, & bonorum actuum solicitudine? Sed cur ad articulum præteritum, & toties superiùs protritum recurro? Idem prorsus venenum novitas præsens 52. complectitur, hoc solo discrimine, quòd prior breviùs, & apertiùs, posterior verbosiùs, & quæsitis ambagibus in eandem collimet perniciem. Si enim *omnia alia salutis media continentur in fide, tamquam in suo germine, & semine*, ac proinde nullum salutis medium, nulla gratia est ante fidem, confirmatur articuli 27. error, *fides est prima gratia*: cùmque hæc fides non sit absque amore, & fiducia, per præsentem articulum, si amoris nomine intelligas justificantem (qui sensus Quesnelli est) sive, ut Propositio 44. explicat, amorem, *qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur*; nullus intelligi potest conatus peccatoris ad pœnitentiam, & justificationem magis, quàm ad primam gratiam: atque ita peccatoribus prorsus inutilia, & ridicula redduntur omnia Scripturarum monita ad eorum pœnitentiam. Nec magis utiles erunt increpationes, minæ omnes, & promissa ad persuadendam impœnitentibus conversionem. Talibus tamen incitamentis non solùm Scripturæ, & Patrum referta sunt volumina; sed pulpita concionantium omnia in cunctis Christiani orbis Ecclesiis personant.

Ex Concilio Tridentino juxta Quesnelli articulum expungere oportebit sess. 6. cap. 6. de modo præparationis ad justificationem, & sess. 14. cap. 4. ubi de actibus ad contritionem concurrentibus; præsertim quidquid de attritione ad justitiam extra Sacramentum non sufficiente traditur. Impossibilis enim peccatoribus redditur omnis istiusmodi dispositio libera, quando prima gratia est justificatio, nullo existente salutis medio extra fidem, quæ & necessariò prima gratia sit, & juxta Art. 28. *peccatorum remissio*; sive, quod significatur in præsenti articulo, non sit *absque amore, & fiducia*; amore, inquam, justificante. Unicus enim amor bonus, unicus non malus est, *qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur*, juxta art. 44.

7 Denique cùm Doctorem Mellifluum adversarii audeant erroris tam horridi, & perniciosi suffragatorem fingere, non solùm ab hoc Sanctus ille perspicuè vindicandus est, sed ei opponendus etiam directissimè. Præstat illud abunde sermo 4. de timore: ubi priùs rejicit mundanam formidinem, quæ, nè adeatur periculum amittendi bona temporalia, peccatum suadet. At, inquit Bernardus, „ Secundus timor est servilis, „ ut ait Beatus Augustinus, cùm timore „ gehennæ homo recedit à peccato, & omnia bona, quæ facit, non timore amittendi bonum, quod non amat; sed timore „ patiendi malum, quod formidat, facit. „ Ille non timet perdere amplexus pulcherrimi Sponsi; sed timet, nè mittatur „ in pœnas inferni.... Bonus est iste servilis timor, & utilis, licèt insufficiens, & „ imperfectus, per quem crescit paulatim „ consuetudo justitiæ...... Timor priùs „ venit in corde hominis, ut præparetur „ locus charitati..... timor priùs intrat „ in mentem hominis, & post timorem charitas: ideo intrat timor, ut introducat „ charitatem.

Ex tam salutifero Mellifluі Doctoris monito fructus nobis suavissimi contra novitatem horridam colligendi sunt. Si timore servili gehennæ, Augustino, & Bernardo testibus, recedatur à peccato, & omnia bona, quæ tunc facit homo, non timore faciat amittendi bonum, quod non amat; sed timore patiendi malum, quod formidat; edicant nobis adversarii, sitnè timor iste ex gratiæ auxilio, an solis naturæ viribus? Posterius Pelagianum est. Si autem prioris assertio omnibus Catholicis necessaria, & adversariis inevitabilis est, habetur aliquod salutis medium absque amore; nam in Mellifluі textu clarissimè indicatur amoris absentia, ad quem timore via sternitur. Præparatio autem ista non est sinè fide; ex qua timor gehennæ nascitur: &, quamvis destituta charitate supponatur mortua; non tamen penitùs absque actione est, timorem efficiens, etiam bonum, & utilem ad reprimendas, & superandas carnis illecebras, ad vitanda nova crimina, ad consuetudinem introducendam bonorum operum, ipsam denique charitatem. Operatur itaque fides aliquando etiam absque dilectione, dum ad eam, ut ex Bernardo discimus, servili formidine disponit.

8 Rursus si homo, etsi non timens perdere amplexus pulcherrimi Sponsi; sed nè mittatur in pœnas inferni, non sinè fructu metuat; licet timor ad justificationem non sufficiens, & imperfectus, charitatem neque præviam habeat, neque comitem; sed eminus serviat introducendæ; non adeò fides mortua est, ut nihil pariat boni operis ad charitatem, & justitiam præparantis. Pluti-

ribus Bernardi testimoniis, in eandem convenientibus sententiam, producendis supersedeo, qualia habentur Sermone 1. & 2. Dominicæ 1. post octavam Epiphaniæ: Sermone 16. in Cantica: Serm. de diversis affectionibus Animæ: Serm. de primordiis, mediis, novissimis ad illud Eccles. cap.7. *In omnibus operibus tuis memorare novissima tua*. Et tractatu de Præcepto, & dispensatione.

Sed opus non est tot citationibus, ubi in una habetur tam dilucidè tradita, & toties inculcata catholica veritas, ut non nisi voluntariâ cæcitate, & diabolicæ simili pertinaciâ possit Mellifluus in damnati erroris subsidium advocari. Idem mox statues Lector de Mente Doctoris Angelici.

CAPUT VI.

Detegitur Hexaplorum perfidia in allegando S. Thomæ, qui & à Collatore inanissimè imploratur.

1 Famosa Hexapla impudenti, & solis digno hæreticis mendacio Doctorem Angelicum damnari articuli approbatorem statuunt ex eo, quòd asserat 2.2. q.5. art.2. ad 2. „ Fides, quæ est do- „ num gratiæ, inclinat hominem ad cre- „ dendum, secundùm aliquem affectum bo- „ ni, etiamsi sit informis: unde fides, quæ „ est in Dæmonibus, non est donum gra- „ tiæ; sed magìs coguntur ad credendum „ ex perspicacitate naturalis intellectus.

Cum hac Angelici sententiâ quisquis contulerit damnatum articulum, certus sum, quòd, si intellectum novitaris insaniâ præoccupatum non attulerit, miraturus sit objectionis inepias; si autem & verba Angelici cum versione gallicâ corruptissimâ composuerit, detestabitur perfidiam. Ipsa itaque versio audiatur: *La foi, qui est un don de la grace,* INSPIRE *a l'homme de l'* AMOUR *pour* DIEU *en meme tems, qu' elle le porte a croire ce qu' il lui revele. Cet amour devient plus ou moins grand selon que la foi est plus ou moins parfaite*. Quæ latinè sic sonant: *Fides, quæ est donum gratiæ, inspirat homini amorem erga Deum, dum eum inducit ad credendum, quod ei revelat. Hic amor fit major, aut minor, secundùm quod fides magìs, minùsve perfecta est*. Ubi si quatuor prima verba exceperis, non apparet, quid simile habeat ista Hexaplorum relatio cum sententia Aquinatis. Et quidem de Amore erga Deum, quem majoribus notant characteribus, tamquam in quo robur argumenti præcipuum sit, nulla conspicitur in textu Angelici mentio; sed de *aliquo affectu boni*. Quia, cùm actus fidei propter obscuritatem objecti sit arduus, eget imperio voluntatis, quæ non fertur nisi in bonum; sive sub boni ratione propositum.

2 Ita S. Doctor in Epistolæ ad Heb. cap.11. lectione 2. „ Verum, & bonum, „ etsi in se considerata converrantur quan- „ tum ad supposita; tamen in quantum „ differunt ratione, diverso ordine se ha- „ bent ad invicem; quia & verum est quod- „ dam bonum, & bonum est quoddam ve- „ rum: Et similiter intellectus, & volun- „ tas, quæ distinguuntur penès distinctio- „ nem veri, & boni, habent inter se diver- „ sum ordinem. In quantum enim intelle- „ ctus apprehendit veritatem, & quidquid „ in ipsa continetur, sic verum est quod- „ dam bonum, & sic est bonum sub vero. „ Sed in quantum voluntas movet, sic ve- „ rum est sub bono. In ordine ergo eo- „ gnoscendi, intellectus est prior; sed in „ ordine movendi, voluntas est prior; quia „ ergo intellectus movetur ad actum fidei „ ex imperio voluntatis, ut dictum est, in „ ordine movendi voluntas est prior „. Ubi ad credendum requiritur in nobis imperium voluntatis, atque hæc fertur in objectum suum ab intellectu propositum sub ratione boni; cùm autem ad hoc imperium inclinetur animus supernaturali auxilio *secundùm affectum boni* (honesti, & laudabilis) rectissimè discrevit Angelicus Christianam fidem à fide Dæmonum, quorum intellectus evidentiâ signorum convincitur, ut voluntas assensum impedire nequeat, aut se ab eo imperando continere.

Titulus nempe articuli est, *Utrum in Dæmonibus sit fides*. Sic autem Angelicus resolvit: „ Intellectus credentis assentit rei „ creditæ, non quia ipsam videt, vel secun- „ dùm se, vel per resolutionem ad prima „ principia per se visa; sed quia convinci- „ tur per authoritatem Divinam assentire „ his, quæ non videt, & propter imperium „ voluntatis moventis intellectum. Quòd „ autem voluntas moveat intellectum ad „ assentiendum, potest contingere ex duo- „ bus: uno modo ex ordine voluntatis ad „ bonum; & sic credere est actus laudabi- „ lis: alio modo, quia intellectus convinci- „ tur ad hoc, quòd judicet esse credendum „ his, quæ dicuntur; licet non convinca- „ tur per evidentiam rei.... dicendum est „ ergo, quòd in fidelibus Christi laudatur „ fides secundùm primum modum: & se- „ cun-

„ cundùm hoc non est in Dæmonibus; sed
„ solùm secundo modo; vident enim mul-
„ ta manifesta indicia, ex quibus percipiunt
„ doctrinam Ecclesiæ à Deo esse; quamvis
„ ipsi res ipsas, quas Ecclesia docet, non
„ videant; puta Deum esse trinum, & unum,
„ vel aliquid hujusmodi.

3 Ad hoc igitur compendium tota reducitur resolutio, & totius Doctrina articuli, quòd, quamvis in Dæmonibus ea fides non sit ex imperio voluntatis liberæ, & in bonum laudabile tendentis per inclinationem divinæ gratiæ; sit tamen coacta quædam fides, qua ex naturali sua perspicacitate, & signorum evidentia doctrinam Ecclesiæ à Deo profectam esse credere coguntur. Verùm neque in responsione *ad secundum* ab Hexaplis citatâ, neque in tota Resolutione, neque in toto articulo verbum est de Amore *erga* Deum, qui tantâ confidentiâ ab adversario jactatur, & quasi pondus maximum argumēto faciat, grandibus exprimitur characteribus, qui neque oculos fugere valeant, neque levi, velut desultorio, transitu præteriri: non plus itaque momenti habet objectio, non plus meretur fidei, quàm splendidissimum, & patens mendacium.

Non tamen hìc limites sibi figit adversarii perfidia. In Angelici textu reticet *Fidei* circumstantiam, *etiamsi sit informis*. Hac nempe circumstantia non solùm tota argumenti nobis oppositi machina confringitur; sed etiam pluribus Quesnelli Propositionibus inspersa novitas confutatur. Si enim *fides, quæ est donum gratiæ*, fit aliquando *informis*, ubi de actu fidei sermo est, evidens est, quod *prima gratia, quam Deus concedit peccatori*, non *sit peccatorum remissio*. Art. 28. Nam gratia ad fidem excitans, reconciliasset modò hominem Deo; unde, restitutâ Dei amicitiâ, atque ita redditâ animæ vitâ, non esset, cur subsequens fides diceretur mortua, *& informis*. Præterea si *fides informis* possit esse *donum gratiæ*, non igitur omnis actio peccatum est, quæ non *nascitur ex amore Dei in corde peccatoris non amplius regnante*, sive ex *amore Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur*, ut asseritur articulo 45. & 44. Corruit quoque articulus 57. *Totum deest peccatori, quando ei deest spes; & non est spes in Deo, ubi non est amor Dei*. 58. *Nec Deus est, nec religio, ubi non est charitas*.

Denique ipse destruitur articulus 52. Si enim *fides informis sit donum gratiæ*, igitur fides supernaturalis, & quæ est donum gratiæ, potest esse sinè amore, ut hic intelligitur, justificante, sive ut art. 44. explicat, *ex amore, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur*. Ipsa itaque Angelici, ad quàm provocamur, sententia sufficere adversario potuit, ut eodem ariete, quo Constitutionem Apostolicam concutere voluit, Quesnellianum articulum fortissimè impetitum, dejectumque conspiceret. Conspexit indubiè; ideóque ad corruptionis turpissimæ fallaciam sibi recurrendum existimavit; in quo enim alio spes novatoribus esse potest contra Ecclesiam, & definitam à Sede Apostolicâ veritatem?

4 *Collatio Propositionum cum quibusdam Sacra Scriptura locis, ac Sanctorum Patrum testimoniis* latinè edita caret beneficio Hexaplorum, quæ singulari arte, & quasi privilegio versionis Gallicæ, quemlibet ferè Latini idiomatis textum, quantumvis oppositum novitati, in eandem facilè convertunt sententiam. Conspicatus igitur Collator, non posse hunc Angelici textum sibi esse usui, cùm tamen Doctoris tanti authoritate Quesnellum penitùs destitui nollet, ex Sancti commentario in epistolam ad Hebræos cap. 11. v. 1. hanc decerpendam censuit laciniam: *Fides ordinatur ad res sperandas quasi quoddam inchoativum, in quo totum quasi essentialiter continetur, sicut conclusiones in principiis*.

Quas sibi Collator ex brevitate tenebras speravit, facilè dispellet Angelicus, modò se explicans audiatur. *Fides*, inquit, *nostra est, ut credamus, quod beati videbunt, & fruentur Deo. Et ideo, si volumus ad hoc pervenire, oportet, ut credamus principia istius cognitionis: & hæc sunt articuli fidei, qui continent totam summam hujus scientiæ; quia beatos nos facit visio Dei trini, & unius: & hic est unus articulus. Unde hoc credimus; & ideo dicit substantia rerum sperandarum. 1. Cor. 13. Videmus nunc per speculum, & in ænigmate: tunc autem facie ad faciem, quasi dicat: Tunc erimus beati, quando videbimus facie ad faciem illud, quod nunc videmus in speculo, & in ænigmate. In his ergo verbis ostenditur ordo actûs fidei ad finem; quia fides ordinatur ad res sperandas, quasi quoddam inchoativum, in quo totum quasi essentialiter continetur sicut conclusiones in principiis*.

Ex tota Angelici oratione liquet, fidem statui velut inchoativum totius ordinis, quo ad finem ultimum, quæ Dei visio est, perveniatur: ubi fides quidem est primus actus noster in illo ordine; sed nullum ibi verbum est de prærequisitis ad fidem dispositionibus. Præmitti scilicet debet annuntiatio, quia fides juxta Apostolum est ex auditu; neque audite sufficit; sed illustrari debet

het divinâ gratiâ intellectus, & excitari voluntas, ut ad credendum animus disponatur. De præsrequisitorum, inquam, ad fidem ordine nulla in Angelici textu fit mentio. Sunt tamen illa adultis prorsus necessaria *salutis media*.

5 Quapropter tota Aquinatis oratio nihil penitùs Quesnellianum articulum juvare potest, asserentem, quòd omnia *salutis media in fide, tamquam suo semine contineantur*. Quomodo enim in fide tamquam in semine contineri possunt, ipsam fidem necessariò præcedentia? Semen causa subsequentium est: priorum illud causam fingere, error est lumini naturæ contrarius, & vel à rusticis explodendus. Deinde quod ab Aquinate dicitur, *Fidem ordinari ad res sperandas, quasi quoddam inchoativum, in quo totum, quasi essentialiter continetur, sicut conclusiones in principiis*, verissimum est; videlicet, fidem ordinari ad res sperandas, visionem Dei, & reliquam indè profluentem beatitudinis perfectionem. Hæc omnia in fide veluti in *quodam incboativo*, & semine continentur, *sicut conclusiones in principiis*. Quia fides, si modò ejus dictamina sequamur, non minùs certò nos ad beatitudinem perducet, quàm ex principiis scientiæ legitima sequitur conclusio. At nonne malesana foret collectio; si quis indè statueret, omnem credentem esse ad beatitudinem prædestinatum? Visionis beatificæ consecutionem absolutè, & quasi *essentialiter contineri* in fide, *quasi quodam inchoativo totius*, quod sunt *res sperandæ*, cum toto humanorum actuum ordine, quo illarum obtinebitur possessio? Ita neque sequitur, cum fide, etsi *quodam* totius ordinis illius *quasi inchoativo*, sive semine, semper conjunctum statim esse amorem, & fiduciam. Nam S. Thomas loco superiùs citato agnoscit *fidem informem*, etiam quæ est *donum gratiæ*.

Et in 4. distinctione 6. quæst. 1. art. 3. q. 1. ad 5. *Ad hoc, quòd homo præparet se ad gratiam in Baptismo percipiendam, præexigitur fides; sed non charitas, quia sufficit attritio præcedens; etsi non sit contritio*. Idem de Sacramento pœnitentiæ tradit S. Doctor in 4. dist. 17. q. 3. art. 5. q. 1. in Resolutione. Ex ipso itaque Angelico, quem sibi adversarius finxerat suffragatorem, manifestè convincitur, quòd fides divina, & supernaturalis possit esse absque amore. Eadem est ratio de fiducia, quæ non minùs quàm dilectio fide posterior est.

CAPUT VII.

Subdola Collatoris observatio refellitur.

1 JUxta Collatorem „ in fide non qua„ licumque; sed tali, quæ cum „ amore, & fiducia conjungitur, di„ cit author (Quesnellus) velut in germi„ ne, & semine omnia alia salutis media „ contineri, quod verissimum esse, cuivis „ patebit rem paulò attentiùs consideranti: „ talis namque fides piè orat: atqui ora„ tionem piam, esse velut germen, & semen „ omnium gratiarum, omniumque virtu„ tum, quis neget, cùm hæc omnia oratione „ impetrentur? Jam nec externa saluris „ media, qualia sunt Sacramentorum susce„ ptio in Euangelio præscripta, & Ecclesia„ stica præcepta, ullatenus excluduntur; „ quippe qui tali fide donatus est, habet „ proculdubio propositum, ac voluntatem „ saltèm implicitam ea omnia peragendi, „ quæ & Euangelium, & Ecclesia manda„ verint. Itaque omnia in ejusmodi fide „ includi, rectè dicuntur ad eum ferè mo„ dum, quo de *vero recti amore* pronuntiat „ S. Leo Magnus, eum *in semetipso habere* „ *& Apostolicas authoritates, & Canonicas* „ *Sanctiones*.

Diceres Collatorem ex altero orbe huc recentissimè advectum, & novorum, quæ hic in dies procuduntur, dogmatum ignarum, nè cæteros quidem inspexisse Quesnelli articulos Constitutione UNIGENITUS condemnatos; sed in solum 52. oculis leviter conjectis, supposuisse, eum minùs crudè, & minùs rigidè, quàm verba in significatione obviâ sonent, ab authore intellectum: eâ tamen calliditate concepta est Observatio, ut, dum sensum tolerabilem videtur adscribere damnato articulo, nihil simul enuntiet pestiferæ contrarium novitati; sed venenum tegere, non tollere moliatur.

2 Dissimulat scilicet, negari illic omnia salutis media ad fidem necessariò prærequisita; hæc enim evidens est non *in fide, tamquam in suo germine, & semine contineri*; qui tamen sensus orationis proprius, Lectoris intellectui statim occurrit. Cùm dicitur, *omnia alia salutis media contineri in fide, tamquam in semine*, per alia media indicantur ea, quæ ipsa fides non sunt. Ante hanc nullum agnoscitur ab authore salutis medium, quandoquidem quod fidei prævium est, nequit fidei effectus esse, sive in ea velut in semine contineri. Hunc autem sen-

sensum non solùm obvia hujus propositionis significatio manifestè præsefert; sed & aliunde exploratissimum est, omnia gratiæ auxilia, quæ indubiè inter salutis media sunt, à Quesnello, & ejus sociis ante fidem penitùs abrogari.

Quid clarius Propositionibus tribus sequentibus in præsenti Constitutione proscriptis? Prop. 26. *Nulla dantur gratiæ ante fidem*. 27. *Fides est prima gratia, & fons omnium aliarum*. 28. *Prima gratia, quam Deus concedit peccatori, est peccatorum remissio*? Quanto molimine Arnaldus, Quesnelli oraculum, contra Decretum Alexandri VIII. defendere ausus est propositionem 5. inter 31. ab illo Pontifice condemnatas: *Pagani, Judæi, Hæretici, aliique hujus generis nullum omnino accipiunt à Jesu Christo influxum; adeòque hinc rectè inferes, in illis esse voluntatem nudam, & inermem, sinè omni gratiâ sufficienti*? Postquam Decretum illud atrocissimis contumeliis laceraverat Quesnellus prolixâ epistolâ typis editâ nomine *Abbatis ad quemdam Romanæ Curiæ Prælatum*, Antonius Arnaldus, instigante Wallonio, grandiore contra illud opere invectus est; scilicet parte nonâ *Difficultatum propositarum Domino Steyaert*, ubi pag. 212. & sequentibus memoratæ Propositionis 5. censuram totis viribus, & calumniis aggreditur.

3 Edisserat nobis etiam Collator, num fidem aliam Divinam, & supernaturalem Quesnellus in suis propositionibus agnoscat, quàm eam, *quæ cùm amore, & fiducia conjungitur*, ut proinde non de qualicumque fide; sed de speciali illa asseruisse dicendus sit, quòd in ea *omnia salutis media contineantur tamquam in suo germinè, & semine*? Si *Fides sit prima gratia*, ut à Quesnello assertum vidimus Prop. 27. si *& prima gratia, quam Deus concedit peccatori, sit peccatorum remissio*, quomodo in illo systemate fingi potest fides supernaturalis, quæ cum amore, & fiducia non conjungatur? An forsitan fides aliqua mortua, & informis sinè amore, & fiducia sit peccatorum remissio? Num Collator omnes esse cæcos existimat, ut non videant Propositionem Quesnelli 45. *Amore Dei in corde peccatorum non ampliùs regnante, necesse est, ut in eo carnalis regnet cupiditas, omnesque actiones ejus corrumpat*: Et 44. *Non sunt nisi duo amores, unde volitiones, & actiones omnes nostræ nascuntur: amor Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur; & amor, quo nos ipsos, ac mundum diligimus, qui quod ad Deum referendü est, non refert, & propter hoc ipsum fit malus*? Conspicimus hîc volitiones, & actiones ex corruptâ scaturigine trahentes vitium, quæcumque Dei amor non sunt; vel ex *amore* illo *regnante*, & *agente omnia propter Deum, quemque Deus remuneratur*, non proveniunt. Ubinam igitur invenietur fides bona, & supernaturalis sinè amore, & quæ hunc juxta Quesnellum semper comitetur, fiduciâ? Imò & juxta omnes charitas sinè spe, & fide non introducitur.

Istius Quesnelliani sensûs ignorantia condonari posset, ut supra indicaveram, homini huc ab antipodibus advecto; sed turpis simulatio est in Theologo, qui tantam sibi tribuit disputatorum dogmatum peritiam, ut supra centum Galliæ Episcopos, totius Christiani orbis extra Galliam Theologos, & supra ipsam Sedem Apostolicam sapere præsumat, eamque de condemnatis perperàm 101. Propositionibus accusare.

4 Agnoscit quidem Quesnellus fidem aliquam sinè amore, & fiduciâ; sed humanam diabolicæ similem, & minimè supernaturalem, minimè laudabilem; cupiditatis verò pravitate corruptam, ut traditur Propositionibus 44. & 45. Talis agnitio fidei sinè charitate, & fiduciâ, minimè à veneno liberat Propositionem 52. ut ex tota hactenus contra eam dissertatione compertum est; neque eam justissimo subtrahit anathemati. Si enim nulla fides admittitur supernaturalis sinè amore, & fiduciâ, idest, sinè charitate justificante, qui apertus novi theologi sensus est, quid fiet Tridentinæ sessionis 6. Canone 28. *Si quis dixerit, amissâ per peccatum gratiâ, simul & fidem semper amitti; aut fidem, quæ remanet, non esse veram fidem, licèt non sit viva; aut eum, qui fidem sinè charitate habet, non esse Christianum, anathema sit*? Certum est, fidem humanam diabolicæ similem, & cupiditatis vitio laborantem, non esse veram fidem, quâ Christiani sumus, & ad charitatem, justitiamque disponimur. Si igitur inter eam illicitam, & aliam justificantem nulla agnoscitur fides supernaturalis media, hoc ipso via omnis præcluditur, qua Tridentinum anathema declinetur.

Neque effugitur aliud Alexandri VIII. contra Prop. 12. ex 31. *Quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor, deficit etiam fides: &, etiamsi videantur credere, non est fides Divina; sed humana*. Expungi pariter debebit, quod Tridentinum habet de dispositionis ordine ad justificationem sessione 6. cap. 6., de attritione sess. 14. cap. 4. & eum traditione Patrum doctrina clarissima Doctoris Angelici, atque Ecclesiæ universæ. Quòd in hac adversarios non compre-

hendam, ignoscent ipsi, qui se aperto nimium schismate, & hæresi non unâ à totius Ecclesiæ Pastore, & eum sequente grege fidelium separarunt.

Sicut in Collatoris ad præsentem articulum *Observatione* detexi, & confutavi fallaciam; similem passim in cæteris ejus ad Propositiones alias Observationibus facilè Lector depreheudes; si eas cum meis circa singulos articulos dissertationibus contuleris. De quo nè dubites, præter jam exhibitum, & aliud datum ad præcedentem articulum, novum specimen accipe, quod prætériveram, circa art.48. Sic observatio nos monet; „ Verissimum est, quòd non aliud simus „ quàm tenebræ, quàm aberratio finè cha- „ ritate; si charitatem cum Augustino la- „ tè sumas, pro quolibet *motu animi ad* „ *fruendum Deo propter ipsum*; nam nec fi- „ des, si modò vera sit, ac distincta à fide „ Dæmonum, tali motu caret; quippe pio „ affectu in divinam fertur veritatem, qui „ fidem habet Christianam, etiam infor- „ mem; atqui finè fide, saltèm inchoatâ, nil „ esse possumus, nisi tenebræ, aberratio, & „ peccatum, ut ad hanc ipsam propositio- „ nem vidimus sat fusè ex Patribus.

5 Scimus, charitatis vocabulum subinde latiùs ab Augustino accipi pro omni bona voluntate, quæ est ex gratiâ, qualem bonam voluntatem, atque eo sensu charitatem, agnovit in quibusdam infidelibus, ut in Assuero, ubi memorat furentem ejus animum, Esthere corruente, à Deo in mansuetudinem subitò commutatum. Verùm ubi S. Doctor appellationem charitatis in latiore, & minùs propriâ utitur significatione, non desunt circumstantiæ, quæ usum istum nominis à vulgari sensu translatum indicent. At periculosis temporibus, quibus Bajani errores de charitate condemnati sæpius, identidem repullulant, cavenda diligenter scriptoribus est occasio erroris in legentibus; ideóque non tantùm est sentiendum cum Ecclesia; sed etiam cum ea dilucidè loquendum; præsertim dum libros asceticos scribimus, & vulgari lingua, ut omni hominum generi, & sexui ædificando deserviant.

Adeò autem Quesnelli dogmata, quæ in sensu obvio erronea sunt, non possumus sensu accipere benigniore, ut omnes ab eo circumstantiæ nos avertant. Quando enim art. 28. legimus, *Prima gratia, quam Deus concedit peccatori, est peccatorum remissio*, & tam multis inculcarum articulis, præsertim trigesimo octavo, & quator sequentibus, quòd omnia prorsus opera absque gratiæ auxilio sint peccata, quomodo judicare possumus, articulo 48. ad vitandum peccatum Quesnello sufficere charitatem quamlibet latè, & impropriè dictam, quæ non justificet? Quomodo à simili interpretatione non retrahit nos quod traditur art. 44. non esse nisi duos amores, unde omnis nostra volitio, & actio nascitur: *amorem Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur, & amorem mundi malum*? Art. 45. amorem istum debere *regnare in corde*; aliàs *omnem actionem* necessariò *cupiditate corrumpi*? Amor Dei *in corde regnans, omnia agens propter Deum, quemque Deus remuneratur*, cui mortalium non apparebit justificans.

Desinat itaque Collator censuram Apostolicam accusare, quasi Quesnelli articulum duriùs acceperit, quàm ejus expressio, & authoris sententia postularet. In rebus sacris, & temporibus, ut dixi, adeò periculosis non nisi securè, & perspicuè loquendum est, neque simplicibus præbenda erroris occasio. Quamquam minimè ambiguè hic Quesnellus sensum suum pravum, & erroneum proposuit; præsertim si totius doctrinæ cumulus attendatur; nam si quid dubii in amoris nomine occurreret, num de amore super omnia, & justificante; an de alio inferioris ordinis in præsenti articulo diceretur, ex tot comitantibus aliis articulis mens authoris, atque ita legitima sermonis interpretatio aperitur, ut nullus tenebris, nullus de ea disputationibus locus sit.

Si quid igitur mitigationis verisimilis conciliare damnato articulo adversarius voluerit, ostendat, ubinam Quesnellus umquam actum fidei, vel amoris Dei supernaturalem admiserit, qui non esset justificans. Oppositum nos ex pluribus clarissimis Quesnelli enuntiationibus demonstravimus. Quapropter si *charitatis latè dicta*, & *fidei informis* nomine adversarius intelligat, ut passim accipiunt Scholastici, amorem, & fidem ex gratiæ auxilio; sed quæ ad justificationem non sufficiunt, exhibeat ullum in propositionibus, vel aliis Quesnelli superioribus scriptis amoris istiusmodi, & fidei vestigium, contra tot articulos, quos jam recensui tali explicarioni directissimè obsistentes. Ostendat quoque, si potest, Collator ex aliquo Quesnelli opere, fidei informis nomine tum habitum, tum actum ab eo intelligi bonum, & supernaturalem. Nihil simile allatum est hactenus, & vereor, ut quis in ullis ejus lucubrationibus umquam reperiat.

7 Quâ etiam confidentiâ, nisi maximè

mè temerariâ, & dignâ anathemate, quo pridem à tribus Pontificibus confixa est, audet Collator asserere tamquam *verissimum*, quòd non aliud simus, quàm aberratio, & peccatum sinè charitate, si charitatem cum Augustino latè sumas, pro quolibet *motu animi ad fruendum Deo propter ipsum*? Ignorare se simulat censuram Pii V. Gregorii XIII., Urbani VIII. contra hunc Baji articulum 25. *Omnia opera infidelium sunt peccata, & virtutes philosophorum sunt vitia*. Juxta Augustinum Polemonis Ethnici continentia, Assueri ad lenitatem conversio, Romanorum veterum justitia, & actus strenui, quibus à Deo promeruerunt imperium, fuerunt Dei dona, quæ proinde de peccato redargui non possunt; nec tamen latè quidem dicta charitas, sumpta pro *motu animi ad fruendum Deo propter ipsum*, poterit in illis ullâ veritatis specie allegari. Talis enim charitas, etiam juxta adversarios, fidem necessariò supponit, qua Ethnicos illos caruisse, nimis exploratum est.

Textus Augustini multiplices, & clarissimos, uti & S. Hieronymi, & aliorum Patrum, etiam Doctoris Angelici pro innocentia quorumdam actuum ab infidelibus exercitorum dedi sæpius contra art. 42. 44. 48., & alibi. Actus autem illos, ut fidei expertes, ita fuisse & charitatis, etiam latè dictæ, qualis à Collatore describitur, non est quòd contendam, assentientibus maximè adversariis. Unde ineptissima Collatoris observatio, & fides pessima undequaque convincitur.

Quinquagesimatertia Propositio damnata.

Sola charitas Christiano modo facit (actiones Christianas) per relationem ad Deum, & Jesum Christum. *Observ. Moral. Coloss. 3. vers. 14.*

CAPUT I.

Propositio est contraria Scripturis SS.

1 Nemo catholicus revocabit in dubium, quin omnis agendi modus, & ratio à Christo nobis tradita, sit verè christiana: idem statue de modo quolibet, quem Spiritus Sanctus in Novi potissimum Testamenti libris proposuit, atque laudavit. Christus autem Lucæ 12. v. 5. *Ostendam*, inquit, *vobis quem timeatis: timete eum, qui, postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam. Ita, dico, hunc timete*. Hoc igitur institutus Christi monito actum fidei elicio, quo credo Divinæ Sapientiæ asserenti, hanc esse in vero Numine potestatem; quam nè adversùs me exerceat, timeo; quapropter statuo ab omni crimine mihi deinceps perpetuò abstinendum. Hanc rationem in mentem revoco, quoties carnis illecebris, aut quacumque Dæmonis tentatione pellicior: eodem monito, & metu concussus, do eleemosynas, carnem macero, orationes ad Deum fundo, ut pœnitentiæ gratiâ donatus, Dei vindictam, & gehennam effugere valeam.

Actiones illas Christianas esse, etiam quoad modum, censebit omnis fide, & religione præditus, qui Christi monita, & Sapientiam reveretur. Iterum Deus inculcat Apocal. 14. v. 7. *Timete Dominum, & date illi honorem; quia venit hora judicii*. Dare Deo honorem, quia instat judicium, in quo æterna supplicia impiis Dei contemptoribus, præmia verò eum honorantibus tribuentur, Quesnellus è Christianarum actionum numero eliminat, vel modum saltèm operandi censet Christiano indignum nomine. Sic nova Jansenistarum

Ecclesia melioribus se documentis à suis fundatoribus, quàm Romanam à Christo institutam hactenus gloriatur.

a Neque Apostolus Doctor gentium salubriter erudiverit Colossenses cap. 3. v. 24. dicens: *Quodcumque facitis, ex animo operamini, sicut Domino, & non hominibus, scientes, quòd à Domino accipietis retributionem*. Si sola charitas facit actiones Christianas per relationem ad Deum, & Christum, quales faciet retributionis desiderium, spei proprium, non charitati? Si nempe spei ratio, præscindendo à charitate, non sit christiana, censebitur fallax Apostoli adhortatio, Christianos excitans motivo, ut Quesnellus ait, minimè Christiano.

Non magis epistola 1. ad Corinth. Christiana erit, dum cap. 9. vers. 25. ait: *Omnis, qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet, & illi quidem, ut corruptibilem coronam accipiant; nos autem incorruptam*. Non bono fidelibus exemplo, & documento est, coronam proponere, etiam incorruptibilem, tamquam bonorum actuum finem, si *sola charitas christianas actiones modo faciat christiano per relationem ad Deum, & Christum*. Ex illa enim Apostoli sententia quis non colligat, honestum esse, & maximè christianum operari ex fine tradito à Doctore gentium, præcipuo aliàs charitatis præcone? Licèt enim omnia nihil sibi prodesse fateatur, si charitate caruerit; attamen in actibus pluribus scopum sibi præfigere immarcescibilem gloriæ coronam, etiam dum à charitatis fine præscinditur, ex Pauli verbis absque erroris periculo discimus. Ita nempe universa Christi intelligit Ecclesia, exceptis paucissimis, quos charitatis continuæ zelus non secundùm scientiam ultra veritatis limites aliquando abripuit; sed postquam Romani Pontifices sæpius, ut capite sequenti videbitur, communem sententiam suâ definitione firmarunt, refragantium pertinacia non ampliùs pietatis zelus, sed damnabilis innovandi censebitur prurigo.

In lege quidem veteri vixit Moyses; sed per fidem Mediatoris, & charitatis spiritum, quo ducebatur, non inferiora gessit multis Sanctis novi Fœderis, ut præclara ejus facinora maximo Christianis exemplo sint. De eo autem testatur Apostolus Hebræis cap. 11. quòd *majores divitias æstimaverit thesauro Ægyptiorum improperium Christi; aspiciebat enim in remuneratorem*. Thesauris Ægyptiis, quos aula regia amplissimos offerebat, præferre improperium Christi, tanto ante Christi adventum tempore, actio inter Christianas, laudis, & pretii minimè vulgaris fuit. Si verò *sola charitas Christiano modo faciat actiones Christianas per relationem ad Deum, & Christum*, non satis providè exemplum istud fidelibus ad imitandum proponitur: minùs etiam prudenter sola adducitur retributionis intentio, tamquam finis ultimus, motivo præterito charitatis.

3 Similis erroris, vel imprudentiæ à Quesnello accusabitur Apostolorum Princeps, dum epistola 1. cap. 5. spe præmii, omisso charitatis fine, ad virtutum exercitia allicit: *Cùm apparuerit Princeps Pastorum, percipietis immarcescibilem gloriæ coronam*. Non istud est, inquiet Quesnellus, ratione Christiano homini, aut Christianis actionibus congruâ nos inducere ad virtutem.

Eadem Quesnelli enunciatio reprehendit Deum Apoc. cap. 2. dicentem: *Esto fidelis usque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ*. Talis scilicet virtutum illecebra dari potuit Judæis, qui spiritum servitutis in timore, & mercenarium in retributionis fiducia acceperant; at Christianis, quibus adoptionis in filios, & charitatis spiritus obtingit, talia dictari ad virtutem incentiva, à Christiani hominis officio, si Quesnello credimus, tantopere aliena, neque dignum Numine institutore est, neque homini conveniens Christiano.

Securissimi autem Scripturarum interpretes sunt Oecumenici Episcoporum cœtus à Sede Apostolica approbati; ipsi quoque per se Pontifices Maximi ex Cathedra definientes: dein Sancti Patres, & Scholastici consensu communissimo in eandem concurrentes sententiam. Quare classes adeamus singulas.

CAPUT II.

Damnatæ Propositioni adversantur Concilii Tridentini, & Romanorum Pontificum Definitiones.

1 Supponimus ex Proverbiorum cap. 10., & Epistola 1. Petri Apostoli cap. 4. quòd *Charitas operiat multitudinem peccatorum*: & ex Sancto Thoma quæst. 1. de charitate art. 1. in Resolutione, quòd *qualibet charitas sufficiat ad salutem*. Unde si *sola charitas Christiano modo faciat actiones Christianas per relationem ad Deum, & Christum*, necesse est, nullas actiones Christianas fieri Christiano modo per relationem ad Deum, & Christum, quamdiu chari-

charitas abfuerit, atque adeò antequam obtingat juftificatio.

Notus eft Tridentinæ Synodi canon 28. feff. *6.* „ Si quis dixerit, amiffâ per peccatum gratiâ, fimul & fidem femper amitti: „ aut fidem, quæ remanet, non effe veram „ fidem; licèt non fi viva: aùt eum, qui fidem finè charitate habet, non effe Chriftianum, anathema fit. „ Si fides, etiam finè charitate, fit vera fides, licèt non viva; & qui fidem finè charitate habet, fit verè *Chriftianus*; igitur actus fidei ab illo procedens habitu, & ex motivo fidei proprio, eft actio Chriftiana, & Chriftiano modo fit per relationem ad Deum, & Chriftum.

2 Neque in novaturientium fchola, fuæ fidei, & theologiæ principia hauferant Tridentini Patres, qui feffione *6.* cap. *6.*, & feff. 14. cap. 4. Chriftianum juftificationis in adultis ordinem, & longam Chriftianorum actuum feriem Chriftiano modo eliciendorum accuratiffimè defcripfere, per quos paulatim ad charitatem, & juftitiam peccator difponitur. Cùm autem interea is charitate careat, evidens eft, non folam illam Chriftiano modo facere actiones Chriftianas per relationem ad Deum, & Chriftum; fiquidem actiones illæ fiunt à peccatore, ad Dei, & Chrifti amicitiam afpirante.

Ita Concilium feff. *6.* cap. *6.* „ Difponuntur autem (peccatores) ad ipfam juftitiam, dum excitati Divinâ gratiâ, & adjuti, fidem ex auditu concipientes, liberè moventur in Deum, credentes vera effe, quæ divinitus revelata, & promiffa funt: atque illud inprimis, à Deo juftificari impium per gratiam ejus, per redemptionem, quæ eft in Chrifto Jefu: Et dum peccatores fe effe intelligentes, à Divinæ juftitiæ timore, quo utiliter concutiuntur, ad confiderandam Dei mifericordiam fe convertendo, in fpem eriguntur, fidentes Deum fibi propter Chriftum propitium fore, illumque tamquam omnis juftitiæ fontem diligere incipiunt: ac „ propterea moventur &c. „ Ecce quot præparentur actibus Chriftianis, & Chriftiano modo exercitis abfque charitate, ut Deum tandem tamquam omnis juftitiæ fontem diligere incipiant!

Seff. 14. cap. 4. „ Illam verò contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati „ confideratione, vel ex gehennæ, & pœnarum metu communiter concipitur, fi „ voluntatem peccandi excludat, cum fpe „ veniæ, declarat, non folùm non facere „ hominem hypocritam, & magis peccatorem; verùm etiam donum Dei effe, & „ Spiritûs Sancti impulfum, non adhuc quidem inhabitantis; fed tantùm moventis, „ quo pœnitens adjutus, viam fibi ad juftitiam parat: Et, quamvis finè Sacramento pœnitentiæ per fe ad juftificationem perducere peccatorem nequeat; tamen „ eum ad Dei gratiam in Sacramento pœnitentiæ impetrandum difponit. „ Hactenus non adeft peccatori charitas, fed multis iterum actibus Chriftianis, & Chriftiano modo elicitis ad eam confequendam fe præparat.

3 Prorfus itaque à Tridentini Concilii tramite aberrat Quefnellus afferens, *folam charitatem facere Chriftiano modo actiones Chriftianas per relationem ad Deum, & Chriftum*; in omnibus enim memoratis à Tridentino actibus fe refert peccator ad Deum, & Chriftum, cui reconciliari defiderat. Accedit feff. 14. canon 5. infligens anathema, „ fi quis dixerit, eam contritionem, quæ „ paratur per difcuffionem, collectionem, „ & deteftationem peccatorum, quâ quis „ recogitat annos fuos in amaritudine animæ fuæ, ponderando peccatorum fuorum gravitatem, multitudinem, fœditatem, amiffionem æternæ beatitudinis; & „ æternæ damnationis incurfum, cum propofito melioris vitæ, non effe verum, & „ utilem dolorem, nec præparare ad gratiam; fed facere hominem hypocritam, „ & magìs peccatorem. „

Contritionem defcriptam effe imperfectam, feu attritionem, patet, quia folo terminatur dolore ob amiffam beatitudinem, & incurfum damnationis cum propofito melioris vitæ abfque ullo charitatis indicio. Si autem tota illa actionum collectio, ut ait Quefnellus, à Chriftiano modo aliena fit, non eft, unde verus, & utilis dolor fit, atque ad gratiam præparet. Non exprimit quidem præfens Quefnelli articulus, quòd talis contritio faciat hominem hypocritam, & magis peccatorem: effe tamen eum authoris fenfum fuperiores articuli nos convincunt, veluti cum articulo 47. dicitur, *Obedientia legis profluere debet ex fonte, & hic eft charitas, alioquin non eft, nifi hypocrifis*. Art. 46. *Cupiditas, aut charitas ufum fenfuum* (cæterarumque facultatum) *bonum, vel malum faciunt*. Denique art. 44. *Non funt, nifi duo amores, unde volitiones, & actiones omnes noftræ nafcuntur: amor Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur; & amor, quo nos ipfos, ac mundum diligimus, qui quod ad Deum referendum eft,*

est, non refert, & propter hoc ipsum sit malus.

4 Damnatus pridem à Pio V., Gregorio XIII., & Urbano VIII. fuit hic Michaelis Baji articulus 16. *Non est vera legis obedientia, quæ fit finè charitate.* Si autem finè charitate, ut fidelibus omnibus nunc maximè profitendum est, vera legis obedientia esse possit, poterit & esse actio Christiana, facta Christiano modo, quamvis charitas abfuerit. Dein ab Alexandro VIII. proscripta fuit inter 31. novitates hæc 15. *Attritio, quæ gehennæ, & pœnarum metu concipitur finè dilectionis benevolentiæ Dei propter se, non est bonus motus, ac supernaturalis.* Attritio hæc absque dilectione Dei benevola non fit per charitatem, ut patet; si tamen ei à Catholicis omnibus adscribendus est *bonus motus, ac supernaturalis*, evidens est, *Christianam actionem esse, & modo fieri Christiano.*

Novitas ibidem anathemate confixa est hæc 10., *Intentio, qua quis detestatur malum, & prosequitur bonum, merè, ut cælestem obtineat gloriam, non est recta, nec Deo placens.* Si itaque, ut certissimum est, *intentio* ista *recta sit, ac Deo placens*; etsi ex charitate non profluat; sed *merè* ex *cœlestis gloriæ obtinendæ* desiderio, dicenda ea patiter est *Christiana actio, & modo Christiano* elicita.

Duodecima ibidem damnata Propositio fuit: *Quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor, deficit etiam fides; &, etiamsi videantur credere, non est fides Divina, sed humana.* Quod à magnis peccatoribus charitas recesserit, omnibus Catholicis æquè, ac adversariis indubitatum est. Et quidem supponitur tanta in peccatoribus istis perversitas, ut omnis amor Dei in eis penitùs defecerit; atramen & habitum fidei in ipsis non desiisse, & fidem ab eis subinde elici, etiam Divinam, omnes Catholici cum Sede Apostolica credimus. Quis autem dixerit, actum fidei Divinæ, ac proinde supernaturalem, in Christianis non esse actionem Christianam, aut non Christiano modo exercitam?

5 Denique apud Cardinalem de Aguirre Theologiæ S. Anselmi disp. 122. sect. 2. Gregorius XIII. anno 1576. die 14. Aprilis in Bulla, quæ incipit *Cùm Sacrosancta Romana Ecclesia* anathemate percussit hanc Propositionem: *Opera quæcumque finè charitate facta, sunt peccata, & Deum offendunt.* Quæ censura tunc lata in causa Bartholomæi Caranzæ, licèt afficere non videatur præsentem Quesnelli articulum, si ab authoris, & aliorum ejus dogmatum circumstantiâ præscindatur; cum ea tamen conjunctum evidens est, eodem prorsus anathemate involvi; cùm actionem non fieri Christiano modo, & laborare vitio, idem prorsus sit juxta articulum 44. 45. 46. 47.

Sed neque illorum mihi subsidio opus est, ut conficiam Quesnelli, etiam in præsenti articulo, sensum esse, quòd relatio in Deum, & Christum, per charitatem, non solùm necessaria sit, ut actiones decorentur appellationis Christianæ encomio; sed etiam ut à peccati macula reddantur immunes. Ita articulum præsentem explicant præcipui ejus vindices, authores *Hexaplorum*, & *Collationis*, inculcando ex Bernardi, Angelici, & aliorum sententia, ut existimant, relationem ex charitate pro actionibus singulis præceptam.

Præterea, quòd in Emerici Directorio Inquisitorum pag. 258. inter errores attributos Raymundo Lullo, & *condemnatos*, *ut verè hæreticales* referatur hìc 77. *Quòd finè charitate non possumus habere aliquam virtutem, sicut finè oculis non possumus videre.* Quæ censura etsi gravissimi ponderis, utpote lata judicio viginti Magistrorum, quibus sub Gregorio XI. Cardinalis Hostiensis commiserat articulos illos examinandos; cùm tamen non præ se ferat authoritatem Pontificiam, non videtur penitùs irrefragabilis; qualis est recentior contra similes aliorum opiniones lata à Pio V., Gregorio XIII., Urbano VIII., Alexandro VIII., & CLEMENTE XI.

CAPUT III.

Propositio contraria est Doctrinæ Patrum, maximè Sancti Augustini.

1 Clemens Alexandrinus lib. 2. Stromatum: *Prima quidem ad salutem inclinatio nobis fides apparet; post quam timor, & spes, & pænitentia.* Hìc Christianorum actuum ordo constituitur non præviâ charitate.

Basilius in Psalmum 32. *Necessariò velut introductorius ad pietatem timor assumitur; dilectio verò deinceps à timore scientifico adaptatos perficit.* Si timor necessariò velut introductorius assumitur, ut dilectio succedat, atque à timore adaptatos perficiat, timor ille indubiè Christianus est, & Christiano modo elicitus; attamen absque charitate, utpote ad dilectionem successutam solummodo disponens.

S. Hie-

S. Hieronymus in cap. 1. Malachiæ; *Vult itaque primò Deus, ut filii ejus ſimus, & bonum voluntate faciamus: ſi hoc conſequi nolumus, ut ſaltèm ſervos ſuos habeat, & à malis per ſuppliciorum formidinem recedamus*. Deus in Eccleſia ſua, & Chriſtianorum numero non ſolos filios habet, qui amore diriguntur; ſed etiam ſervos, qui formidine: qui proinde modus actuum quorumdam non indignus Chriſtiano nomine eſt. Idem Sanctus in cap. 2. Michææ, *Qui pudore*, inquit, *& verecundià* (aut charitate) *non tenentur, agant pœnitentiam, ſaltèm comminatione pœnarum*.

2 S. Auguſtinus in Pſalm. 127. „ Ubi „ vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur. Audiunt hæc homines, &, quia verè futura ſunt impiis, „ timent, & continent ſe à peccato. Timent quidem; ſed non amant juſtitiam; „ cùm autem per timorem continent ſe à „ peccato, fit conſuetudo juſtitiæ, & incipit, quod durum erat, amari, & dulceſcit Deus, & jam incipit homo juſtè vivere ..... timet, nè mittatur in gehennam: „ bonus eſt, & utilis iſte timor. „ Igitur bene, & utiliter ex eodem timore fiunt opera Chriſtiana: atque ita non *ſola charitas* Chriſtiano modo facit actiones Chriſtianas; neque charitas timori præſupponitur, cùm hic ad illam diſponere cenſeatur. *Non* enim adhuc *homines* illi *amant juſtitiam*, & prorſus charitas excluditur; cùm ibi Auguſtinus addat. „ Ille timor nondum caſtus, „ præſentiam Domini, & pœnas timet: timore facit, quidquid boni facit; non „ timore amittendi bonum illud; ſed timore patiendi illud malum: non timet, „ nè perdat amplexus pulcherrimi ſponſi; „ ſed timet, nè mittatur in gehennam: bonus eſt & iſte timor, utilis eſt. „ Libro de catechizandis rudibus cap. 5. „ De ipsâ „ etiam ſeveritate, qua corda mortalium „ ſaluberrimo terrore quatiuntur, charitas „ ædificanda eſt. „ Dum ſaluberrimo terrore ædificatur charitas, terrore poſterior eſt, atque iſta Chriſtiana ſimul actio eſt, & Chriſtiano modo exercita, utpote ſaluberrima, ſi charitati ſuperædificandæ ſubjicit fundamentum.

Tract. 9. in 1. epiſtolam Joannis, *Initium ſapientiæ timor Domini. Timor quaſi præparat locum charitati .... Si autem nullus timor, non eſt, quà intret charitas*. Actio illa, quâ timor præparat locum charitati, indubiè Chriſtiana eſt, & Chriſtiano modo elicita. Cùm autem illa charitatem præveniat, compertiſſimum eſt, non *ſolam charitatem Chriſtianas actiones facere Chriſtiano modo*. Ibidem: *Opus eſt ergo, ut intret timor primò, per quem veniat charitas; timor medicamentum, charitas ſanitas*. Medicamentum ſanitatem efficit; ſic timor charitatem: unde rurſus perſpicuum eſt, timorem illum & Chriſtianum eſſe, & modo procedere Chriſtiano: cùmque charitate prior ſit, evidens eſt, hunc ab illa non profluere, atque ita non *ſolam charitatem* Chriſtianas actiones modo efficere Chriſtiano. Idem Auguſtinus tradit ſermone 13. de verbis Apoſtoli: Gregorius Magnus homilia 34. in Euangelia, & lib. 28. Moralium cap. 8. Bernardus tractatu de præcepto, & diſpenſatione, ſerm. 4. de timore Dei, & ſermone 37. in Cantica &c.

3 Hactenus quidem de ſolo timore Chriſtiano: non pauciora Auguſtinus ſuppeditat de ſpe. Sermone 25. aliàs 19. de diverſis num. 7. „ Cùm Chriſtus apparuerit „ vita veſtra, tunc & vos cum ipſo apparebitis in gloria. Ecce dies boni: ipſos „ deſideremus: propter hoc vivamus: propter hoc oremus: propter hoc eleemoſynas demus. „ Sermone 1. in Pſalm. 103. num. 14. „ Latitudo eſt in bonis operibus: „ longitudo in perſeverando uſque in finem: altitudo propter ſurſum cor, ut „ omnia bona opera noſtra, in quibus perſeveramus uſque in finem, habentes latitudinem, qua bene operamur, & longitudinem, qua perſevaramus uſque in „ finem, non faciamus, niſi ſpe cœleſtium „ præmiorum. „

Hac ratione facimus procul dubio actiones chriſtianas, & chriſtiano modo, non *ſolâ charitate*, ut præcipit Queſnellus; ſed etiam ſubinde, *nonniſi ſpe cœleſtium præmiorum*, ut hic loquitur Auguſtinus, quamvis certiſſimum pariter ſit, charitatis motivum nobilius eſſe; ſed non tamen neceſſitate præcepti in omnibus ſemper chriſtianis actibus intendendum. In Pſalm. 120. num. 10. „ Quando facis bonum opus, propter vitam æternam fac; nam ſi opus bonum in „ terra propterea feceris, ut terrena tibi „ abundent, ſcit ſiniſtra tua, quid faciat „ dextera tua: miſcuiſti dexteram ſiniſtræ: „ noli facere, niſi propter vitam æternam: „ ideo fac, & ſecurus facies; hoc enim mandavit Deus. „

4 Item S. Doctor ſerm. 259. aliàs 19. ex collectis à Sirmondo num. 1. „ Fratres „ exhortamur vos in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti ..... ut omnis intentio „ veſtra, quare Chriſtiani eſtis, & nomen „ ejus in fronte, & in corde portatis, non „ dirigatur, niſi in illam vitam, quæ nobis „ cum

„ cum Angelis est futura, ubi perpetua „ quies, sempiterna lætitia, indeficiens „ beatitudo, nulla perturbatio, nulla tri- „ stitia, nulla mors. „

Serm. 282. aliàs de diversis 105. num. 1. „ Neque enim omnes Martyres in certa- „ mine passionis, atque confessionis ad „ tempus fortiter laborarent, nisi ut per- „ petuâ felicitate gauderent. „

Iterum serm. 150. num. 4. „ Generali- „ ter audite omnium Philosophorum com- „ mune studium, in quo studio communi „ habuerunt quinque divisiones, & diffe- „ rentias sententiarum propriarum. Com- „ muniter omnes Philosophi studendo, „ quærendo, disputando, vivendo appe- „ tiverunt apprehendere vitam beatam. „ Hæc una fuit causa philosophandi; sed „ puto, quòd hoc Philosophi nobiscum „ commune habent; si enim à vobis quæ- „ ram, quare in Christum credideritis, qua- „ re Christiani facti fueritis, veraciter mi- „ hi omnis homo respondet, propter vi- „ tam beatam. Appetitio igitur beatæ vitæ „ Philosophis, Christianisque communis „ est. „

Denique serm. 302. aliàs de diversis 111. num. 3. „ Hinc intelligitur, quare simus „ Christiani; quia non propter temporalia, „ & transeuntia, vel bona, vel mala; sed „ propter vitanda mala, quæ non transi- „ bunt, & propter adipiscenda bona, quæ „ terminum non habebunt. „ Clarissimum ubique motivum spei est, quo ad christia- nam vitam, & virtutum exercitium accen- dimur, nullo addito indicio charitatis velut necessariæ in omnibus actibus, ut vult Ques- nellus: Profectò aut juxta Augustinum non *sola charitas christiano modo facit actiones christianas*, aut à Sanctissimo Doctore, quod refugit animus cogitare, turpiter deludi- mur: neque Doctoris Ecclesiæ, & quidem Doctoris maximi partes implevisse videre- tur, si tot locis, tot enuntiationibus, qui- bus nihil exprimi potest pro communi sen- tentiâ disertius, pertraxisset Ecclesiam in errorem, ut propter eas, & plures similes Quesnellianæ oppositas novitati, hanc pror- sus dignam credat anathemate, horteat, ac detestetur.

CAPUT IV.

Scholasticorum Principes, & discipuli eorum præcipui consensu communissi- mo Propositioni refragantur.

1 Sanctus Thomas parte 3. quæst. 85. art. 5. „ De pœnitentia loqui pos- „ sumus dupliciter: uno modo „ quantum ad habitum; & sic immediatè à „ Deo infunditur sinè nobis principaliter „ operantibus; non tamen sinè nobis dis- „ positivè cooperantibus per aliquos actus. „ Alio modo possumus loqui de pœnitentia „ quantùm ad actus, quibus Deo operanti „ in pœnitentia cooperamur. Quorum „ actuum primum principium est Dei ope- „ ratio convertentis cor secundùm illud „ Thren. ultimo: *Converte nos Domine ad te, „ & convertemur*. Secundus actus est mo- „ tus fidei: tertius est motus timoris ser- „ vilis, quo quis timore suppliciorum à „ peccatis retrahitur: quartus est actus „ spei, quo quis sub spe veniæ consequen- „ dæ assumit propositum emendandi: quin- „ tus actus est motus charitatis, quo alicui „ peccatum displicet secundùm se ipsum, „ & non jam propter supplicia. „

Actus primus, qui juxta S. Thomam, & omnes Catholicos, solius Dei motio, sive operatio ipsum primum gratiæ auxilium est, nobis non liberum, neque actus propriè hu- manus. Per ipsum tamen juxta Quesnellum immediatè nobis crimina remittuntur, sive, ut is Propositione 28. sinè ambagibus men- tem suam explicat, *Prima gratia, quam Deus concedit peccatori, est peccatorum remis- sio*. Cùmque juxta Propositionem 27. *Fides sit prima gratia*, neque fiat reconciliatio si- nè charitate, maximè in Quesnelli senten- tiâ (per quam omne, quod charitas non est, vel ab ea non profluit, peccatum est) necessariò statuitur prima gratia, seu prima Dei operatio esse ipsa fides, simul & chari- tas. Quo exotico, & apud Theologos inau- dito hactenus dogmate, nullum cogitari po- test magis contrarium Aquinati.

Secundus actus ab eodem Angelico de- signatus est fides; juxta Quesnellum dici de- buit etiam charitas, vel fides imperata à charitate; aliàs foret non Divina, sed hu- mana; imò diabolica. Tertius motus ite- rum charitas esse debuit timorem efficiens minimè servilem; *sed filialem*, qui apud An- gelicum sexto loco est, quo *propter reve- rentiam Dei aliquis emendam Deo volunta- rius*

rius offert. Quartus juxta Quesnellum esse debuit motus charitatis, quo spes veniæ concipitur, & melioris vitæ assumitur propositum; quia in Quesnellianæ pœnitentiæ, & totius juxta ipsum christianæ vitæ ordine *sola charitas christiano modo facit actiones christianas per relationem ad Deum, & Christum*.

Iternm S. Thomas ejusdem Quæstionis art. 6. in resolutione: *Actus quidam laudabiles, etiam tempore præcedere possunt actum, & habitum pœnitentiæ, sicut actus fidei, & spei informium, & actus timoris servilis*. Non fiunt actus illi ex charitate, ut patet, & tamen *laudabiles* prædicantur. Rursus igitur ex Angelico concludendum est, non solam charitatem facere actiones christianas, & christiano modo.

Idem Sanctus Opusculo de Dilectione cap. 22. *Voluntate Deum diligis dilectione concupiscentiæ, cùm ipsum vis: hæc est bona voluntas, imò optima: item dilectione amicitiæ voluntatem tuam suæ conformas; quia amicorum est idem velle, & nolle*. Ubi dilectio concupiscentiæ, etiam prout ab amore amicitiæ, seu charitate distinguitur, bona declaratur voluntas, imò optima, atque ita christiana etiam quoad modum.

2 S. Bonaventura in Opusculo de gratia sanctific. lib. 5. cap. 4. *Timor servilis duo facit: primum est, quòd viam præparat charitati: secundum, quòd retrahit à peccato metu pœnæ tantùm*. Quemadmodum uterque effectus apprimè bonus, & christianus est, negari non potest, quin ejus pariter radix bona, & christiana sit, tum si ipsam in se, tum si producendi modum attenderis.

Utrumque Sanctissimum Doctorem præcessit Seraphici Magister Alexander Alensis parte 3. quæst. 76. membro 2., & 3. Quos Scholarum Principes secuta est infinita, & non ignobilis discipulorum turba. Dionysius Carthusianus in 1. dist. 14. quæst. 3. Dominicus Soto in 4. dist. 14. quæst. 2. art. 5. Petrus Ledesma in Theol. Moral. Tract. de pœnitentia cap. 7. Didacus Cabezudo in 3. parte de contritione qu. 1. art. 2. dub. 2. Gamachæus 1. 2. quæst. 19. de dono timoris cap. 5. Alphonsus à Castro verbo *timor* hæresi 1. contra Lutheranos, & verbo *Contritio*. Durandus in 3. part. dist. 34. quæst. 4. num. 9. Bannes 2. 2. quæst. 19. art. 4. conclusione 1. Bonacina tom 1. disput. 5. qu. 5. puncto 3. prop. 3. num. 4. Navarrus tom. 2. de contritione cap. 1. num. 8. in Manuali. Lorca 2. 2. qu. 19. disp. 12. num. 4. sect. 2. Pesantius quæst. 86. disp. 1. art. 5. Gabriel in 4. dist. 14. quæst. 2. dub. 3. Kellisonus 1. 2. quæst. 42. & 3. parte quæst. 1. de pœnitentia art. 2. Duvallius 2. 2. Tract. de spe quæst 3. art. 2. Puteanus 3. parte quæst. 85. art. 5. dub. 1. Ex his omnibus, qui ante Jansenium scripsêre, nullus est, qui adversariis meritò suspectus sit. Recentiores autem communi sententiæ adhærentes quis enumeret?

3 Tres addo omni exceptione majores, S. Franciscum Salesium, & duos eruditissimos Cardinales Bellarminum, & Aguirrium. Sic itaque Sanctus Genevensium Antistes lib. 12. de amore Dei cap. 8. ad illud Apostoli „ Omne quodcumque facitis in „ verbo, aut in opere, omnia in nomine „ Domini nostri Jesu Christi. Sive ergo „ manducatis, sive bibitis, sive aliud quid „ facitis, omnia in gloriam Dei; (sic obser- „ vat) Quæ verba Apostoli, ut dicit Do- „ ctor Angelicus, ea explicans, sunt in suf- „ ficienti usu, quando nos possidemus ha- „ bitum sanctissimæ charitatis, per quem „ licèt non habeamus expressam, & acti- „ vam intentionem faciendi, quidquid fa- „ cimus, propter Deum; habemus tamen „ implicitè contentam in unione, & com- „ munione, quam cum Deo habemus, per „ quam omne bonum, quod facere possu- „ mus, unà nobiscum dedicatum est Divinæ „ bonitati. „ Quod illustrat similitudine filii-familias, cujus omne lucrum Patri cedit, etsi ille de Patre in operationibus non cogitet; ita juxta Salesium actiones christianæ fiunt christiano modo, & ad Dei gloriam referuntur charitatis habitu, quo filii Dei sumus; etsi amoris actus defuerit, quem Quesnellus in Protestatione, & Querimonia se requirere declarat, & omnes ejus velut necessarium exigunt Sectatores. Verùm securior nobis amoris, simul & veritatis catholicæ præco est Salesius, de quo in Horis canonicis testatur Ecclesia, quòd *suis scriptis cœlesti doctrina refertis Ecclesiam illustravit, quibus iter ad christianam perfectionem tutum, & planum demonstrat*. Quantum hæc differunt à judicio, quod de Quesnelli scriptionibus iterato anathemate fert Ecclesia!

Non officit istud obligationi primi, & maximi præcepti, quo jubemur aliquando nos totos, & nostra omnia in Deum referre. Quare Sanctum nostrum potiùs audiamus, etiam de timore christiano, etiam non à charitate imperato; sed servili, & mercenario lib 11. cap. 16. „ Quantum autem ad „ timorem servorum, & mercenariorum, „ non procedunt quidem ab amore, sed „ ordinariè præcedunt ipsum, ut ei sint in- „ star

„ ftar prodromorum, & designarorum hospitii,& isti sunt perutiles ejus servitio; „ adeòque fiunt modo maximè christiano.

Paulò post ita prosequitur: „ Divina „ bonitas volens in anima humana collo„ care magnam virtutum diversitatem, & „ tandem eam exornare sacro suo amore, „ utitur acu timoris servilis, & mercenarii, „ qua ordinariè prius corda nostra pun„ guntur. „ Plura de hoc videri apud Salesium possunt cap. 17., & 18., & lib. 2. cap. 17., quæ prolixiùs retuli contra Propositionem 44.

4 Bellarminus lib. 2. de pœnitentia capiti 17. hunc præmittit titulum: *Contritionem imperfectam, sive attritionem ex timore pœna ortam, bonam, atque utilem esse.* „ Dein,expositis tribus timoris generibus,ait: „ Quartus timor est propriè servilis, quo „ videlicet ita peccator Deum punientem „ timet, ut solius pœnæ fugiendæ causâ à „ peccatis perpetrandis caveat, & de per„ petratis doleat.... de hoc igitur timore „ tota controversia est; hunc enim Luthe„ rus damnabat, ut qui faceret homines „ hypocritas,magisque peccatores: & hunc „ eundem Tridentina Synodus sess. 14. „ cap. 4. bonum, atque utilem esse, & à „ Deo excitari docet. Quæ sententia pro„ batur primò ex verbis illis Davidis Psal„ mo 110., & Salomonis Proverb. 1. *Ini„ tium sapientiæ timor Domini*. Et Ecclesia„ stici cap. 1. *Timor Domini expellit pecca„ tum; nam qui sinè timore est, non poterit „ justificari*. Et cap. 25. *Timor Domini ini„ tium dilectionis ejus*. Hæc dicuntur de ti„ more, qui est in peccatoribus, & qui di„ lectionem præcedit: in peccatoribus au„ tem, & ante dilectionem timor filialis „ esse non potest; sed tantùm servilis. „ Tum sententiam eandem pluribus Scripturarum, ac Patrum testimoniis roborat. Cap. 18. solvit Lutheri objectiones, quæ novis Augustini discipulis communes sunt. Plura ex hoc petitissimo Cardinale dedi contra Prop. 44., & recurrent aliqua in solutione objectionum.

5 Superest promissum Cardinalis Aguirrii judicium, qui & ipse non solâ Purpuræ dignitate, sed etiam eruditione, & pietate eminentissimus, atque Quesnello in sua *Explicatione apologetica*, & ejus sociis meritò magno in pretio est. Cùm autem in hac controversia discutienda plurimum operæ posuerit, & (quod sinè aliorum invidiâ dixero) nemo eam magis dilucidè tractasse videatur, non inutilis erit prolixior sententiæ ejus relatio; quia ex ea facillimè dissipabitur quidquid tenebrarum affundere veritati conata fuerit Novatorum astutia, quorum præcipuum, ut in objectionibus videbitur, fundamentum est prætensa obligatio referendi semper omnia opera in Deum ex charitate. Sic autem neutri partium suspectus, minimè laxus, & omnino æquissimus arbiter, disput. 129. sect. 2. „ In hac re „ certum existimo, esse aliquam obliga„ tionem præcepti, ut omnes operatio„ nes, actiones, affectus, cogitationes„ que deliberatas ordinemus explicitè in „ gloriam Dei, quæcumque ejus ordina„ tionis capaces sunt. Quod postremum „ addo, nè quis fortè existimet, etiam „ actiones malas, vel qualitercumque illi„ citas in Dei gloriam ordinari debere ... „ Debet itaque quilibet hominum ratione „ virtutum ex præcepto sæpe in decursu vi„ tæ, & saltèm interdum in anno, præser„ tim verò intrà breve aliquod tempus ab „ usu rationis accepto, se ipsum, & omnia „ sua ordinare, ac referre explicitè in glo„ riam Dei tamquam finis ultimi propter se „ dilecti. „

Quo dogmate sacris literis stabilito, sic concludit: „ Itaque si in verbis 1. Cor. 10. „ *Omnia in gloriam Dei facite*, & aliis simi„ libus ejusdem Apostoli continetur præ„ ceptum, quod plerique interpretes ne„ gant, aut minùs strictè exponunt, intel„ ligendum est nullatenus distinctum ab „ ipso præcepto diligendi Deum; licèt „ semper obliget, nequid contra illud fa„ ciamus, quatenus est virtualiter negati„ vum; non tamen obligat pro semper, ut „ omnes Scholastici cum Divo Thoma lo„ quuntur, quatenus affirmativum est; sed „ solùm interdum, aut sepiùs juxta varias „ Theologorum sententias. Quoties igi„ tur obligare illud contigerit ad positi„ vum exercitium amoris Dei super omnia, „ tunc pariter obligat strictè, ut nos, & „ omnes affectiones, atque actiones deli„ beratas explicitè in gloriam Dei refera„ mus, saltèm quatenus sufficiat ad chari„ tatem habitualem servandam in præpara„ tione animi..... Quoties autem præce„ ptum amoris Dei super omnia non obli„ gat positivè ad illum exercendum, tunc „ etiam non obligat, ut nos, & omnia no„ stra explicitè in Dei gloriam referamus; „ sed hoc manebit intrà limites consilii. „ Quapropter amor Dei super omnia, & „ relatio explicita omnium actionum no„ strarum in gloriam Dei, dum injungun„ tur nobis in illis testimoniis Deuterono„ mii, Euangelii, atque Apostoli, accipi „ de-

„ debent partim fub præcepto, partim fub „ confilio: fub præcepto quidem quoties „ positivè obligamur ad diligendum Deum „ fuper omnia; fub confilio autem, ubique „ & femper, five quoties deliberatè agi- „ mus. Similiter juxta doctrinam negan- „ tium actus indifferentes in individuo, ut „ ajunt, five in exercitio, omnis actio in re „ positiva, ut honesta fit in genere moris, „ debet effe relata in Deum finem ultimum, „ faltèm implicitè, eâ relatione, quæ intimè „ clauditur in ordine ad finem ultimum, & „ proximum honeftatis objectivæ moralis. „ Hæc enim relatio fufficit ad excufandum „ ab omni culpa, quoties non urget fpe- „ ciale illud præceptum explicitæ relatio- „ nis.

„ Juxta fenfum hunc accipi debet po- „ fterior fententia communis apud omnes „ ferè Scholafticos, & Theologos cujusli- „ bet inftituti, exceptis Nov-Auguftinia- „ nis, quam certam, & veriffimam cenfeo. „ Etenim fi attentè legantur, nihil aliud „ docent, aut docere volunt, quàm quòd „ nos utroque numero præcedenti expli- „ cuimus. Itaque cohærenter ad hanc do- „ ctrinam ajunt, ut actiones quælibet deli- „ beratæ in materia virtutum moralium „ omni culpa vacent; imò & honeftæ fint, „ ac moraliter bonæ, non effe neceffarium „ ex præcepto, ut explicitè referantur in „ gloriam Dei, vel fiant ex amore ipfius „ formali, aut virtuali; fed fatis effe, ut „ fiant propter honeftatem moralem, intrà „ propriam materiam v. g. humilitatis, abf- „ tinentiæ, mifericordiæ &c. in qua ipfa „ habitudine clauditur implicitè relatio ad „ Deum finem ultimum, five ad ipfius glo- „ riam: ficuti universè in relatione expli- „ citâ ad finem proximum clauditur impli- „ citè relatio ad ultimum finem. Quin & „ omnes ii addunt ejufmodi actiones effe „ prorfus innoxias, & moraliter honeftas, „ etiam in iis hominibus, qui carent gratiâ „ fanctificante, & habitu charitatis theolo- „ gicæ, ac proinde omni amore fupernatu- „ rali Dei fuper omnia tam formali, quàm „ virtuali, & habituali: quales funt om- „ nes peccatores, infideles, & fideles, dum „ intrà ftatum peccati manent. Quamvis „ enim ii omnes adftringantur præcepto „ Divino naturali ad diligendum fuper om- „ nia Deum, & fubinde ad referendum fe „ ipfos, & omnia fua explicitè in obfe- „ quium ejufdem, id folùm intelligitur pro „ tempore determinato, in quo obligat il- „ los tale præceptum, circa quod eft lati- „ tudo, & varietas non modica fentiendi „ inter Theologos. Extra id verò tempus „ actiones memoratæ omni culpâ vacant, „ nec ullo modo contrariantur eidem præ- „ cepto; fed potiùs honeftæ, & bonæ exi- „ ftunt in genere moris. Hæc eft commu- „ nis, & vera, meo judicio, Theologorum „ fententia, quam ex profeffo illuftrare „ curabimus totâ difputatione fequenti.

CAPUT V.

Damnata Propofitio convellitur rationibus theologicis deductis à Cardinale Aguirre, & recentiffimè à Doctore Sorbonico.

1 Quandoquidem Quefnellus in *Querimonia, & Proteftatione*, cumque famofo Collatore Janfeniana Hexapla fenfum Propofitionis, *fola charitas facit actiones chriftianas chriftiano modo*, ita determinent, ut facere actiones non chriftiano modo, fit facere modo illicito, ex quo ipfæ etiam vitium contrahant actiones, ipforum adverfariorum examini committo rationes theologicas, quibus Eminentiffimus Aguirre, ob judicii rectitudinem ipfis æquè, ac nobis venerabilis, Bajanum hunc, & Quefnellianum articulum impugnat. Ita Cardinalis difp. 129. fect. 2. „ Omittam evafiones ad- „ verfariorum, & earum impugnationes, „ imò & fundamenta ex Scriptura, & Con- „ ciliis, & Patribus, ac rationes theolo- „ gicas à priori ad noftram doctrinam con- „ firmandam. Solùm itaque proferam im- „ pugnationes ab abfurdo multiplici colle- „ cto ex opinione eorum authorum.

2 „ Sequitur primò, omnia prorfus „ opera infidelium effe, ac fuiffe peccata „ coram Deo, neque ullum omnino fuiffe „ in iis opus, nullam affectionem delibera- „ tam immunem à culpa; fiquidem in iis „ non fuit ulla relatio operum ad Deum fi- „ nem ultimum propter fe dilectum amore „ fupernaturali. Hic enim neceffariò fup- „ ponit notitiam Dei per fidem theologi- „ cam, quæ nullum habet locum in homi- „ nibus infidelibus. Confequens autem „ fuit damnatum in Bajo à Pontificibus „ Pio V., & Gregorio XIII. „ (Urbano etiam VIII.) „ profcribentibus hanc illius „ Propofitionem 25. *Omnia opera infidelium* „ *funt peccata: & virtutes Philofophorum* „ *funt vitia.*

3 „ Sequitur fecundò, non modò „ infideles; fed fideles quoque, dum in „ ftatu

„ statu peccati solvunt debita ob servandam justitiam, vel præbent eleemosynam „ ex compassione miseriæ alienæ, vel alia „ quælibet virtutum moralium opera exercent propter honestatem moralem propriam ipsarum, verè in iis omnibus actionibus peccare, & quidem contra præceptum dilectionis Dei propter se, quæ „ juxta adversarios deberet præcedere, & „ influere actu, aut virtute saltèm in omnes „ eas actiones deliberatas, ut innoxiæ essent, & ab omni culpâ liberæ. Supponimus autem, in peccatoribus etiam fidelibus non præcessisse eam dilectionem supernaturalem Dei propter se, ac proinde nec ullum ejus influxum in opera; „ quia, quod non existit, neque extitit, „ non potest influere hic, & nunc. Quin & „ in peccatoribus fidelibus ipsi actus religionis, fidei theologicæ, ac spei, & pœnitentiæ christianæ præcedentes tempore „ justificationem, erunt peccata defectu relationis in Deum propter se dilectum amore supernaturali, quem supponimus „ in iis peccatoribus non præcessisse, ac „ proinde neque ullum influxum habere in „ ea opera. Eadem quoque ratio erit de „ attritione ex metu pœnarum conceptâ, & „ excludente voluntatem peccandi, dum „ non ducitur, nec innititur alicui dilectioni supernaturali Dei propter se. Ea verò „ omnia esse partim cohærentia Propositionibus Baji, damnatis à Sede Apostolica, partim dissidentia à doctrina Tridentini sess. 6. can. 6., & 8. ostendemus abunde in progressu Disputatione sequenti, „ & aliis locis.

4 „ Sequitur tertiò, etiam in hominibus fidelibus, dum existunt in statu peccati, non existere fidem supernaturalem, „ nec spem theologicam, nec virtutes morales, quas ante peccatum acquisiverunt „ per iteratos actus in materia ipsarum juxta communem omnium Philosophorum „ Moralium doctrinam, cum Aristotele „ lib. 2. Ethicorum cap. 1., & 2. nec denique ullum ipsarum exercitium. Sequela „ patet juxta mentem adversariorum, qui „ quemadmodum nullum exercitium virtutis, sive actum moraliter honestum „ agnoscunt, nisi à charitate theologicâ „ procedentem aliquo modo; ita nec ullam veram virtutem ab ipsa charitate distinctam. Cùm ergo catholica doctrina „ sit, & in Concilio Tridentino definita „ sess. 6. can. 28. quolibet peccato mortali „ amitti charitatem, consequens erit, ut „ pariter omnes virtutes amittantur, & „ ipsa fides. Hoc autem est planè contrarium eidem Concilio ibidem asserenti „ non quolibet peccato amitti fidem. Verba sunt: *Si quis dixerit, amissâ per peccatum gratiâ, simul & fidem semper amitti; aut fidem, quæ remanet, non esse veram fidem, licèt non sit viva; aut eum, qui fidem sinè charitate habet, non esse Christianum, anathema sit*. Eadem autem ratio est de „ spe theologicâ: eadem quoque de utriusque operationibus intrà statum peccati „ elicitis absque ulla charitate. Quod accidere posse quoad fidem theologicam, „ testatur, Apostolus 1. Cor. cap. 13. dum „ ait: *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam; charitatem autem non habuero, nihil sum*. Nimirum non sufficit ad salutem obtinendam, quamvis sit vera; „ imò & intensissima fides, sufficiens ad „ montes transferendos. Denique virtutes „ morales jam acquisitas, & ipsarum actiones frequenter manere post unum, vel „ aliud peccatum lethale commissum, testis „ est experientia ipsa, & facilitas, quâ „ actiones earum exerceri solent.

5 „ Sequitur quartò, etiam in hominibus justificatis, qui non semel in die, „ hebdomada, aut mense se ipsos, & omnia „ sua offerunt explicitè in Dei obsequium „ per supernaturalem dilectionem ipsius „ propter se, inanes prorsus, vitiosas, & „ supplicio dignas esse innumeras actiones „ in materia fidei, spei, religionis, & aliarum virtutum, tam infusarum, quàm moralium; quoniam dilectio illa, seu explicita relatio operum in gloriam Dei, quæ „ præcessit, jam nec actu, nec virtute influit hic, & nunc in prædictas actiones, „ ut supponimus; sed solùm est, & dicitur „ relatio habitualis, cujus nulla recordatio animum pulsat: neque illa est causa „ finalis, aut movens, vel imperans hìc, & „ nunc, ut tales actiones exerceantur; sed „ perinde se habet, ac si non præcessisset. „ Omnes autem actiones sic elicitæ, juxta „ adversarios, erunt otiosæ, & malæ moraliter ex defectu finis debiti. Consequens „ autem an durum sit, & omnium Catholicorum existimationi contrarium, nè quid „ ampliùs dixerim, lectori pio judicandum „ relinquo; imò potiùs Sedi Apostolicæ, „ ad quam maximè spectat.

6 „ Sequitur quintò, omnes actiones „ in materia virtutum quarumlibet elicitas, „ ab homine justo propter præmium à Deo „ obtinendum, esse illicitas, quoniam finis „ movens ad exercendum illas non est relatio aliqua explicita sive formalis, sive virtua-

„ virtualis in gloriam Dei, cujus nulla „ cogitatio animum pulsat; sed utilitas „ spiritualis præmii à Deo sperati. Similiter neque ullus actus proprius spei „ theologicæ erit, qui vitiosus non sit; cùm „ omnis ejus actio ducatur amore boni alicujus cedentis in commodum ipsius hominis sperantis. Consequens autem est „ contrarium Concilio Tridentino sess. 6. „ can. 26. ubi actiones expectandi, & sperandi à Deo æternam retributionem pro „ bonis operibus, injunguntur hominibus „ justis tamquam debitæ, ac proinde non „ modò ut licitæ; sed tamquam honestæ „ prorsus, & bonæ moraliter. Verba sunt: „ *Si quis dixerit, justos non debere pro bonis operibus, quæ in Deo fuerint facta, expectare, & sperare æternam retributionem à Deo per ejus misericordiam, & Jesu Christi meritum; si bene agendo, & Divina mandata custodiendo usque in finem perseveraverint, anathema sit*. Deinde canone 31. subdit: *Si quis dixerit, justificatum peccare, dum intuitu æternæ mercedis bene operatur, anathema sit*. Insuper, & idem „ consequens esse contrarium omnium fidelium existimationi, patebit ex progressu. Interim accipe illud Psalm. 118. *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas in æternum propter retributionem....*

„ Sequitur 8. veram fore Propositionem 27. Baji: *Liberum arbitrium sinè gratia Dei adjutorio non nisi ad peccandum valet*. Juxta adversarios enim omnis „ actio deliberata, in re debet esse bona, „ aut mala.... atqui juxta ipsos liberum „ arbitrium sinè gratiæ adjutorio non valet „ ad aliquid bonum; non enim valet sinè „ gratiæ Dei adjutorio diligere Deum propter se supernaturaliter, nec in ipsum, ut „ finem supernaturalem, referre actionem „ aliquam, quod ipsi ajunt esse requisitum „ necessarium ad bonitatem moralem cujuslibet actionis moraliter bonæ. Ergo „ solùm superest, ut liberum arbitrium sinè „ gratiæ Dei adjutorio nonnisi ad peccandum valeat....

8 „ Sequitur undecimò, omnem actionem ex officio honestam; sed tamen carentem relatione formali, aut virtuali „ in gloriam Dei, esse peccatum mortiferum, si quid adversarii argumentis suis „ efficiunt, aut colligunt ex Doctrina Augustini: etenim pleraque ejus testimonia, quæ urgent præsertim ex lib. 4. contra Julianum cap. 3. ea sunt, ut dicat S. „ Doctor, actiones non relatas in Deum „ facere homines *injustos*, & *plenos nigredine peccatorum*: præterea, ut arguunt „ adversarii, homo per eas actiones fruitur creaturâ, non utitur: ac proinde „ collocat sibi in eâ rationem ultimi finis. „ Hoc autem palàm est peccatum mortiferum. Consequens autem quàm horribile sit, nemo non videt; quia & multò urgentiùs colligitur ex eorum opinione, „ omnia peccata saltèm deliberata, etiam „ in materia qualibet levi, esse mortifera, „ tum quia in iis non est relatio formalis, „ aut virtualis ad Deum finem ultimum: „ tum quia in iis homo magis fruitur creaturâ, quàm in actionibus ex officio honestis. Consequens autem est falsissimum, „ & contrarium sensui totius Ecclesiæ; „ atque affine hæresi damnatæ in Concilio „ Tridentino, quâ aliqui ajebant omnia „ peccata esse mortifera...

9 „ Sequitur denique, ut plura alia „ omittamus, veram esse illam Propositionem 38. ejusdem Baji: *Omnis amor creaturæ rationalis, aut vitiosa est cupiditas, quâ mundus diligitur, quæ à Joanne prohibetur; aut laudabilis illa charitas, quâ per Spiritum Sanctum in corde diffusâ Deus amatur*. Assumptio patet: nam juxta adversarios omnis amor deliberatus, sicut „ & omnis actio, atque operatio libera „ creaturæ rationalis, quæ non ducit ortum ex influxu formali, aut virtuali saltèm charitatis Divinæ, & supernaturalis, „ quo referatur in Dei gloriam, est vitiosa, „ & mala moraliter ex defectu finis debiti: „ ergo est vitiosa cupiditas, quâ mundus „ diligitur, & quæ à Joanne prohibetur. „ Nullus ergo amor deliberatus, nulla libera affectio est in rationali creatura, „ quæ non sit, vel vitiosa cupiditas, vel „ laudabilis charitas. Scio, pleraque horum absurdorum fuisse ab aliis objecta in „ adversarios, & hos satisfacere conatos; „ sed quàm inanis, & frigida eorum responsio sit, constabit palàm evolventi accuratiùs rem ipsam, & consulenti loca, „ in quibus illam ex professo tractamus. „ Quare quæcumque in hac sectione diximus, solùm sunt brevis index dictorum „ supra, ac de cætero dicendorum „.

10 Eminentissimo Hispano succedat Franciscus Maria Assermet Doctor Sorbonicus tom. 2. pag. 747. contra 53. Quesnelli articulum *Nonne*, (inquit) *actio Christiana est illa, quæ à Jesu Christo præcepta, & ejus spiritu ducta, sit in honorem ipsius; etsi is, qui illam præstat, sit adhuc mortalis peccati conscius? Ecquid actiones fidei in Christum non erunt*

erunt actiones Christianæ? Attritio quæ præcedit justificationem, quæ sanè non est ex charitatis motivo, non erit Christiana? Actus spei, justitiæ, religionis, temperantiæ, quos Deus imperat, quique ad Deum referuntur, non erunt Christiani, quia non fiunt à, vel ex charitate? Ergo Christianus sinè charitate non est Christianus? En præclara istius propositionis documenta! Liber is contra Quesnellum prodiit anno 1715. Præcesserat simile judicium alterius Doctoris Theologi etiam Galli, anno 1714. lib. *Defense de la Constitution &c.* pag.275. & sequenti. Imò pag.270. relatis Quesnelli propositionibus à quadragesima octava usque ad 58., quæ omnes sunt de charitate, non dubitat in omnes sinè discrimine censuram proferre *hæreseos*. Nobis eas de falsitate convincere sufficit: graviores, quas indubiè merentur, censuras, Majorum judicio relinquimus.

CAPUT VI.

Inanis adversariorum ad Scripturas provocatio.

1 Quod ex Epistola 1. ad Corinth. cap.13. adversarii adducunt, pridem à nobis ostensum est, nihil Constitutioni officere, neque damnatis Quesnelli novitatibus patrocinari. Audiatur iterum, quoniam ita postulat adversariorum pertinacia: *Si linguis hominum loquar, & Angelorum; charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens*; quod quidem sonum edit, & strepitum, sed non vivit. Ita Concionator, & quisquis de virtutibus linguâ quodammodo angelicâ loquitur, si charitate caruerit, minimè vivit spiritu, sed mortuus est coram Deo instar æris sonantis, aut cymbali tinnientis. *Et, si habuero prophetiam, & noverim mysteria omnia, & omnem scientiam: &, si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum.* Sive, ut ait Augustinus lib.15. cap.8. *Fides sinè charitate potest quidem esse; sed non prodesse.* Et Epistola Jacobi cap.2. *Quid proderit, fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? Numquid poterit fides salvare illum?*

Prosequitur objectionem adversarius ex citatâ Pauli Epistola cap. 13. *Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, &, si tradidero corpus meum, ita ut ardeam; charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Quem locum sic elucidat Cornelius à Lapide: „ Dices, ergo si pœnitens in bonis operibus se exerceat ante reconciliationem, „ illa nihil ipsi prosunt. Respondent alii, „ qui prodesse; quia pœnitens, inquiunt, „ habet charitatem non infusam, quæ facit „ justum; sed charitatem, id est affectum „ sinceri amoris erga Deum, quoad reconciliationem aspirat. Verùm hic affectus „ non est, nec dici potest charitas; charitatem enim hic, & alibi Sacra Scriptura vocat eminentissimam virtutem, fide „ & spe majorem, quæ nos Dei amicos facit. Secundò, quia actus timoris, spei, & „ fidei disponunt ad justitiam; ergo sunt „ aliquid etiam sinè affectu amoris illius. „ Dico ergo, nihil prosunt bona opera „ peccatori pœnitenti, nisi sequatur charitas. Sic enim ait, eleemosynam non prodesse, ut patebit versu 3. Dispositio enim „ qua dispositio, frustrà est, & nihil, nisi sequatur forma, ad quam disponit. Opera „ ergo sinè charitate nihil sunt, id est nullam justitiam, aut salutem conferunt: & „ homo sinè charitate nihil est, scilicet secundùm esse spirituale, quo per regenerationem spiritualem accipit esse supernaturale, & Divinum, fitque nova Dei creatura, filius & hæres Dei. Hinc patet, fidem solam non justificare „; sed neque ullum aliud opus bonum absque virtutum principe charitate. Hæc enim, ut ait Augustinus Sermone de tribus virtutibus theologicis, est, quæ *distinguit inter filios Dei, & filios Diaboli: inter filios regni, & filios perditionis.* Libro quoque de natura, & gratia cap. ultimo, *charitas inchoata, inchoata justitia est: charitas magna, magna justitia est: charitas provecta, provecta justitia est: charitas perfecta, perfecta justitia est.* Sensus autem illius, *nihil mihi prodest*, non est, quòd fides, eleemosyna, & cujuscumque propter fidem toleratio supplicii, nihil in se habeat bonitatis, nihil dispositionis ad charitatem, & justitiam; sed quòd nihil meriti conferat ad salutem. Ita S. Thomas in hunc locum Apostoli, *Nihil mihi prodest*, inquit, *scilicet quantùm ad meritum vitæ æternæ, quæ solis diligentibus Deum repromittitur.*

2 Non vident autem acuti homines, ad quod desperationis barathrum, ad quam bonorum operum, atque ipsius orationis incuriam miseros pertrahant peccatores, dum hanc Pauli sententiam adducunt in Quesnelliani dogmatis confirmationem: neque perspiciunt, se universam Tridentini Concilii de dispositionibus peccatoris ad justificationem sess.6. cap.6. & sess.14. cap.4. doctrinam funditus subvertere. Quod si perci-

cipiunt, ut non obtusum eis, sed novaturiens, & contumax ingenium est, tanto majori se perfidiæ crimine obstringunt, dum fidem, timorem, spem, & quascumque peccatoribus necessarias ad charitatem, & justitiam dispositiones, velut inutiles rejiciunt, solâ retentâ charitate.

Quid dico retentâ? imò, & ipsâ penitùs eliminatâ, utpore quam ex Tridentino Concilio, ex Traditione, ac totius sensu Ecclesiæ constat in hoc divinæ providentiæ, & Decretorum ordine sinè præviis quibusdam fidei, & aliorum humanorum actuum dispositionibus esse impossibilem.

3 Sacramenti pœnitentiæ administris, & piis omnibus animarum directoribus prudentia dictat, ut, si qui occurrerint peccatores, qui peccandi consuetudine, quasi vinculis constricti teneantur adeò, ut causentur sibi impossibile, ab ea se expedire, iis suadeant meditationem seriam de morte sibi certissimè imminente; sed occasione, & tempore incertissimo, de judicio horribili, de æternis, & omnem cogitationem superantibus inferorum suppliciis: de æterna beatitudine. Meditationi monent jungendam humilem, frequentem, & quantum possunt ardentissimam orationem, ut Deus omnipotenti suâ gratiâ tandem cor lapideum auferat, seu emolliat, & carnis illecebras cœlestis dulcedine amoris eos faciat superare. Orationis comites suadentur eleemosynæ, & alia misericordiæ opera, corporis quoque afflictio, quâ illiciti ejus reprimantur motus, & à Divina clementia, peccatores omnes ad pœnitentiam hortante impetrentur gratiæ subsidia, quibus tandem inveteratorum criminum laqueos diffringere valeant, & in numerum transire filiorum.

Hæc omnia si Quesnellus vocetenus approbare, & forsitan peccatoribus suadere videatur, at sensum ejus intelligentibus merus lusus, & turpis fallacia est, quando nihil operis admittit christianè fieri, nisi charitate, quæ ipsa justitia est, vel ab ea inseparabilis; ac proinde in nemine, quamdiu manserit in peccato, potest reperiri. Satis autem sibi conscius est peccator, se charitate carere, quamdiu non sentit absolutum, & efficax tescindendorum criminum, ac fugiendæ proximæ occasionis propositum, quod à dextera Excelsi optat, & expetit. Sed juxta Quesnellum art. 54. *Sola charitas est, quæ Deo loquitur, hanc solam Deus audit*. Unde charitate carentium frustranea omnis oratio est, & inutilis ad quidpiam auxilii à Deo impetrandum: inutilia in eundem finem omnia opera bona; imò etiam noxia, & illicita; quia cupiditas sunt, aut ab ea necessariò proficiscuntur art. 46. *Cupiditas, aut charitas usum sensuum bonum, vel malum faciunt*. 44. *Non sunt nisi duo amores, unde volitiones, & actiones omnes nostræ nascuntur; amor Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur; & amor, quo nos ipsos, ac mundum diligimus, qui quod ad Deum referendum est, non refert, & propter hoc ipsum fit malus*.

4 Mira quoque accidit adversariorum adeò voluntaria cæcitas, ut non videant, quòd sacer Apostoli textus novitatem eorum perimat, dum fides montes transferens memoratur sinè charitate. Sic enim S. Thomas in commentario: *Potest exponi id, quod dicit* (Apostolus) *omnem fidem, idest, omnium articulorum; sed melius est, ut exponatur omnem, id est, perfectam fidem, propter illud, quod subditur, ita ut montes transferam*. Estnè autem *fides perfecta*, quæ *Christiana* non est, vel non *Christiano modo* elicita? An quæ bona non est, sed orta ex cupiditate, idonea dicitur, ut *montes transferat*? Itaque prosternitur damnata novitas ipso textu Apostoli, quo sperabatur stabilienda. Quamquam nec credibile est, adversarios adeò stolidos esse, ut verba sacra sibi tam clarè opposita suffragari existiment; sed ea rudibus, & simplicibus circumveniendis sufficere Janseniana temeritas facilè sibi persuaserit.

5 Alterum, quod objicitur, est ex eadem ad Cor. Epistola cap. 16. *Omnia vestra in charitate fiant*: quæ verba diversimodè interpretes accipiunt, alii ut sint consilii, sicut illud Christi: *Estote perfecti, sicut & Pater vester cælestis perfectus est*: Alii de præcepto explicant, non ita, ut intentio semper in Charitatem ferri debeat; sed ut omnia opera sint ejusmodi, quæ cum charitate optimè consentiant: ut sint honesta in se, ac bona, ut in Deum ex natura sua implicitè tendant: Quod ita exponit Bellarminus lib. 5. de gratia, & libero arbitrio cap. 9. *Non est necesse omnia referre in Deum explicitè; sed satis est, si opus referatur in bonum finem proximum; tunc enim per se dirigitur in Deum, ut in ultimum finem. Sicut enim omne agens particulare agit in virtute primi motoris, id est, Dei; sic etiam omnis bonus finis movet in virtute ultimi finis. Alioqui non solùm infideles; sed etiam fideles, & justissimi quique semper peccarent, cùm inter operandum de Deo non cogitant; sed operantur, quia ratio dictat, esse bonum, & faciendum. Itaque nisi apponatur circumstantia finis mali, omne opus bonum morale per se refertur in Deum*.

S. Tho-

S. Thomas in disputatis Quæstionibus quæst.7. de malo art.1. agnoscens præceptum in illo Apostoli 1.Cor.10. *Sive manducatis, sive bibitis, sive quid aliud facitis, omnia in gloriam Dei facite*; sic exponit: *Cùm illud præceptum Apostoli sit affirmativum, non obligat ad hoc, quòd semper observetur in actu; observatur autem semper in habitu, quamdiu homo habitualiter habet Deum sicut ultimum finem*. Eandem interpretationem adhibet S. Franciscus Salesius lib.12. de amore Dei cap.8. cujus verba clarissima dedi superiùs cap.4. Hinc facilis fluit responsio ad id, quod opponitur ex Epistola ad Colossenses cap. 3. *Quodcumque facitis in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini nostri Jesu Christi facite, gratias agentes Deo, & Patri per ipsum*.

Sic enim S.Thomas in idem caput lect.3. *Dicendum est, quòd non est necessarium, quòd omnia in Deum referantur actu; sed habitu; qui enim facit contra gloriam Dei, & præcepta ejus, facit contra hoc præceptum*: cùm scilicet omnibus incumbat obligatio se justificandi, & reconciliandi cum Deo, si extra statum amicitiæ sit, necesse est consequi studeat habitum charitatis, quo omnia in Deum opera referantur. Hac ratione mandatum dicitur affirmativum, obstringens hominem, quoties urget Divina, & naturalis præceptio amandi Deum actu super omnia. Alterum hic mandatum negativum est obstringens hominem semper, ut *nihil faciat contra gloriam Dei, & præcepta ejus*, inquit Angelicus.

6 Eminentissimus Aguirre contra obligationem ab adversariis assertam pugnans fortiter tota disputatione 130. citatis pluribus Authoritatis, & Sanctitatis conspicuæ Scriptoribus, sect.4. num.44. concludit: *Mitto reliquos Scholasticos per omnia subscribentes, & solùm moneo, adeò certam iis esse nostram sententiam, ut quatuor nuper allegati, nimirum D. Thomas, S. Bonaventura, Scotus & Durandus, omnesque illorum Sectatores, inter quos circa res alias in Scholis controversas acre dissidium esse solet, in hac sinè pugna, aut altercatione convenerint: quod sanè argumento est, certissimam illam iis omnibus extitisse*.

Necessitas charitatis perpetuæ, seu referendi omnia nostra in Deum opera ex amore Dei super omnia benevolo, valdè cordi fuit spurcissimo Apostatæ Luthero, & dum pro ea magno studio corrasit quidquid alicubi in Augustini textibus obscurum, spectato verborum cortice, reperisset, Scholasticos omnes trium sæculorum sibi contrarios fassus est, uno solo excepto, quem à cæteris non impugnatum solummodò; sed gravibus etiam asserit flagellatum censuris. Undenam itaque ea novitas hodie in nova Quesnelli Ecclesia adeò invalescit? Novitas scilicet doctrinæ fundamentum novæ Ecclesiæ est.

Sed istud magis apparet mirabile, talem invadere aliquos stuporem, ut neque advertant, neque suspectam habeant manifestam hypocrisim, uti alias in Luthero, Calvino, Kemnitio, Petro dicto Martyre, ita modò in rigidis istis charitatis præconibus, qui merum æs sonans, aut cymbalum tinniens sunt, charitatem multo strepitu buccinans, nihil in se veræ continens dilectionis. Utinam in eis tantùm nulla, aut mortua esset charitas, & non ferina illos impelleret rabies contra catholicos, eos præsertim, quibus aliquis tuendæ fidei, & Constitutionis Apostolicæ zelus est!

CAPUT VII.

Frustrà pro defensione damnati articuli recurritur ad Sanctum Augustinum.

1 Libro de gratiâ Christi cap.26. *Etsi*, inquit Hipponensium Antistes, *Dei mandatum videtur aliquando non à diligentibus; sed à timentibus fieri; tamen ubi non est dilectio, nullum bonum opus imputatur, nec rectè bonum opus vocatur*: in Hexaplis pro *diligentibus*, & *dilectione* ter ponitur gallicè *charitas*, quæ nomina, etsi sæpe significatione conveniant, & à Quesnello promiscuè adhibeantur; certum tamen est, de Augustini mente inter Scholasticos disceptari, atque apud hos dilectionis nomine charitatem non semper intelligi, penès quos, duce Angelico, minima charitas justificat, non tamen minima dilectio. Charitas qualibet justificans colligitur ex illo Augustini lib. de natura, & gratia cap. ultimo: *Charitas incoboata, incoboata justitia est: charitas magna, magna justitia est: charitas perfecta, perfecta justitia est*. Dilectio autem potest esse inferioris ordinis, non super omnia, non justificans, ut dum peccator pro amore Dei rogatus exiguam eleemosynam, facilè impertit: quam dilectionem absque serio de peccatis præteritis dolore, & absoluto melioris vitæ proposito ad justitiam sufficere nullus dixerit.

Et quidem objectæ laciniæ sensus esse potest, *Dei mandatum videri aliquando non à diligentibus; sed à timentibus fieri*, quemadmo-

admodum Judæi plurimi metu mortis ab hominibus inferendæ, videbantur exteriùs servare legem, quam animo oderant. Lex autem non impletur externis actibus; si illis animus non respondeat; neque legis justitia ullatenus diligatur. In multis ipse inferni timor non obtinet veram legis obedientiam; timor nempe inefficax, qui supplicia utcumque aversatur; sed non ita, ut ad ea evitanda imperet fugam, & detestationem criminum. De talibus Augustinus dicit Epistola 144. *Qui gehennam metuit* (solummodo) *non metuit peccare, sed ardère.* Et mox: *Quis coram Deo innocens invenitur, qui vult fieri quod vetatur, si subtrahas quod timetur?*

2 Non magìs damnato articulo favet, si cum aliis dilectionis nomen acceperis pro dilectione indeliberatâ, quæ ipsa Divina gratia in voluntate est, ut aliàs indicavimus, pridem à Jansenii debellatoribus observatum. Auxilium gratiæ voluntatem excitans apud Augustinum appellationes admodum varias sortitur, inter quas sunt dilectionis, amoris, charitatis per spiritum Sanctum in cordibus diffusæ &c.

Sive ergo dixeris, non impleri legem absque interiore eam implendi voluntate; sive non impleri nisi per auxilium gratiæ voluntatem excitans, non inde sequitur, excludenda esse è Christianorum actuum numero, vel non fieri Christiano modo opera quæcumque misericordiæ, temperantiæ, castitatis, & reliqua virtutum moralium, ac nè fidei quidem, spei, & timoris, nisi simul charitas fint, vel ab ea imperentur: quo nihil magis contrarium est Divinis literis, Tridentino Concilio, & variorum Pontificum Definitionibus: præsentis etiam Ecclesiæ sensui, ac Traditioni veterum, maximè Augustini, ut superioribus capitibus demonstravi.

3 Nihil difficultatis parit quod ait Augustinus in Psalmum 77. num. 41. *Credenti in eum, qui justificat impium, deputatur fides ejus ad justitiam, ut deinde ipsa fides per dilectionem incipiat operari; ea quippe sola bona opera dicenda sunt, quæ fiunt per dilectionem Dei. Hæc autem necesse est antecedat fides, ut inde ista, non ab istis incipiat illa; quoniam nullus operatur per dilectionem Dei, nisi priùs credat in Deum. Hæc est fides, de qua dicitur: in Christo enim Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium; sed fides quæ per dilectionem operatur.*

Amplior hic à me reddita est Augustini sententia, quàm ab adversariis, ex brevitate semper, & mutilatione tenebras captantibus. Patet itaque totius Augustiniani dogmatis sensus; Fides quæ deputatur ad justitiam, indubiè non informis, & dilectionis expers est; sed formata, & imbuta charitate. Dum itaque justitiam per istiusmodi fidem quis adeptus est, incipit operari actiones meriti capaces, quæ solæ bonæ sint bonitate salutifera, & ad beatitudinem perducente; extra quam quid propriè bonum est homini?

Sic Bellarminus lib. 5. de gratia, & libero arbitrio cap. 11. ad illud quod objicitur ex Augustini Enchiridio cap. 13. *Quid boni operari potest perditus, nisi in quantum à perditione liberatur?* Respondet: *loquitur S. Augustinus de opere bono, quod ad salutem perducat,* quod ibi Eminentissimus probat: atque ipse se Augustinus explicat lib. 4. contra Julianum cap. 3. *Scito, nos illud bonum hominum dicere, illam voluntatem bonam, illud opus bonum ..... per quod solùm homo potest ad æternum Dei donum, regnumque perduci.*

4 Hoc tamen non impedit, quin subinde idem Sanctissimus Doctor voluntates bonas, actiones bonas inferioris ordinis agnoscat, ut lib. de gratia Christi cap. 24. postquam de Assuero rege Ethnico prædicaverat, quòd ad aspectum Estheris deliquium patientis *converterit Deus spiritum Regis in mansuetudinem*, insultat Pelagio atque Cœlestio dicens: *Legant ergo, & intelligant, intueantur atque fateantur, non lege, atque doctrina insonante forinsecùs; sed internâ, & occultâ; mirabili, ac ineffabili potestate operari Deum in cordibus hominum, non solùm veras revelationes; sed bonas etiam voluntates.* In Rege autem Ethnico ut fides defuit, non potuit esse vera charitas, & tamen cap. 21. negat Augustinus bonam voluntatem aliud esse, quàm charitatem: *Cùm ergo dicat Scriptura, Charitas ex Deo est, vel, quod est amplius, Deus charitas est; cùm apertissimè clamet Joannes Apostolus, Ecce qualem charitatem dedit nobis Pater, ut Filii Dei nominemur & simus, Iste* (Pelagius) *audiens, Deus charitas est, quare adhuc usque contendit, quòd ex illis tribus tantummodò possibilitatem habeamus ex Deo; bonam verò voluntatem, bonamque actionem habeamus ex nobis? Quasi verò aliud sit bona voluntas, quàm charitas, quàm Scriptura nobis clamat esse ex Deo, & à Patre datam, ut Filii ejus essemus?*

Iterum lib. 8. de Trinitate cap. 10. *Quid est dilectio, vel charitas, quam tantopere Divina Scriptura laudat, & prædicat, nisi amor boni?* Ubique Augustini studium est, ut Pelagianos adigat ad agnoscendam Dei gratiam,

tiam, etiam in voluntate; ideo omnia reducit ad charitatem, quam Sacri codices loquuntur aliud esse, quàm naturam hominis, & legem extrinsecùs sonantem; sed donum Dei naturæ superadditum, *diffusum in cordibus nostris per Spiritum Sanctum*.

5 Denique tam varias conspicimus in Augustino vocis *charitas* acceptiones, ut non solùm virtutis inter Theologicas principis, seu actum, seu habitum, &, ut aliàs exemplis ex Augustino pluribus ostendi, actum spei significet; sed etiam quamlibet ex gratia voluntatem bonam; ac denique ipsam, quæ in voluntate est, gratiam, quæ indeliberata volitio, seu dilectio est diffusa in cordibus à Spiritu Sancto. Tanta sensuum unius vocis in Augustino varietas, opportuna hæreticis occasio est fabricandi nova dogmata, atque ea Augustini vocibus, in sensum suum pro libitu detortis, contra ipsam stabiliendi Ecclesiam.

Hinc apparet hæreticorum, & eis temerè adhærentium astutia, dum tanto odio theologiam persequuntur Scholasticam, & solis volunt tirones incumbere legendis Scripturarum, atque Augustini voluminibus, ut nullus error tam exoticus sit, quem Theologicæ Scientiæ imperitis magister perfidus non persuadeat, veluti in Augustino, vel in SS. literis fundatum. Tunc prævalente in tironibus istis Novaturientium axiomate: *Ubi quis invenerit doctrinam in Augustino clarè fundatam, illam absolutè potest tenêre, & docere, non respiciendo ad ullam Pontificii Bullam*, quis modus eos ab erroribus revocandi?

Ægerrime tulere Arnaldus, & Quesnellus axiomatis illius proscriptionem in Decreto Alexandri VIII., ut indicat *Nona pars difficultatum Steyaertio propositarum* ab Arnaldo pag.171. & 176. Posteriore loco sic author Jansenianus interrogat: *Quid igitur faciendum Theologo, qui doctrinam clarè fundatam in Augustino invenerit, si eam pariter reperiat in Bulla aliqua Pontificia confixam? Neque dixeris, casum esse metaphysicum, qui nondum contigerit, neque videatur umquam eventurus; quin potius affirmo, casum esse tantùm nimis realem; ad quod aliâ probatione opus non est, quàm exemplo, quod ipse adfers de Jansenio, qui illam Augustini propositionem in Decreto adversùs Bajum edito offendens,* OMNIA INFIDELIUM OPERA SUNT PECCATA, *hæreo, inquiebat, fateor; sed quid ad Augustinum?* Digna est Jansenistarum principe objectio, sed & digna Doctore Angelico responsio 2. 2. quæst. 11. art.2. ad 3. *Hæreticus censetur, qui pertinaciter repugnat determinatis authoritate universalis Ecclesiæ; quæ quidem authoritas principaliter residet in Summo Pontifice .... contra cujus authoritatem, nec Hieronymus, nec Augustinus, nec aliquis Sacrorum Doctorum suam sententiam defendit.* Quapropter ad Theologum catholicum pertinet; ut potiùs existimet, se in dignoscenda Augustini sententiâ hallucinari, quàm ut eam definitioni Apostolicæ temerarius opponat.

Tanti quidem Patris reverentia postulat, ut sicubi verba ejus duriusculè sonant, benigniùs interpretemur, non condemnationis maculâ conspurcemus.. Ad exemplum quod attinet de Jansenio, mirum est, quòd Episcopus ille, qui à Valerio Andrea, vitæ ejus scriptore dicitur *Augustini opera omnia ferè decies; libros verò de gratia Divina, & libero arbitrio plusquàm tricies à capite ad calcem evolvisse*, non conspexerit in Augustino tot textus clarissimos, quibus in infidelibus agnovit actus innocuos, imò bonos, qui fuerint Dei munera, & præmium à Deo promeruerint temporale lib.5. de civitate cap.12. Epist.5. ad Marcellinum. Lib. de Spiritu, & litera cap. 26. libro 1. de gratia Christi cap.24. Sed omnibus passim novatoribus commune est, ut ad lectionem Scripturarum, & Patrum præconceptas adferant opiniones: unde lectio diligitur non veritatis discendæ studio; sed erroris stabiliendi cupidine; cùm fixum animo sit, nihil videre contrarium novitati; sed ad ejus omnia trahere patrocinium.

6 Redeamus ad Augustini Sententiam in Psalm.77. Hæc autem (bona opera) *necesse est antecedat fides, ut indè ista* (opera incipiant) *non ab istis incipiat illa; quoniam nullus operatur per dilectionem Dei, nisi priùs credat in Deum. Hæc est fides, de qua dicitur; in Christo enim Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed nova creatura.* Hinc confirmatur, agi de bonis operibus justitiam conferentibus, quibus opponitur circumcisionis ad eam inutilitas.

Sic enim ad hunc Apostoli locum Gal.6. S. Thomas: *In Christo neque circumcisio aliquid valet, id est, ritus Judaicus: neque præputium, id est, gentilitatis observantia, id est, ad justificandum, & jungendum cum Christo; Sed ad hoc valet nova creatura. ... Sic ergo per novam creaturam, scilicet per fidem Christi, & charitatem Dei, quæ diffusa est in cordibus nostris, renovamur, & Christo conjungimur.*

Superest itaque, ut adversarii sinè fucis, & ambagibus profiteantur, num censeant, nul-

nullam actionem Christiano modo fieri, nisi per charitatem justificantem. Si affirmaverint; Christianam omnem actionem peccatoribus adimunt, omnem eliminant attritionem, & actus fidei, timoris, spei, doloris de peccatis non solùm ex metu æterni supplicii, sed etiam ex spe beatitudinis cum firmissimo numquam ampliùs peccandi proposito; omnes, inquam, eos actus è numero Christianorum operum, Christianâ exercitorum ratione, eliminant; imò, ut mox videbimus, ablegant prorsus ad vitia. Quo quidem nihil absurdius in hoc genere cogitari potest, & ab Augustini mente alienius, ut non solùm præsentis disputationis toto cap. 3. sed etiam contra Propositionem 44. cap. 5. & 6. amplissimè ostensum est.

Sic quoque plurium Romanorum Pontificum, Tridentinæ Synodi; atque ipsarum Scripturarum oracula ab adversariis violantur; quod pariter contra memoratum, & præsentem articulum abunde demonstravimus.

7 Hactenus responsum est *Hexaplis*, quibus more suo suppetias ferens *Collationis* author multa præterea ex Augustino comminiscitur, quæ ut sensu non differunt à superioribus, dissimulari à me possent, veluti in illis sufficiente donata responso. Ut tamen iniquitati omnis inanis gloriæ præcidatur occasio, etiam *Collatorem* audiamus. Intorquet illud Augustini libro de correptione, & gratiâ cap. 3. *Præcipit Apostolus dicens: omnia vestra in charitate fiant*.

Ut liberaliter cum adversariis agam, addo Doctori maximo etiam Angelicum, qui ad eundem Apostoli locum 1. Cor. 16. *Omnia vestra in charitate fiant, id est*, (inquit) *omnia fieri debent ad finem charitatis, scilicet, ut fiant propter Deum, & proximum*. Quæ Christi lex ab Apostolo prædicata eadem est cum proposita 1. Cor. cap. 10. *Omne quodcumque facitis in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini nostri Jesu Christi*. *Sive ergo manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis omnia in gloriam Dei facite*. Inter utramque sententiam hoc solummodo discrimen est, quod in priore explicitè addatur charitas erga Proximum; in posteriore paulò uberior relationis expositio sit. Sed quidquid in uno exprimatur disertiùs, quod in altero continetur implicitè, re ipsa nihil discriminis est. De hoc iuter omnes convenit interpretes; neque nostri dissentiunt adversarii. Præcepti autem illius expositorem tutissimum inter alios sæpius dedimus S. Franciscum Salesium.

Et, quoniam importuna Novaturientium temeritas numquam finem facit præceptum illud catholicis intorquendi, velut communi fidelium credulitati adversum, sufficiet nobis regerere eandem Sanctissimi Præsulis explicationem lib. 12. de Amore Dei cap. 8. *Verba Apostoli, ut dicit Doctor Angelicus ea explicans, sunt in sufficienti usu, & praxi, quando possidemus habitum sanctissimæ charitatis, per quam licèt non habeamus expressam, & activam intentionem faciendi, quidquid facimus, propter Deum; habemus tamen implicitè contentam in unione, & communione, quam cum Deo habemus, per quam omne bonum, quod facere possumus, ad Deum refertur*.

Hac unâ sententiâ duos nanciscimur testes Salesium, & Doctorem Angelicum, in quorum fide quiescimus securiùs, quàm in Lutheri, Calvini, & qui eos improvidè secuti sunt, Baji, Jansenii, Quesnelli. Quamquam nec Bajum nobis, nec Jansenium offendimus adversarium, cùm uterque se Pontificum definitionibus submittens, in communem, & definitam transiisse sententiam meritò reputandus sit. Quesnelli autem indocilis pervicacia magistros erroris avidè consectans, eosdem demissionis, obedientiæ, retractationis non sustinet.

8 Addo, Quesnellum etiam errantis sui Magistri limites supergressum, quando hic dilectionem ubique exigit justificantem, quæ est benevola Dei super omnia; ita art. 51. *Fides justificat, quando operatur; sed ipsa non operatur, nisi per charitatem*. 44. *Non sunt nisi duo amores, unde volitiones, & actiones omnes nostræ nascuntur: amor Dei qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur; & amor, quo nos ipsos, ac mundum diligimus, qui quod ad Deum referendum est, non refert, & propter hoc ipsum fit malus*. Jansenius autem qualibet dilectione benevola, etsi non super omnia, contentum se profitetur lib. 5. de gratiâ Christi cap. 6. his verbis. *Augustinus charitatem accipere plerumque solet pro dilectione, quâ verè, sincerè, & gratis ex animo... diligitur Deus; sive ad illam pertingat perfectionem, ut supra omnia creata diligatur, sive in simpliciori, & inferiori affectu hæreat.... Talis igitur amor Dei nisi voluntatem hominis ad credendum flectat, non erit fides Christiana, sed vel Dæmonum &c.*

Cùm verò Salesius ex Angelico ait, *verba Apostoli in sufficienti usu, & praxi esse, quando habemus habitum sanctissimæ charitatis*, non existimes, omnia opera extra statum gratiæ peccata esse contra primum, & maximum dilectionis præceptum.

Ita monet, atque ipsum Apostolum Salesius interpretatur lib.11. de amore Dei cap.18. „ Apostolus certè docet, paganos, „ qui fidem non habent, (minùs etiam charitatem) facere naturaliter quod lex jubet: &, quando faciunt, quis dubitet, quin benè faciant, & à Deo quod faciunt, æstimetur? Pagani cognoverunt, matrimonium esse bonum: maximè conveniens, ac necessarium prolem in literis, artibus liberalibus, vita civili, amore patriæ educare. Quod cognoverunt bonum, fecêre: tuo relinquo decernendum judicio, an id oculis Dei apparuerit bonum; siquidem eo fine, eaque intentione eis rationis lumen, instinctumque communicaverat naturalem„. Quandonam igitur infideles omissione amoris, & relationis operum in Deum finem ultimum delinquunt? Quando præceptum amoris, & relationis obligat; quod cùm, ut Scholastici appellant, *affirmativum* sit, non obligat pro omni tempore.

Clarissima de hoc sententia S. Thomæ est in librum secundum Sententiarum dist. 41. quæst.1. art.2. ad 4. *Non oportet, ut actus infidelium, qui in finem illum non est ordinatus, semper sit peccatum; sed solùm pro tempore illo, in quo tenentur actum suum in finem ultimum referre*. Præceptum est ergo omnia referre in Deum, quoties nos ipsos charitatis actu totos Dei obsequio consecrare debemus, Deum super omnia amando.

9 Aliud autem mandatum Dei, & naturæ lumine nobis inditum est, quod *negativum* dicitur, nihil contra Deum, aut ejus gloriam agendi. Posterius hoc nullis locorum, aut temporum circumstantiis circumscribitur; sed semper obligat, & pro semper. Quod confirmat celeberrimus Scripturarum interpres Cornelius à Lapide, qui plusquam à sæculo, atque ita ante Jansenii hæresim, suos in Scripturam probatissimos commentarios edidit, locum 1. Cor. 16. v.14. ad Caput 10. v.31. referens „ Si quis „ (inquit) præceptum esse velit, cum Anselmo, Ambrosio, & Cajetano de aptitudine, & habilitate exponat, quasi diceret Apostolus, ita manducate, bibite, omniaque vestra ita facite, ut apta, & habilia sint ad gloriam Dei promovendam; scilicet, ut talia sint, ex quibus glorificari possit Deus, nemo offendi, nec Dei gloria lædi; sed potiùs omnes ædificari, & consequenter Dei gloria celebrari, & propagari. Et secundum hìc aptius esse patet ex præcedentibus, ubi agitur de vitando scandalo „.

10 *Secundum* vocat Interpres; quia primum ante retulerat judicium de *consilio*. Prosequamur itaque expositionem *secundam* magis ab interprete probatam: „ unde & sequitur, *sinè offensione estote Judæis, & gentibus Ecclesiæ Dei*; opponit enim Paulus gloriam Dei gloriæ Dæmonum, cui serviunt qui idolothyta comedunt in honorem idoli, vel cum scandalo proximorum; cum è contrario gloriæ Dei serviant, qui idolothytis abstinent, eaque manducant, & agunt, quæ Dei honorem, & cultum, salutemque proximorum juvant, & promovent. Aliter S. Thomas 1. 2. quæst. 100. art. 10. ad 2. respondet præceptum esse, ut aliquando se, & omnia sua in genere referat ad Dei gloriam, velut ad ultimum finem „. Sententia autem S.Thomæ loco indicato est: „ Sub præcepto charitatis continetur, ut diligatur Deus ex toto corde, ad quod pertinet, ut omnia referantur in Deum, & ideo præceptum charitatis implere homo non potest, nisi etiam omnia referantur in Deum. Sic ergo qui honorat parentes, tenetur ex charitate honorare, non ex vi hujus præcepti quod est, HONORA PARENTES, sed ex vi hujus præcepti, DILIGES DOMINUM DEUM TUUM EX TOTO CORDE TUO: Et cùm ista sint duo præcepta affirmativa non obligantia ad semper, possunt pro diversis temporibus obligari, & ita potest contingere, quòd aliquis implens præceptum de honoratione parentum, non tunc transgrediatur præceptum de omissione modi charitatis.

Audiant adversarii definientem, quem sibi Magistrum tanto ambitu simulant, audiant, inquam, definientem *duo præcepta* de honorandis parentibus, & diligendo Deo esse *affirmativa, non obligantia ad semper*, sed quæ *possint pro diversis temporibus obligare*. Ita S. Thomas non in quæstionibus quodlibeticis, non in aliis opusculis, non in commentariis, sed in *Summa Theologica*, quæ, ut aliàs retuli, ipsius Jansenii judicio *Augustinus contractus est*.

Si liceat facem addere Soli Angelico, prosequamur Cornelii à Lapide interpretationem. „ Plenior (inquit) sensus erit, si sic exponas: ita studiosè Dei gloriam promovete in omnibus, quod est consilii, ut omnino caveatis, nè quid faciatis, quod gloriæ Dei adversetur, aut scandalum in idolothytorum comestione, ad hanc enim propriè respicit, aut aliâ re detis, quo Deus vituperetur, quod est præcepti. Licèt enim sit affirmativum hoc di-

„ dictum, & consilium Apostoli; tamen ne-
„ gativum præceptum includit. Unde non
„ sequitur hinc, omnia infidelium opera es-
„ se peccata, eò quòd non faciant ea ad
„ gloriam Dei, utpote quem ignorant;
„ quia,ut dixi,omnia sua opera facere, actu-
„ que ea referre ad gloriam Dei, non est
„ præcepti; sed consilii „. Quod intellige juxta S. Thomam supra, ut non sit obligatio referendi semper.

Quid modò objectionis solidæ ex Augustino *Collator* proferet? Supersunt duæ laciniæ; sed pridem à gravissimis Scriptoribus catholicis cum definitis Ecclesiæ Dogmatibus conciliatæ. Libro de gratia, & libero arbitrio cap. 18. ait S. Hipponensium Antistites: *Quidquid se putaverit homo facere bene, si fiat sinè charitate, nullo modo fit bene*. Hunc locum sibi objiciens Bellarminus lib. 5. de gratia, & libero arbit. cap. 11. *Respondeo*, inquit, *non fit bene, idest, utiliter ad salutem*; quemadmodum superiore capite dicentem audivimus Apostolum: *Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum ita ut ardeam; charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest*; videlicet ad salutem; quia sinè charitatis actu, vel saltèm habitu nulla salus est, nullum quod propriè vocetur meritum.

Eundem Augustini textum à Lutheri, Calvini, Baji, & Jansenii Sectatoribus objici solitum memorat Cardinalis Aguirre Theolog. S. Anselmi disp. 130. sect. 2. Et facilè solvit sect. 12. authoritate Sanctissimorum Augustini discipulorum, & interpretum: Angelici nempe, & Salesii, quorum verba dedi superiùs. Cardinalis autem pluribus additis num. 123. sic concludit. „Quid
„ ad hæc adversarii? Desiderantne, aut
„ quærunt ardentiùs gloriam Divinam,
„ quàm D. Thomas, quàm Salesius, quàm
„ Bonaventura, quem superiùs n. 43. adhuc
„ laxiùs loquentem vidimus? Discant ita-
„ que ab iis ardenter quidem Deum dili-
„ gere, & ubique gloriam ejus præ oculis
„ habere, quod nos etiam infirmi, & pec-
„ catores optamus, & enixè ab ipso Domi-
„ no impetrare studemus; dediscant verò
„ eam tam assiduam, & generalem præcepti
„ obligationem imponere, quàm ii tres ar-
„ dentissimi Zelatores Divinæ gloriæ prorsus negaverunt.

12 Alter Augustini textus adversariis placet ex lib. 1. de Doctrina Christiana cap. 22. „Hæc regula dilectionis divinitus
„ constituta est, DILIGES PROXIMUM TUUM SICUT
„ TE IPSUM. DEUM verò EX TOTO CORDE, ET EX
„ TOTA ANIMA, ET EX TOTA MENTE, ut omnes
„ cogitationes tuas, & omnem vitam, &
„ omnem intellectum in illum conferas, à
„ quo habes ea ipsa, quæ confers. Cùm
„ autem ait TOTO CORDE, TOTA ANIMA, TOTA
„ MENTE, nullam vitæ nostræ partem reli-
„ quit, quæ vacare debeat, & quasi locum
„ dare, ut aliâ re velit frui; sed, quidquid
„ aliud diligendum venerit in animum, il-
„ luc rapiatur, quò totus dilectionis impe-
„ tus currit. Quisquis ergo rectè proxi-
„ mum diligit, hoc cum eo debet agere, ut
„ etiam ipse toto corde, tota animâ, tota
„ mente diligat Deum; sic enim eum dili-
„ gens tamquam se ipsum, totam dilectio-
„ nem sui, & illius refert in illam dilectio-
„ nem Dei, quæ nullum à se rivulum duci
„ extra patitur, cujus derivatione minua-
„ tur.

Hunc locum inter cæteros ab Hæresiarchis seculi 16. & Novatoribus sequentis contra communissimam Ecclesiæ Doctrinam allegatum memorat Cardinalis Aguirre disp. 130. sect. 2. Dein 115. respondens „ Præmitto (inquit) Patres Ecclesiæ sæ-
„ pissimè in suis Concionibus ad Populum,
„ & scriptis, in id potissimum incumbere,
„ ut auditores, & lectores non solùm tra-
„ hant in id, quod simpliciter necessarium
„ est, ad vitandum omne peccatum; ve-
„ rùm etiam in illud, quod majoris perfe-
„ ctionis est, & ad ampliorem charitatem,
„ ac proximorum animo imprimendam
„ confert.... Cùm verò Sanctissimi Eccle-
„ siæ Patres ardentissimâ in Deum charita-
„ te essent prædití, nec quidquam delibe-
„ ratè agerent, nisi ex dilectione Dei actua-
„ li, aut virtuali, palàm spectantes in ma-
„ jorem ejus gloriam, studuerunt conse-
„ quenter eam perfectionem adeò subli-
„ mem cæteris omnibus communicare, &
„ quodammodo imprimere. Unde Magnus
„ Augustinus lib. 1. de Doctrina Christia-
„ na cap. 22. &c. „ Sequitur tota sententia à *Collatore* nobis opposita.

Dilectio perpetua debet in nobis juxta SS. Thomam, & Salesium esse per habitum charitatis, ut supra indicatum est; in actibus verò, dilectione Dei sæpius solùm implicitâ, quæ in honestate qualibet morali est, contentum se testatur ipse S. Hipponensium Antistes in Psalmum 34. concione 2. *Suggero remedium, unde totâ die laudes Deum, si vis: Quidquid egeris, bene age, & laudasti Deum. Quando cantas hymnum, laudas Deum. Quoties tu cessasti ab hymno cantando, discedis, ut reficiaris, noli inebriari, & laudasti Deum. Negotia agis, noli fraudem face-*

facere, & laudasti Deum &c. Quem locum adoptat S, Thomas lect.7. in prim. Corinth. cap.10. ita ex eodem prosequens: *Hæc si rectè fiunt laudes Dei sunt. Non ergo solùm vox tua sonet laudes Dei; sed etiam opera tua concordent cum voce tuâ. Cùm enim Deus laudatur de bono opere Deum laudas, & cùm blasphematur Deus, de malo opere tuo, Deum blasphemas.*

Iterum S. Augustinus in Psalm. 146. *Si ergo bene agis, & quod manducas, & bibis, & ad refectionem corporis sumis, reparationemque membrorum, gratias agens ei, qui tibi prabuit ista solatia, & cibus tuus, & potus tuus laudat Deum. Si verò naturæ debitnm immoderatione voracitatis excedas, & vinolentiâ te ingurgites, quaslibet laudes Dei lingua tua sonet, vita blasphemat. Post cibum, & potum requiescas, ut dormias, nec in eo aliquid turpiter agas .... Sit castus cum conjuge thorus, & , si est cnra propagandi liberos, non sit effranata luxuries libidinum &c. quid si somnus advenerit? Et cùm dormis? Innocentia somni tui laudat Deum. Laudas, cùm agis negotium: laudas, cùm cibum, & potum capis: laudas, cùm in lecto requiescis: laudas, cùm dormis.* Verba hæc ab Augustino mutuati sunt venerabilis Beda, Anselmus, Magister sententiarum. Prorsus similia tradiderunt Græci Patres communiter, Chrysostomus homilia 2. in Epistolam 1. Cor. cap.10. Oecumenius, Theophylactus &c.

14 Denique responsio ad objectam ex Augustino sententiam, ut ab Eminentissimo Aguirre cœpit, in eodem terminanda est. Sect.12. paucis colligit, quæ prolixiùs contra illud, & cætera novaturientium argumenta superiùs disputavit, & à me brevitatis studio omissa sunt. Ubi modos varios referendi omnia opera in Deum, atque eum perpetuò diligendi explicuit eâ ratione, quæ adversariorum destruat novitatem, numero 128. ita concludit. „Ad confirmationem num.10. propositam ex eodem „ Augustino libro de Doctrina Christianâ „ cap.22. patet ex dictis, summam colligi „ obligationem referendi in Deum semper, „ & ubique omnes deliberatas cogitationes, affectiones, & opera nostra, aut „ relatione formali explicitâ, aut virtuali, „ aut implicitâ saltèm, & intimè clausa in „ ipso explicito amore honestatis moralis. „ Nempe cùm sit triplex gradus, sive modus referendi ea omnia, & singula in „ Deum, explanatus superiùs num.112. & „ sequentibus, satis erit ad implendum id „ præceptum Divinum, ut juxta quemlibet eorum, quidquid in nobis est, ad Dei, „ gloriam referamus. Neque enim vel si „ juxta ultimum, & minùs perfectum eorum trium agere contigerit, id nobis „ vitio vertetur; sed solùm minori perfectioni, ut latiùs probatum fuit num. 120. „ neque etiam tunc quiescimus in bonitate „ creata, aut eâ fruimur, simpliciter loquendo; quia non spectamus illam, ut finem ultimum, nec cum contemptu formali, aut interpretativo finis ultimi; sed „ tamquam finem intermedium, vel ultimum solùm secundùm quid, & in certo „ genere, ac proinde cum relatione saltèm „ implicitâ, & subordinatione ad Deum „ ipsum, tamquam finem ultimum simpliciter. Quando verò, & quoties obliget „ præceptum diligendi Deum super omnia, jam diximus, & denuo fatemur, nos „ adstringi ad referendum explicitè omnia „ nostra in gloriam Dei „.

Hactenus Cardinalis Aguirre, cujus testimonio in pluribus stare nos volunt Quesnellus in explicationibus Apologeticis, cui & aliis ejus sectatoribus applicari hic non incongruè posset, quod de Pelagio aliàs Ambrosium laudante dixit Augustinus in fine libri 2. contra Pelagium, & Cœlestium de peccato Originali, si pro Pelagio ponatur Quesnellus; Cardinalis Aguirre pro Ambrosio. *Quid igitur restat, nisi ut aut istum* (Quesnellus) *suum damnet errorem, aut eum sic laudasse pœniteat? Sed quia ista secundùm catholicam fidem* (Aguirrius) *ut catholicus est locutus, sequitur, ut* (Quesnellus) *ab hac via fidei devius meritò catholica Ecclesiæ sit autheritate damnatns; nisi eum* (Aguirrium) *non laudasse; sed contra* (eundem) *sensisse pœniteat.*

CAPUT VIII.

Non minus inanis adversariorum recursus est ad reliquos SS. Patres.

1 SAnctus Justinus dialogo contra Tryphonem. „ Rectè dixit Dominus „ noster, & Servator Jesus Christus, duobus præceptis contineri plenariam pietatem, atque justitiam: nempe „ his, Diliges Dominum Deum tuum ex „ toto corde tuo, totisque viribus tuis, & „ proximum, ut te ipsum. Nam qui toto „ corde; totisque viribus Deum diligit, eum „ sit piâ mente præditus, nullum alium colet Deum .... & quicumque proximum, „ ut se ipsum diligit, quidquid boni sibimet cupit, & illi cupiet pariter „. Lego

Sen-

sententiam S. Martyris; sed in eâ minimè reperio Quesnellianam 53. *Sola charitas christiano modo facit actiones Christianas per relationem ad Deum, & Jesum Christum.* Meritò dicitur duobus de charitate præceptis contineri plenaria pietas atque justitia; quia charitas Dei imperat omnia ad Deum pertinentia; charitas proximi omnia spectantia ad proximum: imò solius Dei dilectio impellit hominem ad mandatorum omnium observantiam. Ita qui diligit, legem implevit; Rom.13. *Plenitudo legis est dilectio*. 1. Cor.13. *Charitas patiens est, benigna est, ... omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet*. Sed quamvis nihil adeò difficile in Dei mandatis sit, quod non superet charitas, indè tamen minimè sequitur, nullum esse pietatis, aut justitiæ opus, quod ex alterius virtutis imperio, quàm charitatis fieri valeat christianæ.

Insanissimum nempe argumentationis genus est, adversariis nostris familiare ab opposito antecedentis ad oppositum consequentis, quale est hic: *Actiones fiunt ex charitate, ergo fiunt Christiano modo*: hactenus rectè. *Actiones non fiunt ex charitate, igitur non fiunt Christiano modo*, cujus fatuitas argumentationis exemplis obviis convincitur: Qui semper agit modo perfectissimo salvabitur; ergo qui non semper agit modo perfectissimo, non salvabitur. Viâ rectissimâ pervenitur ad terminum: igitur viâ quæ non est rectissima, non pervenitur ad terminum. Centena istiusmodi exempla in promptu sunt, quibus ridicula adversariorū ratiocinatio confutetur. Nos itaque in Ecclesia hactenus didicimus, fidem in Christum, & spem in ejus meritis fundatam Christianas esse virtutes; proinde earum actus ex eodem elicitos motivo, Christianos esse in se, & quoad modum, sive Christianâ exercitos ratione.

Si nos adversarii ab hac insolita persuasione dimovere voluerint, edicant, ad quem tandem modum ea exercitia pertineant. Non fieri ea modo Ethnico, neque Judaico patet, quia neutri sectæ est fides in Christum, neutri in Christi meritis fiducia. Sed & virtutum moralium actiones, quales sunt visitare captivos, & infirmos, vestire nudos, pascere esurientes, potum præbere sitientibus, Christus nos docuit, nobis eas ratione efficacissimâ commendans, æternâ promissâ obedientibus salute; constituto autem æterno negligentibus supplicio. A quo tempore cœpit modus esse non Christianus, quem Christus ipse nobis tradidit pro exercitio operum misericordiæ?

Eadem ratio est de præceptis cæteris moralium virtutum actibus. Veniamus ad Consilia Euangelica, quibus Salvator octo beatitudines assignavit. Num Christianus modus non censebitur, amplecti Christi consilia ob consecutionem beatitudinis tamquam præmii ab ipso propositi Salvatore? Quàm seriò, & iteratò jussit nos Christus timêre eum, qui potest & animam, & corpus perdere in gehennam! Quoties sive stridore dentium, sive tenebris exterioribus, sive igne æterno avertere nos à criminibus conatus est! cur igitur ex formidine, tanto nobis à Christo incussâ molimine, operari quidpiam ex se bonum, sit agere intentione Christiano nomine indignâ?

2 Justino subjungunt Hexapla Prosperum contra Collatorem cap.22. *Quid ad renovationem miseræ vetustatis, idoneam definit prævaricatricis scientiæ nuditatem? Quasi ista scientia, vel ex naturæ opibus residua, vel ex legalis doctrinæ eruditione quæsita, possit sui perceptione præstare, ut, quod faciendum noverimus, etiam facere diligamus: aut ullus sit bonæ voluntatis motus, nisi quem creaverit diffusæ per Spiritum Sanctum charitatis afflatus*.

Fatemur cum Prospero, ad renovationem miseræ vetustatis non esse idoneam prævaricatricis scientiæ nuditatem. Talis enim scientia sive ex naturæ opibus residua, sive ex legalis doctrinæ eruditione quæsita, justitiam præstare non potest, neque ut, quod faciendum noverimus, etiam facere diligamus sicut oportet: neque ullus est bonæ voluntatis motus salutem, justitiam, aut meritum conferens, nisi quem creaverit diffusæ per Spiritum Sanctum charitatis afflatus. De operibus enim meriti capacibus frequentissimus SS. Patribus sermo erat, & cura præcipua. Quamquam, ut aliàs monui ex Stephano de Champs contra Jansenium disputante, S. Augustinus nomine dilectionis, & charitatis per Spiritum Sanctum diffusæ in cordibus, quandoque intelligit amorem sanctum indeliberatum, sive Divini Spiritûs motum, quo voluntas ad bonum, quod proponitur liberè amplectendum, allicitur, & excitatur. Utervis autem sensus huic Augustini discipulo placuerit, non abrogat actionibus fidei, & spei debitam Christiani nominis laudem, uti neque operibus misericordiæ, temperantiæ, castitatis, & aliarum virtutum moralium, nec denique Consiliis ab ipso Christo in Euangelio commendatis, quoties ad ea sequenda nos impulerit non charitas; sed amor beatitudinis, quo veluti sancto, utili, & nostræ in-

fit-

firmitati accommodatissimo motivo Christus ipse nos pellicere voluit: quod proinde velut Christiano nomine indignum rejicere, videant adversarii, an non potiùs impietatem sapiat, quàm prudens studium charitatis.

3 S. Basilius in Regul. fusiùs disput. interrog. 5. ait: *Christianus si actiones suas omnes sive minores, sive majores ad Dei voluntatem direxerit... Pauli præcepto illi satisfaciet, sive manducatis, sive bibitis, sive quid aliud facitis, omnia in gloriam Dei facite.* Quæ Basilii sententia ab adversariis allegata, obest eis potiùs, quam suffragetur; non enim necessaria charitas est, ut ad Dei voluntatem actio dirigatur. Si bona temporalia impendimus, non in luxum; sed in opera misericordiæ, à Deo partim præcepta, partim commendata, proposito beatitudinis præmio, *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur*; si, inquam, ut hujus Divini promissi reddamur compotes, bona temporalia sublevandæ pauperum egestati impendimus, nonne talis actio ad Dei dirigitur voluntatem? Idem est de cæteris virtutum moralium, aut cujuscumque consilii Euangelici exercitiis.

Superiore cap. dedi Augustinum in Psalm. 34. concione 2. dicentem: *Suggero tibi remedium, unde tota die laudes Deum, si vis, Quidquid egeris, bene age, & laudasti Deum. Quando cantas hymnum, laudas Deum: quoties cessasti ab hymno cantando, discedis, ut reficiaris, noli inebriari, & laudasti Deum. Negotia agis; noli fraudem facere, & laudasti Deum.* Idem pluribus deducit Augustinus in Psalm. 146. & Chrysostomus ad eumdem Apostoli textum. Breviter, & perspicuè ad eundem locum Theophylactus. *Manducat ergo quisquam, vel bibit ad gloriam Dei, quando neminem offendit, quando non ut gulosus, aut voluptatis sectator epulatur: sed velut is, qui corpus conservare velit ad virtutis operationem. Omnino autem quamcumque rem in gloriam Dei quispiam agit, quando neque alium scandalo quopiam lædit, neque se ipsum; neque hominibus placere studens, neque ex affectu aliquo perturbato.*

Juverit etiam ex ipso, ad quem provocamur, Basilio Quesnellum, & ejus socios convincere: In Psalm. 32. ait. *Necessariò velut introductorius ad pietatem timor assumitur; dilectio verò deinceps succedens, à timore scientifico adaptatos perficit:* De timore statuant modò adversarii prout placuerit, evadere nequeunt; sed illo constringi ipsos, & obteri necesse est. Si enim necessariò introductorius ad pietatem sit, & post eum tantummodò succedat dilectio, ut timore scientifico adaptatos perficiat, evidens est, timorem illum à charitate non posse imperari, neque ab ea ullatenus profluere, utpote quâ prior sit; cùm solùm *deinceps dilectio succedat*. Bonus igitur timor est, & præcepto Apostoli de faciendis omnibus ad Dei gloriam minimè contrarius, aliàs laboraret vitio, & introducendæ pietati atque charitati nequaquam censeretur idoneus. Similia habet Basilius in Psalm. 33. & hom. in princ. Proverbiorum.

4 Plura adversarii proferunt ex Bernardo Serm. 2. de divers. n. 5. *Quidquid facimus, jubemur facere in gloriam Dei*. Serm. 2. de divers. cui titulus de miseria humana. *Totum est vanitas, totum stultitia, totum dementia, quidquid facis in hoc mundo, præter id solùm, quod in Deum, & propter Deum, & ad honorem Dei facis*. Serm. 1. in octavam Paschæ num. 7. *Virtus charitatis sola castificat animum; sola purgat intentionem*. Præceptum omnia faciendi in gloriam Dei à me sæpius ex communi Parrum, & Scholasticorum, etiam Augustini, Theophylacti, Angelici, Bonaventuræ, Salesii, Bellarmini, Cardinalis Aguirre sententia expositum est, ut nihil indè subsidii adversariis sperandum sit.

Secundus locus accommodè intelligendus est, ut opponatur motivis hujus seculi, quibus honores quæruntur, divitiæ, aut voluptates. Ab istiusmodi desideriis homines avertere Bernardi studium fuit, non cæteras spei cœlestis, timoris, ac virtutum quarumcumque moralium intentiones reprehendere. Præterea, ut duos jam memoratos doctissimos Cardinales cum communissima Thomisticæ, & cæterarum Scholarum Sententiâ exponentes vidimus; implicita ad Dei gloriam relatio est, quoties moralis honestas absque ulla mali circumstantia intenditur: tunc enim virtutum moralium opera, se ipsis, &, si quis in gratia sit, charitatis habitu ad Deum diriguntur, ut Angelicum, &, ipso duce, Salesium differentem supra spectavimus. Angelicus recurret toto capite sequenti.

Mellifluum quoque remotissimum esse ab accusandis actionibus, veluti de *vanitate, stultitiâ, dementiâ*, quandocumque non processerint ex charitate, etsi plurima non desint in ipso testimonia clarissima, solùm sufficere debet convincendo cuicumque intellectui, pervicaciâ non obcæcato, celebre ejus dictum tract. de præcepto, & dispensatione: *Bonus obedientiæ gradus est, si propter metum gehennæ quisquam obedierit; melior tamen, cùm*

cùm ex amore obeditur. Eſtne igitur *vanitas, ſtultitia, dementia* obedire ex timore gehennæ quamdiu amor defuerit? Si affirmas, quomodo is dicitur bonus *obedientiæ gradus*? Penè dicerem, vanum, ſtultum, dementem eſſe oportere adverſarium, qui hujus ſententiæ conſcius, audeat Mellifluo adſcribere, quaſi vanitatem, ſtultitiam, dementiam exiſtimet, ex qualicumque virtute agere; ſi non finis moverit dilectionis; nam aliàs non video, neque videbit ullus ſanæ mentis, etiam non Theologus, quomodo *vanitatis, ſtultitiæ, dementiæ* cenſuram amoliri poſſemus ab ipſa Mellifui ſententiâ; ſi bonum aſſereret obedientiæ gradum, quem notis tam infamibus commacularet.

Clariſſima pro communi Eccleſiæ dogmate eſt Bernardi ſententia ſerm. 4. de timore: „ Timor eſt ſervilis, ut ait B. Auguſtinus, cùm timore gehennæ homo recedit à peccato, & omnia bona, quæ facit non propter dilectionem Dei; ſed propter timorem inferni facit; ille quaſi ſervus timet, qui bonum, quod facit, non timore amittendi bonum, quod non amat; ſed timore patiendi malum, quod formidat, facit. Ille non timet perdere amplexus pulcherrimi ſponſi; ſed timet, nè mittatur in pœnas inferni. De hoc ſervili timore ait Paulus: Non enim accepiſtis ſpiritum ſervitutis iterum in timore; ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum; id eſt, ſpiritum filialem. Bonus eſt iſte ſervilis timor, & utilis; licèt inſufficiens, & imperfectus, per quem creſcit paulatim conſuetudo juſtitiæ.

Proponitur hic homo timore gehennæ recedens à peccato, & bona ſua faciens *non propter dilectionem Dei*, & nè amore quidem beatitudinis; ſed formidine ſupplicii, quod horret; bonus tamen timor ille, & utilis à Mellifluo prædicatur: utpote per quem creſcit paulatim conſuetudo juſtitiæ opera exercendi: licèt ad plenam juſtitiam *inſufficiens, & imperfectus*. Timor idem, teſte eodem Sancto, imò ipſo Apoſtolo, munus cœleſte eſt. Recedere itaque à peccato, & bona facere timore gehennæ, abſque dilectione Dei, Bernardo non eſt *vanitas, ſtultitia, dementia*; ſed hæc vitia, has contumelias ipſi Sancto impingunt adverſarii; aut incurrunt potiùs ipſi ſimul cum blaſphemiâ, quando timorem ſervilem Bernardi, & Eccleſiæ judicio bonum, atque ad bona opera utilem, datumque à Spiritu Sancto, cum bonis actibus ab eodem timore progenitis, veluti *vanitatem, ſtultitiam, dementiam*, vituperant, atque condemnant.

6 Denique manifeſtæ adeò Bernardi ſententiæ non adverſatur, quòd *virtus charitatis ſola juſtificet animam*: *ſola purget intentionem*, quia cum fide, ſpe, timore, & aliis virtutum moralium actionibus conſiſtere poteſt in animo peccatum, ac ſiniſtra quædam intentio. Patitur itaque ſecum virtutis moralis intentio peccatum aliquod; ſed ipſa vitium eſſe non poteſt, non *vanitas, ſtultitia, dementia*, ut adverſarii temere calumniantur, & fictitio Bernardi tutos ſe exiſtimant patrocinio.

CAPUT IX.

Novitatem non juvat; ſed deſtruit S. Thomas.

1 NOn leve contra adverſarios præjudicium eſt, quod illis meritò Catholici exprobrant, quòd totis tribus ſeculis, quibus ante Lutheri, & Calvini tempora Scholaſtici floruerunt, adduci pro damnato articulo valeat non niſi unus, cujus manus contra omnes Angelici, Bonaventuræ, Scoti diſcipulos, & omnium manus contra ipſum fuiſſe, non ſoli teſtantur Catholici; ſed ipſe Lutherus fatetur in epiſtola ad Gregorium Spalatenſem de diſputatione Lypſica. Neque tanta Queſnellianis apparuit illius authoritas, ut magnum aliquod ſententiæ ſuæ præſidium ſperari indè poſſe crederent: unde neque in *Hexaplis*, neque in *Collatione*, ubi authorum non nimis recentium ſtudioſa coacervatio eſt, ullam Scholaſtici illius reperio mentionem. Quòd autem poſt ortas Lutheri, & Calvini hæreſes aliquid ab his fuliginis adhæſerit quibuſdam in illis regionibus, ubi illæ initio ſedem fixerant, nimiùm quotidie experimur.

Et Eminentiſſimus Pallavicinus in Hiſtoria Concilii Tridentini ad Bajum, & Janſenium digreſſus, rationem reddit, cur iſtorum novitatibus tot obtigerint in quibuſdam Provinciis ſuffragatores. Repreſſa illic ſcilicet Edictis Principum utcumque fuerat hæreſeos lues; ſed non penitùs extincta, quæ, accedentibus Baji, & Janſenii voluminibus, ad fallendum peridoneis, eas paulatim vires & animos ſumpſit, ut modò Sedi Apoſtolicæ, atque Epiſcopis Catholicis reſiſtere, imò inſultare palàm audeat, ipſiuſque fidei interitum machinari. Nè tamen nova ſecta omni penitùs inter Scholaſticos authore claſſico deſtitui videatur, citat ſcholæ Angelum Aquinatem, quem Bajus ipſe lib. 2. de

de virtutibus impiorum cap. 4. sibi adversarium agnoscit, & nominatim audet impetere. Sed qui errores Baji didicere, non imitantur candorem, minùs etiam erga Summos Pontifices reverentiam, atque submissionem.

2 Adeamus igitur Angelicum provocati. Commentarius ejus in cap. 3. epistolæ ad Coloss. lect. 3. ad verba Pauli *Omnia in nomine Dñi nostri Jesu Christi sic habet: quidam dicunt, quòd hoc est consilium, sed hoc non est verum*. Hic sistit *Collatio* fide solitâ, nempe dignâ authore hæretico. Sic autem statim se Angelicus explicat. *Sed dicendum est, quòd non est necessarium, quòd omnia in Deum referantur actu; sed habitu; qui enim facit contra gloriam Dei, & præcepta ejus, facit contra hoc præceptum*.

Nè verò hinc inferas, saltèm infideles, qui habitu charitatis carent, peccare in omnibus actibus, ita doceris 2. 2. quæst. 10. art. 4. *Manifestum est, quòd infideles non possint operari bona opera, quæ sunt ex gratia, scilicet opera meritoria; tamen bona opera, ad quæ sufficit bonum naturæ, aliqualiter operari possunt; unde non oportet, quòd in omni opere suo peccent; sed quandocumque aliquod opus operantur, ex infidelitate tunc peccant. Sicut enim habens fidem, potest aliquod peccatum committere in actu, quem non refert ad fidei finem, vel venialiter, vel etiam mortaliter peccando* (pro gravitate, vel levitate malitiæ finis intenti, vel alterius circumstantiæ;) *ita etiam infidelis potest aliquem actum bonum facere in eo, quod non refert ad finem infidelitatis*.

Ibid. *Ad 3. Dicendum, quòd per infidelitatem non corrumpitur totaliter in infidelibus ratio naturalis, quin remaneat in eis aliqua veri cognitio, per quam facere possunt aliquod opus de genere bonorum*.

Rursus in epist. Rom. cap. 14. lect. 3. *Cùm aliquis infidelis ex dictamine rationis aliquod bonum facit, non referendo ad malum finem, non peccat; non tamen opus ejus est meritorium; quia non est gratiâ informatum*.

Denique in cap. 1. epistolæ ad Titum lect. 4. ad illa Apostoli verba: *Coinquinatis autem & infidelibus nihil est mundum*, ait: *Quando peccator facit aliquod bonum, secundùm quod est peccator, & infidelis, totum est peccatum ex radice. Sed si quid facit ex principio alicujus boni, quod habet, ut fidei informis, vel naturæ, non est immundum.* Esset verò immundum necessariò, & in omni opere suo peccaret infidelis, quod ex dictamine solùm rationis, seu cujuscumque virtutis moralis misericordiæ, justitiæ, castitatis faceret: Etiam peccator quilibet Christianus delinqueret, quoties ex motivo fidei, vel spei informis ageret sinè dilectione Dei supernaturali, benevolâ, & super omnia, si primum, maximumque dilectionis præceptum exigeret perpetuam, ut adversarii explicant, *in* omnibus actibus relationem ad Dei gloriam ex charitate. Ad quid autem nos obligare censeat S. Thomas vi præcepti, examinabimus mox, ubi cætera ex eodem Sancto retulerimus ab adversariis objecta.

3 2. 2. Quæst. 69. art. 1. *Sed contra, ex præcepto tenemur omnia in gloriam Dei facere, ut patet 1. Cor. 10.* 1. 2. quæst. 100. art. 10. ad 2. *Sub præcepto charitatis continetur, ut diligatur ex toto corde; ad quod pertinet, ut omnia referantur in Deum*.

Sententia prior relata ex 2. 2. sic habetur in Angelico. „ Sed contra: omne, quod „ est contrarium Divinæ gloriæ, est pecca- „ tum mortale, quia ex præcepto tenemus „ omnia in Dei gloriam facere, ut patet „ 1. Cor. 10. Sed quod reus, id quod con- „ tra se est, confiteatur, pertinet ad gloriam „ Dei, ut patet per illud, quod Josue di- „ xit ad Achan: Fili mi, da gloriam Domi- „ no Deo Israel, & confitere, atque indica „ mihi quid feceris, non abscondas, ut ha- „ betur Josue 7. Ergo mentiri ad excusan- „ dum peccatum, est peccatum mortale. (Et „ inscriptio articuli est) Utrum absque pec- „ cato mortali possit accusatus veritatem „ negare, per quam condemnaretur. „

Dissimulat adversarius, nè lectori horrorem incutiat, isto Angelici loco agi de obligatione sub peccato mortifero: cùm dicitur *omne, quod est contrarium Divinæ gloriæ, est peccatum mortale, quia ex præcepto tenemur omnia in Dei gloriam facere*. Si igitur ex isto loco adversarius conficere voluerit præceptum referendi perpetuò in Deum actus singulos, videat, quot peccatis mortalibus se, & justos singulos oneret quotidie, quodque è medio tollens omnia delicta venialia, ea in lethifera convertat, quod à manifestâ hæresi nullus excusaverit. Verùm patet, sermonem Angelico non esse de actu charitatis ab adversariis ubique requisito; sed de non faciendo opere repugnante Divinæ gloriæ. In Commentario autem epistolæ ad Coloss. superiùs definitum vidimus, *non esse necessarium, quòd omnia in Deum referantur actu, sed habitu; qui enim facit contra gloriam Dei, & præcepta ejus* (ut is, qui judici legitimè interroganti de commisso crimine mentitur) *facit contra hoc præceptum*.

Obli-

Obligat itaque ista jussio, ut nihil umquam Dei gloriæ contrarium facias, quæ obligatio, ut patet, est pro omni tempore. Alia est eliciendi actum amoris Dei super omnia, cujus præcepti religio non obstringit ad perpetuum illius actus exercitium; sed ut in exigentibus circumstantiis elicitus, nullo tempore retractetur, aut elidatur peccato mortifero. Hac ratione juxta Angelicum referimus habitu in Deum omnia virtutum, etiam moralium, opera ex finibus sibi propriis concepta.

Imò in caput 10. epist. 1. ad Cor. lect. 7. versus finem: *Respondeo*, inquit: *relatio hæc in gloriam Dei intelligitur vel actu, vel in aptitudine referendi, quæ non est solùm in bonis; sed etiam in indifferentibus*.

An hinc sequantur actus indifferentès in individuo, ut aliqui contendunt, Scholarum disputationibus relinquo, uti & an quoad indifferentiam operum, quidpiam ab Angelico postmodum retractatum sit: instituto meo sufficit, quòd circa bonitatem operum, quæ moralis honestatis intentio peperit absque charitatis actu, consentiat Angelicus Constitutioni Apostolicæ, atque hæc communissima Thomistarum, Scotistarum, cæterorumque non novaturientium doctrina sit.

4 Cùm autem adversarii tantùm ponderis, & fiduciæ suæ collocent in Aquinatis sententia, quæ est 1. 2. quæst. 100. art. 10. ad 2. referamus integram. „ Ad secundum „ dicendum, quòd sub præcepto charitatis „ continetur, ut diligatur Deus ex toto „ corde, ad quod pertinet, ut omnia referantur in Deum: & ideo, præceptum charitatis implere homo non potest, nisi „ etiam omnia referantur in Deum. Sic ergo qui honorat parentes, tenetur ex charitate honorare; non ex vi hujus præcepti, quod est *honora parentes*; sed ex vi „ hujus præcepti *diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*; & cùm ista sint „ duo præcepta affirmativa non obligantia „ ad semper, possunt pro diversis temporibus obligare; & ita potest contingere, „ quòd aliquis implens præceptum de honoratione parentum, non tunc transgrediatur præceptum de omissione modi charitatis. „ Titulus articuli est, *Utrum modus charitatis cadat sub præcepto Divinæ legis*, sive, an Deus præcipiat, ut omnia Divinæ legis opera fiant ex charitate.

Statim more suo proponit Angelicus argumenta omnia sibi adversantia, quibus ante resolutionem pleniorem, opponit argumentum suum hoc indicio, *Sed contra*. Adversariorum itaque sententia erat, modum charitatis cadere sub præcepto Divinæ legis, quos ratione ductâ ab *inconvenienti* sic impetit. *Sed contra est, quia quicumque non servat præceptum* (sub gravi obligans; quale est primum, maximumque decalogi) *peccat mortaliter: Si igitur modus charitatis cadat sub præcepto, sequitur, quòd quicumque operatur aliquid, & non ex charitate, peccet mortaliter. Sed quicumque non habet charitatem, operatur non ex charitate. Ergo sequitur, quòd quicumque non habet charitatem, peccet mortaliter in omni opere, quod facit; quantumcumque sit de genere bonorum: quod est inconveniens*.

Audiunt adversarii *inconveniens* minimè leve in sententiâ suâ contentum, &, quod ipsi dissimulant, in lucem ab Angelico protractum conculcatumque? Ecquis sanæ mentis non abhorreat ab ea intolerabili duritie, qua actiones omnes, quantumlibet bonæ, ex motivo misericordiæ, temperantiæ, justitiæ, cæterarumque virtutum moralium exercitæ, etiam fidei Divinæ, ac spei, inter peccata mortalia abjiciantur, quoties non fiunt ex amore Dei supernaturali, & super omnia benevolo, seu charitate justificante? De hac enim disceptatio est, ubi à Divo Thoma, & cæteris Scholasticis quæritur, *utrum modus charitatis cadat sub præcepto Divinæ legis*.

5 Cum ea de charitate pridem ab Angelico impugnata opinio, & dein à Pontificibus sæpiùs damnata, tantâ figurarum, & phrasium varietate, tot textuum affectatâ congerie, ab adversariis inculcetur, etiam ementito Angelici suffragio, juverit ejus mentem ipsis Sanctissimi Doctoris verbis, totâ expositam resolutione describere „ Circa hoc (inquit art. 10. cit.) fuerunt contrariæ opiniones; quidam enim dixerunt „ absolutè, modum charitatis esse sub præcepto: nec est impossibile observare hoc „ præceptum charitatem non habenti, quia „ potest se disponere ad hoc, quòd charitas ei infundatur à Deo: nec quandocumque aliquis non habens charitatem facit „ aliquid de genere bonorum, peccat mortaliter; quia hoc est præceptum affirmativum, ut ex charitate operetur, & non „ obligat *ad semper*; sed pro tempore illo, „ quo quis habet charitatem. Alii verò dixerunt, quòd omnino modus charitatis „ non cadit sub præcepto. Utrique autem, „ quantùm ad aliquid verum dixerunt; „ actus enim charitatis dupliciter considerari potest: uno modo, secundùm quod „ est quidam actus per se: & hoc modo ca- „ dit

„ dit sub præcepto legis, quod de hoc specialiter datur; scilicet *Diliges Dominum Deum tuum: & diliges proximum tuum.* „ Et quantum ad hoc primi verum dixerunt; non enim est impossibile hoc præceptum observare, quod est de actu charitatis; quia homo potest se disponere ad charitatem habendam: & quando habuerit eam, potest eâ uti. Alio modo potest considerari actus charitatis, secundùm quod est modus aliarum virtutum, quę ordinantur ad charitatem, quæ est *finis præcepti*, ut dicitur 1.Tim.1. Dictum est enim supra (quæst. 12. art. 4.) quòd intentio finis est quidam modus formalis actûs ordinati in finem, & hoc modo verum est, quod secundi dixerunt, quòd modus charitatis non cadit sub præcepto: hoc est dictum, quòd in hoc præcepto *Honora Parentem*, non includitur, quòd honoretur pater ex charitate, sed solùm, quòd honoretur pater. Unde qui honorat patrem, licèt non habeat charitatem, non efficitur transgressor hujus præcepti; etsi sit transgressor præcepti, quod est de actu charitatis, propter quam transgressionem meretur pœnam; „ tunc nempe quando præceptum affirmativum de charitatis actu obligat. Non obligare autem *ad semper*, jam ab Angelico assertum, iteratumque vidimus clarissimè in responsione ad secundum; *cùm ista sint duo præcepta affirmativa*, de honorandis parentibus, & diligendo Deo *non obligantia ad semper, possunt pro diversis temporibus obligare*: puta, (ut in nota marginis additur) *quodam tempore ad colendos parentes, quodam ad diligendum Deum, sive actum dilectionis Dei exercendum*.

6 Potest itaque aliquis honorare parentes sinè dilectione Dei, ita ut dilectionis omissio ei non imputetur ad peccatum; quia pro illo tempore non urgebat Divini amoris obligatio. Alioqui infideles sinè fidei lumine, ideoque certissimè charitate destituti, in omni delinquerent opere, in omni honore, quem Principibus exhibent, in omni eleemosyna, in omni sobrietate, justitiâ, continentiâ, mansuetudine, amore erga patriam, erga liberos, conjuges, parentes: Et quidem peccaretur semper mortaliter, ut Angelicus in argumento *sed contra* sapientissimè observat: *quod*, inquit, *est inconveniens*, & à doctrinâ Ecclesiæ Catholicæ maximè alienum.

Denique 1. 2. quæst. 65. art. 2. inquirit Angelicus, *An virtutes morales esse possint sinè charitate*: & solvit distinctione scholis Catholicis communi; Quesnellianæ verò contrariâ, dicens: „ Virtutes morales, prout sunt operativæ boni in ordine ad finem, qui non excedit facultatem naturalem hominis, possunt per opera humana acquiri; & sic acquisitæ sinè charitate esse possunt, prout fuerunt in multis gentibus. Secundùm autem quòd sunt operativæ boni in ordine ad ultimum finem supernaturalem, sic perfectè, & verè habent rationem virtutis, & non possunt humanis actibus acquiri, sed infunduntur à Deo, & hujusmodi virtutes morales sinè charitate esse non possunt. „ Si autem in operibus omnibus præcepta esset intentio charitatis, quæcumque sinè illa fierent, adeò non essent virtutes morales sinè charitate operativæ boni moralis intrà fines ordinis naturæ, ut nihil efficere possent, nisi opera vitio inquinata. Hactenus hic *Summam* tantummodò *Theologicam*, & quosdam in Pauli epistolas Commentarios scrutati sumus.

Addenda prætereà occurrunt aliqua ex libris in Magistrum, & quæstionibus disputatis. Sic autem enuntiat in lib. 2. sententiarum distinct. 41. quæst. 1. art. 2. ad 4. *Non oportet, ut actus infidelium, qui in finem illum non est ordinatus, semper sit peccatum; sed solùm pro tempore illo, in quo tenentur actum suum in finem ultimum referre.* Tenemur nempe in Aquinatis, & communissimâ Theologorum sententiâ initio usûs rationis (quod alii strictiùs, alii aliquantò largiùs accipiunt) ac dein sæpiùs in vita Deum diligere ex totâ animâ, atque adeò nos totos, & nostra omnia in Deum referre. Peccant itaque infideles, inquit Angelicus, non quoties in actibus relationem istam prætermittunt; sed quoties omittunt tempore relationis præcepto: sicut non omnibus actibus, quibus honorem non exhibeo parentibus, delinquo, sed tunc solùm, quando cultûs exhibitio pro eo tempore mandata negligitur.

7 In quæstionibus disputatis quæst. 7. de malo art. 1. disceptandum proponitur, *Num veniale peccatum dividatur contra mortale*, pro quo sibi Sanctus adversariorum nomine objicit: *Homo tenetur ex præcepto, ut omnia, quæ facit, ordinet in Deum tamquam finem, dicitur enim 1.Cor. 10.; Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite; sed peccatum veniale non est referibile in Deum; ergo quicumque peccat venialiter, facit contra præceptum; ergo peccat mortaliter.* Ad quod Angelicus respondet: *Cùm illud præceptum Apostoli sit affirmativum, non obligat ad hoc, quòd semper obser-*

obfervetur in actu. Obfervatur autem femper in habitu, quamdiu homo habitualiter habet Deum ficut ultimum finem, quod non excluditur per peccatum veniale.

In 2. dist. 41. quæst. 1. art. 2. ad 2. dicitur: „ Fides dirigit intentionem in finem „ ultimum; fed ratio, vel prudentia poteft „ dirigere in aliquem finem proximum, & „ quia ille finis proximus eft ordinabilis in „ finem ultimum, etiamfi actu non refera„ tur; ideo in infidelibus, quorum actus „ per vim rationis in talem finem dirigun„ tur, poffunt dici actus effe boni; fed de„ ficientes à perfecta bonitate, fecundùm „ quod actus eft meritorius. (Ibidem) „ Quamvis ab infidelium actibus fubtraha„ tur illa bonitas, fecundùm quam actus „ meritorius dicitur, remanet tamen boni„ tas alia vel virtutis politicæ, vel ex cir„ cumftantia, vel ex genere: & ideo non „ oportet, quòd omnis eorum actus fit ma„ lus. „ Si autem Deus præciperet fui in omnibus operibus dilectionem, malus effet omnis infidelium actus, juxta Angelicum fuperiùs citatum, cùm ait, *non oportere, ut actus infidelium, qui in finem illum* (Divinæ gloriæ) *non eft ordinatus, femper fit peccatum; fed folùm pro tempore illo, in quo tenetur actum fuum in finem ultimum referre.* Si igitur actus infidelium fit peccatum *pro tempore illo, quo tenetur actum fuum in finem ultimum referre*; idem erit de actu quolibet fidelium pro tempore illo, quo præcepta relatio omittitur: atque ita fi præcepta à Deo eft relatio perpetua, & fingulorum actuum, evidens eft, actus fingulos in finem ultimum non relatos peccata fore.

Sic adverfarii præpofteris fuis ex Divo Thoma allegationibus, volentes damnatum articulum defendere; magis efficiunt odiofum in fenfu auctoris, ejufque commilitonum, quàm forfitan obvia verborum fignificatio poftulaffet. Mitiùs enim afferitur, actionem non fieri *modo Chriftiano*, & fupernaturaliter bono, quàm effe peccatum, præfertim lethiferum.

CAPUT X.

Refellitur obfervatio Hexaplorum.

1 Confutanda hìc modò eft temeraria, & mendax obfervatio *Hexaplorum*, quæ citatis tribus Angelici teftimoniis fubjungitur; illa quippe jam oftendi damnato articulo minimè patrocinari. In iifdem tamen adeò atrociter infultat adverfarius Conftitutioni Apoftolicæ, ut non vereatur afferere, quòd exuiffe frontem oporteat, atque *omnem abjeciffe verecundiam, eum qui fcribere aufus fit, Doctorem Angelicum* Quefnelliano *articulo effe contrarium*: addit ad talem *impudentiæ gradum neminem afcendere poffe, nifi Jefuitam.* Quibufnam impudentiæ cenfura conveniat, eifnè, qui Angelicum damnato Quefnelli articulo adverfari, an illis potiùs, qui fuffragari afferunt; minimè difficilis determinatio eft. Conftat enim, doctiffimos Urbis Theologos, qui ad examen propofitionum à Pontifice adhibiti fuerunt, omnes, nè uno quidem excepto, fumma veneratione profequi Doctorem Angelicum, & indubitata ejus dogmata: plerofque etiam ex illis fe profiteri fcholæ Thomifticæ difcipulos; unde nullo modo verifimile eft, viros iftos fapientiffimos voluiffe cenfuram inurere articulo Magiftri Angelici, fuamve fententiam complectenti.

Quapropter aut miferè illi omnes cæcutierint, qui non perfpexerint, fe fuo, fuique Præceptoris fenfui anathema dicere, quod nemo fanæ mentis fufpicabitur; aut neceffe eft, temeritatem fuam adverfarius agnofcat, qua fententiam S. Thomæ cum damnato articulo confundere aufus eft. Manifefti quoque convincitur mendacii, vel patentis infaniæ, cùm ait, adeò confpicuum effe Angelici cum damnato articulo confenfum, ut à nemine, nifi *impudentiffimo*, poffit S. Doctor illi *contrarius affirmari*. Affirmatur tamen ab Eruditiffimis Sedis Apoftolicæ Theologis, & Confultoribus, qui Propofitionum examini fummâ diligentiâ incubuerunt; & indubiè affirmabitur ab Epifcopis, & cujufcumque Ordinis Doctoribus, qui Conftitutioni UNIGENITUS fubfcripsêre, adeò ut non exiftimem, ex eis quempiam repertum iri, qui S. Thomæ fententiam in profcripti dogmatis traxerit focietatem, imò certiffimam non agnoverit oppofitionem.

2 Senfum Propofitionis genuinum, & obvium conftat à Sede Apoftolica condemnari: quis etiam ille fit, ut enuntiatio non apparet obfcura, facilè cuilibet legenti in mentem venit, & nos fuperiùs planum dedimus. Tali autem fenfu acceptum articulum, Ecclefiæ dogmatibus effe contrarium, meritoque fubjacêre anathemati, argumentis à nemine probè Catholico negandis arbitror demonftratum.

Queritur multùm adverfarius, aliquem recentiùs inficiatum effe, obligationem omnia opera referendi in Deum, atque hanc fuam

suam confirmasse sententiam Constitutione UNIGENITUS. Hinc acerbiùs declamat contra dogmatis sui impugnatores, à quo præcipua pendeant pietatis christianæ capita. Scio, variam esse operum in Dei gloriam apud Scholasticos relationem, formalem, virtualem, explicitam, implicitam, aliam in actibus, aliam in habitu consistentem; cujus disquisitio non est præsenti meo instituto necessaria; quia Ecclesia tum in definitionibus Pontificum, tum in Conciliis definit Christiana dogmata, atque iis contraria condemnat eo sensu, quem Propositionum verba significatione propriâ, & obviâ legentibus exhibent: subinde etiam in proscriptionis sententiâ ad occurrendum Novaturientium cavillationibus exprimitur sensus ab authoribus intentus, atque ipsi, dum pervicaces fuerint, nominatim feriuntur anathemate; experientia autem quotidiana docet, quacumque demum claritate Propositio sive definita, sive condemnata fulgeat, semper Scholasticis relinqui, vel ab iis concipi disputationis materiam, ut de ipsis Scripturarum oraculis, è quibus pro diversâ interpretum dispositione argumenta formantur theologica, & subinde ex eodem textu contraria.

Ego quidem definitionis Apostolicæ veritatem argumentis omni scholæ Catholicæ communibus ubique hactenus propugnavi, studiosè cavens, nè ad privatam sive meam, sive scholæ, aut ordinis alicujus sententiam quempiam adstringerem, in hoc unum intentus, ut Catholica Jesu Christi religio, quam Apostolica Sedes, & universa cum ea tenet Ecclesia, incolumis persisteret.

3 Quod attinet ad obligationem referendi omnia in Deum ex charitate, non una Scholasticorum sententia est. Prima tutissima S. Thomæ, quam superiùs explicui: altera ei opposita Quesnelli, exigens dilectionem perpetuam, cujus omissione quælibet actio virtutum moralium, etiam fidei, & spei sit peccatum: tertia aliquorum Lovaniensium inter utramque media, requirens relationem perpetuam omnium actionum, non quidem charitatis actibus semper elicitis, sed virtute manentibus, quorum influxu omnia fieri debeant opera deliberata, & cujus relationis defectu homo peccet continuò, etsi in virtutibus se moralibus, etiam duabus primis Theologis exerceat.

Hujus sententiæ authores duplici discrimine se existimant à damnatis Quesnelli erroribus segregari: primò, quòd hic nusquam meminerit relationis solummodo virtualis; sed actualem semper exigere videatur. Secundò, quòd Quesnellus non solam relationis omissionem arguat peccati, sed eâ vitiari statuat actum ipsum misericordiæ, castitatis, & quemlibet alium virtutis moralis; fidei quoque, & spei; se autem actuum illorum agnoscere bonitatem; solam autem de peccato arguere omissionem debitæ relationis. Quæ quidem sententia cum qualicumque suâ mitigatione, difficilis mihi semper visa est, & dura, præcipuè intellecta juxta authorem famosi *Tirocinii* instituendis præcipuè Lovaniensibus editi, ubi virtualem relationem explicat per actualem, & solùm extrinsecè discrepantem à formali per hoc, quòd posterior reflexionem contineat, qua destituitur virtualis, solo contenta actu directo sinè reflexione. Verba authoris sunt Tract. 2. pag. 201. *Differt autem illa virtualis dilectio à formali tantùm extrinsecè; eadem enim, quæ modò elicitur, & formalis cognominatur, modico post tempore virtualis dicitur, cum hoc discrimine, quòd super formalem fiat expressa reflexio, quæ expressè cognoscit, se elicere talem dilectionis actum, & quasi illius recordatur.* Unde anthot concludit: *Est igitur dilectio virtualis, verus animi motus*, verus dilectionis actus, absque reflexione.

4 Altera contra eandem sententiam difficultas mihi suggeritur à S. Thoma, dum loco superiùs citato ait: *Non oportet, ut actus infidelium, qui in finem illum non est ordinatus, semper sit peccatum; sed solùm pro tempore illo, in quo tenentur actum suum in finem ultimum referre.* Si actus infidelium qualiscumque, etiam misericordiæ, vel continentiæ sit *peccatum pro tempore illo, in quo tenentur actum suum in finem ultimum referre*, evidens est, omnia infidelium opera fore peccata, & virtutes Philosophorum omnes fore vitia, si relatio illa pro omni tempore obliget, ut novi Theologi arbitrantur. Eâdem prorsus ratione peccata erunt omnia fidelium, & justorum opera dilectionis expertia, *pro illo tempore, in quo tenentur actum suum in finem ultimum referre*. Unde si, ut contendunt Bajus, Quesnellus, & author Tirocinii cum suis sectatoribus, præceptum relationis in Deum obliget pro omni tempore, ineluctabilis deducitur consecutio, *omnia infidelium opera* deliberata fore *peccata, & Philosophorum virtutes* fore *vitia*; neque solùm operantem, sed ipsum quoque opus maculâ inquinandum. Quis dubitet, quin sententia Angelici solidissima sit? Profectò Catholici omnes cum Augustino contra Pelagium semper credidimus, actus omnes, quantumcumque officio, sive objecto boni vide-

viderentur, si fine eliciantur perverso, contrahere turpitudinem, neque virtutes esse; sed absolutè, & simpliciter vitia. Si autem relationis illicitæ accessione inficiantur non soli operantes, sed ipsa etiam opera qualiacumque, perspicuum est, ipsa pariter vitianda defectu relationis debitæ, & à Deo Imperatæ; tam enim manus hominis redditur turpis detractione quinti digiti debiti, quàm accessione sexti superflui, & indecentis.

Quapropter si quid Theologos istos mihi semper pluribus nominibus venerandos rogare liceat, obtestor, ut non à solis opinionibus apertissimè damnatis; sed etiam à suspectis quàm longissimè se removentes, sequantur potiùs communes scholæ Thomisticæ, Seraphicæ, & aliarum absque offensione receptas sententias, nullique obnoxias censuræ periculo, quàm paucorum à via regia declinantium novitates, quas si diligentiùs excutias, non erit facilè à damnatis secernere erroribus, & quod exquisitis magno studio argutiis discrimen allegatur, inter cavillationes veriùs numeraveris, quàm inter probabilia sani dogmatis argumenta.

CAPUT XI.

Ab adversariis perperam allegatur Libellus de Imitatione Christi. *Minùs perspecta, & minùs secura apparet doctrina quædam libelli* de principiis vitæ Christianæ.

1 Doctori Angelico subjungunt Hexapla Thomam à Kempis, & recentiorem dignitate quidem, ac pietate conspicuum; sed in scholasticis Galliæ, & Belgii controversiis non maximè versatum. Quapropter latina *Collatio* Hexaplis suppetias ferens, & subinde tacitè corrigens, utrumque scriptorem illum meritò sibi censuit prætereundum, utpote damnato dogmati stabiliendo minimè idoneum. Nè quid tamen dissimulasse videar, formata ex utroque objectio audiatur. Lib. 3. de Imitatione Christi cap. 9. inducitur Magister Christus ita discipulum alloquens: „Fili, „ ego debeo esse finis tuus supremus, & ultimatus, si verè desideras esse beatus. Ex „ hac intentione purificabitur affectus tuus, „ sæpius ad se ipsum, & creaturas malè incurvatus; nam si te ipsum in aliquo quæris, statim in te deficis, & arescis. Omnia „ ergo ad me principaliter referas; quia „ ego sum, qui omnia dedi: sic singula considera, sicut ex summo bono manantia: & „ ideo ad me tamquam ad suam originem „ cuncta sunt reducenda. „

Si quot pietatis monita continent libri ascetici, convertere liberit in præcepta, non erunt ampliùs consilia Evangelica; sed quidquid ad perfectionem traditur, fiet obligatio necessaria ad salutem. Sic inter articulos Pelagii à Synodo Diospolitanâ damnatos resuscitabitur hic: *Divites baptizatos, nisi omnibus abrenuntient, si quid boni visi fuerint facere, non reputari illis, nec eos habere posse regnum Dei*. Quamquam in sententia Thomæ Kempensis, & Christianorum omnium indubiè ad mandatum primum, maximumque pertineat, ut Deus ab omnibus *finis supremus, & ultimus* habeatur.

Sit etiam præceptum sensu Angelici, nos totos, & nostra omnia in Deum, ut finem ultimum referendi; non tamen propterea relatio perpetua esse debet; sed sua complectitur definita à Deo tempora, & circumstantias: unde non omnis semper moræ, & interruptionis est impatiens. Toties nempe relationis omnium operum agnoscenda est necessitas, quoties amandi Deum ex toto corde, ex totâ animâ, & totis viribus: cujus amoris quoad habitum quidem exigitur ab omnibus perennitas, ut status gratiæ, & amicitiæ Divinæ; sed continuum charitatis in omnibus actibus exercitium neque Libellus *De imitatione Christi* postulat, neque tutò ullus exigere videbitur post definitiones non solùm Pii V., Gregorii XIII., Urbani VIII., sed vel maximè Alexandri VIII., nè dicam CLEMENTIS XI. Hinc confirmatur, quod in Prolegomenis animadverti de indole Jansenistarum, nihil esse tam pium, nihil tam sanctum, cui afflare virus suum pestifera novitas non moliatur.

Vidi epistolam Reverendissimi Patris Innocentii Carthusianorum Generalis ad alterius Ordinis Generalem, in qua testatur, se ad infringendam Jansenistarum perfidiam abutentium Libello *De imitatione Christi* composuisse, & typis edere *Enchiridion salutis operandæ per gratiam Christi, in quo de gratia Christi obtinenda, servanda, & in vacuum non recipienda agitur secundùm mentem, & instituta libri de imitatione Christi*.

2 Alius supra memoratus liber, de *Principiis vitæ Christianæ* parte 1. §. 29. ait: „ Theologi licèt unanimi consensu asserant, „ quasdam actiones humanas nec bonas ex „ se, nec malas esse, quales sunt ambulare, „ comedere, dormire, docent tamen, cum „ pec-

„ peccare; qui re ipsa dormit, edit; ambulat, & hæc non refert ad ultimum finem, quia deficit à prima, & universali regula humanarum actionum, quæ est idem finis, ad quem quidquid agimus, dirigere oportet. „ Reverentia erga pium Scriptorem postulat, ut relationis nomine intelligamus, non perperuò actualem, expliciram; sed saltèm habitualem, vel imimplicitam, prout rraditam vidimus à Sancto Francisco Salesio, à Cardinalibus Bellarmino, & Aguirre, cum cæteris Scholasticis, præcipuè Thomistis, prælucente non solùm Angelico; sed etiam Augustino, Chrysostomo, Oecumenio, Theophylacto &c., quorum sententias superiora capita exhibuerunt. Alioquin si recentior ille intelligatur de præcepto referendi actu continuo singula ad Deum opera, ut statuêre Bajus, Jansenius, & Author superiore capite Tirocinii confutatus, velim ex ejus defensoribus intelligere, quâ veritatis specie asseratur *unanimis Theologorum consensus*, ubi constat, contrarium esse sensum S. Bonaventuræ, & scholæ Seraphicæ, Thomistarum Angelici doctrinam propugnantium, quos sequuntur, etsi in quibusdam aliis oppositi, Societatis Jesu Theologi, cum reliqua communissimè Scholasticorum turbâ, præcipuè à Baji, & sectatorum ejus novitatibus alienâ.

Denique Recentioris illius pietatem fuisse aliquando à novatoribus circumventam, colligo ex Decreto Sacræ Congregationis *Indicis*, quo anno 1676. die 22. Junii *liber* ejus *sive epistola* typis edita *approbans doctrinam Germani Philalethis Eupistini* configitur: Decreto, inquam, eodem, quo plures Novaturientium libri prohibiti sunt, & inter illos *Notæ, ac Dissertationes Paschasii Quesnelli in Opera S. Leonis*. Famæ objecti nobis Neoterici parcitum tunc voluit Sacra Congregatio, quando *librum, sive epistolam*, non ipsi tribuit, sed refert veluti ejus *nomine* editam. Quam Sacræ Congregationis moderationem, & prudentiam irreverens Quesnellus non ferens, inter cæteras contra Decretum illud contumelias hanc effutiit, quasi malâ fide in dubium Sacra Congregatio revocasset, an Opusculum ejus esset, cujus nomine prodiit. Videri de hoc potest *Causa Quesnelliana* articulo 13.

3 Forsitan & mihi Quesnellus vitio vertet, quòd ejusdem authoris nomen in *Hexaplis* expressum subticeam. Verùm, ut adversarii ad confirmationem erroris opus sibi duxerant, nomen Scriptoris prodere, & dignitatem, mihi tam pietatem ejus, quàm dignitatem veneranti, magis suadet charitas, suppresso nomine doctrinam discutere non usque adeò securam. Sic enim legitur §. 32. *Etsi quis distribuerit in cibos pauperum omnes facultates suas, & tradiderit corpus suum, ita ut ardeat, nisi hoc PURE fiat OB AMOREM DEI, nihil prodest.*

Notissimum Urbi, & Orbi est, quantùm Eminentissimus Noailles Parisiensis Archiepiscopus cum quibusdam aliis Galliæ Præsulibus necessitatem *amoris puri* in Archiepiscopi Cameracensis dogmatibus reprehenderit, quot impetiverit machinis, ut Authoritate Apostolica Innocentii XII. ea procul ab Ecclesiæ finibus arceretur. Neque laude, neque successu zelus caruit, & solicitatio; etenim doctrina rigido subjecta examini, damnataque fuit. Cui mox ipse Cameracensium Antistes, ut erat religiosissimus, summâ demissione animi, & totius Ecclesiæ ædificatione primus post Pontificem publicè dixit anathema. Sed & authoris nobis ab adversariis objecti, adeò perspecta probitas est, & erga Sedem Apostolicam observantia, ut nullus de eo sinè injuria dubitare queat, quin, si prævidisset alterius operis sui proscriptionem, quæque contra *amoris puri* necessitatem à Quietistis, & Cameracensi Archiepiscopo assertam definita sunt ab Innocentio XII., & aliquot annis ante ab Alexandro VIII. contra 31. Propositiones aliorum, aliquantò cautiùs sibi scribendum censuisset.

Unum in adversariorum objectionibus iterum animadvertendum superest, quòd damnati articuli, quem defendendum susceperant, sensum efficiant duriorem, quàm obvia verborum significatio videretur exigere: mitius enim est, non agnoscere in ullis actionibus, absente charitate, *modum Christianum*, ut non agnoscit damnatus articulus, quàm attribuere omnibus peccatum, ut ipsæ impingunt articuli Apologiæ.

Quin-

Quinquagesimaquarta Propositio damnata.

Sola Charitas est, quæ Deo loquitur: hanc solam Deus audit. *Observ. Moral.* 1. *Cor.* 13. *vers.* 1.

CAPUT I.

Perversa Propositionis novitas repellitur.

1 Quisquis Propositionem hanc conferet cum quinquagesimâ, *Frustrà clamamus ad Deum, Pater mi, si spiritus charitatis non est ille, qui clamat*, facilè perspiciet, unius ab altera sensum nullo discrimine separari; neutram tamen præterire censura debuit, nè quod in una feritur anathemate, in altera etiam clarissimè expressum tolerabile videretur. Præterea ejusdem dogmatis sub figurarum, aut phrasium mutatione repetitio lucem addit authoris sensui certiùs cognoscendo: ostendit denique non fortuitò, aut absque advertentia Scriptoris calamo novitatem tam horridam excidisse.

Pro refutando itaque præsenti articulo possem lectorem remittere ad ea, quæ contra quinquagesimam à me disputata sunt; quia tamen adversarios non piget utrumque articulum iteratò propugnare certamine, etsi nihil novi pro posteriore adferant præsidii, superare etiam nos decet repetitionis tædium, & quæ contra art. 50., ejusque vindicias dedimus, saltèm compendio cum quibusdam additionibus, responsa reducere.

2 Charitatis nomine hìc, ut passim alibi, à Quesnello intelligi amorem benevolum, supernaturalem, & justificantem, colligitur non ex eo solùm, quod propria istius vocis significatio sit; sed etiam ex atticulo 44. quo statuitur omnis humana volitio, & actio, *amoris mali* soboles, quæ non *nascitur ex amore Dei omnia agente propter Deum, quemque Deus remuneratur*. Ubi fundamentum, & ratio præsentis articuli traditur manifestè; etsi minimè consona catholicæ veritati. Si nempe omnis actio, quæ non est amor justificans, vel ex eo non profluit, oriatur ex amore malo, seu cupiditate, patet, orationem charitate vacuam Deo placere non posse, sed displicere necessariò, & cum cæteris procul abjici peccatis.

Juxta catholicam fidem Deus peccatores recipit pœnitentes; sed peccatum ipsum, sive orationem impiam admittere Dei Sanctitas non potest. Christi tamen Ecclesia agnoscit actiones medias inter vitia, & amorem reconciliandis Deo peccatoribus sufficientem. Ut nempe ex Tridentina Synodo sess. 6. cap. 6. discimus, peccator actibus fidei, timoris, spei, ad dilectionem, ac baptismum disponitur, atque ita ad justitiam. Rursus sess. 14. cap. 4. describitur attritio variis constans exercitiis sinè charitate. Cur autem actus illi, cùm boni sint, & Divinæ gratiæ auxilio producti, non placeant Deo, non ipsi loquantur? Cur suscepta à peccatoribus jejunia, datæ ab eis eleemosynæ, & alia pietatis Christianæ opera cum humili oratione, pro obtinendo spiritu pœnitentiæ, & potentissimo gratiæ præsidio ad superandum insolitæ consuetudinis peccatum directa, repellantur, & quidem à benignissimo Patre, ac Salvatore omnium hominum, peccatores omnes ad conversionem, ac beatitudinem invitante? Non perspiciunt novi theologi, quantum Divinæ detrahant misericordiæ, obtentu commendandæ unicè charitatis. Favere quidem præposteris charitatis præconibus videtur, quod ait cæcus in Euangelio, *Scimus quia peccatores Deus non exaudit*; sed contra illud S. Augustinus Tract. 44. in Joannem ait: *Si peccatores Deus non exaudiret, frustrà Publicanus oculos in terram demittens, & pectus suum percutiens diceret: Deus propitius esto mihi peccatori*.

3 S. Thomas 2. 2. quæst. 88. art. 16. exanimans, *utrum peccatores orando impetrent aliquid à Deo*, concludit affirmando, & adducit Augustini sententiam jam relatam, additque ex eodem, quòd cæci Euangelici verbum, sit *cæci adhuc inuncti, nondum perfectè illuminati, & ideo non est ratum*. Citat, & illud ex authore operis imperfecti in Matth. (sub nomine S. Chrysostomi) hom. 18. *Omnis, qui petit, accipit, sive justus sit, sive peccator*; ubi & addit: *Tantùm petere non dubitet, quærere non negligat, pulsare non cesset; cùm constet, neminem sperni, nisi petere dubitaverit*. Præmiserat, *Ne fortè aliqui peccatorum audientes*, PETITE, *dicant; ista facere hortatur dignos; nos autem indigni, etsi petierimus, non proinde accipiemus &c.*

Ita S. Thomas in argumento contra rationes adversantium, quod in resolutione sic prosequitur: *Orationem peccatoris ex bono naturæ desiderio procedentem Deus audit; non quasi ex justitia; quia peccator non meretur; sed ex purâ misericordiâ, observatis tamen quatuor præmissis conditionibus, ut scilicet pro se petat, necessaria ad salutem, piè, & perseveranter*. Et ad secundum: *Dicendum, quòd peccator non potest piè orare, quasi ejus oratio ex habitu virtutis informetur; potest tamen ejus oratio esse pia, quantum ad hoc, quòd petit aliquid ad pietatem pertinens; Sicut ille, qui non habet habitum justitiæ, potest aliquid justum velle, ut patet ex dictis (quæst. 58. art. 1. ad 3.) & quamvis ejus oratio non sit meritoria; potest tamen esse impetrativa; quia meritum innititur justitiæ; sed impetratio gratiæ*.

Ita videmus, Deum propitium fuisse publicano Euangelico, & quidem exoratum ejus precibus; cui charitate perfectam, quamvis initio non habuerit, pœnitentiam est largitus, & justitiam.

4 Bellarminus libro 1. de bonis operibus in particulari cap. 9. omnem de peccatorum orationibus difficultatem distinctione perspicuâ, & damnatæ Propositioni infestissimâ facilè dissolvit. Referre iterum juverit Sententiam Cardinalis integram: quam confidere licet à Quesnello non respuendam; quia Eminentissimum hunc tum alibi sæpius, tum etiam in præsenti materiâ expetit suffragatorem, ut videbimus ad Prop. 59. cap. 4. Sic interim Cardinalis cap. 9. „ Tribus modis peccatores orare possunt: „ uno modo, ut impetrent à Deo miracula „ in confirmationem fidei: & hoc modo „ fieri potest, ut peccatores impetrent, „ si veram fidem confirmare velint, (etsi „ nondum donati charitate)..... altero „ modo peccatores orant, ut impetrent sibi donum aliquod spirituale, vel corporale. Et tunc vel in peccato voluntariè „ permanent, vel incipiunt pœnitentiam „ agere. Si voluntariè permanent in peccato, ordinariè non exaudiuntur; interdum tamen etiam isti exaudiuntur, vel ad „ judicium, vel ad misericordiam. Quosdam enim Deus audit, ut puniat..... „ quædam tamen extraordinariâ quâdam „ benignitate concedit etiam peccatoribus, ut eos beneficiis ad amorem suum „ alliciat. Et hoc fortasse sibi voluit auctor operis imperfecti homilia 18. ad illud Matth. 7. *Omnis, qui petit, accipit*: „ Sanctus Basilius in Constitutionibus Monasticis cap. 1. docet, etiam peccatores à Deo exaudiri, si humiliter, & perseveranter petant. De omnibus, non excipiendo peccatores, dicitur Eccli. cap. 35. *Oratio humiliantis se nubes penetrabit, & non discedet, donec Altissimus aspiciat*. Prosequamur cum Bellarmino.

„ Tertiò modo peccatores orant, cùm „ pœnitentiam agere incipiunt, quomodo „ Ninivitæ, & publicanus orabant; & hi „ sæpe impetrant, non ex justitiâ, quasi digni sint, sed ex misericordia Dei, & non „ omnino infallibiliter „. Juxta quam Eminentissimi sententiam Publicanus, & Ninivitæ, qui justitiam consecuti sunt, initio, quando orare Deum cœperant, nondum charitate prædíti erant; sed eam suis precibus impetrarunt; aliàs enim reconciliatio ipsis certissimè non obvenisset; cùm ea à charitate nequeat separari. Dicitur nempe 1. Petri cap. 4. *Charitas operit multitudinem peccatorum* 1. Joan. cap. 4. *Omnis, qui diligit, ex Deo natus est*. Prov. cap. 8. *Ego diligentes me diligo*.

5 Quod de orationis utilitate, & necessitate nobis Sacræ literæ, & tota Patrum traditio testantur, numquam intellexit Ecclesia ad justos solummodo, & charitatis spiritu ductos pertinere: Ecclesiastici 18. *Non impediaris orare semper*. Lucæ 18. *Oportet semper orare, & numquam deficere*. Cap. 21. *Vigilate omni tempore orantes, ut digni habeamini fugere ista omnia*. 1. Thessal. cap. ultimo *Sinè intermissione orate*. Imò quinam magis indigent oratione, & ejus fructu, quàm peccatores charitate, & justitiâ destituti, ut eam obtineant? Et quid dignius infinitâ Dei clementiâ, & bonitate, quàm ut eisdem charitatis gratiam humiliter petentibus aures præbeat, *Nolens aliquos perire: sed omnes ad pœnitentiam reverti* 2. Petri cap. 3. Testatur Deus ipse Isaiæ 65. & Rom. 10. *Expandi manus meas tota die ad populum non credentem, & contradicentem*. Si tanta sit Dei Salvatoris nostri benignitas, ut totâ die extendat misericordissimas manus, quibus à peccatis retrahat delinquentes, & per pœnitentiæ, charitatis, justitiæ semitas, etiam incredulos, ac reluctantes ducere conetur; quis sinè impietate, & blasphemiâ asseret, Deum peccatoribus omnibus charitatis, & pœnitentiæ gratiam vehementi desiderio, & demississimâ oratione petentibus occludere aures misericordiæ? Ezechielis 33. *Sic locuti estis dicentes, Iniquitates nostræ, & peccata nostra super nos sunt... Dic ad eos: Vivo ego, dicit Dominus, nolo,*

nolo mortem impii; sed ut convertatur impius à via sua, & vivat. Convertimini, convertimini &c. impietas impii non nocebit ei. Compertum itaque est, velle Deum peccatorum omnium pœnitentiam, atque ita placere ipsi, quòd ad eam totis viribus, juxta concessum gratiæ auxilium conitantur, perfectam, quam nondum habent, pœnitentiam exposcentes; dabit enim Deus spiritum bonum petentibus se. Neque dubium est, etsi gratia sufficiens, imò efficax omnibus offeratur, non tamen præstari semper omnibus; sed potentiora quædam auxilia reservari petentibus.

Sic Augustinus lib. de Natura, & gratia cap.43. *Admonet nos Deus facere quod possumus, & petere quod non possumus.* Cap.69. *Eo ipso, quo firmissimè creditur, Deum justum, & bonum impossibile non potuisse præcipere, hinc & monemur in facilibus, quid agamus, & in difficilibus, quid petere debeamus.* Lib. de gratia, & lib. arbit. cap.16. *Ideo quædam jubet, quæ non possumus, ut sciamus quid ab eo petere debeamus:* atque ipsum Tridentinum Concilium sess.6. cap.11. *Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet, & facere quod possis, & petere quod non possis, & adjuvat, ut possis.* Denique charitas, & pœnitentia justificans non ita semper in promptu peccatoribus est, ut pro eâ obtinendâ orare non debeant.

6 Quesnellus autem charitatem, & veram pœnitentiam, nisi eam habentibus non agnoscit possibilem, antequam Deo placuerit absque liberâ eorum cooperatione infundere. Non enim possibilis est sinè gratiâ; *prima* autem *gratia, quam Deus concedit peccatori, est peccatorum remissio.* Prop.28. Quod etiam primæ gratiæ concessio liberam hominis cooperationem præveniat, catholicis omnibus compertum est. Juxta 44.*Omnis actio, quæ non est amor Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur, nascitur ex amore malo, quo nos ipsos, ac mundum diligimus.* Quomodo igitur fieri umquam poterit, ut peccator gratiam charitatis, sive dilectionis *omnia agentis propter Deum, quemque Deus remuneratur,* à Deo precibus obtineat, vel petat, nisi eam priùs in Quesnelli sententia possideat donatam? *Sola* nempe *charitas est* per præsentem articulum, *quæ Deo loquitur; hanc solam Deus audit,*& per 47.*Omnis obedientia legis,* (atque ita oratio) *profluere debet ex fonte, & hic fons est charitas. Alioquin non est nisi hypocrisis, aut falsa justitia.* Quod discere Quesnellus potuit ex Luthero assertione 6. contra Bullam Leonis, ubi contritionem ortam ex timore dicit, *facere hominem hypocritam, & magis peccatorem;* Cui, & simul Quesnello respondet Bellarminus lib.2. de Pœnitentia cap.18. „Quod non fit ex charitate, non „ est quidem meritorium vitæ æternæ, „ quam Deus promisit diligentibus se Jac.1. „ tamen verum, sincerum, & utile esse „ potest. Qui enim orat pro remissione „ peccatorum, & charitate accipienda, „ non frustrà laborat, etiamsi ex charitate, „ quam nondum habet, id facere nequeat; „ & qui peccatum odit, quia ad interitum „ sempiternum ducit, verè ac seriò peccatum odit, sicut verè, ac seriò interitum „ sempiternum timet. Et qui peccata sua „ eleemosynis redimebat, juxta consilium „ Danielis; vel ad Jonæ prædicationem „ urbis eversionem metuentes, jejunio, ac „ cilicio se affligebant, nequaquam hypocritæ erant. Neque Apostolus Paulus 1. „ Cor.13. scripsit, id, quod fit sinè charitate, „ nihil, vanum, & falsum esse, aut fidem, „ linguas, prophetiam, scientiam, miracula „ sinè charitate nihil esse, aut vana, & falsa „ esse; sed hominem, qui illa omnia sinè „ charitate habet, nihil esse, quia non sit „ amicus Dei: neque illa omnia, si charitas „ absit, beatum umquam facient„: Hactenus Cardinalis.

7 S.Augustinus lib.2. de bono perseverantiæ cap.16. ait: *Constat, Deum alia danda non orantibus, sicut initium fidei; alia non nisi orantibus præparasse:* quale est non solùm perseverantia; sed etiam in plurimis credentibus, & simul peccatoribus conversio. Iterum Augustinus lib.2. ad Simplicianum *Hanc fidem volumus habeant, qua impetrent charitatem.* Quomodo fides charitatem impetrat, si sola Deo charitas loquatur; hanc solam Deus audiat?

Non ita, ut jam monuimus, sensit Daniel cap.4. dicens Regi impio: *Peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordiis pauperum.* Quomodo prodesse homini istiusmodi poterat eleemosyna ad impetrandam à Deo conversionis gratiam, si sola charitas à Deo audiatur? Pro nobis contra Quesnellum respondet S. Chrysostomus homil.32.in Epistolam ad Hebræos: *Eleemosyna est amica Dei, semper ei propinqua, pro quibuscumque voluerit facilè gratiæ munus impetrat.*

David Psalm. 33. ait: *Accedite, ad eum, & illuminamini.*

Joan.1. cap.5. *Hæc est fiducia, quam habemus ad Deum, quia quodcumque petierimus secundùm voluntatem ejus, audit nos.... Hæc est autem voluntas ejus, sanctificatio no-*

stra. Hic dilectissimus Christi discipulus orandi fiduciam, etiam, peccatoribus facit, modò secundùm ejus voluntatem, quæ fidelium sanctificatio est, oratio dirigatur. Christus ipse Joannis 14. *Quodcumque* (inquit) *petieritis in nomine meo, hoc faciam*. Quæ rursus petitio ipsi gratior esse potest, quæ dignior ejus nomine, & clementiâ, quàm *sanctificatio* peccatoris? Nullus Psalmus è septem Pœnitentialibus est, in quo non plures versus sint attritis peccatoribus, & perfectæ contritionis gratiam petentibus aptissimi. Quales sunt: „ Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me. Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum: Sana me Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea, & anima mea turbata est valde; sed tu Domine usquequo? Convertere Domine, & eripe Animam meam: salvum me fac propter misericordiam tuam; Quoniam non est in morte, qui memor sit tui; in inferno autem quis confitebitur tibi? Beati, quorum remissæ sunt iniquitates: & quorum tecta sunt peccata. Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum, nec est in spiritu ejus dolus; quoniam die, ac nocte gravata est super me manus tua, .. dum configitur spina. Delictum meum cognitum tibi feci, & injustitiam meam non abscondi. Multa flagella peccatoris; sperantem autem in Domino misericordia circumdabit „. Quas voces, & plures alias, etsi Regis per pœnitentiam justificati esse crediderim; tamen, si attentè consideres, convenire deprehendes etiam peccatori cuilibet attrito, & ad charitatem, atque justitiam votis ardentibus anhelanti.

8 Ut autem pestiferæ novitatis virus horrorem sui magis excitet, ac detestationem, gemina statuamus exempla; utinam non adeò etiam inter Christianos frequentia! Vir nobilis impegit alteri calumniam, quam absque suâ infamiâ nequeat retractare: judex indulgens nimiùm affectui amicitiæ, vel odii, vel ex ignorantia, quæ gravi debito obnoxia fit, injustam tulit de bonis temporalibus sententiam; & quidem de bonis tanti momenti, quæ si parti læsæ restituere teneatur, ut tenetur certissimè, quando damnum aliter resarciri non poterit, necesse est, se suamque familiam pessumdet, uxorem, & liberos ad summam redigat egestatem. Uterque Divini judicii, & suppliciorum æternorum formidine perculsus, satis perspicit, nullum superesse ea evitandi modum, nisi prior infamiam, posterior eligat paupertatem. Verùm adeò Christianæ, & ad salutem necessariæ resolutioni O Deus! quot obices undique, & respectus humani absque cœlesti auxilio potentissimo numquam superandi, occurrunt! Quanta cogitationum, & passionum lucta miseros exagitat! Quid hic confessarius pius, & prudens agat, postquam utriusque animum suis quidem cum Divina gratiâ monitis, & hortationibus concussum perspexerit; sed nondum penitùs debellatum? Præscribet eleemosynas, jejunia, lectiones sacras, auditiones concionum, dierum aliquot solitudinem ad meditandum seriò novissima, & studendum unicè saluti: Denique suadebit orationis ardentissimæ exercitium frequens, ut Dei clementia vires præstet non modò perrumpendis difficultatibus sufficientes; sed invictissimas, & mundo, carne, Dæmone superiores. Ita quidem præcipiet, vel suadebit Sacramenti pœnitentiæ administer catholicus.

Quesnellianus autem, si utcumque sincerus fuerit, non hypocrita perfidus, non suæ ethicæ impietatem subdolè occultans, quid, inquiet, te miser exercuias? *Quid* orationibus assiduis, jejuniis, ciliciis, flagris te inaniter maceras, à Deo minimè exaudiendus; *quia sola charitas est, quæ Deo loquitur; eam solam Deus audit*? Omnibus autem istis bonorum, ut existimas, operum exercitiis, etiam eleemosynis, quid aliud agis, quàm quod, uti delictorum, ita & cumulum augeas suppliciorum? Quantum enim ad preces vestras attinet, uterque nosti eas non ex charitate procedere, deficiente etiamnum in uno retractandæ calumniæ; in altero pro injustâ satisfaciendi sententiâ, proposito efficace. Quid autem Deo cum precibus, eleemosynis, jejuniis &c. sinè charitate, quæ *sola Deo loquitur, quam solam Deus audit*? Istud non solùm ex præsenti habetur articulo; sed etiam 50. *Frustrà clamamus ad Deum, Pater mi, si Spiritus charitatis non est ille, qui clamat*. 53. *Sola charitas Christiano modo facit* (actiones Christianas) *per relationem ad Deum, & Jesum Christum*. 44. *Omnis actio*, quæ non *nascitur ex amore Dei omnia agente propter Deum, quemque Deus remuneratur, nascitur ex amore malo, quo nos ipsos, ac mundum diligimus*; proinde, & ipsa oratio, eleemosyna, jejunium, & qualiscumque sinè charitate actio, vitiis annumeranda est.

Si nihilominus uterque peccator de statu suo anxius, & vitandæ damnationis impulsus desiderio Quesnellianum suum confessarium urserit, ut tanti mali remedium sal-

saltèm aliquod suggerat, & quâ viâ salus conquirenda sit, declaret; charitate, inquiet is, sinè qua cætera omnia non solùm frustranea sunt; sed etiam noxia, & peccata. Hanc si uterque peccator dixerit à se maximè desiderari; sed hactenus mundanis se rationibus, & infirmitate suâ ab actu tam arduo restitutionis averti, sinè qua neque charitas esse potest, neque ulla vera, & sufficiens pœnitentia: quapropter consilium se à Confessarii peritiâ expetere, quo fortius à Deo auxilium imperari queat, & sterni semita ad charitatem; persistet novæ minister Ecclesiæ, asserens, non aliam ad charitatem esse semitam, nisi charitatem, neque hunc circulum videri debere exoticum, nisi iis, qui Augustinianæ & *Euangelicæ* doctrinæ, prout à Quesnello exponitur, & tot aliorum vindiciis defenditur, ignorantissimi sunt. Omnibus enim, præterquam Pelagianis hæreticis compertum est, non posse hominem sibi ullis actibus primam gratiam impetrare, vel eam petere, sicut oportet, vel ad eandem se ullo modo disponere; *prima* autem *gratia, quam Deus concedit peccatori, est peccatorum remissio* Art.28. quæ cùm obtingere sinè charitate nequeat, patet, primam gratiam esse ipsam charitatem. Ut igitur prima gratia à Deo infunditur absque ulla hominis ad eam dispositione, ita & juxta Quesnellum charitas, quæ necessariò prima gratia est.

Nonne temerarium foret, inutile, perniciosum maximè, & hæreticum, velle à Deo sive precibus, sive jejuniis, & eleemosynis primam gratiam obtinere, vel ad eam se ullatenus præparare? Quomodo itaque frustraneum, damnosum, imò hæreticum Quesnello non sit, velle se ad primam disponere charitatem, aut eam à Deo precibus, jejuniis, eleemosynis postulare? Peccatoribus itaque cavendum sedulò ab omnibus ad Charitatem, ad Pœnitentiam, & reconciliationem dispositionibus; sed ut prima gratia pendet unicè à Deo, ita charitas, pœnitentia, reconciliatio. Accedit aliud principium, ob quod ab omni opere peccator ante charitatem, quæ prima gratia est, abstinere debeat: Prop.38. *Peccator non est liber, nisi ad malum, sinè gratia liberatoris.* 39. *Voluntas, quam gratia non prævenit, nibil habet luminis, nisi ad aberrandum; ardoris, nisi ad se præcipitandum; virium, nisi ad se vulnerandum: est capax omnis mali, & incapax ad omne bonum.* 40. *Sinè gratia nibil amare possumus, nisi ad nostram condemnationem.* Seclusо igitur præcepto, melius peccatoribus foret ab omni opere misericordiæ, pœnitentiæ, fidei, spei, orationis ante charitatis infusionem abstinere, quàm istiusmodi actionum exercitiis augere semper multitudinem delictorum.

9 Lutherus in Epistola ad Ordinis sui Vicarium scripserat, *pœnitentiam nihil amarum, & asperum; sed dulce quid sonare, & suave*, ut sonat *charitas*; quæ juxta Quesnellum, *sola Deo loquitur, & quam solam Deus audit*. Quem itaque fructum, nisi noxium, & novi peccati vitio maculatum habere poterunt eleemosynæ, orationes, jejunia, cilicia, & quidquid aliud afflictionis voluntariæ est in peccatoribus ad veram pœnitentiam, & conversionem aspirantibus? *Num ergo*, inquient illi cum Tertulliano lib. de Pœnitentiâ, *in coccino, & Tyrio pro delictis supplicare nos concedet*? (addo ego absque omni verborum, affectuum, operum supplicatione, utpote à Deo juxta novum Euangelium minimè audiendâ, omnem abjicere pœnitentiæ, conversionis, salutis æternæ solicitudinem? Sed pergat Tertullianus;)
„ Cedo igitur acum crinibus distinguendis, & pulverem dentibus elimandis, & bisuleum aliquid ferri, vel æris unguibus repastinandis: si quid ficti nitoris, si quid coacti ruboris, in labiis, aut genis vigeat: præterea exquirito balnea lætiora hortulani, maritimive recessûs: adjicito ad sumptum, conquirito altilium enormem saginam: defæcato senectutem vini: cùm quis interrogarit, cur animæ largiaris? Deliqui, dicito, in Deum, & periclitor in æternum perire „. Sola charitas, qua destituor, Deo loquitur, hanc solam Deus audit: cætera omnia sive tristia, sive læta, sive jejunia, cilicia, vigiliæ, orationes; sive ludi, joci, epulæ, choreæ, & quidquid aliud deliciarum est, vitia sunt, & peccata, nam juxta art.40. *Sinè gratia nihil amare possumus, nisi ad nostram condemnationem*; gratiam autem peccatoribus, quamdiu in peccato manserint, nullam adesse, axioma novi Euangelii indubitatum est. Art. enim.28. *Prima gratia, quam Deus concedit peccatori, est peccatorum remissio*.

10 Neve existimes, Lector, nomine *prima gratia* habitum solummodo, non auxilium transiens, & actuale intelligi, fieri nequit juxta fidem novam, ut detur excitatio ad bonum supernaturalis ordinis, & non sit justificatio, vel actus sanctificans. Nam per Art.10. *Gratia* (cujus finis est justificatio) *est operatio manus Omnipotentis Dei, quam nihil impedire potest, aut retardare*. Art.11. *Gratia non est aliud, quàm voluntas Omnipotentis Dei jubentis, & facientis quod jubet*;

jubet; ubi perspicuè traditur, omnis gratiæ robur neque tentatione ulla carnis, mundi, aut Dæmonis, neque ipso hominis perversissimi arbitrio superabile. Porrò effectum gratiæ non posse esse nisi salutarem, & omnis expertem vitii, exploratissimum est. Nihil autem in humanis actibus immune à vitio esse præter dilectionem Dei super omnia benevolam, sive charitatem in nova Ecclesia, ac proinde justificantem, testatum sæpius fecit Quesnellus; Prop. scilicet 44. & multis sequentibus. Per quadragesimam quartam: *Omnis amor malus est, qui non est Dei, omnia agens propter Deum, quemque Deus remuneratur*. Per Prop. 46. *Cupiditas, aut charitas usum sensuum bonum, aut malum faciunt*. Per 47. *Obedientia legis profluere debet ex fonte, & hic fons est charitas: quando Dei amor est illius principium interius, & Dei gloria ejus finis, tunc purum est quod apparet exterius; alioquin non est nisi hypocrisis, aut falsa justitia*.

11 Quot verò hinc, imò ex solo 54. Articulo non sequuntur damnata pridem à Pontificibus dogmata! Si enim *Sola charitas est, quæ Deo loquitur, si eam solam Deus audit*, quid ni dicatur, *non esse vera legis obedientia, quæ fit sinè charitate*: quod in Bajo proscriptum est art.16. Nam vera legis obedientia Deo loquitur, & cur Deus eam non audiat? S. Hilarius in explicatione Psalmi 140. ait „Quatuor genera Orationum Apostolus esse significat ad Timotheum scribens: Exoro ergo primò omnium fieri precationes, orationes, & postulationes, gratiarum actiones. Humilitatis nostræ est deprecari; Magnificentiæ Dei est orari; Fidei est postulare; confessionis & laudis est gratulari„. S. Ambrosius lib.6. de Sacramentis „Prima oratio laudem debet habere Dei: secunda supplicationem: tertia postulationem: quarta gratiarum actionem„.

S. Augustinus tot laudes Dei agnoscit, quot fiunt à nobis bona opera in Psalm. 34. concione 2. „Suggero remedium, unde tota die laudes Deum, si vis: quidquid egeris, bene age, & laudasti Deum: quoties discedis, ut reficiaris, noli inebriari, & laudasti Deum: Negotia agis, noli fraudem facere, & laudasti Deum„. Quem locum adoptat Angelicus in Epistolam 1. Cor. cap.10. lectione 7. Si igitur vera sit legis obedientia, etiam quæ fit sinè charitate, ut à tribus contra Bajum Pontificibus definitum, est, talis obedientia juxta Augustinum, & Angelicum continet laudem Dei, & cur à Deo non audiatur?

12 *Intentio, quâ quis detestatur malum, & prosequitur bonum, merè ut cœlestem obtineat gloriam, est recta, & Deo placens*, ut definit Alexander VIII. art. 10. inter 31. Intentio recta, & Deo placens indubiè Deo loquitur: & quomodo Deo placeret, si ab eo non audiretur. Attamen nulla in articulo isto cernitur ratio charitatis; cum tota *intentio* sit *merè, ut cœlestem obtineat gloriam*.

13 Idem Sedis Apostolicæ Decretum nos certiores reddit, quòd, *quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor*, non propterea *deficiat etiam fides*, neque ex defectu amoris rectè colligatur, quòd, *etiamsi videantur credere, non sit fides Divina, sed humana*. Non est autem verisimile, quòd fidem Divinam audire Deus renuat.

14 Si *Timor gehennæ est supernaturalis; si attritio, quæ ex gehennæ, & pœnarum metu concipitur sinè dilectione benevolentiæ Dei propter se, est bonus motus, ac supernaturalis*, ut ex eodem Alexandri Decreto discimus contra art.14. & 15. non sinè Divinæ gratiæ contumelia dicetur, quòd Deus talem motum, singulari Spiritûs Sancti auxilio, & inspiratione suggestum respuat adeò, ut nè audire quidem velit.

Turpiter quoque fideles decepisse videretur Tridentina Synodus sess. 14. cap. 4. ubi *attritio*, quæ nobis describitur sinè charitate, & laudatur veluti *Donum Dei, & Spiritûs Sancti impulsus, non adhuc quidem inhabitantis; sed tantùm moventis, quo pœnitens adjutus viam sibi ad justitiam parat. Et quamvis sinè Sacramento pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat; tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento pœnitentiæ impetrandum disponit*. Quomodo enim *attritio* illa *Donum Dei est*, & *Spiritûs Sancti impulsus, disponens hominem ad Dei gratiam in Sacramento pœnitentiæ impetrandum*, si Deo non placeat, si aures ei præbere benignissimus *Salvator omnium hominum* recuset?

15 Fallacissimus itaque, & prorsus exitialis est damnatus Articulus 54. qui, dum commendationem charitatis simulat, ab omni ejus exercitio homines avertit: Constat enim, ita salutis, & justificationis nostræ ordinem esse dispositum, ut ad charitatem non nisi mediis actibus inferioribus perveniatur. Ita S. Augustinus Serm. 22. de Verbis Apostòli: *Domus Dei credendo fundatur, sperando erigitur, diligendo perficitur*. Tract.9. in 1. Epistolam Joannis: *Opus est, ut intret timor primò, per quem veniat charitas. Timor medicamentum, charitas sanitas*.

Tri-

Tridentina Synudus modum nobis, ac ordinem exhibens, quo Dei bonitas peccatores solet ad justitiam disponere, non hanc concedit primæ statim gratiæ prærogativam, ut se ipsâ hominem Deo reconciliet, quemadmodum Quesnellus omni dissolutissimo earuum Scriptore perniciosior fingit in Prop. 28. *Prima gratia, quam Deus concedit peccatori, est peccatorum remissio*: neque à charitate dispositio ad justificationem incipit, sed teste Scripturâ, *Finis præcepti est charitas*, ad quam peccator non primo statim impetu prosilit; sed pluribus actibus præviis disponitur, ac præparatur.

Modus præparationis traditur à Tridentino sess. 6. cap. 6. „ Disponuntur autem ad „ ipsam justitiam, dum excitati Divina gra„ tia, & adjuti, fidem ex auditu concipien„ tes, liberè moventur in Deum, credentes „ vera esse, quæ divinitus revelata, & pro„ missa sunt: atque illud imprimis, à Deo „ justificari impium per gratiam ejus, per „ redemptionem, quæ est in Christo Jesu: „ &, dum peccatores se esse intelligentes, à „ Divinæ justitiæ timore, quo utiliter con„ cutiuntur, ad considerandam Dei mise„ ricordiam se convertendo in spem eri„ guntur, fidentes, Deum sibi propter Chri„ stum propitium fore, illumque tamquam „ omnis justitiæ fontem diligere incipiunt.

Ecce quibus gradibus ad dilectionis initium conscendatur! Tollere autem gradus istos velut inutiles, velut noxios, ut tollunt novi Theologi, quid est aliud, quàm peccatores reddere libertinos, omnis pœnitentiæ, omnis boni operis, & salutis suæ negligentissimos, atque adeò viam præcludere charitati, quæ præceptorum quidem finis; sed, ut à Jansenistarum cordibus, ita ab eorum institutione, & doctrinâ, dum attentiùs introspicitur, prorsus alienus? Dum enim forma præstantissima finè præcedentibus, & congruis dispositionibus non introducitur, quales constat esse fidem, timorem, spem, orationem, ut nihil dicam de operibus virtutum moralium, corporis, & animi afflictionibus sponte susceptis, quomodo peccatoris conversio, juxta communem Divinæ providentiæ ordinem possibilis sit, non video.

Quis enim de istiusmodi eliciendis actibus sit solicitus, qui & humanis repugnant sensibus, & censentur adeò Numini contemptibiles, ut nec aspicere eos cupiat, nec audire, si *sola charitas est, quæ Deo loquitur*, & *eam solam Deus audit*? Si omnes actus priores charitate creduntur *hypocrisis* juxta articulum 47., & *mali* juxta 44. utpote ex *malo fonte* progeniti? Idem scilicet penès Quesnellum, & ejus socios, est, fidem, timorem, spem, orationem cum omnibus castitatis, abstinentiæ, misericordiæ, cæterarumque virtutum moralium operibus absque charitate non loqui Deo, à Deo non audiri, & audiri à Diabolo.

Ad hæc quidem horrent procul dubio Christianæ aures; nihil tamen exaggero; sed candidæ tantùm luci expono mysteria iniquitatis, quæ sub specioso commendandæ charitatis velamine, novi Apostoli occultant. Hæc semper fallacia hæreticorum fuit, quam pridem detexerunt catholicæ defensores Ecclesiæ, inter quos Franciscus Simonis parte 1. *de fraudibus hæreticorum* fraudem hanc ordine secundam ponit, *præcipuè mentiri charitatem*. „ Quid, inquit, „ speciosius charitate? Rem Ecclesiæ tam „ luctuosam aggressus est callidus serpens „ Arius, misso sibilo charitatis. Exstat ejus „ epistola in Commentariis Theodoreti „ Eccl. Hist. l. 1. cap. 4. qua Eusebii patro„ cinium efflagitat: in ipso exordio nomen „ objicit charitatis: *Proficiscente Nicome„ diam Patre meo Ammonio, postulare visa „ est officii mei ratio, ut tibi per illum salutem „ dicerem, simulque insitam tibi charitatem, „ & affectum, quo fratres propter Deum, & „ Christum ejus prosequeris, admonerem &c.* „ Versipellis hypocrita omnis expers cha„ ritatis, solâ flagrans ambitione, & odio, „ jamjamque vestem Christi discissurus, „ ut prædixerat S. Martyr Petrus Patriar„ cha Alexandrinus, tragœdiam orditur à „ charitate, & quidem charitate *propter „ Deum, & Christum ejus*. Hac ille specie „ populo haud ægre imposuit; sed mirum „ est, tot Episcopis potuisse, quos in illa „ Epistola gloriatur à se stare, Eusebio Cæ„ sareæ, Paulino Tyri, Theodoto Laodi„ ceæ, Gregorio Beryti, cæterisque „.

Ut morum spurcitiâ nemini cessit Lutherus, ita nullus eo confidentior fuit in extollendâ unicè charitate. Specimen habemus in Sermone ejus de Pœnitentia, qui anathemate feritur à Tridentino sess. 14. can. 5. ubi turpis apostata, postquam multis insectatus est attritionem, & æternorum suppliciorum formidinem, quasi redderent *hominem hypocritam, & magis peccatorem*, totus effunditur in commendationem contritionis ex charitate. „ Secundò (inquit) pa„ ratur per intuitum, & contemplationem „ speciosissimæ justitiæ, qua quis in pulchri„ tudine, & specie justitiæ meditatus, in „ eam ardescit, & rapitur, incipitque cum „ Salomone fieri amator Sapientiæ, cujus „ pul-

„ pulchritudinem viderat. Hæc facit verè „ pœnitentem; quia amore justitiæ id facit: & hi sunt digni absolutione. Amor „ est vinculum perpetuum; quia voluntarium; odium temporale, quia violentum. Igitur persuade homini primùm, „ ut diligat justitiam, & finè magisterio tuo „ contereretur de peccato: diligat Christum, & statim sui prodigus odiet se „ ipsum.

Commentarius Lutheri in Epistolam ad Galatas perpetuâ plenus est charitate, ubique nulla virtus nisi charitas, extra quam nihil boni, peccata omnia. Quomodo igitur non penès Lutherum æquè, ac Quesnellum *Sola charitas Deo loquatur, hanc solam Deus audiat*? Denique adeò profecerat in sua charitate Lutherus, ut in resolutionibus contra Conclusiones Eckianas conclusione 2. nulla lex fuerit nisi charitatis: excussæ mox leges Pontificiæ, ac Cæsareæ. Excussère Pontificias satis palàm etiam Jansenistæ: de cæteris vide prolegomena Tomi 1. & finem tertii.

CAPUT II.

Objectiones dissolvuntur.

1 INter articulos, quos Lovanienses olim Theologi censurâ notaverant, unus erat, quo asserebatur, ad legitimam Scripturarum authoritatem non necessariò debuisse verba omnia dictari à Spiritu Sancto, modò sensus ab eo suggestus fuerit, & verba omnia à Spiritu Sancto adoptata. Censuram quidem mox repressit Sixtus V. mandato Apostolico per suum apud Belgas Nuntium Lovanii promulgato anno 1588. 10. Julii, prohibens sub excommunicatione ipso facto incurrendâ, nè quis in articulos istos censuram stringeret ante Sedis Apostolicæ judicium. Quesnellus ex Gallia profugus, ut suum ordinem novitatibus, dissidiis, rebellione turbaverat, inter primas contentionum faces, quas Belgio intulit, esse voluit *Apologiam historicam pro censura Lovaniensi, & Duacena*. Posterior facultas theologica apologiam judicio publico graviter reprehendit, & Sedes Apostolica proscripsit; mihi verò ipsa Apologia contra suum authorem suppeditat argumentum, quo ejus in corrumpendis Scripturis damnetur temeritas. Si omnia, & singula illarum verba à Spiritu Sancto oporteat esse dictata, quomodo non religiosiùs Quesnellus iis insistit, nihil addendo, nihil demendo, vel aliter mutando? Propositioni suæ 54. fundamentum statuit illud 1. Cor. 13. *Si linguis hominum loquar, & Angelorum; charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens*. Corrigens autem novus interpres locutionem Apostoli ponit: *Si linguis omnium hominum loquar &c. non sum nisi velut æs sonans*. Additio *Omnium* in paraphrasi exemplum haberet apud Aquinatem; sed in versione nihil ipsi textui inserendum est. Alia etiam mutatio in paraphrasi authoris catholici facilè dissimularetur; in versione tamen suspecti interpretis, & ipsa suspecta est: magis autem sedulò vitanda fuit illi, qui cum Lovaniensibus Censoribus verba Scripturæ singula Spiritui Sancto dictanti tribuit, rigore tanto, ut oppositum censeat dignum anathemate.

2 Apostolum charitatis nomine intelligere justificantem, liquet ex ejus verbis: & omnes consentiunt interpretes. Sensus itaque Quesnelli perspicuus est, quòd *sola charitas* justificans *Deo loquatur: eam solam Deus audiat*, atque ideo nulla oratio à Deo quidpiam impetrare valeat, nisi ipsa istiusmodi charitas sit justificando homini sufficiens, quod directissimè adversatur sensui Ecclesiæ tradito ab Aquinate 2. 2. quæst. 88. art. 16. ubi *Orationem peccatoris ex bono naturæ desiderio*, (cum auxilio gratiæ) *procedentem Deus audit, non quasi ex justitia, quia peccator non meretur; sed ex pura misericordia*. Ibidem ad 2. *Quamvis ejus oratio non sit meritoria, potest tamen esse impetrativa; quia meritum innititur justitiæ; impetratio gratiæ*. Discutienda nunc ratio est, quæ Quesnellum movere potuerit ad inducendam Sacro Textui mutationem. *Illud factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens*, similitudinem aliquam significat non necessariò omnimodam, qualem inferre videtur mutatio, *non sum nisi velut æs sonans, aut cymbalum tinniens* (Gallicè) *Je ne suis QUE comme un airain sonnant, & une Cymbale retentissante*, Nempe juxta Quesnellum art. 28. *Prima gratia, quam Deus concedit peccatori, est peccatorum remissio*; cùmque ea non sit absque charitate, necesse est, primam peccatoris gratiam statui justificantem, quâ peccator esse desinat; atque adeò illum, quamdiù in statu damnationis manserit, nullo cœlesti lumine præveniri in intellectu, nullo pietatis stimulo in voluntate.

Errori huic minimè suffragatur textus Apostoli significans aliquam inter æs sonans, & hominem charitate destitutum similitu-

litudinem; favet autem similitudo omnimoda à novo intrusa interprete per illud *non sum nisi*: favet proinde etiam articulo præsenti 54. quia si, ubicumque exulat charitas, *non sit nisi velut æs sonans*, atque ità desit omne gratiæ auxilium, patet, orationem, quamdiù charitas absuerit, nullam esse posse religiosam, quâ impetretur aliqua ad justificationem dispositio, vel quodcumque supernaturalis ordinis beneficium. Supposità itaque in peccatoribus omnis gratiæ denegatione, videretur non incongrua assertio: *Sola charitas Deo loquitur*: *hanc solam Deus audit*.

Quesnelliana ista Sacri textûs mutatio grata fuerit Anabaptistis, si dogma eorum sit, quod eis adscribitur à Kemnitio, neminem in peccato mortifero existentem administrare validè Sacramentum, quia quælibet peccatoris locutio *non est nisi velut æs sonans*, sonus æris, qui ad justitiam nihil conferre penitùs valet. Quæ hæresis quorumdam veterum fuit, quos refert Augustinus lib. 2. contra Cresconium cap. 28. Secuti illos sunt hypocritæ dicti *Apostolici* tempore S. Bernardi, de quibus loquitur Serm. 66. in Cantica. Idem error fuit Albigensium, de quibus S. Antoninus in Summa theologica, parte 4. titulo 11. cap. 7. ad quos respexisse videtur, sed contrarius prorsus S. Thomas lib. 4. contra gentes cap. 77.

3 Quapropter, dimissâ spuriâ interpretatione Quesnelli, teneamus Angelici commentarium: „ Apostolus gratiarum gratis „ datarum distinctionem assignavit, & mi„ nistrationum, in quibus membra Ecclesiæ „ distinguuntur. Hic agit de charitate, „ quæ inseparabiliter concomitatur gra„ tiam gratum facientem: & quia promi„ serat eis, se demonstraturum viam excel„ lentiorem, ostendit præeminentiam cha„ ritatis ad cætera gratuita dona. Et pri„ mò quantum ad necessitatem; quia scili„ cet sine charitate alia dona gratuita non „ sufficiunt. Secundò quantum ad utilita„ tem; quia scilicet per charitatem omnia „ mala vitantur, & omnia bona aguntur... „ anima enim per charitatem vivit, quæ „ vivit Deo, qui est animæ vita secundùm „ illud Deuteronomii 30. Ipse est vita tua. „ Unde & 1. Joannis 3. dicitur: Translati „ sumus de morte ad vitam, quoniam dili„ gimus fratres. Qui non diligit, manet in „ morte. Rectè ergo comparat loquelam „ charitate carentem sono rei mortuæ, sci„ licet æris, aut cymbali, quod, licèt clarum „ sonum reddat, non tamen est vivus; sed „ mortuus; ita etiam hominis charitate „ carentis, quantumcumque sit diserta ora„ tio, tamen habetur pro mortua; quia non „ proficit ad meritum vitæ æternæ.

Hinc modò inferat adversarius articulum suum 54. igitur *Sola charitas est*, *quæ loquitur Deo*; *hanc solam Deus audit*. Negat Angelicus illationem, & argumentatio frivola est, dum à negatione meriti ad negationem procedi̇tur impetrationis. Audiatur iterum ratio ex Angelico 2. 2. quæst. 88. art. 16. de oratione peccatoris: *Quamvis ejus oratio non sit meritoria*; *potest tamen esse impetrativa*, *quia meritum innititur justitiæ*; *impetratio gratiæ*. Si discrimen in tanta luce non videant adversarii, patiantur, ut inculcata toties ex Apostolo objectio habeatur apud omnes sanæ mentis Theologos, velut inanis strepitus æris sonantis, aut cymbali tinnientis, qui omni penitùs destituitur ratione. Discere saltèm debuissent ex Tridentino Concilio sess. 6. cap. 6. & sess. 14. cap. 4. actus incapaces meriti propter statum peccati, posse tamen esse dispositiones certissimas ad justificationem.

4. At, inquiunt Quesnelli vindices, Augustinus in Psalmum 37. n. 14. sic monet: *Continuum desiderium*, *continua vox tua est*. *Tacebis*, *si amare desieris*: *frigus charitatis*, *silentium cordis est*: *flagrantia charitatis*, *clamor cordis est*. *Si semper manet charitas*, *semper clamas*: *si semper clamas*, *semper desideras*: *si desideras*, *requiem desideras*. Præcesserat: *Desiderium tuum*, *oratio tua est*, *& si continuum desiderium*, *continua oratio*... *Quidquid aliud agas*, *si desideras illud Sabbathum* (cœlestem requiem) *non intermittis orare*; *si non vis intermittere orare*, *noli intermittere desiderare*. Omne desiderium ex amore proficisci, omnibus compertum est: quis enim desideret quod non amat? quamquam non omne desiderium fundari in amore benevolentiæ ejus, quod desideratur, sed sæpe in amore concupiscentiæ, non minùs est perspicuum, quod tum in profanis, tum in sacris affectibus locum obtinet. Ita S. Thomas opusculo de dilectione cap. 22. *Voluntate Deum diligis dilectione concupiscentiæ*, *cùm ipsum vis* (cùm ipsum desideras) *hæc est bona voluntas*: *imò optima*, *quæ vult summum bonum*: *item dilectione amicitiæ voluntatem tuam suæ conformas*; *quia amicorum est*, *idem velle*, *& nolle*.

S. Franciscus Salesius lib. 11. de amore Dei cap. 18. *Amor ille*, *quem vocamus spem*, *est amor concupiscentiæ*, *sed concupiscentia sancta*, *& bene ordinata*, *per quem non trahimus Deum ad nos*, *sed ei nos jungimus*, *ut finali nostræ felicitati*, (quam maximè desideramus).

mus). Nè verò amorem hunc concupiscentiæ confundas cum amore amicitiæ, distinguit ibi mox sanctus dicens: „ Quamobrem igitur, Theotime, amamus Deum hoc amore concupiscentiæ? quia est bonum nostrum. Sed cur amamus summè? quia ille est summum bonum nostrum. Porrò quando dico, summè à nobis amari, non dico, cum à nobis amari respectu summi amoris: nam supremus amor non est nisi in charitate; amor autem, qui est in spe, est imperfectus, eo quòd non tendat ad ejus infinitam bonitatem; „ qua talis est in se ipsa. Imperfectio spei non vitium, seu peccatum est, sed minor perfectio, quàm charitatis. Est enim amor *concupiscentiæ sanctæ, & bene ordinatæ*, teste Salesio, & S. Thoma jam citato, atque ipso Augustino locis plurimis. Ita in Psalm. 103. Serm. 1. num. 14. *Habentes latitudinem, qua bene operamur, & longitudinem, qua perseveramus usque in finem, non faciamus nisi spe cælestium præmiorum; ipsa est enim altitudo, non hic quærere mercedem; sed sursum*. Amor itaque spei continet desiderium sanctum.

Iterum Serm. 25. *Cùm Christus apparuerit vita vestra, tunc & vos cum ipso apparebitis in gloria. Ecce dies boni: ipsos desideremus: propter hoc vivamus: propter hoc oremus: propter hoc eleemosynas demus*. Ecce iterum desiderium in amore concupiscentiæ sanctæ.

Et quidem Augustinus amorem hunc vocat gratuitum in Psalm. 134. num. 11. *Hoc est gratis amare, non quasi proposita acceptione mercedis* (extra Deum) *quia ipsa merces tua summa Deus ipse erit, quem gratis diligis: & sic amare debes, ut ipsum pro mercede desiderare non desinas, qui solus te satiet*. Imò ipsum charitatis nomen subindè tribuit Augustinus desiderio, quod est in spe. Lib. 5. de Civitate cap. 24. monet frænum injiciendum cupiditatibus, *non propter ardorem inanis gloriæ; sed propter charitatem felicitatis æternæ*. Serm. 350. num. 3. circa locum Apostoli de charitate 1. Cor. 13. *Ideo*, inquit, *tolerat omnia in præsenti vita; quia credit omnia de futura vita: & suffert omnia, quæ hic immittuntur, quia sperat omnia, quæ ibi promittuntur*. Aliquando etiam latiùs ab Augustino charitatem accipi, pro quolibet amore boni per gratiam inspirato, ostendi alibi ex libro 8. de Trinitate cap. 10. & lib. 1. de gratia Christi cap. 21. & 24. In sententia autem ab adversariis allegatâ videtur charitas accipi pro amore Dei convenienter amicitiæ, & sanctæ concupiscentiæ, ut genus ad omnem extenditur speciem; tunc enim facilè intelligitur, quomodo *frigus charitatis, silentium cordis sit*; nam qui Deum neutro modo diligit, eum non desiderat; atque ita nihil verba Augustini continent, quod non commodè concilies.

Si verò charitatem strictissimè acceperis pro solo amore amicitiæ, difficiliùs ostendes, *frigus charitatis esse silentium cordis*; nam, oborto charitatis frigore, ut fit in peccatoribus, potest adhuc esse timor inferni, & amor, ac desiderium beatitudinis cœlestis, sive *illius Sabbathi, quod si desideras, non intermittis orare* in Sancti Doctoris sententia; &, *si non vis intermittere orare, noli intermittere desiderare*; Sed hæc lucem adferentia objecto textui, rescinduntur tam in *Hexaplis*, quàm in *Collatione*.

Nè tamen contentiosiùs in hoc responso disceptetur de nomine, à cujus liris definitione veritas catholica minimè pendet; uti neque Constitutionis æquitas, accipiamus vocem *charitas* quo sensu voluerint adversarii, pro amore amicitiæ, qui tertiæ virtuti Theologicæ proprius est; nequaquam sequitur, quòd *sola charitas sit, quæ Deo loquitur*, quòd *hanc solam Deus audiat*. Aliud scilicet est *frigus charitatis*; aliud intermissio ejus actûs. Non enim est frigus charitatis in sanctis Viatoribus, quoties actum illum non eliciunt: neque frigus amoris in qualibet uxore erga maritum, in qualibet matre erga liberos, neque in his erga parentes est, quoties eorum cogitatio, & affectus tantisper aliò distrahitur. Profectò injuria, & calumnia censeretur minimè toleranda, si sanctos in terra degentes, dum non omnia eorum opera actus divinæ dilectionis sunt, laborare *frigore charitatis* diceres, & memoratis uxoribus erga maritos, matribus erga liberos, & his erga parentes dilectionis frigus exprobrando impingeres. Charitatis frigus extinctionem amoris significat, aut proximam extinctioni dispositionem. Non igitur ex eo, quòd *frigus charitatis sit silentium cordis*, sequitur, silentium cordis esse, quoties charitatis actus intermittitur; nam longè aliud est intermissio actûs, quæ potest esse valde innocua; aliud frigus, quod vitium non leve est, & à sanctis etiam inter mortales commorantibus alienum.

Non esse frigus charitatis, neque silentium cordis, quoties omittitur actus dilectionis Dei, docet Salesius lib. 12. de amore Dei cap. 8. ad illud Apostoli: *Omne quodcumque facitis in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini nostri Jesu Christi. Sive ergo manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite*. Quod quomodo

modo servetur, audi Sanctissimum Antistitem, & ejus testimonio etiam Aquinatem: „ Quæ verba Apostoli, ut dicit Doctor Angelicus, sunt in sufficienti usu, & praxi, „ quando nos possidemus habitum sanctissimæ charitatis, per quam licèt, non habeamus expressam, & activam intentionem faciendi, quidquid facimus, propter „ Deum, habemus tamen implicitè contentam in unione, & communione, quam „ cum Deo habemus, per quam omne „ bonum, quod facere possumus, unà nobiscum dedicatum est Divinæ bonitati „. Possumus itaque aliquando, & sæpissimè absque charitatis actibus loqui Deo. Idem censuit Augustinus in Psalm. 34. Serm. 2. num. 16. *Totâ die Deum laudare quis durat?* Audi quomodo absque continuis charitatis actibus laudes Deo perpetuas persolvere nos doceat, etiam à Deo audiendas. „ Suggero (inquit) remedium, unde tota die „ laudes Deum, si vis. Quidquid egeris, „ bene age, & laudasti Deum. Lingua tua „ quid agit, nisi laudet & conscientia „ tua. Cessasti ab hymno cantando, discedis, ut reficiaris? Noli inebriari, & laudasti Deum. Discedis, ut dormias? Noli „ surgere ad malè faciendum, & laudasti „ Deum „. Quem locum referens, approbat etiam Angelicus in commentario Epistolæ 1. Corinth. cap. 10. lectione 7. Tot itaque operibus Deo loquimur, etiam cessantibus interim actibus charitatis.

Rursus Augustinus in Psalm. 146. *Si ergo bene agis, & quod manducas, & bibis, & ad refectionem corporis sumis, reparationemque membrorum, gratias agens ei, qui tibi præbuit ista solatia; & cibus, & potus tuus laudat Deum*: quod ampliore deductione illic S. Doctor prosequitur, & ab eo verbis eisdem mutuantur Anselmus, Beda, Magister Sententiarum, & recentiores communiter Novatoribus obsistentes. Similia tradunt Græci Chrysostomus in Epistolam 1. Cor. cap. 10. Oecumenius, Theophylactus &c.

5 Varios quoque modos Deo loquendi discimus ex Scriptura Sacra, & Traditione, quorum usum aliquem sinè charitatis actibus esse posse, adeò apparet evidens, ut, quomodo absque ridicula pertinacia in dubium revocari valeat, minimè assequar. 1. Timoth. 2. *Obsecro igitur primùm fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus*. Ad Philipp. 4. *In omni oratione, & obsecratione, cum gratiarum actione petitiones vestræ innotescant apud Deum*. Hinc S. Hilarius in explicatione Psalmi 140. *Quatuor genera Orationum Apostolus esse significat ad Timotheum scribens: Exoro ergo primò omnium fieri precationes, & postulationes, gratiarum actiones. Humilitatis nostræ est deprecari: magnificentia Dei est orari: fidei est postulare; confessionis, & laudis est gratulari*. S. Ambrosius lib. 6. de Sacramentis cap. 5. *Hoc est ergo glorificare Deum, gratias agere Deo? Hoc sanè*.

Nunc omnem hominem, sive Theologum, sive Christianæ religionis dogmaribus, ut saltèm vulgus fidelium solet, mediocriter imbutum convenio, sciscitorque; num censeat, omnem vel minimam orationem, quæ Deo etiam attentè, piè, ac humiliter funditur, num singulas Dei laudationes, singulas actiones gratiarum pro quocumque accepto beneficio, singulas novæ gratiæ petitiones esse actus charitatis propriè dictæ, & justificantis, quæ primo Dei, maximoque mandato describitur Lucæ 10. v. 27. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis, & ex omni mente tua*: quod confirmatur Matth. 22. Marci 12. & antea Deuteronomii cap. 6.? Nemini à Novatoribus non præoccupato istud venerit in mentem. Venit tamen Quesnello, & ejus contra Constitutionem propugnatoribus, qui pro defensione articuli 54. *Sola charitas est, quæ Deo loquitur; eam solam Deus audit*, provocant nos ad illud Apostoli, *Si linguis hominum loquar, & Angelorum; charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens*, ubi de charitate justificante juxta sensum Ecclesiæ catholicæ agitur, & juxta adversarios de charitatis actu, quem ad cujuscumque operis bonitatem moralem, maximè supernaturalis ordinis, veluti necessarium requirunt. Esse quoque illum justificantem, negare adversarii neque volent, neque poterunt, apud quos juxta art. 28. *Prima gratia, quam Deus concedit peccatori, est peccatorum remissio*. Charitatem esse ex gratia, fatentur contra Pelagium universi; Quesnello autem ipsa prima gratia est, quam Deus concedit peccatori.

Præterea omnem charitatis actum Quesnello esse justificantem, patet ex art. 51. *Fides justificat, quando* (seu quandocumque) *operatur; sed ipsa non operatur, nisi per charitatem*. Art. 44. *Non sunt nisi duo amores, unde volitiones, & actiones omnes nostræ nascuntur; amor Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur; & amor, quo nos ipsos, ac mundum diligimus, qui quod ad Deum referendum est, non refert, & propter hoc ipsum fit malus*. Ubi nullus relinquitur amor medius inter justificantem, qualis est omnia agens

agens propter Deum, quemque Deus remuneratur, & amorem nostri, ac mundi inquinatum malitiâ. Denique si Quesnellus crederet, in citatâ Apostoli sententiâ agi de charitatis habitu justificante; in propositionibus verò suis prædicatet actum non justificantem, ineptissima foret, ut patet, loci Apostolici ad propositionum damnatarum vindicias translatio. Si enim, teste Apostolo, omnis homo, ejusque clamor absque charitate justificante mortuus, fit velut æs sonans, aut cymbalum tinniens, fietnè clamor hominis mortui vivus actu charitatis mortuæ, sive ad justitiam non pertingentis? Hinc iterum fraudis turpissimæ convincitur *Collator*, quando in observatione ad articulum 48. ait: *Verissimum est, quòd non aliud simus, quàm tenebræ, quàm aberratio, & peccatum sinè charitate; si charitatem cum Augustino latè sumas pro quolibet motu animi ad fruendum Deo propter ipsum.* Quid Augustinus illâ suâ charitatis definitione intellexerit, à Scholasticis disputatur, neque ejus decisio instituto nostro necessaria est: sufficit, Quesnellum charitatis nomine in damnatis articulis non aliam intelligere, quàm justificantem, de quo eum verbis suis convicimus; neque in ullis ejus negatum vidi hactenus apologiis.

Dum igitur à *Collatore*, & quocumque Quesnelli vindice, aut Quesnello ipso asseritur, charitatem in proscriptis articulis intelligi solummodo *latè dictam*, latitudo in eorum sensu non extenditur ad eam, quæ justificando homini non sufficiet; sed sensus est, non requirere articulos necessariò charitatem perfectissimam, & ardentissimam, qua flagrarunt Magdalena, Petrus, David post conversionem, & alii ex utroque sexu Sanctissimi, maximè Deipara; sufficere verò sibi ad evitationem novi peccati, & orationem non penitùs frustraneam, si charitas sit amor Dei super omnia benevolus, & justificans, etsi non incensus tantis ardoribus, neque tantis pollens meritis, aut perfectionibus, quantis præcelluit memorata charitas Sanctissimorum.

6 Ita lubet novatoribus *charitatis ad latè dictam* restrictione subdolâ ludere, & fallere simplices. Denique quod aliàs indicavi, etiam hic repetere juvat, quòd Quesnellus Magistrum suum superaverit Jansenium, qui libro 5. de gratia Christi cap.6. ait: *Augustinus charitatem accipere plerumque solet pro dilectione, qua verè, sincerè, & gratis propter ipsum ..... diligitur Deus; sive ad illam pertineat perfectionem, ut super omnia creata diligatur, sive in simpliciori, & inferiori affectu hæreat*; qui affectus inferior, & hærens in eo charitas sat ponderis non habet, ut peccatorem ad justitiam sinè Sacramento perducere valeat. Deseritur itaque Quesnellus ab omnibus charitatis actum justificantem non exigentibus, ut oratio aliqua dirigi ad Deum possit, & ab ejus clementia exaudiri. Maximè verò deseritur ab Augustino, quem supra dedimus tot Christianæ vitæ opera Deo grata, & laudes Dei continentia sinè charitatis actu elicito agnoscentem. Aliàs etiam ex eodem Sancto dedi timorem, & spem charitati præviam, quæ cùm ad charitatem dispositio sit, eique serviat introducendæ, indubiè auditur à Deo, à quo gratiam invehendæ charitatis impetrat. Utriusque exempla è plurimis, quæ in promptu sunt, singula hic repetere sufficiet. Tract.9. in 1. Epistolam Joannis: *Opus est ergo, ut intret timor primò, per quem veniat charitas: timor medicamentum: charitas, sanitas.* . . . . . .

Quomodo fieri potest, ut timorem illum Deus non audiat, si ejus intuitu auxilium ulterius, seu gratiam charitatis impertiat? Libro de catechizandis rudibus cap. 17. „ Qui autem propter beatitudinem „ sempiternam, & perpetuam requiem, „ quæ post hanc vitam Sanctis promittitur, „ vult fieri Christianus, ut non eat in ignem „ æternum cum Diabolo, sed in regnum „ æternum intret cum Christo, verè ipse „ Christianus est, cautus in omni tentatio„ ne, & nè prosperis rebus corrumpatur, „ & nè frangatur adversis; & in abundantia „ bonorum terrenorum modestus, & tem„ perans, & in tribulationibus fortis, & pa„ tiens; qui etiam proficiendo perveniet „ ad talem animum, ut plus amet Deum, „ quàm timeat gehennam „. Si timor ille gehennæ, & amor beatitudinis disponat animum ad charitatem, indubiè à Spiritu Sancto est, nè cum Pelagio sentiamus. Cur igitur opus Spiritûs Sancti authorem suum inclamare nequeat, & ab eo exaudiri? Neutrum autem clamorem esse charitatem, neutrum à charitate procedere, manifestum est; quia charitatem uterque prævenit, & ad eam peccatoris animum præparat. Apage ergo inanissimum de charitate commentum, quasi sola loquatur Deo, sola à Deo audiatur.

7 Nihilominus duæ adhuc nobis excutiendæ supersunt perquàm futiles adversantium objectiones. Augustinus libro 1. de moribus Ecclesiæ cap.17. ait: *Amore petitur, amore quæritur, amore pulsatur.* Quodcumque bonum petitur, procul dubiò

ama-

amatur; quis enim non planè insipiens, quod oderit, exposcat? Verùm non omnis amor boni, ut patet, charitas est. Supponamus tamen de charitate, cujus nulla in allegatis vocibus expressa mentio est, intelligendum; ideòne, quia charitas petit, quærit, pulsat; pulsare nequeunt virtutes cæteræ? Non quidquid de uno aliquo asseritur, hoc ipso de reliquis omnibus negatur. Charitas regina virtutum est, sed non sola virtus. *Manent fides, spes, charitas: tria hæc; major autem horum est charitas*; sed non sola, inquit Apostolus 1. Cor. 13. Ut autem charitas præcipua virtutum est, præcipua etiam ipsi tribuitur petendi, quærendi, pulsandi gratia, & facultas; sed non proptereà inferioribus virtutibus subtrahenda penitùs. Regina Sanctorum omnium, & genitrix Dei Maria Sanctissima misericordiæ mater à mortalibus invocata pro eis ad thronum gratiæ petit, quærit, pulsat; ideone S. Dominicus, S. Franciscus, S. Thomas Aquinas, S. Antonius de Padua, tot beneficiis, & prodigiis à Deo impetratis clarissimi petere, quærere, pulsare pro nobis desinunt? Neque quam illis beneficentiæ laudem tribuo, Thaumaturgis aliis illustribus denegatam velim. Idem infinitis aliis exemplis obviis, etiam in profanis confirmare facillimum foret. Ut charitas inter virtutes, aurum inter metalla præstantissimum, quid non valet in rebus, & animis mundanorum? Petit, quærit, pulsat: quid illo non emitur, aut comparatur? Non ideo omnino mutum est argentum, & devinciendis animis, conquirendis patrociniis, coemendis rebus necessariis inutile, aut non maximè idoneum.

S. Augustinus explicans Epistolæ ad Galatas caput 3. *Efficiuntur*, inquit, *filii Sapientiæ, præparante, ac præstante id fide Mediatoris*. Libro de bono perseverantiæ cap. 2. *Quod initium verius homini Christiano, quàm credere in Christum?* Libro de prædestinatione Sanctorum cap. 7. *Fides prima datur, ex qua cætera impetrantur*. Ita scilicet qui intellectum suum subjiciunt in obsequium fidei, ut credant in Deum remuneratorem, & Christum Mediatorem, fide sua loquuntur Deo, etiam antequam obtigerit charitas: & quidem locutio auditur, cùm Deum moveat, ut ulteriora largiatur gratiæ auxilia, quibus, sicut docet Concilium Tridentinum sess. 6. capite 6. *Deum tamquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt*. Ita celebris quoque Augustini discipulus, ac Defensor S. Prosper lib. 3. de vita contemplativa cap. 21. *Fides est justitiæ fundamentum, quam nulla bona opera præcedunt; & ex qua omnia procedunt*, etiam charitas, quæ fide humili impetratur. Non itaque sola charitas, *petit, quærit, pulsat*: non sola charitas Deo loquitur, neque sola ab eo auditur.

S. Hieronymus in exponendis Scripturis judicio Ecclesiæ Doctor Maximus, quem & Augustinus veluti Magistrum venerari solitus erat, & consulere, ita monet in Commentario ad Caput 1. Malachiæ: *Vult Deus, ut primùm ejus filii simus, & bonum voluntate* (seu amore) *faciamus: si hoc consequi nolumus, ut saltèm nos servos habeat, & à malis per suppliciorum formidinem recedamus, ut de timore servorum ad gratiam filiorum transeamus*. In cap. 2. Michææ: *Quâ pudore, vel verecundiâ non tenentur, agant pœnitentiam saltèm comminatione pœnarum*. Inutilis ea pœnitentia est, si à Deo non audiatur, ut non audiri monet, supra Doctores Maximos sapiens Quesnellus. Quomodo Deus nos, qui filii esse charitatis actibus nondum volumus, vult saltèm habere servos, ut à malis per suppliciorum formidinem recedentes, de timore servorum ad gratiam filiorum transeamus? Hæc, inquam, quomodo vult Deus, si suppliciorum formidinem ipse nolit; aut qualemcumque sine charitate observantiam mandatorum, aut delictorum audire pœnitentiam?

Interpreti Scripturarum Maximo consentit Theologorum etiam Maximus Augustinus in epist. 1. Joannis Tract. 9. *Initium sapientiæ timor Domini: timor quasi locum præparat charitati .... Si autem nullus est timor, non est quà intret charitas*. De verbis Apostoli serm. 13. *Timor servus est; charitas libera est; &, ut sic dicamus, timor est servus charitatis: nè possideat Diabolus cor tuum; præcedat servus in corde tuo, & servet Dominæ venturæ locum: fac vel timore pœnæ; si nondum potes amore justitiæ*. Si timor Domini sit initium sapientiæ, est à Spiritu Sancto, ideoque non est, cur aspicere eum Deus, vel audire detrectet. Si charitati introducendæ serviat tam necessarius, ut sinè eo non sit, quà intret charitas; à Deo ad hunc effectum gratia timendi conceditur, ut concepto à peccatoribus timore, Deus ulteriore ad diligendum subsidio viam sternat. Timorem itaque Deus in peccatoribus, quos hac dispositione ad amorem præparat, non repellit; sed auditione suâ, & exauditione, saltèm sæpissime, dignatur: ignoscant autem Quesnellus, & similes Constitutionis adversarii, si eos charitate vacuos dixero, non solùm quòd *sinè fide*, qua certissimè carent,

im-

impossibile sit placere Deo, juxta Apostolum Heb. 11., & Trident. sess. 6. cap. 8.; sed etiam, quia timorem charitati prævium à se abigunt, sinè quo justitia, quæ semel amissa fuerit, non recuperatur. Quapropter nisi à præsenti se errore correxerint, desperata videtur reconciliatio, monente Augustino, *Si nullus est timor, non est, quâ intret charitas*.

Habent quidem illi dogma commodum (si modò verùm foret) quo facillima reddatur ad justitiam conversio, dum juxta art. 28. *Prima gratia, quam Deus concedit peccatori, est peccatorum remissio*; confidunt autem, Deum non fore adeò severum, ut omni prorsus gratiâ destituat Ecclesiæ reformatores, & tam humiles defensores gratiæ, ut nihil sibi, nihil humano arbitrio; sed soli gratiæ omnia tribuant, ab ea unicè expectent omnia. Quæ enimverò excogitari potest facilior, & commodior peccatori conversio, quàm ea, quæ præstatur certissimè solâ primæ gratiæ largitione, quæ ut à sola pendet Dei clementia, ad justificandum non expectat liberi consensum arbitrii; sed ipsa prima gratia peccatoris reconciliatio est, atque ita ad eam nulla opera, nulla pœnitentiæ exercitia, nullæ præparationes præviæ requiruntur, ut nulla ab homine præstari potest, aut catholicè adstrui, quæ primam à Deo gratiam mereatur. Verùm non tam facilis Augustino, quàm Quesnello peccatoris conversio est, ut solâ cujuscumque primæ gratiæ concessione absolvatur, libro de duabus animabus cap. 8. *Converti ad Deum nemo, nisi qui ab hoc mundo se averterit, potest. Hoc ego mihi arduum, & difficillimum sentio: vobis si facile est, ipse Deus viderit*.

9. Ultimum, quòd ex Augustini vocibus perperàm intellectis, contra nos conficitur jaculum, non minùs fragile, & inane est in Psalm. 119. *Quàm multi ... sonant voce, & corde muti sunt! Et quàm multi tacent labiis, & clamant affectu; quia ad cor hominis aures Dei! Sicut aures corporales ad os hominis, sic cor hominis ad aures Dei. Multi clauso ore exaudiuntur, & multi in magnis clamoribus non exaudiuntur*. Hic nos adversarii perspicere jubent suum articulum: *Sola charitas est, quæ Deo loquitur: eam solam Deus audit*. Si ipsos interrogem, quibus Augustini verbis excludatur omnis oratio, præterquam charitatis; alia obtendere nequeunt, quàm quibus dicitur, *corde*, & *affectu* orandum esse, neque solos labiorum motus, neque oris sonos, & clamores sinè affectu sufficere, quam Augustini sententiam nemo hactenus revocavit in dubium.

Deus ipse Isaiæ cap. 29. orationem istiusmodi psittacis, & graculis, quàm hominibus digniorem aversatus est. *Populus hic labiis me honorat; cor autem eorum longè est à me*. Unde rectè Augustinus tum verbis citatis, tum in epistola 121. cap. 10. *Absit ab oratione multa locutio; sed non desit multa precatio; si fervens perseverat intentio*. Gregorius Nyssenus oratione 2. in orationem Dominicam: *Oratio est petitio bonorum, quæ Deo cum supplicatione offertur*.

Joannes Damascenus lib. 3. de fide cap. 24. *Oratio est ascensio mentis in Deum, aut decentium à Deo petitio*. Cassiodorus in Psal. 38. super illud, *Exaudi orationem meam Domine*, ait: *Oratio est oris ratio, quam proni allegamus, vota nostra pandentes; deprecatio verò est frequens, & assidua supplicatio, quæ ab imo pectoris profertur arcano*; quam Cassiodori sententiam allegat breviùs Sanctus Thomas; integram notâ marginis additâ à Patre Joanne Nicolai ad 2. 2. quæst. 83. art. 1.

Non igitur dubium est, quin oratio sit cordis & affectûs potiùs, quàm labiorum; verùm ostendi ab adversariis, & non temere supponi oportuit, nullum esse bonum cordis affectum præter charitatem. Ex affectu castitati proprio petere à Deo possumus, ut refrænet in nobis motus libidinis, Diaboli avertat insidias, auxilio nos semper in tentationibus muniat præpotenti. Ex affectu misericordiæ petere à Deo possumus, ut nobis tribuat, unde pauperibus subveniamus, quodque à nobis fieri nequit, ab aliis suppleatur. Ex affectu formidinis salubriter à Deo petimus, ut à nobis procul arceat æterna inferorum supplicia, & quodcumque in illa nos induceret peccatum. Ex affectu *concupiscentiæ sanctæ*, ut Salesius vocat, & pio beatitudinis cœlestis desiderio precari Deum possumus, ut, si peccavimus, convenientem in nobis excitet pœnitentiam, quâ sibi nos reconciliet, donumque impertiat perseverantiæ.

Itaque timorem, & spem sanctè, atque utiliter à Deo poscimus; quia, ut etiam ex Tridentino discimus sess. 6. cap. 6., optimæ ad charitatem, & justificationem dispositiones sunt. Basilius in Psalm. 33. ad illud, *Timorem Domini docebo vos*, ait: *Timor salutaris, qui ad sanctitatem ducit, & animæ divinitus insitus est, qualis existat, si cupis audire, attende: Ecclesiastici 1. dicitur: Qui sinè timore est, non poterit justificari*. Ambrosius autem spem maximè prædicat necessariam lib. de pœnitentiâ cap. 1. *Nemo potest*

potest bene agere pænitentiam, nisi qui speravit indulgentiam. Sapiens Proverbiorum 28. *Qui sperat in Domino, salvabitur.* David Psalm. 36. *Salvabit eos, qui speraverunt in eo.* Psalm. 90. *Quoniam in me speravit, liberabo eum.* Non igitur sola charitas; sed spes etiam Deo grata est, & ab ipso auditur: spei augmentum *corde*, & *affectu* utiliter petimus, ut per eam ad charitatem ascendere valeamus.

Quinquagesimaquinta Propositio damnata.

Deus non coronat, nisi charitatem: qui currit ex alio impulsu, & ex alio motivo, in vanum currit: *Observ. Mor. in 1. Cor. vers. 24.*

CAPUT I.

Proscripti dogmatis pars prima convincitur erroris ex Scripturis sacris.

1 AN radix sufficiens meriti sit solus charitatis habitus, & sanctificans gratia, ut opus virtutis supernaturali exercitum auxilio condignè mereatur cœleste præmium; an verò requiratur præterea amoris erga Deum benevoli intentio, scholarum relinquo disputationibus agitandum: Quesnelli solummodò articulum impugno eo intellectum sensu, qui, ut obvius Propositionis est, repugnat veritati Evangelicæ, Traditioni Patrum, & sensui totius Ecclesiæ. Ab æterna scilicet veritate didicimus Matth. 5., quòd sint „ Beati pauperes spiritu; quoniam ipsorum est regnum cœlorum: Beati mites; quoniam ipsi possidebunt terram: Beati, qui lugent; quoniam ipsi consolabuntur: Beati, qui esuriunt, & sitiunt justitiam; quoniam ipsi saturabuntur: Beati misericordes; quoniam ipsi misericordiam consequentur: Beati mundo corde; quoniam ipsi Deum videbunt: Beati pacifici; quoniam filii Dei vocabuntur: Beati, qui persecutionem patiuntur propter justitiam; quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Beati estis cùm maledixerint vobis, & persecuti vos fuerint, & dixerint omnem malum adversùm vos, mentientes, propter me: gaudete, & exultate; quoniam merces vestra copiosa est in cœlis. „ Hactenus æterna veritas: at, si Magistro novitatum credimus, nihil eorum beatos reddere potest, nihil omnium, quæ Christus recensuit, cœlesti præmio donabitur, nihil illud merebitur, nisi *sola Charitas.* Psalmo 65. dicitur: *Reddes unicuique secundùm opera sua*, non secundùm solam charitatem.

2 De ipso Dei filio scriptum accepimus Philipp. 2. *Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis, propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod est super omne nomen; ut in nomine Jesu omne genuflectatur:* qui etsi ratione unionis hypostaticæ deberetur omnis gloria, & nominis exaltatio; voluit tamen eam etiam humilitate, & obedientiâ promereri, non solis actibus charitatis; etsi omnis ejus actus charitate, & nobiliore dono unionis hypostaticæ informaretur. Parabola, quæ est Matth. 20. *Voca operarios, & redde illis mercedem*, cùm ad doctrinam, & institutionem nostram scripta sit, indicat, non amorem solum, sed etiam opera à Deo donanda præmio.

Proverb. 11. *Seminanti justitiam merces fidelis*; ubi indicatur reddenda merces operibus justitiæ, qualia sunt non sola charitas; sed omnis obedientia præceptorum, & consiliorum susceptio. Matth. 16. *Filius hominis venturus est in gloria Patris sui; & tunc reddet unicuique secundùm opera ejus.* Rom. 2. *Thesaurizas tibi iram in die iræ, & revelationis justi judicii Dei, qui reddet unicuique secundùm opera ejus.* 1. Cor. cap. 3. *Unusquisque propriam mercedem accipiet secundùm suum laborem.* Nusquam ad solam charitatem merces, aut meritum restringitur.

Apocal. cap. ultimo denuntiat Deus: *Ecce venio citò, & merces mea mecum est, reddere unicuique secundùm opera sua.* Matth. 25. ait Christus in judicio: „ Venire benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi. Esurivi enim, & dedistis mihi manducare: sitivi, & dedistis mihi bibere: hospes eram, & collegistis me: nudus eram, & cooperuistis me: infirmus, & visitastis me: in carcere eram, & venistis ad me; „ ubi opera misericordiæ à Christo referuntur, velut ratio possidendi regni à creationis origine præparati, quemadmodum damnationis causa contra reprobos allegatur eorumdem operum neglectus. *Esurivi enim, & non dedistis mihi manducare*; ut justis dicitur, *esurivi*

esurivi enim, & dedistis mihi manduecare.

Idem in testamento veteri Deus per Salomonem docuerat Proverb. cap. 19. v. 17. *Fæneratur Domino, qui miseretur pauperi*. In novo Apostolus ad Timoth. 4. *Pietas autem ad omnia utilis est, promissionem habens vitæ, quæ nunc est, & futuræ*. In quem locum sic S. Thomas: „ Cùm dicit (Apostolus) PIETAS AUTEM, præfert abstinentiæ pietatem, & accipitur hic utroque modo, scilicet pro cultu Dei, & misericordia: & est ad omnia utilis, quia ad omnia peccata delenda. (Eccli. 3.) Ignem ardentem extinguit aqua, & eleemosyna resistit peccatis. Item ad bona promovenda; (Eccli. 17.) Eleemosyna hominis quasi saeculus est: Item promeretur specialem Dei misericordiam. (Matth. 5.) Beati misericordes: quoniam ipsi misericordiam consequentur; & ideo ad hoc designandum Dominus Matth. 25. specialiter commemorat opera misericordiæ.

Etiam obedientia præmio digna judicatur Genes. cap. 22. ubi denuntiat Deus Abrahæ: *Quia fecisti rem hanc, multiplicabo semen tuum*. Fortitudo, & constantia in perferendis tribulationibus statuitur ab Apostolo operans præmium sempiternum. 2. Thessal. cap. 1. „ Gratias agere debemus semper Deo pro vobis fratres, ita ut dignum est; quoniam supercrescit fides vestra, & abundat charitas uniuscujusque vestrûm in invicem, ita ut & nos ipsi in vobis gloriemur in Ecclesiis Dei pro patientia vestra, & fide, & in omnibus persecutionibus vestris, & tribulationibus, qui sustineris in exemplum justi judicii, ut digni habeamini in regno Dei, pro quo & patimini. „ In quæ verba iterum Angelicus: „ Hæc Sancti sustinent . . . . ad augendum meritum; unde dicit, ut digni &c. nam, ut dicitur Matth. 11. Regnum cœlorum vim patitur; & violenti rapiunt illud. Et Lucæ ultimo: Nonnè hæc oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam suam? Roman. 8. Si tamen compatimur, ut & conglorificemur.

2. Cor. 4. „ Quod in præsenti est momentaneum, & leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis. (Jacobi cap. 1.) Beatus vir, qui suffert tentationem; quoniam, cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ. „ Quibus omnibus Scripturarum testimoniis non soli charitati tribuitur cœlestis gloria; sed etiam virtutum moralium operibus. Unde manifesta patet falsitas Propositionis 55., quoad primam partem: *Deus non coronat, nisi charitatem*.

CAPUT II.

Eadem Propositionis pars dejicitur authoritate Patrum, Conciliorum, etiam Sorbonæ.

1 SAnctus Ignatius Martyr in epist. ad Romanos. *Sinite me, ut bestiarum esca sim, per quam* (passionem) *possim Deum promereri*. Justinus Apologia 2. ante medium: *Homines, qui dignos se Dei voluntate, & consilio operibus præstiterint, eum eo victuros esse meritis suis sumpsimus, ac regnaturos*. S. Basilius libro de Spiritu Sancto cap. 24. *Homo ex operibus justitiæ salvatur*. Oratione in initium Proverbiorum. *Omnes, qui viam Evangelicam incedimus, mercatores sumus, per opera mandatorum nobis possessionem cœlestium comparantes*. Ubi *mandatorum*, & virtutum omnium *operibus*, non solâ charitate *possessionem cœlestium comparari* perspicimus. Ante Basilium Irenæus lib. 4. adversùs hæreses cap. 72. *Pretiosam arbitremur coronam, quæ per agonem nobis acquiritur; sed non ultro coalitam: & quantò per agonem nobis advenit, tantò est pretiosior*. Cap. 44. ex forma judicii, quæ describitur Matth. 25. ostendit meritum operum bonorum; exprimi autem illic apud Matthæum in Divino judicio opera misericordiæ, vidimus capite superiore. Prætermitto Origenem in epist. ad Rom., & Clementem Alexandrinum Origenis præceptorem libro 4. Stromatum.

Gregorius Nyssenus Oratione 1. de amandis pauperibus: *Denique pro suis quemque meritis ornatum cerno; illis, qui boni benignique fuerint, summa & perpetua requies tribuitur in regno cœlesti; inhumanis autem, & improbis supplicium ignis, idque sempiternum*; ubi benignitas inhumanitati opposita perpetuam meretur in cœlestibus requiem.

S. Cyprianus de simplicitate Prælatorum, sive de unitate Ecclesiæ post medium: *Justitiæ opus est, ut promereri quis possit Deum: præceptis ejus, & monitis obtemperandum est, ut accipiant merita nostra mercedem*. Sermone ultimo de Eleemosyna: *Si expeditos, si celeres, si in hoc operis agone currentes dies nos, vel reditionis, vel persecutionis invenerit, nusquam Dominus meritis nostris ad præmium deerit. In pace coronam vincentibus candidam*

dam

dam pro operibus dabit, in passione purpuream pro passione geminabit. Quæ clarissima contra Quesnelli novitatem sententia est, uti & quæ sequitur Hieronymi lib. 2. adversùs Jovinianum non procul à fine: *Denarius quasi indulgentia veri principis omnes per baptismum emittit de carcere: jam nostri laboris est, pro diversitate virtutum diversa nobis præmia præparare*. Si *Deus non coronet nisi charitatem*, ut asserit Quesnellus, quænam illa *virtutum diversitas*, pro qua *praeparentur præmia*?

S. Paulinus epistola ad victricium; *Tuarum tibi præmia se debere virtutum Judex justus agnoscet*. Quesnello judice, unius solius charitatis, non cæterarum *virtutum præmia* Deus redderet, utpote *non coronans nisi charitatem*.

Iterum Chrysostomus homilia 3. in Matth. *Tu salvari te per gratiam confitere, ut se iste tibi debitorem fateatur: nec modò pro operibus tuis; sed etiam pro hac æquanimitate. Quando enim aliqua præclarè fecerimus, habemus eum debitorem ob res bene gestas*, inter quas non sola charitas est.

S. Bernardus Serm. 81. in Cant. *Omne, quod feceris bonum, malumve, quod quidem non facere liberum sit, meritò ad meritum deputatur*. Dum dicitur omne bonum, non potest intelligi sola charitas; si autem omne bonum ad meritum deputatur, quomodo *Deus non coronat nisi charitatem*? Idem Sanctus paupertatem Euangelicam propter regnum cœlorum amplectenti, illud nihil hæsitans pollicetur serm. 1. Festo Sanctorum omnium. „ Attende, quàm sapienter „ ordinaverit sapientia contra peccatum „ primum remedium primum apponens; ac „ si apertiùs dicat: vis obtinere cœlum, „ quod perdidit superbiens Angelus, qui „ confisus est in virtute sua, & in multitu„ dine divitiarum suarum? Paupertatis vi„ litatem amplectere, & tuum erit.

Discete illud Mellifluus Augustini discipulus potuit à Doctore Maximo sermone 28. de verbis Apostoli. „ Felicitas ma„ gna Christianorum, quibus datum est, ut „ paupertatem faciant pretium regni cœ„ lorum. Non tibi displiceat paupertas „ tua: nihil eâ potest ditius inveniri. Vis „ nosse, quàm locuples sit? Cœlum emit. „ Quibus thesauris conferri possit, quod „ videamus paupertati indultum? Ut ad „ regnum cœlorum veniret dives, posses„ sione sua obtinere non potest: nunc obti„ net, ut contemptâ perveniat. „ Juxta novos Theologos abstinere debuerat Augustinus à proponendo fidelibus regno cœlorum, & beatitudine constituenda velut pretio, & scopo voluntariæ paupertatis; quia *Deus non coronat, nisi charitatem*. Ipse Apostolus spe retributionis fideles excitat, & ad constantiam hortatur in epistola ad Hebræos cap. 10. „ Rapinam bonorum ve„ strorum cum gaudio suscepistis, cogno„ scentes, vos habere meliorem, & manen„ tem substantiam. Nolite itaque amittere „ confidentiam vestram, quæ magnam ha„ bet remunerationem. „ Non igitur sola charitas; sed etiam sancta illa tolerantia persecutionum, & confidentia coronatur.

2. De mitibus S. Leo festo omnium Sanctorum: „ Terra (inquit) promissa „ mitibus, & in possessionem danda man„ suetis, caro Sanctorum est, quæ ob hu„ militatis meritum felici resurrectione „ mutabitur, & immortalitatis gloriâ ve„ stietur. „ Si ob humilitatis meritum immortalitatis gloria conceditur, non igitur sola charitas retributionem accipiet.

Ibid. „ Possidebunt enim eam mites „ pace perpetua, & nihil umquam de eo„ rum jure minuetur, cùm corruptibile „ hoc induerit incorruptionem, & morta„ le hoc induerit immortalitatem, ut peri„ culum vertatur in præmium, & quod fuit „ oneri, sit honori. „ Ubi mitibus, sive eorum mansuetudini jus pacis perpetuæ tribuitur, & periculis toleratis præmium.

De esurientibus justitiam S. Bernardus epistola 253. *Sempiterna esuries sempiternam meretur refectionem*. Esuries justitiæ, seu desiderium virtutis, non est propriè charitas, & tamen etiam ipsa præmium meretur refectionem sempiternam.

De Sancta Paula ita scribit Hieronymus in ejus epitaphio: „ Saturatur, quia esu„ rivit: flevit, ut semper rideret: despexit „ lacus contritos, ut fontem Dominum re„ periret: vestita cilicio est, ut nunc albis „ vestimentis uteretur, & diceret: scidisti „ saccum meum, & induisti me lætitiâ. „

Præmium misericordiæ promittitur Proverb. 19. vers. 17. *Fœneratur Domino, qui miseretur pauperis, & vicissitudinem suam reddit ei*; Quare Chrysostomus sermone 42. *Manducat Deus in cœlo panem, quem perceperit pauper in terra. Da ergo panem, da potum, si Deum debitorem, non judicem vis habere*. Debetur igitur merces eleemosynæ, & non solummodo charitati.

Idem ampliùs inculcat Augustinus in Psalm. 36. *Attende, quid facit fœnerator: minus vult dare tertè, & plus accipere: hoc fac & tu: da modica, accipe magna: vide, quàm latè crescat fœnus tuum; da temporalia; ac-*

cipe aeterna ; da terram : accipe caelum .

Iterum S. Doctor, quasi omnia simul complectens, in Psalm. 93. sic Deum cum homine loquentem exhiber. *Venale habeo. Quid Domine? Regnum caelorum. Quo emitur? Paupertate regnum, dolore gaudium, labore requies, vilitate gloria, morte vita*. Non igitur sola charitas mercedem accipit: unde iterum erroris convincitur pars prior Quesnelliani articuli statuens, *Deum non coronare, nisi charitatem*.

Sanctus Ambrosius lib. 5. in cap. 6. Lucae vers. 22. *Hos gradus volunt esse virtutum, per quos ab ultimis ad superiora possimus ascendere. Denique sicut incrementa virtutum, ita etiam sunt incrementa praemiorum.* Ubi non unicè charitati; sed virtutibus omnibus praemia decernuntur, eaque majora, prout majora virtutum fuerint incrementa. Serm. 7. in Psalm. 118. *Vult Deus conveniri, ut si quis proposita secutus virtutibus praemia, bene certaverit, fructum remunerationis expectet, quin etiam exigat*. Audis *proposita virtutibus praemia*, non soli charitati.

S. Cyprianus lib. 4. epistola 6. ad Tibaritanos: *Gaudere, & exultare nos voluit in persecutione Dominus; quia, quando persecutiones fiunt, tum dantur coronae fidei*. Et in exhortatione ad Martyres: *In aqua Baptismo accipitur peccatorum remissio: in sanguinis corona virtutum*: non solius iterum charitatis.

3 Concilium Arausicanum can. 18. *Debetur merces bonis operibus, si fiant; sed gratia, quae non debetur, praecedit, ut fiant.* Ubi quidem ad opera per gratiam facta; sed non ad solam charitatem assertio restringitur.

Clarissimè Concilium Tridentinum sessione 6. cap. ultimo „ Bene operantibus „ usque in finem, & in Deo sperantibus „ proponenda est vita aeterna, & tam„ quam gratia filiis Dei per Christum Je„ sum misericorditer promissa, & tam„ quam merces ex ipsius Dei promissione „ bonis ipsorum operibus, & meritis fide„ liter reddenda. (Can. 26.) Si quis di„ xerit, justos non debere pro bonis operi„ bus, quae in Deo fuerunt facta, expecta„ re, & sperare aeternam retributionem à „ Deo per ejus misericordiam, & Jesu „ Christi meritum, si bene agendo, & Di„ vina mandata custodiendo usque in finem „ perseveraverint, anathema sit. „ Quo jure Quesnellus iterum Tridentinum Canonem de merito bonorum operum limitat ad sola unius virtutis exercitia?

4 Totius Ecclesiae sensus est, & Scholasticorum omnium cum suo Principe Angelico doctrina, speciales quasdam coronas reddi Virginibus, Martyribus, & Doctoribus propter singularem, quam in hac vita retulerunt victoriam; quas coronas *aureolas* vocamus, desumptâ metaphorâ ab illo Exodi 25. vers. 25. *& super illam alteram coronam aureolam*. Coronae itaque illae, sive aureolae, quae propter singularem victoriam de oppositis hostibus reportatam, tribus illis Sanctorum classibus conferuntur, non solius charitatis praemia sunt; unde, & hinc subruitur Quesnelli assertio, *Deus non coronat, nisi charitatem*.

Verùm aureolas istas, ut plura alia Jansenistae pridem eliminare ex communi Ecclesiae doctrinâ decreverunt, nisi Sorbona novitatem in prima sui origine suffocasset. Decretum scilicet Academia illa condidit anno 1638. die 1. mensis Junii: cujus confirmatio secuta est 1. Julii, ubi inter Propositiones libri *de Virginitate*, qui vetiùs vocaretur *contra Virginitatem*, configitur haec quinta excerpta è pag. 74. *Aureolae Sanctorum sunt novitium Theologorum inventum, & sine fundamento in Scriptura*. Cui articulo ea infligitur censura: *Haec doctrina est falsa, temeraria, scholis etiam veterum Theologorum injuriosa*. Liber ille Claudii Seguenotii fuit, quamquam alii existiment compositum à Sancyrano, à Seguenotio autem adoptatum. Ejusdem, cujus Quesnellus, instituti erat Seguenotius, Parisiensi carceri, vulgò *la Bastille* mancipatus, eodem anno, quo Sancyranus carceri Vincennensi, Parisiis propinquo, traditus; Jansenius autem Ipris lue extinctus est. De Aureolis videri potest Angelicus totâ quaestione 96. aliàs 97. in tredecim divisa articulos. Sed & de quolibet vitae aeternae merito definit 1. 2. quaestione 114. art. 4. dicens: *Meritum vitae aeternae primò pertinet ad charitatem; ad aliàs autem virtutes secundariò, secundùm quod à charitate imperantur*. Non igitur solam charitatem coronat Deus, ut novaturiens Quesnellus somniat.

CA-

CAPUT III.

Convellitur Propositionis pars altera Scripturis Sacris.

1 QUi currit ex alio motivo, & ex alio impulsu (quàm charitatis) in vanum currit, si Quesnello credimus. Si verò Scripturis sacris, si SS. Patribus, S. Thomæ, Sedi Apostolicæ, & Ecclesiæ universæ, sunt etiam fines alii, quos non inutiliter prosequimur, etsi charitatis ratio perfectissima sit, ut ea virtus cæterarum omnium est regina. David Psalmo 118. ait: *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas in æternum propter retributionem*. Ecclesiasticus cap. 18. *Nè verearis usque ad mortem justificari; quoniam merces Dei manet in æternum*. Utrobique spes excitat retributionis.

Docuitnè Christus ipse nos in vanum currere, quando repetitis toties mercedis promissionibus, nos ad octo beatitudinum opera hortatus est Matth. 5. *Beati pauperes spiritu; quoniam ipsorum est regnum cælorum*: quem locum citans Eminentissimus Bellarminus lib. 5. de justificatione cap. 8. *A simili*, inquit, *spe regni cælorum exordium sumpsit Joannes Bapt. Matth. 3. Ab eodem jussit Christus Matth. 10., ut Apostoli exordirentur. Quid igitur est, quod Calvinus dicit, non esse ducendum exordium à promissione mercedis? Utrum, quæso, Christus, & ejus Præcursor, & Apostoli falluntur, an Calvinus errat?* Eadem convertamus in Quesnellum, & ejus asseclas, Calvini hic, & sæpe alibi, vestigiis insistentes: juxta quos Christus *in vanum* nos *currere* voluit, etiam Lucæ 16. *Facite vobis sacculos de mammona iniquitatis, ut, cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula*. Non ibi charitas pro ratione, sed sola apparet cœlestis beatitudo.

Deus Apocalypf. 2. ait: *Esto fidelis usque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ*. Non in vanum corona vitæ promittitur tamquam bonarum stimulus actionum. Eodem nos Apostolus ad strenuè currendum in stadio Domini allicit 1. Cor. cap. 9. *Nescitis, quòd hi, qui in stadio currunt, omnes quidem currunt; sed unus accipit bravium: sic currite, ut comprehendatis*. Jacobus in epistola cap. 1. *Beatus vir, qui suffert tentationem, quoniam, cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ*. Petrus epist. 1. cap. 1. fideles ad virtutem excitans, *ut reportetis*, inquit, *finem fidei vestræ, salutem animarum vestrarum*. 1. Cor. cap. 9. *Debet in spe, qui arat, arare, & qui triturat, in spe fructus percipiendi*. Num & hic arat, & triturat in vanum, quotiescumque spe fructuum æternorum quispiam laboraverit?

De Moyse ita testatur Apostolus epist. ad Hebræos cap. 11. „ Moyses grandis factus negavit, se esse filium filiæ Pharaonis, „ magis eligens affligi cum populo Dei, „ quàm temporalis peccati habere jucunditatem, majores divitias æstimans thesauro Ægyptiorum improperium Christi; „ aspiciebat enim in remunerationem. „ Quæ ratio certissimè spei est. Si verò, dum Moysem ad currendum impulit, cursum ejus reddiderit vanum, error turpis fuerit in viro aliàs tam sancto: & ipso postea gentium Apostolo, qui nobis exemplum proposuit ad sequendum, à quo debuerat nos, si cum Quesnello sapuisset, avertere.

2 Plurimæ sunt aliæ Scripturarum; ipsius etiam Apostoli, & ipsius Christi sententiæ, natæ homines in errorem inducere, si omnia opera fini frustranea, & vana, ad quæ nos moverit inferioris virtutis intentio, quàm charitatis. Inter cæteras expungenda est illa hortatio ad Gal. cap. 6. „ Bonum autem facientes non deficiamus; „ tempore autem suo metemus: (Et Col. 3.) „ Quodcumque facitis, ex animo operamini „ sicut Domino, & non hominibus, scientes, quòd à Domino accipietis retributionis hæreditatis. „ Quorsum ea additur retributionis ratio, nisi ut moveat ad merendum? Ratio autem hæc à novis charitatis præconibus declaratur vana, atque adeò inanis omnis ex tali fine operatio.

Verùm Christus, Apostoli, omnes Scriptores Hagiographi hanc ignoravêre novitatem; imò spem cœlestium præmiorum, & suppliciorum perennium timorem potentissimos duxêre ad virtutem stimulos, & fræna fortissima vitiorum.

Commendatio timoris habetur Exodi cap. 20. *Ut probaret vos, venit Deus, & ut terror illius esset in vobis, & non peccaretis*. Si viam timoris vanam Deus censuisset, noluisset per eam ducere populum suum. Idem motivum non inutile statuit ipsi Jobo, quantumvis justo, ut legitur libro Job cap. 9. *Verebar omnia opera mea, sciens, quia non parceres delinquenti*.

Neque Rex Psaltes viam formidinis negligendam, aut se per eam currendo à beatitudine deviare existimavit, utpote precibus à Deo postulans Psalmo 118. *Confige timore tuo carnes meas; à judiciis enim tuis timui*. Qui Davidi hunc indidit formidinis amo-

amorem, inspirat omnibus in Apocalypsi cap. 14. *Timete Dominum, & date illi honorem; quia venit hora judicii ejus.*

Lucæ cap. 12. *Ostendam autem vobis, quem timeatis: timete eum, qui, postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam; ita, dico vobis, hunc timete.* Num hic etiam æterna veritas in vanum currere nos docuit?

3 Viam timoris securissimam esse ad salutem, atque ad ipsam dilectionem instituti à Spiritu Sancto semper credidimus ex Proverb. 14. *Timor Domini fons vitæ, ut declinent à ruina mortis.* Ecclesiastici 25. *Qui tenet illum* (timorem) *cui assimilabitur? Timor Dei initium dilectionis ejus*, saltèm, ut dispositio. Isaiæ 26. *A facie tua* (juxta septuaginta duos interpretes *à timore tuo*) *Domine concepimus, & quasi parturivimus spiritum salutis.*

Denique fidelibus communiter Scriptura non in veteri solùm; sed in novo etiam fœdere timorem Divini judicii, & pœnarum, quæ sunt apud inferos, veluti utilissimum ubique ingerit, ut cum timore, & tremore salutem operemur. Quamvis, ut dicitur Rom. 8. non acceperimus spiritum servitutis iterum in timore. Non accepimus quoque spiritum mercenariorum, ut Judæi, quos terrenorum bonorum promissis allici oportuit, sed adoptionis filiorum, & charitatis spiritus nobis datus est, ut amore potissimùm ducamur, & spe hæreditatis æternæ filiis præparatæ, non intermissâ tamen sanctâ formidine, excidendi gratiâ, & hæreditate: cùmque non detur medium beatitudinem inter & damnationem, vult nobis Deus esse perpetuò ante mentis oculos horrenda inferorum supplicia, improbis, & rebellibus destinata.

Denique, etsi charitatis intentio indubiè præ cæteris omnibus nobilissima sit, & sinè charitate suo tempore elicitâ salus non obveniat; tamen pariter compertum est, Deum plerosque mortalium in actionibus obviis magis dirigere horrore damnationis, & spe cœlestis præmii, ac beatitudinis, quàm merè benevola sui dilectione. Omne autem bonorum operum exercitium, omne motivum, præterquam charitatis reprehendere tamquam vanum, non didicit Quesnellus ex Scripturis, è quibus meliùs Ecclesia Divino afflata spiritu novitatem ejus censuit condemnandam.

CAPUT IV.

Sancti Patres præcipuè Augustinus communi contra Quesnellum Sententiæ suffragantur.

1 Sanctus Cyprianus libro de exhortatione Martyrii cap. ultimo, *Has*, inquit, *cogitationes, quæ persecutio potest vincere? qua possunt tormenta superare?* Et infra: *Hæc oportet mente contemplari, & cogitatione hæc die, ac nocte meditari: Si talem persecutionis dies Christi militem invenerit, vinci non potest virtus ad præmium prompta.*

S. Hieronymus lib. 2. in Jovinianum adversùs quartam propositionem disputans: *Ideo Paulus hoc facit, ut plus laborans, plus etiam mercedis accipiat.* Responderent novi Theologi, si ideo Paulus hoc fecerit, ut plus laborans, plus mercedis acciperet, labor ejus eatenus inanis fuit; nam juxta articulum 55. *Deus non coronat, nisi charitatem: qui currit ex alio impulsu, & ex alio motivo, in vanum currit.*

2 Novis istis Augustini discipulis repugnat ipse Augustinus in Psalmum 120. *Quando facis opus bonum, propter vitam æternam fac* (non propter bona fluxa, & temporalia) *Noli facere nisi propter vitam æternam: ideo fac, & securus facies: hoc enim mandavit Deus.*

Serm. 302. aliàs 111. de diversis num. 3. „ Hinc intelligitur, quare sumus Christiani; „ quia non propter temporalia, & transeuntia vel bona, vel mala, sed propter vitanda mala, quæ non transibunt, & propter adipiscenda bona, quæ terminum non habebunt „.

Serm. 282. aliàs 105. de diversis num. 1. „ Neque enim omnes Martyres in certamine passionis, atque confessionis ad tempus fortiter laborarent; nisi, ut perpetuâ felicitate gauderent.

Serm. 259. aliàs 19. ex Sirmondianis n. 1. „ Fratres exhortamur, & obsecramus vos in nomine Domini Jesu Christi .... ut omnis intentio vestra, quare Christiani estis, & nomen ejus in fronte, & in corde portatis, non dirigatur, nisi ad illam vitam, quæ nobis cum Angelis est futura: ubi perpetua quies, sempiterna lætitia, indeficiens beatitudo, nulla perturbatio, nulla tristitia, nulla mors.

Serm. 25. aliàs 19. de diversis num. 7. „ Cùm Christus apparuerit vita vestra, „ tunc

„ tunc & vos cum ipso apparebitis in glo-
„ ria. Ecce dies boni: ipsos desideremus:
„ propter hoc vivamus: propter hoc ore-
„ mus: propter hoc eleemosynas demus „. Quot hic illecebris ad virtutem, quot hortationibus ad amorem beatitudinis æternæ, qui ad secundam pertinet virtutem theologicam, nos provocat Augustinus! Si autem, relicto Doctore Sanctissimo, novos ejus audiverimus discipulos, vana est intentio nostra, vana Christianissimi susceptio, vana omnis observatio mandatorum *propter vitanda mala, quæ non transibunt, & propter adipiscenda bona, quæ terminum non habebunt*: vana omnis confessio, & passio Martyrum; si non *in certamine fortiter laboraverint, nisi ut perpetua felicitate gauderent*. Juxta novos Apostolos Augustiniana adeò inculcata *exhortatio, & obsecratio* vana est, invocato perperam *nomine Domini nostri Jesu Christi, ut omnis intentio* (nostra) *non dirigatur nisi ad illam vitam, quæ nobis cum Angelis est futura, ubi perpetua quies, sempiterna lætitia, nulla perturbatio, nulla tristitia, nulla mors*. Si autem adeò nobis commendata intentio *vana* est, nonne ipsa Augustiniana commendatio, & suasio perniciosa pariter dicitur, & fallax in re gravissima?

3 Augustino scilicet sapientior, & religiosior Quesnellus hodiedum contra Doctorem maximum, contra ipsum Christi Vicarium, & omnem ei adhærentem Ecclesiam sustinet, à se rectè enuntiatum, quòd *Deus non coronet, nisi charitatem: quòd, qui currit ex alio impulsu, & ex alio motivo, in vanum currat*. Prosecutio itaque æternæ gloriæ, & bonorum tunc futurorum dierum, seu beatitudinis desiderium simul vanum est, *vanum propter hoc vivere, propter hoc orare, propter hoc dare eleemosynas*.

Sed malumus credere Augustino tot locis citatis, & clarissimo qui est libro de catechizandis rudibus cap.17. „ Qui autem
„ propter beatitudinem sempiternam, &
„ perpetuam requiem, quæ post hanc vi-
„ tam Sanctis futura promittitur vult fieri
„ Christianus, ut non eat in ignem æter-
„ num cum diabolo; sed in regnum æter-
„ num intret cum Christo, verè ipse Chri-
„ stianus est „: proinde ita currens à rectitudinis tramite non aberrat. Asserti sui, & legitimæ conclusionis meæ rationem reddit ipse Doctor Sanctissimus verbis immediatè sequentibus; quia scilicet Christianus tali fine ad Ecclesiam adductus, est *cautus in omni tentatione, nè prosperis rebus corrumpatur, & nè frangatur adversis, & in abundantia bonorum terrenorum modestus, & temperans, & in tribulationibus fortis, & patiens*. Nonne istæ, præter authoritatem irrefragabilem, rationes deberent Augustini discipulis persuadere, ut *motivum* spei non dicatur penitùs *vanum*, atque *inutile*?

Nè verò suspiceris, talem concupiscentiæ sanctæ affectum ad virtutes tantummodo morales modestiæ, temperantiæ, patientiæ, & similes; nihil autem ad inducendam charitatem, atque adeò ad meritum, & beatitudinem conferre, statim ibi subjungit Augustinus illius concupiscentiæ fructum optimum; nè, qui sic diligitur, Deus offendatur. „ Qui (homo timore, & spe ita
„ dispositus) etiam proficiendo perveniet
„ ad talem animum, ut plus amet Deum,
„ quàm timeat gehennam: ut, etiamsi di-
„ cat illi Deus, utere deliciis carnalibus
„ sempiternis, & quantùm potes, pecca,
„ nec morieris, nec in gehennam mitteris;
„ sed mecum tantummodo non eris, exhor-
„ rescat, & omnino non peccet; non jam,
„ ut illud, quod timebat, non incidat;
„ sed nè illum, quem sic amat, offendat; in
„ quo uno est requies, quam oculus non
„ vidit &c.

Si de hoc etiam actu dixeris, eum ad charitatem non pertingere; sed in amore spei proprio hærere; saltèm vel ex hoc manifestè Quesnellus convincitur, motivum spei, etiam dum in eo tantisper sistitur, non esse *vanum*, non esse inutile, quandoquidem efficiat, ut homo, & plus amet Deum, quàm timeat gehennam, & ad propositam peccandi licentiam *exhorrescat, & omnino non peccet*.

4 Amorem concupiscentiæ, qui semitam præparat ad charitatem, perspicuè tradit Augustinus in Psalm.7. ubi sic habet n.9.
„ Finis curæ delectatio est; quia eò quis-
„ que curis, & cogitationibus nititur, ut ad
„ suam delectationem perveniat. Videt igi-
„ tur curas nostras, qui scrutatur cor. Vi-
„ det autem fines curarum, id est, delecta-
„ tiones, qui scrutatur renes: ut, cùm in-
„ venerit, non ad concupiscentiam carnis,
„ neque ad concupiscentiam oculorum,
„ neque ad ambitionem seculi, quæ omnia
„ transeunt tamquam umbra, inclinari cu-
„ ras nostras; sed ad gaudia rerum æter-
„ narum sustolli, quæ nullâ commutatione
„ violantur, diligat justum scrutans corda,
„ & renes Deus. Opera enim nostra, quæ
„ factis, & dictis operamur, possunt esse no-
„ ta hominibus; sed quo animo fiant, & quo
„ per illa pervenire cupiamus, solus ille
„ novit, qui scrutatur corda, & renes
„ Deus.

Num.

Num. 14. „ Sagittæ potentis acutæ, cum
„ carbonibus vastatoriis; id est, quibus
„ percussus, atque inflammatus, tanto amo-
„ re ardeas regni cœlorum, ut omnium re-
„ sistentium, & à proposito revocare vo-
„ lentium linguas contemnas, & persecu-
„ tiones eorum derideas, dicens, quis me
„ separabit à charitate Christi &c. „. Rom. 8. v. 35.

Augustinus illic num. 9. apertè laudat *curas nostras ad gaudia rerum æternarum sustolli, quæ nulla commutatione violantur*; addens etiam, Deum, cùm viderit justum talibus intentum curis, eum diligere, ejusque approbare studia.

Apertiùs num. 14. Homo *ardens amore tanto regni cœlorum, ut linguas omnium resistentium, & à proposito revocare volentium contemnens, & persecutiones eorum deridens dicat, quis me separabit à charitate Christi? &c.* ubi describitur tantus ardor, tanta inflammatio desiderii anhelantis ad regnum cœlorum, sive tam incensus amor beatitudinis, ut veluti dispositio charitatem, eamquem fortissimam inducat.

Iterum Serm. 350. de charitate, aliàs de tempore 39. num. 3. ad illud: *Si linguis hominum loquar, aut Angelorum; charitatem autem non habeam* Augustinus maximam charitati fortitudinem accersit à spe: „ Quid
„ illâ (inquit, charitate) fortius non ad
„ retribuendas; sed ad non curandas inju-
„ rias? Quid illa fidelius, non vanitati;
„ sed æternitati? Nam ideo tolerat omnia
„ in præsenti vita, quia credit omnia de fu-
„ tura vitâ; & suffert omnia, quæ hic immit-
„ tuntur; quia sperat omnia, quæ ibi pro-
„ mittuntur „. Non poterat clariùs designari spes dispositio ad charitatem; unde rursus exploratissimum est, minimè vanum esse cursum ejus, qui nondum charitate præditus, spem cœlestium bonorum concipit, eaque se animat ad Divinorum mandatorum obedientiam, ad pugnam contra carnem, & diabolum, ad tolerantiam adversitatum, persecutionumque propter justitiam.

5 Augustinum sequitur S. Gregorius Magnus homilia 13. in Euangelia. „ Nec
„ castitas magna est sinè bono opere, nec
„ opus bonum est aliquod sinè castitate;
„ sed &, si utrumque agitur, restat, ut quis-
„ quis ille est, spe ad supernam patriam
„ tendat, & nequaquam se à vitiis pro mun-
„ di hujus honestate contineat „. Quesnellus diceret: Nec opus bonum est aliquod sinè charitate: &, sive quis à vitiis pro mundi hujus honestate se contineat, sive spe ad supernam patriam tendat, irritus est conatus, & inanissimus omnis ejus cursus; quia juxta axioma 55. *Deus non coronat, nisi charitatem: qui currit ex alio impulsu, & ex alio motivo, in vanum currit*.

CAPUT V.

Scholæ Principes parti posteriori Propositionis Quesnellianæ opponuntur.

1 Sanctus Thomas in Commentario ad illud Pauli 1. Cor. cap. 9. *Et illi quidem, ut corruptibilem coronam accipiant; nos autem incorruptam*, ait: *Illi quidem abstinent, ut corruptibilem coronam accipiant, quod modicum est; nos autem abstinere debemus, ut accipiamus incorruptam; scilicet coronam vitæ, de qua Jacobi 1. Beatus vir, qui suffert tentationem, quoniam, cùm probatus fuerit &c.* Opusculo de Dilectione cap. 22.
„ Voluntate Deum diligis dilectione con-
„ cupiscentiæ, cùm ipsum vis: Hæc est bo-
„ na voluntas, imò optima, quæ vult sum-
„ mum bonum: item dilectione amicitiæ
„ voluntatem tuam suæ conformas; quia
„ amicorum est, idem velle, & nolle „. Abstinere à vitiis ad accipiendam coronam vitæ incorruptibilem, est currere viâ secundæ virtuti theologicæ propriâ; non tertiæ: quod clarissimum est in *voluntate, qua Deum diligimus dilectione concupiscentiæ*, cùm ipsum volumus. Quæ si *bona est voluntas, imò optima, quæ vult summum bonum*, immeritò accusatur vanitatis ab adversariis, quasi omnis illa intentio, sive, ut Quesnellus loquitur, omnis cursus ex illo impulsu, motivoque vanus sit.

2 S. Bonaventura in 3. distinct. 27. art. 2. quæst. 2. ad 1. *Quærere, videre, & amare Deum sicut suam mercedem, & præmium, non est quærere bonum proprium, illo modo dicendi proprium, qui sonat in vitium*. Si vanos esset, sonaret in vitium, maximè apud Quesnellum, juxta quem inter vitium, & charitatem nihil in humanis actibus est medium Prop. 46. *Cupiditas, aut charitas usum sensuum bonum, vel malum faciunt*. Quod de usu sensuum asseritur, in cæteris procul dubio facultatibus locum obtinet; quia par utrobique ratio est. Si igitur, ut omnis sanæ mentis theologus cum Seraphico agnoscit, non sit illa spei intentio arguenda vanitatis; non est dicendus in vanum currere, quisquis de dilectione Dei benevola non cogitans, æternæ mercedis, & beatitudinis intuitu bonum aliquod operatur.

3 S. Franciscus Salesius lib. 2. de amore Dei,

Dei, toto capite 17. probandum fufcipit quod titulo profitetur, *amorem fpei effe valde bonum; licèt imperfectum*. Quem ipfo ftatim capitis exordio fic explicat, ut cum charitate, quod adverfarii vellent, confundere nequaquam valeas. „ Amor, (inquit) quem in fpe exercemus, Theotime, tendit quidem in Deum, fed ad nos revertitur: fpectat Divinam bonitatem; fed cum refpectu ad noftram utilitatem: tendit ad fupremam perfectionem; fed refpicit noftram fatisfactionem: id eft, non transfert nos in Deum, qua Deus in femetipfo fummè eft bonus, fed qua fummè bonus eft nobis. Amor ille, quem vocamus fpem, eft amor concupifcentiæ; fed concupifcentiæ fanctæ, & bene ordinatæ, per quem non trahimus Deum ad nos, fed ei nos jungimus, ut fupremæ noftræ felicitati „. Dicendum itaque, vel quòd agere ex motivo fpei, prout à charitate diftinguitur, non fit *vanum*, vel quod Sanctiffimus Antiftes nos fefellerit: neque ipfe folus; fed etiam Doctores Angelicus, & Seraphicus.

Pro timore autem mercenariorum fimul, & fervorum non minùs dilucidè contra Quefnellum Salefius enuntiat lib. 11. de Amore Dei cap. 16. dicens: „ Quantum ad timores fervorum, & mercenariorum, non procedunt quidem ab amore; fed ordinariè præcedunt ipfum amorem, ut fint ipfi velut prodromi, & defignatores hofpitii, & ipfi fæpe funt perutiles ejus obfequio.... Divina bonitas volens in anima humana collocare magnam virtutum diverfitatem, & tandem eam exornare facro fuo amore, utitur acu timoris fervilis, & mercenarii, quâ ordinariè omnium primò corda noftra punguntur „.

Quefnellus fententiæ Salefii, & *Divinæ bonitati*, ac providentiæ fe opponens, eliminat ex animis noftris omnem *virtutum diverfitatem*, folâ retentâ charitate; proinde timorem, & fpem dilectionis *prodromam* rejicit inter actiones *vanas*, & peccata; qui enim currit ex alio impulfu, & ex alio motivo, præterquam charitatis, *in vanum currit*. Et juxta art. 44. „ Non funt nifi duo amores, unde volitiones, & actiones omnes noftræ nafcuntur; amor Dei qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur; & amor, quo nos ipfos, ac mundum diligimus, qui quod ad Deum referendum eft, non refert, & propter hoc ipfum fit malus „. Quin actus ex malo natus principio maculam contrahat, indubitatum eft: qualifcumque igitur *Prodromus, & defignator hofpitii* à Salefio, & cæteris Doctoribus catholicis ftatuitur charitati, juxta novos theologos, deteftabilis eft. Quæ enim communicatio *vanitati* cum charitate? Non major, quàm luci cum tenebris. Quomodo igitur actus charitati prævius, fi *vanus* eft, fi perverfus, charitati ferviet introducendæ?

Quapropter aut doctrina Salefii, quæ fimul Angelici, & Seraphici eft, nos decipit, quod nemo probè catholicus dixerit; aut veritati contraria eft doctrina Quefnelli, quod omnis novitatibus non temerè præoccupatus facilè agnofcet. Vanitas diabolo potiùs, & Dei odio, quàm charitati folita eft *defignare*, aut præparare *hofpitium*. Sed & acus infecta toxico quomodo punget falubriter, & pro falute non inferet exitium?

Eâdem, qua Salefius, fimilitudine utitur Bonaventura in opufculo de Gratia fanctificante lib. 5. cap. 4. „ Timor fervilis Spiritui Sancto locum præparat, ut eum ficut feta filum introducat..... Timor fervilis duo facit, primum eft, quòd viam præparat charitati; fecundum, quòd retrahit à peccato metu pœnæ tantùm „. Impulfus itaque timoris illius neque vanus eft, neque ad vanitatem movet, neque illo motus homo *in vanum currit*; fed ut vanitatem, & vitia fugiat; confugiat autem ad charitatem, cui timor *viam præparat*, retrahens à peccato.

4 Ridicula foret adverfariorum cavillatio, fi explicare Seraphicum vellent de timore, quem charitas imperaverit; perfpicuè enim exprimitur *Timor fervilis*; qui autem ex dilectione profluit, non fervis; fed filiis proprius eft timor. Præterea, ex charitate procedere, & ejus ortui, atque adventui viam præparare, invicem opponuntur. Denique non diceret ibidem S. Doctor: *Timor fervilis donum Spiritûs Sancti eft; nec tamen eft cum Spiritu Sancto, ficut aurora eft à fole, nec tamen cum fole eft*: nihil enim prohibet, quin timor à charitate imperatus fit cum Spiritu Sancto; imò cum illo eft neceffariò. Quæ hic Doctor Seraphicus tradit conformia totius fenfui Ecclefiæ, accipere potuit à magiftro fuo Alexandro Alenfi parte 3. quæft. 76. mem. 2. & 3. Similia habet Dionyfius Carthufianus in 3. dift. 34. quæft. 3. Sanctus etiam Thomas parte 3. quæft. 85. art. 5. *Patet, quòd actus pœnitentiæ à timore fervili procedit, ficut à primo motu affectûs a Deo ordinato*: Non igitur *vanus* ille proceffus eft, aut inanis *curfus*.

CAP. VI.

CAPUT VI.

Tridentinum Concilium, & plures Pontificum definitiones eidem Propositionis parti adversantur.

1 TRidentinum sess.14. cap.4. „ Illam „ verò contritionem imperfe- „ ctam, quæ attritio dicitur, „ quoniam vel ex turpitudinis peccati con- „ sideratione, vel ex gehennæ, & pœnarum „ metu communiter concipitur, si volun- „ tatem peccandi excludat, cum spe veniæ, „ declarat non solùm non facere homi- „ nem hypocritam, & magis peccatorem; „ verùm etiam donum Dei esse, & Spiritûs „ Sancti impulsum, quo pœnitens adjutus, „ viam sibi ad justitiam parat „: Atque ita non currit in vanum, etsi solâ, ut patet, impellente formidine gehennæ cum spe veniæ, antequam animum charitas occupaverit, dum ad eam via tantummodo præparatur.

Eâdem sessione can.5. „ Si quis dixerit, „ eam contritionem, quæ paratur per dis- „ cussionem, collectionem, & detestatio- „ nem peccatorum, quâ quis recogitat an- „ nos suos in amaritudine animæ suæ, pon- „ derando peccatorum suorum gravita- „ tem... amissionem æternæ beatitudinis, „ & æternæ damnationis incursum, non es- „ se verum, & utilem dolorem, nec præpa- „ rare ad gratiam.... anathema sit „. Si omnis, qui ex alio, quàm charitatis impulsu, curreret, vanitatis incurreret notam, non apparet, quomodo discussio illa, collectio, ac detestatio peccatorum ob amissionem æternæ beatitudinis, & damnationis supplicium, esset verus, & utilis dolor; ac præpararet ad gratiam; cùm omnis illa contritio non sit charitas, & qualiscumque ex alio impulsu cursus, qualiscumque ex alio motivo existimata ad gratiam præparatio sit vana juxta Quesnelli articulum. Vana itaque est juxta eundem omnis contritio imperfecta, appellata attritio, quæ, quia ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ, & pœnarum metu concipitur, nequit esse donum Dei, & Spiritûs Sancti impulsûs, quo pœnitens adjutus viam sibi ad justitiam paret; quandoquidem attritio illa charitas non sit, neque ex motivo charitatis elicita; aliàs contritio foret se ipsa ad justificationem sufficiens extra Sacramentum. Attritionis autem nomine à Concilio, & ab Ecclesia universa non intelligi contritionem se ipsa justificantem, compertissimum est. Si autem attritio illa, dum charitate destituitur, vana sit, comitem necessariò habet fallaciam, neque crimini vertetur, si cui vocare placuerit hypocrisim, quæ hominem magis efficiat peccatorem. Vanitas scilicet illa non est ex gratia, sinè qua juxta art. 40. *nihil amare possumus* (nihil agere) *nisi ad nostram condemnationem*.

2 Contra Bajum tres definivêre Pontifices Art.16. *Esse veram legis obedientiam, quæ fit sinè charitate*; vera autem legis obedientia non componitur cum vanitate. Non itaque per viam mandatorum (idem est de Consiliis Euangelicis) semper in vanum curritur, dum ad currendum non impulerit charitas. Habet scilicet propriam sibi actio quælibet à Deo per auxilium gratiæ inspirata honestatem, habet & utilitatem, quæ non potest non Deo plurimùm placere; &, licèt extra statum justitiæ coronam mereri propriè nequeat; tamen ad tollendum per pœnitentiam obicem, non parum adferet momenti.

3 Ex Propositionibus etiam 31. damnatis ab Alexandro VIII. complures continet Quesnelliani articuli, quæ hic à me impetitur, pars posterior, *qui currit ex alio* (quàm charitatis) *impulsu, & ex alio motivo, in vanum currit*. Cum hac articuli parte confer, si lubet, Propositionem inter 31. decimam: *Intentio, qua quis detestatur malum, & prosequitur bonum, merè ut cœlestem obtineat gloriam, non est recta, nec Deo placens*: Non impellit, non movet hic charitas; *merè* enim intenditur cœlestis gloria; si autem hoc ipso intentio *vana fit*; non est unde *recta* statuatur, aut *Deo placens*; vanitas enim Deo Sapientissimo, & Sanctissimo, placere non potest. Si verò cum Ecclesia catholica fides habeatur Christi Vicario, & cum eo censeatur damnatione dignus novatorum articulus, ac proinde *intentio, qua quis detestatur malum, & prosequitur bonum, merè, ut cœlestem obtineat gloriam*, credatur *recta*, *ac Deo placens*, patet, eâ intentione ductum non *currere in vanum*; etsi non contineat intentio *charitatem*; *sed merè cœlestem* prosequatur *gloriam*.

4 Eodem Decreto configitur Articulus 14. *Timor gehennæ non est supernaturalis*: & 15. *Attritio, quæ gehennæ, & pœnarum metu concipitur sinè dilectione benevolentiæ Dei propter se, non est bonus motus, ac supernaturalis*. Cur timor ille, & concepta ex eodem attritio foret ordinis, & bonitatis supernaturalis, si omnis ejus operatio vana esset, sive, ut vocibus articuli utar, omnis ex *impulsu* ejus, & *motivo currens, in vanum* cur-

curreret? Cùm autem certissimum sit, utrumque articulum meritò esse damnatum, ac proinde dari timorem gehennæ, atque ex illo elicitam attritionem, non solùm ab omni immunem vanitate; sed etiam bonam omnimodè, ac supernaturalem, legitimè sequitur, non in vanum nos currere, quando *gehennæ, & pœnarum metu attritionem concipimus sinè dilectione benevolentiæ Dei propter se.*

5 Quesnelli novitas complectitur quoque doctrinam articuli 12. in eodem Decreto damnati: *Quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor, deficit etiam fides: &, etiamsi videantur credere, non est fides divina; sed humana.* Si enim omnis actio vana est, ad quam non impulerit, vel moverit charitas, manifestum est, fidem in casu articuli vanam fore, ac propterea non Divinam; sed humanam. Si verò Alexandri Pontificis contra articulum censura justa fuerit, ut revera fuit justissima, dicendum pariter, quòd, qui fidei gratiam à Deo petit, & ad eam obtinendam eleemosynas largitur, jejunia frequentat, scrutatur sacros Codices, interest concionibus, consulit Doctores Ecclesiæ, tot actionibus non *vanitatem* sectetur, non inutili laboret studio; etsi nondum præditus charitate, ad quam fides dispositio est.

6 Hactenus Quesnelliani articuli posteriorem partem consideravi solùm in sensu obvio, qui quidem etiam authoris est; Si verò sensum ex circumstantiis personæ, & aliorum ejus damnatorum dogmatum extendere ampliùs placuerit, finem vix reperiemus anathematum, quibus pars illa articuli profligatur. Si nempe omnem cursum, qui hic vanus dicitur, accipias, ut Quesnellus intelligit, vanum adeò, ut maculetur vitio, non effugit censuram articuli inter Bajanos trigesimi octavi; „ Omnis amor creaturæ rationalis, aut vitiosa est cupiditas, „ qua mundus diligitur, quæ à Joanne prohibetur; aut laudabilis illa charitas, qua „ per Spiritum Sanctum in corde diffusâ „ Deus amatur. 35. Omne quod agit peccator, vel servus peccati, peccatum est. „ 40. In omnibus suis actibus peccator servit dominanti cupiditati. 25. Omnia „ opera infidelium sunt peccata, & philosophorum virtutes sunt vitia. 27. Liberum arbitrium sinè gratiæ Dei adjutorio „ non nisi ad peccandum valet „.

7 Inter damnatos quoque ab Alexandro VIII. Articulos 31., præter superiùs allegatos, septimus: „ Omnis humana actio deliberata est Dei dilectio, vel mundi; Si Dei „ charitas Patris est; Si mundi, concupiscentia carnis, hoc est, mala est. Octavus: Necesse est, infidelem in omni opere peccare. „ Nonus: Revera peccat qui odio habet „ peccatum merè ob ejus turpitudinem, & „ disconvenientiam cum natura sinè ullo „ ad Deum offensum respectu. Undecimus: Omne quod non est ex fide per dilectionem operante peccatum est. Decimustertius: Quisquis etiam æternæ mercedis intuitu Deo famulatur, charitate si „ caruerit, vitio non caret, quoties intuitu „ licèt beatitudinis operatur „. Ubique scilicet ex alio impulsu, & ex alio motivo curritur, quàm charitatis; in vanum itaque ubivis curritur; Si Quesnelli sternus sententiâ, juxta quem pluribus se Propositionibus explicantem, omnis actio ex charitate non profluens, hoc sensu in vanum suscipitur, ut etiam vitiis annumeretur. Prop. 44. *Non sunt nisi duo amores, unde volitiones, & actiones omnes nostræ nascuntur: amor Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur; & amor, quo nos ipsos, ac mundum diligimus, qui quod ad Deum referendum est, non refert, & propter hoc ipsum fit malus.* Idem asseritur pluribus, quæ ibi sequuntur Propositionibus.

Quod autem omnis actio ex pravo scaturiens fonte, sive turpi exercita motivo sit perversa, adversarii nobiscum sentiunt: Clarè id colligitur ex Quesnelli assertione quadragesima quinta, aliunde justissimè damnata: *Amore Dei in corde peccatoris non amplius regnante, necesse est, ut in eo carnalis regnet cupiditas, omnesque actiones ejus corrumpat.* Amore Dei in cordibus regnante intelligi charitatem, sive amorem justificantem, ex se perspicuum est, & confirmat tum propositio 44. jam descripta, tum quæ sequitur quadragesima sexta: *Cupiditas, aut charitas usum sensuum bonum, vel malum faciunt.* Quod de usu sensuum dicitur, pari ratione extenditur ad facultates cæteras, quarum usum æquè, ac sensuum finis seu bonus, seu malus ad bonitatem, malitiamvè determinat actionem. Tot igitur foeti perniciosis novitatibus doctrina qua ratione censuram Apostolicam evadere debuit? Patrocinantium malæ causæ argumenta audiamus.

CAPUT VII.

Depulsio objectionum.

1 Quem pro damnatis de charitate articulis sæpe allegatum ab adversariis vidimus textum epistolæ 1. ad Cor. cap. 13. *Si distribuero in cibos pauperum, omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest*; producitur idem iterum: verùm ut sacra verba tum juxta circumstantias, in quibus prolata sunt, tum juxta Angelici, & aliorum interpretum, imò totius Ecclesiæ catholicæ sensum, nequaquam suffragari damnatis adversariorum novitatibus, ostendi alibi sæpius; sic eadem facilè præsenti eripiam errori.

Sententia Apostoli est, eleemosynas, etiam largissimas, atque ipsam pro fide mortem sinè charitate neque beatitudinem homini conferre posse; neque ullum fundare propriè meritum. Sed indè non sequitur, quòd cum charitate, etiam cætera bona opera misericordiæ, castitatis, & aliarum virtutum moralium; aut theologicarum, nihil præmii mereantur, nihil apud Superos recipiant, ut Quesnelli contendit opinio, *Deus non coronat nisi charitatem*: quod de errore convicimus ex ipsis Scripturis, Traditione Patrum, S. Thomæ, Concilii Tridentini, atque adeò totius sensu Ecclesiæ; censurâ quoque Parisiensium Doctorum contra Seguenotium. Præterea si peccator è vivis discesserit solùm attritus, nihil ipsi imperfecta ea pœnitentia proderit, non tamen vana dicenda est; quamvis eam eliciens, dum se forte præparat ad Confessionem, morte præproperâ occupatus occulto Dei judicio pereat. Sic neque adversarii dixerint, omnem multorum annorum charitatem, & justitiam fuisse vanam, vel hominem tunc in vanum cucurrisse; etsi postea in peccatum lapsus, & in eo moriens nihil ex præterita charitate fructûs recipiat, atque adeò ea tunc nihil prodesse misero deprehendatur.

2 2. ad Tim. cap. 4. dicitur: *Reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex; non solùm autem mihi; sed & iis, qui diligunt adventum ejus*. Et Jacobi cap. 1. *Beatus vir, qui suffert tentationem, quoniam, cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se*. Cap. 2. *Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide, & heredes regni, quod repromisit Deus diligentibus se?* Ubi quidem diligentibus Deum video promissam justitiæ coronam; sed neque illic, neque alibi video promissam soli dilectioni, & quidem dilectioni super omnia, quæ charitatis nomine significatur.

Perfectionis apicem assequentibus datur indubiè corona gloriæ; ideone solum perfectionis apicem coronare Deus dici poterit? Consilia Euangelica sectantibus promittitur vita æterna; ideone sola consilia Euangelica Beatitudinis præmium consequentur? Longè aliud est, amorem Dei ad salutem dici necessarium, quàm dici necessarium in omnibus actibus. Quamquam neque hìc contendere sit animus, num dilectionis actus, sive imperium præsens, vel præteritum quidem; sed virtute influens in opus quodlibet, requiratur, ut fiat capax meriti. Istud unicum hìc mihi sufficit, non omne meritum, non omne præmium tribui soli charitati cum injuria cæterorum operum, & destructione catholicæ veritatis, quæ tam in Scripturis, quàm Patribus, & Tridentino Concilio docet, bonis etiam aliarum virtutum, sive Theologicarum, sive Moralium operibus, in statu gratiæ, & convenienti modo exercitis, meritum hìc obvenire, & in cœlestibus præmium. Unde à veritate alienum est, *Deum non coronare, nisi charitatem*, cætera apud Deum esse inania, & nullius pretii.

3 Non plus pro errore illo facit quod ait Christus Joann. 14. *Qui autem diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum, & manifestabo ei me ipsum*. Ibid. *Qui habet mandata mea, & servat ea, ille est qui diligit me*. Non sola nempe charitas; sed omnium mandatorum observatio, ut est fructus dilectionis, Deo summopere placet, & ab ipso mercede beatitudinis donabitur. Idem est de omnibus Christi consiliis, & quibuscumque bonis operibus, quæ propter Deum amplectimur.

4 Non amplius, imò nihil penitùs difficultatis pariunt, quæ objiciuntur ex Patribus. Sic Augustinus libro 8. de Trinitate cap. 4. *Cùm enim per fidem adhuc ambulemus, non per speciem, nondum utique videmus Deum, sicut idem ait, facie ad faciem: quem tamen, nisi nunc diligamus, numquam videbimus*. S. Bernardus in festivitate S. Michaelis Serm. 2. num. 1. *Perire siquidem necesse est hominem, qui charitatem non habet, etiamsi tradiderit corpus suum, ita ut ardeat*.

Sententia utriusque Patris perplacet, sed non supposita adversarii conclusio, ut damnatus enuntiat articulus, quasi soli charitati

ritati detur in cœlis retributio, non aliarum pariter actibus virtutum: *Deus non coronat, nisi charitatem: qui currit ex alio impulsu, & ex alio motivo, in vanum currit*. Sinè habita in terris charitate non obtingit Dei visio, & quidquid beatitudinis est in cœlis; verùm, dum charitas adest, virtutum cæterarum exercitia non pereunt, non offuscantur, non omni destituuntur præmio.

Quare Augustinus in Psalmum 93. ne de ea veritate dubites, Deum ipsum tibi exhibet sic loquentem: *Venale habeo regnum cœlorum... emitur paupertate regnum; dolore gaudium; labore requies; vilitate*, (seu humilitate) *gloria; morte* (seu martyrio) *vita*. Idem habet in Psalm. 36. Acceperat nempe à Magistro suo Ambrosio lib. 5. in caput 6. Lucæ v. 22. *Sicut incrementa virtutum* (non solius charitatis) *ita etiam esse incrementa præmiorum*. Sicut enim Apoc. 18. de damnato dicitur: *Quantum glorificavit se, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum, & luctum*; Ita & Matth. 5. *Beati, qui lugent; quoniam ipsi consolabuntur... Beati, qui persecutionem patiuntur propter justitiam; quoniam ipsorum est regnum cœlorum*. Ibid. *Beati pauperes spiritu; quoniam ipsorum est regnum cœlorum*. Et *Beati misericordes; quoniam ipsi misericordiam consequentur*. Ubique non soli charitati; sed aliarum etiam virtutum actibus præmium promittitur.

Sic ipse, qui nobis superiùs objicitur, Bernardus serm. 1. Festo Sanctorum omnium. *Attende, quàm sapienter ordinaverit Sapientia contra peccatum primum, remedium primum* (inter octo beatitudines paupertatem spiritûs) *apponens, ac si apertiùs dicat; Vis obtinere cœlum, quod perdidit superbiens Angelus, qui confisus est in virtute sua, & in multitudine divitiarum suarum? Paupertatis vilitatem amplectere, & tuum erit*. Serm. 81. in Cantica: *Omne, quod feceris bonum, malumve, quod quidem non facere liberum sit; meritò ad meritum deputatur*. Priore loco *paupertatis vilitatem amplectentibus* æterna Sapientia promittit *cœlum, quod superbiens Angelus perdiderat*: Posteriore Mellifluus enuntiat, *omne, quod feceris bonum* (non solam charitatem) *ad meritum*, atque adeò ad mercedem *deputandum*, sicut *omne, quod feceris malum* deputabitur ad supplicium. Ita Scripturas, ita Patres, ita Concilia Arausicanum, & Tridentinum superiùs relata Theologi omnes intelligunt.

5 Contra quem totius Ecclesiæ sensum minimè pugnat Oratio Dominicæ V. post Pentecosten „ Deus, qui diligentibus „ te bona invisibilia præparasti, infunde „ cordibus nostris tui amoris affectum, ut „ te in omnibus, & super omnia diligentes, „ promissiones tuas, quæ omne desiderium „ superant, consequamur. „ Ex eo scilicet, quòd Deus bona invisibilia præparaverit diligentibus se, non sequitur, quòd non præparaverit etiam credentibus, sperantibus, timentibus, humilibus, pauperibus spiritu, mitibus, misericordibus, sive, ut ad præsentem controversiam magis appositè loquamur, non sequitur, quòd Deus bona invisibilia soli præparaverit charitati, & non etiam aliis virtutum, sive theologicarum, sive moralium operibus in statu gratiæ, & propter Deum exercitis; quibus cœleste præmium Deum ipsum sæpe pollicentem vidimus cap. 1., & à SS. Patribus sic intellectum cap. 2. atque hanc esse totius, etiam præsentis Ecclesiæ sententiam, testantur universi per orbem Catholicum Antistites, qui Constitutionem UNIGENITUS assensu sive expresso, sive tacito amplectuntur.

6 Denique frustrà opponitur illud, ex Thoma à Kempis lib. 1. cap. 24. „ Qui „ Deum ex toto corde amat, nec mortem, „ nec supplicium, nec judicium, nec infer„ num metuit; quia perfectus amor secu„ rum ad Deum accessum facit. „ Quid hic asserit Scriptor mysticus, quod non omnes nobiscum Theologi affirmant, omnes credunt catholici, amori Dei super omnia, sive ex toto corde, & amori perfecto securum competere accessum ad Deum? Sed quid indè conficies ad negandum cæteris omnibus bonis operibus ex gratia, & Dei amore præstitis meritum, atque in cœlesti patriâ *coronam*, ut necesse fuerit Quesnello dicere, *Deus non coronat nisi charitatem*? Affirmatio de charitatis merito in nulla Logica, aut Theologia meritum, aut præmium adimit cæterarum actibus virtutum.

7 Hic quidem oppositionibus terminum fixere Hexapla; verùm *Collator* subsidiarius tres superaddit ex Augustino lacinias. Serm. 83. de Verbis Euang. Matth. n. 21. *Universa inutiliter habet, qui unum illud*, (charitatis donum) *quo universis utatur, non habet*. Tract. 9. in Euangelium Joan. num. 8. *Charitas si desit, frustrà habentur cætera: si adsit, rectè habentur omnia*. Hom. 5. *Ipsa est*, charitas, *quæ potest sufficere, si cætera non sint; si autem sola desit, nihil prodest, quidquid habitum fuerit. Sola sufficit, si adsit: cætera omnia nihil prosunt, si sola charitas desit*. Omnia ad meritum, & præmium inutiliter haberi sinè charitate agnoscimus, & quod Augustinus ait, accepit à Gentium

Apostolo 1. Cor. 13. ut supra relatum est, sed non inutiles sunt ad Charitatem ipsam dispositiones.

Sic dicitur ad Hebræos cap. 11. *Accedentem ad Deum* (amandum) *oportet credere, quia est, & inquirentibus se remunerator sit*. Prius scilicet est credere in Deum, quàm eum super omnia diligere. Antequam igitur supervenerit charitas, fides illa quidem neque justum constituit hominem, neque dignum æterno præmio; &, si excedere eum è vita sinè charitate contigerit, salutem non conferet qualiscumque fides, neque eximet damnatione. Dum tamen mortali fruimur luce non desinit fides prævia charitati utilis esse ad eam dispositio.

Sic ad Romanos dicit Apostolus cap. 10. *Quicumque invocaverit nomen Domini, salvus erit. Quomodo ergo invocabunt in quem non crediderunt? aut quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient sinè prædicante?* Prædicatio Euangelii, prædicationis auditio, ac multò magis fides ex auditu utilis ad invocationem, & amorem Dei præparatio est, neque eatenus cursus hominis vanus, vel in vanum est; quamvis nondum successerit charitas; si tamen ante hujus ortum mortalis vita defecerit, nihil omnis dispositio proderit ad salutem. Quapropter non est Scriptoris Catholici sic prædicare charitatis exercitium, ut reliquorum omnium piorum actuum contemptus, & negligentia inducatur: scandalosum proinde, & falsissimum novæ Ecclesiæ axioma est: *Deus non coronat, nisi charitatem; qui currit ex alio impulsu, & ex alio motivo, in vanum currit*.

Meliùs instituimur à Gregorio Magno Pontifice lib. 2. Moralium cap. 33. *Si fides non prima in corde nostro gignitur, reliqua quæque esse bona non possunt*, neque charitas procedere.

S. Prosper in responsione ad dubium 8. Genuensium: *Fides est virtutum omnium fundamentum*. Ipse Augustinus Serm. 22. de Verbis Apostoli: *Domus Dei credendo fundatur, sperando erigitur, diligendo perficitur*. Juxta adversarios autem Domus Dei, solùm diligendo fundatur, diligendo erigitur, diligendo perficitur: *Qui currit ex alio impulsu, & ex alio motivo in vanum currit*.

Augustinus lib. de prædestinatione Sanctorum cap. 7. *Fides prima datur, ex qua cætera impetrantur*. Juxta Quesnellum autem, etsi fides prima gratia sit; nisi ipsa simul charitas fuerit, vana est, neque ad impetrandum aliquid idonea. Ita charitas, quæ fide, & oratione ardente fuerat impetranda, debet esse petitionis principium, & haberi, antequam precibus concedatur.

Denique Tractatu 9. in Epist. Joan. *Opus est, ut intret timor primò, per quem veniat charitas: timor medicamentum, charitas sanitas*. Juxta Quesnellum opus est, ut intret primò charitas, per quam veniat timor: sola charitas, non solùm sanitas, sed etiam necessariò medicamen est; *qui enim currit ex alio impulsu, & ex alio motivo, in vanum currit*.

Non ita Gregorius Nazianzenus oratione 40. in Sanctum Baptisma cap. 13. „ Tres (inquit) classes, eorum, qui salutem „ consequuntur, esse scio: servorum videlicet, mercenariorum, & filiorum. Si servus es, plagas metue; si mercenarius, „ mercedem dumtaxat spera; sin autem „ supra hos assurgis, ac filius es, ut patrem „ verere, ac bonis operibus stude; quia „ bonum est patri; etiamsi ea re nihil quæstûs ad te rediturum sit „. Quanti ponderis apud Theologos orthodoxos sit Sancti illius authoritas, docet nos officium canonicum die 9. Maji, „ Gregorius nobilis Cappadox ex singulari Divinarum scientiâ literarum Theologi nomen consecutus, scripsit multa & solutâ oratione, & versibus „ mirabili pietate, & eloquentiâ, quibus doctorum hominum, sanctorumque judicio „ id assecutus est, ut nihil in illis nisi ex veræ pietatis, & catholicæ religionis regulâ scriptum reperiatur: nemo quidquam „ jure vocare possit in dubium „. Et quidem memoratam Gregorii sententiam non sic intelligunt Theologi, ut omnis negetur dilectionis necessitas; sed ut variæ intentiones bonæ, & perutiles indicentur, quibus diversæ hominum classes, quoniam Spiritus Sanctus in singulis, prout vult, spirat, in plerisque se stimulant virtutum exercitiis, & Gregorius, ut amplius pergant, exhortatur.

Gregorius quoque Magnus Pontifex in libri 1. Regum caput 12. lib. 5. cap. 2. de Deo ait: *Cui in veritate servimus, quando ejus præcepta pro sola superna retributione perficimus*. Finio cum Doctore Angelico opusculo de dilectione cap. 22. *Voluntate Deum diligis dilectione concupiscentiæ, cùm ipsum vis: hæc est bona voluntas; imò optima, qua vult summum bonum*; quamvis voluntas melior sit, cùm diligit Deum amore benevolentiæ. Non igitur in vanum curritur, quoties ex alio impulsu, & alio motivo curritur, quàm charitatis.

QUIN-

Quinquagefimafexta Propofitio damnata.

Deus non remunerat, nifi charitatem; quoniam charitas fola Deum honorat. *Obferv. Moral. in Matth. cap. 28. verf. 36.*

CAPUT I.

Propofitionis impugnatio.

1 Quifquis præfentem cum fuperiore Propofitione contulerit, facilè videbit, omnia contra illam difputata, huic pariter inimica effe; quapropter liceret mihi hìc effe breviffimo. Non eft tamen filentio prætereundum, quòd præfens articulus priorem fuperet extenfione malitiæ, & falfitatis: nam prior *coronari* negans ulla opera præter *charitatem*, fubtrahebat cæteris folius æternæ, quæ in cœlis obvenit, beatitudinis retributionem; præfens verò articulus *remunerationem* omnem, cujufcumque ordinis, etiam temporalis, denegans, præterquam charitati, incongruos Divinæ bonitati, ac juftitiæ limites præfcribit.

Quod ad probandas actiones finè fide innocuas adduxi alibi exemplum Regis Nabuchodonoforis, videtur etiam contrarium præfenti articulo. Si enim Scripturæ verba acceperis fenfu obvio, indicant non folùm charitati; fed etiam actibus inferioribus accedere retributionem. De illo itaque Rege, & ejus exercitu infideli fic loquitur Deus. Ezechiel. cap. 29. „Nabuchodonofor Rex Babylonis fervire fecit „exercitum fuum fervitute magnâ adverfus Tyrum..... & merces non eft reddita ei, neque exercitui ejus de Tyro, pro „fervitute, qua fervivit mihi adversùs „eam. Propterea hæc dicit Dominus „Deus: Ecce dedi Nabuchodonofor Regem Babylonis in terram Ægypti, & accipiet multitudinem ejus, & deprædabitur manubias ejus, & diripiet fpolia ejus, „& erit merces exercitui ejus„. In quem locum S. Hieronymus, judicio Ecclefiæ *in exponendis Scripturis Doctor maximus* fic animadvertit: *Ex eo, quòd Nabuchodonofor mercedem accepit boni operis, intelligimus, etiam Ethnicos, fi quid boni fecerint, non abfque mercede, Dei judicio præteriri.*

Bellarminus quoque libro 5. de gratia, & libero arbitrio cap. 9. eundem Ezechielis textum adferens fic animadvertit: „Exercitus ille finè dubio infidelis erat; & tamen, quia fideliter regi fuo fervivit in „bello jufto contra Tyrum, quam urbem „ob fua peccata Deus everti volebat, ideo „mercedem illi reddidit, donans ei mirabili providentiâ fpolia Ægypti, quæ propter fcelera quoque fua fpoliari meruerat„. Non exiftimo Quefnellum, aliàs infidelibus omne gratiæ fubfidium adimentem, atque omnia eorum opera annumerantem vitiis, hìc Regi Nabuchodonofori, & exercitui ejus attribuere charitatem.

Confentit Hieronymo Chryfoftomus homil. 67. ad populum Antiochenum dicens: „Non poteft malus omnino malus „effe; fed evenit, ut aliquid habeat boni... cùm itaque malus profperis utitur „rebus, ad capitis fui perniciem utitur; ut „enim illorum paucorum retributionem „hic capiens, illic deinde puniatur, hac de „caufa recipit„. In quem locum ita Bellarminus lib. 5. de gratia, & libero arbitrio cap. 9. „Loquitur Chryfoftomus de omnibus malis, etiam infidelibus; generatim „enim dicit, nullum effe malum, qui non „habeat aliquid boni: & loquitur de opere bono, non ex genere tantùm; fed fimpliciter; quia opponit illud peccato, & „mercedem illi debitam affignat.„

Author operis imperfecti in Matth. homil. 26. „Si autem infidelis fecerit opus „bonum, hic ei prodeft opus ipfius, & hic „ei reddit Deus bona pro opere fuo: in illo autem feculo nihil ei prodeft. Nec „enim collocatur inter cæteros fideles „propter opus fuum, & juftè; quia naturali bono motus fecit bonum, non propter Deum.

2 Sanctus Auguftinus lib. 5. de civitate cap. 12. *Romani juftitiâ, & actibus ftrenuis promeruerunt à Deo imperium*; attamen finè charitate, utpote infideles. Cùm autem juftitiâ, & actibus fuis ftrenuis à Deo promeruerint imperium, dubitari non poteft, quin ea ipfis remuneratio obvenerit, tefte Auguftino Epiftola 5. ad Marcellinum: „Rempublicam primi Romani conftituerunt, auxeruntque virtutibus: etfi non „habentes veram pietatem erga Deum verum, quæ etiam eos in æternam civitatem poffet falubri religione perducere;

„Deus

„ Deus enim sic ostendit, quantum valerent civiles, etiam sinè vera religione virtutes „. Unde S. Salesius lib. 11. de amore Dei cap. 13. dicit: „ Cùm ratio naturalis sit arbor bona, quam Deus in nobis plantavit, certè fructus ex eo provenientes non possunt non esse boni. Fructus quidem boni sunt; sed comparati iis, qui procedunt ex gratia, sunt perquam exigui pretii, & valoris; non ideo tamen nullius; siquidem Deus illos laudavit, & bonis temporalibus, quin & secundùm S. Augustinum morales Romanorum virtutes magnitudine, & magnificâ imperii famâ, existimatione, & commendatione apud exteras gentes compensavit „. Inveniat Quesnellus, si potest, in gentilium eorum actibus charitatem. Si non potest, quia, teste Apostolo ad Hebræos cap. 11. *Sinè fide impossibile est placere Deo*, discat, præmium à Deo non uni tantummodo tribuendum virtuti.

Verùm minoris ista momenti remuneratio est temporalis solùm, & terrena; cœlestem autem, & perpetuam præstari actibus, etiam charitate inferioribus, ostendi copiosè contra articulum præcedentem toto capite 1. ex Scripturis, secundò ex patribus, Conciliis, atque ipsa olim Sorbona: deinde in objectionum depulsione capite 7.

3 Pars secunda præsentis articuli abunde confutata videri poterit in superiore articulo cap. 3. ex Scripturis; cap. 4. ex SS. Patribus, præcipuè Augustino; cap. 5. ex Scholæ Principibus; cap. 6. ex Tridentino Concilio, & definitionibus Pontificum. Probationibus invictis accedit confirmatio cap. septimo, quæ omnia Lector contra præsentem articulum applicatione perfacili transferet.

Breviter hic animadvertere sufficiat, Quesnellum pleraque justis merita adimere, dum sola charitas ab ipso digna præmio censetur: neque charitatis nomine ab ipso intelligitur quilibet affectus erga Deum benevolus; sed amor super omnia, & se ipso justificans, qualis describitur in Decalogo *ex tota mente, & ex totis viribus*: qui actus Augustino valde arduus est libro de duabus animabus cap. 8. *Converti ad Deum nemo, nisi qui ab hoc mundo se averterit, potest. Hoc ego mihi arduum, & difficillimum sentio: vobis si facile est, ipse Deus viderit*.

Quid igitur horribilius, quàm omnia opera misericordiæ, sive ad corpus, sive ad animum pertinentis, tantopere à Christo commendata veluti cœlestis regni præmio donanda, nihilominus velut inutilia rejicere, & omni penitùs spoliare mercede? Eàdem privare reliquam omnem præceptorum, consiliorumque observationem, etiam propositarum à Christo beatitudinum? Omnes afflictationes corporis; denique virtutum omnium, sive divinarum, sive moralium exercitia?

Crescit enormitas erroris, & in omnium fidelium animis crescere debet ejus execratio, accedente secundâ articuli parte, quæ est quasi ratio prioris, *quoniam charitas sola Deum honorat*. Quid nempe adversùs virtutes cæteras theologicas, & morales dici potuit contumeliosius, quàm quòd ad Dei honorem nihil conferant? Quomodo opinio tam absona, tam remota ab omni sano hominum sensu, repugnans naturæ lumini, nullo nixa Scriptorum veterum, aut recentium suffragio, venire in mentem Quesnello potuit, & inter eos, qui sapientes videri volunt, conciliare sibi vindices obstinatos?

Captivare intellectum in obsequium fidei, credere Dei testimonio magis, quàm oculis suis, ut credidit Abraham res creditu difficillimas *in spem contra spem*, atque ita maximam Divino Eloquio exhibere reverentiam, omnium mortalium judicio est honorare Deum, sicut est honorem Deo debitum detrahere, nolle ejus assentiri testimonio.

Ita inter homines ratione præditos immanis reputatur injuria, & honoris detractio, fidem negare viro fide digno, & velut sibi compertissima affirmanti. Spes quoque, quâ Dei fruitio ab humanis sensibus tam remota, nihilominus præfertur rebus omnibus, quæ in mundo sunt, & infirmitatem humanam potentissimè alliciunt, maximè Deo honorifica est, & summæ laudi vertitur ejus gratiæ; utpote, quæ tam gloriosum de omnibus mundi, & carnis illecebris, naturæ adeò fragili pepererit triumphum.

4 Ideo S. Augustinus in Enchiridio cap. 3. ait *Fide, spe, charitate colendum Deum*. Timore autem Deum honorari, docet idem Sanctus in Psalm. 149. *Nisi timore incipiat homo Deum colere, non pervenit ad amorem. Initium Sapientiæ timor Domini*. Agere hic Augustinum de formidine, quæ neque simul amor sit, neque ex amore proveniat, patet ex eo, quòd timor statuatur velut necessaria ad amorem dispositio. Quapropter Sanctissimus Doctor ibi sic concludit: *Incipit ergo (Deus) à vinculis ferreis: finitur ad torquem auream. Dictum est enim de Sapientia: & torquem auream circa tuam cervicem: non tibi imponeret torquem auream, nisi primùm in*

in compedibus ferreis te alligasset. Sed cœpisti à timore: consummaris à Sapientia (seu charitate).

Religio quoque virtus non theologica; sed moralis est; proinde non charitas: attamen illâ Deus maximè honoratur. Quod multis confirmat Angelicus 2. 2. quæst. 81. ubi articulo 1. refert, & approbat illud ex Tullio Cicerone: *Religio est virtus, quæ Superioris cujusdam naturæ, quam Divinam vocant, cultum, ceremoniamque affert*: Ibidem S. Doctor ex Augustino lib. 10. de civitate Dei cap. 1. ait: *Religio distinctiùs non quemvis; sed Dei cultum significare videtur*. Eâdem quæstione articul. 5. concludit Angelicus: *Religio non est virtus theologica, cujus objectum est ultimus finis; sed est virtus moralis*. Quæst. 83. art. 3. *Respondeo dicendum, quòd sicut supradictum est Quæst. 81. ad religionem propriè pertinet, reverentiam, & honorem Deo exhibere: & ideo omnia illa, per quæ Deo reverentia exhibetur, pertinent ad religionem. Per orationem autem homo Deo reverentiam adhibet; in quantum scilicet ei se subjicit, & profitetur orando, se eo indigere, sicut authore suorum bonorum. Unde manifestum est, quòd oratio est propriè religionis actus*. Ex quibus omnibus aperta fit, & irrefragabilis conclusio, Religione Deum honorari, & oratione, quæ religionis quædam species est; quamvis neque hæc, neque illa sit charitas; sed ad virtutem tantum pertineat moralem, cujus actus cum peccati lethiferi habitu in eadem anima consistere poterit.

Quot sacras ceremonias in antiquo, & novo fœdere, quot modos colendi, & honorandi Deum religio complexa est! hos omnes velut nullius valoris, & ad Dei cultum, atque honorem inutiles contemnit Propositionis author, cultum Dei universum circumscribens solâ charitate. Hæc inter cæteras, quæ Constitutione UNIGENITUS damnantur, propositiones mirificè placêre debuit hæreticis, quorum omnis religio, abrogatis Ecclesiæ ceremoniis, velut superfluis, & ad Dei cultum, honoremque inutilibus, in solâ prætensâ fide, & charitate constituitur. Videtur autem Quesnellus etiam quosdam hæreticos superare, dum ipsam cum religione fidem à Dei cultu excludit, veluti quâ Deus minimè honoretur.

5 Non tam arctis limitibus ab Augustino honor Dei restringitur, cùm eum ad actus quoslibet honestos simul, & vitio vacuos extendit in Psalm. 34. Concione 2. à me citatâ sæpius, &, ut adversariorum eamdem semper cramben recoquentium, frangamus pertinaciam, numquam satis iterandâ. *Suggero remedium, unde totâ die laudes Deum, si vis; quidquid egeris, bene age, & laudasti Deum. Quando cantas hymnum, laudas Deum; quoties tu cessasti ab hymno cantando, discedis, ut reficiaris; noli inebriari, & laudasti Deum. Negotia agis? Noli fraudem facere, & laudasti Deum*. Quam sententiam approbat, & adoptat Angelicus ipsis Augustini verbis lectione 7. in 1. Cor. 10.

Iterum Augustinus in Psalm. 146. „Si „ ergo bene agis, & quod manducas, & bi„ bis, & ad refectionem corporis sumis, „ reparationemque membrorum, gratias „ agens ei, qui tibi præbuit ista solatia, & „ cibus tuus, & potus tuus laudat Deum.. „ Post cibum, & potum requiescas, ut dor„ mias, nec aliquid turpiter agas,.... sit „ castus cum conjuge thorus, &, si est cura „ propagandi liberos, non sit effrænata lu„ xuries libidinis &c. Quid si somnus adve„ nerit, & cùm dormis? innocentia somni „ tui laudat Deum. Laudas, cùm agis ne„ gotium: laudas, cùm cibum, & potum „ capis: laudas, cùm in lecto requiescis: „ laudas, cùm dormis.

Diceine *Observationum* author, memoratis quidem actionibus *laudari* Deum; sed non *honorari*? Non existimo, ausurum tam futili explicatione eludere Hipponensis simul, & Aquinatis sententiam. Ineptissimus fuisset Augustinus Ecclesiastes, nec melior Ecclesiæ Doctor cum Angelico, si Christianos, si pios, & religiosos tanto studio, tantâ eloquentiâ hortati fuissent ad laudes Deo persolvendas; quibus eum scirent minimè *honorari*. Ita decepissent Doctores illi Ecclesiam, & hominum saluti, profectuique in virtute pessimè consuluissent, rebus eos ad Dei gloriam inutilibus, suæque propterea saluti, perfectionique minimè conducentibus detinendo.

6 Procul ab hoc Quesnelli errore abfuêre tres pueri Danielis cap. 3., qui suo cantico *Benedicite* res omnes, etiam rationis expertes, & inanimes, proindeque charitatis incapaces, ad Deo benedicendum, eumque perpetuò laudandum invitabant. Invitat, & Ecclesia quotidie in Horis canonicis: neque utiliorem, & magis piam Sacerdotibus occupationem, atque gratiarum actionem statim à sacrificio præscribere potuit.

7 Damnatus ille *Observationum* error pridem fuit ab Alexandro VIII. in multis Propositionibus inter 31. quarum 14. est: *Timor gehennæ non est supernaturalis*: si enim supernaturalis est, fieri non potest, quin illo Deus

Deus honoretur; non igitur honoratur sola charitate. 15. *Attritio, quæ gehennæ, & pœnarum metu concipitur sinè dilectione benevolentiæ Dei propter se, non est bonus motus, ac supernaturalis*. Valet hic eadem nota, quæ circa articulum superiorem. Si enim *attritio* illa bonus motus est, ac supernaturalis, ut definit Pontifex, Deum per ipsam honorari, nullus sanæ mentis, nec ipse Quesnellus inficiabitur. Art. 10. *Intentio, quâ quis detestatur malum, & prosequitur bonum, merè ut cœlestem obtineat gloriam, non est recta, nec Deo placens*. Si intentio ea recta foret, ac placens Deo, ut est certissimè, quomodo fieri posset, ut in Dei honorem, & gloriam non cederet? 12. *Quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor, deficit etiam fides, &, etiamsi videantur credere, non est fides divina; sed humana*. Si enim sinè omni amore fides divina maneat, placet indubiè Deo, & eum honorat, licèt subjectum peccatis gravibus inquinatum displiceat.

Ejusdem *observationis* erroneæ condemnatio reperitur in proscriptione Articuli Bajani 16. *Non est vera legis obedientia, quæ fit sinè charitate*; quia, si ea est vera legis obedientia, Deo certissimè honori, & gloriæ esse deprehenditur, atque ita non sola charitas Deum honorat.

Eadem *Moralis Observatio* repugnat clarissimè Concilio Tridentino sess. 14. cap. 4. definienti, attritionem, prout ibi describitur sinè charitate, *Donum Dei esse, & Spiritûs Sancti impulsum*; Quomodo enim donum Dei, & Spiritûs Sancti impulsus, ad Dei gloriam, & honorem non pertineat? Præsens itaque Quesnelli Propositio non solùm pluribus Superiorum Pontificum definitionibus, sed etiam Tridentinæ clarissimè adversatur.

CAPUT II.

Diluuntur argumenta adversariorum.

1 Tres è Scripturis Sententias nobis statim Hexapla intorquent, è quibus duæ priores nihil ad propositam attinent Quæstionem: tertia etiam superiore articulo cap. 7., & sæpe aliàs adversariis erepta est. Primo itaque loco hic nobis objicitur illud Christi Lucæ 7. *Propter quod dico tibi: remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum; cui autem minus dimittitur, minus diligit*.

Gregorius Magnus Homilia 33. *Incendit* (inquit) *planè peccati rubiginem, quia ardet validè per amoris ignem; tantò namque ampliùs peccati rubigo consumitur, quantò peccatoris cor magno charitatis igne concrematur*. Bernardus Epist. 107. *Libenter Dei amor nostrum, quem prævenit, subsequitur; nam quomodo redamare pigeat, quos amavit necdum amantes?* Verùm neque ex illa Christi, neque ex ullius Patris, aut interpretis sententia sequitur, nullius virtutis, præterquam charitatis exercitium Deo gratum esse, nullum ad Dei pertinêre gloriam, nullum ab ipso accipere retributionem. Oppositum potiús ex eo colligit Ambrosius: *Non enim*, inquit, *unguentum Dominus; sed charitatem dilexit, fidem suscepit, humilitatem probavit*.

Ab Euangelio dilabuntur Hexapla ad illud Apostoli 1. Cor. 8. *Si quis autem diligit Deum, hic cognitus est ab eo*. Verba Apostoli audio: & quis non intelligat? Connexionem autem eorum cum damnato articulo non arbitror ipsos cernere Jansenistas; sed ad circumventionem simplicium ostentandum aliquid ex sacris literis fuit, ut morem suum Hexapla retinerent, qui est errori cuilibet patrocinantes fingere Scripturas, & Spiritum Sanctum pro oraculis mendacia profundentem.

Reducitur & illud 1. Cor. 13. *Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum ita, ut ardeam; charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest*. Cujus loci interpretationem Catholicam, atque adeò Quesnelli erroribus minimè suffragantem dedi tum ad priorem art. cap. 7., tum alibi sæpius. Sensus nempe à Doctore Angelico, & omnibus Catholicis agnitus est, quòd extra statum gratiæ, seu charitatis, nihil prosint eleemosynæ, aut quorumlibet toleratio suppliciorum, etiam mortis. Sed inde quis sapiens deducat, nullam in statu gratiæ mercedem tribui eleemosynis, & aliis misericordiæ, ac pietatis operibus toties à Deo in sacris literis promissam, neque illis Deum; sed solâ honorari charitate? Dispar maximè ratio est, quòd in casu Apostoli homo Dei inimicus, quamdiu in eo statu manserit, non possit apud eum dignus esse præmio; sed amicus, & filius cur solo dilectionis, & non etiam fidei, spei, obedientiæ, & quorumliber præceptorum, consiliorumque divinitus inspiratorum adimpletione præmium mereatur? Cur ex tot sanctissimis exercitiis nihil Divino cultui, honorique accedat?

2 Ex Augustino objicitur illud libri de gratia Christi cap. 26. *Ubi non est dilectio, nullum bonum opus imputatur, nec rectè bonum*

num opus vocatur; quia omne, quod non est ex fide, peccatum est; & fides per dilectionem operatur. Gratiam Christi, quæ voluntatem afficit, eam alliciens, movens, cum ea operans bonum, variis ab Augustino nominibus appellari, aliàs monui, adductis exemplis compluribus; idque pridem à Scriptoribus polemicis, præsertim contra Jansenii hæresim, observatum, nominatim ab eruditissimo Stephano de Champs novæ istius sectæ mastyge præcipuo in celebri opere *De hæresi Janseniana* lib. 3. Disp. 3. cap. 16. ubi inter gratiæ illius appellationes non infrequens venit *dilectionis* nomen, subinde etiam *charitatis*. In adducta contra nos lacinia hanc esse vocis *dilectio*, & *charitas* in Augustino significationem, indicant circumstantiæ; cùm illic omne Augustini studium sit, contra Pelagium, & Cœlestium stabilire Christianæ gratiæ in voluntate hominis necessitatem. Et quidem hic post citata verba statim subditur „ Ac per hoc „ gratiam Dei, qua charitas Dei diffundi- „ tur in cordibus nostris per Spiritum „ Sanctum, qui datus est nobis, sic confi- „ teatur, qui vult veraciter confiteri, ut „ omnino nihil boni sinè illa, quod ad pie- „ tatem pertinet, veramque justitiam, fieri „ posse non dubitet.

Qui verò absque dilectionis impulsu nullum in actibus nostris meritum agnoscunt propriè dictum, sive de condigno, dilectionis nomen in sensu magis obvio accipientes, si hanc sibi Augustini sententiam vindicare voluerint, & *boni* nomine intelligere perfectius, seu meriti capax; aut quæcumque alia probabilis sententia, sive interpretatio magis alteri placuerit, non obsistam; satis enim mihi est, excludere illam, quam cum definitis sæpe antea, atque indubitatis Augustini dogmatibus minimè consistere à me superiùs demonstratum est. Potest quoque in Patrum sententiis occurrere, quod in Scripturis Sacris omnes interpretes profitentur, ut significationes plures invicem non contrariæ intentæ fuerint, vel esse potuerint ab authore.

Quidquid sit, sequenda hic, ut in cæteris, legitima, & apud omnes Catholicos receptissima interpretandi regula, de non opponendis invicem; sed, quantùm fieri potest, conciliandis inter se ejusdem Patris sententiis, maximè verò cum definitis Ecclesiæ dogmatibus. Constat autem ex Augustini textibus multis, & clarissimis à me sæpius allegatis, agnosci ab eo absque benevola dilectione Dei actiones bonas, Deo placentes, mercede etiam ab eo donatas, & ad impetranda ulteriora beneficia, atque auxilia idoneas, etsi non capaces meriti propriè dicti, quod de *condigno* appellatur. De perfectæ igitur istiusmodi bonitatis operibus intelligendus est Hipponensium Antistes, dum negat, rectè bona vocari, quando Dei abest dilectio. Denique, licèt nihil boni foret, licèt nullo honoraretur Deus, nulli præmium concederet ante dilectionem, non ideo tamen, illâ accedente, cætera, quæ eam comitantur, inferiorum virtutum exercitia omni destituerentur præmio, aut Deo grata esse desinerent, eumque honorare. Quapropter nè sic quidem defenditur Propositio, *Deus non remunerat nisi charitatem; quoniam sola charitas Deum honorat*.

3 Opponitur ab adversariis etiam illud Augustini ex epistola 167. num. 11. *Quid est pietas, nisi Dei cultus? Et unde ille colitur, nisi charitate?* Agitur de cultu non qualicumque, etiam imperfecto, sed strictissimè, & antonomasticè dicto, ut patet ex sequentibus: „ Charitas igitur de corde puro, & „ conscientiâ bonâ, & fide non ficta, ma- „ gna, & vera virtus est, quia ipsa est & „ finis præcepti. Meritò dicta est fortis sic- „ ut mors; sive quia nemo eam vincit, sicut „ mortem; sive quia in hac vita usque ad „ mortem est mensura charitatis, sicut Do- „ minus ait: Majorem hac charitatem ne- „ mo habet, quàm, ut animam suam ponat „ pro amicis suis: sive potiùs; quia, sicut „ mors animam avellit à sensibus carnis, sic „ charitas à concupiscentiis carnalibus. „

Istud etiam lector sapiens animadvertat, ex hac assumpta Augustini sententia, & ad condemnati dogmatis defensionem adhibitâ, palàm fieri, quid adversarii nomine *charitatis* intelligant, non qualemcumque scilicet amorem Dei benevolum; sed justificantem; sive *charitatem*, quæ sit *de corde puro*, & conscientiâ bonâ, quæ sit *magna, & vera virtus*, quæ sit *finis præcepti*, quæ *meritò dicta est fortis sicut mors*, *quia nemo eam vincit &c.* Si ea sola, ut contendunt adversarii, Deum honorat, si eâ solâ Deus colitur, ô Superi! Quàm arctis limitibus cultus Dei restringitur! Quàm exiguus est piorum actuum numerus! Tam horridum dogma hactenus Ecclesia ignoravit, nisi ut in novatoribus condemnaret, quale est istud Baji 16. *Non est vera legis obedientia, quæ fit sinè charitate*.

4 Similis ei, qualis à me data est, interpretatio convenit textui, qui allegatur ex epistola 186. aliàs 106. num. 7. *Sola charitas bene operatur*. Accipe sententiam integram, & à *Collatoris* perfidia liberatam: *Si quis*

quis autem dixerit, quòd gratiam bene operandi fides mereatur, negare non possumus; imò verò gratissimè confitemur. Hanc enim fidem volumus habeant, quâ impetrent charitatem, quæ sola VERE bene operatur. Quam Augustinus sui temporis hæreticis, nos etiam ævi nostri erroribus peroptamus, ut hanc fidem habeant, qua impetrent charitatem, quæ sola *verè bene* operatur. Etsi enim Quesnelliani in hæreticos, atque adeò in se ipsos nimiùm severi, omne eis gratiæ auxilium, omne opus bonum denegent; Catholici tamen Scripturarum, Patrum, Pontificum definitionibus edocti, neutrum hæreticis prorsus subtrahunt; sed *verè*, seu perfectè bonum, quale solum est, quod meriti capax ad æternam valeat perducere salutem. Hæc, ut *veri boni* apud Augustinum, & cæteros passim Scriptores mysticos appellatio familiaris est, sic quoque passim apud eosdem *verè bene* operari est agere sic, ut gratiam mereatur, atque beatitudinem; quod non impedit, quin aliæ quoque dentur actiones bonæ, ordinis inferioris, etiam per auxilium gratiæ, quos Dei clementia subinde efficit in peccatoribus tum hæreticis, tum orthodoxis. Quem Sanctissimi Doctoris sensum nè perciperemus, adversarius corruptè ejus textum retulit, rescindendo non solum adverbium *verè*, sed totam etiam præcedentem periodum: *Hanc enim fidem volumus habeant, qua impetrent charitatem*, quaque totum evertitur novaturientium systema.

Si enim Augustinus Pelagianis hæreticis hanc fidem ut habeant, inculcet, qua impetrent charitatem, igitur *prima gratia*, quam eis Deus concesserit, non fuit *peccatorum remissio*, ut asserit art. 28.; Quia *fides charitatem impetrans* juxta omnes Catholicos contra Pelagium, necessariò est ex gratia, imò per articulum 27. *Fides est prima gratia, & fons omnium aliarum.*

Præterea si in Augustini hypothesi fides impetret charitatem, quæ non fuisse supponitur, antequam impetraretur, evidens est, fidem illam charitati præviam, fuisse bonam, & hominem credendo bene operatum, licèt non *verè*, seu perfectè *bene*, quod juxta phrasim, & sensum Augustini soli competit charitati.

Denique, si fides nondum imbuta charitate eam *impetret*, necesse est, fide illâ Deum honorari, & non solâ charitate; unde ex ipsa, quæ nobis corruptissimè objecta est, Augustini sententiâ, convincitur falsitatis articulus asserens, quod *sola charitas Deum honoret*.

Manifestiùs quoque corruunt non pauci detestabiles articuli præcedentes: videlicet 44. „ Non sunt nisi duo amores, unde „ volitiones, & actiones omnes nostræ nascuntur; amor Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur; & amor, quo nos ipsos, ac mundum diligimus, qui quod ad Deum referendum est, non refert, & propter hoc ipsum fit malus. 45. Amore Dei in corde peccatorum non ampliùs regnante, necesse est, ut in eo carnalis regnet cupiditas, omnesque actiones ejus corrumpat. „ 46. Cupiditas, aut charitas usum sensuum bonum, vel malum faciunt. 47. Obedientia legis profluere debet ex fonte, & hic fons est charitas; quando Dei amor est illius principium interius, & Dei gloria ejus finis, tunc purum est, quod apparet exteriùs; alioquin non est, nisi hypocrisis, aut falsa justitia. 49. Ut nullum peccatum est sinè amore nostri, ita nullum est opus bonum sinè amore Dei. „ 50. Frustrà clamamus ad Deum, Pater mi, si spiritus charitatis non est ille, qui clamat. 51. Fides justificat, quando operatur; sed ipsa non operatur, nisi per charitatem. 52. Omnia alia salutis media continentur in fide tamquam in suo germine, & semine; sed hæc fides non est absque amore, & fiducia. 53. Sola charitas Christiano modo facit (actiones christianas) per relationem ad Deum, & Jesum Christum.„ 54. *Sola charitas est, quæ Deo loquitur, eam solam Deus audit*. Ac denique præsens. 56. Quòd *sola charitas Deum honoret*.

Si enim *charitas*, quæ nondum adest, *impetrari* valeat per *fidem*, sicut ex Doctore Maximo discimus, patet, non solâ charitate Deum ab homine honorari; sed etiam fide: hanc quoque Deo loqui, & ab ejus clementia exaudiri; hac fide, dum gratia charitatis petitur, actionem esse Christianam, & Christiano modo exercitam; patet denique, fidem utilem, ad obtinendam mediâ charitate justitiam, posse esse ante charitatem, antequam scilicet eam petendo impetraverit.

Ex eodem Augustini principio clarissimè sequitur, neque fidem semper justificare, neque operari semper per charitatem; quando nempe per fidem charitas postulatur; quia hæc uti precibus, ita & fide posterior est. Sic etiam non frustrà clamamus, Pater mi, dum spiritus charitatis, qui nondum obtigit, fidei, & conceptis ex ea precibus conceditur. Si autem fides, etiam amori

amori prævia non esset bona, ipsam amoris gratiam non obtineret, ut, Augustino teste irrefragabili, *Fides impetrat charitatem*. Dum hæretici errorem abdicantes ad fidem redeunt, & Ecclesiam; quæ legis obedientia, etsi ex charitate non profluens, non est tamen hypocrisis, aliàs charitatem minimè impetratura. Ad fidem rediens, si eam ore, & scripto profiteatur, hunc usum sensuum neque charitas bonum facit, quæ supponitur nondum impetrata, neque tamen eundem sensuum usum cupiditas semper efficit malum; alioqui fides, & ejus externa confessio numquam foret impetrandæ charitati idonea.

Denique necesse non est, amore in peccatorum cordibus non ampliùs regnante, absolutum adeò tenere cupiditatem imperium, ut inducatur actionibus omnibus corruptio: neque ex fonte nascitur virulento, aut vitium contrahit omnis volitio, & actio, quæ non profluit ex amore Dei omnia agente propter Deum, quemque Deus remuneratur. Si enim omni fidei, charitatem præeunti, maculam aspergeret cupiditas, aut aliunde oriretur vitium, fieri non posset, ut charitatis gratiam ea fides obtineret, & non potiùs accersendo sibi supplicio, quàm impetrandæ majori gratiæ accommodata censeretur. Quapropter adversarios, nisi quibus intellectum obcæcaverit pertinacia, procul dubio jam piget objectionis suæ tam improvidæ, qua se constringi ineluctabiliter conspicantur; sed non credidere detegendam fallaciam, dum Augustini sententiam proposuêre tam callidè mutilatam.

5 Figurata locutio Augustini est epistola 177. aliàs 96. num. 17. *Charitas sola non peccat*: ubi ponitur contentum pro continente, charitas pro eo, qui charitatem habet. Perspicuus hic redditur S. Doctoris sensus, si non nimis mutila, ut ab adversariis refertur; sed utcumque integra attendatur locutio, ut hic sequitur: *Illud, quod scriptum est, qui natus est ex Deo, non peccat* (1. Joannis 3. vers. 9.) *secundùm ipsam charitatem dictum est, quæ sola non peccat*: ubi patet, Augustini sententiam accipiendam, veluti conformem sacro textui Joannis, ubi directè agitur de homine, qui natus est ex Deo, indirectè autem de *ipsa charitate*, qua homo ex Deo natus est. Impia autem Augustinianæ locutionis, atque adeò ipsius Apostolici textûs ab adversariis conficta est interpretatio, quasi omnis fides, spes, religio, omnis misericordia, & quælibet alia virtus, si à charitate præscinditur, peccatum sit, sive peccatum committat.

Sensus itaque verus, & Catholicus tum Hipponensis Antistitis, tum S. Joannis est, quòd, qui per charitatem ex Deo natus est, non peccet, saltèm graviter, seu lethiferè, quæ solius charitatis, non alterius virtutis inferioris prærogativa est; cum fide enim & spe infusis, cum virtutum moralium acquisitis habitibus consistere in eodem homine peccatum, agnoscunt omnes Theologi, si novaturientes exceperis, Bajanâ fuligine afflatos, qui nihil boni operis, vel immunis à vitio reputant sinè charitate. Quid igitur talibus contra nos argumentis proficiunt adversarii, nisi ut animi sui venenum semper ampliùs prodant, & damnatorum dogmatum sensum magìs, quàm præ se aliàs illa ferrent, Catholicis execrabilem. Ex talibus enim objectionibus certiores reddimur, in proscripto articulo nomine charitatis intelligi ab ejus authore, & ejusdem defensoribus non aliam, quàm justificantem, quâ homo *natus est ex Deo*, & quæ nullum secum patitur peccatum, saltèm mortiferum.

Quod autem in Propositione dicitur *charitas sola Deum honorat*, ita accipi cupiunt, ut sola charitas Deo honorem non auferat, juxta illud suum *sola charitas non peccat*. Verebantur scilicet, nè si talia non ingererent, non satìs pestiferum appareret illud *sola charitas Deum honorat*; nunc autem congruere volunt etiam pluribus ante damnatis erroribus, quales sunt Bajani decimus sextus: „ Non est vera legis obedientia, quæ fit „ sinè charitate. 38. Omnis amor creaturæ „ rationalis aut vitiosâ est cupiditas, quâ „ mundus diligitur, quæ à Joanne prohibetur; aut laudabilis illa charitas, qua per „ Spiritum Sanctum in corde diffusâ Deus „ amatur. 35. Omne, quod agit peccator, „ vel servus peccati, peccatum est. 40. In „ omnibus suis actibus peccator servit dominanti cupiditati „ nisi dum charitate justificante convertitur.

Eadem adversariorum objectio stabilit errores novem inter 31. ab Alexandro VIII. proscriptos, nempe septimum cum octo illic sequentibus. Ita permittit Divina providentia, ut hæretici, quando locutionibus subdolis, & erroris venenum pietatis larvâ occultantibus, pessumdare moliuntur simplicium fidem, ab Ecclesia condemnati dissimulare nequeant impietatem, quin illa in eorum vindiciis subinde foràs prosiliat apertiùs, dum magìs fuerat tenebris involvenda.

Percipis hìc itaque, Lector, sensum Quesnelliani vindicis, & sociorum. Augu-

stinianum superiùs dedi; Thomistarum etiam Joanni Apostolo, & Augustino consonum accipe ex Angelici in Joannem Commentario: „ Qui natus est ex Deo, peccatum non facit, scilicet mortale, quod „ est contrarium generationi spirituali; & „ intelligendum est cum reduplicatione, „ in quantùm scilicet ex Deo natus est. Vel „ intelligendum est conjunctim, quamdiu „ natus, id est, nativitatis gratiam custodit, „ peccatum, inquam, non facit, scilicet „ mortale. Vel loquitur de eo, qui natus „ est ex Deo non solùm per præsentem ju„ stitiam; sed & per prædestinationem „ æternam: & talis peccatum non facit fi„ naliter, quia tale peccatum repugnat „ prædestinationi. „ Nihil in toto hoc Commentario est, neque alibi apud Angelicum, quod faveat novitati.

6 Denique ex Augustino objicitur epistola 167. num. 15. *Ut generaliter, breviterque complectar, quam de virtute habeam notionem, quod ad rectè vivendum attinet; virtus est charitas, qua id, quod diligendum est, diligitur*. Si veritatem diligerent adversarii potiùs, quàm novitatem, non studio conquirerent affundendas luci tenebras, neque ut charitatis theologicæ, & inter virtutes theologicas Principis stabilirent in omnibus bonis actibus necessitatem; sed se converterent ad eas Augustini sententias, in quibus certissimè sciunt, S. Antistitem charitatis vocabulum significatione amplissima accepisse, ut lib. 8. de Trinitate cap. 10. *Quid est dilectio, vel charitas, quam tantopere Scriptura Divina laudat, & prædicat, quàm amor boni?* Amor scilicet, Divinâ auxiliante gratiâ, elicitus. Cujus explicationis clarissimum in Augustino exemplum est, lib. 1. de gratia Christi cap. 21. & 24.

Postquam enim S. Doctor priore loco dixerat: *Quasi verò aliud sit bona voluntas, quàm charitas*, cap. 24. hujus bonæ voluntatis exemplum statuit in Assuero, quando, deliquium patiente Esthere, convertit Deus, & transtulit indignationem ejus in lenitatem: Et paulò post: *Legant ergo*, inquit, *& intelligant* (Pelagius & Cœlestius) *intueantur, atque fateantur, non lege, atque doctrinâ insonante forinsecus; sed internâ, atque occultâ; mirabili, ac ineffabili potestate operari Deum in cordibus hominum non solùm veras revelationes; sed bonas etiam voluntates*. Habemus hìc in Principe infideli conversam à Deo potestate mirabili, & ineffabili suæ gratiæ, indignationem in lenitatem: & iniquitatis propositum in *voluntatem bonam*. Quæ *bona voluntas*, inquit Augustinus, *quasi verò aliud sit, quàm charitas*. Nonnè igitur ridiculi forent adversarii, si in hoc infideli Principe *voluntatem bonam*, seu *charitatem* pro virtute theologica, vel ejus actu apud Augustinum acciperent? Sic & in objecta *virtutis* definitione *charitas* intelligenda est bona voluntas, vel bona voluntatis inclinatio, *quâ id, quod diligendum est, diligitur*.

Denique quod solùm prosternendo Quesnelli articulo sufficere debuit, inter plura Augustini testimonia, quæ attuli cap. 1., unicum hìc ad infringendam amplius adversariorum pervicaciam repetere juvat in Psalm. 149. *Audistis modò Apostolum Joannem: Timor non est in charitate; sed perfecta charitas foràs mittit timorem; quia timor tormentum habet, hoc est, vinculum ferreum: Et tamen nisi* TIMORE *incipiat homo* DEUM COLERE, *non perveniet ad amorem; initium Sapientiæ timor Domini. Incipit ergo à vinculis ferreis, finitur ad torquem auream; dictum est enim de Sapientia: Et torquem auream circa tuam cervicem. Non tibi imponeret torquem auream, nisi primùm in compedibus ferreis te alligasset. Sed cœpisti à timore, consummaris à Sapientia*. Si, ut Augustinus asserit, *homo Deum* incipiat *colere timore*, antequam perveniat ad amorem, neque ad eum perventurus sit, nisi priùs à timore cœperit, evidens est, juxta Doctorem maximum, non solâ charitate Deum honorari; sed etiam timore, & quidem charitati prævio: imò neque honorem, qui à charitate profluit, Deo obventurum, nisi timor honorificus præcessisset.

7 Nè minimum quidem difficultatis continet illud Gregorii ex homil. 25. in Euangelia num. 1. *Quidquid præcipitur, in solâ charitate solidatur; ut enim multi arboris rami ex una radice prodeunt, sic multæ virtutes ex una charitate generantur. Nec habet aliquid viriditatis ramus boni operis, si non manet in radice charitatis*. Rectè dicitur omne præceptum in sola charitate solidari; quia qui diligit, implet quod præcipitur. Præclarum texit charitatis elogium Apostolus 1. Cor. 13. *Charitas patiens est, benigna est, ... omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet*. Qui autem Deum, & proximum non diligit, facilè vacillat in particularium observatione mandatorum, & agitatus turbine tentationum dejicitur.

Verissimum quoque apud omnes est, non habere aliquid viriditatis ramum boni operis; si in radice non manserit charitatis; indubitatum enim theologis, imò omnibus christianâ doctrinâ utcumque instru-

ctis

ctis fidelibus est, omnia bona opera mortua esse, ubi charitas, quæ animæ vita est, seu status gratiæ defecerit. Nihil igitur viriditatis, nihil meriti; quia nihil vitæ continet ramus boni operis; si non manserit in radice, seu habitu charitatis. Hac autem radice suppositâ, etiam cæterarum actus virtutum capaces meriti esse possunt, & remunerationem accipere. Deum denique illis honorari, nemo hactenus præter Lutherum, & similes hæreticos, inficiatus est. Quare non immeritò nos ad bona opera cœlestium præmiorum illecebris excitamus juxta ipsius S. Gregorii monitum hom.13. in Euangelia *Restat, ut quisquis ille est, spe ad supernam patriam tendat, & nequaquam se à vitiis pro mundi hujus honestate contineat.* Rursus in lib.1. Regum cap.12. Dei cultum commendans, *cui*, inquit, *in veritate servimus, quando ejus præcepta pro sola superna retributione perficimus.*

8 Molem, credo, addere, non pondus objectionibus suis voluere Hexapla oratione Dominicæ infra octavam SS. Sacramenti, & duobus textibus libelli de Imitatione Christi; quid enim favens damnato dogmati exhibet hæc oratio: *Sancti nominis tui, Domine, timorem pariter, & amorem fac nos habere perpetuum; quia numquam tua gubernatione destituis, quos in soliditate tuæ dilectionis instituis?* mirabili profectò intellectûs acumine necesse est polleant adversarii, quando in oratione ista conspiciunt hanc Quesnelli sententiam: *Deus non remunerat nisi charitatem; quoniam charitas sola Deum honorat.* Ego verò indè oppositum colligo; frustrà enim Ecclesia *amori* jungeret *timorem*; si neque ad Dei honorem, neque ad nostram retributionem *timor* aliquid conduceret.

9 Denique frivola est objectio ex Thomæ à Kempis lib.1. cap. 15. *Sinè charitate opus externum nihil prodest; quidquid autem ex charitate agitur, quantumcumque etiam parvum sit, & despectum, totum efficitur fructuosum; siquidem magìs Deus pensat ex quanto quis agat, quàm opus quod facit.* Lib.2. cap.7. *Penè totum perdidum invenies, quidquid extra Jesum in hominibus posueris.* Iterum hìc miranda occurrit Quesnellianorum perspicacitas, qui damnati articuli hìc defensionem reperiunt. In gallico pro *penè totum*, exprimunt *totum* absolutè, rescisso adverbio, quo restringitur: quæ truncatio, etsi falsitatem non inferat sententiæ authoris; officium tamen non implet interpretis. Quid autem ad ostendendum, quòd *Deus non remuneret, nisi charitatem*, quòd *sola charitas Deum honoret*, efficere potest illud viri pii testimonium de inutilitate operum, quæ propter homines fiunt, in quibus posita fiducia solet fallere sapientes hujus seculi. Si autem quidquid ex charitate agitur, quantumcumque etiam parvum sit, aut despectum, fiat fructuosum, non igitur sola charitas remunerationem accipir, non sola honorat Deum; sed etiam quidquid fidei, spei, religionis, misericordiæ, castitatis, & cujuscumque alterius virtutis, seu boni operis ex gratia est, saltèm ubi dilectionis motivum accesserit, redditur fructuosum homini, Deoque honorificum; ad cujus cultum noscitur pertinêre.

Quinquagesimaseptima Propositio damnata.

Totum deest peccatori, quando ei deest spes: & non est spes in Deo, ubi non est amor Dei. *Observ. Moral.* 27. *vers.* 5.

CAPUT I.

Duplex propositionis error prosternitur.

1 Geminas iterum partes Propositio complectitur; neutram à temeritate, & errore vindicandam, sive eam in maximè proprio, & obvio, sive in authoris sensu cum aliarum eò spectantium enuntiationum circumstantiis acceperis. Ad primam partem quod attinet, à veritate catholica alienum est, totum deesse peccatori, quando ei deest spes; non enim, hac subsidente, necesse est illico collabatur, ac pereat fides, docente nos Tridentino Concilio sess.6. cap.7. *In ipsa justificatione cum remissione peccatorum, hæc omnia simul infusa accipit homo per Jesum Christum, cui inseritur, fidem, spem, & charitatem. Nam fides, nisi ad eam spes accedat, & charitas, neque unit perfectè cum Christo, neque corporis ejus vivum membrum efficit:* Quæ satis indicant, fidem, spem, & charitatem ab invicem distingui, & priorem posse à posterioribus separari, cùm dicitur *fides, sinè*

nisi ad eam spes accedat, & charitas &c.

Clarissimè S. Thomas 2. 2. quæstione 17. art. 7. „ Respondeo dicendum, quòd „ fides absolutè præcedit spem; objectum „ enim spei est bonum futurum, arduum, „ possibile haberi; ad hoc ergo quòd ali- „ quis speret, requiritur, quòd objectum „ spei proponatur ei, ut possibile. Obje- „ ctum autem spei est uno modo beati- „ tudo æterna, & alio modo divinum au- „ xilium, ut ex dictis patet (art. 1. & 2.) „ & utrumque eorum proponitur nobis „ per fidem, per quam nobis innotescit, „ quòd ad vitam æternam possumus per- „ venire, & quòd ad hoc paratum est nobis „ Divinum auxilium, secundum istud Heb. „ 11. accedentem ad Deum oportet cre- „ dere, quia est, & quia inquirentibus se „ remunerator est. Unde manifestum est, „ quòd fides præcedat spem.

Hactenus S. Thomas consonans Augustino Serm. 22. de Verbis Apostoli: *Domus Dei credendo fundatur, sperando erigitur, diligendo perficitur*. Ubi prior est positio fundamenti, quàm reliquæ erectio, atque perfectio fabricæ. Et libro de prædestinatione Sanctorum cap. 7. *Fides prima datur, ex qua cætera impetrantur*, spes scilicet, & charitas.

S. Hieronymus: *Fiduciæ, atque accessûs ad Deum, principium, atque origo fides in Christo est*. Si fides sit principium, & origo, seu causa fiduciæ, vel ad eam dispositio, indubiè illâ prior est.

S. Prosper lib. 3. de Vita contemplativa cap. 21. *Fides est justitiæ fundamentum, quam nulla bona opera præcedunt, & ex qua omnia procedunt*, etiam spes, & charitas. Fingi autem temere contra sensum theologorum omnium, sed nullâ ratione solidâ stabiliri potest tanta fidei, & spei connexio, ut prior à posteriore separari, sive absque ea ullo temporis spatio subsistere nequeat.

3 Nunc ad partem propositionis alteram: *Non est spes in Deo ubi non est amor Dei*, verissima foret assertio, si amor Dei intelligeretur dilectio concupiscentiæ, vel Dei amor in genere, ab utraque Divini affectûs specie, concupiscentiæ, & benevolentiæ præscindens; quia Theologis manifestum est, spem ex cœlesti concupiscentia proficisci, vel eam involvere. Verùm, cùm pridem usus invaluerit, ut Dei amor communiter accipiatur pro benevolo, sive charitate, atque ex antecedentibus, & consequentibus Quesnelli placitis constet, hunc esse præsentis articuli sensum, non minùs extra dubium omnibus theologis est, eumdem à doctrina sana, & veritate penitùs aberrare; Quia, ut docet Angelicus 2. 2. quæst. 17. art. 8. *In via generationis spes est prior charitate; sicut enim aliquis introducitur ad amandum Deum per hoc, quòd timens ab ipso puniri, cessat à peccato, ut Augustinus dicit super primam canonicam Joannis; ita etiam spes introducit ad charitatem, in quantum aliquis sperans remunerari à Deo, accenditur ad amandum Deum, & servandum præcepta ejus.* Quesnellus autem, relicto Angelico, cum quo nec in reliquis articulis quidquam habet commune, adhærere mavult Jansenio, qui tom. 3. lib. 5. cap. 9. *Spem*, inquit, *Christianam deprimunt, qui eam subtrahunt charitati, & quodam sinceritatis adulteria puritatem Divinæ, & gratuitæ charitatis in concupiscentiæ amorem, aut in mercenariæ cupiditatis fœditatem vertunt.*

4 Ea religio vanissima non incessit Sanctos, inter quos præter Angelicum, est sæpe citatus Franciscus Salesius lib. 2. de Amore Dei cap. 17. *Amor ille, quem vocamus spem, est amor concupiscentiæ, sed concupiscentiæ sanctæ, & bene ordinatæ, per quem non trahimus Deum ad nos; sed ei nos jungimus, ut finali nostræ felicitati*. Seraphicus etiam Bonaventura in 3. distinct. 27. art. 2. quæst. 2. *Quærere, & videre, & amare Deum, sicut suam mercedem, & præmium, non est quærere bonum proprium, illo modo dicendi proprium, qui sonat vitium*. Imò Gregorius Magnus in lib. 1. Regum cap. 2. ad illa verba Servite Domino ait: *Cui nimirum in veritate servimus, quando ejus præcepta pro solâ superna retributione perficimus*. Idem nos docuit Augustinus locis plurimis, inter quos est sermo 1. in Psalm. 103. n. 14. *Latitudo est in bonis operibus, ... non faciamus, nisi spe cœlestium præmiorum; Ipsa est enim altitudo. Non hic quæramus mercedem; sed sursum*. In Psalm. 120. num. 10. *Quando facis bonum opus, propter vitam æternam fac ... noli facere, nisi propter vitam æternam: ideo fac, & securus facies; hoc enim mandavit Deus.*

Hæc tamen spei commendatio minimè impedit, quin ei plurimum præferenda sit charitas; atque hujus exercitium, quantum humana fert infirmitas, perfectissimum simul, ac frequentissimum suadetur, obligante etiam sæpe, & in multis circumstantiis præcepto.

Unde perplacet monitum Cardinalis Aguirre, eximiâ ejus pietate dignissimum in theologia S. Anselmi disp. 130. sect. 15. „ Cùm tot hactenus dicta sint ad eximen- „ dos

„ dos homines fcrupulo ab adverfariis in„ jecto circa formalem, aut virtualem di„ lectionem Dei affiduam; religioni duce„ rem, meque quodammodo reum violatæ „ charitatis timerem, nifi hoc loco ad con„ tinuum ejus exercitium, fub confilio ta„ men, omnes adhortarer. Quare in pri„ mis moneo, ac theologis quibuslibet „ commendatum velim, ut qua fcripto, & „ qua vivâ voce cæteris quibuslibet incul„ cent, ac prædicent, veluti faluberrimam „ doctrinam, ut unusquifque toto animi „ ftudio, ac fervore conetur familiare fibi „ facere, & affiduum, quantum hæc vita „ fragilis, & mortalis finit, exercitium re„ ferendi fe explicitè, & omnes fuas cogi„ tationes, affectiones, verba, & opera in „ Deum propter fe dilectum. Neque enim „ contentus effe debet, fi femel in die, aut „ non numquam id faciat; fed crebrò, & „ faltèm fingulis horis oportet identidem „ ingeminare id animi facrificium longè „ gratius Deo quibuslibet aliis obfequiis „ in materia virtutum moralium, quantò „ charitas iis omnibus excellentior eft, & „ præftabilius homini, offerre fe ipfum cum „ fuis omnibus, quàm aliquid rerum fua„ rum. Apage otium iftud recentium „ Quietiftarum poft primam fuam oblatio„ nem Deo factam; quafi nihil præterea „ agendum aut laborandum fit; fed homo „ veluti inanime inftrumentum fe gerat „ ut gerere fe Quefnellum cum omnibus fuis fectatoribus neceffe eft, quibus propofitione 10. *Gratia eft operatio manûs Omnipotentis Dei, quam nihil impedire poteft, aut retardare*. Propof. 11. *Gratia non eft aliud, quam voluntas Omnipotentis Dei, jubentis, & facientis, quod jubet*. Unde fequitur pulchra illa Janfenianæ pietatis oratio, *Ita, Domine, omnia poffibilia funt ei, cui omnia poffibilia facis, eadem operando in illo*. Aliàs Prop. 3. *In vanum, Domine, præcipis, fi tu ipfe non das, quod præcipis*: in vanum fuades, hortaris; fi tu ipfe non dederis, quod fuades; quia nihil boni poffibile homini eft, nifi quod re ipfa *operaris in illo*. Sed nè nimis longa digreffio bilem moveat adverfariis, redeo ad fpem charitatis expertem, quam Janfenius, & ante ipfum Calvinus à fua procul Ecclefia eliminandam cenfuit.

5 Calvinus enim in Antidoto ad feff. 6. Concilii Tridentini can. 31. *Cùm ingenuam à filiis fuis obedientiam requirat Deus, fervile hujufmodi obfequium* (intuitu æternæ mercedis operantium) *non repudiabit modò; fed procul etiam rejiciet*. Cujus ratio generaliffima indicatur à Quefnello Prop. 46. *Cupiditas, aut charitas ufum fenfuum bonum, vel malum faciunt*. Quæ de ufu fenfuum, eadem de cæteris potentiis, five earum exercitiis ratio eft, ut inter cupiditatem, & charitatem, atque imperatos ab utraque actus nihil medium in operationibus liberis reperiatur.

Confirmat iftud perfpicuè Propof. 44. *Non funt nifi duo amores, unde volitiones, & actiones omnes nafcuntur: amor Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur; & amor quo nos ipfos, ac mundum diligimus, qui quod ad Deum referendum eft, non refert, & propter hoc ipfum fit malus*. Ex virulentis hifce fontibus neceffariò profilit ifta Quefnelliani articuli 57. quem modò difcutimus, pars pofterior, *Non eft fpes in Deo, ubi non eft amor Dei*; nequit enim effe virtutis theologicæ actus, ubi non eft nifi vitium, & infamis cupiditas. Quemadmodum autem ea articuli Quefnelliani pars ex tam venenatis profluit laticibus, ita & totus articulus novam irrigans Ecclefiam, multiplici non infæcundus monftro eft. *Totum*, inquit Quefnellus, *deeft peccatori, quando ei deeft fpes; & non eft fpes in Deo, ubi non eft amor Dei*. Peccator itaque fimul, ac charitate deftituitur, fidem amittit, fpem, & quidquid præterea eft muneris fupernaturalis; quia, ubi *totum deeft*, quid fupereffe boni poterit? Continetur hic clariffimè propofitio 12. inter 31. ab Alexandro VIII. juftiffimè damnatas. *Quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor, deficit etiam fides; &, etiamfi videantur credere, non eft fides divina, fed humana*.

Magis mirum videbitur, quòd Quefnellus non fit veritus anathema Tridentini Concilii feff. 6. can. 28. *Si quis dixerit, amiffâ per peccatum gratiâ, fimul & fidem femper amitti; aut fidem, quæ remanet, non effe veram fidem, licèt non fit viva; aut eum, qui fidem finè charitate habet, non effe chriftianum, anathema fit*.

Atqui, fi deficiente charitate, totum defit peccatori, perfpicuum fit, amiffâ per peccatum gratiâ, & charitate, *fidem femper amitti*; quæcumque igitur fides appareat, non erit vera fides, neque talis, quæ peccatorem reddere valeat Chriftianum; non enim Chriftianum reddit nifi fides fupernaturalis; ubi verò totum peccatori deeft juxta Quefnellum, etiam divinam, & fupernaturalem fidem excidere neceffe eft.

6 Ac nè extincto, fidei habitu, concedi peccatori exiftimes auxilia faltèm tranfeuntia, feu actualia, etiam ifta rigidus *Obfervator moralis* denegat; fic iftud *totum deeft* intelligi volens. De quo nè dubites, Prop. 28.

28. ait: *Prima gratia, quam Deus concedit peccatori, est peccatorum remissio*, unde apertissimum fit, nullam penitùs concedi peccatori gratiam præviam conversioni. Sic igitur *totum peccatori deest*, ut nè minimum quidem habitûs infusi, vel actualis auxilii supersit, quo ad conversionem, & pœnitentiam sibi viam valeat præparare. Eum esse auhoris sensum, confirmat præ cæteris Propositio prima: *Quid aliud remanet animæ, quæ Deum, atque ipsius gratiam amisit, nisi peccatum, & peccati consecutiones superba paupertas, & segnis indigentia; hoc est, generalis impotentia ad laborem, ad orationem, & ad omne opus bonum*? Istud profectò est totum *deesse*. Ita Quesnellus omnes Scripturarum, Patrum, concionatorum ad pœnitentiam hortationes inutiles jubet esse peccatoribus, utpote quibus *totum deest*, quo pœnitentia peragi valeat; unde dicere quidem peccatores Ezechiel. 33. poterunt, *iniquitates nostræ, & peccata nostra super nos sunt*; sed non poterit illis ibidem Deus respondere: *Vivo ego, nolo mortem impii; sed ut convertatur impius à via sua, & vivat: convertimini, convertimini*: Neque illud Ezechiel. 18. *Numquid voluntatis meæ est mors impii, dicit Dominus Deus, & non ut convertatur à viis suis, & vivat? Quare moriemini Domus Israel? Quia nolo mortem morientis, dicit Dominus: convertimini, & vivite*.

Quem enim sensum æternâ Sapientiâ dignum omnis ea præstabit oratio, si totum peccatoribus desit, etiam fides, spes, & quidquid doni, atque auxilii supernaturalis est, sinè quo conversio humanæ subtrahitur potestati? In hoc principio quisquis peccator perit, perire eum voluit Deus, certè nullus reverti ad justitiam potuit, medio omni necessario destitutus. Sic à veritate aberraret illud 2. Petri 3. v. 9. *Nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti*.

Ludicra quoque foret, & fraudulenta Christi invitatio, quæ plena apparuit hactenus consolatione Matth. 11. v. 28. *Venite ad me omnes, qui laborati, & onerati estis, & ego reficiam vos*. Possuntne venire naturæ viribus, quibus *totum deest*, sen nihil adest fidei, spei, & cujuscumque subsidii necessarii?

Numquam Quesnellus sanum sensum dare poterit huic Proverb. 1. *Sapientia foris prædicat.... convertimini, en proferam vobis spiritum meum.... quia vocavi, & renuistis: extendi manum meam, & non fuit qui aspiceret*. Quænam scilicet ea seria vocatio est, quænam extensio manûs ad eos, quibus *totum deest*, ut venire possint, & extentam manum apprehendere? atque ita generatim quomodo rationi consentanea potest esse quæcumque intentata peccatoribus exprobratio, quòd ad pœnitentiam, & salutem invitati, vocati, jussi non veniant, si *totum deest* ad veniendi pertinens facultatem? Ita præsens propositio peccatorum fovet impœnitentiam, & latam sternit semitam desperationi.

7 Frustrà Tridentinum sess. 14. cap. 4. docuerit, *Attritionem ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ, & pœnarum metu conceptam, si voluntatem peccandi excludat, cum spe veniæ, esse donum Dei, & Spiritûs Sancti impulsum, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantùm moventis, quo pœnitens adjutus viam sibi ad justitiam parat: Et quamvis sinè Sacramento pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat: tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento pœnitentiæ impetrandum disponere*. Tota hæc Concilii declaratio inanis fuerit, & falso nixa supposito, si *observatio moralis* vera est; si nempe *totum deest peccatori*, donec ei Deus charitatem infuderit. Quomodo ille attritionem ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ, & pœnarum metu concipere poterit? Quomodo voluntatem peccandi excludere per attritionem cum spe veniæ? Quodnam Dei donum in peccatore erit, quis Spiritûs Sancti impulsus, non adhuc inhabitantis; sed tantùm moventis, quo pœnitens adjutus viam sibi ad justitiam paret? Denique quomodo peccator, *cui totum deest*, poterit se *ad Dei gratiam in Sacramento impetrandum disponere*?

Idem error omnem peccatori potestatem adimit servandi præcepta naturæ viribus superiora; & in peccata omnia præcipitem propellit, omnibus cogit succumbere tentationibus, quæ absque Divinæ gratiæ præsidio declinari nequeunt, aut superari. *Cogendi* verbo hìc utor in significatione non rigidiore, quàm quæ simplicem inferat necessitatem. Nihilominus peccator lapsibus suis nova semper debita, & in futurum supplicia accumulat, atque ita demeretur absque omni præsenti juxta adversarios libertate.

Concilium Lateranense sub Innocentio 3. cap. Firmiter sic definit: *Si post susceptionem baptismi quispiam relapsus fuerit in peccatum, per veram pœnitentiam semper potest reparari*. Quomodo autem reparari semper poterit per veram pœnitentiam is, cui fides, spes, imò *totum deest*, quo ad pœnitentiam se disponere deberet, & sinè quo minimè potest? Consectaria plura non prosequor; quia & quivis lector utcumque theologus de-

deducet facilè, & relata hactenus ad incutiendum pestilentis adeò dogmatis horrorem abunde sufficiunt.

CAPUT II.

Repelluntur objectiones.

1 EX Scripturis locus unicus occurrit Hexaplis relatu dignus Rom. 5. v. 5. *Spes autem non confundit; quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.* Verùm quomodo hinc adversarii conficient, *totum deesse peccatori, quando ei deest spes?* Credere potest, timere potest, etiam qui propter crimina, vel pusillanimitatem sperare non audet. S. Thomas in commentario hujus capitis lect. 1. ait: *Nos autem surreximus, & erecti sumus, & hoc per fidem, per quam scilicet gratiam consequamur; non quia fides præcedat gratiam; cùm potius per gratiam sit fides. Ephes. 2. Gratiâ estis servati per fidem; scilicet quia primus effectus gratiæ in nobis est fides.* Et paulò superiùs, *Deinde cùm* (Apostolus) *dicit, Spes autem non confundit, ostendit hujusmodi spei firmitatem: & primò ponit eam dicens: Spes autem, scilicet hæc, quâ speramus gloriam filiorum Dei, non confundit, idest, non deficit, nisi homo ei deficiat.* Tum charitatem Dei diffusam in cordibus nostris monet intelligi posse, & charitatem, quâ nos diligit Deus; & eam, quâ diligitur à nobis. *Ex utroque autem* (inquit) *intellectu horum verborum concluditur, quòd spes non confundit. Si enim accipiatur charitas Dei, quâ nos diligit Deus, manifestum est, quòd his, quos diligit, se ipsum non negabit: similiter etiam, si charitas Dei accipiatur, quâ nos Deum diligimus, manifestum est, quòd se diligentibus bona æterna præparavit.* Etsi autem peccati lethiferi sibi conscius non nisi stultè confideret, se, quamdiu in eo manendi voluntas fuerit, salvandum; attamen pœnitens, licèt tantummodo attritus, ac proinde antequam charitas Dei in corde ejus diffusa sit, sperare potest à Dei clementia, virtute clavium reconciliationem, sic edoctus à Tridentino Concilio sess. 14. cap. 4. cujus verba dedi cap. superiore. Illic scilicet Concilium manifestè supponit, spem veniæ posse esse sinè charitate, & sinè reconciliatione, si nempe impediatur confessio, vel Sacerdotis absolutio non sequatur; nam interea saltèm spes fuerit, antequam diffunderetur charitas. Quamvis igitur diffusâ in cordibus charitate, spes non confundat, non propterea necesse est, spem confundere ante charitatem, quando nempe ipsius charitatis infusio, adhibitis ad eam, quantum in nobis est, mediis convenientibus speratur. Fallit itaque Quesnelli assertio, lege seu regula generali statuens, *non esse spem, ubi non est charitas.*

2 Dein opponunt Hexapla illud Augustini Enchir. cap. 8. *Jam de amore quid dicam, sinè quo fides nihil prodest? Spes verò sinè amore esse non potest .... proinde, nec amor sinè spe est: nec sinè amore spes, neque utrumque sinè fide.* Totum est verissimum de amore concupiscentiæ, quem sæpe Augustinus amoris nomine, subinde etiam amoris gratuiti intelligit. Serm. 334. aliàs 48. de Sanctis num. 3. *Quid erit mihi, quidquid dederis mihi præter te? hoc est Deum gratìs amare, de Deo Deum sperare, de Deo properare impleri, de ipso satiari; ipse enim sufficit tibi.* Et ipso, qui objicitur, loco immediatè præcedit, *Cùm ergo bona nobis futura esse creduntur, nihil aliud, quàm sperantur.* Tunc sequitur: *Jam de amore quid dicam?* quo scilicet amantur illa, quæ sperantur, & *sinè quo fides nihil prodest*; nam & spes ad justificationem, & salutem est necessaria.

Denique spem posse esse sinè charitate, & ad eam tantùm disponere, docet Augustinus clarissimè lib. de catechizandis rudibus cap. 17. dicens: „ Qui autem propter beatitudinem sempiternam, & perpetuam requiem, quæ post hanc vitam Sanctis futura promittitur, vult fieri Christianus, ut non eat in ignem æternum cum Diabolo; sed in regnum æternum intret cum Christo, verè ipse Christianus est, cautus in omni tentatione, nè prosperis rebus corrumpatur, & nè frangatur adversis, & in abundantia bonorum terrenorum modestus, & temperans, & in tribulationibus fortis, & patiens. „ Hactenus spe præditus est; nondum charitate; ad hanc autem quomodo paulatim tam utili præparatione deducendus sit, considera ex eo, quod sequitur: „ Qui etiam proficiendo perveniet ad talem animum, ut plus amet Deum, quàm timeat gehennam; ut; etiamsi dicat illi Deus, utere deliciis carnalibus sempiternis, & quantum potes, pecca, nec morieris, nec in gehennam mittêris; sed mecum tantummodo non eris, exhorrescat, & omnino non peccet; non jam, ut illud, quod timebat, non incidat; sed nè illum, quem sic amat, offendat, in quo uno est requies, quam oculus non vidit &c. „. Sive in hac posteriore parte amorem Dei super omnia be-

benevolum reperias, sive tantummodo amorem sanctæ concupiscentiæ, quæ ulterior ad charitatem dispositio sit, fateri cogeris, in Augustini sententia, spem esse posse absque amore benevolentiæ, seu charitate, ad quam homo amore concupiscentiæ præparatur, & *proficit*.

Non prætereunda hic silentio est adversariorum perfidia, qui, dum in Hexaplis locum ex Augustini Enchiridio objiciunt, illud, *jam de amore quid dicam, sinè quo fides nihil prodest*, vertunt gallicè ita, ut pro *fides nihil prodest*, ponant *vera fides non est*; „ sans „ le quel on ne peut dire qu' il y ait de foy „ veritable „: quasi idem sit *non esse*, & *non prodesse*; quod directissimè opponitur Apostolo 1. Cor. 13. agnoscenti, *fidem omnem*, & ut Angelicus interpretatur, *fidem perfectam*, quæ montes transferat, & tamen sinè charitate *nihil prodest* ad beatitudinem, sive, ut Apostolus loquitur, cum omni ea fide *nihil sum*. Teste itaque Spiritu Sancto, longè aliud est *non esse*, quàm *non prodesse*. Sed hæreticorum istud semper privilegium fuit, uti Scripturas Sacras, ita & Sanctos Patres corruptissimè relatos suæ accommodare novitati.

3 Non plus bonæ fidei ab Hexaplis expectemus in objiciendo nobis Mellifluo Bernardo. Is Sermone I. supra *Salve Regina*, ait: *Læva ejus sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me: læva comminatio supplicii; dextera promissio regni: inter has spes cubat in molli strato charitatis*. Hexapla vertunt, *L' esperance habite dans la charité*. Quasi Sanctus diceret, *spes habitat in charitate*. Sententia Sancti, ut à me integra exhibetur, aliud non significat, quàm spem hominis Deum amantis, inter comminationem supplicii, & promissionem præmii, in charitate, veluti in molli strato securam quiescere, in qua oratione nihil est doctrinæ catholicæ, & pietati non apprimè consentiens. Sic etiam ajebat Rex Psaltes: *Dixi in abundantia mea, non movebor in æternum*. Verùm istud longè aliud est, quàm *spem* simpliciter *in charitate habitare*, quasi spes non sit, nisi ubi est charitas. Cui stabiliendo errori non solùm prætermittenda Hexaplis fuit verborum præcedentium circumstantia; sed etiam pervertenda brevis lacinia, mutato *cubare in molli strato charitatis*, in absolutum *habitare in charitate*. Non ubicumque habitatio, reperitur etiam in molli stratu cubatio.

4 Objicitur ex eodem Sermone: *Spes ruit sinè fundamento, sinè pabulo moritur, inediâ deficit, extinguitur sinè nutrimento, arescit succisâ radice; spes enim sinè vita virtutum, & devotionis dulcedine, non est spes, sed præsumptio*. Indubiè non spes, sed præsumptio est, expectare omnia à Deo, & Sanctis, sinè cooperatione nostra, sinè studio virtutum, & devotionis, cum acediâ, & negligentia voluntariâ. Verùm indè minimè conficient adversarii, quod intendunt; videlicet, non posse ullum existere actum spei à charitatis exercitio distinctum, vel ab eo non imperatum, qui sensus est damnati dogmatis: *Non est spes in Deo, ubi non est amor Dei*. Communis autem fidelium sententia in novi, & antiqui fœderis Scripturis, ac Traditione Patrum fundatissima est, quòd uti Sapientia, ita & Charitas, in qua potissimùm vera Sapientia consistit, sperari à Dei misericordia, & Sanctorum patrocinio possit, modò oratione fervonti, & humili expetatur. Non itaque necessariò requiritur charitatis præsentia, ut ipsa speretur, sicut non prærequiritur charitas, ut petatur.

5 Neque doctrinæ catholicæ molestiam creat illud ejusdem Sancti Serm. 3. de Annuntiatione, *Sola spes apud te obtinet miserationis locum: nec oleum misericordiæ nisi in vase fiduciæ ponis*. Justificationis quidem gratiam, in qua propriè divina *miseratio*, & *oleum misericordiæ* consistit, non ponit Deus, nisi in *vase fiduciæ*. Attamen fiduciam præcedit fides, atque hæc sinè illa subsistere in peccatore potest; nam ut ait Augustinus lib. de prædestinatione Sanctorum cap. 7. *Fides prima datur, ex qua cætera impetrantur*, etiam spes, quam Dei benignitas in gratiam fidei, credentibus elargitur. Clemens Alexandrinus lib. 2. Stromatum ante medium: *Fides est prima ad salutem inclinatio, post quam timor, & spes, & pœnitentia*.

Statim apud Bernardum sequitur, quod adversarii omittunt: *sed est infidelis fiducia, solius utique maledictionis capax, cùm videlicet in spe peccamus*; ubi patet, spem a Mellifluo non redargui velut præsumptionem propter absentiam actûs charitatis, ut arguit Quesnellus; sed propter voluntariam in peccato perseverantiam, *cùm videlicet in spe peccamus*. Qui verò pravâ forsitan consuetudine, veluti vinculis constrictus, autumat, se è voluptatum cœno nondum posse ad charitatem, & veram pœnitentiam emergere, orationibus, jejuniis, eleemosynis gratiam à Deo potentiorem petat in fide, & spe bona misericordiæ propter Christi merita consequendæ. Eò peccatorem invitat, & ducit ipsa Bernardi oratio eodem Sermone de Annunciatione. *Hæc est vera be-*

hominis fiducia à se deficientis, & innitentis Domino suo: Hæc, inquam, vera fiducia, cui misericordia non denegatur, probet à attestante; quoniam beneplacitum est Domino super timentes eum, & in eis, qui sperant super misericordia ejus.

6 Minimè quoque definitioni officit, quod ait Bernardus *de modo bene vivendi ad sororem* cap. 5. *Tanta est etiam virtus charitatis, quæ si desit, frustrà habentur cæteræ virtutes*. Subdole omittunt Hexapla, quod immediatè præcedit: *sinè amore charitatis, quamvis quisque rectè credat, ad beatitudinem pervenire non potest*: tunc sequitur *tantà est etiam &c.* Ex præcedentibus itaque intelligitur, quòd sinè charitate juxta Mellifluum virtutes cæteræ frustrà habeantur ad beatitudinem: quod à nemine vocatur in dubium; sed in omissa ab adversariis parte habetur, homines etiam *sinè amore charitatis rectè credere*. Unde patet, non *totum deesse peccatori, quando ei deest spes* charitatis socia, vel quæ ipsa penès Quesnellum charitas sit.

Alius superest locus brevis citatus ex tractatu de charitate cap. 13. num. 45. quem neque in citato capite, neque in vicinis reperio, neque reperit Hexaplorum subsidiarius *Collator*; aut, prout fortè alicubi apud Mellifluum est, censuit nihil momenti afferre damnato articulo, aliàs nihil omittere solitus, quod speciem aliquam præsidii, vel levissimi præstare novatoribus videretur.

CAPUT III.

Fraudulenta Collatoris, & Hexaplorum observatio convincitur.

1 Satis prospicientes adversarii, frivolum esse, quidquid pro utriusque defensione erroris corradere hactenus potuerint; ad stratagema confugiunt iis familiare hæreticis, qui palàm ab Ecclesia separari noluerint: Clamant scilicet, non eo sensu, qui à catholicis arguitur, sua scripta accipi debere, quantumvis obvius sit, & vocibus connaturalis. *Morali sensu*, teste Collatore, à Quesnello *dicitur totum deesse peccatori, quando ei deest spes; quia nimirum reliqua sinè spe non prosunt, ut misericordiam consequatur, juxta proximè citata Bernardi verba: quomodo, & Apostolus dicit in priore ad Corinth. cap. 13. Si charitatem non habuero, nihil sum.*

Quod hìc modestiùs *Collator* observat, petulantiùs ingerit Hexaplorum author dicens: „ Si damnata Propositio fuerit juxta „ rigidum verborum sensum, quibus asseri- „ tur, totum deesse peccatori, quando ei „ deest spes, quasi Quesnello animus fuis- „ set docere, quòd neque fides sit, neque „ liberum arbitrium, quando deest spes, „ cavillatio vilis est, quâ duce, abolendi „ essent loquendi usus communissimi. Quo- „ ties pauper vociferabitur, obtestans, om- „ nia sibi deesse, litem ei indicere oporte- „ bit, tamquam impostori, eò quod neque „ corpus ei desit, neque anima, neque re- „ liquum, quo tegitur, vestimentotum.

2 Imò graviter imponere hìc conatur utraque Observatio, cujus author existimat, se scribere cæcutientibus, aut incuriis adeò, ut, non inspectis cæteris Quesnelli Propositionibus, judicium de præsentis articuli sensu laturi sint ex duorum strenuè Jansenizantium testimonio, contra significationem propriam verborum, contra Romanorum Judicum, contra ipsius Supremi Pontificis, & totius ei adhærentis Ecclesiæ sententiam. Non hìc mihi arcana Sedis Apostolicæ judicia scrutari necesse est, cùm per se pateat Propositionis sensus obvius, de quo ferri solet in Fidei tribunalibus sententia, & satis constet, sensum improprium, & mitigatum, ut supra, non fore obnoxium censuræ; quantumvis proprius sit execrabilis, & veneno undique turgeat.

Cæcutientibus, inquam, scribere se existimant mangones miseri; quasi catholici omnes in tam conspicuæ veritatis luce non videant, universos Quesnelli de charitate articulos, & plures alios in eandem concurrere significationem, quam hìc tenebris involvere frustrà Quesnelli vindices moliuntur. Deficiente enim spe, & charitate, quid fidei, quid actûs boni; imò quid supernaturalis auxilii juxta novatorem hunc inveniri poterit in anima peccatoris? Nota est Propositio 28. per quam *Prima gratia, quam Deus concedit peccatori, est peccatorum remissio*. Hac scilicet peccator esse definit, quod non sit sinè fide, spe, & charitate, quæ simul omnia in primam convenire gratiam necesse est, mirabili quidem, & ignotâ passim theologis compagine; sed quæ inter præcipua novæ Ecclesiæ fundamenta locum teneat.

3 Ecquod autem opus bonum, quodnam gratiæ subsidium designare umquam poteris in peccatore prævium charitati? Gratia, quoties conceditur, omnem in homine actum bonum, ad quem tribuitur, efficit; est enim juxta Propositionem 10. *Operatio manûs Omnipotentis Dei, quam nihil impedi-*

pedire potest, aut retardare. Quæ verò potest esse actio bona ante charitatem; quando *prima gratia, quam Deus concedit peccatori, est peccatorum remissio*; quando juxta Prop. 44. *Non sunt nisi duo amores, unde volitiones, & actiones omnes nostræ nascuntur; amor Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur; & amor, quo nos ipsos ac mundum diligimus, qui quod ad Deum referendum est, non refert, & propter hoc ipsum fit malus*? Actio quælibet charitati prævia nasceretur ex delicto, ex quo nihil boni, maximè supernaturalis, & salutiferi, profluere posse, exploratissimum est: Imò per Prop. 45. necessariò provenit peccatum: *Amore Dei in corde peccatorum non ampliùs regnante, necesse est, ut in eo carnalis regnet cupiditas, omnesque actiones ejus corrumpat*.

Plura in idem conspirant Quesnelli axiomata; sed allata abunde sufficiunt, ut de turpi fallacia, & aperto mendacio convincatur utriúsque Quesnelliani defensoris *Observatio*, atque omnibus pateat, apprimè convenire articulo 57. sensum rigidum, & geminos complectentem, quos ei tribueram, errores. Propterea *Collator* subdolus concedens articulo sensum solummodo *moralem*, studiosè abstinuit à designando aliquo casu physico, in quo Propositio, prout à Quesnello intelligitur, locum non obtineat. Vidit scilicet, nullum esse.

At, inquies, designatam vidit in Hexaplis *Fidem*, & *liberum arbitrium*. Viderit indubiè, sed simul referre puduerit propter ineptias. Non enim de *libero arbitrio*, quæ facultas naturæ est, hic quæritur, sed de actibus, & donis supernaturalibus. Qualis autem libertas bonis actibus à Quesnello hominibus in hoc statu relinquatur, ostendi tomo 1. pluribus ab initio propositionibus ejus de gratia: libertas scilicet Calvinianæ similis, & minimè catholica.

4 Ad *fidem* quod attinet ab Hexaplis concessam peccatoribus ante charitatem, nequit ea esse bona, &, prout exigitur, supernaturalis; quia juxta Propositionem 44. & 45. foret actio procedens ex fœdo principio amoris mundani, vel concupiscentiæ carnalis, quæ omnia peccatoris opera, charitatis experria, corrumpit necessariò. Fides illa non posset esse ex gratia; cùm *prima gratia* per Propos. 28. *fit peccatorum remissio*, quæ sinè spe, & charitate nulli obvenit; sinè gratia autem nulla actio libera esse potest immunis à peccato per Prop. 38. *Peccator non est liber, nisi ad malum, sinè gratia liberatoris*. 39. *Voluntas, quam gratia non prævenit, nihil habet luminis, nisi ad aberrandum, ardoris, nisi ad se præcipitandum; virium nisi ad se vulnerandum: est capax omnis mali, & incapax ad omne bonum*. 40. *Sinè gratia nihil amare possumus, nisi ad nostram condemnationem*. Quænam igitur fides est, quam Quesnellus peccatoribus tribui finit ante *Dei amorem*? non alia, quam naturalis, humana, similis Diabolicæ, à turpi profluens origine, à qua necessariò fides ipsa traxerit vitium. Notissima est Propositio 12. inter 31. ab Alexandro VIII. anathemati subjectas: *Quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor, deficit etiam fides: & etiamsi videantur credere, non est fides divina; sed humana*. Sensit hic Arnaldus totius Janseniani agminis dux cum suo armigero Quesnello, unam ex præcipuis novitatis suæ arcibus dejici; Quare furens in Pontificium iruit Decretum parte 9. Difficultatum propositarum Domino Steyaert pag. 206. dicendo: *Condemnare non potes propositionem hanc 12., nisi condemnando te ipsum, S. Thomam, & cæteros passim Theologos*. Prorsus itaque frivola est *peccatoris* cum *paupere* comparatio. Dum enim hic vocem erexit, nihil se habere vociferans, satis ostendit, & corpus sibi esse, & animam: cumque vestitus compareat, non supponitur mentiri velle impudenter adeò, ut nihil etiam vestium sibi esse audeat affirmare.

At omnes circumstantiæ Quesnellianorum dogmatum in hoc conveniunt, ut fidem divinam, bonam, supernaturalem auferant peccatori, quamdiu amor Dei benevolus absuerit. Quod sicut à me demonstratum perspicuè, ita assero confidenter, testem appellare minimè veritus Quesnellum ipsum, qui si author Hexaplorum est, aut saltèm conscius, & particeps observationis, quam hic exagito, insigniter Sycophanta est, quando veluti contra injustitiam declamat, se de negata peccatoribus fide, quamdiu dilectio, seu charitas defuerit, accusari. Digna, inquam, Sycophantâ putido, non Sacerdote, & theologo declamatio est, veluti contra calumniam; cùm notissimum omnibus sit, Quesnellianum articulum accusari non de negata peccatoribus ante dilectionem fide humana, & inquinata vitio, sed bonâ, divinâ, supernaturali, quam accusationem probatissimam dedi, nec ulla diluet cavillatio; sola verò authorem poterit agnitio erroris publica, & ingenua retractario imposterum excusare: ad hanc ipsum disponere toto etiam sequenti capite conabor. Det Deus fructum operæ!

CAPUT IV.

Subdola Quesnelli Querimonia, & Protestatio *penitùs enervatur*.

1 QUesnellus in *Querimonia, & Protestatione* pag. 200. ait *Quando perit charitas, amittitur fides; non omnis; sed justificans: asserere autem, quòd iste hæreticorum error sit, docentium charitatis interitu extingui simul & fidem, est fabricare hæresim maximè stolidam. Peccato perditur fides viva, & justificans; quæ autem juxta Concilium* (Tridentinum) *post amissam justitiam remanet, est fides vera; sed mortua, quæ Ecclesiæ membrum non nisi mortuum efficiat*. Ita Quesnellus ludit in tenebris, & illudere vult Ecclesiæ; sed ejus fraus, & doctrina minimè catholica solis radiis exponenda est.

Tridentinum Concilium sess. 6. cap.15. *Asserendum est*, inquit, *non modò infidelitate, per quam & ipsa fides amittitur; sed etiam quocumque alio mortali peccato, quamvis non amittitur fides, acceptam justificationis gratiam amitti*. Et canone 28. de justificatione: *Si quis dixerit, amissâ per peccatum gratiâ, simul & fidem semper amitti; aut fidem, quæ remanet, non esse veram fidem, licèt non sit viva; aut eum, qui fidem sine charitate habet, non esse Christianum, anathema sit*; ubi evidens est, doceri, fidei habitum, qui fuerat ante peccatum infusus, & supernaturalis, non amitti peccato quolibet; sed infidelitatis: quæ fides in peccatoribus remanet veluti radix, quâ, accedente gratiæ auxilio, actus supernaturales fidei elici dein valeant, & peccator salubri formidine percussus, ac spe erectus, ut traditur sess. 14. cap.4., ad dilectionem, pœnitentiam, justitiam sibi reditum præparare. Quesnellus verò omni suo Protestationis æquivocæ apparatu non aliam peccatoribus, absente charitate, fidem concedit, quàm frequentatis actibus acquisitam, non alios fidei actus, quàm naturales, & turpi origine maculatos. Constat autem, eum, qui ante peccatum fuerat infusus, fidei habitum, non alio, quàm infidelitatis crimine juxta Concilium expelli; verùm, qui præsente aliàs sanctificationis gratiâ, veluti spiritualis vitæ animâ, vivus denominabatur, eâ extinctâ, mortuus censetur; non quasi esse desierit, ut homo mortuus ampliùs homo non est; sed quia charitate, velut spiritu, destitutus, se solo vitam animæ spiritualem præstare non potest, neque ullas vitæ spiritualis, & æternæ meritorias elicere actiones; potest tamen gratiæ transeuntis auxilio exercere actus fidei divinæ supernaturalis ordinis, bonos, & ad dilectionem, pœnitentiam, justitiam disponentes.

2 Hæc, duce Oecumenica Synodo, est Scholarum omnium, nullis inter catholicos obnoxia disceptationibus doctrina; in nova verò Ecclesiâ, peccato quolibet lethifero perit quidquid est supernaturalis, & infusi habitûs (si quis antea juxta novos theologos fuerit) sive ut eorum locutionibus utamur Prop. 1. *Quid aliud remanet animæ, quæ Deum atque ipsius gratiam amisit, nisi peccatum, & peccati consecutiones, superba paupertas, & segnis indigentia; hoc est, generalis impotentia ad laborem, ad orationem, & ad omne opus bonum*? Prop. 52. *Omnia alia salutis media continentur in fide, tamquam in suo germine, & semine; sed hæc fides non est absque amore, & fiducia*. Prop. 57. *Totum deest peccatori* (etiam fides omnis, saltèm bona, & supernaturalis) *quando ei deest spes, & non est spes in Deo ubi non est amor Dei*. Prop. 58. *Nec Deus est, nec religio, ubi non est charitas*. Quod in peccatoribus ante charitatem nullus possit esse actus fidei supernaturalis juxta novos theologos, patet ex Prop.28. *Prima gratia, quam Deus concedit peccatori est peccatorum remissio*.

Quod etiam actus fidei, si quis ante amorem Dei in peccatoribus inveniatur, non bonus sit, non utilis ad amorem dispositio; sed omnino malus, utpote originis suæ vitio maculatus, liquet ex Prop.44. „ Non sunt „ nisi duo amores, unde volitiones, & „ actiones omnes nostræ nascuntur; amor „ Dei, qui omnia agit propter Deum, „ quemque Deus remuneratur; & amor, „ quo nos ipsos, ac mundum diligimus, „ qui quod ad Deum referendum est, non „ refert, & propter hoc ipsum fit malus. „ 45. Amore Dei in corde peccatorum „ non ampliùs regnante, necesse est, ut in „ eo carnalis regnet cupiditas, omnesque „ actiones ejus corrumpat. „ Si necesse sit, actiones omnes cupiditate corrumpi, evidens est, fidem non posse esse bonam, non elici ex gratia, non esse supernaturalem.

3 Celebre est Quesnelli pronuntiatum in Notis ejus ad epistolam Doctoris Steyaert pag.17. *Adeò non persuadetur, sensum ab Authore* (Jansenio) *intentum hæreticum esse, ut jam demum credere cœperit orbis catholicus, nihil in ipso non esse catholicum*. A Jansenio autem Quesnellus acceperit, quod de fide habet sine consortio charitatis. Ita scilicet

licet Jansenius lib. 5. de gratia Christi, cap.6. *Nullam ipse* (Augustinus) *agnoscit fidem veram atque christianam,... nisi ex Dei charitate dimanet*. Cap.7. *Amor Dei nisi voluntatem hominis ad credendum flectat, non erit fides christiana; sed vel dæmonum, pœnarum timore; vel carnalis, ex mundi amore, quarum neutra est fides, qua fideles nuncupamur*. Quam ex hoc fonte hauserat doctrinam insignis quidam Jansenii discipulus, & amicus Quesnelli, atque Arnaldi anno 1676. die 26. Junii hâc typis editâ conclusione Lovanii publicè propugnavit: *Quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor, deficit etiam fides; &, etiamsi videantur credere, non est fides divina, sed humana*. Eundem inter 30., & unum articulos duodecimum damnavit Alexander VIII.

Arnaldus verò, postquam Quesnellus totum Decretum Apostolicum plurimis; sed ferè vagis contumeliis prosciderat, contra Pontificis sententiam impudentissimè defendit in *Difficultatibus propositis Doctori Steyaert*; ubi parte 9.pag. 203. ait: *Esse in hoc Decreto obscuritates impenetrabiles, vel ex hoc compertum est exemplo: Quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor, deficit etiam fides; &, etiamsi videantur credere, non est fides Divina, sed humana*. pag. 206. *Condemnare non potes Propositionem hanc duodecimam, nisi condemnando te ipsum, S.Thomam, & cæteros passim Theologos*. Ita Arnaldus contra Decretum Pontificis pugnavit octogenarius; sed Quesnello domestico studiorum adjutore, & velut armigero tunc viribus valente, ante annos videlicet viginti septem.

Mortui dein Magistri sui vindicias titulo *Causa Arnaldina* Quesnellus edidit, atque ejus iconem præfixam Operi hoc decoravit brevissimo; sed omnia complectente elogio: *Antonius Arnaldus Doctor in fide, & veritate*. Præfationem autem operis prolixam hac coronide velut Epitaphio claudit:

Onustum & annis, & meritis Pater,
Maturior te vis rapit. Ah! novos,
Quis alter errorum architectos
Jam paribus malè perdet armis?
Cælo receptum te nihil opprimet,
Non regnat istic invidia.
Sed scripta, sed famam hic, sed ossa,
Et cineres violare tentat.
Frustrà. Sepultum publica vox magis
Magìsque luget. Non timidus caput
En tollit Orator, Poeta,
Quidquid Apollineæque turba est.

4 Ita, si Quesnello credimus, quidquid uspiam Oratorum, Poetarum, Doctorumque in arte qualibet, aut scientia est, Arnaldo errorum debellatori pœana concinit, defunctum luget: Addere liceat, & mortuam cum eo lugeret fidem novam, novæ plangeret interitum Ecclesiæ, nisi collabenti supponentem humeros videret novum Pontificem priori suppatem Paschasium, Quesnellum. Habemus itaque eundem Jansenianæ, & Arnaldicæ sectæ, hoc tempore antesignanum strenuum, utriusque sui Principis cum universis dogmatibus propugnatorem. Unde Quesnelliani articuli 57. sensus lucidissimus est, tum ex propria, & obvia verborum significatione, tum ex cæterorum ejus dogmatum circumstantiâ, tum accedente totius Jansenianæ, atque Arnaldicæ doctrinæ præstitâ ab eo approbatione. Cùm scilicet dicitur, *Totum deesse peccatori, quando ei deest spes, & non esse spem in Deo, ubi non est amor Dei*, perspicuum est, significari, quòd in peccatore, in quo non est amor Dei, nullus sit virtutis habitus infusus, & supernaturalis, nullus supernaturalis actus, nequidem fidei: &, *etiamsi videatur credere, non sit fides Divina, sed humana*, ut sustinuit, etiam post damnationem, Arnaldus: præterea, quòd juxta Jansenium, applaudente Quesnello, *non sit fides vera, & Christiana, qua fideles nuncupamur*: Denique, ut cæteræ peccatoris illius actiones, ita etiam qualiscumque fides ex malo profluit concupiscentiæ fonte, qui eam *corrumpit necessariò* juxta Quesnelli articulum 44. & 45. Talem fidem non posse esse ex gratia, tum per se liquet, tum quia *Prima gratia, quam Deus concedit peccatori, est peccatorum remissio* Propos. 28: Sinè gratia autem nihil possumus, nisi peccare, juxta relatas superiore capite Propositiones trigesimam octavam, trigesimam nonam, & quadragesimam.

5 Hinc evolvitur, & patentissima fit Quesnellianæ Protestationis fallacia, dum ait, in peccatoribus *manere fidem veram; sed mortuam, qua Ecclesiæ membrum, non nisi mortuum efficiat*. Quis enim Theologus *veræ fidei* nomine aliam intelligat, quàm bonam, divinam, supernaturalem? Nihil simile intelligit Quesnellus. Quis nomine fidei, quæ Ecclesiæ membrum, etsi mortuum, constituit, accipiat fidem humanam, naturalem, profectam ex vitio, & ipsam peccati inquinatam maculâ? Accipit Quesnellus. Quis *mortuum Ecclesiæ membrum* appellat, quod judicat Ecclesiæ membrum absolutè, & simpliciter non esse, sicut homo mortuus non est homo? Non aliter membra Ecclesiæ Quesnellus nominat peccatores; nam per Propositionem 73. „ Quid est Ecclesia, nisi

„ cœtus

„ cœtus filiorum Dei, manentium in ejus „ sinu, adoptatorum in Christo, subsisten- „ tium in ejus persona, redemptorum ejus „ sanguine, viventium ejus spiritu, agen- „ tium per ejus gratiam, & expectantium „ gratiam futuri sæculi? (Prop. 74.) Ec- „ clesia, sive integer Christus, incarnatum „ verbum habet, ut caput; omnes verò „ Sanctos, ut membra. 75. Ecclesia est „ unus solus homo, compositus ex pluri- „ bus membris, quorum Christus est ca- „ put, vita, subsistentia, & persona; unus „ solus Christus compositus ex pluribus „ Sanctis, quorum est sanctificator. „ Nullus hic locus peccatoribus, ut corporis istius mystici, quod est Ecclesia, membra sint, si ea rectè à Quesnello describitur.

Non enim peccatores, antequam convertantur, sancti sunt, non filii Dei manentes in ejus sinu, adoptati in Christo, viventes ejus spiritu, agentes per ejus gratiam; cùm *prima gratia, quam Deus concedit peccatori, sit peccatorum remissio* per Propos. 28. vides igitur, lector, non aliter à Quesnello peccatores per fidem mortuam vocari *mortua Ecclesia membra*, quàm sicut cadaver, quod revera homo non est, impropriè homo dicitur, ex eo, quod homo fuerit, cùm corpus spiritui uniretur, quo viveret.

Dum autem fidem mortuam Quesnellus nominat *fidem veram*, intelligit veram ex objecto, qua ratione etiam fides Dæmonum vera est; sed non supernaturalis, sive ex gratia, non moraliter bona, non disponens ad spem, dilectionem, justitiam, & salutem; qualis à Tridentino Concilio, & Theologis Catholicis agnoscitur etiam in peccatore.

6 Quod ait Quesnellus de hæresi, quæ à quadraginta Episcopis, aut aliis suis adversariis *fingatur stolidissima*, non satis apparet in quo figmentum istud consistere, vel intelligi à nobis velit. Num inane tantum hæreseos simulacrum ferit Tridentina Synodus sess. *6.* can. 28. insigens anathema dicens: „ Amissâ per peccatum gratiâ, simul „ & fidem semper amitti; aut fidem, quæ „ remanet, non esse veram fidem; licèt non „ sit viva; aut eum, qui fidem sinè charita- „ te habet, non esse Christianum? „ Fingeret quidem Synodus *hæresim stolidissimam*, quam feriret, si arbitraretur, negare hæreticos fidem etiam humanam, naturalem, & ex objecto veram peccatoribus remanere; cùm talis reperiatur, Scripturâ teste, etiam in Dæmonibus. De tam exotico, & insanissimo errore tribuendo hæreticis, aut destringendo in tale phantasma anathemate nulla potuit Sapientissimis Patribus in mentem venire cogitatio.

Damnavit itaque Concilium eos, qui fidem Divinam, & supernaturalem semper amitti asserunt, quando amittitur gratia sanctificans; vel fidem, quæ remanet, non esse veram, bonam, Christianis propriam, ac supernaturalem fidem, quæ disponere possit ad dilectionem, justitiam, & salutem. Errorem hunc à Tridentino Concilio prostratum erigere iterum conati sunt, ut vidimus, Jansenius, Arnaldus, Quesnellus, cui si hanc vocare placuit *hæresim stolidissimam*, non eam finxit CLEMENS XI., aut antea Alexander VIII., non finxere Galliæ Antistites Catholici; sed à Quesnello, & sociis novaturientibus temere resuscitatam doluêre, remiseruntque ad inferos; unde emergere ad animarum exitium numquam debuerat.

Ostendat itaque Quesnellus, si præsentem suum articulum retinere, ac defendere cum pertinacia statuerit, quid aliud ab hæreticis traditum, & à Concilio in relato canone profligatum fuerit, quàm quod præsens damnata continet novitas; Nam quod Quesnelli Protestatio actum fidei naturalem ex pravo ortum principio, & vitio suo turpem, vocet *veram fidem*, quæ constituat *Ecclesiæ membrum mortuum*, eo sensu, quo cadaver, quod reverà, & propriè homo non est, *homo mortuus* dicitur, nullo modo sensum ejus reddit Catholicum, aut à Tridentini anathemate immunem; non enim solus verborum sonus; sed maximè doctrina, ac res vocibus significata proscribitur.

Quin-

Quinquageſimaoctava Propoſitio damnata.

Nec Deus eſt, nec, religio, ubi non eſt Charitas. *Obſerv. Mor. 1. Joann. cap. 4. verſ.* 8.

CAPUT I.

Rejicitur abſona, & graviſſimis digna cenſuris Propoſitio.

I HIc extra dubitationem ponitur, quod ſuperiùs notavi, amorem Dei non intelligi à Queſnello amorem concupiſcentiæ, ſed benevolum charitatis. Quod ſcilicet præcedens articulus obſcuriùs, & per ambages, hic directâ fronte enuntiat, nec Deum, nec religionem, adeóque nec ſpem, nec fidem eſſe, ubi charitas defuerit. Omnem igitur peccatorem ſpe deſtitutum eſſe oportet, & ſinè ulla fide, ac religione.

Non video, quæ doctrina excogitari poſſit clariùs oppoſita canoni illi Tridentino 28. ſeſſ. 6. „ Si quis dixerit, „ amiſſâ per peccatum gratia, ſimul & fi„ dem ſemper amitti; aut fidem, quæ rema„ net, non eſſe veram fidem; licet non ſit „ viva; aut eum, qui fidem ſinè charitate „ habet, non eſſe Chriſtianum, anathema „ ſit. „ Quid enim evidentius, quàm neque ſpem in Deum eſſe, neque fidem, ubi nec Deus eſt, nec religio? Neque, ſi quæ fides appareat, poterit eſſe *fides vera*, aut hominem reddere Chriſtianum. Abſit profectò, ut Chriſtianus dicatur, cui *nec Deus eſt, nec religio*. Si autem Chriſtianus eſſe deſinat; ad quam tandem hominum, vel infidelium ſectam rejiciendus eſt? Non ad Lutheranam, vel Calvinianam; ambæ enim aliquâ ratione Chriſtianæ ſunt, etſi multis reſperſæ erroribus, & à ſalutis tramite remotæ: non ad Mahumetanam, utpote qui Mahumetem, & Alcoranum cum ſua utrumque impietate deteſtatur: neque idololatris accenſendus eſt, qui idola, & eorum cultores ſacrilegos non minùs, quam ipſe *moralium* author *obſervationum* execrari dignoſcitur.

Abdicavit à ſe tamen religionem omnem, ſi *Obſervatori* credimus; proptetea inter infideles, atque ethnicos ablegandus: unde è publicis Eccleſiæ precibus; quæ pro conſtitutis in agone ultimo recitantur, expungendum eſſet, quod ſequitur: *Licèt enim peccaverit; tamen Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum non negavit; ſed credidit; & zelum Dei in ſe habuit, & Deum, qui fecit omnia, fideliter adoravit*. Hæc cum veritate non conveniunt, ſi conveniat *moralis obſervatio*. Quomodo enim *peccator*, in quo, charitate deſinente, *nec Deus fuit, nec religio*, Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum non negavit; ſed credidit, & zelum Dei in ſe habuit, & Deum, qui fecit omnia, fideliter adoravit? Sed cum iſta animæ commendatione aboleri pariter deberet canon Tridentinæ Synodi ſuperiùs relatus, & ſimul condemnatio Propoſitionis 12. inter 31. ab Alexandro VIII. profligatas: *Quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor, deficit etiam fides; &, etiamſi videantur credere, non eſt fides Divina, ſed humana*. Si enim *nec Deus eſt, nec religio, ubi non eſt charitas*, quis dubitet, quin, *quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor, deficiat etiam fides, &, etiamſi videantur credere, non* tamen *ſit fides Divina, ſed humana*?

Tridentinum autem, ſi *nec Deus eſt, nec religio, ubi non eſt charitas*, erraverit certiſſimè in ſuppoſito, & doctrina, cùm definiit ſeſſ. 14. cap. 4. „ Attritionem (peccatoris) ex turpitudinis peccati conſidera„ tione, vel ex gehennæ, & pœnarum me„ tu conceptam, ſi voluntatem peccandi „ excludat cum ſpe veniæ, eſſe donum „ Dei, Spiritûs Sancti impulſum, non ad„ huc quidem inhabitantis; ſed tantùm „ moventis, quo pœnitens adjutus, viam „ ſibi ad juſtitiam parat, &, quamvis ſinè „ Sacramento pœnitentiæ per ſe ad juſti„ ficationem perducere peccatorem ne„ queat; tamen eum ad Dei gratiam in Sa„ cramento pœnitentiæ impetrandum diſ„ ponere.

Erraverit hìc, inquam, Tridentinum in ſuppoſito juxta obſervationis authorem, cùm ſuppoſuit, fieri aliquando, ut *attritio* deſcripta in peccatore *voluntatem peccandi excludat cum ſpe veniæ*; ubi enim nec Deus eſt, nec religio, patet neque attritionem, quæ voluntatem peccandi excludat, neque ſpem veniæ eſſe poſſe. Lapſum quoque fuerit Concilium in doctrina juxta *obſervatorem moralem*, cùm tradidit attritionem aliquam charitatis expertem, quâ peccator pœnitens adjutus, viam ſibi ad juſtitiam paret, quæque illum ad Dei gratiam in Sacramento

to pœnitentiæ impetrandum difponat. Quis enim eft peccator pœnitens finè Deo, & religione? Quomodo, quamdiu talis eft; viam fibi ad juftitiam parat, & ad Dei gratiam in Sacramento pœnitentiæ impetrandum fe difponit?

3 Apoftolus in epift. 1. ad Timotheum cap. 2. *Obfecro*, inquit, *primùm omnium fieri obfecrationes, orationes, poftulationes, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus, Regibus, & omnibus, qui in fublimitate funt &c.* Quatuor illos actus religioni adfcribit Angelicus 22. quæft. 83. art. 17. articulo autem 16. docet cum Auguftino, quem citat, peccatores utiliter orare, & orationibus à Dei mifericordia impetrare, quod petunt, licèt propriè non mereantur: *Quia meritum innititur juftitiæ; fed impetratio gratiæ.* Neque ullus Catholicus dubitat, quin poffint peccatores, & debeant veræ pœnitentiæ, & converfionis à Deo gratiam petere, & nè impofterum inducantur in tentationem.

Non magis in dubium revocari poteft, quin peccatores poffint, & debeant pro acceptis à Deo beneficiis gratias agere, laudes Deo perfolvere, &, fi beneficio Ecclefiaftico potiuntur, vel Sacro Ordine majore initiati funt, ad horas canonicas religiosè recitandas teneantur, eique valeant fatiffacere obligationi, abfente etiam charitate.

Cultus latriæ, & adoratio præcipuus inter religionis actus, eft: num peccator etiam attritus, fed adhuc charitatis expers facram Hoftiam adorare non poteft, revereri crucem, & facras imagines, vel reliquias actibus pietatis, & ad religionem fpectantibus profequi? Supponamus attritionem comitari etiam cæteros religionis commemoratos à me fuperiùs actus, ut adverfarii, vel faltèm lectores Catholici, tantò clariùs perfpiciant, & magis horreant damnati articuli intolerabilem novitatem. Eam, ut plerafque alias acceperit Quefnellus à Janfenio, qui lib. 5. de gratia Salvatoris cap. 5. ait: *Nullam effe veram religionem, aut cultum Dei, fed fimulationem tantùm, & larvam ejus, nifi Deus fincerè, & castè, hoc eft, gratis, & propter fe ipfum ex verâ charitate diligatur.*

4 Si ex Quefnelli fententia dirigerentur Sacri Quæfitores fidei, deberent peccatores omnes fuis mancipare carceribus, tamquam homines finè Deo, & religione, atque iis pœnis afficere, quæ fidei defertoribus infliguntur: Peccatores omnes, quorum delicta externis actibus foràs prorumpunt, cenfuris canonicis fubjacerent, nec poffent à vulgaribus pœnitentiæ Miniftris abfolvi; peccata enim quælibet mortifera abnegationibus fidei annumerarentur. In gratiam autem Janfeniftarum magna à nobis intellectui vis inferenda effet, & fruftranea, ut eos in fua contra Apoftolicam Sedem, & Ecclefiam rebellione tam publicâ, & obfirmatâ; in differminatione tot infamium libellorum contra religiofos Doctores, Epifcopos, Cardinales, Magiftratus etiam fupremos; in tot contra doctrinam fanam, & fidem Catholicam erroribus, etiam poft damnationem fuftinendis cum pertinacia; fimul tamen in charitate firmos perfiftere crederemus, nè, *Morali obfervatore*, & partium fuarum Antefignano judice, convincerentur effe finè Deo, & finè religione.

Si Reges omnes, & Refpublicæ Chriftianæ, qui eos, in quibus nec Deus eft, nec religio, à Magiftratibus, & muniis publicis juftiffimè arcent, excludere, ac dejicere ab iis deberent peccatores omnes, five eos, in quibus non eft charitas, quæ perturbatio oriretur in Regnis, & Rebufpublicis, quot effent ab officiis amovendi, privandi dignitatibus non inter laicos modò; fed etiam inter Ecclefiafticos, & quidem in ordine non infimo collocatos?

Plurima iftiufmodi horrida *Obfervationum* authori, fautoribufque infefta confectaria facilè lector Catholicus ex damnata Propofitione eliciet, quæ proinde hic prolixiùs defcribere neceffarium non eft, & forfitan odiofum nimis.

CAPUT II.

Collatoris obfervatio refellitur.

1 Obfervationem, quam *Collator* cenfuit collectis à fe, & ab Hexaplorum authore facris textibus fubnectendam, malo cum refutatione præmittere; quia cæteris indè lux accedet objectionibus; qua earum imbecillitas, imò patentiffima vanitas omnibus innotefcat. Profpiciens fcilicet adverfarius, nihil ex collectis Scripturarum, aut Patrum locutionibus elici poffe, unde damnatus articulus in fenfu proprio, & obvio defenderetur, *obfervationem* callidè fubjunxit, qua verba fenfui illi fubduceret nimiùm odiofo, & ad fignificationem pertraheret exoticam, quam neque Propofitionis denuntiatores, neque quadraginta Galliæ Epifcopi, & quotquot eos fequuntur Theologi vocibus fubfcriptis hactenus intellexerant.

Priùs refert Quesnelli articulum cum periodo illum consequente, quâ, ut existimat, vel simulat, significatio durior mitigetur. „ Nec Deus est, nec religio, ubi „ non est charitas; quandoquidem Deus „ fit ipsa charitas, ac Dei notitia salutaris, „ verusque cultus in charitate consistat. „

Ex his Hexaplorum, & Quesnelli subsidiarius sic colligit: „ Itaque sensus Propositionis est, sinè charitate tam latè „ sumpta, ut etiam fidei, & spei dilectio- „ nem sub se comprehendat, neque Deum „ salutari notitiâ cognosci ab homine, ne- „ que verè, prout oportet, ab eo coli, „ quod verissimum est; nam cultus Deo „ debitus præcipuè interior est juxta illud „ Christi, Spiritus est Deus, & eos, qui „ adorant eum, in spiritu, & veritate opor- „ tet adorare. Porrò interior ille cultus „ totus in charitate, sumpta, ut ante, situs „ est. Quocirca qui cultum Dei exteriorem „ ab interiore sejungunt, Deum nullatenus „ diligentes, nequaquam Deum verè co- „ lunt, prout oportet, quantumlibet vera „ Sacramenta suscipiant, aut ipsa etiam sa- „ crosancta mysteria celebrent. „

2 De separando interiore cultu ab exteriore, nulla quæstio est, aut ulla incidit Catholicis Theologis cogitatio. Res quidem, quæ sensu, vel ratione præditæ non sunt, dicuntur modo improprio laudare Deum, & benedicere; quia operando juxta ordinem sibi à Divina providentia præscriptum, utilem universo,& æternæ Sapientiæ congruum, præbent Angelis, & hominibus occasionem, laudes Deo debitas persolvendi;verùm ab hominibus ratione utentibus requiri novimus intentionem semper explicitam, vel implicitam honorandi Deum, ut actio aliqua divino cultui accenseatur.

Non sic tamen stabilies calumniam impactam peccatoribus Christianis, quasi hoc ipso, quo eos destituerit charitas, infidelibus annumerentur, quibus *nec Deus est*, *nec religio*. Minùs etiam probabitur de singulis actibus, quòd neque ad Deum pertineant, neque ad religionem, nisi eos animaverit charitas.

3 In verbis autem damnatum articulum sequentibus nihil est, quod eum ad significationem transferat mitiorem. Quamvis enim *Deus sit charitas*, ut Scripturæ prædicant, & *Dei notitiam salutarem*, *verumque cultum in charitate consistere*, Quesnellus asserat, non sequitur charitatis nomine ab eo intelligi aliam, quàm quæ justificat. Sed neque ulla Quesnello fides est divina, & supernaturalis, nisi justificans, ac proinde, quæ eadem sit cum charitate strictè, & propriè dicta vel ab ea profluat, seu imperetur; aliàs ipsa fides peccatum foret juxta art. 44. quo requiritur *amor Dei omnia agens propter Deum*, *quemque Deus remuneratur*, ut fides, aut quælibet alia actio immunis à vitio sit. Talis amor indubiè est charitas justificans penès Quesnellum, cui etiam *Prima gratia*, *quam Deus concedit peccatori*, *est peccatorum remissio* Prop. 28. An fortè non omnis charitas justificans strictè, & propriè dicta charitas censeatur? Ostendat itaque, si potest adversarius, sed nunquam poterit, ullum exemplum, in quo supernaturalis charitas à Quesnello asseratur, quæ non justificet.

Manet proinde sensus Quesnelli absurdissimus, *nec Deum esse*, *nec religionem*, *ubi non est charitas* justificans; sive neque spem esse, neque fidem supernaturalem in ullo peccatore, antequam convertatur. Unde cum stipitibus, aut saxis disputare se Collator autumat, quando ex relatis Quesnelli vocibus concludit: *Itaque sensus Propositionis est, sinè charitate tam latè sumpta, ut etiam fidei, & spei dilectionem sub se comprehendat, neque Deum salutari notitiâ cognosci ab homine, neque verè, prout oportet, ab eo coli, quod verissimum est.*

Vel enim supposita *fidei*, *& spei dilectio* eadem est reipsa cum charitate justificante, vel ab ea imperatur: utrumvis statueris, patet in hac sententia, nullam esse fidem supernaturalem, nullam istiusmodi spem, ubi non est charitas justificans. Si verò illa *fidei*, *& spei dilectio* neque eadem sit cum charitate justificante, neque ab illa proveniat, juxta Quesnelli art. 44. è pravo nascitur fonte, atque ipsa peccatum est, ut omnis actio, quæ non proficiscitur ex gratia art. 39. & 40.

4 Sed neque nos hactenus sana docuit theologia, notitiam Dei salutarem, idest, bonam, supernaturalem, utilem dispositionem ad spem, charitatem, atque adeò ad justitiam, & salutem in ipsa necessariò consistere dilectione Dei benevola, seu charitate. Charitas finis, & effectus fidei, non ipsa fides est. Hæc ad intellectum pertinet, illa ad voluntatem. Prioris objectum formale veritas est, bonitas posterioris. Sed distinctionum lux tenebrionibus odiosa est, & theologia scholastica hæreticis.

Si verò hunc Quesnelli asseclam, & cum eo Quesnellum ipsum, nunc saltèm novitatis puduerit, quam præ se fert Propositio in sensu proprio, & obvio, neque voluerit dein-

deinceps eam recipi, nisi in significatione quadam latissima, & impropria, quam nescio, an ullus hic voci *charitas* subesse intellexerit; si, inquam sensum solummodo esse velit, quòd neque Deus sit, neque religio, ubi non est charitas, aut spes, aut fides, absolvetur quidem sensus à censura; sed Propositio, ut vocibus aliud significantibus exprimitur, non desinet secundùm se & sonare pessimè, & scandalo, ac censuræ obnoxia esse minimè levi.

5 Verùm & hìc attentione opus est, nè nos subdola *charitatis latè dictæ* appellatio circumveniat; non enim ea correctionem sensûs præstat, sed simulat ad fallendum. Videtur scilicet mitigare Propositionis duritiem; sed revera observatio ipsa novum superaddit errorem, & prioris malitiam non imminuit. Superaddit, inquam, errorem, asserens, vel supponens nullam Dei *notitiam salutarem*, nullam fidem supernaturalem, uti & spem esse posse sinè dilectione Dei benevola, eaque juxta Quesnellum justificante, penès quem *Prima gratia*, *quam Deus concedit peccatori, est peccatorum remissio* Prop. 28. & omnis actio, quæ non *nascitur ex amore Dei omnia agente propter Deum, quemque Deus remuneratur*, nascitur ex amore malo Prop. 44. *Amore Dei in corde peccatorum non ampliùs regnante, necesse est, ut in eo carnalis regnet cupiditas, omnesque actiones ejus corrumpat*. 45. Amor autem in corde regnans indubiè justificat: neque ulla latè sumpta apud Quesnellum ostenditur charitas ordinis inferioris.

Fraudulenta itaque *Collatoris* Observatio est, & inanissima Propositionis excusatio, dum semper asseritur, nec Deus esse, nec religio, ubi non est charitas, seu amor Dei benevolus, imò justificans.

CAPUT III.

Satisfit objectionibus desumptis ex Sacra Scriptura.

1 MUlta primùm ex Scripturis congerunt adversarii partim explicata à nobis aliàs, partim ad institutum minimè attinentia. Matth. cap. 22. „ Diliges Dominum Deum tuum ex toto „ corde tuo, & in tota anima tua, & in to„ ta mente tua; hoc est maximum, & pri„ mum mandatum. Secundum autem simile „ est huic, diliges proximum tuum sicut te „ ipsum: in his duobus mandatis universa „ lex pendet, & Prophetæ. „ In quem locum S. Thomas „ Quia ergo dilectio est fi„ nis 1. Tim. 1. finis præcepti est charitas, „ ideo ab istis dependent omnia alia; & „ hæc est expositio Augustini. „ Non quasi *non sit vera legis obedientia, quæ fit sinè charitate*, quod à tribus Pontificibus in Bajo att. 16. damnatum est; sed quia, quidquid præcipitur, Dei amator, & proximi adimplebit. Neque propterea omnis fides divina, & supernaturalis adimitur peccatori, contra clarissimam Tridentini definitionem sess. 6. can. 28. de justificatione, ubi oppositum asserentibus infligitur anathema.

2 1. Joann. cap. 4. *Deus charitas est, qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo*. Addo; &, qui charitate excidit, à Deo exulat, ut Absalon, & filius prodigus, à facie patris; non tamen omnem erga eum reverentiam exuit, aut se filium negat, & subditum, quin & peccator optare potest motivo fidei, timoris, spei, religionis reditum ad Dei amicitiam, antequam eam charitate comparaverit. Interim omnem peccatori cuilibet denegare religionem, novitas est inter Catholicos inaudita.

3 1. Cor. 13. „ Si linguis hominum „ loquar, & Angelorum; charitatem autem „ non habeam, factus sum velut æs sonans, „ aut cymbalum tinniens „. Interpres Angelicus lect. 1. „ Translati sumus de mor„ te ad vitam, quoniam diligimus fratres; „ qui non diligit, manet in morte. Rectè „ ergo comparat (Apostolus) loquelam „ charitate carentem sono rei mortuæ, sci„ licet æris, aut cymbali, quod licèt cla„ rum sonum reddat; non tamen est vivus; „ sed mortuus: ita etiam locutio hominis „ charitate carentis, quantumcumque sit „ diserta, tamen habetur pro mortua, quia „ non proficit ad meritum vitæ æternæ.

Locutionem, & quidquid actionis, etiam optimæ, est in homine charitatis experte, non proficere ad meritum vitæ æternæ, asserunt cum Angelico Theologi omnes; sed neque Angelicus, neque ullus ejus discipulus, aut alterius sectator scholæ Catholicæ sic locum Apostoli interpretatur, ut, ubicumque deest charitas, neque Deus sit, neque religio. Oppositum tenent universi cum Tridentino Concilio sess. 6. cap. 6. & can. 28. rursus sess. 14. cap. 4.

Et quis præter Quesnelli asseclas non agnoscat, peccatores, etiam antequam advenerit charitas, posse actibus supernaturalibus, sive ex gratiæ subsidio elicitis credere, timere, sperare, dolorem aliquem concipere de peccatis, quo attriti se ad charitatem,

atque perfectam pœnitentiam disponant? Quis orthodoxus non fateatur cum S. Thoma 2. 2. quæst 83. art. 16. peccatorem utiliter orare posse, & aliquid suis precibus impetrare? *Quamvis enim*, inquit, *ejus oratio non sit meritoria, potest tamen esse impetrativa, quia meritum innititur justitiæ; sed impetratio gratiæ*. In quo autem est fides divina, timor supernaturalis, spes, & oratio, quomodo dicetur neque Deus esse, neque religio, etsi nondum sedem fixerit charitas; sed ad eam animus tot bonis actibus disponatur? Tam horridæ novitatis pudet ipsum Quesnelli vindicem *Collatorem*, vel pudorem simulat, ut fallat; de quo vide, quæ superiore capite disputata sunt.

Non videt autem Hexaplorum author, quàm miserè in suis objectionibus cæcutiat, dum, quod addit ex Apostolo, adeò non patrocinatur novo dogmati, ut illud penitùs pessumdet: *Et, si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam; charitatem autem non habuero, nihil sum*. S. Thomas *omnem fidem* interpretatur *fidem perfectam*: Et ipse adversarius *toute la foy possible*, *omnem fidem possibilem*. Quis verò de peccatoribus ordinariis, in unum fortè delictum mortiferum ex infirmitate carnalis concupiscentiæ lapsis, ac proinde charitate destitutis, dixerit, quòd neque Deum habeant, neque religionem, maximè *si perfectæ fidei*, & bonæ spei Christiani sint, qui Deum precibus, eleemosynis, jejuniis, pro dono efficacis pœnitentiæ, & charitatis obsecrant? Tam atrocem contumeliam, imò calumniam peccatoribus istiusmodi nullus præter Quesnellum, & afflatos ejus spiritu discipulos impegerit: communissimâ enim loquendi consuetudine, ferè de solis atheis, vel atheorum instar dissolutissimè viventibus dicitur, quòd neque Deus penès illos sit, neque religio.

4 Rom. cap. 13. *Plenitudo ergo legis est dilectio*. Dicimus idem cum Apostolo, & cum Angelico interpretamur, *id est, per dilectionem lex impletur, & perficitur. Eccli. 24. in plenitudine Sanctorum detentio mea. Coloss. 3. Charitatem habete, quod est vinculum perfectionis*. Sed non propterea Deus abnegatur, vel omnis arcetur religio ab actibus, quos non imperaverit charitas. Neque desinit vera legis obedientia esse in multis actibus, quibus charitas defuerit; ut tres olim definivêre Pontifices contra hanc Baji Proposit. 16. *Non est vera legis obedientia sinè charitate*.

Aliud itaque est, tantam prædicari charitatis efficaciam, ut nihil adeò in legibus arduum sit, quod non superet, nullum quod forti suo imperio non impleat mandarum; quæ Theologorum omnium sententia est: aliud, nulli Divino jussui, vel consilio consensum, & obedientiam præstari, nisi ex charitatis imperio, ut errans Bajus asseruit; sed à Sede Apostolica, & orthodoxa Ecclesia meliùs edoctus publicè retractavit; meliùs se religiosum probans charitatis discipulum, obediendo Pontificibus, quàm charitatis necessitatem ultra veritatis catholicæ limites præposterè extendendo, ut extendunt hic Sedis Apostolicæ adversarii: ipsi verè æra sonantia; sed mortua, & tinnientia inanissimè sinè spiritu cymbala.

5 Jacobi cap. 1. vers. 27. *Religio munda, & immaculata apud Deum & Patrem hæc est, visitare pupillos, & viduas in tribulatione eorum*. Adversarius omittit *& immaculatum se custodire ab hoc sæculo*, sinè quo non solùm Jacobi sententia imperfecta est; sed etiam videretur forsitan non satis congruere illi, quod Paulus ait 1. Cor. 13. *Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, ... charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest*. Nam pars quidem religionis Christianæ est, in misericordiæ operibus se propter Deum exercere; sed non tota in iis religio nostra consistit: plura comprehendit illud *& immaculatum se custodire ab hoc sæculo*, in quo continetur omnium observatio mandatorum.

Opponit hìc Jacobus Christianos Judæis, & Gentilibus. A Judæis enim religio, & mundities præcipuè constituebatur in ceremoniis, & purificationibus legalibus: Gentilibus magna religio erat multorum Numinum cultus, cum nefandis sacrificiis, & ritibus. Fortè etiam alluserit ad spurcissimas hæreticorum sectas, quas spiritu prophetico prævideret secuturas, quales fuêre Gnosticorum, Carpocratianorum, Ophitarum, Lutheri, Calvini, & recentiùs Quietistarum.

Interim suspensus forsitan hæret lector, ut intelligat, quomodo ea Jacobi sententia ab adversario applicetur damnato articulo. Applicationis ratio nulla redditur; faciliùs nempe adversariis visum est, &, ad fascinandos simplices magis idoneum, coacervare textus, quàm ostendere eorum cum proscriptis dogmatibus consensum, quod præstare non nisi rationibus ineptissimis possent: neque fructus earum alius foret, quàm ut authores suos redderent ridiculos. Experiamur nos quid argumenti elici valeat pro Quesnelli articulo.

Religio munda, & immaculata consistit partim

Partim in viſitandis pupillis, & viduis, partim in cuſtodiendo ſe immaculato ab hoc ſeculo. Igitur non eſt religio ulla, ſive ullus religionis actus, ubi non eſt pupillorum, ac viduarum viſitatio, quæ eſt charitas.

Similis quodammodo eſt argumentatio hæreticorum, qui apud Cornelium à Lapide Monachorum in ſolitudine degentium inſtitutum arguunt eò, quòd non viſiteut pupillos, & viduas, in quo juxta Jacobum *conſiſtit religio munda, & immaculata*. Quibus ſic reſpondet Doctiſſimus interpres: „ Perperam hæretici hunc locum intorquent, contra Monachos ſolitarios, qui „ pupillos non viſitant; religio enim eſt „ multiplex, multaſque ſpecies complectitur; adeóque religio Monachorum eſt „ vera, & propriè dicta; ipſi enim toti ſunt „ in Deo adorando, meditando, laudando &c.

Neque deſinit cultus eorum eſſe religioſus, poſtquam in delictum aliquod ex infirmitate lapſi excidêre charitate, & juſtitiâ; ſi interim attriti formidine Divini judicii, & perennium ſuppliciorum debitâ reverentiâ exteriore, & interiore laudes Deo canunt, gratias agunt, pro beneficiis creationis, redemptionis, & tantæ clementiæ, qua peccantes hactenus ſuſtinuit, dans locum pœnitentiæ, tot ad eam hortamenta, & auxilia ſubminiſtrans: qui proinde pro ipſa charitatis gratia humiliter deprecantur. Quis iſtinſmodi attritos carêre Deo, & omni religione præter Queſnellianos affirmaverit?

6 Hic terminant Scripturas ſuas Hexapla, quarum nullam Queſnelliano dogmati aptandam cenſuit Collator præter eam 1. Joann. 4. *Deus charitas eſt*, & *qui manet in charitate, in Deo manet*, & *Deus in eo*, unde nihil præſidii erui pro damnato articulo, ſuperiùs demonſtravi.

Additur ex eodem cap. verſ. 8. *Qui non diligit, non novit Deum, quia Deus charitas eſt*: qui locus, ſi in rigore acciperetur, ut omnem prorſus Dei notitiam adimeret cuilibet peccatori, ſubverteret Tridentini Concilii canonem 28. ſeſſ. 6. de juſtificatione, ubi immeritò infligeretur anathema dicentibus: *Amiſsâ per peccatum gratiâ, fidem ſemper amitti*; quæ enim fides Divina eſſe poteſt ſinè omni Dei notitia? Neque illum poſſe eſſe ſacris vocibus intellectum, quotidiana peccantium, & tamen Deum profitentium, experientia evincit.

Senſus ergo eſt, quòd, qui non diligit, non noverit Deum ſicut oportet, & ſatis ſalubriter, ſive, ut ait Cornelius à Lapide, „ Eſto ſpeculativè noſcat Deum, practicè „ tamen, ideſt experimentaliter, & ſapidè „ non novit Deum: ſicut mellis ſaporem, „ & dulcedinem nemo novit per experientiam, & ſaporem, niſi qui illud guſtat, & „ ſapit; ſicut enim ſapor ſapiendo, ita amor „ amando practicè cognoſcitur, guſtatur, „ & ſapitur. „ Peccatorem tamen adſpirantem ad veram pœnitentiam, ideoque uberius, & fortius à Deo auxilium poſtulantem non omni Dei notitiâ, & fide deſtitui, ac proinde non omni religione, ex ipſo patet converſionis deſiderio, oratione, & ſubinde jejunio, ac eleemoſynis ad impetrandum charitatis, & pœnitentiæ donum ſeriò directis.

7 Denique, inquit *Collator*, ad Epheſios cap. 2. verſ. 12. dicitur: *Eratis in illo tempore ſinè Chriſto, & ſinè Deo in hoc mundo.* Igitur nec Deus eſt, nec religio, ubi non eſt charitas. Reddamus nos textum Apoſtoli integrum: „ Eratis in illo tempore ſinè „ Chriſto alienati à converſatione Iſraël, „ & hoſpites teſtamentorum, promiſſionis „ ſpem non habentes, & ſinè Deo in hoc „ mundo. „

Audiatur nunc Commentarius S. Thomæ „ Eratis in illo tempore &c. circa primum ponit (Apoſtolus) tria mala: primò „ gentilitatis crimen, quando idolis ſerviebant, cùm dicit, quia aliquando vos „ gentes eratis 1. Cor. 1. Scitis quoniam „ cùm gentes eſſetis, ad ſimulacra muta, „ prout ducebamini, euntes.... ſecundò „ tangit ſocietatem Sanctorum, quâ privabantur quamdiu in gentilitate permanebant; cùm dicit alienati à converſatione „ Iſraël; quia ſcilicet Judæis cum gentibus „ non erat licitum converſari.... Ulteriùs „ ponit ſummam damnificationem, quâ „ damnificabantur, ſcilicet ob Dei ignorantiam. Ibi, & ſinè Deo in hoc mundo, „ id eſt, ſinè cognitione Dei Pſalmo 75. „ Notus in Judæa Deus; non autem gentibus, ut dicitur 1. Theſſ. 4. Non in paſſione deſiderii, ſicut & Gentes, quæ „ ignorant Deum: quod tamen intelligitur de cognitione, quæ eſt per fidem, „ nam de cognitione naturali dicitur Rom. 1. Qui cùm cognoviſſent Deum, non „ ſicut Deum glorificaverunt.

Agit itaque Apoſtolus non de peccatoribus quibuſvis, etiam Chriſtianis; ſed de Gentilibus, & Idololatris. Hos ſinè Deo, & religione eſſe, ultro omnes agnoſcimus; ſed quod de Gentilibus dicitur, applicare Chriſtianis, & Catholicis peccatoribus propter ſolius abſentiam charitatis, dignum hære-

hæreticis, & novitatis ardore insanientibus argumentum est, quo non solùm Quesnelli Propositio; sed etiam damnata in Tridentino sess. 6. can. 28., quæ eadem cum Quesneliana est, ab inferis revocaretur.

Isto fatuæ ratiocinationis vitio, quo ex particulari antecedente conclusio deducitur universalis, ut hic à Gentilibus, & Idololatris, vel subinde Atheis ad peccatores omnes, etiam Christianos, & Catholicos, laborare passim contra nos novaturientium argumenta, notavi sæpissimè tom. 1. in Propositionibus de gratia, quod in pluribus aliis lectoris utcumque logici attentio facilè deprehendet.

CAPUT IV.

Expenduntur objectæ Patrum Sententiæ.

1 Placet adversariis brevis lacinia ex Augustini Epistola 140., sed veritatis lucem amantibus placebit magis textus integer, cujus pars posterior facilè dissipat tenebras, quas ex priore mutilâ adversarius speraverat. „ Qui timetis „ Dominum, laudate eum; quis autem ve„ raciter laudat, nisi qui sinceriter amet? „ Tantundem ergo est, ac si diceret, qui „ timetis Dominum, amate eum; dixit „ enim homini sicut scriptum est: Ecce „ pietas est Sapientia. Porrò pietas cultus „ Dei est; nec colitur ille, nisi amando; sum„ ma igitur, & vera Sapientia est in præce„ pto illo primo, Diliges Dominum Deum „ tuum ex toto corde tuo: ac per hoc Sa„ pientia est charitas Dei: nec diffunditur „ in cordibus nostris, nisi per Spiritum „ Sanctum, qui datus est nobis. Initium „ autem Sapientiæ timor Domini. Et ti„ mor non est in charitate; sed perfecta „ charitas foràs mittit timorem. Proinde „ præmissus timor in cor, pellit indè con„ suetudinem malorum operum, & servat „ charitati locum, quâ, tanquam Dominâ, „ veniente, ut illa insideat, abscedit. Er„ go qui timetis Dominum, laudate eum, „ ut non serviliter; sed liberè colatis; „ eum amare discite, & poteritis laudare, „ quod amatis.

Excitat Augustinus ad cultum Dei non secundùm quid; sed absolutum, & perfectum, laudationemque similem, & perfectam charitatem, quæ foràs mittit timorem; licet hic, ut servus, venienti Dominæ locum præparaverit, expellendo consuetudinem peccandi, ut appulsæ Dominæ, & insidere volenti locum cedat.

Etsi igitur timorem expellat perfecta charitas, neque sinè hac cultus habeatur sufficiens ad salutem, pro qua unicè solicitus est Augustinus: Quòd tamen etiam timor ille charitati prævius, & ad eam animum præparans expellendo consuetudinem peccandi, initium Divini cultûs sit, patet ipso Augustino, & Scripturis testibus, quia *initium Sapientiæ timor Domini*, & *Sapientia est charitas Dei*. Timor autem initium charitatis extrinsecum est, quandoquidem ille servus sit; hæc domina, cui venienti locum præparat, ut abscedat, eâ ingrediente. Quis igitur interea, dum timor Domini consuetudinem peccandi expellit, dum locum præparat charitati, dicet ibi, nec Deum esse, nec religionem? Talis contumelia convenit atheis, vel atheorum more viventibus; non verò timentibus Deum, & *timore* illo *expellentibus peccandi consuetudinem, ac locum præparantibus charitati*.

Simili modo loquitur Augustinus Tract. 9. in Epist. Joan. *Stimulat timor; sed noli timere; intrat charitas, quæ sanat quod vulnerat timor; timor Dei sic vulnerat, quomodo medici ferramentum putredinem tollit. Opus est ergo, ut intret timor primò, per quem veniat charitas. Timor medicamentum, charitas sanitas.* Quid si tam salutarem formidinem spes, ut solet, comitetur, antequam charitas advenerit; an adhuc dicendus est, nec Deus ibi esse, nec religio? Non sic iterum Augustinus; sed malesanam adversantium censuram, & inhumanam contra peccatores se convertere conantes calumniam repellit libro de catechizandis rudibus cap. 17. ubi relatis duabus, Ecclesiæ adscribi volentium classibus, ob fines non supernaturales, neque salutiferos, tertiam laudat dicens; „ Qui autem propter beatitudinem sempi„ ternam, & perpetuam requiem, quæ post „ hanc vitâ Sanctis futura promittitur, vult „ fieri Christianus, ut non eat in ignem æter„ num cum diabolo; sed in regnum æternum „ intret cum Christo, verè ipse Christianus „ est, cautus in omni tentatione, nè prospe„ ris rebus corrumpatur, & nè frangatur „ adversis; & in abundantia bonorum ter„ renorum modestus, & temperans, & in „ tribulationibus fortis, & patiens: qui „ etiam proficiendo perveniet ad talem „ animum, ut plus amet Deum, quàm timeat „ gehennam; ut, etiamsi dicat illi Deus, „ utere deliciis carnalibus sempiternis, „ &, quantum potes, pecca, non morieris, „ nec in gehennam mitteris; sed mecum „ tantummodo non eris; exhorrescat, & „ om-

„ omnino non peccet: non jam ut illud, „ quod timebat, non incidat; sed nè illum, „ quem sic amat, offendat: in quo uno est „ requies, quam oculus non vidit &c.

Ediſſerant modò nobis adverſarii, an in illo, quem Auguſtinus prædicat, ut *verè Chriſtianum*, cautum in omni tentatione, nè proſperis rebus corrumpatur, & nè frangatur adverſis, in abundantia terrenorum bonorum modeſtum, & temperantem, & in tribulationibus fortem, & patientem; ediſſerant, inquam, adverſarii, an in iſtiuſmodi Chriſtiano, Auguſtini ſententiâ, nec Deus ſit, nec religio, antequam memoratis virtutibus acceſſerit charitas, quæ initio non adfuiſſe ſupponitur, quandoquidem, illis jam habitis, ſperetur paulatim promovendus, ut Deum ſuper omnia diligat: *Qui etiam proficiendo perveniet ad talem animum, ut plus amet Deum, quàm timeat gehennam*.

Si aſſerant, talem hominem, qui Auguſtino *verè Chriſtianus* eſt, ac tot ornatus virtutum actibus, neque Deum habere, neque religionem, antequam proficiendo perveneerit ad talem animum, ut plus amet Deum, quàm timeat gehennam, evidens eſt, eos palàm nuntium Auguſtino remittere, cujus nomine, & patrocinio mendaciſſimè gloriantur.

Quod Hexapla objiciunt ex ejuſdem Sancti Epiſtola 167. cap. 3. priùs allegatum ab iis fuerat ad Propoſitionem 56. ibique cum communi Eccleſiæ doctrina à me facilè compoſitum. Textui iſti prorſus ſimilis eſt qui à Collatore adducitur ex lib. 12. de Trinit. cap. 14.

2 Ex eodem S. Doctore citatur illud libri de dono perſeverantiæ cap. 16. *Si autem gratia prævenit fidem, quoniam prævenit voluntatem, profectò prævenit omnem obedientiam, prævenit etiam charitatem, quâ unâ Deo veraciter, ſuaviterque obeditur*, quia una charitas implet omnia Dei præcepta; qui enim Deum ſuper omnia diligit, nihil eſt, quod ejus intuitu amplecti paratus non ſit, & non exequatur etiam cum gaudio; dum ex timore obediens non ea alacritate, & dulcedine; ſed cum luctâ, & triſtitia quadam, ſaltèm involuntariâ, efficit, quod mandatur. Verumtamen de eo, qui non ex charitate; ſed ex formidine Divini judicii, ac gehennæ obtemperat, reluctante parte hominis inferiore, ſeu concupiſcentiâ, & ſenſualitate, proinde ſinè ea dulcedine, quæ amantibus propria eſt, nemo ſapiens dixerit, quòd propterea neque Deum habeat, neque religionem. Atheus quidem, & Libertinus nullo timore Dei, aut æternitatis ducitur ad virtutem, aut à peccatis avertitur; ſed iſtud immeritò omnibus inter Chriſtianos peccantibus applicueris.

Quod autem non ſola charitas, ſed etiam timor, & ſpes ante charitatis adventum obtineat ab homine obſervationem mandatorum in Auguſtini ſententiâ, invictiſſimè demonſtrat quod attuli ex ipſius libro de catechizandis rudibus cap. 17. Interea enim dum quis nondum charitate ducitur; ſed ſpe ſolummodo, & timore, *qui propter beatitudinem ſempiternam, & perpetuam requiem, quæ poſt hanc vitam Sanctis futura promittitur, vult fieri Chriſtianus, ut non eat in ignem æternum cum Diabolo, ſed in regnum æternum intret cum Chriſto, verè ipſe Chriſtianus eſt*. Implet itaque præceptum credendi, & ſperandi in Chriſtum, neque duo illa tantùm; ſed etiam eſt *cautus in omni tentatione, nè proſperis corrumpatur, & nè frangatur adverſis, & in abundantia bonorum terrenorum modeſtus, & temperans, & in tribulationibus fortis, & patiens*; nondum tamen charitate præditus eſt, ſed iis diſpoſitionibus præparatus ad eam paulatim promovebitur, ſive ut Auguſtinus loquitur, *proficiendo perveniet ad talem animum, ut plus amet Deum, quàm timeat gehennam*.

Cùm igitur Auguſtinus libro de dono perſeverantiæ cap. 16. de charitate ait, quòd eâ unâ Deo *veraciter, ſuaviterque obeditur*, non ſignificat, quòd nulla Dei juſſio à charitate carentibus impleatur; ſed quòd ſinè ea non ſerventur præcepta omnia; non enim ſervatur primum, & maximum dilectionis: non dicitur ſcilicet ſimpliciter, & abſolutè, ſive *veraciter, & ſuaviter* Deo obedire, niſi qui omnia ejus exequitur mandata, ſaltèm in materia gravi.

Sed adverſariorum ſcopus eſt parum dignus Auguſtini diſcipulis, ut ejus authoritate reſuſcitent errorem pridem à tribus Pontificibus in Bajo juſtiſſimè damnatum: *Non eſt vera legis obedientia, quæ fit ſinè charitate*.

3 Auguſtinianis citationibus Hexapla finem imponunt iſtâ ex libro 10. de civitate Dei cap. 3. *Deo ſacrificamus hoſtiam humilitatis, & laudis in ara cordis igne fervida charitatis.... Hic eſt Dei cultus, hæc vera religio, hæc recta pietas, hæc tantùm Deo debita ſervitus*.

Qui in cumulandorum textuum multitudine copioſi nimiùm, & prodigi, in ſingulorum relationibus æquo parciores ſunt, & mutilationum amantes; non fruſtrà tamen, nec abſque fallendi conſilio. Nos aliqua ſaltèm aperiendo magis Auguſtini ſenſui ido-

idonea restituamus. Post *fervida charitatis*, sequitur: „ Ad hunc videndum, sicut videri poterit, eique cohærendum, ab omni peccatorum, & cupiditatum malarum labe mundamur, & ejus nomini consecramur. Ipse enim fons nostræ beatitudinis, ipse omnis appetitionis est finis. Hunc eligentes, vel potius religentes (amiseramus enim negligentes) hunc ergo religentes, unde & religio dicta perhibetur, ad eum dilectione tendimus, ut perveniendo quiescamus: ideo beati, quia illo fine perfecti. Bonum enim nostrum, de cujus fine inter philosophos magna contentio est, nullum est aliud, quam illi inhærere: cujus unius anima intellectualis, incorporeo, si dici potest, amplexu veris impletur, fœcundaturque virtutibus; ut enim homo sese diligere nosset, constitutus est ei finis, quo referret omnia, quæ ageret, ut beatus esset. Hic autem finis est, adhærere Deo „. Plura eodem sensu prosequens, hoc tandem concludit epiphonemate: *Hic est Dei cultus: hæc vera religio: hæc recta pietas: hæc tantùm Deo debita servitus*.

Jam, credo, percipis Lector, cur adversarius in Augustini sententia caudam capiti junxerit, præcipua parte corporis prætermissâ, unde S. Doctoris sensus integer colligi facilè potuisset. Epiphonema scilicet ea, quibus propinquiùs connectitur, certiùs afficit, pertinentque ad spem Christianam, seu amorem beatitudinis; *ut enim homo sese diligere nosset, constitutus est ei finis, quo referret omnia, quæ ageret, ut beatus esset; non enim qui se diligit, aliud vult esse, quàm beatus. Hic autem finis est, adhærere Deo*, (ut illo fruendo beatus sit) *Hic est Dei cultus: hæc vera religio: hæc recta pietas, hæc tantùm Deo debita servitus*.

Non disputabo hìc, quod disceptatum ab aliis video, an charitatis nomine superiùs non veniat spes Christiana, sicut lib.5. de civit. cap.24. monet frænandas esse cupiditates, *non propter ardorem inanis gloriæ; sed propter charitatem felicitatis æternæ*. Et quæ in objecta sententia sequuntur, interpretationi illi forsitan favent.

Supponamus tamen & charitatem in propriissima illic accipi significatione, & epiphonema non solùm ad ultima; sed etiam ad prima referendum: tum sensus erit, cultum Dei, veram religionem, rectam pietatem, Deo debitam servitutem ad omomnia, quæ illic enumerantur, se extendere; videlicet ad amorem Dei, & beatitudinis æternæ, sive charitatem, & spem, ad emundationem ab omni labe peccatorum, & cupiditatibus voluntariis, ac simul verarum plenitudinem, fœcunditatemque virtutum. Hæc omnia pertinere ad Dei cultum, veram religionem, rectam pietatem, ac Deo debitam servitutem, nullus negaverit; non ideo tamen asserendum, quod nullus asserit catholicus, *nec Deum esse*, *nec religionem*, ubicumque eorum aliquid defecerit. Istiusmodi enim contumeliosissima enuntiatio non solùm significat charitatis, sed spei simul, & fidei, in moribus saltèm, absentiam, vitamque, qualis in libertinis, & atheis solet, dissolutissimam reperiri.

4 Nihil parit difficultatis quod tum Hexapla, tum Collator ingerunt, ex Petro Chrysologo serm. 53. de Pace: *Charitas ex Deo est, sinè Deo ergo est, qui non habet charitatem*. Non hìc de religione erga Deum; sed de proximi charitate sermonem esse, liquet, non truncatam laciniam, sed integram sententiam consideranti: *Videtis ergo, Fratres dilectissimi, quare pax amanda est, & diligenda concordia; ista sunt enim, quæ generant, & nutriunt charitatem; scitis autem secundùm Apostolum, quia charitas, ex Deo est &c.* ut supra. Fatebimur tamen, eum, qui pacem, & concordiam violat, ut proximo debita charitate non utitur, exui etiam charitate Dei, atque ipsius Numinis quodammodo facere jacturam, ut sermone satis usitato dicatur *sinè Deo esse, qui non habet charitatem*; ut enim Augustinus in Psalmum 141. n.4. ait, *Ubi est ipse Deus? Interroga Joannem: Deus charitas est; quisquis habet charitatem.... conscientiam suam attendat, & ibi videt Deum. Si charitas ibi non habitat, non ibi habitat Deus; si enim charitas ibi habitat, Deus ibi habitat*.

Admittimus itaque, Deum non esse, id est, non habitare, ubi non est charitas; sed negamus, Deum per nullum religionis actum, ac nequidem per *salutarem* sui *notitiam* esse, ubi non est charitas: talem autem esse sensum Quesnellianæ Propositionis, patet ex integra *observatione* relatâ supra c.2. num.1.

5 Ultro assentior Collatori asserenti ex Augustino Enchirid. cap. 5. *Si diligenter quæ ad Christum pertinent, cogitentur, nomine tenus invenitur Christus apud quoslibet hæreticos, qui se Christianos vocari volunt; re ipsa verò non est apud eos*. Ubi enim vera fides non est, quomodo spes esse poterit, aut religio, cùm illa utriusque radix necessaria, & fundamentum sit? Augustinus libro de prædestinatione Sanctorum cap.7. ait: *Fides prima datur, ex qua cætera impetrantur*.

Præ-

Præcipuus Auguftini difcipulus S. Profper in refponf.ad dubium octavum Genuenfium: *Fides eft virtutum omnium fundamentum*. Gregorius Magnus lib.2. Moralium cap.33. *Si fides non prima in corde noftro gignitur, reliqua quæque bona effe non poffunt*.

Verùm ex eo, quòd *haeretici quilibet* non nifi nomine tenus Chriftum habeant, & Chriftianotum nomine inaniter glorientur, quid probabilis argumenti conficies, quo peccatori cuilibet omnem auferas religionem; ut *nec Deus fit, nec religio ubi non eft charitas*?

Si quis hanc Quefnelli fententiam in ipfum converteret authorem, & ejus affeclas, quòd nempe nec Deus penès illos fit, nec religio, non illud colligeret ex folâ charitatis abfentiâ; quantumvis crimen grave fit, commendatam fuperiùs à Petro Chryfologo pacem, & concordiam, in univerfa quodammodo turbare, & peffumdare Ecclefia; fed propter hærefim multiplicem, partim à Pio V., Gregorio XIII., Urbano VIII., partim ab Innocentio X., Alexandro VII., Alexandro VIII., Clemente XI. damnatam, & contra omnia anathemata à novatoribus illis obftinatiffimè in dies defenfam.

Quinquagefimanona Propofitio damnata.

Oratio impiorum eft novum peccatum; & quod Deus illis concedit, eft novum in eos judicium. *Obferv. Moral. in Joan.* 10. *v.*25. *edit. anni* 1693.

CAPUT I.

Propofitionis error impugnatur.

1 Quefnellus hic fibi vadem afcifcit Auguftinum in Pfal. 108. cùm ait: *Oratio, quæ non fit per Chriftum, non folùm non poteft delere peccatū, fed etiam ipfa fit peccatum*. Si nempè orans non in Chrifti meritis humiliter, fed in fuis fuperbè operibus confidat. Etiam juxta S. Thomam quædam oratio impii novum peccatum eft, 2. 2. quæft.83. art.15. ad 2. *Puta fi petat complementum fui peccati*. Eandem explicationem tradit art.16. Corp. Vertitur indubiè oratio luxuriofo in peccatum, fi impudicam amafiæ confecutionem poftulet: avaro, fi divitias immodicè, & in malum finem cumulandas: irato, & vindictam fpiranti, fi mortem expetat inimici. Idem confirmat Auguftinus Serm.56. *Si oras* (inquit) mala *inimicis tuis, oratio tua fiet in peccatum*.

Tam benigna *obfervationi morali* interpretatio minimè competit; non folùm quia illimitata eft, & nullis reftringitur circumftantiis; fed etiam, quia author omnem iftiufmodi mitigationi occludit aditum, dum omnia finè charitate opera effe peccata toties inculcat, Prop.44. 45. 46. 47. &c.

2 Si omnis oratio impiorum eft novum peccatum, & quod Deus illis concedit, eft novum in eos judicium, tenentur ab omni oratione, velut à peccato novo femper abftinere, & vel templa, Miffæ Sacrificia, & quafvis proximas orandi occafiones fugere; vel, fi affiftere neceffe fit, fingulari cavere ftudio, nè fortè aliorum exemplo ad preces alliciantur, futuras fibi peccatum novum, & novam contra fe caufam judicii.

In facris hiftoriis tot legimus impiorum exempla, qui in impietate fua certas Chrifto, aut Deiparæ, aut inferioribus Sanctis preces quotidie perfolvere foliti pro obtinenda aliquando converfionis gratiâ, eam tandem fingulari beneficio adepti funt. Si omnis impiorum oratio, novo eis verteretur peccato, minimè idonea foret ad converfionem difpofitio; fed potiùs impedimentum.

3 Orationem antem converfionis obicem, aut novum peccatum adeò non exiftimant animarum in Ecclefia catholica Paftores, Ecclefiaftæ, & Sacramenti pœnitentiæ adminiftri, ut inter cætera pietatis, & pœnitudinis officia, orationis ftudium in primis commendent, qua & Sanctorum fibi patrocinium depofcant, & paulatim recipiendæ Dei mifericordiæ magis reddantur difpofiti. Sed quod tandem malorum remedium *Obfervator moralis* fuggeret? Non enim videtur hactenus aliud velle, quàm impios in defperationis abyffum præcipites agere, & vitiis laxare fræna, qui caftigatioris ethicæ laudem fibi fuifque velut propriam vindicat.

Præcipietne eleemofynas, jejunia, cilicia, cæterafque carnis macerationes, quibus effræne corpus paulatim in fervitutem redigat, divinæque mifericordiæ effectibus recipiendis aptior efficiatur? Minimè; *Quid enim*, inquit Propof.1. *aliud remanet animæ, quæ Deum, ejufque gratiam amifit, nifi peccatum, & peccati confecutiones, fuperba paupertas*,

tas, & segnis indigentia; hoc est, generalis impotentia ad laborem, ad orationem, & ad omne opus bonum.

Præterea quo principio, qua virtute, quo adjutorio impius ullum opus bonum, vel leviſſimum perficiat, inchoet, vel aggredi decernat? Propoſ.2. *Jeſu Chriſti gratia principium efficax boni cujuſcumque generis neceſſaria eſt ad omne opus bonum: abſque illa non ſolùm nihil fit; ſed nec fieri poteſt.* Secundæ junge Propoſitionem 28. *Prima gratia, quam Deus concedit peccatori, eſt peccatorum remiſſio.*

His poſitis, vides impio, imò cuicumque peccatori ante reconciliationem omne opus bonum, omne boni deſiderium, omnem utilem de converſione cogitationem, atque ita diſpoſitionem vel minimam ad meliorem frugem eſſe impoſſibilem. Quomodo igitur in poteſtate impii foret ſalutifera oratio? Non per gratiam, qua omni penitùs deſtituitur juxta Propoſitionem 28., non viribus naturæ, ut voluit Pelagius; imò juxta Prop.38. *Peccator non eſt liber niſi ad malum ſinè gratia liberatoris.* 39. *Voluntas, quam gratia non prævenit; nihil habet luminis, niſi ad aberrandum; ardoris, niſi ad ſe præcipitandum; virium, niſi ad ſe vulnerandum: eſt capax omnis mali, & incapax ad omne bonum.* 40. *Sinè gratia nihil amare poſſumus, niſi ad noſtram condemnationem.*

Sed præcipuè ſemper præ oculis habeatur 28., nullam dari gratiam peccatori quamdiu peccator eſt, ſive, ut verbis propoſitionis utar, *Prima gratia, quam Deus concedit peccatori, eſt peccatorum remiſſio.*

E quibus exploratiſſimum fit, peccatorem, quamdiu in peccato eſt, juxta hunc theologum, orare non poſſe; non enim auxilio gratiæ, quo caret; ſi autem ſinè illo orare contigerit, cùm *peccator ſinè gratia liberatoris non ſit liber niſi ad malum*, evidens eſt, orationem illam novo eſſe obnoxiam delicto. Atque ita propoſitio 59., quam modò diſcutimus, non ſolùm in terminis conſpicitur loco ſuperiùs indicato, ſed eſt præterea conſecutio neceſſaria in præcedentibus Queſnelli propoſitionibus clariſſimè contenta.

Terrificum igitur dogma, *Oratio impiorum eſt novum peccatum, & quod Deus illis concedit, eſt novum in eos judicium*, non eſt capax ullius explicationis ſanæ, qualem Auguſtini ſententiæ dedimus cum Angelico; ſed planè accipienda eſt, ut ſonat, in ſenſu rigido, & minimè orthodoxo.

4 Quid itaque tandem ſupereſt impio, aut peccatori cuilibet, ſi, quamdiu peccator eſt, omni caret gratiâ, & ſinè illa omnis actio, etiam oratio, in novum vertitur peccatum? quid conſilii mirificus animorum director Queſnellus miſeris dabit, quo è luctuoſo damnationis ſtatu emergere valeant, & iram Dei vindicem placare?

Si ſuis inhæſerit principiis, aliud ſuadere non poterit, quàm iners otium, & ceſſationem ab omni prorſus opere; quantumvis aliàs ſancto, ut eſt oratio, quia, cùm juxta citatas ejus in variis propoſitionibus *Obſervationes*, peccatorem ante juſtificationis gratiam in omnibus actibus peccare neceſſe ſit, quo plus operis, aliàs, ut apparebat, ſanctiſſimi, ſibi agendum propoſuerit, eò ſemper peccabit ampliùs, magis Dei contra ſe irritabit juſtitiam, magiſque à reconciliatione removebitur. Unde præcipere debebunt Queſnelliani conſulentibus ſe peccatoribus, ut ſtudioſâ ab omni opere ceſſatione, divinæ ſe providentiæ committant in otio, &, ſi poſſent, in perpetuo quaſi ſomno expectent, quod Dei ſeu miſericordia, ſeu juſtitia de ſe ſtatuerit; ſive ut in peccato deſerti pereant, ſive ut ex pura Dei miſericordia, ſinè ulla ſua ad juſtitiam diſpoſitione, juſtificationis gratiam infuſam accipiant, juxta propoſitionem 28. *Prima gratia, quam Deus concedit peccatori, eſt peccatorum remiſſio.*

Sic novus inducitur Quietiſmus cum priore certaturus, uter majorem animis perniciem adferre natus ſit. Et tamen recentiores hi pœnitentiæ paſſim ſeverioris habentur præcones, & exactores ad exceſſum uſque exoticum rigidi. Sed hæc ad oſtentationem potiùs ſerviunt magiſtrorum, quàm ad peccatorum reconciliari deſiderantium utilitatem. Quæ enim ex ea pœnitentia utilitas, ſi ſingula ante reconciliationem opera, nova peccata ſint, quæ pœnitentis reatum augeant, atque ita longiùs eum removeant à remiſſione criminum, juſtitiâ, ac ſalute?

5 Si verò peccator alios cujuſcumque Scholæ theologos in conſilium adhibuerit, ſuadentes audiet opera pœnitentiæ; nominatim orationes, non tamquam incrementa delictorum, ſed, ut verè ſunt, utiles ad ſanctificationis gratiam diſpoſitiones: audiet illos ſibi dicentes, ut Danielem cap.4. v.24. Nabuchodonoſori, *Peccata tua eleemoſynis redime*: alii etiam jejunia, cilicia, corporis verberationes, & iſtiuſmodi caſtigandæ, domandæque carni opportuna remedia ſuggerent.

Præcipuè verò ſeceſſum à curis tantiſper temporalibus, ut æternorum, atque imprimis

mis quatuor noviffimorum meditationibus attentiùs incumbat, meditationibus jungens frequentem, & humilem orationem, qualem continet Regis feriò pœnitentis Pfalmus 50. *Miferere mei Deus fecundùm magnam mifericordiam tuam, & fecundùm multitudinem miferationum tuarum dele iniquitatem meam &c.* cum fex aliis pfalmis, quos Spiritus Sanctus ad excitandam in peccatoribus pœnitentiam creditur infpiraffe. Impofterum autem, fi Quefnelli novitas invaluerit, non poterunt illi peccatoribus permitti; fed juftis folummodo: neque prioribus dicere licebit quod in Horis canonicis quotidie dici Ecclefia jubet, *Converte nos Deus falutaris nofter, & averte iram tuam à nobis*: è Litaniis expungere oportebit, vel à folis juftis enuntiari, *peccatores, te rogamus audi nos; ut nobis parcas, ut nobis indulgeas, ut ad veram pœnitentiam nos perducere digneris*. Eliminari pariter è facris literis debebunt monita, hortationes, imperia Dei benigniffima inculcata toties peccatoribus omnibus, non excipiendo impios, & idololatras, ut ad creatorem fuum, & Dominum falutari pœnitentiâ revertantur. Quomodo enim illa effe poffunt feriæ in Deo voluntatis indicia, fi nè rogari quidem ab impiis, & quibufvis peccatoribus ante reconciliationem velit? Prop. 50. *Fruftrà clamamus ad Deum, Pater mi, fi Spiritus charitatis non eft ille, qui clamat*. 54. *Sola charitas eft, quæ Deo loquitur: hanc folam Deus audit*. 59. *Oratio impiorum eft novum peccatum, &, quod Deus illis concedit, eft novum in eos judicium*.

6 Non ita Deus, qui de peccatoribus, & quidem impiis enuntiat Ezechielis 18. *Numquid voluntatis mea eft mors impii, dicit Dominus Deus, & non ut convertatur à viis fuis, & vivat? Nolo mortem morientis dicit Dominus, revertimini, & vivite*. Cap. 33. *Dic ad eos: Vivo ego dicit Dominus Deus; nolo mortem impii, fed ut convertatur impius à via fua, & vivat: Convertimini, convertimini... impietas impii non nocebit ei*. Et in novo fœdere defcribitur nobis Deus 2. Petri cap. 3. veluti *Nolens aliquos perire; fed omnes ad pœnitentiam reverti*.

Ipfe Dei Filius pro falute omnium hominum homo factus, qui non venit vocare juftos; fed peccatores ad pœnitentiam. Matth. 11. clamat omnibus, etiam impiis, *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eftis, & ego reficiam vos*: nullus excipitur, nullus excluditur: Vocatio, & invitatio generalis eft. Qui verò laborant magis, qui magis onerati funt, quàm impii? Circa hos maximè cupit cœleftis Medicus virtutem fuæ gratiæ oftendere; proinde excitat eos amantiffimè, ut ad fe veniant, potentiam, & clementiam fuam implorent, arripiant auxiliatricem dexteram. Rom. 10. *Expandi manus meas tota die ad populum non credentem, & contradicentem*. Quæ omnia non fincera, fed fallacia dicentur, fi Deus accedentes humiliter ad fe impios repellat, eorum preces non folùm defpiciat; fed velut novum eis imputet peccatum, & quidquid illis fortè conceſſerit, in novum, & gravius velit effe judicium. Quàm hæc aliena funt ab infinita Dei clementiâ, ab ardentiffimo Servatoris noftri erga omnes homines amore, promifforumque ejus, & teftimoniorum immotâ fide!

Longè aliter, quàm Quefnellus nos docet S. Mater Ecclefia, quæ eft columna, & firmamentum veritatis: Illam proinde peccator quilibet, quantumvis hactenus impius, in pofterum falutis fuæ haud negligens audiat, illam fequatur; miffos verò faciat novatores, crudeles veluti Rhadamantas, qui miferis peccatoribus torquendis folummodò, & ad defperationem adigendis intenti videntur, non medicandis, nec liberandis ab interitu.

CAPUT II.

Obfervationes Hexaplorum *fubdolæ refutantur*.

1 Quas Hexapla præmittendas objectionibus duxêre *Obfervationes*, integras exhibeo. „ In quibus „ circumftantiis P. Quefnel Propofitionem „ fcripferit quinquagefimam nonam, attendere fufficit; ut à pravis fenfibus, qualefcumque ei cavillatio maximè frivola „ tribueret, penitùs liberetur. In pofterioribus editionibus pro *oratio impiorum*, „ pofitum fuerat, *talis oratio*, oè fupereffet „ ampliùs locus difceptationi, num quod „ author dixerat de precibus perverfis, ap„ plicuerit iis, qui orarent inftar Judæorum, „ de quibus occurrerat fermo.

„ Si utraque ea confideratio Quefnel„ lum adversùs omnem prorfus vindicat „ accufationem, quàm fplendidæ luci expo„ nit malitiam eorum, qui articulum de„ nuntiarunt! Quid perfuadere denuntia„ tione fua voluerunt? an ut cenferetur „ Quefnellus afferere, quòd peccent impii, „ quando ad Deum recurrere, ut à pecca„ to fe expediant, eumque implorare hu„ mi-

„ milibus precibus incipiunt? Fierine potest, ut accusatores ipsi authorem crediderint reum erroris, quem denuntiant? Denique quid pluribus istiusmodi molitionibus consequi sperarunt, nisi ut palàm fieret, denuntiationes suas non minùs ex calumniæ, quàm erroris spiritu dimanare „.

Hactenus Hexapla. Propositionis circumstantiæ, ad quas provocamur, sunt, quæ eam in Quesnelli opere præcedunt: *Injusta, ingrata, malevola, simulata, temeraria Judæorum oratio merebatur, ut Christus eam exaudiens concederet illis superabundans luminis incrementum, quod, ut ad eum perdendum subdolè postulabant, eorum ad summum proveheret cæcitatem, & obdurationem*. Tum sequitur damnata propositio: quæ quantumvis secundùm se, & ab antecedentibus præcisa, appareat illimitata, & universali æquivalens; Hexapla tamen persuadere cupiunt, determinationem à præcedentibus accipiendam, ut sola reprehendatur oratio Judæorum, vel illi similis, *injusta, malevola &c.*

Hanc limitationem asseri ex mente Quesnelli, demonstrandum suscipiunt etiam pluribus ejusdem authoris sparsis alibi sententiis. „ Hæc (inquiunt) propositio aliud non significat, nisi quòd oratio impiorum, ut impiorum, sive volentium in peccato vivere, & volutari, novo illis apud Deum vertatur crimini, quòdque Deus illis concedit, cedat in novum contra eos judicium: is sensus genuinus propositionis est, & sermo Scripturis proprius, quarum videtur authoritas debuisse Quesnellum immunem reddere à censura „.

„ Sensus, qui propositioni tribui posset perversus, est, peccatorem, qui dispositus animo, & quodam motus amoris initio, ad Deum se convertere incipit, orando novum committere peccatum; ipsamque orationem novum fieri obicem saluti. Qui sensus reverà falsus est, sed à sententia Quesnelli remotissimus; ut demonstratu facilè est ex pluribus ejus assertionibus contrariis „.

„ In Joannis caput 9. v. 31. ait: *Preces impii, in impietate persistere volentis, seductoris, & Peccatorum istiusmodi, qui nullam de conversione admittere cogitationem volunt, Deus rejicit; numquam autem peccatoris odio habentis peccatum ex amore Dei*„.

„ In caput Joannis 16. v. 23. *Peccator tamquam Adami filius, non meretur nisi à Deo rejici: non habet jus, ut offerat Deo preces, nisi tamquam Dei filius, & filii ejus membrum, quod esse incipit, qui desiderat*.

„ In Matth. cap. 9. v. 22. *Omnia donat Jesus precibus oblatis cum fide, & humilitate; numquam Deus prætermittit misericordiæ oculos convertere ad pœnitentem, qui ex humilitate non audet oculos ad eum attollere*„. Hactenus Hexapla ex Quesnello.

Totus itaque observationum cumulus ad tria hæc reducitur capita 1. quòd verba propositionem antecedentia de oratione malevola Judæorum, debuerint authoris sententiam ad preces Judaicis similes restringere. 2. Quòd in editione anni 1699. ut omnis præcluderetur cavillationibus aditus, positum fuerit non simpliciter *oratio impiorum*, sed *talis oratio*. 3. Quòd Quesnellus alibi doceat, Deum non despicere orationem humilem peccatoris, & peccatum odio habentis ex amore. Singula expendamus.

Ad primum quod attinet, circumstantia orationis Pharisaicæ in Judæis petentibus à Christo declarationem publicam, quòd esset *Christus*, id est, *unctus*, & Rex Judæorum, non ut in eum crederent; sed Pilato redderent odiosum; ea, inquam, circumstantia minimè restringit, quod de impiorum postea oratione dogmaticè, seu indefinitè asseritur, esse novum peccatum, & novum in eos judicium. Hanc scilicet Quesnelli fallaciam veriùs, quàm imperitiam indicavi sæpius Tomo 1. circa propositiones de gratia, ubi ex facto aliquo particulari, & sæpe maximè dispari conclusionem elicit dogmaticam significatione universalem; sed vitiosissimam, & vel à Dialecticæ tironibus explodendam. Subinde etiam fraudem tacitus præterivi, nè repetitio frequentior tædium pareret Lectori.

Sic Marci 2. v. 11. ait Christus paralytico: *Tibi dico, surge, tolle grabatum tuum, & vade in domum tuam: & statim surrexit ille, & sublato grabato, abiit coram omnibus*. Cui Sacro Textui appendit Quesnellus hanc observationem ex Scripturæ testimonio collectam Propos. 22. *Quando Deus vult salvare animam, quocumque tempore, quocumque loco effectus indubitabilis sequitur voluntatem Dei*.

Lucæ cap. 5. v. 13. dicitur: *Extendens* (Jesus) *manum, tetigit eum, dicens: Volo, mundare, & confestim lepra discessit ab illo*. In quem locum ita Quesnellus Propos. 13. *Quando Deus vult animam salvam facere, & eam tangit interiori gratiæ suæ manu, nulla* vo-

voluntas humana ei resistit.

Marci 5. v. 6. *Videns autem* (Energumenus) *Jesum à longè, cucurrit, & adoravit eum*. Cui historiæ Quesnellus conveniens censuit hoc documentum Prop. 14. *Quantumcumque remotus à salute sit peccator obstinatus, quando Jesus se ei videndum exhibet lumine salutari suæ gratiæ, oportet, ut se dedat, accurrat, sese humiliet, & adoret Salvatorem suum.*

Lucæ 9. v.60.*Dixitque ei Jesus: Sine, ut mortui sepeliant mortuos: tu autem vade, & annuntia regnum Dei*. In eam Christi sententiam sic Quesnellus Prop. 15. *Quando Deus mandatum suum, & suam externam locutionem comitatur unctione sui Spiritus, & interiori vi gratiæ suæ, operatur illa in corde obedientiam, quam petit*. Ubi patet, Quesnellum supponere, quòd externam Christi locutionem unctio Spiritûs, & interior vis gratiæ comitata non fuerit; operatura alioqui quam Christus petiit obedientiam. Hic autem, ut sæpissimè aliàs, se prodit in Quesnello intolerabilis innovandi pruritus, dum non se continet, quin locis, etiam maximè impropriis Jansenismum importunissimè ingerat. Quam enim illa adolescentis inobedientia necessitatem, vel occasionem congruam suppeditat inferendi, quòd unctio Spiritûs Sancti, & interior vis gratiæ, quando (idest, quandocumque) illa comitatur mandatum Dei, sive externam ejus locutionem, operetur in corde obedientiam? Ubi manifestè traditur secunda propositio Jansenii: *Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ numquam resistitur.*

Actorum 8. v. 12. *Cùm verò credidissent* (Samaritani) *Philippo evangelizanti de regno Dei, in nomine Jesu Christi baptizabantur viri, ac mulieres*. Hic iterum tam fallax dialecticus, quàm mysticus novatùriens, dogmaticè enuntiat Propositione 16. *Nulla sunt illecebræ, quæ non cedant illecebris gratiæ, quia nihil resistit omnipotenti*. Ubi solâ figuræ, & phraseos immutatione rursus ingeritur venenum secundi dogmatis Janseniani jam relati.

Apostolus ad Romanos cap.14. v.4. ait: *Tu quis es, qui judicas alienum servum; Domino suo stat, aut cadit; potens est autem Deus statuere illum*, largiendo gratiam efficacem. Hinc Quesnellus de omni gratia illimitatè, seu generaliter definit Prop. 19. *Dei gratia nihil aliud est, quàm ejus omnipotens voluntas. Hæc est idea, quam Deus ipse nobis tradidit in omnibus suis Scripturis.*

Marci 4. v.39. *Exurgens* (Jesus) *comminatus est vento, & dixit mari: Tace, obmutesce: & cessavit ventus, & facta est tranquillitas magna*. Hinc iterum Quesnello placuit Jansenianam educere definitionem gratiæ, quam ex primis Dialecticæ regulis constat competere debere omnibus definitis: Prop.20. *Vera gratiæ idea est, quòd Deus vult sibi à nobis obediri, & obeditur; imperat, & omnia fiunt: loquitur tamquam Dominus, & omnia sibi submissa sunt.*

2.Cor. cap.5. v.21. *Eum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur justitia Dei in ipso*; Efficaciter quidem, & re ipsa pro iis, qui oblatam gratiam non respuunt; sufficienter autem pro repellentibus. Constat enim, neque omnes prorsus homines, neque omnes aliquo auxilio gratiæ præventos, fieri ex Christi meritis justos; sive, ut Apostolus loquitur, *justitiam Dei*. Novit nihilominus Quesnelli industria pro efficacitate omnis gratiæ hanc emungere; vel potiùs mentiendo fingere gratiæ ideam. Prop.21. *Gratia Jesu Christi est gratia fortis, suprema, invincibilis; utpote quæ est operatio voluntatis Omnipotentis, sequela, & imitatio operationis Dei incarnantis, & resuscitantis Filium suum.*

Quesnelli fraus similis in pluribus occurrit propositionibus; allegaræ autem abundè sufficiunt ad ostendendam ineptissimam propositionis 59. excusationem; quasi ex præcedenti orationis subdolæ in Judæis circumstantiâ ad eam solam, vel ei similem intelligi debeat limitatum, quod de oratione impiorum absolutè, & simpliciter asseritur, esse *novum peccatum, & quod Deus illis concedit, esse novum in eos judicium*. Ars scilicet hæreticis; sed præcipuè Quesnello familiaris est, ex Scripturæ textibus ad singularem determinatis materiam conclusiones elicere universales.

Sic quod Calvinus de justis aliquibus, scilicet prædestinatis, & perseveraturis legerat, ad justos extendit universos, justitiam fingens, quibuscumque semel obtigerit, amitti nesciam.

Lutherus, quod de fide formata, & per dilectionem operante in Divinis oraculis repererat, de fide omni prædicat, veluti se solâ conferente justitiam, quamquam neque fidei nomine virtutem accipit inter theologicas primam; sed fiduciam de justitia jam possessa.

Ut autem excusationis mendacium patentissimum ipsis Quesnelli vocibus ampliùs convincatur, ex pluribus Quesnelli articulis demonstrandum suscipio, quod de impiorum oratione in quinquagesimo nono asseritur, ab authore intelligi non de sola oratione pha-

pharisaica, & nequissimâ Judæorum, aut illi simili; sed de qualibet impiorum; præterquam justificante, atque adeò novum in impiis; imò quibuslibet peccatoribus esse peccatum quamcumque orationem ex omni alio motivo, quàm charitatis elicitam. Oratio autem, quæ ex charitate proficiscitur, non est oratio impii, neque peccatoris; si propriè loquamur: sed justi; quia *charitas operit multitudinem peccatorum*. 1. Petri cap.4. *Ego diligentes me diligo*. Proverb. 8. *Omnis, qui diligit, ex Deo natus est*. 1. Joan. cap.4.

Quod, inquam, omnis oratio peccatoris antequam justificetur, novum in Quesnelli sententia peccatum sit, patet ex pluribus ejus articulis, ut 44. *Non sunt nisi duo amores, unde volitiones, & actiones omnes nostræ nascuntur; amor Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur; & amor, quo nos ipsos, ac mundum diligimus, qui quod ad Deum referendum est, non refert, & propter hoc ipsum fit malus*. 45. *Amore Dei in corde peccatorum non ampliùs regnante, necesse est, ut in eo carnalis regnet cupiditas, omnesque actiones ejus corrumpat*.

Manifestè itaque Quesnello peccatum est; imò necessariò peccatum est, uti omnis actio, ita & oratio non profluens *ex amore Dei regnante, omnia agente propter Deum, quemque Deus remuneratur*, qui amor indubiè justificat.

Præterea oratio peccatotis vel nascitur ex gratia, vel ex solis naturæ viribus. Si ex gratia, iuxta Quesnellum non est oratio peccatoris; sed justi; quia per articulum 28. *prima gratia, quam Deus concedit peccatori, est peccatorum remissio*. Deinde si oratio est ex gratia, necessariò est ex fide. Quia art.26. *Nulla dantur gratiæ, nisi per fidem*. Art.27. *Fides est prima gratia, & fons omnium aliarum*. Rursus si oratio est ex fide, necessariò justificat art. 51. *Fides justificat, quando operatur; sed ipsa non operatur, nisi per charitatem*.

Si verò oratio non otiatur ex gratia, seu fide, necessariò peccatum est per art.38. *Peccator non est liber, nisi ad malum sinè gratia liberatoris*. 39. *Voluntas, quam gratia non prævenit, nihil habet luminis, nisi ad aberrandum; ardoris, nisi ad se præcipitandum; virium nisi ad se vulnerandum: est capax omnis mali, & incapax ad omne bonum*. 40. *Sinè gratia nihil amare possumus* (adeóque nihil operari) *nisi ad nostram condemnationem*. 42. *Sola gratia Christi reddit hominem aptum ad sacrificium fidei: sinè hoc nihil, nisi impuritas; nihil, nisi indignitas*.

Jacet igitur subruta undique prima Hexaplorum *Observatio* contendens, peccatum non affricari à Quesnello precibus impiorum, nisi similibus orationi Judæorum subdolæ, & malevolæ, cujus scopus non erat credere in Christum, non ejus aucupari gratiam; sed accusare eum, & perdere. Patet enim, Quesnelli sententiam non in præsenti solùm articulo secundùm significationem ejus obviam; sed totius quoque ejus systematis perspicuam, & nullis umquam obducendam sophismatum fucis esse, quòd omnis impiorum oratio, antequam Deo reconcilientur, peccatum fit: quod peccent orando ex motivo fidei, timoris, spei; nisi charitas justificans ad orandum excitaverit; vel nisi ipsa oratio charitas sit hominem Deo reconcilians. Non autem Quesnellum eò usque hæreticum, aut tam apertè atheum credimus, ut censeat, non posse Deum potentiâ absolutâ infundere impiis orationem, quæ ex charitate sit justificante; ac proinde non constituat peccatum novum, neque novum in eos judicium: in Quesnelli tamen sensu; si cum Tridentino Concilio componatur, numquam fit, atque ita in hoc Decretorum ordine fieri nequit, ut ulla impiorum oratio non sit peccatum: quod sic facilè demonstro.

Nulla potest esse salutifera oratio, nisi ex fide oriatur, vel ipsa fides sit. De hoc convenit inter nos & adversarios. Fides verò salutaris necessariò præsupponit gratiam juxta Tridentinum sess.6.can.3. *Si quis dixerit, sinè præveniente Spiritûs Sancti inspiratione, atque ejus adjutorio hominem credere, sperare, diligere, aut pænitere posse sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur; anathema sit*. Audit Quesnellus, non posse hominem salutiferè credere *sinè præveniente Spiritûs Sancti inspiratione*? Audio, inquit, sed etiam assero propositione 28. quòd *prima gratia, quam Deus concedit peccatori, sit peccatorum remissio*.

Hinc nos contra Hexapla, & quemlibet alium Quesnelli defensorem inferimus invictissimè, orationem salutiferam in ejus sententia necessariò esse posteriorem justificatione, ideoque numquam esse orationem impii; sed justi. Proinde liquet, non solùm impii, ut impii, sive ex impietatis spiritu procedentem, subdolam, & malevolam; sed qualemcumque simpliciter impii orationem esse novum peccatum; quia si salutifera sit, profluit ex gratia, quæ ipsa peccatorum remissio est per Prop. 28. proinde succedens oratio non est impii, sed justi. Si verò non nascitur ex gratia, non est ipsa charitas, neque

que ab ea profluit, atque ita peccatum est juxta propositiones varias superiùs relatas.

Manet itaque inconcussum & ineluctabile, omnem, propriè & simpliciter loquendo, orationem impii, tum per Prop.59. tum per cætera Quesnelli principia, esse novum peccatum, & novum in orantem judicium.

2 Non minùs frivola & fraudulenta est *Observatio* 2. de facta in posterioribus editionibus mutatione, juxta quam non de qualibet impiorum oratione asseritur esse novum peccatum; sed de *tali oratione*, qualis relata fuerat perversissima Judæorum. Observatio hæc à me præoccupata, & repulsa est tomo 1. in Prolegomenis cap.5. quod est *de editione Observationum moralium magis correcta, & denuntiatione Propositionum*. Qualis verò ea est in posterioribus editionibus mutatio? Num sublatio erroris, an callida ejus occultatio, quando ex uno loco venenum, ubi nimis patulum est, tollitur, ut pluribus magis callidè inspersum, minùs terreat, atque haustum incautiùs animos enecet, antequam percipiatur?

Laudandum quidem in Parisiensium Archiepiscopo apparet eatenus religionis studium, quòd novitatem horridam in præsenti articulo facilè deprehensam, in secuturis editionibus jusserit prætermitti. Quòd autem eamdem in pluribus propositionibus obscuriùs involutam non perceperit, tot diœceseos amplissimæ curis gravibus distractus, minùs mirum est.

At quomodo à perfidiæ suspicione, vel gravi incuriâ liberabimus ejus administros in controversiarum studio enutritos, quibus ab Eminentissimo correctionis cura commissa est? Non enim verisimile est, viros, quibus nec otium deest, nec ingenium, errorem, quem hoc loco corrigere jubebantur, in tot aliis propositionibus implexum detegere non potuisse, ut eum ibi pariter ex mente sui Antistitis corrigerent? Sed tum non levis in Quesnelli librum inducenda fuisset mutatio, & totius ejus novi systematis pars non minima corruisset. Similis oscitantia, vel mala fides in iisdem Archiepiscopi Ministris indicata est à me Tom.1. ad propos.2. cap.9. num.16.

Animadversione quoque dignum est, quòd nequidem in editione anni 1693., ex qua propositio desumpta est, ullum Quesnelli superbia errorem agnoscat, mutationem qualemcumque ægre patiens, nec aliâ lege, quàm ut non correctio necessaria; sed velut incongrua habeatur Cardinalis erga adversarios indulgentia, imprudens scrupulus, & in suis approbationibus, ac promissis inconstantia. Videri hæc possunt ex ipsis Quesnelli literis contra ipsum prolatis in Processu Juridico coram Archiepiscopo Mechliniensi, sive *Causâ Quesnellianâ* Art.19.

Procul scilicet hic novus Augustini discipulus à magistri sanctissimi abest humilitate. Nam libros Retractationum duos ediderat Augustinus, daturus plures, nisi Juliani importuna provocatio, & sua mors præmatura studium tam utile abrupisset. Quesnellus autem nihil umquam retractare voluit, nullum erratum agnoscere. Cur igitur Sedes Apostolica permittere debuit, aut quomodo sapienter potuit, ut error perniciosissimus, innumeris libri exemplaribus in omnes sparsus Christiani orbis provincias, impunè grassaretur, & Ecclesiam corrumperet; quia in editione aliquot post annos secutâ, unico prætermissus loco est; adeò non factâ retractationis mentione, adeò non monito lectore de errore antea commisso, ut potiùs error idem locis pluribus intactus à correctoribus manserit, ut &, sublato horrore, nocere pergeret securiùs, & vigilantiam faciliùs eluderet Episcoporum, atque ipsius, si fieri posset, Apostolicæ Sedis?

3 Pro detegenda tertiæ *Observationis* fallacia attendendum ante omnia caput controversiæ, sive figendus, ut dicitur, quæstionis status. *Oratio impiorum*, inquit Quesnellus, *est novum peccatum, &, quod Deus illis concedit, est novum in eos judicium*. Non hic authorem arguo, quasi orationem ejus, qui ante impius fuerat, sed modò justus est, novum asserat peccatum; non enim oratio ista propriè impii est; sed sancti, sive sanctificati. Talis Quesnello est omnis oratio à novo libera peccato; si cum Tridentino sess.6. de justificatione can.3. anathema dicat asserenti, *Hominem sine præveniente Spiritûs Sancti inspiratione, atque ejus adjutorio credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur*. Cùm enim per Prop.28. *Prima gratia, quam Deus concedit peccatori, sit peccatorum remissio*, evidens est, orationem, quæ ex fide proficiscitur, ac proinde ex gratia, non esse orationem impii; sed necessariò justificati; quia, uti ipsa ex præveniente Dei adjutorio est, eandem prævenit pariter delictorum remissio.

Præterea, dum per propositionem 51. *Fides justificat, quando operatur; sed non operatur, nisi per charitatem*, perspicuum est, orationem, quæ actus religionis est, profluere ex fide non otiosâ, sed ipsam operante orationem: atque ita omnem orationem novo theo-

theologo esse justificantem, quasi ex abundanti; quia primâ gratiâ fidem salutiferam necessariò præveniente, collatam impio justitiam juxta Quesnellum jam vidimus. Hoc sensu *Deus*, juxta eundem, *numquam rejicit preces peccatoris odio habentis peccatum ex amore Dei*, utpote justificante: imò gratia amorem præveniens (si ulla, Quesnello judice, gratia reconciliationem præveniat) *concessa peccatori, est peccatorum remissio*.

Hinc facilè percipitur sensus secundi loci Quesnelliani ab Hexaplis allegati: *Peccator, tamquam Adami filius, non meretur, nisi à Deo rejici: non habet jus, ut offerat Deo preces, nisi tamquam Dei filius, & filii eius membrum, quod esse incipit, qui desiderat*. Cùm dicitur peccator tamquam Dei filius, & filii ejus membrum offerre Deo preces, locutio impropria est & per figuram, ut dicitur *homo mortuus*, qui homo ampliùs non est, sed fuit. Ita Filii Dei, & membra Christi, si propriè loquamur, non sunt in peccatorum numero; sed justorum. Dum itaque dicitur peccator tamquam filius Dei, & membrum Christi habere jus offerendi preces Deo, patet intelligenda assertio de peccatore justificato, qui peccator esse jam desiit. Quod etiam *filius Dei esse incipiat, qui desiderat*, apud catholicos passim significat, desiderium justificationis esse utilem ad consequendum reconciliationis beneficium dispositionem; apud Quesnellum verò omne justificationis votum utile, necessariò est ipsa justificatio, vel illam præsupponit; quia vel ipsum desiderium gratia est, vel ex gratia nascitur; *prima* autem *gratia, quam Deus concedit peccatori, est peccatorum remissio*. Unde liquet, neque secundam ab Hexaplis productam Quesnelli sententiam esse contrariam sensui maximè damnabili propositionis 59. quòd scilicet omnis oratio impii, quæ revera impii est, & nondum transferens illum ad statum justitiæ, sit novum peccatum.

Simili modo cum proscripto Quesnelli dogmate componitur tertia non minùs subdola ejus sententia: *Omnia donare Jesum precibus oblatis cum fide, & humilitate: nunquam prætermittere Deum oculos misericordiæ convertere ad pœnitentem, qui ex humilitate non audet oculos ad eum attollere*: in quibus vocibus procul dubio nihil est, quod meritò reprehendas, nisi fraudem & hypocrisim authoris, catholicâ loquendi formulâ sensum minimè catholicum occultantis, ut de Jansenistis formulâ Alexandri VII. sacrilegè jurantibus meritò conqueritur Sanctissimus D. N. CLEMENS XI. Constitutione, quâ nulla unquam fuit in Ecclesia Dei ad infringendas novæ Hæresis versutias sapientiùs excogitata; incipit *Vineam Domini Sabaoth*; „ Eiusdem (inquit Pontifex) formulæ „ conceptis verbis loquuntur, quod Eccle„ sia loquitur; quod tamen sentit ipsa, non „ sentiunt; „ Ità & in allegata Quesnellus sententia loquitur quod Ecclesia; quod tamen sentit ipsa, minimè sentit. Quisquis enim Catholicus posteriorem ejus periodum enunriaverit, intelligi volet cum Angelico Doctore, cum Tridentino Concilio, & universis Doctoribus Orthodoxis, quòd, sicut attritio non justificans à Deo suscipitur, moverque ejus misericordiam ad impertiendum uberius gratiæ auxilium, quo peccator ad nobiliores pœnitentiæ actus, ipsamque justitiam promereatur; ita, ut oratio peccatoris, etsi charitatis expers, & ad reconciliandum Deo hominem non sufficiens, à Dei tamen clementia respiciatur, ut ulteriora gratiæ præsidia non deneget, quibus paulatim pœnitens ad Charitatem perveniat, & justitiam: in Quesnelli verò sensu, fides, & humilitas, quæ à Deo non rejicitur, & à novo immunis supponitur peccato, debet ipsa simul charitas esse justificans, vel ex ejus proficisci imperio, uti ex tot Quesnelli relatis à me superiùs Propositionibus indubitatum est.

Itaque, nisi universum subruatur novorum dogmatum systema, negari non potest, hanc esse Quesnelli in damnato Articulo sententiam, tum significationi verborum obviæ, tum reliquis ejusdem authoris opinionibus conformem, & ab iis inseparabilem, quòd impii, & cujuscumque peccatoris extra divinam amicitiam constituti oratio, nisi justificans fuerit, vel eam Charitas, & Justificatio comiretur, sit novum peccatum, & quod Deus illi concedit, sit novum in eum judicium.

Imò in Quesnelli principiis inevitabilis est error; adstruitur enim simpliciter, omnes impiorum, vel quorumlibet peccatorum preces, quomodocumque institutas, novum esse peccatum; quia fiunt ex gratia, vel ex solis naturæ viribus; si priùs affirmaveris, non sunt preces impii, vel peccatoris; sed justi; quia præveniente, atque ad orationem excitante gratiâ justificatus est per Prop. 28. *Prima gratia, quam Deus concedit peccatori, est peccatorum remissio*. Superveniens itaque oratio, quæ ductum prævenientis, & justificantis gratiæ sequitur, jam non est hominis impii, atque peccatoris, sed sancti.

Si verò oratio non est ex gratia, nequit esse ad justitiam dispositio, vel ad obtinendum supernaturalis ordinis beneficium utilis,

lis, ut omnibus notum est Catholicis, & alteri consentiunt adversarii, à quibus talis oratio etiam arguitur peccati pluribus Quesnelli Articulis, vt 38. *Peccator non est liber, nisi ad malum, sine gratia Liberatoris.* Similes aliquot superiùs recensui. Imò sola Charitatis absentia omni actui aspergendæ peccati maculæ juxta Quesnellum sufficit per Prop. 44. & plures ex sequentibus à me sæpiùs commemoratis.

Pœnitentis igitur nomine in allegata ab Hexaplis Quesnelli sententia non potest intelligi pœnitens imperfectè, sive attritus, cujus oratio consistere valeat cum peccato habituali, & damnationis debito, quia ipsa talis Quesnello oratio & attritio novum in peccatore quolibet peccatum est; ideoque nec de istiusmodi *fide*, *humilitate*, & natis indè *precibus* intelligi ex mente authoris potest, quod asserit, *omnia donare Jesum precibus oblatis cum fide & humilitate: nunquam prætermittere Deum oculos misericordiæ convertere ad pœnitentem, qui ex humilitate non audet oculos ad eum attollere;* sed hæc omnia, juxta Quesnellum, accipi oportet de fide, humilitate, precibus pœnitentis justificati præveniente gratiâ, vel charitate, & ipsis qui hic referuntur actibus, qui simul ab anthore charitas supponuntur.

Quocumque demum modo objectam scriptoris sententiam interpreteris, (nisi totam Quesnellianorum dogmatum structuram subruere animus fuerit) nunquam reperies sensum, cum terribili, & maximè obnoxiâ anathemati significatione quinquagesimi noni Articuli pugnantem.

CAPUT III.

Observatio Collatoris, & Protestatio Quesnelli convincuntur de fide pessima.

1 ORatio *impiorum*, inquit Collator, *in impietate permanentium, ac postulantium sibi concedi quidpiam non bono fine, ut Judæi à Christo requirentes, an esset Christus, manifestè est novum peccatum, & si illud concesserit Deus, erit id absque dubio novum in eos judicium.* Observationi hactenus subscribimus: audiantur sequentia. *Porrò ad hunc sensum satis determinabatur Propositio, per verba authoris immediatè præcedentia in editione anni 1699.; sed evidentissimè in editione 1693. vocis unius additione: TALIS oratio impiorum est novum peccatum, & quod tunc Deus illis concedit, judicii, atque iræ illius novus effectus est. Verùm, ut alibi, ita & hic æquitatis omnis Romani Censores immemores fuerunt.* Minor irreverentia Hexaplorum apparuerat, in eo, quòd perfidiæ crimen in solos conjicerent *Denuntiatores*: Collator ipsos aggreditur Judices, sive Censores; neque hic solùm, sed & alibi æquitatis omnis immemores pronuntiat. Quæ contumelia quò patet latiùs & viros impetit ordinis altioris, eò gravior est, & majori subjacet supplicio; saltèm usquedum solidis documentis, quæ non comparuêre hactenus, stabiliatur.

Calumniæ igitur immanis author reus habebitur, donec eam aut retractaverit palàm, quod à Janseniana Charitate & Justitiâ non expecto; aut argumento confirmaverit utcumque probabili, quod tam frustraneo tentabit opere, quàm inferorum, mendaciorumque præsidio Ecclesiam evertere Christianam. Tota autem recensita observatio, ut in arena fundatur dissolutissimâ, flatu venti levissimo dejicitur, ac dissipatur. Quod enim error in editionibus anni 1693. & 1694. locis pluribus contentus, propter subdolam loci unius in posterioribus mutationem, permitti non debuerit, ut millenis exemplaribus quaqua versùm disseminatus pergeret corrumpere Ecclesiam, & animas pertrahere in interitum, dictat ratio manifesta. Vide dicta cap. præcedenti, & tomo 1. in Prolegomenis cap. 5.

2 Lepidum verò est, quod de editione anni 1693. dicitur. *Ad hunc sensum* (qualis fuit subdolus, & malevolus Judæorum, requirentium, an esset Christus) *determinabatur propositio ... evidentissimè in editione anni 1693., vocis unius adjectione: Une TELLE PRIERE, talis oratio.* Fateor, vocis unius adjectione potuisse propositionem ad sensum innocuum evidentissimè determinari in editione anni 1693.: De hoc neque disceptatio esse potest, neque dubium; at, cùm Adversarius asserat, in editione anni istius propositionem non solùm adjectione ista potuisse ad sensum bonum determinari; sed reipsa *determinari evidentissimè*; quæro; num igitur in editione, de qua contentio est, vox illa addita fuerit? Nequaquam, inquit, sed adjici potuit; & per hoc quod adjici potuerit, *determinabatur propositio evidentissimè*: Dignum profectò Quesnelli vindice, & novæ Ecclesiæ Doctore acutissimo argumentum. Sed quænam, amabo, hæresis est, aut fuit unquam, quæ unius adjectione, vel sublatione vocis, ad sensum nequeat determinari Catholicum? Omnis propositio affirmans hæretica, negationis adjectione indu-

biè sit Orthodoxa; uti & omnis hæretica propositio negans, si negationem sustuleris, in Catholicam converteretur; ideone cursus liber hæresi permittendus est, quia vocis unius adjectione, vel sublatione Propositio determinari potuit ad significationem Catholicam? Hoc pacto nulla unquam potuit, aut deinceps poterit hæresis condemnari. Quæ quidem Collatoris regula à Sede Apostolica ignoratur, sed vel ideo *Romani censores* ab eo audire debuerunt, quòd, *ut alibi, ita & hic æquitatis omnis fuerint immemores*. Quòd autem vocis adjectio, quæ cernitur in editione 1699., impedire non debuerit censuram editionis anni 1693. & 1694., ostendi capite præcedenti, & in tomi primi Prolegomenis ibi citatis.

3 Quesnellus in Protestatione pag. 206. non patitur Propositionem 59. intelligi aliter, quàm de impiorum Judæorum, aut eis similium oratione *simulatâ & malevolâ*, qualis à se descripta superiùs fuerat: quæ circumstantia, ut ait, limitare debuit propositionem, quæ illic sequitur, & in Constitutione refertur veluti indefinita. Verùm excusatio hæc tanquam inanis & frivola superiori capite confutata est, ubi fallaciam novo Theologo familiarem; sed omni Catholico indignam detexi exemplis ex eo frequentibus, ubi ex casu singulari, qualis hic erat oratio, sive petitio simulata & malevola Judæorum, Quesnellus arte sibi solitâ, & invehendis quibuslibet Novitatibus accommodatissimâ conclusionem concipit indefinitam, & dogmaticam, quæ apud omnes æquivaleat universali: *Oratio impiorum est novum peccatum, & quod Deus illis concedit, est novum in eos judicium.* Nulla hic restrictio cernitur ad orationem Judæorum vel illi similem, simulatam & malevolam: Neque in Quesnelli opere restrictionem præstat vicinitas sermonis de oratione Judæorum; jam enim exemplorum multitudine Authorem de arte sua veteratoria convicimus, qua ex facto aliquo particulari format sua dogmata sensum complectentia illimitatum.

Et quis utcumque in controversiis versatus ignoret, semper morem hæreticis fuisse, commentarios edentium in sacras literas, divinis Textibus assuere observationes hæreticas? Evasio autem censeretur ineptissima, si isti errorum artifices, dum ab Ecclesia novitas condemnatur, veluti de injuria, & calumnia conquererentur, quod eorum enuntiatio vicina textui sacro, ab hujus debuerit societate ad sensum Catholicum determinari.

4 Pag. 207. & aliquot sequentibus Quesnelli protestantis querela est de Documento Pastorali 40. Antistitum. „ Longissimè (inquit) abfui ab eâ sententia, „ quæ mihi à Documenti Authoribus palàm, & fraude iniquissima imponitur, quòd „ ante justificationem, & reconciliationem „ omnes corruptæ sint actiones: quòd ne„ que fides, neque spes in Deum sit: neque „ Deus, neque religio, ubi non est charitas „ (justificans;) quòd nullum sit opus bo„ num, sed omne, etiam oratio, sit pecca„ tum & hypocrisis. Doctrinam istiusmodi „ detestor, neque ea ullatenùs ad me per„ tinet: neque ulla à me data fuit occasio, „ ut mihi imputaretur. Verùm quis pariter „ non detestetur calumniam, quâ mihi sinè „ ulla ratione, sinè præbita à me causâ vel „ minimâ affricatur? imò verò eodem loco, „ unde quinquagesima nona Propositio de„ sumpta est, in Publicano humili prædica„ vi pretium, & valorem orationis elicitæ à „ peccatore nondum justificato, atque ad „ reconciliationis gratiam se præparante „ dicendo: Deus propitius esto mihi pecca„ tori. Miratus ibi sum, quomodo gratia „ superbiam peccatoris in confusionem ver„ tat salutiferam, inspiret ipsi sanctam ad„ versùs se indignationem, confessionem „ candidam peccatorum, orationem humi„ lem, ferventem, continuam... illic pec„ cator dicitur ad Deum accedere, dum ab „ eo se ex reverentia procul removet; Dei „ ad se oculos convertere, non audendo „ suos ad eum attollere; sibi non parcendo „ mereri, ut parcat Deus; suam confitendo „ miseriam, consequitur misericordiam.

Prosequens pag. 208. ait se sentire cum Bellarmino, & Merensi Episcopo: denique detecturus nobis condemnationis suæ rationem, non aliam repetit, quàm „ Voluntariam in suis adversariis cæcitatem; no„ minatim in Secretariis Antistitum qua„ draginta authoribus *Documenti Pastora„ lis*, qui videre noluerint, tum Patrum in „ hac materia doctrinam, tum discrimen „ latissimum inter peccatores solummodo, „ & impios professione. Prima Secretariis „ illis cura fuit pro solitâ suâ fide appella„ tionem impiorum, cùm peccatorum om„ nium nondum reconciliatorum nomine „ commutare. Præterea simularunt, se non „ videre, quod notaveram ad illam Cæci „ Euangelici sententiam. Joann. 9. vers. 31. „ *Scimus, quia Deus peccatores non audit*; „ circa quam ita disserui: Preces impieta„ tem profitentis, seductoris, & similium „ peccatorum, qui cogitare nolint de con„ versione, rejiciuntur à Deo; non autem „ pec-

„ peccatoris odio habentis peccatum ex „ amore Dei.... Alienissimus est Deus à „ despiciendis precibus cordis contriti, & „ humiliati, quia Divino spiritu orat.

Pag. 210. „ Poteramne orationem peccatorum vulgarium, de quibus ibi non agebam, discernere clariùs à precibus „ impiorum, quos unicè respexi, & de „ quorum orationibus statui accuratissimè „ juxta Psalmographum, Leonem Magnum „ Pontificem, Augustinum, & alios Doctores Sanctos, etiam juxta Bellarminum? „ Adeò persuasum mihi habeo, orationem „ peccatorum, in quibus neque fides, neque conscientia suffucata est, posse à Deo „ recipi clementer, ut si vel ipsi authores, „ & approbatores Documenti Pastoralis, (qui sunt centum Galliæ Episcupi) „ vellent poenitentiam agere molitionum iniquarum, & calumniarum, easque suscipere retractandas, eorum orationem profectam ex corde contrito, & humiliato „ Deus non despiceret, possetque illa precantibus misericordiam obtinere „ Hucusque Quesnellus, cujus mirifica charitas, & clementia est erga non solos, ut loquitur, Episcoporum *Secretarios*, veluti authores *Documenti Pastoralis*; sed etiam erga ipsos quadraginta Antistites ejus approbatores, & sexaginta alios illud sibi publicè adoptantes. Centum itaque illos Antistites molitionum iniquarum, calumniarumque damnat palàm, & minimè hæsitans Quesnellus: ubi tam sincera ejus elucet charitas, quàm humilitas, quâ & initio epistolæ ad CLEMENTEM XI., se *tantillum hominem* profitetur, & suæ *conscium tenuitatis*. Quantum olim flagitium Sancyrano in suo *Petro Aurelio* videbatur non deferre reverentiam Episcopo! Quantum Jansenianis Belgis olim in Judicio Africano, Somnio Hipponensi, Libello supplice Joannis Jansenii accusari à Monachis, & Clericis apud Apostolicam Sedem librum unius Episcopi! Nunc centum Episcopos cum Documento suo Pastorali arguere palàm, damnare iniquissimarum molitionum, atque calumniarum Jansenianа charitas, misericordia, etiam humilitas est *tantilli hominis, & tenuitatis* suæ *conscii*!

5 Accusare Quesnellus Sedem Apostolicam non potest de mutatione vocis *impii* in *peccatoris*; nam oratio impiorum, prout in damnato volumine exprimitur, retenta in Constitutione est: neque Galli Antistites mutavere vocem; sed interpretati sunt: at, inquit Quesnellus, interpretatio calumnia convictissima est; nam nulla à me ansa præbita est, ut diceret ante justificationem, & reconciliationem omnes actiones asserete corruptas, atque adeò etiam orationem; quasi neque fides, neque spes in Deum sit, neque Deus, neque religio, ubi non est charitas (justificans;) quòd nullum sit opus bonum; sed omne, etiam oratio, sit peccatum, & hypocrisis. Ita Quesnellus. Si verò lector in memoriam revocet, quæ hactenus contra damnata ejus dogmata disputavimus, vel ipsa tantùm, quod facillimum est, dogmata inspiciat, compouatque inter se, catenam reperiet ipsissimam, quam hic in *Documento* contextam legimus *Pastorali*. Prop. 38. *Peccator non est liber, nisi ad malum sinè gratiâ Liberatoris*, quod pluribus mox Quesnellus Propositionibus confirmat: atqui Prop. 28. *Prima gratia, quam Deus concedit peccatori, est peccatorum remissio*.

Non est opus scientiâ theologicâ; sed solo naturæ lumine, ut ex utroque dogmate exutgere videas hanc conclusionem, quæ totius allegati systematis veluti compendium est; peccatorem, antequam concedatur peccatorum remissio, non esse liberum, nisi ad malum; sive, quod idem est, ante justificationem, & reconciliationem nullum esse opus bonum, *sed omne, etiam orationem, esse peccatum*. Quod in Documento additur de *hypocrisi*, desumitur ex Prop. 47. ubi dicitur „ Obedientia legis profluere „ debet ex fonte, & hic fons est charitas: „ quando Dei amor est illius principium in„ terius, & Dei gloria ejus finis, tunc pu„ rum est, quod apparet exteriùs; alioqnin „ non est, nisi hypocrisis, aut falsa justitia: „ charitatem propriè, & in sensu obvio accipi pro habitu, vel pro actu justificante, Theologis exploratum est. Consentit Quesnellus in primam Joannis epistolam cap. 3. vers. 9. dicens: *Nullum peccatum mortiferum secum charitas patitur*.

6 Prop. 42. *Sola gratia Christi reddit hominem aptum ad sacrificium fidei: sinè hoc nihil, nisi impuritas; nihil, nisi indignitas*. Oratio itaque, ut sit aliud, quàm impuritas, & indignitas, debet esse ex gratia Christi, & sacrificio fidei: porrò fides imperans, seu operans orationem, efficit remissionem criminum; quia per Prop. 55. *Fides justificat, quando operatur*. Neque efficit, quod sequitur; *sed non operatur, nisi per charitatem*; nam quomodocumque operetur, manet hæc dogmatica enuntiatio illimitata, sinè exceptione, & sensus universalissimus; *fides justificat quando operatur*. Oratio itaque, quam fides operatur, semper cum justificatione conjungitur, vel eam supponit à fide ope-

rante progenitam. Qualifcumque igitur oratio in peccatoribus est, si non justificat, non est ex fide supernaturali, non est ex gratia, ideoque peccatum est. Per Prop. 38. *Peccator non est liber, nisi ad malum sine gratia Liberatoris.*

XXXIX. *Voluntas, quam gratia non prævenit, nihil habet luminis, nisi ad aberrandum; ardoris, nisi ad se præcipitandum; virium, nisi ad se vulnerandum: est capax omnis mali, & incapax ad omne bonum.*

XL. *Sinè gratia nihil amare possumus, nisi ad nostram condemnationem.*

XLII. *Sinè hoc* (sacrificio fidei) *nihil, nisi impuritas; nihil, nisi indignitas.*

Prop. 45. *Amore Dei in corde peccatorum non ampliùs regnante, necesse est, ut in eo carnalis regnet cupiditas, omnesque actiones ejus corrumpat*: nemo autem dixerit, amorem Dei regnare in corde peccatorum, quamdiu in peccato lethifero fuerit; ergo omnes peccatorum actiones, etiam oratio, quamdiu illi in peccato permanent, sunt necessariò cupiditate corruptæ, seu peccata.

Prop. 46. *Cupiditas, aut charitas usum sensuum bonum, vel malum faciunt*: recitatio horarum canonicarum, & omnis oratio vocalis est usus sensuum; est igitur malus in omnibus peccatoribus, utpote in quibus charitas non reddit usum sensuum bonum. Quod de usu sensuum dicitur, facilè applicueris usui omnium animæ facultatum: atque ita nec oratio mentalis vitio carebit, ubi bona non reddetur charitate, ut in nullo redditur peccatore, antequam justificetur.

7 Prop. 58. *Nec Deus est, nec religio, ubi non est charitas.* Ubi nec Deus est, nec religio, non est fides supernaturalis, sive ex gratia: atqui iterum per Prop. 42. *Sola gratia Christi reddit hominem aptum ad sacrificium fidei: sinè hoc nihil, nisi impuritas; nihil, nisi indignitas.* Ubi igitur non est charitas, non est fides ex Christi gratia, & sinè tali fide omnis actio, etiam oratio, nihil est, nisi *impuritas*, & *indignitas*. Charitatem non consistere cum peccato mortifero, est Theologorum omnium, Duce Angelico, doctrina; Charitas enim est amicitia juxta S. Thomam 1. 2. quæst. 65. art. 5. quæst. 66. art. 6. 2. 2. quæst. 23. art. 1. quæst. 24. art. 2. Charitas non potest esse informis. 2. 2. qu. 24. art. 12., & qu. 45. art. 4. Adde, quòd charitas quantumcumque minima possit resistere cuilibet tentationi juxta eumdem parte 3. quæst. 62. art. 6., & quæst. 70. art. 4. Quapropter addictissimus Arnaldo, & Quesnello Theologus in Namurcensi Seminario Professor, dein ab Episcopo cathedrâ privatus, Thomistas censuerat non idoneos Sacramenti pœnitentiæ ministros in dictatis lectionibus de gratiâ Observatione 7. dicens: „ Aliud est, quod istos Theologos „ (recentiores Thomistas) facit malè judi- „ care de conversione peccatoris, & conse- „ quenter de dilatione absolutionis; nem- „ pe certi modi loquendi S. Thomæ, & „ Thomistarum veterum, quos minùs in- „ telligunt, ut sunt hi: MINIMA GRATIA, MI- „ NIMA CHARITAS SUFFICIT AD JUSTIFICATIONEM. „ Nonne modos illos Sancti Thomæ, & Thomistarum saltèm intelligit Quesnellus? Sanè Quesnellum omnes satis intelligunt, cùm ait, *Nullum peccatum mortiferum secum patitur charitas.* Unde evidens fit, omnem in ejus sententia charitatem justificare: proinde nec Deum esse, nec religionem, adeóque nec orationem supernaturalem, ubi non est charitas justificans. Quid itaque superest peccatori in omnibus ejus actibus, & precibus charitate justificante carentibus? *Nihil*, juxta memoratam Quesnelli sententiam Prop. 42., *nisi impuritas; nihil, nisi indignitas.*

Dices: Juxta Augustinum lib. de natura, & gratia cap. ult. *Inchoata charitas, inchoata justitia est; provecta charitas, provecta justitia est; magna charitas, magna justitia est; perfecta charitas, perfecta justitia est.* Quid tum? Ideone juxta Augustinum datur ulla propriè dicta charitas theologica, quæ communiter charitatis nomine appellatur; alia, quàm justificans? Distinguit quidem illic Sanctus quatuor charitatis gradus, qui majorem, minoremve constituunt justitiam, ita tamen, ut minima charitas etiam justificet: *Inchoata charitas, inchoata justitia est*; vera tamen justitia, & omni peccato lethifero repugnans, ut teste Quesnello 1. Joan. cap. 3. vers. 9. *Nullum peccatum mortiferum secum patitur charitas* ulla, modò propriè nominis, & verè theologica charitas sit.

8 Prop. 1. *Quid aliud remanet animæ, quæ Deum, atque ipsius gratiam amisit, nisi peccatum, & peccati consecutiones, superba paupertas, & segnis indigentia; hoc est, generalis impotentia ad laborem, ad orationem, & ad omne opus bonum?* Itaque oratio, si quæ in illo statu fuerit, non est Quesnello religiosa, & bona, ubi est *ad omne opus bonum*, nominatim *ad orationem* bonam *impotentia*; sed neque *aliud, quàm peccatum, & peccati consecutio vitiosa*; nam, ut iterum repetam Propositionem 45., *Amore Dei in corde peccatorum non ampliùs regnante, necesse est, ut in eo carnalis regnet cupiditas, omnesque actiones*

ejus

ejus corrumpat. Prop. 44. *Non sunt, nisi duo amores, unde volitiones, & actiones omnes nostra nascuntur: amor Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur; & amor, quo nos ipsos, ac mundum diligimus, qui, quod ad Deum referendum est, non refert, & propter hoc ipsum fit malus*. Perspicuum est, orationem in peccatore non oriri ex amore Dei omnia agente propter Deum, quemque Deus remuneratur; non autem est fons medius inter istiusmodi amorem Dei, & amorem nostri, ac mundi illicitum. Oratio itaque in peccatore, antequam justificetur, penès Quesnellum necessariò nascitur ex amore, quo nos ipsos, & mundum diligimus, qui, quod ad Deum referendum est, non refert, & propter hoc ipsum fit malus, mala actio omnis ex eo prodiens, mala etiam oratio.

Convicimus Quesnellum hactenus verbis suis luculentissimè, & argumento multiplici, quòd penès ipsum non solummodo eorum, qui professione impii sunt, seu excæcati, & obdurati; sed peccatorum etiam vulgarium, antequam justificentur, oratio peccatum fit, ac proinde novum in eos judicium. Altera pariter dejecta cavillatio est, quâ contra centum Galliæ Episcopos Documenti Pastoralis, partim approbatores, partim authores, & contra sensum Propositionum obvium, protestari Quesnellus in facie Ecclesiæ ausus est, se in damnatis de charitate Propositionibus non voluisse charitatis nomine intelligi justificantem, sed etiam inferioris ordinis.

CAPUT IV.

Fallaciter, & frustrà Quesnellus pro 59. Propositione implorat patrocinium Bellarmini.

1 Contrarium ei, quod mihi opponitur „ (inquit Quesnellus) traditur di ipso loco unde 59. Propositio excerpta est. In humili Publicano expendi pretium, & valorem orationis, quæ funditur à peccatore nondum justitiam adepto, seque ad reconciliationem præparante, dicendo, Deus propitius esto mihi peccatori. Miratus ibi sum, quomodo gratia superbiam peccatoris transferat in pudorem salutiferum, inspiret ei sanctam adversùs se indignationem, criminum suorum confessionem candidam, demissas, fervidas, continuas preces. Illic ad Deum accedit, dum ab eo se præ reverentia removet: in se convertit Dei oculos, dum suos non audet ad eum attollere: sibi minimè parcendo, meretur, ut parcat Deus; suam miseriam agnoscendo obtinet misericordiam.

„ Quæ si justificandæ Propositioni non sufficiant, declaro, me sincerissimè adoptare quidquid Cardinalis Bellarminus circa hoc docuit Commentario in Psalmum 108., & in Controversiis lib. 5. de bonis operibus in particulari cap. 6. Excerpta ex illis reperies in *Observationibus* circa Propositiones condemnatas, junctis Constitutioni, & in lucem editis plus quàm à semestri.

Hinc obiter animadverto, confirmatum videri, licèt obscuriùs, quòd de *Observationum* illarum authore pridem censui, Quesnellum esse; cùmque præfatio editionis secundæ *Hexaplorum* moneat, illa esse *Observationes* ipsius, non levibus incrementis, & perfectione donatas, Quesnello quoque tribuenda videntur Hexapla, quamvis non soli; nam plures operam contulisse, eadem indicat præfatio.

2 Audiatur nunc Eminentissimus Bellarminus in Psalmum 108. „ Admonendi „ sunt (inquit) lectores, orationem peccatoris non semper esse peccatum; sed sæpe multum valere ad remissionem peccatorum, ut intelligi potest ex oratione Publicani Lucæ 18.; tunc autem fieri in peccatum, & verè esse peccatum, cùm is, qui orat, vel non orat, quem debet orare, id est, Deum verum, sed Idola, vel Diabolum: vel non orat pro re bonâ, quam æquum est à Deo peti; sed pro re malâ, quæ Deo displicet, ut pro ruinâ inimicorum: vel non orat per unicum Mediatorem, qui est Christus; sed per merita sua, quæ superbè se habere præsumit; vel denique non orat cum spe, aut fide, aut aliis necessariis bonæ orationis comitibus. Eadem, quæ hic dicuntur de Juda, conveniunt Judæis, quorum ille typum gerebat: Judæi enim, qui credere nolunt in Christum, exeunt de hac vitâ condemnati ad mortem sempiternam, & oratio eorum, quam assiduè fundunt in Synagogis suis, fit illis in peccatum, quia non orant Patrem per Filium, cùm nec Filium, nec Patrem norint; quia postulant, quæ Deo non placent, excidium videlicet Christianorum, & celerem adventum Antichristi; hunc enim illi pro Christo recipient, ut dicitur Joannis 5.

Quæ omnia etsi catholicè à Bellarmino scripta sint; non tamen facta eorum à novatoribus

toribus adoptio eximit horum sensum à damnatione Propositionis 59. *Oratio impiorum est novum peccatum*, *& quod Deus illis concedit, est novum in eos judicium*. Non enim verisimile est, Sedem Apostolicam sibi persuasisse, quòd eò vesaniæ prolapsus fuerit assertor articuli, ut existimarit, atque indicatum voluerit, impossibilem Deo esse conversionem impii, neque posse inspirare ei orationem imbutam charitate, quâ impius, & peccator esse desinat.

Verùm quamvis enunciatio illimitata sit, adeò ut in rigore accepta de omnibus impiorum orationibus sinè exceptione definiat esse peccatum; non refugio tamen interpretari eam benigniùs, ut peccati maculam tantùm affricet orationibus impii non formatis charitate, eumque non transferentibus ad statum justitiæ; sive de orationibus impium relinquentibus in crimine impietatis, vel saltèm in reatu damnationis. Hunc sensum Quesnelliano systemati tribuunt centum Galliæ Antistites *Documenti Pastoralis* partim authores, partim approbatores, ut ex ipsa Quesnelli protestatione capite superiore retuli; neque Quesnellus quidpiam protulit hactenus ex damnatis suis quatuor voluminibus *Observationum moralium*, quod isti quantumvis benigniori, execrabili tamen, sensui adversetur.

Cum eo etiam Quesnellus solita sua fallendi arte componere facilè poterit, quod alio sensu à Bellarmino asseritur, *Orationem peccatoris non semper esse peccatum*; *sed sæpe multùm valere ad remissionem peccatorum, ut intelligi potest ex oratione Publicani Luc.* 18. Non quasi oratio peccatoris, quoties peccatum non est, sed multum valet ad remissionem peccatorum, eam se ipsâ conferat, ut Quesnelliana novitas statuit; sed quòd velut attritio ad justificationem non sufficiens, ad eam tamen ulterius impetrando auxilium, paulatim animam disponat; unde necesse non fuit, Publicanum primo orationis initio statim justificari, etsi reconciliatus è templo domum rediisse perhibeatur. Textûs itaque illius, alio prorsus, quàm à Bellarmino traditur, sensu à Quesnello accepti adoptatio non purgat errorem proscripti dogmatis; sed adoptantem arguit de perfidia.

3 Inspicienda modò altera Bellarmini sententia, ad quam provocamur, uti est lib. 1. de bonis operibus in particulari cap. 6. „ Tertia (inquit Cardinalis) dubitatio est, „ an, qui ex animo remittit injurias, & tamen in aliquo alio peccato perseverat „ voluntariè, possit hac oratione aliquid „ impetrare? Respondeo, vel is, qui in peccato voluntariè perseverat, cupit sibi dari „ gratiam à Deo perfectæ conversionis, „ eamque seriò sibi postulat: vel non cupit, „ nec seriò postulat: si cupit gratiam conversionis, quamvis interim à concupiscentia victus, peccatum non relinquat, „ non inutiliter dicit Deo, *Dimitte nobis debita nostra*: &, si ex corde dimittat fratri suo injuriam, disponetur ad gratiam „ perfectæ conversionis adipiscendam; nam „ qui cœpit opus bonum, inspirando illi „ desiderium, & petitionem conversionis, „ & condonationem injuriarum, perficiet „ sinè dubio; si perseveret ille pulsando, & „ orando, ut Deus adjuvet infirmitatem „ suam, & rebellem ad se convertat propitius voluntatem.

„ Si autem non cupit gratiam conversionis, neque ex animo illam petit; sed „ vel orat solis labiis ex consuetudine, vel, „ quod gravius est, ut videatur ab hominibus; is non solùm nihil impetrat; sed „ etiam oratio ejus fiet in peccatum, cùm „ in singulis ferè petitionibus mentiatur: „ quomodò enim dicere potest *Pater noster*, qui non vult esse filius? Et *Sanctificetur nomen tuum*, per quem nomen Dei „ assiduè blasphematur? Et *adveniat regnum* tuum, qui nihil magìs, quàm adventum Domini timet? Et *fiat voluntas tua*, qui suam, non Dei voluntatem semper facit?

Pars posterior nullum nos inter & adversarios parit dissidium; in priore Quesnellus concordiam simulat, quam constat dolo plenam esse, & perfidiâ: potest enim, Bellarmino Judice, aliquis in peccato lethifero voluntariè perseverans, optare tamen, & seriò petere à Deo, ut hæc sibi perversa voluntas, multi temporis consuetudine, & pravis nimiùm sæpe repetitis actibus roborata auferatur potentissimo gratiæ auxilio: Oratio hæc juxta Cardinalem etsi hominis adhuc in peccato manentis sit, grata tamen Deo est, minimè orta ex cupiditate carnali, ab omni immunis vitio, idonea, quæ à Deo conversionis gratiam, & reconciliationem, succedente meliori pœnitentiâ, impetret.

At in Quesnelli sententia, cùm oratio illa, ut patet, non proveniat ex *amore Dei omnia agente propter Deum, quemque Deus remuneratur*, neque ex *amore Dei regnante in corde*, necesse est profluat ex *amore, quo nos ipsos, at mundum diligimus, qui, quod ad Deum referendum est, non refert, & propter hoc ipsum fit malus*. Præterea orationem illam, ut

ut actiones cæteras, regnante cupiditate, corrumpi necesse est juxta citatas Propositiones quadragesimam quartam, quadragesimamquintam &c. Ridebitur enim à Doctoribus pariter, & tironibus Quesnellus, si peccatoris istius consuetudinarii, voluntariè perseverantis in peccato, etsi ab eo gratiâ fortiore cupiat liberari, orationem procedere dixerit ex *amore Dei omnia agente propter Deum, quemque Deus remuneratur*, item ex *amore Dei regnante in corde peccatoris*.

Si autem ex tali amore oratio non profluat, ut non profluere exploratissimum est, oportet pariter adversarii confiteantur, monstrosissimam esse, & prorsus chimæricam Quesnelli cum Bellarmini sententia compositionem. Quænam enim cogitabitur magis impossibilis conjunctio, quàm orationis malæ cum bonâ, displicentis Deo, cum placente, idoneæ ad impetrandam misericordiam, cum ea, quæ novum exigit supplicium?

Contundendi tamen ampliùs adversarii sunt, & vel puerorum sibilis exponendum istud concordiæ inanissimum simulacrum. Oratio bona traditur à Bellarmino, & ad obtinendum à Deo fortius gratiæ præsidium utilis; quamvis, ut patet, ad reconciliandum Deo peccatorem, utpote in peccato adhuc voluntariè permanentem, minimè sufficiat. Sufficere autem necessariò debet in sententiâ Quesnelli, quod perabsurdum, & à fide Catholica alienum est: vel juxta eumdem inutilis prorsus est ad obtinendum aliquid à Deo; sed novam peccatori contrahit iniquitatem: oratio enim juxta Quesnellum, & quævis alia actio, nè novam peccati maculam incurrat; sed, ut Deo grata sit, & capax, quæ ab ejus clementia impetret actualis auxilii incrementum, debet esse ex fide per dilectionem operante; aliàs enim penès hunc Theologum non est ex fide supernaturalis ordinis, & Divinâ; sed diabolicâ, ad supernaturale à Deo obtinendum beneficium prorsus ineptâ. Non potest autem in Quesnelli sententia oratio procedere ex fide, nisi per charitatem; quia juxta Prop. 51. *Fides non operatur, nisi per charitatem*. Per hanc verò fides, quoties agit, justificat; quia, ut integra reddatur Propositio, *Fides justificat quando operatur, sed non operatur, nisi per charitatem*. Non itaque fides efficit orationem, nisi per charitatem, eamque justificantem. Impossibile igitur est per Quesnellum, ut simul in peccatore sit perseverantia in peccato, & oratio ex fide profluens, ad impetrandum ulterius gratiæ subsidium, atque efficacem pœnitentiam idonea: impossibilis proinde iterum, & patente mendacio, ad decipiendum jactata à Protestante concordia cum sententia Bellarmini.

Meminerit quoque Quesnellus Propositionis 47. juxta quam *Obedientia legis profluere debet ex fonte: & hic fons est charitas. Quando Dei amor est illius principium interius, & Dei gloria ejus finis, tunc purum est, quod apparet exteriùs; alioquin non est, nisi hypocrisis, aut falsa justitia*. Supponatur nunc in casu Bellarmini oratio vocalis, quæ nè sit hypocrisis, & ulterioris gratiæ consecutionem impediens potiùs, quàm promovens, profluere debet ex fonte, & hic fons est charitas in Protestantis systemate, neque potest consistere cum peccato lethifero, per ejusdem *Observationem moralem* in 1. Joan. 3. vers. 9., quæ de charitate in genere, illimitatè, & dogmaticè enunciat, *Nullum pati secum charitas potest peccatum mortiferum*. Elucet proinde iterum oppositio manifesta inter Bellarmini sententiam, & Quesnelli; in priore enim oratio peccatoris cernitur cum criminibus antea commissis, neque conveniente pœnitentiâ abdicatis; sed in voluntate pravæ nimiùm affixâ consuetudini adhuc perseverantibus.

In posteriore verò sententia oratio cum talibus circumstantiis numquam conciliabitur: vel enim vocalis ista oratio profluit ex charitate, & tunc eum delicto mortifero minimè consistit, quâ ratione hypothesis Bellarmini destruitur: vel oratio ista ex charitate non provenit, & tunc Quesnello est hypocrisis, nequaquam ad impetrandam à Deo gratiam idonea. Quapropter Bellarminianæ in Quesnello sententiæ professio fraudibus, & mendaciis scatet undequaque apertissimis.

CAPUT V.

Evertuntur reliqua Adversariorum argumenta.

1 PRoverb. cap. 28. v. 9. *Qui declinat aures suas, nè audiat legem, oratio ejus fiet execrabilis*. Commentario opus non est, ut intelligas non officere nobis sacrum textum, neque favere adversariis; his siquidem, ut indè propositioni suæ suffragium eliciant, opus est testimonio de quibuslibet, & quorumcumque impiorum precibus, cùm Propositio dogmatica absque ulla enuntiet limitatione, *Oratio impio-*

impiorum est novum peccatum, & quod Deus illis concedit, est novum in eos judicium. Textus autem Proverbiorum perspicuè assertionem limitat ad talis impii orationem, qui impietatem protrahere vult, & in ea contumax perdurare nullo emendationis desiderio: *Qui* (inquit Scriptura) ut hactenus impius fuit, ita & modò *declinat aures suas, nè audiat legem, oratio ejus fiet execrabilis*. Quæ explicatio, ut ex verbis Sacris spontè prosilit, non potuit non in consensum adducere sapientem quemlibet interpretem. Unde in verba illa Cornelius à Lapide: „ Intellige hæc (inquit) de iis, „ qui in peccati actu, vel affectu obsirmati „ persistunt; nam si quis cupiat è vinculis „ peccati egredi, rectè orat Deum, ut illi „ gratiam, & vires id perficiendi largiatur: „ peccator enim id suis viribus præstare „ nequit; sed ad hoc eget potenti Dei „ gratiâ, quam proinde precibus implorare „ potest, & debet. Ita Divus Thomas 2.2. „ quæst.83. art.16. ad. 1. ubi objiciens sibi „ illud cæci nati, scimus quia peccatores „ Deus non audit; & hanc Salomonis (lo- „ co cit. Proverb.) gnomen, respondet, ut „ sequitur: sicut Augustinus dicit super „ Joannem (tract. 44.) illud verbum est „ cæci adhuc inuncti, id est, nondum per- „ fectè illuminati, & ideo non est ratum, „ quamvis possit verificari, si intelligatur „ de peccatore, in quantum est peccator: „ per quem etiam modum oratio ejus dici- „ tur execrabilis. Illud autem de peccato- „ re, in quantum peccator est, explicat ibi „ S. Thomas in Conclusione: si peccator „ orando aliquid petit, in quantum pecca- „ tor, id est, secundùm desiderium pecca- „ ti, in hoc adeò non auditur ex misericor- „ dia; sed quandoque auditur ad vindi- „ ctam, dum Deus permittit peccatorem „ adhuc ampliùs ruere in peccata; Deus „ enim quædam negat propitius, quæ con- „ cedit iratus, ut Augustinus dicit „; videlicet impuro consecutionem amasiæ; iracundo, & vindictæ cupido interitum adversarii; avaro expetitas ad abusum divitias.

Habemus itaque Doctorem Angelicum, & cum eo Augustinum damnato dogmati non solùm contrarium; sed etiam eripientem omne perperàm affectatum Divini Codicis patrocinium. Eadem responsio convenit reliquis ex Scriprura objectis textibus, quos clarum est, non posse in Quesnelliani articuli sententiam pertrahi; quia nimiùm illustria ubique sunt apud Hagiographos testimonia divinæ Clementiæ, quibus peccatores omnes, etiam impii, ad pœnitentiam, justitiam, beatitudinem invitantur, ut Isa. Cap.1. v.16. & sequentibus. Ezech. cap.18.v.23. & 32.cap.33.v.10. &c. Matth. 11. v.28. 2. Petri 3. v.9.

2 Ex Patribus primo loco producitur contra nos aurhor operis, quod vulgò dicitur *Liber Pastoris*. Author passim statuitur Hermas. Sic autem de opere Bellarminus lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis: „ Quamvis multa utilia habeat, ut S. Hieronymus scribit; habet tamen etiam aliqua „ noxia, ut de unica pœnitentia secundùm „ errores Novatianorum, quibus hic liber „ omnino favere videtur: ut etiam illud „ de duobus geniis, seu de duobus Ange- „ lis, uno bono, & altero malo, singulis „ hominibus à Deo tributis; quem erro- „ rem ex hoc authore accepit Joannes „ Cassianus, eumque posuit in 13. Colla- „ tione cap.12.,& ante eum Origenes hom. „ 35. in Lucam.

In libro etiam Expurgatorio Hispano pag.452. in octavo, sic legitur: „ Hermæ „ Divi Pauli discipuli libri tres, qui alio „ nomine *Liber Pastoris* nnncupatur, pro- „ pter ejus antiquitatem permittitur; ve- „ rùm tanquam apocryphus, cnjus non „ liceat dictis, & authoritati fidere.

Quo supposito, possem facilè quod ex illo opere allegatur, silentio præterire; sed quia nihil adeò debile est, quodque speciem aliquam patrocinii afferre novitatibus videatur, quin illud sibi arripiant avidè, & extollant, audiatur testimonium illud quantumeunque apocryphum. Sic habet similitudine 3. non 4. ut in Hexaplis refertur: *Tu ergo fac fructum bonum, ut in æstate cognoscatur fructus tuus, & abstine te à multis negotiis, & nihil delinques; quicumque enim multa negotia agunt, multa delinquunt, quia constricti sunt circa negotia sua, & non serviunt Deo; nam quomodo potest homo, qui non servit Deo, aliquid petere, & accipere à Deo?* Nondum video quod in damnato articulo afferitur, *Omnem orationem impiorum esse novum peccatum, & quod Deus illis concedit, esse novum in eos judicium*.

Aliud est scilicet, orationem non consequi quod petit; aliud, illam peccatum esse. Non omnis, etiam justorum semper exauditur oratio, quæ non propterea de novo peccato, & novo demerito accusatur. Præterea patet, sermonem ibi esse, de eo, cui nullum emendationis est, ac justitiæ desiderium. Hermas autem Christi temporibus adeò vicinus, & Scripturarum, ut supponitur, ac Doctrinæ Ecclesiasticæ haud imperitus, ignorare non potuit tot Scripturarum testi-

testimonia, quibus tum in novo, tum in antiquo Fœdere peccatores omnes, quantumvis impii ad pœnitentiam vocantur, & salutem: quæ veritas adeò in Sacris paginis, quas primo capite retuli, perspicua, & à Deo ipso toties inculcata est, ut doctrina opposita horrorem ipsis incutiat adversariis; unde hî testantur modò, non de alio impiorum genere intelligendum articulum, quàm quod *professione impium est*, & cui animus in impietate perpetuò permanere: Quanquam propositio, sicut sonat, illimitata est, neque solùm, prout exprimitur, imprudens, & scandalis obnoxia; sed, dum præterea mens proferentis cum vicinorum dogmatum attenditur circumstantiis, graviorem ingerit animis perniciem; ideoque inflicto graviore anathemate penitùs eam oportuit aboleri, ut ex primi capitis dissertatione quilibet bonæ fidei Christianus facilè colligit.

3 S. Augustinus in Psalmum 108. ad illa verba. *Oratio ejus fiat in peccatum*, ait: *Quoniam non est justa oratio nisi per Christum, quem vendidit immanitate peccati: oratio autem, quæ non fit per Christum, non solùm non potest delere peccatum; sed etiam ipsa fit peccatum*. Loquitur S. Doctor de Juda, qui, dum Christum persequebatur, ut perderet, per Christum orare noluit, & quia noluit, non potuit suâ obcæcatus maliriâ. Nam, prosequitur Augustinus, *postea quàm* (Judas) *illum tradidit, eumque pœnituit; si per Christum oraret, indulgentiam rogaret; si indulgentiam rogaret, spem haberet; si spem haberet misericordiam speraret; si misericordiam speraret, non sibi desperatione collum ligaret... Oratio ejus, inquit, fiat in peccatum illi; quia non fit per Christum, quem noluit sequi, sed persequi*. Si itaque Judas, quantumvis impius, optasset seriò, petivissetque à Deo conversionis gratiam, adeò ipsius oratio non fuisset novum peccatum, quodque Deus illi concessisset, non fuisset novum in eum judicium, ut redemptionis potiùs fructus, conversionis gratiâ obvenisset, quod indicat superiùs Augustinus: & in Psal. 68. v. 27. *Projecit pretium argenti, quo ab illo Dominus venditus fuerat; nec agnovit pretium, quo ipse à Domino redemptus erat*.

S. Leo Serm. 11. de Passione. *Pro omnibus impiis mortuo Domino, potuisset etiam hic* (Judas) *consequi remedium, si non festinasset ad laqueum*. Idem de Passione Serm. 1. sub finem: *Mors Christi nos liberat, vos* (Judæos) *accusat &c. & tanta est bonitas nostri Redemptoris, ut etiam possitis consequi veniam, si Christum Dei filium confitendo illam parricidialem malitiam relinquatis: non enim Dominus in Cruce frustrà oravit dicens: Pater dimitte illis, quia nesciunt, quid faciunt: quod remedium nec te Juda transiret, si ad eam pœnitentiam confugisses, quæ te revocaret ad Christum; non quæ instigaret ad laqueum*. Si igitur Judas, quantum debuit, & potuit, pro salutaris pœnitentiæ efficaci auxilio precatus fuisset per Christi Redemptoris merita, oratio ipsi non peccatum novum, non novum in eum judicium fuisset, sed ad conversionem integram, justitiam, ac salutem optima dispositio.

4 S. Hilarius in Psalm. 54. ad illud *Nè despexeris deprecationem meam*, ait: *Despiciuntur orationes leves, diffidentes, inutiles, sæculi curis anxiæ, & rerum corporalium desideriis implicata, bonorum operum fructibus infœcundæ. Hæ igitur despicabiles sunt orationes, Dei dignatione non dignæ: de quibus per Isaiam Prophetam* (cap. 1.) *ait: Et cùm extenderitis manus vestras ad me, avertam oculos meos à vobis. Et causam despiciendæ orationis continuò subjecit, dicens: Manus vestræ sanguine plenæ sunt. Ubi ergo operatio iniquitatis extabit, illic despicitur oratio deprecantis*. Solutionem ipse suggerit Hilarius agens de *orationibus levibus, diffidentibus, inutilibus*, quibus inutilia, & subinde noxia postulantur; non verò de orationibus à Deo imperatis, & ab impio humiliter fusis, ut fortiore Dei præveniatur, & adjuvetur auxilio, quo ab impietate seriò resipiscat.

Tales etiam impiorum preces pias, non autem *leves* solummodo, *diffidentes, inutiles, infœcundas bonorum operum fructibus*, respuit, accusat, damnat Quesnellianus in sensu proprio, & obvio Articulus, indefinitè, & sinè ulla exceptione enuntians: *Oratio impiorum est novum peccatum, & quod Deus illis concedit, est novum in eos judicium*.

Non omittenda hic novæ perfidiæ castigatio. Animadverterat adversarius, ab Hilario non satis perspicuè asseri, orationes illas nova peccata esse, & novum in precantes convertere Dei judicium; sed tantùm esse *Dei dignatione non dignas*; ars corrumpendi versione gallicâ textus quoslibet, ut alibi ipsi passim familiaris, etiam hic in promptu fuit, vertendo, *Dieu les a en horreur*; quasi Hilarius diceret, *horrori sunt Deo*; quod autem horrere Deus dicitur, passim intelligitur delictum, nec minimè leve.

5 Objicitur denique S. Ambrosius lib. 2. de Cain, & Abel cap. 9. dicens: *Justorum ergo audit; & sanguinem* (Deus;) *avertit se à pre-*

à precibus impiorum. Ad præsentem Articulum, & disceptationem iterum non pertinet sententia hujus Patris. Non enim difficultatis caput est, an impiorum orationes Deus exaudiat, ut petita largiatur, sed an illæ reatum semper in precantibus augeant, nova peccata sint, & quidquid Deus illis concesserit, novum sit in eos judicium: istud in sensu obvio damnata affirmat Propositio: illuc plura conspirant proscripta à Clemente XI. dogmata, ut cap. 1. ostensum est.

Quapropter necesse est, Quesnellum, & ejus vindices, proferre saltèm probabilia opinionis adeò novæ, &, præterquam apud hæreticos, inauditæ fundamenta, aut sibi silentium indicere, & non contumeliis, atque calumniis proscindere Sedis Apostolicæ Sententiam. Sed neque satis christianæ demissionis est adversariis, ut se errasse alicubi confiteantur, neque portis inferi satis roboris, ut contra Ecclesiam prævaleant. Ideo ad solitas confugiunt hæreticorum fraudes, & primum quod dicitur reorum principium, crimina negare commissa. Si verò errorem tam horridum, quem damnati Articuli præsefert significatio obvia, defendere nequeant, ut evicimus eos non posse; si & probos se Catholicos exhibere voluerint, non existiment, se famæ suæ, & aliorum fidei satis consulere, negando hunc à se volitum fuisse sensum; nisi & eum damnaverint palàm, & ejus subverterint tradita tot Articulis fundamenta. Quemadmodum nemini mediocriter Theologo, aut Logico sufficiet abdicare conclusionem manifestè noxiam, si antecedentia, quæ conclusionem necessariò continent, mordicùs retinuerit.

APPENDIX

Ad propositiones de Charitate

CAPUT I.

Fides pessima Quesnelli protestantis, se in Propositionibus de Charitate non intelligere justificantem.

1 Post ea, quæ contra singulas de charitate propositiones tam copiosè à me hactenus, &, ni fallor, dilucidè disputata sunt, superflua videretur tractatio prolixior, & velut præcedentium confirmatio; nisi ad eum impudentiæ gradum provecta foret Quesnelli Protestatio, ut asserere non vereatur, occasionem nè minimam quidem à se præbitam, ut tot Antistites hanc Propositionibus inferrent calumniam, qua de charitate acciperent justificante, quod de amore Dei, vel de Charitate simpliciter affirmat. Tanta Protestantis audacia, & mendax perfidia, etsi ex superioribus à quolibet facilè convincenda sit; forsitan tamen, ut magis commodum, ita non ingratum accidet Lectori, si à me adversarii fallacia ampliùs jubari meridiano exponatur.

Prop. 51. *Fides justificat quando operatur, sed non operatur, nisi per charitatem*. Evidens est, charitatis nomine hic intelligi justificantem; aliàs enim falsissimum foret, & manifestè hæreticum; si fides justificare diceretur operans per charitatem, quæ non justificet: quis enim hactenus in Ecclesiâ audivit catholicâ, plus roboris fidei ad reconciliationem esse, quàm charitati, sive justitiam à fide peccatoribus tribui, quos non sanctificet charitas? Si autem, uti ad evitandam hæresim adeò crassam est prorsus necessarium, charitatem intelligit justificantem, cùm dicitur, *Fides justificat, quando operatur, sed non operatur, nisi per Charitatem*; igitur quandocumque operatur fides, operario fit per charitatem, quæ justificat. Suppono ex Dialectica apud omnes receptissima, quod & per se evidens est, enuntiationes aliquas compositas resolvi posse in duas simplices, ut patet in exemplis: homo est animal rationale, & brutum est animal irrationale: resolvitur in has simplices. Homo est animal rationale. Brutum est animal irrationale. Alterum exemplum: Homo agit, quando ratiocinatur; sed non ratiocinatur, nisi per animam, resolvitur in has simplices: Homo agit, quando ratiocinatur: Homo non ratiocinatur, nisi per animam: ubi utraque simplex indefinita est, & æquivalens universali, ac si diceres: Omnis homo, quandocumque ratiocinatur, agit: Nullus homo unquam ratiocinatur, nisi per animam.

Eodem modo propositio damnata 51. *Fides justificat quando operatur; sed non operatur nisi per charitatem*; resolvitur in duas sequentes: *Fides justificat quando operatur*: *Fides non operatur nisi per charitatem*. Utriusque autem simplicis dogmaticæ significatio æquivalet duabus his universalibus *Omnis fides justificat, quandocumque operatur*: *Fides nunquam operatur, nisi per charitatem*. Nihil est in tota hac expositionum serie nisi con-

conforme sensui communi, etiam Quesnelli; modò fidei nomine intelligatur ubique fides Divina, & supernaturalis, non naturalis, humana, aut diabolica: Ego de supernaturali solummodo, & divina intelligi hic semper volo: neque aliter interpretor adversarium. Juxta illum itaque omnis oratio, quæ ex fide est, cùm sit quædam fidei operatio, & fides justificet, quando operatur, neque operetur nisi per charitatem, intelligi charitas non potest nisi justificans.

Quod de oratione dicitur, valet in actione qualibet utili ad salutem, cujus fides radix necessaria est, docente concilio Trid. sess.6.cap.8. *Fides est humanæ salutis initium, fundamentum, & radix omnis justificationis*. Quapropter si omnis operatio fidei fit per charitatem justificantem, nulla vera oratio, quæ actus religionis est, nulla alia actio utilis ad justitiam dispositio, potest esse sinè charitate justificante. Dum itaque propositione 50. asseritur: *Frustrà clamamus ad Deum, Pater mi, si Spiritus charitatis non est ille, qui clamat*, sensus est, clamorem esse frustraneum, quo clamamus, Pater mi, & frustraneam esse orationem, si non à charitate justificante proveniat, vel nisi ipsa simul oratio sit justificans charitas.

2 Prop.53. *Sola charitas christiano modo facit (actiones christianas) per relationem ad Deum, & Jesum Christum.* Supponere non debemus, Quesnellum hic velle lectores suos decipere æquivoco, ut in alia significatione charitatem hic accipiat, quam ubique in superioribus; se enim nunquam æquivocis, aut restrictionibus mentalibus usum esse, testatur in epistola ad amicum Willartium data anno 1698. 22. Maji. *On ne m'soubçonnera pas non plus d'user icy d'équivoques, ou de restrictions mentales .... Vous sçavez d'ailleurs Monsieur, que je n'ay jamais tasté de ces sortes de drogues*: cupedias utique gustui suo sapidiores, & Jansenìano stomacho facillimè digerendas in pretio magis habet mendacia splendida, & perjuria, atque his instructissimam tenet apothecam, suorum usibus semper apertam, qualis inter cæteras ejus lucubrationes est ipsa titulo mendacissima, & Romæ meritò damnata, *Defensio Romana Ecclesiæ, & summorum Pontificum*, cujus operis scopus est, ostendere, quòd Romani Pontifices non damnaverint in quinque famosis propositionibus hæreticis sensum Jansenii, neque ejurari eum jubeant formulâ Alexandri VII.; proinde posse salvâ conscientiâ ab omnibus Jansenii discipulis, & totius doctrinæ in libro ejus traditæ fautoribus eâdem jurari formulâ: quod est, Jansenistas esse proprissime, & jurare, quòd sint minimè. Hæc & alia istiusmodi ampliùs deducta videri poterunt tomo tertio.

Verùm, quidquid re ipsa sit de æquivocorum penès Quesnellum odio, *charitas quæ sola*, juxta Prop. 53. *Christiano modo facit actiones Christianas per relationem ad Deum, & Jesum Christum*, intelligenda est in significatione obvia, ut ea vox etiam à Quesnello in superioribus est adhibita: saltèm est charitas, quæ uti salutaris, necessariò ex gratiâ oritur, & ex fide; quia per Prop. 40. *Sinè gratia nihil amare possumus, nisi ad nostram condemnationem*: per Propositionem autem 27. *Fides est prima gratia, & fons omnium aliarum*.

Porrò, si de Christianis peccatorum actionibus sermo est, patet, illas, quæ ex charitate proficiscuntur, absque sanctitatis participatione non profluere; quia *Prima gratia, quam Deus concedit peccatori, est peccatorum remissio* Prop.28. prima scilicet gratia, juxta Quesnellum, necessariò est charitas sanctificans; aliàs conferret remissionem criminum charitate non justificante, quod dictu absurdissimum foret, & hæreticum. Præterea Christiana actio, quam sive in peccatoribus, sive in justis christiano modo charitas facit, necessariò est ex fide. De hoc convenit inter omnes Theologos; maximè verò adversarios, penès quos Prop. 27. *Fides est prima gratia*, sinè qua nullum opus Christianum fieri posse christiano modo, certissimum omnibus catholicis est; & in hoc iterum; sed cum excessu, consentiunt Quesnelliani; juxta quos Prop. 39. *Voluntas, quam gratia non prævenit, nihil habet luminis, nisi ad aberrandum; ardoris nisi ad se præcipitandum; virium, nisi ad se vulnerandum: est rapax omnis mali, & incapax ad omne bonum*.

Si autem omnis christiana actio, quam christiano modo efficit charitas, fit ex fide; necessariò charitas intelligenda est justificans; quia fides, quoties per charitatem operatur, justificat juxta Prop.51. *Fides justificat, quando operatur; sed non operatur, nisi per charitatem*: ubi iterum, nisi charitas supponatur justificans, ab omni Theologica ratione, à sensu Doctorum omnium, imò & à fide catholica alienissimum censebitur, asserere, quòd fides justificet operans per charitatem aliam præterquam justificantem. Dum itaque oratio, & quævis alia christiana actio Christiano modo fieri dicitur per charitatem, charitatis nomine accipienda necessariò est ea, quæ justificat.

Timuisse videntur Hexapla, nè hunc Ques-

Quesnelli sensum non satis forsitan assequeremur: ideo ad Prop. 53. referendum duxere intergrum Quesnelli textum, unde lucidior emicat, quæ de requisita ad actiones christianas charitate justificante à nobis ei imputatur sententia. Sic nempe Quesnellus in Observationibus moralibus ad Coloss. cap. 3. v. 14. *Amor proprius, hypocrisis, consuetudo possunt elicere actiones christianas; sola charitas eas facere potest more christiano per relationem ad Deum, & Jesum Christum, uniendo, & conformando nos capiti tanquam vera membra.* Juxta Quesnellum itaque nulla christiana actio fieri potest christiano modo, nisi eas efficiat charitas per relationem ad Deum, & Jesum Christum, ita ut ei tanquam membra capiti uniamur, atque conformemur, quod nulla dilectio præstare potest præterquam justificans.

3 Prop. 54. *Sola charitas est, quæ Deo loquitur; eam solam Deus audit*: oratione acceditur ad Deum: Concilium autem Tridentinum sess. 6. cap. 6. ait, *accedentem ad Deum oportet credere, quia est, & quòd inquirentibus se remunerator sit.* Ita Tridentinos Patres edocuerat Apostolus ad Hebræos scribens cap. 11. Oratio itaque, uti & reliqua bonorum actuum turba, nascitur ex fide, ut testatur etiam Augustinus lib. de prædestinatione Sanctorum cap. 7. *Fides prima datur, ex qua cætera impetrantur.* Sic Augustini quoque discipulus S. Prosper lib. 3. de vita contemplativa cap. 21. *Fides est justitiæ fundamentum, quam nulla bona opera præcedunt, & ex qua omnia procedunt.* Gregorius Magnus lib. 2. moralium cap. 33. *Si fides non prima in corde gignitur, reliqua quæque esse bona non possunt.* Procedit igitur oratio ex fide; & , si Quesnellum audiverimus, etiam necessariò ex charitate justificante juxta prop. 51. *Fides justificat, quando operatur; sed ipsa non operatur, nisi per charitatem.* Hanc proinde intelligi ab authore justificantem, est exploratissimum: nam fidem justificare, quando operatur per charitatem non justificantem, error, ut sæpe monui, tam crassus est, & hæresis adeò manifesta, ut minimè verisimile sit, eam novæ Ecclesiæ coryphæo placuisse; saltèm ut eam profiteri publicè voluerit. Dum itaque Prop. 54. dicitur: *Sola charitas est, quæ Deo loquitur, eam solam Deus audit*, sensus est, solam charitatem justificantem Deo loqui; eam solam à Deo benignè suscipi, & ab eo consequi quod exoptat.

4 Prop. 55. *Deus non coronat nisi charitatem; qui currit ex alio impulsu, & ex alio motivo, in vanum currit.* Prop. 56. *Deus non remunerat, nisi charitatem; quoniam charitas sola Deum honorat.* Utrobique charitatis nomine indicari justificantem, extra dubium est, vel ex eo, quòd Hexapla, & eorum subsidiaria Collatio pro stabiliendis geminis his propositionibus, uti & pro superioribus provocent nos ad judicium Scripturarum, & subinde Patrum, iis locis, quibus agi de charitate justificante, compertissimum est. Sic pro 55. 56. uti & 54. Propositionibus remittimur ad celebrem Apostoli sententiam 1. Cor. cap. 3. „ Si linguis hominum „ loquar, & Angelorum; charitatem autem „ non habeam, factus sum velut æs sonans, „ aut cymbalum tinniens; &, si habuero prophetiam, & noverim mysteria omnia, & „ omnem scientiam; &, si habuero omnem „ fidem, itaut montes transferam; charitatem autem non habuero, nihil sum. „ Charitas patiens est, benigna est: charitas non æmulatur: non agit perperam: „ non inflatur: non est ambitiosa: non quærit quæ sua sunt .... Omnia suffert: omnia credit: omnia sperat: omnia sustinet. „ Charitas nunquam excidit „. Caverint adversarii negare, quòd magnifica adeò charitatis descriptio pertineat ad justificantem. Simile est, quod nobis objiciunt ex 2. Tim. 4. *Reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus Judex: non solùm autem mihi; sed & iis, qui diligunt adventum ejus*: Rursus quod ex Jacobi cap. 1. v. 12. *Beatus vir, qui suffert tentationem; quoniam, cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se*: utroque loco dilectio justificans est, quæ si defuerit, nulla inferioris ordinis dilectio sufficiet, ut corona vitæ, ac justitiæ tribuatur.

Charitas quoque justificans indicatur ab Augustino textibus pro 55. Propositione à Collatore allegatis. Primus est ex serm. 83. de verb. Evang. Matth. num. 21. *Universa inutiliter habet, qui unum illud* (charitatis donum) *quo universis utatur, non habet.* Secundus ex tract. 9. in Evangelium Jo: n. 8. *Charitas si desit, frustrà habentur cætera; si adsit, rectè habentur omnia.* Tertius ex hom. 50. *Ipsa est* (charitas) *quæ poterit sufficere, si cætera non sint. Si autem sola desit, nihil prodest, quidquid habitum fuerit. Sola sufficit, si adsit; cætera omnia nihil prosunt; si sola charitas defuerit.* Sufficitne, vel sufficere poterit charitas non justificans, si cætera non sint? Evidens est, tres istos Augustini textus respicere Apostoli sententiam superiùs descriptam ex 1. Cor. 13. ubi de charitate agi justificante clarissimum est ipsis Apostoli verbis, & commen-

mentario Angelici, qui sic incipit. „ Apostolus gratiarum gratis datarum distinctionem assignavit, & ministrationum, in quibus membra Ecclesiæ distinguuntur; hîc agit de charitate, quæ inseparabiliter concomitatur gratiam gratum facientem .... sine charitate alia dona gratuita non sufficiunt. Secundò quantùm ad utilitatem: quia scilicet per charitatem omnia mala vitantur, & omnia bona aguntur. „ Patet qualis sit charitas inseparabiliter concomitans gratiam gratum facientem. Neque omnia mala vitantur charitate inferiore, neque tali aguntur bona omnia. Quod etiam clariùs elucet ex eo, quod mox sequitur: *Anima enim per charitatem vivit, qua vivit Deo, qui est vita animæ.* Quis sanæ mentis Theologus dicet, animam Deo vivere sine charitate justificante?

Prosequitur S. Thomas. „ Secundùm illud Deut. 30. *Ipse est vita tua.* Unde & Joannis 3. dicitur. *Translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres: qui non diligit, manet in morte.* „ Potestne dilectio non justificans transferre animam de morte ad vitam? Patentissimum est, manere in morte eum, qui diligit amore inferioris ordinis...

Pro 55. Prop. adducitur ab Hexaplis illud Pauli ad Cor. epist. 1. cap. 2. v. 9. *Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus iis, qui diligunt illum.* Et Joan. cap. 14. v. 21. *Qui autem diligit me, diligetur à Patre meo; & ego diligam eum, & manifestabo ei me ipsum.* Per se conspicua utrobique est dilectio sanctificans, neque ullus sive Theologus, sive interpres catholicus aliter intelliget...

In eundem sensum convenit quod ait Joannes epist. 1. cap. 4. *Omnis, qui diligit, ex Deo natus est*, sive sanctificatus, unde Augustinus tract. 76. in Joannem. *Qui diligunt, quia diligunt, eliguntur. Dilectio sanctos discernit à mundo.* Tract. 9. in epist. Joannis. *Anima nostra fœda est per iniquitatem; amando Deum pulchra efficitur.* Tract. 2. *Talis est quisque, qualis est amor ejus .... Deum diligis? quid dicam? Deus es? Non audeo ex me dicere: Scripturas audiamus: Ego dixi Dii estis, & filii Altissimi omnes.* Denique idem S. Doctor lib. 5. de Trinit. cap. 18. *Nullum est isto dono excellentius. Solum est quod dividit inter filios regni, & filios damnationis æternæ:* ubique elucet charitas justificans.

Propositionem 57. *Totum deest peccatori, quando ei deest spes: & non est spes in Deo, ubi non est amor Dei*, stabiliunt Hexapla illo Apostoli ad Rom. cap. 5. v. 5. *Spes autem non confundit; quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis*: quod luculentissimum argumentum est, *amorem Dei* in damnata propositione accipi pro charitate diffusa in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis. Istum autem Apostoli locum agere de charitate justificante, tum se ipso apparet evidens, tum irrefragabili authoritate Angelici interpretis, & Concilii Tridentini.

Sic nempe Commentarius Aquinatis in eum locum: *Charitas Dei dupliciter accipi potest: uno modo pro charitate, qua diligit nos Deus: alio modo potest dici charitas Dei, qua nos Deum diligimus. Infra &c. certus sum, quòd neque mors, neque vita separabit nos à charitate Dei*: ubi perspicuum est, agi de charitate, quæ justificat.

Prosequitur sanctus commentarium: *Utraque autem charitas Dei in cordibus nostris diffunditur per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis; Spiritus enim Sanctum, quì est amor Patris, ac Filii, dari nobis, est nos adduci ad participationem amoris, qui est Spiritus Sanctus: à qua quidem participatione reddimur Dei amatores; & hoc, quod ipsum amamus, signum est, quòd ipse nos amet, Prov. 8. Ego diligentes me diligo.* Quisquamne est, qui non intelligat hîc dilectionem in hominibus justificantem, cui dilectio Dei respondeat, & præparet coronam gloriæ indubiè consequendam, si in dilectione perseveraverint?

Pergit Angelicus: *Charitas autem, qua nos Deum diligimus, dicitur in cordibus nostris diffusa, id est, quia ad omnes mores, & actus animæ perficiendos se extendit; nam dicitur Corinth. 1. cap. 13. Charitas patiens est, benigna est &c. Ex utroque autem intellectu horum verborum concluditur, quòd spes non confundit. Si enim accipiatur charitas Dei, qua nos diligit Deus, manifestum est, quòd his, quos diligit, se ipsum non negabit. Deuter. 33. Dilexit populos: Omnes Sancti in manu illius sunt. Similiter etiam, si charitas Dei accipiatur, quâ nos Deum diligimus, manifestum est, quòd se diligentibus bona æterna præparavit. Joan. 14. Si quis diligit me, diligetur à Patre meo.* Ubi iterùm clarissimum est, dilectionem hominis accipi pro justificante.

Audiatur modò Tridentinum de eadem objecta ab Hexaplis sententiâ. Sessionis 6. cap. 7. titulus est, *Quid sit justificatio impii, & quæ ejus causa.* Tum in ipso capite ita Patres definiunt. *Unica formalis causa est justitia Dei; non quâ ipse justus est, sed quâ nos justos facit, quâ videlicet ab eo donati, renovamur spiritu mentis nostræ: & non modò reputamur, sed verè justi nominamur & sumus; justitiam*

tiam in nobis ipsis recipientes unusquisque suam secundùm mensuram, quam Spiritus Sanctus partitur singulis, prout vult, & secundùm propriam cujusque dispositionem, & cooperationem. Quamquam enim nemo possit esse justus, nisi cui merita Passionis Domini nostri Jesu Christi communicantur; id tamen in hac impii justificatione fit, dum eiusdem Sanctissimæ Passionis merito per Spiritum Sanctum charitas Dei diffunditur in cordibus eorum, qui justificantur, atque ipsis inhæret: unde in ipsa justificatione cum remissione peccatorum hæc omnia simul infusa accipit homo per Jesum Christum, cui inseritur, fidem, spem, & charitatem. Quòd igitur in objecta Apostoli sententia nomine *charitatis* intelligatur justificans, habetur compertissimum. Quapropter quod de amore enuntiat Articulus 57. cui confirmando textum illum Apostoli Hexapla adducunt, indubiè pro amore ponitur conferente justitiam, quo ipso sensu in superioribus voces *amor* & *charitas* ab authore & ejus defensoribus pro eodem significato promiscuè accipiuntur.

6 Immeritò itaque Quesnellus conqueritur de centum Episcopis Galliæ, quòd amorem Dei in Propositione 57. interpretentur de justificante, quando ea interpretatio congruit cæteris ipsius de amore Dei assertionibus, ubi sinè ullo discrimine *amor, dilectio, charitas* adhibentur, si non pro habitu, saltèm pro actu hominem Deo gratum faciente. Inficiari scilicet Quesnellus neque poterit, neque volet, quin amor à se requisitus sit ex gratia, imò ipsa gratia, Prop. 28. *Prima gratia, quam Deus concedit peccatori, est peccatorum remissio.* Præterea amor Dei ad salutem & justitiam conducens juxta omnes catholicos proficiscitur ex *fide*; hæc autem per Propositionem 27. *Est prima gratia.* Et per Prop. 51. *fides justificat, quando operatur; sed ipsa non operatur, nisi per charitatem*, quam Quesnellus in omni fide supernaturali se existimat reperire. Quandocumque igitur in hoc systemate fides imperat amoris, vel alterius cujuscumque boni operis exercitium, semper justificat: atque ita amor Dei, cujus meminit Prop. 51. cùm sit ex gratia, & ex fide, ejus operatio semper justificat, vel justificationis confirmatio est, per eundem Articulum.

Ægerrimè fert *Protestatio*; sed & iniquissimè veluti calumniam reprehendit, quòd amor Dei expressus Propositione 45. appelletur ab Episcopis justificans: *Amore Dei in corde peccatorum non ampliùs regnante, necesse est, ut in eo regnet carnalis cupiditas, omnesque actiones ejus corrumpat.* Verùm quis Theologus, imò quis doctrinæ christianæ principiis utcumque instructus, nomine amoris Divini in corde regnantis non intelligat justificantem? Fatentur omnes, talem intelligi amorem Dei in corde hominis *dominantem*; quid verò discriminis est amorem inter *regnantem*, & *dominantem*? Mihi quidem synonyma sunt, neque inferioris ordinis creditur *regnare*, quàm *dominari*. Si ergo subsisteret Propositio 45., absente Dei amore, qui justificat, necesse foret corrumpi actiones omnes quantumlibet specie bonas, etiam orationem.

Nihilominus Quesnellus clamitat, protestatur, intolerabilem esse calumniam, dum introducitur quasi docens, quòd juxta Proposit. 57. & 58. *Nec fides, nec spes, nec Deus, nec religio sit, ubi non est charitas* (justificans.) Verùm frustranei istiusmodi clamores, inanes querimoniæ, & protestationes sunt quamdiù tomos suos quatuor *Observationum moralium*, & constitutionem *Unigenitus* non subduxerit Quesnellus mortalium oculis, vel non omnes præstigiis fascinaverit, nè lumen videant in meridie: quod nisi præstiterit, totum, quod occultare molitur odiosissimi erroris, pergemus vel inviti conspicere in Propositionibus plurimis, ut demonstratum est: & sola sufficeret quadragesima quarta 1 *Non sunt nisi duo amores, unde volitiones, & actiones omnes nostræ nascuntur: amor Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur; & amor, quo nos ipsos, ac mundum diligimus, qui quod ad Deum referendum est, non refert, & propter hoc ipsum fit malus:* ubi amor Dei omnia agens propter Deum, quemque Deus remuneratur, in significatione communi, propriâ & obviâ censetur justificans. Si autem omnis volitio, & omnis actio ex eo non profluens sit mala, utpote ex amore mundano, origine pravissimâ, dimanans, patet, nullum sinè amore justificante posse esse boni operis exercitium.

CAPUT II.

De charitate habituali, & dominante Protestatio Quesnelli fraudulenta convincitur.

1 NE quid roboris protestationi detrahere videar, integram ex idiomate Gallico in Latinum qua possum fide transfero; totum videlicet §. 11.

„ Quandoquidem explicatio, quam dedi Propositionis 59., quidquid circa plures alias disserui, uti & quæ stabilivi alibi „ prin-

„ principia de charitate, compertum exploratumque faciant, admittere me in peccatoribus ante justificationem motus aliquos charitatis, qui ab hujus habitu nequeant provenire, quâ conscientia Domini Commissarii congressûs (40. Antistitum) accusare me potuerunt, quasi *indicaverim, non esse veram charitatem, nisi habitualem, aut dominantem*. Si tantùm iudicaverim, nonne postulabat æquitas, ut ex me intelligerent; quænam reverà mihi esset de hoc sententia: verùm adeò sunt ab hoc consilio alieni, ut oculos claudant ad declarationem, quam mei sensûs dedi tam candidam, & accuratam in epistola congregatis Episcopis scriptâ. Subducitur illa, quantum fieri potest, Antistitum cognitioni, & spretâ meâ negatione, ut inuratur mihi transitura ad posteros macula, coram universâ Ecclesiâ accusor, quasi *non agnoscam charitatem veram, præter habitualem, & dominantem*: accusationem confirmant propositionibus meis sequentibus.

XLIV. „ *Non sunt nisi duo amores, unde volitiones, & actiones omnes nostræ nascuntur: amor Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur; & amor, quo nos ipsos, ac mundum diligimus, qui quod ad Deum referendum est, non refert, & propter hoc ipsum fit malus*.

XLV. „ *Amore Dei in corde peccatorum non ampliùs regnante, necesse est, ut in eo carnalis regnet cupiditas, omnesque actiones ejus corrumpat*.

XLVI. „ *Cupiditas, aut charitas usum sensuum bonum, vel malum faciunt*.

XLVII. „ *Obedientia legis profluere debet ex fonte; & hic fons est charitas: quando Dei amor est illius principium interius, & Dei gloria ejus finis, tunc purum est, quod apparet exteriùs; alioquin non est nisi hypocrisis, aut falsa justitia*.

XLVIII. „ *Quid aliud esse possumus, nisi tenebræ, nisi aberratio, & nisi peccatum sinè fidei lumine, sinè Christo, & sinè charitate?*

XLIX. „ *Ut nullum peccatum est sinè amore nostri; ita nullum est opus bonum sinè amore Dei*.

„ In omnibus istis Propositionibus procul abfui à confundenda charitate habituali, & justificante cum eâ, cuius motus, & actus justificationem præcedunt. Adeò non existimo, quòd sine charitate, quæ justificat, nihil possit homo facere gratum Deo, & utile ad salutem, ut potiùs credam, quemadmodum affirmavi antea, præparationes, quibus catechumeni, & pœnitentes se ad justificationem disponunt, esse acceptas Deo, utiles, imò necessarias ad æternam salutem: & quia credo, eas neque gratas Deo, neque utiles ad justificationem, aut salutem esse posse, nisi illas charitatis spiritus animaverit, teneor ego præ cæteris agnoscere ejus actus, & motus in illis etiam, qui charitate sanctificante nondum præditi sunt.

„ Habeut itaque illi fidem; verùm ad eos quod attinet, in quibus neque fides est, neque spes, neque charitas, neque Christus illius author & consummator, solus Deus novit, quid in suâ sint præscientiâ, vel futurum aliquando sit, ut ipsi placeat ab eorum mentibus depellere tenebras, devios reducere in viam, criminumque vincula clementissimè rumpere. Quando eos ad se trahere voluerit, primus qui eis splendebit radius, erit lumen fidei, quæ, sicut virtutes cæteræ, supponit semper gratiam velut suum principium, cujus primus effectus fides est. Hoc sensu cum sanctis Patribus dixi, *Fidem esse primam gratiam, & fontem omnium aliarum*. Si S. Leo asserere potuit, quod defectu fidei in Ethnicis *infidelitas polluat jejunantem*, quantò magis verum esse debet, cupiditatem corrumpere actiones omnes motivo cupiditatis exercitas; & malum reddere usum sensuum, qui pravo illius amoris motu fit. Verùm quis propterea affirmavit unquam, eos, in quibus charitas justificans nondum dominatur, aut residet, nunquam agere nisi motu cupiditatis, sivè nunquam uti sensibus instinctu charitatis actualis? Nunquam in mentem mihi venit istud asserere: & palàm sustineo contrarium. Idem præstiti in *Observationibus* toties, ut nihil magis mirabile sit, quàm videre Episcopos fidelibus denuntiantes, quòd *Observationes morales* circa charitatem destruant fidem, spem, & virtutes christianas. Imputatos mihi errores quoslibet circa charitatem subverti, deieci toties & tam perspicuè, ut librum meum solummodo aperienti occurrant statim placita iisdem erroribus prorsus opposita. Poteramne meliùs ostendere, quòd agnoscam charitatem aliam præter dominantem, quàm dicendo, ut dixi reipsa, quod *inchoata charitas, inchoata justitia sit: charitas plena, & perfecta sit plenitudo justitiæ, ac bonorum operum?* charitas, quæ non est nisi initium justitiæ, non est justificans atque inhabitans; sed dilectio Dei tanquam fontis justitiæ, quam Concilium (Tridentinum) exi-

„ exigit à peccatore, ut se ad justificationis
„ gratiam præparet.

„ Diversi illi charitatis gradus,qui præ-
„ parant ad justificantem, observatos à me
„ reperies ad Ephes. cap. 3. v. 17. *Quantò*
„ *magis anima est vacua cupiditate, tantò*
„ *ampliùs fit Deus ejus plenitudo charitate,*
„ *aut viva fide*. Immediatè post addo. *Ve-*
„ *rùm quis potest ad charitatem animum*
„ *præparare, nisi ipsa charitas*, charitas ope-
„ rans ad charitatem inhabitantem, quæ
„ bonæ arboris radix est, & spiritualis ædi-
„ ficii fundamentum? juxta quæ verba simul
„ ac incipit animus se reddere vacuum cu-
„ piditate; pari gradu intrat charitatis ini-
„ tium, & quantùm diminuitur atque flac-
„ cessit cupiditas, tantò charitas, nondum
„ inhabitans, incrementi accipit, ac robo-
„ ris, usque dum charitas, aut viva fides,&
„ justificans integram in animo possessio-
„ nem adiens se stabiliat. Illic iterùm con-
„ spicitur *charitas operans,quæ præparat ani-*
„ *mum ad charitatem inhabitantem*; conspi-
„ ciuntur, inquam, charitatis motus,quibus
„ peccator se applicat ad bonorum operum
„ exercitium, quò disponatur ad recipien-
„ dam charitatem, quæ mansionem in eo
„ faciat. Potestne quis loqui distinctiùs?

„ Persuadere præterea adversarii vo-
„ lunt, me docere, quòd,quando ea chari-
„ tas recedit ab animo pravi catholici pro-
„ pter peccatum, desinat ibi esse fides.
„ Contrarium dixi ad Marci cap. 11. v. 10.
„ & 20. *Radix fidei tempore hujus vitæ in*
„ *malis catholicis remanet sinè fructibus*. Ec-
„ cum igitur peccatores, in quibus fides
„ remanet radicata. Rom. 10. v. 10. *Frustrà*
„ *homo de cordis sui fide gloriatur, si linguâ,*
„ *sententiis, moribus ei contradicat.*

„ Cap. 3. v. 22. *Si hæc fides non est viva,*
„ *& operans per charitatem, non sufficit ad*
„ *justitiam; sed ejus radix est, & principium.*

„ Cap. 13. *Non est fides sola; sed justitia*
„ *fidei, seu vita fidei consona,quæ veris Abra-*
„ *hæ filiis jus tribuit ad novum mundum, qui*
„ *est Ecclesia Cœlestis.*

„ Joan. 12. v. 43. *Fides à charitate sepa-*
„ *rari potest: cùm Judæi fidem habuerint, &*
„ *caruerint charitate, quæ sola efficit, ut Dei*
„ *gloria diligatur*. Sola hæc sententia adeò
„ est perspicua, ut nonnisi immedicabilis
„ pertinacia, aut desperata iniquitas resi-
„ stere valeat, ac denegare consensum.

2 Hactenus Quesnelli Protestatio. Ecclesia quidem catholica, Episcopi, ac Pontifices nunquam sibi impositam censuere legem, omnia hæreticorum, aut novaturientium placita inter se conciliandi, & ab oppositionis liberandi vitio. Priùs enim terram cœlo junxeris empyreo, quàm omnia inter se cujuslibet hæretici dogmata componas. Lutheri in primis volumina contradictionibus plena sunt. Aliud tamen hæreticorum genus est subdolum magis, nec minùs noxium, quod, etsi de eodem fidei articulo, nunc erroneè, aliàs catholicè enunciare videatur, reipsà tamen nihil sentiat contrarium; sed ambiguis solummodo ludat vocibus, ut & veneno multos inficiat, &, dum forté accusari contigerit, se velut catholicum tueatur. In hac arte, quâ Janseniani valent plurimùm, magistros habuere Pelagium,Cœlestium,& Arianos,qui ut catholicis passim uti locutionibus viderentur, à multis dudum Episcopis Orthodoxi crediti sunt, dum ab Ecclesiæ fide essent remotissimi. Placet mihi recepta passim interpretandi regula, qua supponitur author non sentire contraria, nisi ubi se errasse profitetur, aut effata invicem nequeunt conciliari. Aliàs obscura clarioribus conformanda sunt. Si author fuerit fidei non satis exploratæ, verba ejus in sensu communi, & obvio accipienda sunt. Sanctis Patribus, & probatis Ecclesiæ judicio Scriptoribus benignior in obscuris explicatio debetur. Hæreticorum dicta non penitùs perspecta haud facilè amplectenda sunt, sed in deteriorem potiùs rejicienda partem. Quesnellum autem primo tomo ostendimus à fide Catholica in pluribus dogmatibus deviare; vidimus, eum quoque errores suos cum pertinacia, & contemptis Ecclesiæ judiciis defendere; unde idem nobis in ipsum, quod in cæteros hæreticos jus est. Saltem ægrè ferre non poterit; si in ejus scriptis versemur veluti suspectis, neque statim catholica credamus, aut sana, quæ sensum pariuntur ambiguum, neque ex enuntiationibus quibusdam æquivocis errores alibi compertissimos excusemus. Nunc singula protestationis capita paulò attentiùs consideranda sunt.

3 Prima Quesnelli quæstio est, quâ conscientiâ Domini Commissarii, ipsum accusare potuerint, quasi indicet, non esse veram charitatem, nisi habitualem, aut dominantem? Respondere illi Antistites poterunt formandæ conscientiæ abunde sufficere ipsos, quos proferunt Quesnelli articulos, quosque ipsa superiùs retulit *Protestatio*. Cùm enim dicitur: *Non sunt nisi duo amores, unde volitiones, & actiones omnes nostra nascuntur; amor Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur; & amor, quo nos ipsos, ac mundum diligimus*; quis per istiusmodi amorem Dei, unde omnis bona actio,

actio, & volitio nascitur, intelligat amorem fluxum, & debilem, non verò habitualem potiùs, & dominantem?

Rursus cùm in omnibus statuitur aut *regnans Dei amor*, unde omnis pendeat bonus usus sensuum, & consecutione necessariâ usus cæterarum animæ facultatum, aut *regnans cupiditas* quâ corrumpuntur omnia, nemo amorem Dei regnantem acceperit aliter, quàm pro *dominante*, quæ apud omnes habebuntur synonyma. Neque regnans in corde amor, & charitas illa, quæ fons est omnis obedientiæ legibus debitæ, actum quemlibet tenuem, ac facilè transeuntem significat, sed magis habitum, vel actum stabilem, & cæteris dominantem. Propriè non asserunt Episcopi, nullam Quesnello charitatem veram esse præter habitum; sed vel habitum, vel actum, cujus imperio actus cæteri obsequuntur. Neque affirmant, hanc esse manifestam Quesnelli sententiam, quamvis affirmare sinè erroris periculo potuissent; sed tantummodo ajunt vocibus ejus indicari: *donnent à entendre*. Qui in Episcopis modestiæ potiùs, & benignitatis nimiæ excessus aliis videbitur, quàm rigoris.

4 At inquit Quesnellus, *evidens est, quòd in peccatoribus ante justificationem admittam charitatis motus, qui ab eius habitu procedere nequeunt*.

Non determinant Episcopi solum habitum; sed sub disjunctione *charitatem habitualem, vel dominantem*. Hanc Quesnellus ipse notionem dat charitatis in 1. Joannis cap. 3. v. 9. *Nullum pati secum potest charitas peccatum mortale*. Dogmatica, illimitata, & universali æquivalens enuntiatio est, ut sensus sit, omni convenire charitati, quod cum nullo consistere valeat delicto lethifero. Atque ea charitatis significatio, seu prærogativa consonat Scripturis omnibus, in quas commentarium, sive *Observationes* Quesnellus edidit *morales*. Eodem modo Scripturas ubique explicat S. Thomas, & communis intelligentia vocis *charitas* est, quoties de ea propriè loqui lubet.

Si igitur omnis charitas omnem excludat necessariò noxam mortiferam, quid mirum, si omnis apud Quesnellum charitas pro habitu accipitur, vel pro actu amoris dominante? Non enim exiguus actionis dominatus, nec leve imperium est, dum omnes animæ facultates ad legis obedientiam adigit, omnibus frænum injicit cupiditatibus, nè quid sibi contrarium saltèm grave audeant. Motus charitatis, quos Quesnellus se admittere ait in peccatoribus ante justificationem, intelligi debent de amoris Dei actibus, quibus justificatio obtinetur, quosque hæc immediatè sequitur; eodem quidem tempore; sed posteriùs ratione. Quia, ut rectè superiùs Quesnellus cum Scripturis, & interprete Angelico statuit, *charitas nullum patitur secum peccatum mortale*; neque fieri potest, ut Deum amans super omnia, hostis ejus maneat, & damnetur. Charitas quidem justificans communiùs apud scholasticos ponitur pro habitu; actus tamen, cujus intuitu habitus infunditur, suo modo etiam justificare non incongruè dicetur, non tanquam forma; sed ultima præparatio propter quam eodem tempore forma inducitur.

5 Quomodo mirari Quesnellus debuit, sententiam de omni charitate dominante, vel justificante sibi tribui, penès quem *Prima gratia, quam Deus concedit peccatori, est peccatorum remissio* Prop. 28.? illic prima gratia, ipsa justificatio est. Cur autem inferioris ordinis, prærogativæ, roboris existimetur secunda, & tertia gratia, quam prima? si verò omnis gratia justificatio, vel justitia sit, quidni omnis charitas, quæ ex gratia oritur, & ipsa quoque gratia est, vel habitus sit, vel actus dominans? Præterea omnis charitas ex *fide* est; atque hæc quoties, aut *quando operatur, justificat*; porrò si fides justificat, quoties operatur, liquet, omnem operationem fidei esse justitiam, atque ita charitatem omnem ex fide natam esse sanctificantem.

6 Fallaciæ quoque obnoxium est, quod Quesnellus ait de catechumenis se ad justificationem disponentibus, quorum præparationes statuit Deo gratas, & homini utiles; modò eas charitatis spiritus animarit: illos *charitatis motus* ait Quesnellus se agnoscere *in illis etiam, qui charitate justificante nondum præditi sunt*. Falleris autem, Lector, si Quesnellum in catechumeno actum ullum bonum & utilem agnoscere existimes, quo se ad justificationem præparet, præter eum, qui justificationem immediatè obtinet: & nè ambiguæ locutionis tenebris novus *Protestans* decipiat, meminerimus, alium esse actum justificantem, alium habitum: hunc esse justificationis formam; illum præparationem ultimam, per quam animus ad formam satis dispositus eam recipit. Interim dispositio, seu præparatio est istiusmodi, ut nullo temporis puncto cum ea reatus criminis consistere valeat: cùm enim necessariò animare eam debeat *spiritus charitatis*; hæc autem *nullum secum pati possit peccatum lethiferum* juxta id, quod à Quesnello assertum legimus in 1. Joan. cap. 3. v. 9., liquet, nullam esse posse in catechumenis, aut pœniten-

tibus actum, quo ad infusionem habitualis justitiæ præparentur, nisi actus ipse præparans sit dilectio Dei, quam immediatè, & lege falli nesciâ charitatis habitus sequatur. Non est enim bona dispositio, vel à novo immunis peccato, nisi fuerit ex *amore Dei omnia agente propter Deum*, *quemque Deus remuneratur*, quod amori justificanti proprium est. Dum igitur Quesnellus ait, se agnoscere charitatis motum, etiam in iis qui nondùm charitate justificante prædìti sunt, intellige necessariò motum, seu actum charitatis justificantis, in iis etiam, qui à charitate nondum habitu possidentur. Ita quidem actus præcedit habitum ordine rationis & causæ; non tamen temporis; quia motus ille necessariò ex fide est, non sterili, non otiosa; sed operante, ut per se patet. *Fides* autem juxta Prop. 57. *quando operatur*, *justificat; sed non operatur, nisi per charitatem* sibi intimè conjunctam. Itaque vera Quesnelli sententia est, omnem charitatem esse aut *habitum* justificantem, aut *dominantem* actum, omnibus mundanæ concupiscentiæ motibus superiorem, qui justificationis habitum secum trahat arctissimæ vinculo connexionis. Quomodo etiam separetur à justitia, si *prima gratia*, *quam Deus concedit peccatori, est peccatorum remissio*, Prop. 28.? si qualiscunque charitas nullum possit pati secum peccatum lethiferum, etiam Quesnello judice in 1. Joan. cap. 3. v. 9.?

7 *Protestans* non elabitur ex Propositionis 48. anathemate, dicendo quòd solus Deus noverit, quid in sua sint præscientia illi, in quibus neque fides est, neque spes, neque charitas, neque Christus illius author. Non enim istud est, quod in Propositione agitur, & feritur anathemate; sed quod de miseris istis Quesnellus enuntiat, nihil eos *esse posse nisi tenebras, aberrationem, & peccatum*. Sic enim impingitur in trium olim Pontificum censuras contra Baji Articulum 25. *Omnia opera infidelium sunt peccata, & virtutes philosophorum sunt vitia*. Ibidem Art. 27. *Liberum arbitrium sine gratia Dei adjutorio non nisi ad peccandum valet*. Neque S. Leo, neque ullus Patrum asserit, vel asserere potuit, ob solum fidei defectum in Ethnicis, *quòd infidelitas polluat jejunantem*; sed quod infidelitas positiva, sive prava & infidelis intentio jejunantem polluat. Ut enim perperam asserit Bajanus Articulus 68. *Infidelitas purè negativa in his, in quibus Christus non est prædicatus, peccatum est*; ita & iniquissimè dicitur, solum fidei defectum sufficere ut polluta censeantur infidelium jejunia, uti & cæteræ eorum actiones congruæ lumini naturæ & rationi. Non solus defectus fidei, vel absentia charitatis sufficit Doctori Angelico, ut opera officio honesta atguantur peccati; sed juxta eum requiritur perversa intentio. Sic Apostolum, & Augustinum explicat 2. 2. quæst. 23. art. 7. ad 1., & lect. 3. in cap. 14. Rom. *Cùm dicitur opus omne, quod non est ex fide, peccatum est, sic intelligendum est: omne quod est contra fidem, vel contra conscientiam peccatum est, etsi ex genere suo bonum esse videatur: puta, si paganus ad honorem suorum Deorum virginitatem servet, vel eleemosynam det, hoc ipso peccat*.

S. Franciscus Salesius lib. 11. de amore Dei cap. 10. *Apostolus certè docet, paganos, qui fidem non habent, facere naturaliter, quod lex jubet, & quando faciunt, quis dubitet, illos bene facere, & quod faciunt, à Deo æstimari? Pagani cognoverunt, matrimonium esse bonum, & necessarium, ac comprimis conveniens prolem in literis, & artibus liberalibus, in amore patriæ, in vita civili educare, & id, quod cognoverunt bonum, fecerunt: relinquo autem tibi considerandum, an non id in oculis Dei fuerit bonum, si quidem eo fine, eâque intentione lumen rationis, & instinctum naturalem communicârat*.

Confirmat iterum Salesius assertionem suam, non solâ ratione; sed etiam authoritate Augustini. *Cùm*, inquit, *ratio naturalis sit arbor bona, quam Deus in nobis plantavit, certè fructus ex ea provenientes sunt boni; sed comparati iis, qui procedunt ex gratia, sunt perquàm exigui pretii, & valoris; sed non ideo tamen nullius; si quidem Deus eos laudavit, & bonis temporalibus; quin & secundùm Augustinum, morales Romanorum virtutes magnitudine, ac magnificâ imperii famâ, existimatione, & commendatione apud gentes exteras compensavit*. Dum igitur Augustinus infidelium opera, quæ extrinsecùs apparuerint laudabilia, vitiis annumerat, de iis intelligendus est, quæ fine peraguntur illicito; infidelitatis videlicet, vanæ gloriæ, aut simili; qualia fuere Stoicorum beatitudinem sibi constituentium in virtute, ut legitur Serm. 13. de diversis: *Dicebat Epicurus: Beatus, cujus est in fructu voluptas carnis ejus: dicebat Stoicus: Imò beatus, cuius est in fructu virtus animi ejus: dicebat Apostolus: Beatus, cujus est nomen Domini spes ejus*.

8 Meministi, Lector, quid tradiderit Quesnellus Prop. 26. *Nullæ dantur gratiæ nisi per fidem*. Prop. 27. *Fides est prima gratia, & fons omnium aliarum*. Venenum utriusque Articuli præsentissimum est, & consectariis pestilentibus horridum, quæ

suo

suo loco deduximus: neque dubito, quin Quesnellus etiam ab aliis monitus ea perspiciat, nisi obstinatio obcæcaverit intellectum adeò, ut juxta Art. 39. *Nihil habeat luminis nisi ad aberrandum*. Si, ut sonat, *Protestatio* intelligitur, errorem cùm defendere nequeat, neque superbia patiatur agnoscere, videtur involvere velle nè appareat: *Primus*, inquit, *qui eis splendebit radius, erit lumen fidei, quæ, sicut virtutes cæteræ, supponit semper gratiam velut suum principium, cujus primus effectus est fides. Hoc sensu cum Sanctis Patribus dixi, fidem esse primam gratiam*. Nunquam à Patribus dictum esse, ut à Quesnello asseritur, quod fides sit prima gratia, demonstravi loco proprio.

Dicamus autem quod res est; fidem, quæ sensu suo sit prima gratia, in Jansenio, & Arnaldo reperit. Hi Quesnello pro Sanctis Patribus sunt.

Sic nempe Jansenius lib. 3. de gratia Salvatoris cap. 11. *Frustrà Scholastici gratiam nescio quam infidelibus tribuunt ante fidem, qua benè operantes ad fidem ipsam provehantur; cùm ipsa fides sit prima gratia*. Rursus eodem cap. *in ejus quippe principiis* (nempe Augustini) *fides est prima gratia*. Unde profluit Articulus 5. inter 31. ab Alex. VIII. justissimè damnatos. *Pagani, Judæi, Hæretici, aliique hujus generis, nullum omninò accipiunt à Jesu Christo influxum; ideoque hinc rectè inferes, in illis esse voluntatem nudam, & inermem sinè omni gratia sufficiente*, quæ ex relato Jansenii axiomate, necessaria, ut patet, consecutio est. Quam enim gratiam haberent infideles; si prima gratia foret fides? Arnaldus propè octogenarius Quesnello studiorum adjutore domestico contra Alexandri VIII. anathema Articulum illum audacissimè defendit parte nonâ *Difficultatum propositarum Domino Steyaert* pag. 219. & multis sequentibus. Hi, inquam, Quesnello sunt pro Sanctis Patribus, quos propositionibus suis vigesimæ sextæ, & vigesimæ septimæ suffragari, ut falsissimè, ita & inanissimè gloriatur, quemadmodum Tomo 1. col. 455. & sequentibus ostendi. Veritus autem eundem errorem aperta fronte in Protestatione defendere, in ipso *fidei lumine* tenebras sibi, & latebras quærit dicendo: *Primus, qui in eis* (quos volet Deus ab infidelitate convertere) *splendebit radius, erit lumen fidei, quæ sicut virtutes cæteræ, supponit semper gratiam velut suum principium, cujus primus effectus fides est*. Quæ tricæ, quæ tergiversatio! Verùm non sic effugiet. Vel enim primus ille *radius*, qui lumen fidei dicitur, est fides ipsa, & tunc non declinabitur æquissimum anathema Alexandri VIII. & Clementis XI.; vel est rantummodo dispositio ad fidem; tunc autem corruit utraque damnata Quesnelli Propositio, quibus asseritur *Nullas dari gratias nisi per fidem: Fidem esse primam gratiam, & fontem omnium aliarum*. Sed &, si prima gratia tantùm sit dispositio ad fidem, non debuit contra Apostolicam Alexandri VIII. sententiam propugnari à Quesnelli magistro, studium verisimiliter conferente ipso contubernali discipulo, quòd *Pagani, Judæi, hæretici, aliique hujus generis nullum omnino accipiant à Jesu Christo influxum; ideoque hinc rectè inferatur, in illis esse voluntatem nudam, & inermem absque omni gratia sufficienti*.

Si adversarius respondeat, primum illum *radium*, seu *lumen fidei*, dispositionem quidem solummodo esse; sed à fide, quæ luminis istius effectus sit, esse inseparabilem, manet obnoxius anathemati, quod infligitur memorato Art. 5. inter triginta, & unum. Deinde non est, cur primus *radius*, seu prima ad fidem dispositio magis necessariam habeat cum suo effectu connexionem, quàm reliquæ interiores gratiæ. Quapropter, vel necessaria illa connexio fictitia est, vel resuscitatur secunda Propositio Jansenii: *Interiori gratia in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur*.

Denique, etiam suppositâ istius *radii*, seu *luminis* connexione necessariâ cum fide, nondum *fides est prima gratia*; sed, ut ait *Protestatio*, *radii*, seu *luminis*, seu *gratiæ* istius *primus effectus fides est*. Ut autem omnis causa, & dispositio, prior est effectu, fieri nequit, ut *fides sit prima gratia*. Non igitur hic locus tergiversationi est, aut spes eludendi Ecclesiam. Cùm verò nulla ratio, vel authoritas defendere valeat errorem adeò gravem, & pridem ab ipso Tridentino Concilio percussum anathemate sess. 6. de justificatione can. 3., frustrà quæritur ineptis explicationibus erroris excusatio, ubi sola aperta, & ingenua retractatio mederi potest religioni læsæ, & conscientiæ. Accedit, quòd, si fides non sit prima gratia; sed solùm illius effectus, cùm non obtingat justificatio absque prævia fide, perspicuum est, quòd *prima gratia, quam Deus concedit peccatori* nequeat esse *peccatorum remissio*, ut affirmat Prop. Quesnelli vigesima octava: Et hic itaque clara requiritur palinodia.

9 Frivola quoque, & irrita evasio est anathematis lati in Articulum 45. & 46., obtendere quòd *cupiditas corrumpat actiones*

omnes motivo cupiditatis exercitas, & malum reddat usum sensuum, qui pravi illius amoris motu fit; nam, etsi vera prorsus enuntiatio hæc sit, maximè tamen inutilis est ad excusandum utrumque Articulum de errore gravissimo convictum. 45. *Amore Dei in corde peccatoris non ampliùs regnante, necesse est, ut in eo regnet carnalis cupiditas, omnesque actiones ejus corrumpat*. 46. *Cupiditas, aut charitas usum sensuum bonum, vel malum faciunt*. Si quod nempe adversarius momenrum confirmando utrique Articulo afferre voluisset, ostendendum ipsi non fuit, quod ab omnibus admittitur; sed quod uterque enuntiat Articulus communi doctrinæ contrarium, videlicet, amore Dei in corde peccatoris non ampliùs regnante, necesse esse, ut in eo carnalis adeò regnet cupiditas, ut actiones omnes motivo cupiditatis exerceat. Quod quidem si Adversarius probaverit, hoc ipso facilè conficiet, & fateri cogemur universi de omni usu sensuum, & omnium facultatum, quòd in istiusmodi peccatore pravi amoris motu fiat, & sine illicito corrumpatur. Sed hoc opus, hic labor est, ut error contra definitiones Apostolicas, contra fidem Ecclesiæ, & veritatem notissimam stabiliatur.

Non enim in ullius corde peccatoris, antequam convertatur, regnat Dei amor: quod si inducendo ubique fini cupiditatis illicito, atque ita corrumpendis omnibus peccatoris actibus, omni usui sensuum sufficiet, *Omnia opera infidelium sunt peccata, & virtutes philosophorum sunt vitia: Omne quod agit peccator, vel servus peccati, peccatum est: In omnibus suis actibus peccator servit dominanti cupiditati*: Quæ sunt propositiones 25. 35. 40. inter Bajanas olim à tribus Pontificibus damnatas, & doctrinæ catholicæ minimè consentientes. Non enim largitio eleemosynæ ad sublevandam miseriam pauperis, temperantia, modestia, castitas, justitiæ administratio, & actiones similes, propter moralem honestatem istiusmodi virtutibus propriam elicitæ, necesse est, antequam regnet in cordibus amor Dei, semper cupiditatis carnalis intentione malevolâ exerceantur. Unde inter 31. Articulos ab Alex. VIII. sapientissimè proscriptos est hic septimus: *Omnis humana actio deliberata, est Dei dilectio, vel mundi; si Dei, charitas patris; est si mundi, concupiscentia carnis, hoc est, mala est*.

Sequuntur Articuli Jansenistarum plures eodem diplomate condemnati, quorum anathema Quesnellus effugere nunquam poterit: quales sunt hic octavus. „Necesse „est, infidelem in omni opere peccare. „9. Reverâ peccat, qui odio habet peccatum ob ejus turpitudinem, & disconvenientiam cum natura sinè ullo ad Deum „offensum respectu. 11. Omne, quod non „est ex fide christiana supernaturali, „quæ per dilectionem operatur, peccatum „est. 12. Quando in magnis peccatoribus „deficit omnis amor, deficit etiam fides; &, „etiamsi videantur credere, non est fides „divina; sed humana. 15. Attritio, quæ „ex gehennæ, & pœnarum metu concipitur, sinè dilectione benevolentiæ Dei „propter se, non est bonus motus, ac supernaturalis„. Si Quesnellus tot anathemata flocci faciat, quemadmodum Decretum illud verè Apostolicum pridem non argumentis; sed contumeliis laceravit in edita à se *Epistola Abbatis* nomine *ad quemdam Romanæ curiæ Prælatum*, contemnere saltèm palàm non audebit œcumenicam Synodum Tridentinam, & ejus de attritione sententiam sess. 14. cap. 4. ubi charitatis expers Attritio à Novatorum calumniâ vindicatur.

CAPUT III.

Tentata frustrà à Protestante evasio ultima.

1 VErùm, inquit Quesnellus, *quis propterea affirmavit unquam, eos, in quibus charitas justificans nondum dominatur, aut residet, nunquam agere nisi motu cupiditatis, sive nunquam uti sensibus instinctu charitatis actualis*? Iterum iterumque moneo, non ludamus vocibus, neque æquivocis digladiemur. Distinguatur charitatis actus justificans ab habitu, qui justificationis forma est, vel comes individua. Episcopi quadraginta Parisiis congregati, quorum Documentum Pastorale hic potissimùm insectatur Quesnellus, non accusavere illum, quasi solùm admitteret charitatis habitum, & quæcunqne ex ea non proficisceretur actio, peccati maculâ in ejus opinione sordesceret: neque enim ad eam hæreseos dementiam dilapsa creditur nova Secta, ut existimet, non posse Deum convertere peccatorem inspirando auxilium gratiæ, quo charitatis actum eliciat, sinè prævio habitu, quo noscitur caruisse. Episcopi igitur non adeò malesanam Quesnello hæresim tribuêre; sed tantùm, quòd *indicaverit, non esse veram charitatem nisi habitualem, vel dominantem*. Ubi quidem adver-

versarius, ad conflandam Præsulibus invidiam, nequiter supponit *charitatem habitualem*, & *dominantem* accipi pro unâ eâdemque, diversis tantùm significatâ nominibus. Antistites autem notâ disjunctionis *habitualem*, *vel dominantem* non pro synonymis accipiunt; sed pro diversis, priorem pro habitu, posteriorem pro actu cupiditatibus, & tentationibus superiore, qui omnibus animæ facultatibus imperet cum effectu. Sensus iste verè Quesnelli est, & lethiferum virus in eo situm, quòd omnis actio, omnis usus sensuum ex alterutra non profluens charitate inter vitia reputetur, contra clarissimam SS. Patrum, Aquinatis, Bonaventuræ, Salesii sententiam, contra tot Superiorum Pontificum definitiones, etiam Concilii Tridentini, & universæ sensum Ecclesiæ; si quosdam exceperis novatores, & ab his infeliciter circumventos; qui censuris Ecclesiasticis in viam reducendi sunt, non propter eos pestilens novitas dissimulanda.

Quandocumque verò Quesnellus protestari, & conqueri perget de Episcopis, quasi duriores ipsi de charitate affinxerint opiniones, urgendus est, ut unum saltèm ex damnatis suis codicibus textum proferat, quo statuatur actus aliquis fidei, vel spei, vel religionis, vel quiscumque alius bonus, auxilio gratiæ elicitus, & supernaturalis absque charitatis habitu, vel actu nullum secum pariente peccatum lethiferum; nos enim tenemus complures Quesnelli sententias, quibus opera omnia arguit peccati, non procedentia ex charitate, ut Prop. 46. „ Cupiditas, „ aut charitas usum sensuum bonum, vel „ malum faciunt. 47. Obedientia legis pro- „ fluere debet ex fonte, & hic fons est cha- „ ritas. Quando Dei amor est illius prin- „ cipium interius, & Dei gloria ejus finis, „ tunc purum est quod apparet exteriùs; „ alioquin non est nisi hypocrisis, aut falsa „ justitia.

Patet illic *amorem* Dei, & *charitatem* pro eodem accipi significato. Neque dubium est, quin per amorem Dei in cordibus regnantem, & omnia agentem propter Deum intelligat Quesnellus charitatem Prop. 45. „ Amore Dei in corde peccatorum non „ ampliùs regnante, necesse est, ut in eo „ carnalis regnet cupiditas, omnesque „ actiones ejus corrumpat. 44. Non sunt „ nisi duo amores, unde volitiones, & „ actiones omnes nostræ nascuntur: amor „ Dei, qui omnia agit propter Deum, „ quemque Deus remuneratur; & amor, „ quo nos ipsos, ac mundum diligimus, qui „ quod ad Deum referendum est, non refert, & propter hoc ipsum fit malus „.

Quod autem omnis charitas remittat crimina, habemus non solùm ex Prop. 28. *Prima gratia, quam Deus concedit peccatori, est peccatorum remissio*: neque solùm ex 51. *Fides justificat quando operatur; sed non operatur nisi per charitatem*; verùm etiam ex eo quòd Quesnellus de charitate dogmaticè, & sinè limitatione definiat in 1. Joan. cap. 3. v. 9. *Nullum pati secum potest charitas peccatum mortale*: talis amor, talis charitas rectè ab Episcopis *dominans* appellatur: Neque errant illi in colligenda Quesnelli sententiâ, quòd non alia sit ei laudabilis charitas, quàm *habitualis*, *vel dominans* actualis, quæ imperio suo regat facultates animæ, & actiones, ut ex allegatis Propositionibus compertum est. Desinat itaque adversarius iniquissimis contra centum Episcopos clamoribus, & Protestationibus famam eorum lædere, & turbare Ecclesiam, quasi verba ejus odiosiùs, quàm oportuit, judices interpretati sint. Si acquiescere noluerit, ostendat, quid amplius *dominari*, quàm *regnare* sit. Nam juxta Articulum 45. omnia sunt peccata, quæ non fiunt ex amore in cordibus *regnante*; quid ni igitur dicatur omnis actio peccatum, quæ ex amore non provenit *dominante*? *Amore* scilicet *Dei in corde peccatoris non ampliùs regnante, necesse est, ut in eo carnalis regnet cupiditas, omnesque actiones ejus corrumpat*.

2 Non æquior ipsi ratio conquerendi est, quòd *Observationum Moralium* doctrina de charitate censeatur fidem, spem, & reliquas destruere virtutes christianas. Quis enim aliter judicet, cùm legit Prop. 58. *Nec Deus est, nec religio, ubi non est charitas*? Cui non statim incidat prudens cogitatio: igitur nulla fidei, spei, religionis, aut alia actio Christiana sinè charitate: Imò quis ex Prop. 44. superiùs relatâ non deducat, actus omnes fidei, spei, & cujuscumque censerentur aliàs virtutis, ex prava profluere origine, nisi charitatis imperio peragantur? Hac ratione destruitur honestas cuilibet propria virtuti: sola relinquitur illibata charitas. Quæ enim bonitas propria fidei, spei, aut alterius actûs charitate inferioris est, si juxta Prop. 53. *Sola charitas Christiano modo faciat actiones christianas per relationem ad Deum, & Jesum Christum*? Si per Prop. 54. *Sola charitas fit, quæ Deo loquitur; eam solam Deus audiat*? Si per 55. *Deus non coronet nisi charitatem, qui currit ex alio impulsu, & ex alio motivo, in vanum currat*? Si per 56. *Deus non remuneret nisi charitatem; quoniam charitas sola Deum honorat*? Si per 57. *Totum desit peccatori,*

tori, quando ei deest spes; & non sit spes in Deo, ubi non est amor Dei? Quod ex charitatis imperio fit, charitatis potiùs, quàm alterius virtutis naturam induit, & appellationem. Quemadmodum enim ab Augustino discimus lib.4. contra Julianum cap.3. non officiis, sed finibus à vitiis discernendas esse virtutes; ita & harum ab invicem discretio à finibus, non ab officiis accipienda est.

3 *Poteramne*, pergit Quesnellus, *meliùs ostendere, quòd agnoscam charitatem aliam præter dominantem, quàm dicendo, quòd inchoata charitas, inchoata justitia sit: charitas plena, & perfecta sit plenitudo justitiæ, & bonorum operum*? iterum insidias struit ambiguitas vocum; nam, etsi alia hìc Quesnello sit charitas inchoata, alia perfecta: & licèt inchoata charitas prædicetur tantùm inchoata justitia, omnis tamen inchoata charitas sive habitus, sive actus, est à justitia inseparabilis, & proinde verè *dominans*, sicut ab ipso Quesnello dicitur *regnans* Prop.45. *Amore Dei in corde Peccatorum non ampliùs regnante, necesse est, ut in eo carnalis regnet cupiditas, omnesque actiones ejus corrumpat*. Ubi non admittitur in corde hominis status medius inter eum, in quo est amor Dei *regnans*, seu *dominans*, qui juxta Prop.44. *Omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur*, & alium priori contrarium, in quo est *regnans*, seu dominans carnalis cupiditas, & per eam actionum corruptio.

4 Eodem ambiguitatis vitio, eâdem fallaciâ laborat quod sequitur: *Charitas, quæ non est nisi initium justitiæ, non est justificans, atque inhabitans; sed est dilectio Dei tanquam fontis justitiæ, quam* (charitatem) *Concilium Tridentinum exigit à peccatore, ut se ad justificationis gratiam præparet*. Dubium hìc apparet, num de *initio justitiæ* intrinseco, an tantùm de extrinseco, seu dispositione ad justitiam sermo sit. Neque perspicuum est, an charitatis justificantis nomine veniat ea sola, quæ habitus, seu forma justitiæ est, an etiam actus formam illam infallibiliter inferens. Charitas, quæ non est nisi initium justitiæ, si hìc à Quesnello accipitur pro actu, non est justificans, veluti justificationis forma, atque inhabitans habitus: neque est propriè inhabitans actus; nam primus charitatis actus supponitur jam primùm incipere; cùm inhabitatio passim indicet productam tempore aliquo in subjecto, vel loco existentiam. Perspicimus hìc itaque, non frustrà post *justificans* à Quesnello addi, *atque inhabitans*, nè priori suæ videatur renuntiare sententiæ, quam non destrui vult; sed ad fallendos Ecclesiæ Proceres tantisper occultari: quòd scilicet omnis amor Dei bonus, & juxta Quesnellum requisitus in omni opere ad non peccandum, conferat infallibiliter justitiam, neque noxam secum lethiferam patiatur. Ideo homo subdolus caverit, nè dicat simpliciter *charitas, quæ non est nisi initium justitiæ, non est justificans*; sed *non est*, inquit, *justificans, atque inhabitans*: aliàs, vel apertum esset mendacium; si assereret, eam semper sibi fuisse sententiam; vel si de præsenti solùm animi sensu id diceret, foret prioris sui dogmatis palinodia.

Ad Tridentinum quod attinet, nolim de ejus mente contendere, num dilectio de qua agitur sess.6. cap.6. se ipsâ semper justificationem inferat, an sola sit ad eam remotior dispositio, non necessariò cum effectu connexa: ut itaque quod Quesnellus asserit modò, cum prioribus ejus effatis concilies, necesse est ita protestationem intelligas, ut charitas actualis, quæ non est nisi initium justitiæ extrinsecum, non sit ipsa justitiæ forma, atque inhabitans; sit tamen juxta Quesnellum actus, qui cum forma justitiæ necessariò conjungatur, eamque statim, & certissimè introducat: denique sit dilectionis actus, qualis in Decalogo præcipitur, quemadmodum ipsa nobis suggerit Protestatio ad suas nos referens *observationes morales*. *Quis potest*, inquit, *ad charitatem animum præparare, nisi ipsa charitas? Charitas operans ad charitatem inhabitantem, quæ bona arboris radix est, & spiritualis ædificii fundamentum*. Tum variis relatis charitatis gradibus, sic concludit: *Illic iterum conspicitur charitas operans, quæ præparat animam* (infallibiliter) *ad charitatem inhabitantem: illic conspiciuntur charitatis motus, quibus peccator se applicat ad bonorum operum exercitium, quò disponatur ad recipiendam charitatem; quæ mansionem in eo faciat. Potest nè quis loqui distinctiùs*? Imò potestnè quis loqui dolosiùs?

Protestatio enim refutandum hìc suscipit *Documentum pastorale* à quadraginta Episcopis conditum, & à sexaginta aliis adoptatum, quo accusari se Quesnellus simulat, quasi in suis *Observationibus moralibus*, solam agnoverit charitatem habitualem, eamque dominantem: unde toto pectore; sed labore inanissimo incumbit, ut persuadeat, quòd admiserit charitatis motus, sive actus, quibus charitas inhabitans introducatur. Oppositum neque Antistites ei imputant, neque Sedes Apostolica Constitutione sua UNIGENITUS. Ostendi verò

rò à Protestante oportuit, aliquem à se agnitum dilectionis actum, qui non justificet, sive, ut Episcopi loquuntur, qui non sit *dominans*, dum per Propositionem 45. *Amore Dei in corde peccatorum non ampliùs regnante, necesse est, ut in eo carnalis regnet cupiditas, omnesque actiones ejus corrumpat*. Prætereo propositionem 44. & plures alias à me sæpius allegatas. Convincendo Protestanti sufficiat *observatio moralis* in 1. Joan. cap. 3. v. 9. *Nullum pati secum potest charitas peccatum mortale*. Quod de qualibet charitate dogmaticè enuntiatum, nos dubitare non finit, quin omnis Quesnello charitas sit justificans. Denique omnis charitas necessariò ex fide est; neque ulla novo Theologo operatio ex fide, nisi justificans, quia juxta Prop. 51. *Fides justificat, quando operatur; sed ipsa non operatur, nisi per charitatem*, omni actui supernaturalis fidei in novâ Ecclesia necessariò involutam.

5 Denique Protestatio conqueritur gravissimè (si tamen seriò) quòd sui *adversarii*; maximè centum illi Galliæ Antistites, *Documenti Pastoralis* partim authores, partim approbatores, Quesnello tribuant opinionem, quæ neget fidem in peccatoribus. Pro Quesnello adducit *Protestatio* textus aliquot ex *Observationibus moralibus* descriptos, quibus videatur fides asseri absente charitate, & gratia sanctificante. Textus illos ex protestatione superiùs retuli. Ultimus, in quo pondus illa præcipuum collocat, est Observatio in Joan. 12. v. 43. *Fides à charitate separari potest; cùm Judæi fidem habuerint, & caruerint charitate, quæ sola efficit, ut Dei gloria diligatur*. Hic velut de prostratis Episcopis ovat Protestatio, atque hanc sibi imponit coronidem, *Sola hac sententia adeò est perspicua, ut nonnisi immedicabilis pertinacia, aut desperata iniquitas resistere valeat, ac denegare assensum*.

Sed assuetus ego pridem Jansenianorum versutiis, nunquam clamosiùs, quasi de victoria insultantium quàm ubi convicti, ac certissimè protriti sunt, simulato isto Protestantis triumpho minimè commoveor, nisi ut, depulsis ambiguitatis tenebris, nequitiam ejus reddam omnibus manifestiorem.

Dicat itaque Quesnellus, quali fide Judæi isti Joannis 12. v. 42. & 43., se quidem judice, in Christum crediderunt, humanâ, diabolicâ, vitio corruptâ; an divinâ, & supernaturali? Posterior ab ipso in Judæis illis non agnoscitur, quia fides eorum ex prava profluens origine, ejus necessariò fuit toxico inquinata. Quòd scilicet ortum illa non duxerit ab *Amore Dei omnia agente propter Deum, quemque Deus remuneratur*, supponitur ab omnibus, atque in primis à Quesnello, ut ipsa declarat Protestatio: *Fides à charitate separari potest; cùm Judæi fidem habuerint, & caruerint charitate, quæ sola efficit, ut Dei gloria diligatur*. Juxta Quesnellum igitur Judæi illi gloriam Dei non dilexerunt, & Euangelium testatur, quòd dilectionem humanæ gloriæ prætulerint divinæ; *dilexerunt enim gloriam hominum magìs, quàm gloriam Dei*. *Omnis* autem *volitio, & actio, quæ non nascitur ex amore Dei omnia agente propter Deum, quemque Deus remuneratur*, nascitur *ex amore, quo nos ipsos, ac mundum diligimus, qui quod ad Deum referendum est, non refert, & propter hoc ipsum fit malus* juxta Prop. 44. Accedit & 45. *Amore Dei in corde peccatorum non ampliùs regnante, necesse est, ut in eo carnalis regnet cupiditas, omnesque actiones ejus corrumpat*. Amorem Dei in Judæorum illorum cordibus non regnasse, Quesnellus cum catholicis interpretibus confitetur. Necesse itaque fuit, ut in illis regnaret carnalis cupiditas, omnesque eorum corrumperet actiones. Unde nec fides alia in eis fuerit, quàm corrupta: de actu nempe fidei hìc, non de habitu differitur. Porrò fides corrupta cupiditatis vitio minimè divina est, minimè supernaturalis, & ex gratia. Qualis igitur fides à Quesnello Judæis illis asseritur? non alia, quàm humana, & similis diabolicæ; nam & *Dæmones credunt, & contremiscunt* Jac. cap. 2.

Humanam pridem eam statuit Arnaldus, tertius post Jansenium, & Sancyranum novæ fundator Ecclesiæ, & magister Quesnelli, discipulo probatissimus *Doctor in fide, & veritate*; quod elogium Iconi ejus inscribi, & editæ à se causæ Arnaldinæ præfigi Quesnellus voluit. Arnaldi sententiam dedi superiùs ex damnato ejus à Sede Apostolica volumine *Difficultatum propositarum Domino Steyaertio* par. 9. pag. 206. ubi contra Alexandri VIII. anathema defendit Propositionem hanc 12. intrà triginta, & unam: *Quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor, deficit etiam fides; &, etiamsi videantur credere, non est fides divina; sed humana*. De quo dogmate sic Arnaldus. *Condemnare non potes propositionem hanc 12., nisi condemnando te ipsum, Sanctum Thomam, & cæteros passim Theologos*.

Præcesserat Jansenius tanto alias à Quesnello celebratus elogio, ut, sibi gratulans, persuasum habeat, *jam demum credere cœpisse orbem catholicum, nihil in ipso* (Jansenio) *non esse catholicum*: Ita Quesnelli Notæ in epistolam Domini Steyaert pag. 18. Sen-

ten-

tentia Jansenii est lib. 5. de gratia Salvatoris cap. 6. *Nullam ipse* (Augustinus) *agnoscit fidem veram, atque Christianam ... nisi ex Dei charitate dimanet*. Ibid. *Talis igitur amor Dei, nisi voluntatem hominis ad credendum flectat, non erit fides Christiana; sed vel Dæmonum &c.* eadem fidei destitutæ charitate comparatio cum fide Dæmonum familiaris Quesnello, & ejus passim defensoribus est. Videri possunt Quesnelli *Protestatio* pagina 197. *Observationes in Acta 40. Episcoporum* pag. 54. & alibi. Item *Collatio propositionum &c.* Fidem autem Dæmonum non esse ex gratia, non esse supernaturalem, omnibus indubitatum est. Nonne igitur turpi tabulâ magis, quàm Sacerdote dignior declamatio est contra centum Episcopos, propterea quòd asserant, Quesnellum non agnoscere fidem (nempe bonam, & supernaturalem) sine charitate? Evidens enim est, Episcopos agere de fide non corruptâ, non peccati vitio inquinatâ, non merè humana, naturali, & simili diabolicæ, sed bonâ, honestâ, supernaturali, quæ ad spem, charitatem, justitiam disponere hominem possit. Hic sensus Antistitum Protestantem minimè latuit; sed qualicumque dolo pessimo captanda ipsi fuit materia declamationis, fallendis simplicibus, & contra suos Episcopos suscitandis idoneæ.

6 Quod in duobus aliis exemplis *Observationum moralium*, & *in Protestatione* dicitur, *Radix fidei tempore hujus vitæ in malis catholicis remanet sine fructibus. Et, si hæc fides non est viva, & operans per charitatem, non sufficit ad justitiam; sed ejus radix est, & principium*, relinquo Quesnello, & ejus defensoribus determinandum, an radix fidei prout in priore sententia appellatur, & fides prout in posteriore, sit habitus, an actus. Si solùm pro habitu accipitur, non evertitur *Documentum Pastorale* centum Gallicanorum Antistitum, qui Quesnellum redarguunt, quòd actum fidei destruat in peccatoribus ante reconciliationem. Si verò fides in utraque Quesnelli sententia intelligitur de actu, Quesnellus gravissimi erroris, & hæreseos apertè reus constituitur; cùm actus naturalis, imò cupiditate corruptus dicitur in peccatoribus esse *Radix, & principium justitiæ*; nam actus omnes, qui neque charitas sunt, neque ex ea habent originem, peccata in novo systemate esse, ostendi sæpius tam perspicuè, ut mihi longè solidiùs contra Quesnellum, quàm ipsi contra centum Episcopos concludere liceat, quòd *Non nisi immedicabilis pertinacia, aut desperatâ iniquitas resistere valeat, ac denegare assensum*.

CAPUT IV.

Reprimitur observationis Quesnellianæ temeritas contra Constitutionem Unigenitus, *& contra 40. Episcoporum acta Parisiensia.*

1 Observationum in Acta Antistitum 40. *Parisiis congregatorum* author, vel plurimùm particeps communi fertur judicio Quesnellus; adeò illic omnia spirant ingenium ejus audax, schismaticum, & contemptâ omni dignitate, atque authoritate etiam Apostolicâ, maximè irreverens, cujus non pauca retuli specimina in tomi 1. prolegomenis. Aliud hic præterire nequeo ad præsentem pertinens tractatum. *Observationum* istarum pag. 55. dicitur: *Nec sana ratio, nec æquitas patitur, observationum moralium authori* (Quesnello) *opponi Bullam* (Unigenitus,) *quæ excusari nequit nisi supponendo, sententias in ea damnatas intelligi de sola charitate habituali, sive justificante*.

Fixum autem semper memoriâ retine lector, expressione *charitatis habitualis, sive justificantis*, à Quesnello intelligi non diversas charitatis species, sed unicam diversis nominibus, *habitualis, & justificantis* eodem concurrentibus enuntiatam: Ita particula *sive* non pro disjunctione hìc accipitur, sed pro expositione. Proinde sensus adversarii est, Bullam Unigenitus in condemnatione tot propositionum de charitate excusari nullatenus posse, nisi de sola charitate habituali justificante supposueris intelligendas. In quo quidem supposito, inquit adversarius, erraverint Pontifex, & ejus consultores Theologi, à Denuntiatoribus decepti; attamen eorum contra propositiones censura, non veritatem; sed falsitatem ferit à nemine traditam: Quesnellus enim in Propositionibus illis *non intelligit solam charitatem habitualem justificantem*, sed etiam actualem qualis in Decalogo præcipitur: mandata scilicet directè de actibus dantur, non de habitibus. Quando igitur Propositione 44. dicitur omnis actio, & volitio nasci ex amore mundi pravo, qui non nascitur ex amore Dei omnia agente propter Deum, quemque Deus remuneratur, non patitur Quesnellus sibi tribui, quasi omnem actionem, ut à prava origine immunis sit, asserat nasci debere ex habitu charitatis justificanti; sufficit si processerit ex actu justificationem necessariò inferente. Non enim peccatoris, cùm primum is convertitur, pœnitentia profluere

re potest ex habitu justificante, quem constat ante pœnitentiam non fuisse: sufficit itaque Quesnello pœnitentiam oriri ex amoris actu, qui est ex totis viribus, ex tota anima, cum supernaturalis auxilio gratiæ. Eodem modo differe de propositionibus in Bulla sequentibus.

Quidquid verò sit de eo, quod sibi is tribui patiatur modo, vel non patiatur, evidens est, propositionibus ejus hunc sensum inesse proprium, & obvium, qui omnibus catholicis doctoribus significare debuerit, omnia novo Theologo opera esse peccata, ubi non præcederet, vel comitaretur justificatio: omnia enim opera ante auxilium gratiæ exercita esse delicta, contendit Propositionibus pluribus; nempe trigesimâ octava, & aliquot sequentibus, *Primam gratiam, quam Deus concedit peccatori, esse peccatorum remissionem* tradit Prop. 28. Prima gratia, seu primum, quod Dens impertit, gratiæ auxilium, estque Sancta illustratio intellectûs, & pia excitatio voluntatis, omnem prævenit consensum liberum, omne deliberatum humani arbitrii in bonis salutaribus exercitium. Patet itaque Quesnelli sententia de necessitate justificationis præviæ ad omnem istiusmodi actum liberum: cúmque omnis alia Quesnello deliberata actio peccatum sit, liquet omnia opera justificationem antecedentia esse delicta. Cùm autem penès catholicos peccatorum remissio in præsenti Divinorum Decretorū ordine non fiat absque infusione habitualis gratiæ, & habitualis charitatis, sive hæc à priore distincta re ipsâ sit, sive solummodo ratione; quid aliud venire in mentem Doctoribus catholicis potuit, quàm quòd juxta Quesnellum justificatio, atque adeò infusus charitatis habitus omnia præcedere debeat bona opera, imò omnia non mala; cùm nulla penès illum sint indifferentia? unde non studio elicita; sed ultro profluit assertio, quòd in Quesnelli sententia nullum opus à noxa liberum sit, ubi non præcesserit justificatio, atque adeò infusus habitus charitatis; si talis in nova Theologia agnoscitur, de quo non una ratio dubitandi est. Quòd prima gratia, quæ per Quesnellum in peccatoribus ipsa remissio delictorum est, omnia opera salutaria præveniat, perspicua Tridentini Concilii doctrina est sess. 6. cap. 6. & canone 3. Idem sensus omnium fidelium.

Præterea omnes actus bonos, vel exemptos à maculâ debere juxta Prop. 44. procedere ex *amore Dei omnia agente propter Deum, quemque Deus remuneratur*, supponit charitatis habitum, qui omnis meriti fundamentum est. Deindè *amor Dei in corde regnans*, qui per Prop. 45. ad non peccandum requiritur, habitum potiùs indicat, quàm actum aliquem transeuntem.

Ipsæ Scripturarum, & Patrum sententiæ, quæ ab adversariis subinde pro confirmatione dogmatis sui afferuntur, non obscurè indicant charitatis habitum veluti Rom. 5. v. 5. *Spes autem non confundit, quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis*. Plures istiusmodi locos à me relatos vide cap. 1.

At requiri saltèm à Quesnello ad omnes actus, ut innoxii sint, perpetuum amoris exercitium, quale in Decalogo describitur, & quæcumque crimina remittit, exploratum adeò, atque compertum est, ut, si negare ausus fuerit, centum sit argumentis ineluctabilibus obruendus. Copiosa satis horum specimina dedi eodem cap. 1.

2 Discipiendum verò superest, num in hypothesi, quòd damnata Quesnelli dogmata non statuant charitatis justificantis habitum, velut fontem necessarium omnibus humanis actibus, ut innocui sint, desperata adeò Constitutionis causa sit, quemadmodum à Protestante dicitur, ut *nullus excusationi locus* reperiri valeat, nullus modus eam ab injustitiæ maculâ vindicandi. Facillimè, ac perspicuè demonstrandum suscipio, Constitutionem adeò opus non habere excusatione, adeò nullam in ea esse injustitiæ umbram, ut sola potuerit impudentia protestantis, aut crassa ejus, & affectata ignorantia, esse causa tam præfidentis jactantiæ.

Multone intendendum opere, ut definitio excusetur dogmatica, vel potiùs adversùs ora loquentium iniqua, propugnetur, quæ Summorum quatuor antecedentium Pontificum, & Tridentini Concilii pridem authoritate condita est, atque in perpetuum stabilita? Clarissimas omitto Sanctorum Patrum sententias, maximè Augustini, ac dein principum Scholasticorum, Aquinatis, Bonaventuræ, Salesii cum turba Sequacium ex omnibus ordinibus infinitâ. Quos dedi textus ad Articulos singulos, locis suis videri possunt irrefragabiles, quos neque necessarium, neque conveniens est, ob Protestantis gloriationem adeò rationis inanem, ac fatuam iterum adducere.

Ut tamen omni Lectori Catholico pateat Causa pridem judicata, & quæ, nisi adversarii cum fide omnem exuissent pudorem, ac reverentiam, censeri deberet abundantissimè terminata, repetito toties judicio,

cio, solos uno intuitu delibandos exhibeo articulos, partim à Pio V. verè maximo, doctissimo, & Sanctissimo Pontifice, Gregorio XIII.; Urbano VIII., partim ab Alexandro VIII. prohibitos, & condemnatos. Satis enim securus sum, Quesnellum nunquam ture animum, à proscriptis illic opinionibus sua dogmata secernendi.

A tribus prioribus Pontificibus confixus cernitur Baji Articulus decimus sextus: *Non est vera legis obedientia, quæ fit sinè charitate.*

Dein 38. „Omnis amor creaturæ rationalis, aut vitiosa est cupiditas, quâ mundus diligitur, quæ à Joanne prohibetur; aut laudabilis illa chariras, quâ per Spiritum Sanctum in corde diffusâ Deus amatur „. A quibus erroribus quo se Quesnellus discrimine separabit? vox charitas, inquies, est significationis ambiguæ: forsitan in damnato Articulo accipitur pro charitatis habitu, quem nos non exigere, jam declaravimus. Verùm non sic evaditur anathema, quod constat inflictum Articulis, in sensu ab assertoribus intento. Hos enim ad actionem moraliter bonam non requisivisse infusum charitatis habitum, qui à catholicis statuitur Scriptoribus, liquet vel ex eo, quòd habitum illum nè admittere quidem visi fuerint.

Ita proscriptus illic Articulus 42. „Justitia, quâ justificatur per fidem impius, consistit formaliter in obedientiâ mandatorum, quæ est operum justitia; non autem in gratia aliqua animæ infusa, quâ adoptatur homo in filium Dei, & secundùm interiorem hominem renovatur, ac divinæ naturæ consors efficitur, ut sic per Spiritum Sanctum renovatus, deinceps bene vivere, & Dei mandatis obedire possit.

„ LXII. Illa quoque distinctio, quâ opus dicitur bifariam bonum, vel quia ex objecto, & omnibus circumstantiis rectum est, & bonum (quod moraliter bonum appellare consueverunt) vel quia est meritorium regni æterni, eò quod sit à vivo Christi membro per spiritum charitatis, rejicienda est.

„ LXIII. Sed & illa distinctio duplicis justitiæ: alterius, quæ fit per spiritum charitatis inhabitantem; alterius, quæ fit ex inspirarione quidem Spiritûs Sancti, cor ad pœnitentiam excitantis; sed nondum cor inhabitantis, & in eo charitatem diffundentis, quâ divinæ legis justificatio adimplearur, similiter rejicitur.

„ LXIV. Item, & illa distinctio duplicis vivificationis, alterius, quâ vivificatur peccator, dum ei pœnitentia, & vitæ novæ propositum, & inchoatio per Dei gratiam inspiratur; alterius, quâ vivificatur, qui verè justificatur, & palmes vivus in vite Christo efficitur, pariter commentitia est, & Scripturis minimè congruens.

„ LXIX. Justificatio impii fit formaliter per obedientiam legis, non autem per occultam communicationem, & inspirationem gratiæ, quæ per eam justificatos faciat implere legem „. Hæc dogmata Michaelis Baji sunt, qni offendi suis novitatibus Collegas catholicos conspicatus, respondit, se charitatis habitum non negare, quia, inquiebat, satis conscius sum, frequentatis actibus habitus procreari: quâ responsione frigidâ, & ad propositum minimè attinenti, aliud non obtinuit, quàm ut contra se accusatio confirmaretur, & Apostolicæ Sedi imponeretur necessitas, novitates anathemate perstringendi. Non igitur censuram illam effugiunt Michaelis Bajil hoc tempore Sectatores, dicendo, se ad legis obedienriam, & immunitatem actûs à cupiditatis vitio non exigere infusum charitatis habitum, vel actuum frequentiâ progenitum; nam neque priorem agnoverat, neque posteriorem postulaverat Bajus, cui satis apparuit exploratum, ptimos actus bonos ab acquisito habitu derivari minimè posse.

Quâ igitur ratione probabili Quesnellus damnata sua dogmata separat à Bajanis toties proscriptis? Certissimè nullâ, ac nè tentabit quidem, de omnimodâ opinionum similitudine nimiùm convictus. Quapropter nonne valde seria; vel potiùs ridicula Protestantis insultatio est contra centum Galliæ Episcopos, quasi *Nec sana ratio, nec æquitas patiatur Observationum Moralium authori opponi Bullam* (UNIGENITUS) *quæ excusari nequeat, nisi supponendo sententias in eâ damnatas intelligi de sola charitate habituali, sive justificante*? De tali Bajus intelligi nec debuit, nec potuit; non tamen propterea desiere ejus dogmata iteratò à tribus olim Pontificibus anathemate justissimè condemnari.

Neque *excusatione*, aut recursu ad charitatis habitum justificantem opus habet Constitutio UNIGENITUS, ut feriat propositiones, quibus plures continentur confixæ ab iisdem tribus Christi Vicariis. Illic Propositio est 25. *Omnia opera infidelium sunt peccata, & philosophorum virtutes sunt vitia*. 27. *Liberum arbitrium, sinè gratia Dei adjutorio, non nisi ad peccandum valet*. Qui Articuli neque secundùm se, neque in

sen-

sensu ab assertoribus intento, exigebant in cunctis actibus ad non peccandum originem à charitatis habitu sanctificante, qualis à Bajo, & ejus sectatoribus nè agnoscebatur quidem, prout à catholicis statuitur Doctoribus.

Accedit illic Propositio 35. & 40. *Omne quod agit peccator, vel servus peccati, peccatum est. Et in omnibus suis actibus peccator servit dominanti cupiditati*: quæ pariter, ut priores in sensu ab assertoribus intento intellectæ comprehenduntur hoc Quesnelli axiomate 44. „ Non sunt nisi duo amores, „ unde volitiones, & actiones omnes no- „ stræ nascuntur: amor Dei, qui omnia „ agit propter Deum, quemque Deus re- „ muneratur; & amor, quo nos ipsos, ac „ mundum diligimus, qui quod ad Deum „ referendum est, non refert, & propter „ hoc ipsum fit malus.

Quesnellus, inquies, non asserit, primam peccatoris pœnitentiam peccatum esse. Ego verò, etsi mentis ejus arcana discernere nequeam, difficilem tamen existimo hanc ejus cum Art. etiam 45. reconciliationem: *Amore Dei in corde peccatoris non amplius regnante, necesse est, ut in eo carnalis regnet cupiditas, omnesque actiones ejus corrumpat*. Non enim primum in peccatore dilectionis initium videtur sufficere, ut amor Dei *in corde* hominis *regnare* censeatur.

Ut tamen liberaliores erga adversarios simus, omnis amor Dei benevolus super omnia, etiam primus, amoris *in corde regnantis* nomine intelligatur; veruntamen neque Bajus, cujus sensus in utroque Articulo profligatus est, primam peccatoris pœnitentiam inter vitia numeravit; quia pœnitentes impiis, & peccatoribus propriè accensendi non sunt, teste Angelico in cap. 9. Joan. lect. 3. *Exaudivit tamen* (Deus) *peccatores de peccatis pœnitentes, qui magìs sunt computandi in numero Pœnitentium, quàm peccatorum*. Sensus itaque Baji fuit idem, qui Quesnelli, opera omnia Peccatorum ante reconciliationem Pœnitentium peccata esse. Nemo tamen Catholicus asseruit vibratum à tribus Pontificibus in utrumque Articulum anathema, iniquitatis accusandum, aut egere *excusatione*; sed toto sesquisæculo catholicorum omnium veneratione, & laudibus celebratur, assentiente Bajo; solis ringentibus obstinatis ejus, & perditissimis discipulis.

3 Non pauciores Articuli sunt inter 31. ab Alexandro VIII. gravissimis perstrictos censuris, qui ad amussim conveniunt Quesnellianis: videlicet Art. 7. „ Omnis hu- „ mana actio deliberata, est Dei dilectio, „ vel mundi: Si Dei, Charitas est patris; „ si mundi, concupiscentia carnis; hoc est, „ mala est.

„ VIII. Necesse est infidelem in omni „ opere peccare.

„ IX. Revera peccat, qui odio habet „ peccatum merè ob ejus turpitudinem, & „ disconvenientiam cum natura sinè ullo „ ad Deum offensum respectu.

„ X. Intentio, quâ quis detestatur ma- „ lum, & prosequitur bonum, merè ut cœ- „ lestem obtineat gloriam, non est recta, „ nec Deo placens.

„ XI. Quod non est ex fide Christiana, „ supernaturali, per dilectionem operante, „ peccatum est.

„ XII. Quando in magnis peccatoribus „ deficit omnis amor, deficit etiam fides: „ &, etiamsi videantur credere, non est fi- „ des Divina; sed humana.

„ XIII. Quisquis etiam æternæ mercedis „ intuitu Deo famulatur, charitate si ca- „ ruerit, vitio non caret; quoties intuitu „ licèt beatitudinis operatur.

„ XIV. Timor gehennæ non est super- „ naturalis.

„ XV. Attritio, quæ gehennæ, & pœ- „ narum metu concipitur, sinè dilectione „ benevolentiæ Dei propter se, non est bo- „ nus motus, & supernaturalis „. Non exquisito hic opus est ratiocinio, ut ostendatur, propositiones omnes, & singulas in damnatis Quesnelli Articulis contineri.

4 Si lector dubitet, periculum faciat in singulis de charitate pronuntiatis. Agmen ducit Articulus quadragesimus quartus; „ Non sunt nisi duo amores, unde volitio- „ nes, & actiones omnes nostræ nascuntur: „ amor Dei, qui omnia agit propter Deum, „ quemque Deus remuneratur; & amor, „ quo nos ipsos, ac mundum diligimus, qui „ quod ad Deum referendum est, non re- „ fert, & propter hoc ipsum fit malus „. Cum hoc Articulo omnis, sive amicus, sive adversarius componat singulos, quos retuli, ex damnatis ab Alexandro VIII.; vel à Pio V., Gregorio XIII., Urbano VIII., componat Quesnellus ipse: certus sum, nihil discriminis afferendum inter Quadragesimum quartum, quem CLEMENS XI., & memoratos cæteros, quos ejus proscripsere Decessores. Sed neque discrimen afferre conabitur Quesnellus, cujus patentissimum in concinnandis *Observationibus moralibus* apparet consilium, ac studium, defendere Baji Articulos, ut à suis resuscitatos commi-

litonibus, & iterato Alexandri VIII. proſtratos anathemate, propugnare tum ipſe, tum magiſter ejus Antonius Arnaldus auſus eſt: Hic in *Difficultatibus Steyaertio propoſitis*; Queſnellus in Epiſtola typis editâ nomine *Abbatis ad quemdam Romanæ Curiæ Prælatum*. Epiſtolâ illâ nihil excogitari potuit petulantius, niſi quòd eum ea *Difficultates* Arnaldicæ de impudentiæ palmâ certare videantur.

Collationem damnatorum à quatuor CLEMENTIS XI. Decceſſoribus dogmatum, cum iis, quæ Bulla UNIGENITUS proſcripſit, hic non inſtauro; quia ad Articulos quadrageſimum quartum,& ſequentes ſatis dilucidè inſtitutam quivis facilè capiet; frequentior autem repetitio forſitan tædium pareret lectori, ut mihi diſpendium temporis, & operæ. Solùm itaque mihi ſupereſt, convenire iterum Queſnellum, eumque quantâ poſſum precari animi contentione, ut tandem poſitâ pertinaciâ, depulſis voluntariæ ignorantiæ tenebris, agnoſcat, non *excuſatione* ineptiſſimâ opus eſſe Conſtitutioni UNIGENITUS; ſibi autem nullum excuſationi locum eſſe; ſed palinodiæ ſolùm, & pœnitentiæ ad aliorum ædificationem, ſui reconciliationem, & ſalutem prorſus neceſſariæ: hanc à ſe exigere Deum, & Eccleſiam, cum innumerâ animarum à ſe hactenus ſeductarum multitudine.

Sexageſima Propoſitio damnata.

Si ſolus ſupplicii timor animat pœnitentiam, quo hæc eſt magis violenta, eò magis ducit ad deſperationem. *Obſerv. mor. Matth. 27. verſ. 5.*

CAPUT I.

Unde ortus error: ejus perverſitas convincitur authoritate Principum Scholaſticorum, & ratione Theologica.

1 LUtherus Serm. de pœnitentia, *Quo magis*, inquiebat, *timore pœnæ, & dolore damni conteruntur, eò magis peccant, & afficiuntur ſuis peccatis, qua coguntur, non autem volunt odiſſe*. Dolor ille damni, & timor pœnæ juxta Lutherum cogens odiſſe peccatum, eſt juxta Queſnellum pœnitentia violenta: dumque per Lutherum, quo magis timore illo, & dolore quis conteritur, eò magis peccat, & afficitur ſuis peccatis, quid aliud, inquit Queſnellus, à tali pœnitentia violentâ, & cogente expectes, quàm ut ducat hominem ad deſperationem? Lutherus ibid. *Vocant* (papiſtæ) *attritionem proximè diſponentem ad contritionem, quam opinionem errorem ego judico*: judicat, & Queſnellus: quod ſcilicet ad deſperationem ducit, neceſſariò malum eſt: non poteſt itaque eſſe ex gratia, & ſupernaturale, neque ad contritionem diſpoſitio.

Kemnitius in Examine Tridentini de contritione in fine ſeſſ. 14. can. 5. „Contritio expaveſcens, conſideratione iræ, & „judicii Dei, ſi non oriatur ex dilectione „Dei; etiamſi accedat fides petens, & ſtatuens remitti nobis peccata propter „Chriſtum, tamen eſt non ſalutaris; ſed „Judæ pœnitentia, proinde ad deſperationem ducens, & interitum.

Janſenius tom. 3. col. 577. primæ editionis Lovan. „Timens, quidquid illo timore fecerit, nihil ex animo, nihil ex corde, nihil volenter, nihil coram Deo; ſed „tantùm in ſpeciem coram hominibus „operatur! hinc non eſt amicus rectitudinis, nec Dei; ſed potiùs hoſtiles erga „eum animos gerit.

Compendium Theologicum à Sede Apoſtolicâ damnatum, & poſt condemnationem à Queſnello in mendaciſſima *Eccleſiæ Romanæ, & Summorum Pontificum defenſione* reſuſcitatum §. 2. de ſpe Theologica novitatem horridam ſic moderatur: *Dum pœnas times, & non amas, venialiter delinquis*: moderatur, inquam; truculentior enim Janſenii, & Queſnelli enuntiatio eſt, ut graviſſimum deſperatio peccatum,& veluti abyſſus abyſſum invocans flagitiorum. Sed non hinc terretur novus Theologus *Moralis Obſervator*, quin credere nos jubeat præſenti ſuo Articulo: *Si ſolus ſupplicii timor animat pœnitentiam, quò hæc eſt magis violenta, eò magis ducit ad deſperationem*.

2 Non ita de timore, & elicitâ ex eo pœnitentiâ cenſuit Doctor Angelicus 3. part. quæſt. 85. art. 5. dicens „Alio modo „poſſumus loqui de pœnitentiâ, quantum „ad actus, quibus Deo operanti in pœnitentia cooperamur, quorum actuum primum principium eſt Dei operatio convertentis cor... Secundus actus eſt motus

„ tus fidei: tertius est motus timoris servi- „ lis, quo quis timore suppliciorum à pec- „ catis retrahitur..... Sic igitur patet, „ quòd actus pœnitentiæ ab actu timoris „ servilis procedit, sicut à primo motu af- „ fectûs ad hoc ordinato: à timore autem „ filiali, sicut ab immediato, & proximo „ principio.

Ibid. „ Ad 1. dicendum, quòd pecca- „ tum primò incipit homini displicere „ propter supplicia, quæ respicit timor „ servilis „.

„ Ad 3. dicendum quòd ipse etiam mo- „ tus timoris procedit ex actu Dei con- „ vertentis cor: unde dicitur Deuter. 5. „ *Quis det eos talem habere mentem, ut ti-* „ *meant me*? Et ideò per hoc, quòd pœni- „ tentia à timore procedit, non excluditur „ quin procedat ex actu Dei convertentis „ cor „. Timor itaque servilis, sive suppliciorum, etiam antequam filialis accesserit, provenit à *primo principio* supernaturali, quod est *operatio Dei convertentis cor*: actus igitur pœnitentiæ proveniens à timore solummodo servili, minimè ducit ad desperationem; sed potiùs ad formidinem filiis propriam, perfectamque conversionem.

3 Angelico consentit Seraphicus Bonaventura in opusculo de gratia sanctificante lib. 5. cap. 4. „ Timor servilis donum Spi- „ ritûs Sancti est; nec tamen est cum Spiri- „ tu Sancto, sicut aurora est à sole; nec ta- „ men cum sole est. Timor servilis Spiritui „ Sancto locum præparat, ut eum sicut seta „ filum introducat.... Timor servilis duo „ facit: primum est, quòd viam præparat „ charitati; secundum, quòd retrahit à pec- „ cato metu pœnarum tantùm. „ Si timor servilis, qui solummodo suppliciorum est, fit donum Spiritûs Sancti, licèt non sit cum Spiritu Sancto; sed cum existente adhuc in anima peccato, Spiritui Sancto locum præparet, ut eum sicut seta filum introducat; si viam præparet charitati, & *retrahat* hominem *à peccato metu pœna tantùm*; remotissimus ab invehendo novo crimine est, etiam dum solus animat ad pœnitentiam; remotissima pariter, ex timore orta pœnitentia est ab inducendo hominem ad desperationem. Propositio quidem Quesnelli est *moralis observatio* in desperationem Judæ, quando is apud Matthæum cap. 27. vers. 5. *abiens laqueo se suspendit*; sed timor gehennæ, & profiliens indè pœnitentia, nullam penitùs habet cum tanto flagitio connexionem: imò supplicii tam borridi, & æterni timor, si illo Judas percitus fuisset, debuerat illum maximè à desperatione avertere, utpote qua sciret se in idem, quod horreret, supplicium præcipitem certissimè ruiturum. Desperationis itaque causa, non timor supplicii, & nata indè pœnitentia; sed error Caino similis fuit, quo, majorem esse suam iniquitatem, quàm Dei misericordiam existimans, credidit se numquam tanti facinoris veniam consecuturum.

Angelicum, & Seraphicum præcesserat Alexander Alensis part. 3. qu. 76. memb. 2. & 3. secuti autem sunt Scholastici passim, Dionysius Carthusianus in 3. dist. 34. qu. 3. Dominicus Soto in 4. dist. 14. qu. 2. art. 5. Petrus Ledesma in Theol. mor. tract. de pœnitentia cap. 7. Didacus Cabezudo in 3. par. de contritione quæst. 1. art. 2. dub. 2. Gamachæus 1. 2. quæst. 19. de dono timoris cap. 5. Alphonsus à Castro verbo, *Timor*. hæresi 1. contra Lutheranos, & verbo *Contritio*. Durandus in 3. part. dist. 34. quæst. 4. num. 9. Bannes 2. 2. quæst. 19. art. 4. conclusione 1. Bonacina tom. 1. disp. 5. quæst. 5. puncto 3. prop. 3. num. 4. Navarrus tom. 2. de contritione cap. 1. num. 8. in Manuali. Lorca 2. 2. quæst. 19. disp. 12. num. 4. sect. 2. Puteanus 3. part. quæst 85. art. 5. dub. 1. Duvallius 2. 2. tract. de spe qu. 3. art. 2. Gabriel in 4. dist. 14. qu. 2. dub. 3.

4 Sed uti Lutherus, & Jansenius Scholasticos contempsere; ita utriusque hoc tempore asseclæ, & Quesnellianorum dogmatum contra Pontificem audacissimi vindices, quidquid scholasticæ authoritatis est, facilè aspernantur; ita famosorum *Appellantium* præcipuus incentor Dupinius in *Novâ* suâ, & meritò prohibitâ *Bibliothecâ*, ubi ad Aquinatis, & Bonaventuræ tempora devenit; ait, se oleum, & operam perditurum, pariturum autem nauseam lectori, si, ut solebat anteriorum volumina observationibus donare, idem præstaret Scholasticis.

Si verò memoratis Scholasticorum coryphæis junxerimus S. Franciscum Salesium, qui, ut ex Ecclesiastico officio discimus, *insuperabili constantiâ, Deique ope protectus, septuaginta duo millia hæreticorum ad Catholicam fidem reduxisse dicitur*, respondet alius Quesnelli cliens, Sanctissimum Antistitem fuisse Semipelagianum, incautâ Cassiani lectione in ejus hæresim prolapsum. Sed majoris apud nos ponderis est judicium Ecclesiæ de Salesio testantis, *quòd suis scriptis, cælesti doctrinâ refertis Ecclesiam illustraverit, quibus iter ad christianam perfectionem tutum, ac planum demonstrat*. Sic igitur is lib. 2. de amore Dei cap. 16. „ Quantum „ ad timores servorum, & mercenariorum, „ non proveniunt quidem ab amore; sed „ ot-

„ ordinariè præcedunt ipsum, ut ei sint instar prodromorum, & designatorum hospitii: & isti sæpe sunt perutiles ejus servitio. (Ibid.) Timor eorum, qui velut servi, & mancipia, Dei legem observant ad evitandas inferni pœnas, est bonus; sed longè nobilior, & desiderabilior est timor mercenariorum Christianorum, qui velut servi pactâ mercede fideliter laborant; „ utroque tamen longè perfectiorem commendat potissimùm filialem.

Denique Quesnelli sententia, non solùm de aperta convincitur falsitate, sed quodammodo de insaniâ. Quid enim stultius, quàm ex vehementi formidine supplicii, & natâ indè pœnitentiâ, velle istud committere, quo nihil certius est cum illo supplicio conjunctum, nihil magis illud reddere potest inevitabile, ut necessariò reddit desperatio? Videtur & Quesnelli novitas sapere blasphemiam, quando timorem, & pœnitentiam, quam constat esse à Spiritu Sancto, gravat crimine desperationis, ad quod impellere hominem affirmatur. Ipsa potiùs præsens Quesnelli enuntiatio, cum universo ejus novorum dogmatum systemate indubitatam parere idonea est in peccatoribus impœnitentiam, ac desperationem. Constat scilicet authoritate irrefragabili, non tantùm Principum Scholasticorum, quos retuli; sed etiam Patrum, quos dabo capite sequenti, & Tridentini Concilii, quod reservatur capiti tertio, conversionem salutiferam in communi Divinæ providentiæ ordine, initium ducere à timore supplicii, quemadmodum sol non exoritur, nisi præmissâ aurorâ, nec nisi præeunte setâ filum inducitur; excludere itaque à peccatoribus timorem servilem, quid aliud est, quàm obicem ponere charitati, ad quam metus ille dispositio est?

Exigit scilicet Quesnellus, ut prima peccatoris actio sit charitas justificans, eaque sit ipsa prima gratia, ad quam nulla possit esse ex parte hominis præparatio; nam Propos. 28. *Prima gratia, quam Deus concedit peccatori, est peccatorum remissio*: ante charitatem autem omnis volitio, omnis actio peccatum est Propos. 44. „ Non sunt, nisi duo amores, unde volitiones, & actiones omnes nostræ nascuntur: amor Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur; & amor, quo nos ipsos, ac mundum diligimus, qui, quod ad Deum referendum est, non refert, & propter hoc ipsum fit malus. (Prop. 45.) Amore Dei in corde peccatorum non amplius regnante, necesse est, ut in eo carnalis regnet cupiditas, omnesque actiones ejus corrumpat.

CAPUT II.

Refellitur error authoritate Patrum.

1 Ab Augustino exordior; quia etsi pluribus Patribus hic citandis posterior tempore, primus tamen vel maximè apud adversarios est authoritate. In Psalm. 127. ad illud *Beati omnes, qui timent Dominum* ait. „ Ille timor nondum castus præsentiam Domini, & pœnas timet: timore facit, quidquid boni facit; non timore amittendi bonum illud; sed timore patiendi illud malum: non timet, nè perdat amplexus pulcherrimi sponsi; sed timet, nè mittatur in gehennam. Bonus est & iste timor; utilis est.

Tract. 9. in epist. Joannis: „ Stimulat timor; sed noli timere: intrat charitas, quæ sanat, quod vulnerat timor. Timor Dei sic vulnerat, quomodo medici ferramentum putredinem tollit: opus est ergo, ut intret timor primò, per quem veniat charitas: timor medicamentum; charitas, sanitas. „ Non poterat Augustinus clariùs exponere timorem servilem solius supplicii: & tamen *bonus est*, inquit, *timor iste, utilis est*. Quesnello verò adeò non bonus, adeò non utilis est, ut ducat ad desperationis crimen gravissimum, perniciosissimum peccatorum omnium, & interitûs ultimum complementum. Si animum invaserit, inquit Augustinus, putredo noxia, & lethalis vitiorum, timor incisione eam expellet, ut charitas, quæ animæ sanitas est, succedat. Quesnellus omnem formidinem priorem charitate statuit charitatis obicem, majoris causam putredinis, non remedium; desperationem, & interitum præsentissimum, non sanitatem, nec minimum ad eam præparationis initium.

2 Ante Augustinum S. Basilius oratione in Psalmum 33. „ Timor salutaris, qui ad sanctitatem deducit, & animæ divinitus insitus est, qualis existat, si cupis audire, attende; quando fortè te ad aliquod peccatum videris paratum, illud horribile mandatum, Christi judicium cogita. „ Quesnellus cum Jansenio, & Luthero formidinem illam vocat *violentam*, & quò fortiùs premit, tantò magis obnoxiam desperationi, saltèm peccatoribus, quos urget ad pœnitentiam. Nihil isto Quesnelli ratiocinio proferri potest minùs congruum

grnum fano fenfui, nihil magis oppofitum rationi.

S. Hieronymus ab Auguftino in expofitione Scripturarum confuli folitus, & in fumma femper habitus veneratione ad cap. 1. Malachiæ ait: *Vult Deus, ut primùm ejus filii fimus, & bonum voluntate faciamus: Si hoc confequi nolumus, ut faltèm nos fervos habeat, & à malis per fuppliciorum formidinem recedamus; ut de timore fervorum ad gratiam filiorum tranfeamus*. In cap. 2. Michææ: *Qui pudore, vel verecundiâ non tenentur, agant pœnitentiam faltèm comminatione pœnarum*.

Patet de timore agi folummodo fuppliciorum, & ortâ ex illo pœnitentia, non de timore filiis proprio, qui difertè excluditur, quique propter infirmitatem hominis, finè prævià per formidinem præparatione non acquiritur. Non fuafiffet autem Hieronymus iis, qui nondum filii effe efficaciter vellent, five crimina fugere charitate, & de commiffis dolorem perfectum, ac dignam filiis concipere amoris ftimulis pœnitentiam; non fuafiffet, inquam, talibus Hieronymus, ut pœnitentiam agerent faltèm comminatione pœnarum; fi Quefnelli fuiffet imbutus axiomate, quòd, *fi folus fupplicii timor animat pœnitentiam, quò hac eft magìs violenta, eo magìs ducat ad defperationem*.

Quantumvis rigore nimio excefferit veritatis limites Tertullianus; procul tamen abfuit à damnando pœnitentiæ initio, quod fufcipitur timore perennium fuppliciorum. Ita is lib. de pœnitentia: *Si de exomologefi retractas, gehennam in corde confidera, quam tibi exomologefis extinguit: & pœnæ magnitudinem priùs imaginare, ut de remedii adeptione non dubites*. Videri quoque poteft lib. 2. in Marcionem.

3 Eundem, quem etiam fequenti capite videbimus in Tridentino, pœnitentiæ ordinem, defcribit Clemens Alexandrinus lib. 2. Stromatum ante medium: *Fides eft prima ad falutem inclinatio, poftquam timor, & fpes, & pœnitentia*. Et infra: *Qui timorem damnant, ii legem etiam infectantur; quòd fi legem, clarum eft, quòd & eum, qui legem tulit*.

S. Pacianus faluberrimum fuggeffit pœnitentibus confilium in parænefi ad pœnitentiam: *Timete*, inquit, *dilectiffimi jufta judicia, omittite errorem, damnate delicias: properat jam tempus extremum. Tartarus, & gehenna laxatos impiis finus pandunt: poftque animarum tempeftiva fupplicia, redivivis quoque corporibus pœna fervatur*. Pacianum itaque non inceffit novaturiens Quefnelli fcrupulus, nè tam operofa timoris inculcatio pœnitentiam gigneret perniciofam, & quò magis violentam, eò abripientem fortiùs ad defperationem.

Non magis terruit Chryfoftomum præpofterus ille defperationis metus lib. 1. de compunctione cordis versùs finem: *Hoc folum eft, quod expofcitur à nobis, ut femper recordemur mala noftra, & ad animum revocemus, & confcientiam geftorum noftrorum habeamus ante oculos, ut pro his fupplicemus Deo, ut gehennam ponamus in confpectibus noftris, & Angelos, qui in die judicii ubique difcurrunt, & congregant de omni orbe terrarum eos, qui trudendi funt in gehennam ignis, ac fuppliciis tradendi &c.* fimilia habet Sanctiffimus Patriarcha hom. 15. ad populum Antiochenum.

Gregorius Magnus hom. 34. in Euang. *prava mens, fi non priùs per timorem evertitur, ab affuetis vitiis non emundatur*. Ideo adverfariorum, qui aperto fchifmate, & familiari fchifmatis focio errore hæretico, charitatem amiferunt, difficillima, & prodigii inftar videbitur pœnitentia; nam quod defperationem horreant, bene eft; fed, cùm pariter averfentur initium pœnitentiæ ducendum à timore, vereor, nè fallax alia fit, quâ fibi temerè blandiuntur, ad charitatem femita. Reducatur in confilium Auguftinus ferm. 13. de verbis Apoftoli: *Timor fervus eft: charitas libera eft, & , ut fic dicamus, timor eft fervus charitatis: nè poffideat Diabolus cor tuum, præcedat fervus in corde tuo, & fervet dominæ venturæ locum: fac vel timore pœna; fi nondum potes amore juftitiæ*. Quid fuades Auguftine, fi novis tuis difcipulis credimus? Horum enim contra Sedem Apoftolicam, & Romanam Ecclefiam antefignanus in fuis *Chriftianis confiderationibus*, imò *Ethica*, ut vocat, *Euangelica compendio* Prop. 47. fuperiùs relatâ hypocrifim vocat omnem legis obedientiam, quæ non profluit ex charitate: & quam, deficiente amore juftitiæ, fuggeris obedientiam ex timore, novus Euangelifta denuntiat perniciofam, &, fi pœnitentia fuerit, ducem impiam ad defperationem: *Si folus fupplicii timor animat pœnitentiam, quò hac eft magìs violenta, eò magìs ducit ad defperationem*.

CA-

CAPUT III.

Adversatur Propositio definitionibus Alexandri VIII., Concilii Tridentini, atque ipsis Scripturarum oraculis.

1 Inter articulos 31. ab Alexandro VIII. proscriptos, est hic 14. *Timor gehennæ non est supernaturalis*. Et 15. *Attritio, quæ gehennæ, & pœnarum metu concipitur sinè dilectione benevolentiæ Dei propter se, non est bonus motus, ac supernaturalis*. Gemina hæc dogmata placuisse Luthero, assertione sexta articulorum contra Bullam Leonis, serm. 2. de pœnitentia; & Calvino in Antidoto ad sess. 6. Tridentini Concilii, satis Theologis compertum est. Sed existimo, Jansenistas maluisse illa à Magistro suo accipere lib. 5. de gratia Christi cap. 21., & 30. Quod autem Iprensis hic Episcopus ait cap. 23., sententiam reddit cum fide catholica difficiliùs conciliandam; videlicet *Deum in cordibus hominum timorem pœnarum futurarum operari; nullo tamen modo arbitrandum esse, quòd eum per illam veram Christi gratiam, propter quam infirmis hominibus largiendam crucifixus est, operatur*. Ibid. col. 553. edit. 1. Lovan. *Quamvis pœnarum comminatio sit ex Deo; non aliter tamen iste juvat, quàm cognitionem afferendo, quâ perceptâ, si timore percellatur, propriæ voluntatis viribus facit, quidquid facit*. Capite 26. titulus est, *uberiùs ostenditur ex Augustino, timorem pœnæ, & opus ex isto timore factum, non esse ex gratia Christi; sed naturæ viribus, suppositâ fide*, quod dico cum fide catholica difficiliùs componendum: in Jansenii scilicet, & Quesnelli systemate, in quo dum omne opus absque Christi gratia exercitum, est peccatum, videbitur Deus, qui timoris illius causa est, fieri quodammodo causa delicti. Si verò juxta Alexandri Pontificis oppositam utrique novo dogmati sententiam, timor gehennæ, & concepta ex eo attritio, etiam sinè dilectione benevolentiæ Dei propter se, bonus motus dicendus sit, & supernaturalis, non apparet, quomodo orta ex illo timore pœnitentia ad desperationem inducere valeat, aut quomodo tanta adversùs eandem pœnitentiam calumnia, notâ blasphemiæ liberari.

2 Neque Propositionem facilè expedies ab hoc Tridentino anathemate sess. 6. can. 8. *Si quis dixerit, gehennæ metum, per quem ad misericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel à peccato abstinemus, peccatum esse, aut peccatores pejores facere, anathema sit*. Si enim omnis pœnitentia animata solo supplicii timore, ducat ad desperationem; igitur pœnitentia solo metu gehennæ animata, ut à peccatis abstineamus, vel ad Dei confugiamus misericordiam, novo nos intricat peccati laqueo, & quidem funestissimo desperationis.

Eadem Sancta Synodus sess. 14. cap. 4. „ Illam verò contritionem imperfectam, „ quæ attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex „ gehennæ, & pœnarum metu communiter „ concipitur, si voluntatem peccandi excludat cum spe veniæ, declarat non solùm non facere hominem hypocritam, & „ magis peccatorem; verùm etiam donum „ Dei esse, & Spiritûs Sancti impulsum, „ non adhuc quidem inhabitantis; sed tantùm moventis, quo pœnitens adjutus „ viam sibi ad justitiam parat: &, quamvis „ sinè Sacramento pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat; tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento pœnitentiæ impetrandum disponit. Hoc enim timore utiliter concussi „ Ninivitæ ad Jonæ prædicationem plenam „ terroribus, pœnitentiam egerunt, & misericordiam à Domino impetrarunt. „ Unde quilibet novitatis studio non præoccupatus, facilè percipit, Tridentinos Patres supponere, quòd attritio, etiam quæ ex solo gehennæ, & pœnarum metu concipitur, possit cum spe veniæ consistere, & excludere voluntatem peccandi.

Quòd verò talis attritio, sive imperfecta pœnitentia solo isto animata timore supplicii, possit movere hominem ad spem consequendæ veniæ necessariam, atque adeò inducere nullatenus ad desperationem, ipsa dictat ratio manifesta. Qui enim gravi percellitur gehennæ formidine, Divino excitatâ spiritu ad pœnitendum, acerrimo experitur se pungi stimulo, ut peccata præterita detestetur, firmumque concipiat adversùs imminentia propositum; ut denique nihil penitùs prætermittat, ad evadenda supplicia necessarium. Itaque solo supplicii timore animata pœnitentia potest efficaciter, & spem homini imperare, & quemcumque etiam charitatis actum ad consecutionem veniæ requisitum. Unde nihil magis contrarium apparet lumini rationis, quàm novaturiens assertio, quòd, *si solus supplicii timor animat pœnitentiam, quo hac est magis violenta, eò magis ducit ad desperationem*.

3 Inter cætera, quæ Lutherus objicit sermone de pœnitentia, & in assertione articuli

ticuli fexti; à Joanne autem Epifcopo Roffenfi, Ruardo Tappero, Roberto Bellarmino doctiffimè refutantur, iftud eft, quod pœnitentia ex timore concepta, dicitur non libera, fed extorta, & violenta, quam contumeliam ferit Tridentinum anathema feffione 14. can. 5. de pœnitentiæ Sacramento: *Si quis dixerit, eam contritionem, quæ paratur per difcuffionem, collectionem, & deteftationem peccatorum, quâ quis recogitat annos fuos in amaritudine animæ fuæ, ponderando peccatorum fuorum gravitatem, multitudinem, fœditatem, amiffionem æternæ beatitudinis, & æternæ damnationis incurfum, cum propofito melioris vitæ, non effe verum, & utilem dolorem, nec præparare ad gratiam; fed facere hominem hypocritam, & magis peccatorem; demum illum effe dolorem coactum, & non liberum, ac voluntarium, anathema fit.* Videtur nihilominus in hoc Lutherum imitari Quefnellus voluiffe, ut ex folo timore ortam pœnitentiam non liberam cenfeat, fed *violentam*, & maculâ fœdatam cupiditatis.

Dices: Contritio, quæ à Luthero accufatur, & hic à Concilio defenditur, non eft animata folo timore fupplicii: idem eft de Ninivitarum pœnitentia.

Sed hoc non obeft, quin tota illa pœnitentia fundetur in fupernaturali timore fupplicii, tamquam primo principio, fuppofitâ fide, unde reliqua feries actuum imperata profluit. Hunc ordinem nobis Concilium defcribit feff. 6. cap. 6. *Difponuntur*, inquit. *ad ipfam juftitiam, dum excitati divinâ gratiâ, & adjuti, fidem ex auditu concipientes, liberè moventur in Deum, credentes, vera effe, quæ divinitus revelata, & promiffa funt; atque illud in primis, à Deo juftificari impium per gratiam ejus, per redemptionem, quæ eft in Chrifto Jefu; &, dum peccatores fe effe intelligentes, à Divinæ juftitiæ timore, quo utiliter concutiuntur, ad confiderandam Dei mifericordiam fe convertendo in fpem eriguntur, fidentes, Deum fibi propter Chriftum propitium fore, illumque tamquam omnis juftitiæ fontem diligere incipiunt: ac propterea moventur adversùs peccata per odium aliquod, & deteftationem, hoc eft, per eam pœnitentiam, quam ante Baptifmum agi oportet: Denique dum proponunt fufcipere Baptifmum, incboare novam vitam, & fervare Divina mandata.*

Perfpicuus hic eft converfionis ordo à fide ducens exordium, indè gradum faciens ad timorem Divinæ juftitiæ, quâ includitur quidquid fupplicii in gehenna eft, & æternæ beatitudinis amiffio. Deinfide fimul, & formidine erigitur animus ad fpem, finè qua converfio vera, & falus effe non poteft, ac tandem impletur, & perficitur pœnitentis dilectione. Atque hic converfionis modus ab Oecumenica in Spiritu Sancto congregata Synodo traditus, Divinæ providentiæ in hac Decretorum ferie communis nofcitur; etfi negari nequeat fupremo Domino alter poffibilis, quô nullâ mediâ formidine ad perfectæ dilectionis, & conceptæ ex ea pœnitentiæ apicem eveheret peccatorem. Verùm, ut modò placuit falutis noftræ difponere ordinem; nonnifi prævio paffim timore fpes, & charitas introducitur, ut ex Tridentino vidimus, & Patrum omnium, ac Scripturarum fenfus eft. Ita Clemens Alexandrinus lib. 2. Stromatum ante medium: *Fides eft prima ad falutem inclinatio, poft quam timor, & fpes, & pœnitentia.*

Auguftinus tract. 9. in epift. Joan. *Si nullus eft timor, non eft quâ intret charitas.... Timor priùs occupat mentem; non autem ibi remanet timor: quia ideo intravit, ut introduceretur charitas.* Plura dedimus Patrum teftimonia cap. præc. Salefii verò, Seraphici, & aliorum Scholafticorum indicavimus cap. 1. Ifti omnes nobis fecuriores Scripturarum, & traditionis interpretes funt, quàm Lutherus, à quo Janfenius, & Quefnellus truculentam fuam accipere fententiam potuerint. Etfi Quefnelliani erroris atrocitas fuperet Janfenianam. Iprenfis enim Epifcopus lib. 5. de gratia Chrifti cap. 7. ait: *Sufficit dilectio, quâ verè, fincerè, & gratìs ex animo propter fe ipfum... diligitur Deus, five ad illam pertingat perfectionem, ut fupra omnia creata diligatur, five in fimpliciori, & inferiori affectu hæreat;* Quefnellus autem videtur exigere ubique amorem Dei fuper omnia, quem Prop. 44. vocat *Amorem Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur.* De quo Quefnelli fenfu dubitare nos minimè finunt fententiæ Scripturarum, quas fibi ubique vendicat, quafque agere de amore Dei fuper omnia, tum ex fe, tum ex omnium confenfu interpretum manifeftum eft.

4 Multùm fibi præfidii Quefnellus pro fuperiore articulo fperaverat ex Bellarmino; fed fallaciter, ut à me oftenfum eft: quapropter eundem Eminentiffimum etiam hìc audiri juverit lib. 2. de pœnitentia cap. 17. *Quartus timor eft propriè fervilis, quo videlicet peccator Deum punientem timet, ut folius pœnæ fugiendæ causâ à peccatis perpetrandis caveat, & de perpetratis doleat.* Hic cafus damnati articuli eft, ubi folus fupplicii timor animat pœnitentiam. Videamus modò, quid de hoc cenfeat eruditiffimus Cardina-

lis. *De hoc igitur*, inquit, *tota Controversia est: hunc enim Lutherus damnabat, ut qui faceret homines hypocritas, & magis peccatores*, quem sequitur Quesnellus, addens, timorem hunc, & ortam ex eo solo pœnitentiam, quò magis violenta est, eò magis ducere ad desperationem. Cardinalis autem ait: „ Et hunc eundem (timorem) Tridentina „ Synodus sess. 14. cap. 4. bonum, atque „ utilem esse, & à Deo excitari docet: quæ „ sententia probatur primò ex verbis illis „ Davidis Psalmo 110., & Salomonis Pro„ verb. 1. *Initium sapientiæ timor Domini*, & „ Eccli. cap. 1. *Timor Domini expellit peccatum; nam qui sinè timore est, non poterit* „ *justificari*. Et cap. 25. *Timor Domini ini*„ *tium dilectionis ejus*. Hæc dicuntur de ti„ more, qui est in peccatoribus, & qui di„ lectionem præcedit; in peccatoribus au„ tem, & ante dilectionem timor filialis „ esse non potest, sed tantùm servilis. Item „ Isaiæ 26. secundùm versionem Septuagin„ ta, *A timore tuo concepimus, & peperimus* „ *Spiritum salutis*.

„ Illud etiam Domini Matth. 10. *Timete* „ *eum, qui potest & corpus, & animam per*„ *dere in gehennam*, etiamsi ad justos perti„ neat, qui timore isto juvantur, nè pec„ cent; tamen dubitari non potest, quin „ etiam ad injustos referri debeat, qui ti„ more eodem juvantur, ut ad pœniten„ tiam veniant.

„ Præterea Scripturæ passim terrorem „ incutiunt peccatoribus, nec sanè ad „ alium finem, nisi ut timorem concipiant, „ & ex eo timore pœnitentiam meditentur. „ Deut. 32. *Ignis succensus est in furore meo*, „ *& ardebit usque ad inferni novissima*. Psal„ mo 7. *Nisi conversi fueritis, gladium suum* „ *vibrabit, arcum suum tetendit, & paravit* „ *illum: & in eo paravit vasa mortis, sagit*„ *tas suas ardentibus effecit*. Isaiæ 33. *Quis* „ *poterit habitare de vobis cum igne devora*„ *te? Quis habitabit ex vobis cum ardoribus* „ *sempiternis?* Jonas cap. 3. illâ comminatio„ ne Ninivitas convertit: *Adhuc quadragin*„ *ta dies, & Ninive subvertetur*. Matth. 3. „ Joannes Baptista ex timore pœnæ ad pœ„ nitentiam homines adducere satagebat: „ *Genimina viperarum quis vobis demonstra*„ *vit fugere à ventura ira?* Et rursus: *Om*„ *nis arbor, quæ non facit fructum bonum, ex*„ *cidetur, & in ignem mittetur*. Et Christus „ ipse Matth. 5. 13. 24. & 25. Marci 9. Lu„ cæ 12. & alibi sæpissimè ignem gehennæ, „ stridorem dentium, tenebras exteriores, „ vermem non morientem, & flammas in„ extinguibiles minabatur.

„ Denique eædem Scripturæ timorem „ istum à Deo inspirari tam apertè docent, „ ut nimis magna temeritas videri debeat, „ si quis eum adhuc damnare voluerit. Ro„ man. 8. *Non accepistis spiritum servitutis* „ *iterum in timore; sed accepistis spiritum* „ *adoptionis filiorum*: ex quo loco Beatus „ Paulus docet in Testamento veteri da„ tum à Deo spiritum servitutis, quo ti„ meretur, quemadmodum in Testamento „ novo dedit spiritum adoptionis, quo di„ ligeretur. „ Hactenus Bellarminus. Accedat S. Salesius lib. 11. de amore Dei cap. 18. *Etsi Christus Salvator venerit, ut adferret nobis legem amoris, non intermisit tamen inculcare legem timoris*. Cap. 16. *Quantùm ad timores servorum, & mercenariorum, non procedunt equidem ab amore; sed ordinariè præcedunt ipsum amorem, ut fiut ipsi instar prodromorum.... Divina bonitas volens in anima humana collocare magnam virtutum diversitatem, ac tandem eam exornare sacrosuo amore, utitur actu timoris servilis, & mercenarii, quâ ordinariè omnium primò nostra corda punguntur*.

Quomodo autem, ut nos Tridentina Synodus, ut Patres, & Sancti omnes ex sacris literis docent, initium conversionis in peccatoribus fieret à timore, qui ex perennium suppliciorum fide nascitur, si timor iste, & orta ex eo solo pœnitentia ad desperationem duceret, & interitum? Apage perniciosissimam novitatem, quæ specioso obtentu commendandi peccatoribus pœnitentiam perfectam, ei aditum obstruit, rejiciendo, damnando communem divinæ providentiæ ordinem; impediendo dispositiones, sinè quibus passim charitas, & perfecta pœnitentia non succedit.

5 Non hic discutio, an æterni supplicii timor solam possit cohibere manum ab externo opere; an etiam animum à desiderio, cujus indagatio ad sequentem propriè pertinet articulum; nam, etsi Quesnello concederem, & Luthero, non posse timore animum cohiberi, non indè conficeret uterque, quod intendit, timorem illum pœnæ rectè apprehensæ, esse perversitatis originem, quia impedire saltèm opus externum illicitum, minimè vituperio; sed laude dignum est. Si autem timor iste non refrænet etiam peccandi desiderium, si liceret impunè, id nullam ipsi timori culpam tribuit; sed malitiæ peccatoris in voluptates prohibitas nimiùm se inclinantis.

Istud pridem contra Lutherum observavit laudatus sæpius vel ab adversariis Bellarminus lib. 2. de pœnitentia cap. 18. dicens

cens „ Sciendum, eft præterea, duos quafi „ gradus diftingui poffe in timore fervili. „ Primus eft, quando impedit opus peccati externum; fed non voluntatem: & hic „ timor eft bonus., & bonæ rei caufa; quia „ bonum eft, impediri opus externum; fed „ quia conjunctus eft cum mala voluntate, „ non gignit contritionem, neque attritionem. Secundus eft, quando non folum „ opus externum peccati, fed etiam voluntatem peccandi coërcet; fæpe enim homines; etiamfi nondum toto corde Deum „ diligant, tamen ex confideratis malis effectibus peccati, & fuppliciis æternis, ad „ quæ ipfos perducit, fimpliciter odium „ contra peccatum concipiunt, & feriò abjiciunt peccandi voluntatem. Et hic timor eft melior: neque ex eo ullo modo „ erefcit peccandi voluntas: & de eo loquuntur Theologi, cùm dicunt attritionem ex timore conceptam, difpofitionem „ effe ad juftificationem, & Sacramento „ accedente reverà juftificare, ut perfpicuum eft ex Concilio Tridentino feff. 14. „ cap. 4. ubi legimus attritionem difponere ad juftificationem, fi voluntatem peccandi excludat. „ De quo accuratiùs tractandi occurret occafio ubi de Propofitione 61. & 62.

CAPUT IV.

Diffolvitur, argumentum defumptum ex Scriptura.

1 FRivola quidem funt, quæ pro dogmate tam exotico ab adverfariis adferuntur; præterire tamen ea filentio nobis non licet, nè taciturnitas noftra animos addat novatoribus, qui veluti invictum fimplicibus perfuaderent, quidquid à nobis foret finè refponfione contemptum.

Ex fcripturis unicus ab Hexaplis delectus eft locus Genefis cap. 4. ubi *dixit Cain ad Dominum, major eft iniquitas mea, quàm ut veniam merear. Ecce ejicis me hodie à facie terræ, & à facie tua abfcondar, & ero vagus & profugus in terra. Omnis igitur, qui invenerit me, interficiet me.* Sed cui hactenus interpreti in mentem venit Cainæ defperationi caufam affingere fuppliciorum apud inferos à Deo infligendorum formidinem? pœnitentiam defperantem Caino peperit, non formido pœnæ; fed judicium erroneum, vel hæreticum de defectu mifericordiæ in Deo, & temeraria, atque obftinata perfuafio de æterna fua reprobatione. Audiatur Angelici commentarius. „ Defperatio Cain ex triplici confideratione furrexit; ex confideratione culpæ irremiffibilis, & gravis: unde „ dixit: *Major eft iniquitas mea, quàm ut veniam merear*: quafi dicat: omne meritum „ indulgentiæ, vel omnem dulcedinem „ parcentis, vel condonantis mifericordiam „ tranfcendit culpa mea. Quod quidem fi „ credidit fimpliciter; non folùm fuit defperatio, fed etiam infidelitatis error. Si „ tamen paffionatus dixit, tunc folùm fuit „ defperatio, quæ eft voluntatis paffio.

„ Secunda caufa defperationis Cain eft „ ex confideratione juftitiæ inflexibilis: unde fequitur, *Ecce ejicis me.* Unde jam æftimabat, fe fententialiter damnatum, & „ afpectu, & refpectu divino indignum: ex „ quo fequitur defperatio; quia nullus poteft veniam confequi, nifi primùm fuper „ eum ferantur oculi Dei condefcendentis, „ & ad fe peccatorem reducentis, & fuis „ dulciffimis oculis, & fuâ gratiâ ad fuam „ mifericordiam advocantis. Ifta omnia excludit Cain: *Ecce ejicis me* &c.

„ Tertia ratio defperationis eft pœna „ jam inflicta, & miferiæ præfentis, & ignominiofæ, & incertæ mortis; *omnis enim, qui invenerit me, occidet me.* Quæritur quare hoc timebat? Dicendum, quòd lex naturalis ei dicebat, quòd per quæ quis „ peccat, per ea etiam torquetur... quidam ajunt, quòd ipfe Cain habuit, & tremorem corporis, & agitationem mentis „ furiofæ... vel hoc dixit ex defiderio ficut defperatus, ita quod exponatur *occidet me*, id eft, *occidat me*: & hoc fecundùm gloffam interlinearem, ut compendio mortis præfentes cruciatus evaderet. „ Dixitque ei Dominus, *Nequaquam ita fiet.* Hic fubjungitur mifericordia aliquid „ relevans de pœna: & ponit tria per ordinem, quæ debent relevare defperantem „ propter mortis timorem; fcilicet promiffionem longioris vitæ; fecundò punitionem interfectoris: tertiò fignum datum „ ad evafionem interfectionis. Non ità citò „ morieris, ficut credis; Deus enim per „ fuam mifericordiam peccatores expectat „ ad veniam, vel pœnitentiam. Unde ipfum „ Cain non tam citò voluit mori, ut hìc „ tempus haberet pœnitendi: *Sed omnis, qui occiderit Cain, feptuplum punietur*, id „ eft, non ita te rejicio à cura mea, quin graviffimè puniam eum, qui te occiderit auctoritate fuâ.

2 Copiosè hæc ex Angelici commentario referre placuit, ut lector videat, nihil effe in hac Caini hiftoria, quod damnato pa-

trocinetur errori; quasi æterni supplicii timor, & orta ex eo pœnitentia, fuerit Judæ causa desperandi, vel, ut hìc applicatio fit, Caino. Juxta Angelicum enim vel non fuit simplex desperatio in Caino; sed etiam *infidelitatis error*, si credidit quod verba sonant: *Major est iniquitas mea, quàm ut veniam merear*; quasi dicat, ut explicat S. Thomas, *omne meritum indulgentiæ, vel omnem dulcedinem parcentis, vel condonantis misericordiam transcendit culpa mea*; nam etsi culpa Caini secundùm se non mereretur veniam, ut tamen subjacebat divinæ clementiæ, quæ infinita est, & reliqua Dei opera transcendit, inferebatur ei gravis injuria, si credebatur ab iniquitate superari, & nolle ullatenus ejus conversionem, & salutem. Posterior est error Calvini, Jansenii, & Quesnelli, juxta quos nullius salutem Deus voluit in statu saltèm naturæ lapsæ, nisi quem reipsà salvaverit. Prop. 12. *Quando Deus vult salvare animam, quocumque tempore, quocumque loco effectus indubitabilis sequitur voluntatem Dei.*

3 Si verò Cain non ita senserit in intellectu, sed ea solum *passione voluntatis* protulerit, tunc simplex habetur desperatio. Denique quæcumque attendatur assumpta à Caino velut desperationis ratio, nulla est, unde meritò colligas, hanc timori damnationis æternæ, & nascenti ex illo pœnitentiæ inesse vim, ut inducere hominem natæ fit ad desperandum. Nihil rationis istiusmodi obtentu magis fatuum est, nihil indito naturæ lumini magis contrarium; quàm quòd gravis metus mali gravissimi natus quàm maximè fit inducere ad mali istius prosecutionem, vel ad faciendum aliquid, unde videas, idem malum necessariò obventurum. Quis non dementiæ arguat eum, qui dixerit, nihil adeò idoneum esse, ut intellectum hominis moveat ad dissentiendum conclusioni, quàm patentissimam ejus cum antecedentibus connexionem? Similis apparet stultitia in assertione Quesnelli: *Si solus supplicii timor animat pœnitentiam, quò hæc est magis violenta, eò magis ducit ad desperationem*: ita scilicet voluntas eò magis impellitur ad prosequendum desiderio supplicium, quò gravior ejus metus est, & horror; desperans enim supponitur novisse, supplicium, quod tantopere aversatur, desperationis crimine certissimè incurrendum.

4 Neque in Euangelio Matthæi cap. 27. v. 5. de Juda, unde à Quesnello accepta occasio erroris, quidpiam est, quod ei subsidio sit, ut iterum videbitur in commentario Aquinatis „ *Pœnitentia ductus retulit* &c. „ non fuit vera pœnitentia; habuit tamen „ aliquid pœnitentiæ; quia pœnitentia debet esse media inter spem, & timorem. „ Judas autem timorem, & dolorem quidem habuit; quia de peccato præterito „ doluit; sed spem non habuit. Et talis est „ pœnitentia impiorum Sap. 5. *Pœnitentiam* „ *agentes, & præ angustia spiritus gementes.* „ Et quare ductus pœnitentiâ? Notandum „ quod dicit Origenes, quòd aliquando accidit, quòd diabolus impellit hominem „ ad peccandum, aliquando homo; sed aliter, & aliter; quia homo ut libidinem „ compleat; diabolus, ut perdat: &, si diabolus immisit, non habuit (Judas) ex „ creatione, & ideo pœnitere potuit... „ Dicit ergo, quòd hoc, quòd desperavit, „ non fuit nisi quia negligens fuit. In hoc „ autem quod dicit, *tradens sanguinem justum*, etsi bene, non completè tamen; quia „ potest retorqueri ad hominem justum. „ Unde dicit Hieronymus, quòd si rectam „ fidem habuisset, non desperasset; debuit „ enim dicere, *tradens Deum*: in hoc ergo „ quod dixit, *tradens sanguinem justum*, minoravit ejus potestatem, & ostendit, se „ non habere rectam fidem. „ Itaque in defectum fidei, non in timorem supplicii, aut ortam indè pœnitentiam causa desperationis conjicitur tam ab Hieronymo, quàm à Sancto Thoma. Solus Quesnellus, qui ex omni Scripturarum oraculo præconceptæ novitatis suæ solet fabricare Mercurium, ex illo Matthæi capite novit elicere hunc novi symboli Articulum, omni sano judicio, & naturæ lumini, ut ostendi, contrarium: *Si solus supplicii timor animat pœnitentiam, quò hæc magis violenta est, eò magis ducit ad desperationem.*

CAPUT V.

Gregorius magnus ab Adversariis allegatus, illis minimè favet.

1 Sanctus Gregorius lib. 1. moralium cap. 18. alludens ad Holocaustum Jobi pro singulis filiis ait: „ Holocaustum per singulos filios offerimus, „ cùm pro unaquaque virtute Domino hostiam precis immolamus; nè sapientia elevet; nè intellectus, dum subtiliter currit, „ aberret; nè consilium, dum se multiplicat, „ confundat; nè fortitudo, dum fiduciam „ præbet, præcipitet; nè scientia, dum novit, & non diligit, inflet; nè pietas, dum „ se extra rectitudinem inclinat, intorque-

„ queat; nè timor, dum plus juſto trepidat, „ in deſperationis foveam mergat: „ cujus ſententiæ relatio Gallica in Hexaplis non uno laborat vitio: Timori illic additur *judiciorum Dei*; prætermittitur autem quidquid eſt de *conſilio*, de *fortitudine*, *ſcientia*, *pietate*, ne nimiùm apertè pateat, & mens Sancti Pontificis, & iniquitas objectionis. Quis enim generatim dixerit, conſilium, quò frequentius, eò eſſe deterius? Quò major eſt fortitudo, eò eſſe nocentiorem? Quò amplior pietas eſt, eò peccare ipſam graviùs? Et tamen veriſſima eſt Gregorii, ac ſaluberrima enuntiatio, orandum eſſe Deum, ut in memoratis ab eo exercitiis modus teneatur, quem Deus, & prudentia præcipit: nam aliàs rei optimæ abuſus eſſe poterit, & exceſſus noxius: unde S. Thomas, *prudentia*, inquit, *eſt directiva omnium virtutum moralium*. Parte 3. quæſt. 8. art. 3. ad 4. *Nulla virtus moralis poteſt eſſe ſinè prudentia* 1. 2. quæſt. 57. art. 5. quæſt. 58. art. 4. quæſt. 65. art. 1., & ſæpe alibi.

2 De timore quærit Angelicus 2. 2. quæſt. 125. art. 1. *utrum ſit peccatum*. De quo ſic reſolvit. „ Reſpondeo dicendum, quòd „ aliquid dicitur eſſe peccatum in actibus „ humanis propter inordinationem: nam „ bonum actûs humani in ordine quodam conſiſtit, ut ex ſupradictis patet „ (quæſt. 109. art. 2., & quæſt. 114. art. 5.) „ Eſt autem hic debitus ordo, ut appetitus „ regimini rationis ſubdatur: ratio autem „ dictat, aliqua eſſe refugienda, & aliqua „ eſſe proſequenda: & inter fugienda, quædam dictat eſſe magis fugienda, quàm „ alia... Quando ergo appetitus fugit ea, „ quæ ratio dictat eſſe ſuſtinenda, nè deſiſtat ab aliis, quæ magis proſequi debet, „ timor inordinatus eſt, & habet rationem „ peccati. Quando autem appetitus timendo refugit id, quod eſt ſecundùm rationem fugiendum, tunc appetitus non eſt „ inordinatus, nec peccatum.

Quæſt. 126. art. 2. in reſolutione. „ Fortitudo eſt circa timores, & audacias; „ omnis autem virtus moralis ponit modum rationis in materiâ, circa quam eſt. „ Unde ad fortitudinem pertinet timor moderatus ſecundùm rationem; ut ſcilicet „ homo timeat, quod oportet, & quando „ oportet, & ſimiliter de aliis: hic autem „ modus rationis corrumpi poteſt, ſicut per „ exceſſum, ita & per defectum. Unde ſicut „ timiditas opponitur fortitudini per exceſſum, in quantum ſcilicet homo timet, „ quod non oportet, vel ſecundùm quod „ non oportet; ita etiam impaviditas opponitur ei per defectum timoris, in quantum ſcilicet non timet aliquis, quod „ oportet timere.

Quæſt. 127. art. 2. „ Dicendum quòd, „ ſicut ſupra dictum eſt, ad virtutem moralem pertinet modum rationis ſervare in „ materia, circa quam eſt: & ideo omne vitium, quod importat immoderantiam circa materiam alicujus virtutis moralis, „ opponitur illi virtuti morali, ſicut immoderatum moderato. „ Sed iſta Angelici Doctoris in diſtinguendo, & triticum à palea diſcernendo accuratio diſplicebit Adverſariis, qui, quod proprium novatoribus eſt, diſtinctiones Scholaſticas oderunt; in confuſione, obſcuritate, fallaciâ ſpem ſuam unicè collocantes. Si igitur Queſnellus *ſolum timorem* ſupplicii *plus juſto trepidantem* dixiſſet mergere in deſperationis foveam, ducem nactus fuiſſet S. Gregorium, & CLEMENTEM XI. approbatorem.

Sed longè aliud eſt timorem rejicere *plus juſto trepidantem*, ut nempe mali evitatio cenſeatur impoſſibilis, quemadmodum Dæmones timent, & contremiſcunt: aliud *timorem* omnem *ſupplicii*, quoties *ſolus* eſt, arguere criminis, & quidem graviſſimi, quod eſt deſperatio. Pietatem, quæ amor erga patrem, & patriam eſt, virtutibus moralibus annumeramus; ſi excedit limites rationis, & juſtitiæ in vitium degenerat. Ita pecuniæ intempeſtiva profuſio liberalitatis encomium non meretur; ſed vituperium prodigalitatis. Ipſe dolor de commiſſo crimine, ſi nimius eſt, & ad deſperationem excitat, vel furorem, non ad virtutem pertinet pœnitentiæ; ſed ad vitium puſillanimitatis. Non itaque ſupplicii timor, etiam ſolus, & fortiſſimus, quamdiu intrà rationis, & prudentiæ limites ſe continet, ſtimulos unquam addet ad crimina, & criminum graviſſimorum deſperationem.

3 Quod autem non ſolum formidinis exceſſum; ſed ipſam formidinem ſupplicii, quoties ſola fuerit, & ortam ex eâ pœnitentiam inquinare peccati maculâ, mens adverſariorum ſit, tum ipſa, quibus concepta ſunt damnatæ propoſitiones, vocabula loquuntur, tum omnes confirmant circumſtantiæ. Non jam repetam Propoſitiones à me toties adverſariis exprobratas de charitate, potiſſimùm quadrageſimam quartam, & quadrageſimam quintam; ſufficientia convincendis hic adverſariis arma ſubminiſtrant, qui modò diſcutiendi veniunt, articuli de timore: 62. *Qui à malo non abſtinet, niſi timore pœnæ, illud committit in corde ſuo, & jam eſt reus coram Deo*. 64. *Sub maledicto legis nunquam ſit*

bo-

bonum; quia peccatur, ſive faciendo malum, ſive illud non niſi ob timorem evitando. 66. Qui vult Deo appropinquare, nec debet ad ipſum venire cum brutalibus paſſionibus, neque adduci per inſtinctum naturalem, aut per timorem ſicuti beſtiæ; ſed per fidem, & amorem ſicut filii. Longè igitur aliud eſt, timorem ſupplicii ſecundùm ſe, etiam ſolum, & natam ex eo pœnitentiam arguere deſperationis, quod nullus audeat Catholicus, ſed à Luthero, & ſimilibus diſcere Queſnellus potuit; aliud, timorem nimium, dum *plus juſto trepidat*, veluti damnoſum, & ſoli utilem deſperationi cum S. Gregorio, & Theologis omnibus abdicare.

4 Quærитent proinde adverſarii diligentiùs, & omnia Sanctiſſimi Doctoris, ac Pontificis ſcripta excutiant: non vereor, nè ullum uſpiam accuſati timoris, etiam dum tantiſper ſolus, & ex eo ſolo orta eſt pœnitentia, reperiatur veſtigium. Laudati autem timoris, & inculcati ſimpliciter velut utilis, & neceſſarii, etiam abſque charitatis veluti comitis neceſſariæ indicio, obvia ſunt locis pluribus ejuſdem Pontificis teſtimonia. Sic Hom. 34. in Euangelia, ait, *Prava mens, ſi non priùs per timorem everritur, ab aſſuetis vitiis non emundatur*. In 1. Regum lib. 5. cap. 2. ad illud *Servite Domino, & timete eum in veritate. Hac quidem*, inquit, *via bona, & recta eſt, quia ad æternam vitam tendit, & velociter pervenit. Per timorem Domini devitantur mala*. Lib. 2. in 1. Reg. cap. 1. ad illud *Dominus mortificat, & vivificat*, ait: *Tunc quippe peccare deſinimus, cùm ſupernâ gratiâ mollitis cordibus formidamus futura tormenta*. Quæ utinam mollitis divinâ gratiâ cordibus formidare tandem aliquando diſcant etiam Sedis Apoſtolicæ contemptores, & ſanctiſſimæ Conſtitutionis hoſtes temerarii! Utinam ex illo ſaltèm timore concipiant pœnitentiam! Deſinant dedecori, & ſcandalo eſſe Eccleſiæ, triumpho hæreticis. Quanquam quid Eccleſiam commemoro, à qua publico ſuo ſchiſmate, & non unâ hæreſi reſciſſi ſunt? Denique adeò timor æterni ſupplicii, etiam ſolus, & nata ex eo pœnitentia, non adigit ad deſperationem, ut tunc primùm Eccleſia in ſpem bonam converſionis integræ, & perfectæ adducenda ſit, cùm fortè viderit, rebelles illâ concuſſos formidine pœnitentiæ dare initium.

CAPUT VI.

Perperàm ab Adverſariis imploratur S. Bernardus.

1 Doctor mellifluus epiſt. 87. num. 4. *Nunquid . . . deſperare te intendo, quaſi qui te tali ligaveris culpâ, quam jam ſolvere non poſſis? Abſit; ſed tantùm nolo te illud tanquam nullum, vel parvum malum negligere; imò ſemper timere, ſemper pœnitere, ſemper ſecurum non eſſe, ſicut ſcriptum eſt, Beatus homo, qui ſemper eſt pavidus. Vides certè quem timorem tibi incutere nitor; non qui tibi ſit laqueus deſperationis; ſed qui ſpem acquirat beatitudinis; eſt ſiquidem timor inutilis, triſtis, crudelis, qui veniam, quia non quærit, non conſequitur*. Huic laciniæ, nullo prætermiſſionis indicio, aſſuit Adverſarius alteram: *Et cujus*, inquit, *miſera ſoboles eſt pertinacia, immoderata triſtitia, rancor, horror, contemptus, & deſperatio*. Tranſilit homo vafer quidquid explicationis majoris eſt, quo Mellifluus oſtendat, nihil ſe niſi communi omnium ſententiâ receptum tradere.

Sic nempe poſt *non conſequitur*, Sanctus interponit: *Eſt & timor pius, humilis, fructuoſus, qui cuilibet quantumlibet peccatori facilè miſericordiam promeretur: talis timor generat, nutrit, & ſervat humilitatem . . . quem non delectat tam inclyta proles?* tum additur: *Alterius verò miſera ſoboles eſt pertinacia, immoderata triſtitia, rancor, horror, contemptus, & deſperatio. Non hoc ergo, qui deſperationem; ſed illo, qui generat ſpem, timens nè non timeres, vel parum timeres, tuam tibi culpam ſic rememorandam eſſe putavi*. Poſteriora iterùm omiſſa ſunt, uti & initium uſque ad *vides certè quem timorem*.

Quanquam etiam adducta ab adverſario ſententia, quantumvis undequaque mutila, ſatis eum edocere potuit, eam definitioni non officere, neque prodeſſe novitati; nam & timor ſupplicii, & orta ex eo, etiam ſolo, pœnitentia poteſt ſpem acquirere beatitudinis, tanquam bona & ſupernaturalis ad ſpem diſpoſitio, ut Tridentinum Concilium clariſſimè exponit ſeſſ. 6. cap. 6. *Diſponuntur autem ad ipſam juſtitiam, dum excitati divinâ gratiâ, & adjuti, fidem ex auditu concipientes, liberè moventur in Deum, credentes vera eſſe, quæ divinitùs revelata, & promiſſa ſunt: atque illud in primis, à Deo juſtificari impium per gratiam ejus, per redemptionem, quæ eſt in Chriſto Jeſu: & dum peccatores ſe eſſe intelligentes, à divinæ juſtitiæ timore, quo utiliter con-*

concutiuntur, ad confiderandam Dei mifericordiam fe convertendo, in fpem eriguntur, fidentes Deum fibi propter Chriftum propitium fore, illumque tanquam omnis juftitiæ fontem diligere incipiunt. Ubi poft varios fidei actus, quibus timor fupplicii nititur, ftatim, nullâ præeunte dilectione benevolâ, proponit Synodus *divinæ juftitiæ timorem*, juftitiæ utique ultricis, & æternis fuppliciis crimina punientis. Hoc timore, inquit Oecumenica Synodus, peccatores, etiam antequam Deum fuper omnia benevolè diligant, utiliter concutiuntur, & ad confiderandam Dei mifericordiam fe convertendo, in fpem eriguntur, fidentes, Deum fibi propter Chriftum propitium fore, eumque tunc primùm velut omnis juftitiæ fontem diligere incipiunt. Ubi confpicimus motum ex fide, & divinæ gratiæ auxilio timorem fupplicii, etiam dum initio folus eft, injicere peccati horrorem, & quoddam pœnitentiæ principium ad defperationem minimè impellentis; fed unde peccator ad fpem fe, & dilectionem erigit, etfi, ut dixi, folo fub initium timore fupplicii difpofitus, five, ut propofitio exprimit, *animatus*.

Huc perfpicuè concurrentem Sanctorum Thomæ, Bonaventuræ, Salefii fententiam cum Scholafticorum communiffimâ dedimus cap. 1. Præceffere Patres antiquiffimi, & doctiffimi relati cap. 2., quorum cum catholica veritate fententiam vindicavit poft Tridentinam Synodum Alexander VIII. ut retuli cap. 3. Fruftrà itaque novitas toties obtrita caput iterum attollere fperat nixa hypocritarum fraudibus, qui obtentu prædicandæ folius pœnitentiæ perfectæ, originem ducentis ex charitate, ipfam charitatem eliminant, & omnem perfectam, imperfectamque pœnitentiam; cum forma, potiffimùm perfecta, non introducatur abfque difpofitione prævia, quam fimulata, & ridicula Janfeniftarum fanctitas non admittit.

2 Altera fuccedit Bernardi fententia, quæ paulo amplior à me exhibenda eft, quàm refer atur ab Hexaplis; quia integrâ novo fyftemati apertiùs adverfatur. In Cant. ferm. 51. num. 9. „ Læva illius fub capite „ meo, & dextera eius amplexabitur me ... „ quia per dexteram, & finiftram adverfa „ folent, & profpera defignari, videtur mi„ hi hoc loco intelligi poffe, lævam quidem, „ comminationem fupplicii; dexteram ve„ rò, regni promiffionem. Eft autem cùm „ mens noftra formidine pœnæ ferviliter „ premitur: & nunc nequaquam fub capite; „ fed fuper caput læva effe dicenda eft: nec „ poteft fic affecta anima omnino dicere; „ *quia læva eius fub capite*; at verò fi profi„ ciens ex hoc fpiritu fervitutis tranfierit in „ quemdam fpontanei obfequii digniorem „ affectum; quatenus videlicet præmiis po„ tiùs provocetur, quàm arctetur fuppli„ ciis; magis autem fi amore boni ipfius „ agatur, nunc indubitanter dicere poterit, „ quia læva ejus fub capite meo; quippe „ qui illum fervilem metum, qui in finiftra „ eft, meliori atque excellentiori habitudi„ ne fuperavit animi, & dignis defideriis „ etiam ipfi appropiaverit dexteræ, in qua „ funt omnes promiffiones, dicente Prophe„ tâ ad Dominum: *Delectationes in dextera* „ *tua ufque in finem* ... (fequuntur verba „ ab adverfario objecta) Donec quis pre„ mitur à fpiritu fervitutis, parumque ha„ bet de fpe, de timore plurimum, non eft „ ei pax, neque requies, fluctuante nimi„ rum confcientiâ inter fpem, & timorem, „ maximeque, quòd à fuperexcellente ti„ more abundantiùs cruciatur; nam timor „ pœnam habet, & non eft illi dicere, *In pa*„ *ce in idipfum dormiam, & requiefcam*, „ quando necdum fe fingulariter in fpe „ conftitutum dicere poteft. Cæterum fi pau„ latim per incrementum gratiæ cœperit „ deficere timor, & proficere fpes, cùm de„ mum ad hoc ventum fuerit, ut totis viri„ bus exurgens charitas in adjutorium „ fpei, foràs mittat timorem, nonne ejuf„ modi anima fingulariter in fpe conftituta „ videbitur, ac proinde etiam in pace in „ idipfum dormire jam, & requiefcere? „ Iftud *cæterum fi paulatim*, & quæ fequuntur, ab adverfario refciffa funt; quia fpem indicant poffe in homine effe antequam Charitas, feu amor Dei benevolus adveniat. Idem etiam clariùs indicat initium fententiæ ab adverfario, ut notavi, pariter prætermiffum, quo dicitur *fi proficiens ex hoc fpiritu fervitutis tranfierit in quemdam fpontanei officii digniorem affectum, quatenus videlicet præmiis potiùs provocetur, quàm arctetur fuppliciis; magis autem fi amore boni ipfius agatur &c.*

3 Hinc funditùs corruunt propofitiones Quefnelli complures, nempe quadragefima quarta. *Non funt nifi duo amores, unde volitiones, & actiones omnes noftræ nafcuntur; amor Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur; & amor, quo nos ipfos ac mundum diligimus, qui quod ad Deum referendum eft, non refert, & propter hoc ipfum fit malus*. 45. *Amore Dei in corde peccatorum non ampliùs regnante, neceffe eft ut in eo carnalis regnet cupiditas, omnefque actiones ejus corrumpat*. 47. *Obedientia legis profluere debet*

bet ex fonte ; & hic fons eſt charitas ; quando Dei amor eſt illius principium interius, & Dei gloria ejus finis, tunc purum eſt, quod apparet exteriùs ; alioquin non eſt niſi hypocriſis , aut falſa juſtitia. 57. *Totum deeſt peccatori, quando ei deeſt ſpes , & non eſt ſpes in Deo , ubi non eſt amor Dei* (benevolus, ut ex antecedentibus, & ſequenti Art. patet .) 58. *Nec Deus eſt, nec religio, ubi non eſt charitas .*

Diſcutiamus nunc Melliflui verba ab ipſo Adverſario citata . Nè in his quidem ulla deſperationis mentio eſt , aut vocabulum , unde meritò colligas, pœnitentiam ex ſola ortam formidine ſupplicii ducere ad deſperationem : multò minùs aſſerit Bernardus, ducere *violenter* , & pœnitentiam iſtam *violentam* eſſe ; quam ex Luthero , ut cap.1. vidimus, non ex Bernardo calumniam Queſnellus potuit accipere . Neque , ſi oculos Adverſarius habuit , ignorare potuit , ſermonem Mellifluo eſſe , non de eo , de quo agitur in damnata ſententia , ubi videlicet *Solus ſupplicii timor animat pœnitentiam* ; ſed de eo , qui *parum habet de ſpe, de timore plurimum* , cui *fluctuat conſcientia inter ſpem, & timorem ; à ſuperexcellente* tamen *timore abundantiùs cruciatur* : ubi de deſperatione nè verbum quidem. Hæc graviſſimum ſcelus eſt; fluctuatio autem iſta conſcientiæ ſpem inter , & timorem , cruciatus quoque iſte abundantior poteſt immunis eſſe à crimine . Caſûs & ſententiæ diſſimilitudinem maximam in Queſnello, & S. Mellifluo ſatis conſpicatus Adverſarius,poſterioris verba multiplici corruptione Gallicè referens depravavit , quæ ſi ipſo Latino idiomate , in quo ſcripta ſunt , exibenda fuiſſent , puduiſſet ipſum , ni fallor , nimis apertæ perfidiæ , neque auſus fuiſſet objicere , quæ nullam præbere poterant argumenti ſpeciem , niſi periculam , & à quovis Theologo explodendam . Ideo quoque Collator Latinus eandem ſententiam in Hexaplis legens , collationi ſuæ minimè cenſuit inſerendam , quia ad præſens inſtitutum indubiè vidit nullatenùs pertinere .

4 Nunc audiant adverſarii S. Bernardum , quem tot fraudibus in ſua pertrahere retia inutiliter moliunrur , quid de timore ſupplicii ſentiat . Serm. de diverſis affectionibus animæ , *Jam verò ſecundo ſtatu incipit eſſe ſub Domino, qui tanquam ſervus carcerem timet, & metuit nè ſubigatur pœnis: in quo ſanè ſtatu converſio eſt , exituſque à ſeculo , & introitus vitæ* . Talis indubiè alieniſſimus à deſperatione eſt, qua æternum carcerem, & pœnas graviſſimas ſibi noverit eſſe inevitabiles. Adeò autem timor ille, & animata ex eo pœnitentia , non crimine deſperationis novo, & maximo animam impellit ad interitum , ut potiùs converſionem ſuggerat, cujus ea pœnitentia initium eſt, uti & *exitus à ſeculo* , & *introitus ad vitam* . Idem ſanctus Sermone de primordiis, mediis , noviſſimis ad illud Eccleſiaſtici cap. 7. *In omnibus operibus tuis memorare noviſſima tua, & in æternum non peccabis* , ita commonet : „ Time , „ quòd in gehennam cruciatibus æternis, „ & immenſis exponendus es: unde eſt, „ quòd non dicitur, memorare primordia, „ aut media ; ſed noviſſima , & non peccabis . „ Queſnellus diceret , cave nè timeas , quòd in gehennam cruciatibus æternis , & immenſis exponendus ſis ; cave , inquam , niſi ad hunc timorem te ſtimulaverit charitas ; aliàs criminibus præteritis aliud adjicies longè maximum deſperationis .

Non ita rurſum Mellifluus Dom. 1. poſt Octavam Epiphaniæ ſerm. 1. *Aquâ*,inquit,*repleantur : timore cuſtodiantur ; quoniam timor Domini fons vitæ . Aqua timor Domini eſt ; ſi minus ſapida ; ſed optimè refrigerans animam noxiis deſideriis æſtuantem* &c.

Serm. 2. *Primus timor eſt, nè cruciemur in gehenna: ſecundus eſt, ne excluſi à viſione Dei, privemur tam inæſtimabili gloriâ : tertius replet animam omni ſolicitudine timidam, nè forte deſeratur à gratiâ : & quidem omnis timor Domini* (etiam ut vindicis) *ſicut aqua extinguit ignem , ſic extinguit peccati concupiſcentiam.* Quomodo igitur peccatorum omnium pertinaciam inducit , & novum priſtinis ſuperaddit graviſſimum?

CAPUT VII.

Inſtitutio Moguntina præſentem Articulum non defendit, ſed totum Queſnelli ſyſtema de timore , charitate , gratia , voluntate Dei erga ſalutem hominum , funditus ſubvertit .

1 PRoducitur contra nos liber vulgò dictus *Inſtitutio Moguntina*, de quo ita Suarez Proleg. 6. de gratia cap. 5. *Eſt autem animadvertendum in aliquibus libris hujus Concilii* (Provincialis Moguntiæ celebrati anno 1549.) *adjungi opus inſcriptum: Inſtitutio ad pietatem Chriſtianam. Verumtamen opus illud non fuit à Concilio editum, nec probatum; ſed ſolum fuit inſtitutio illa in Concilio Provinciali promiſſa : à quo autem poſtea fuerit edita , ignoramus . Unde certum eſt , tantùm habere privati Scriptoris authoritatem.* Facilè autem contingit, ut is,cui talis ope-

operis elucubratio committitur, mentem Concilii non fatis accuratè exprimat; five defectu sufficientis fcientiæ, five propriæ ftudio opinionis, ut in Enchiridio Colonienfi præmiffo fimiliter à provinciæ Iftius Synodo contigiffe certiffimum eft, ficut capite proximo demonftrabimus. Verùm cujufcúmque fcriptoris, & qualifcúmque authoritatis Moguntina *inftitutio* fupponatur, nihil officit communi, definitæque hic fententiæ; novitatibus autem Quefnelli plurimùm. Lacinia, quam *Collator* fubdolè excerpit, eft: *Timori fervili per feipfum folum adeò nihil in converfione peccatoris tribui debet, ut eum defperationi, quàm converfioni aptiorem effe judicari oporteat*. Nobis exceptionis furtivæ iniquitas detegenda eft relatione fententiæ integræ: „ Multi funt excitandæ, & concipiendæ veræ contritionis modi: inter quos præcipuus eft is, qui provenit ex timore, quem peccatorum noftrorum recordatio, & diftricti judicil Dei feria confideratio, in nobis gignit, per quem à vanitate peccandi ad juftitiæ obfervantiam incipit converfio, juxta illud: timor Domini initium fapientiæ; à timore enim, Auguftino tefte, pœnitentia concipitur, adeò, ut qui finè timore eft, juxta dictum fapientis, juftificari non poffit.

„ Nemo tamen fic exiftimet quafi timor ille fervilis, quo propter fceleratè facta noftra diftrictam Dei juftitiam, & gravem iram metuimus, veram contritionem folus abfolvat: cui per ipfum folum adeò nihil in converfione peccatoris tribui debet, ut eum defperationi, quàm converfioni aptiorem effe, judicari oporteat.

Ita *Inftitutio*, in qua ftatim adverfarios profternit quod dicitur effe *multos excitandæ, & concipiendæ veræ contritionis modos*: Juxta adverfarios enim modus folus, & unicus eft charitas, five amor Dei omnia agens propter Deum, & ab eo mercedem referens beatitudinem; nam per Prop. 44. *Non funt nifi duo amores, unde volitiones, & actiones omnes noftræ nafcuntur: amor Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur; & amor, quo nos ipfos, ac mundum diligimus, qui quod ad Deum referendum eft, non refert; & propter hoc ipfum fit malus*; proinde minimè idoneus *excitandæ, & concipiendæ veræ contritioni*. Solus itaque modus fupereft *amor Dei, omnia agens propter Deum, quemque Deus remuneratur*. Si enim non conceditur inter duos iftos amores fons medius, unde ulla volitio, aut actio noftra profluere valeat, evidens eft, nullum exiftere *modum* medium *excitandæ, & concipiendæ veræ contritioni* debitum, vel convenientem.

Prop. 45. *Amore Dei in corde peccatorum non ampliùs regnante, neceffe eft, ut in eo carnalis regnet cupiditas, omnefque actiones ejus corrumpat*. Cupiditatem effe veræ contritioni oppofitam, per fe patet; oportet igitur, amorem Dei ante omnia in peccatore reftitui, & regnare, nè finè eo contritionē, ut actiones cæteras, *neceffe fit cupiditate corrumpi*.

Denique contritio lege divinâ præcipitur; juxta Quefnellum autem Prop. 47. *Obedientia legis profluere debet ex fonte, & hic fons eft charitas: quando Dei amor eft illius principium interius, & Dei gloria ejus finis, tunc purum eft quod apparet exteriùs; alioquin non eft nifi hypocrifis, aut falfa juftitia*. Itaque manifeftum eft, *contritionem veram* non poffe profluere ex alio fonte, quàm charitatis, nè hypocrifis cenfeatur. Non igitur per Quefnellum *Multi modi funt excitandæ, & concipiendæ veræ contritionis*; fed folus, & unicus charitas.

2 *Inftitutio* verò Moguntina non tantùm *modum*, fed etiam *præcipuum*, five in hoc Divinæ providentiæ ordine communiffimum enuntiat eum *effe, qui provenit ex timore, quem peccatorum recordatio, & diftricti judicii Dei feria confideratio in nobis gignit: per quem à vanitate peccandi ad juftitiæ obfervantiam incipit converfio; juxta illud: Timor Domini initium fapientiæ*. Quefnellus contra prohibet, nè à timore peccator ducat converfionis initium Propof. 66. *Qui vult Deo appropinquare, nec debet ad ipfum venire cum brutalibus paffionibus, neque adduci per inftinctum naturalem, aut per timorem, ficuti beftiæ; fed per fidem, & per amorem, ficuti filii*.

Quis autem timor eft, ex quo, ut ait Moguntina inftitutio, *provenit excitandæ, & concipiendæ veræ contritionis modus præcipuus*? Is (inquit ipfe inftitutor) *quem peccatorum noftrorum recordatio, & diftricti judicii Dei*, ac proinde fententiæ illic ferendæ, & in perpetuum exequendæ *feria confideratio in nobis gignit*. Hic autem timor, qui initio quidem folus, ex tali confideratione proficifcitur; fed mox novo Divini fpiritûs fuccedente lumine in intellectu, & novâ pariter motione excitante ampliùs voluntatem *incipit per timorem illum à vanitate peccandi, ad juftitiæ obfervantiam converfio*, quod *initium eft fapientiæ*. Et quidem, inquit Inftitutio, *à timore*, etiam *Auguftino tefte, pœnitentia concipitur adeò, ut qui finè timore eft, juxta dictum Sapientis juftificari non poffit*. Hic facilè confpicitur, uti & ex Concilii Tridentini feff. 6. cap. 6., & ex feff. 14. cap. 4. quomodo ductò à fer-

à servili formidine principio, gradus fiat salubrior ad initialem.

3 Sed nunc ad dissolvendam objectionis machinam propiùs accedamus: atque ecce, dum eam pacato animo cominus intuemur, deprehendimus, nihil esse eâ magis fragile, cujus totum robur in mutilatione est; si enim integra, ut à me refertur superiùs, proposita fuisset, evanuisset pariter, quidquid truncata perfidè lacinia exhibet damnato utcumque simile errori. Audiatur iterum INSTITUTIO: *Nemo tamen sic existimet, quasi timor ille servilis, quo propter sceleratè facta nostra, districtam Dei justitiam, & gravem iram metuimus, veram contritionem solus absolvat: cui* (Collator, rescissis omnibus, pro *cui* ponit *Timori servili*; quasi indè cœperit Institutionis sententia) *cui*, inquam, timori servili *per se ipsum solum adeò nihil in conversione peccatoris tribui debet, ut eum desperationi, quàm conversioni aptiorem esse judicari oporteat*. Agit hic Institutio contra Lutheranos, contra quos Moguntina Synodus celebrata recenter fuerat. Constituebant illi scilicet, vel eorum plurimi contritionem in solo timore suppliciorum absque dolore libero de peccatis, absque ullo eorum odio, ac detestatione, denique absque melioris vitæ proposito.

De hæreticis istis ita testatur Bellarminus lib. 2. de pœnitentia cap. 2. *Ut à prima quæstione principium faciamus, sciendum est, magnam partem Lutheranorum in ea sententia esse, ut contritio nihil sit aliud nisi terror quidam conceptus ex consideratione peccatorum, & suppliciis, quæ Divina lex peccatoribus comminatur . . . Lutherus in prima disputatione contra Antinomos Prop. 22. scribit, contritionem esse tactum, & sensum legis in conscientia. Et Prop. 30. scribit, esse afflictionem, ac passionem, quam conscientia pati cogitur, etiamsi nolit*.

Hæreticis illis nullus sanæ mentis theologus consentit; meritò tamen *Institutio* communiendos censuit catholicos, erroribus istis undique circumsessos, nè se inani adeò contritionis larvâ decipi finerent: à quo falaciæ periculo ut eos amoveret quàm longissimè, quidquid timori naturali, dum solus est, objici potuit maximè odiosum, collegit: quale est, quòd timor servilis per se ipsum solus adeò contritioni non sufficiat, ut peccatoris *desperationi, quàm conversioni aptiorem esse judicari oporteat*. Quod assertum de naturali quadam formidine intelligi necesse est; nam de supernaturali acceptum saperet blasphemiam in Spiritum Sanctum; ad timorem autem solummodo naturalem, & ejusdem ordinis pœnitentiam non restringitur Quesnelli enuntiatio; sed indefinita est de omni solius supplicii timore, & omni natâ indè pœnitentiâ.

Dum quis animo dispositus est ita, ut conceptâ Divini judicii, & æternorum cruciatuum vehementi formidine, in ea solà anxius, & tremens hæreat absque præteritorum criminum detestatione, absque ullo melioris vitæ proposito, absque ulla spe veniæ, indubiè non ab omni immunis est desperationis periculo. At quid istud ad damnatum articulum, in quo non solus supplicii timor est, sed etiam animata ab eo pœnitentia, dolorem de peccatis præteritis, eorum odium, ac detestationem, cum proposito non peccandi de cætero, tamquam veras pœnitentiæ partes, necessariò includens?

4 Neque adversariis favet, quod dicatur, *Timori servili per se ipsum solum, nihil in conversione peccatoris tribui debere*; quia solus pœnæ timor neque est vera peccatoris conversio, neque ulla pars ejus, vel contritionis; sed ad contritionem solummodo dispositio. Agnoscit tamen *Institutio*, ut mox videbimus, timorem servilem non quidem per se, & immediatè; sed per accidens, sive ratione actuum nobiliorum, ad quos disponit, conversionem, & justificationem perficere: quod Scholastici vocant causam esse, seu *principium ad extra*.

Discrimen itaque latissimum inter sententiam *Institutionis* est, & damnatam Quesnelli sexagesimam, quòd prior agat de timore suppliciorum, qui juxta hæreticos *veram contritionem solus absolveret*, proinde qui solus remanens, neque ad præteritorum odium peccatorum, neque ad futurorum fugam, seu firmum de fugiendis propositum excitaret. Posterior verò excitationem illam, & quidem validam, ac vehementem, sive, ut ipsius articuli voce utar, *violentam* adstruit *ad pœnitentiam*. De hac porrò vulgatissima fert catholicorum contra hæreticos definitio ex S. Gregorio, homilia 34. in Evangelia: *Pœnitentia est perpetrata mala plangere, & plangenda non perpetrare*, sive ut explicat Trid. sess. 14. *de pœnitentia* cap. 4. *Contritio, quæ primum locum inter dictos pœnitentiæ actus habet, est animi dolor ac detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero*. Ibid. *Declarat igitur S. Synodus, Contritionem non solùm cessationem à peccatis, & vitæ novæ propositum; sed etiam veteris odium continere*.

Moguntina itaque *Institutio* doceat quidlibet contra *timorem* servilem istiusmodi, qui quasi *veram contritionem solus absolveret*,

ret, non excitaret ad pœnitentiam, sive ad præteritorum criminum odium, & ab imminentibus aversionem, propositumque ea imposterum nullateuus admittendi: de tali, inquam, timore servili *Institutio* statuat, eum *per se ipsum solum, desperationi, quàm conversioni aptiorem esse*, nihil definitæ officit veritati. Non enim revera multum aliena apparet à desperatione talis dispositio peccatoris in sola formidine suppliciorum sistens, dum homo conscius, se damnationem absque pœnitentia evitare non posse, ab hac nihilominus distrahit animum, nolens propter futuros postea cruciatus carnalibus præsentis vitæ carere deliciis.

Denique, ut dixi, *Timor ille servilis veram contritionem* adeò *solus* non *absolvit*, neque eo solo ullus convertitur, ut etiam in vera conversione *nihil per se ipsum* solus *tribuere* sibi *possit*, utpote nè pars quidem minima contritionis, aut pœnitentiæ. Verùm quodcumque hic contra timorem servilem in sua solitudine consideratum, & præscindendo ab omni nobiliorum actuum, quos excitat, comitatu, *Institutor* enuntiet duriùs, forsitan ex odio tunc vigentis hæreseos, totam contritionem conscientiæ terroribus, & suppliciorum formidine absolventis; ipsum tamen, & articulo præsenti, & reliquis in hac materia damnatis clarissimè adversari, mecum fatebitur quisquis ea, quæ ex *Institutione* prolixiùs hic mox subjiciam, vel levi oculo percurrerit.

5 Unum solummodo priùs observo, quod Angelicus monet in librum tertium sententiarum dist. 34. quæst. 2. art. 2. quæstiuncula 2. *Timoris servilis actus potest esse, & bonus, & malus*: naturalis, & supernaturalis: potest malum pœnæ timere ut malum plusquàm cætera omnia fugiendum; & potest timere modo rectæ rationi consentaneo absque comparatione illa prorsus impiâ. Unde sicut animal non ex se, & prædicatis suis intrinsecis rationale est, sed à rationali præscindit, adeò ut ei accidat esse rationale; ita bonum, & supernaturale esse, ad veram pœnitentiam, conversionemque disponere, accidit timori servili. Istud ergo est quod cum *Institutione* dici poterit, timori servili secundùm se solum, nihil tribuendum esse necessariò, & essentialiter in conversione peccatoris.

Tum prosequitur: „ Per accidens tamen „ servilis Timor ad pœnitentiam, & con„ versionem peccatoris deservit. Siquidem „ ad justificationem hominis, quam per „ pœnitentiam inquirimus, propinquus „ gradus est à peccando desistere. Per hunc „ gradum paulatim subducit hominem ti„ mor, qui vitia reprimit, & improbas cu„ piditates metu futuræ pœnæ restinguit. „ Quod S. Basilius pulchrâ admodum tre„ mendi Judicii Dei præmonitione demon„ strat super psalm. 33. dicens. Quando „ fortè ad aliquod peccatum te videris pa„ ratum, illud horribile Christi judicium „ cogita, in quo judex in alto sedens tri„ bunali, circumfertos undique populos „ coram habebit, astabitque omnis creatu„ ra, ejus adventum gloriosum exhorrens, „ rationem gestorum redditura. Deinde „ qui mala in vitâ admiserunt, tristes, & ti„ midi apparebunt, vicinum aspicientes „ ignem, sævas flammas respirantem: dein„ de barathrum, & tenebras inaccessas. Et „ post multa: postremò omnium durissimam „ pœnam, probrum illud, & verecundiam „ sempiternam. Hæc tu timebis; hoc de„ mum timore institutus, quodam quasi „ fræno tuam cohibebis à pravis concupi„ scentiis animam. Non dissimili judicii ex„ tremi apparatu D. Augustinus ad peccati „ horrorem, & detestationem nos inducere „ tentat de pœnit. med. cap. 2. Ascendat (in„ quit) homo adversùs se tribunal mentis „ suæ; si timet illud, quòd oportet nos „ exhiberi ante tribunal Christi, ut illic re„ cipiat unusquisque, quod per corpus ges„ sit, sive bonum, sive malum. Atque ita „ constituto in corde judicio, adsit accusa„ trix cogitatio, testis conscientia, carnifex „ timor. Indè quidem sanguis omnis confi„ tentis per lachrymas profluat. Ex his ap„ paret, timorem servilem, qui ex peccato„ rum consideratione concipitur, pœniten„ tiæ, & contritionis excitandæ utilem mi„ nistrum esse; in consideratione verò pec„ cati, homo Dei præcepta in consilium „ adhibeat, ut sciat, omnia ista in peccato „ deputare, à quibus eum per legis præce„ pta Deus arcet. Nec minùs circa animi, „ quàm corporis delicta, Dei iram exhor„ rescat. Cùm enim ex corpore, & animâ „ homo constet, quorum illud Deus manu „ sua condidit ex limo; hanc afflatu suo in„ spiravit: ideoque utraque res Dei est, „ quæ ambæ unum hominem faciunt; quod„ cumque eorum deliqnerit, sciat, ex æquo „ Deum offendi. Tuum est peccatum, sive „ corpus tuum, sive anima tua peccaverit: „ utriusque peccato Deus æquè offenditur, „ qui utrumque fecit: & utriusque delictum „ pari pœnâ diluendum est, sive pro eo tu „ tibi ultro pœnam irrogaveris, ut Deus „ parcat; sive tibi indulgendo Deum in ul„ tionem tui excitaveris.

„ Interim autem, dum servilis timor in„ter examen gravissimorum peccatorum„ miseram hominis conscientiam pavore „ æterni ignis flagellat, mens mœrorem „ concipit,& peccata sua, quæ ei tanti mœ„roris causa sunt, incipit detestari, & iam „ procul dubio incipit tanti mali remedia „ circumspicere, &, cùm quisque naturâ „ perditionem sui abominetur, incipit ex „ his malis liberari velle, & auxilium desi„derare.

„ His jam succedat vivida illa fides, „ quæ mentem peccatoris in Dei miseri„cordiam dirigat, & quæ ex multiplicibus „ Dei promissionibus anxiæ peccatoris „ conscientiæ persuadeat, Deum nequa„quam mortem peccatoris velle; sed ut „ convertatur & vivat..... De Dei boni„tate miserum, & stultum est desperare; „ nam ob hanc causam tibi vitam istam huc „ usque protraxit Deus, ut suâ patientiâ te „ expectaret ad veniam, qui nisi misereri,& „ sanare vellet, hanc vitam tibi tunc, cùm „ eum offenderes, statim abrupisset.

Dein, interpositis paucis de timore, quem distinctionis causâ vocamus serviliter servilem, sic concludit. „ Vides ergo quæ „ sint timoris servilis in excitanda contri„tione partes: quomodo à timore vera „ contritio ritè sumat initium. Ex eo enim, „ quòd quis mala sua timet, incipit ea cor„rigere, & meliora desiderare: Et, cùm „ aliunde salus non appareat, necessitate „ compulsus incipit ad Deum pro delicto„rum suorum remissione clamare:& sic ser„vilis timor post peccati detestationem per „ Dei misericordiam introducit in cor ho„minis charitatem: & sic timor jam non „ ampliùs manet; sed recedit, adveniente „ charitate, non aliter quàm seta linum in„ducit in corium, & ipsa, ut linum introire „ possit, necessariò exit: & sic quidem ser„vilis timor ex peccatorum recordatione „ exoriens, peccata nequaquam sanat; sed „ magìs exasperat, & acutiùs dolere facit; „ sanitatis tamen per misericordiam Dei „ quærendæ,& per charitatem perficiendæ „ ipse initium præstat; quemadmodum fer„rum medici, dum putrem carnem de vul„nere exsecat, vulnus non sanat; sed am„plius facit, & cruciatum auget; interim „ tamen medicaminibus locum aperit, ut „ per ea sanitas vulneris reparetur, & do„lor omnis sedetur.

„ Hunc contritionis excitandæ, & con„cipiendæ modum ubique Sanctorum Pa„trum sententiæ monstrant, & Scripturæ „ Sacræ testimonia manifestè probant. „ Tum sequitur longa Patrum, & Scripturarum series pro ostendenda timoris utilitate. Ab his conversa Institutio ad verbi Dei Præcones ait: „ Iisdem ergo vestigiis Concio„natores sibi quoque noverint insisten„dum, ut severis comminationibus è Scri„ptura desumptis à peccando homines ar„ceant; æterni ignis supplicia transgresso„ribus ob oculos ponentes; justis verò „ æternæ vitæ præmia pollicentes, ut sic „ eos, cùm sibi ipsis propter peccatorum „ suorum agnitam fœditatem viluerint,pau„latim per timorem Dei ad misericordiæ „ ejus fiduciam subducant.

„ Hunc veræ contritionis modum con„cordes orthodoxorum Patrum sententiæ, „ Sacræ Scripturæ authoritate subnixæ „ præcipuum tradunt. Interim tamen, inquit Institutor, negandum non est, alios subinde aliter à Deo ad contritionem disponi; quosdam monitis, & exemplis justorum, quosdam tribulationibus, aliquos Divinæ bonitatis, & erga nos beneficentiæ contemplatione; qui modus superioribus indubiè optabilior est, atque perfectior; sed (ut meritò Institutor observat) „ illum „ alium contritionis modum, qui ex timore „ est,magis communem facit nostra perver„sitas, qui vix aliter, quàm malis emen„damur.

6 Sequitur apud authorem digressio brevis de gratia, quo judice si stare adversarius voluerit, ut nos jubet subscribere relatæ à se laciniæ de timore, facilè perspiciet subrutum totum novæ Ecclesiæ de gratiæ auxiliis, & voluntate Dei circa salutem hominum systema. Etiam hìc Institutio audiatur.

„ Firmissimè autem tenendum est, beni„gnum, & liberalem Deum nulli homini, „ quantumvis malo, & perverso, gratiam „ suam subtrahere, qui juxta Joannis testi„monium, stat ad singulorum ostia, & pul„sat adeò, ut etiam aversos à se ultro se„quatur, & ad gratiam suscipiendam „ amanter invitet. Si dimiserit vir uxorem „ suam, inquit Propheta Jeremias, & illa „ recedens duxerit virum alium, numquid „ revertetur ad eum ultra? Numquid non „ polluta, & contaminata erit mulier illa? „ Tu verò fornicata es cum amatoribus „ multis; tamen ad me revertere, dicit Do„minus: Et in Ezechiele cap.18., & 33. „ Quare, inquit, moriemini? numquid meæ „ voluntatis est mors impii, & non magìs, „ ut convertatur, & vivat? Revertimini, & „ vivite.

„ Ubi duo nobis consideranda veniunt, „ unum,

„ unum, fi quid in converfione noftum eft, „ id folum eft, quod oblatam Dei gratiam „ non repellimus; fed vocanti Domino „ præbemus affenfum: qui affenfus nofter „ cum admodum fit imbecillis, nequaquam „ converfionem meretur; fed admittit folùm, & fufcipit. Itaque hoc neceffariò relinquitur, ut totam converfionem noftram iu Deum teferamus, gratias agentes illi, qui in nobis, & velle operatur, & „ perficere. Alterum eft, ut cogitemus, „ quàm impndenter fcelerati, & impii homines malitiam fuam in Deum velut auctorem rejicientes, quòd converti non „ poffint, infirmitatem fuam excufent; cùm „ utique nemo infitmitatem fuam rectè „ prætenderit, eui ubique præfens adeft „ Dei gratuitum auxilium.

„ Poft hæc omnia jam non eft difficile, „ quæ ad plenam, & vetam cordis contritionem requirantur, difpicere. Principio „ enim invalida, & noxia eft contritio, quæ „ in folo timore fubfiftit: quæ ut vera reddatur, eo ufque progredi debet, donec „ jam fide, fpe, & charitate fulciatur, ut „ jam non tam doleat peccator, quod pœnam meruit, quàm, quòd Deum offendit: „ nec folùm ex peccatorum fuorum confcientia timorem colligat; fed ex bonitate Dei, & mifericordia fiduciam capiat. „ Non enim rectè agitur pœnitentia, nifi „ etiam indulgentia fperetur; Placent enim „ Domino timentes eum, & qui fperant fu„ per mifericordia ejus.

7 Hactenus Moguntina *Inftitutio*, quæ non nifi collectis ex ea fructibus à nobis dimittenda eft. In ptimis, ut tedeamus ad præfentis Controverfiæ caput, ex relatis profilit ultro difcrimen confpicuum inter damnatam Quefnelli fententiam, & objectam *Inftit utoris*. Quefnellus enim omnem prorfus pœnitentiam folo timore fupplicii animatam rejicit, veluti in defperationis barathrum deducentem, & quidem eò magis, quò acrior,feu vehementior fuerit pœnitentia. Certum autem eft, inter pœnitentis actus ptimum locum tenere, ut cum Tridentino Concilio feff. 14. eap. 4. inrelligunt omnes Catholici, *dolorem, ac deteftationem de peccato commiffo, cum propofito non peccandi de cætero*, qui *contritionis*, atque adeò *pœnitentia motus fuit quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum neceffarius*. Prætereo fatisfactionem, quæ pœnitentiæ quoque pats eft, & generali etiam pœnitentiæ nomine intelligitur. De univerfis itaque, qui pœnitentiæ nomine comptehenduntur, actibus Quefnellus enuntiat, quòd, *fi folus* ad eos *fupplicii timor* permoverit, five ut ipfe loquitur, hominem *ad pœnitentiam animet, quò hac eft magis violenta, eò magis ducat ad defperationem*. Inftitutio autem Moguntina nullo modo loquitur de ipfa pœnitentia; fed de *timore* fetvili confiderato fecundum fe folummodo, & abfque ullo, ad quem excitate deberet, pœnitentiæ actn. *Nemo*, inquit, *fe exiftimet* (ut exiftimabant Lutherani plures) *quafi timor ille fervilis, quo propter fceleratè facta noftra, diftrictam Dei juftitiam, & gravem iram metuimus, veram contritionem folus abfolvat; cui per fe ipfum folum adeò nihil in converfione peccatoris tribui debet, ut eum defperationi, quàm converfioni aptiorem effe judicari oporteat*. Ubi perfpieuum eft, aptitudinem illam ad defperationem non tribui pœnitentiæ, animante folâ fupplicii formidine, conceptæ; fed timori foli fecundùm fe: quæ conftat apertiffimo ab invicem divelli difcrimine; nam, ut fupra vidimus ex S. Thoma, *Timoris fervilis actus poteft effe & bonus, & malus*, non quidem fimul; fed divifim; at pœnitentia, ut apud Theologos communiter accipitur, involvit dolorem de peccatis, eorum odium, ac deteftationem eum ptopofito non peccandi de cætero: quæ, etfi folo timote animata, pœnitentia indubiè utilis, & honefta eft, atque à defperationis flagitio aliena.

Præterea de *attritione, quæ gehenna, & pœnarum metu concipitur finè dilectione benevolentiæ Dei propter fe*, nemo Catholicus generatim, vel indefinitè afferet, *non effe bonum motum, ac fupernaturalem*, quæ eft Prop. 15.ab Alexandro VIII. damnata anathemate inter 31. Etfi igitur timor aliquis fervilis concurrere poffet ad defperarionem; nefas tamen foret, hanc maculam afpergere omni attritioni, feu pœnitentiæ ex folo timore fupplicii oriundæ, ut timori afpergit hìc finè limitatione Quefnellns: *Si folus fupplicii timor animat pœnitentiam, quò hac eft magis violenta, eò magis ducit ad defperationem*.

Dixi, *timor aliquis fervilis*, videlicet folis naturæ viribus elicitus; nam ei, qui à Spiritu Sancto eft, non exiftimo *Inftitutorem* attribuere volniffe effectum adeò petverfum; fiquidem atbor bona, & fupernaturalis gratiæ plantata beneficio, minimè comparata eft ad ptoducendum fructum adeò peftiferum, & prorfus nefarium, ut eft defperatio. Contra timorem, & pœnitentiam loquitur, quæ nè quidem *fide fulciatur*. Rurfus igitur ptonuntiatum de fetvili aliqua formidine naturali, immeritò ab adverfariis extenditur ad omnem folius fupplicii timorem, & ad omnem ex eo folo natam pœnitentiam.

8 Non

8 Non ita Augustinus libro de catechizandis rudibus cap. 5. *Ipsa etiam severitate, qua corda mortalium saluberrimo terrore quatiuntur, charitas ædificanda est*. Respondere nequeunt adversarii, non negare se, timorem esse utilem, modò alia eum comitetur ratio honestior; nam quænam, amabo, ea ratio erit, nisi charitas, sinè qua penès ipsos omnia peccata sunt? Supponitur autem timor præcedere charitatem, utpote per quam ipsa ædificanda est.

Augustinus de verbis Apostoli serm. 13. *Timor servus est; charitas libera est, & , ut sic dicam, timor est servus charitatis. Nè possideat Diabolus cor tuum, præcedat servus in corde tuo, & servet Dominæ venturæ locum. Fac vel timore pœnæ; si nondum potes amore justitiæ*: ubi timor pœnæ solus est, nisi comites ei adversarius junxerit turpes cupiditatis actus; alii enim, Quesnello judice, non dantur ante *amorem Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur*: Prop. 44. & pluribus ibi sequentibus. Quomodo autem timor præcedere jubetur in cor, nè illud possideatur à Diabolo, siquidem hominem pertrahat in desperationem, qua Diabolo possessio ultro traditur plenissima? Juxta adversarios dicere Augustinus debuit, si nondum potes bonum facere, malum fugere, commissum detestari amore justitiæ, cave bonum facias, malum fugias, aut commissum oderis timore pœnæ, nè præter concupiscentiæ peccatum, committas longè gravius desperationis, ad quam omnis supplicii timor, quoties à charitate segregatur, in nova Ecclesia semitam parat.

Augustinus verò in Psalmum 127. ad illud *ubi vermis eorum non moritur, & ignis eorum non extinguetur*, ait: *Audiunt hæc homines, &, quia verè futura sunt impiis, timent, & continent se à peccato: habent timorem, & per timorem continent se à peccato: timent quidem; sed non amant justitiam; cùm autem per timorem continent se à peccato, fit consuetudo justitiæ, & incipit, quod durum erat, amari, & dulcescit Deus.* Quesnellus diceret, si nondum amant justitiam, adeò per timorem non continent se à peccato, ut peccent singulis actibus, ac proinde fit injustitiæ consuetudo: denique adeò non incipit amari, quod erat durum, nec dulcescit Deus, ut, quò quis timet ampliùs, semper alienior fiat ab amore justitiæ, & tantò duriora appareant præcepta, tantò Deus asperior, atque ita homo tantò propinquior desperationi.

Contra Quesnellum S. Thomas parte 3. quæst. 85. art. 5. ad 3. *Patet* (inquit) *quòd actus pœnitentiæ à timore servili procedit, sicut à primo motu ad hoc ordinato*. Angelico consentit Seraphicus in opusculo de gratia sanctificante lib. 5. cap. 4. *Timor servilis donum Spiritus Sancti est... Timor servilis Spiritui Sancto locum præparat, ut eum sicut seta filum introducat.... Timor servilis duo facit: primum est, quòd viam præparat charitati: secundum, quòd retrahat à peccato metu pœnæ tantùm.* Ubique timor supplicii, etiam solus, à Spiritu Sancto est, peccatorem præparat, instigat ad pœnitentiam, & conversionem, nullâ apparente uspiam desperationis umbrâ.

Ipse Moguntinus *Institutor*, consonans Ecclesiæ sensui, *Multi*, inquit, *sunt excitandæ, & concipiendæ veræ contritionis modi, inter quos præcipuus est is, qui provenit ex timore, quem peccatorum recordatio, & districti judicii Dei seria consideratio in nobis gignit; per quam à vanitate peccandi ad justitiæ observantiam incipit conversio, juxta illud, initium sapientiæ timor Domini*, veluti districti judicis, & vindicis malorum. Ab hoc timore, etiam solo, juxta *Institutorem* ducitur conversionis, & sapientiæ initium. Quesnellus vocaret initium insipientiæ, & *desperationis*.

Cum istâ *Institutoris* sententiâ non component adversarii articulum suum 61. *Timor non nisi manum cohibet, cor autem tamdiu peccato addicitur, quamdiu ab amore justitiæ non ducitur*: Neque 62. *Qui à malo non abstinet, nisi timore pœnæ, illud committit in corde suo; & jam est reus coram Deo*. Si enim per timorem illum *à vanitate peccandi ad justitiæ observantiam, incipit conversio*, sic igitur timendo non se inquinat animus novâ peccati maculâ, neque magis addicitur iniquitati, reusque statuitur coram Deo.

9 Timorem servilem in conceptu suo generico abstrahere à servili simpliciter, & serviliter servili; proinde à bono, honesto, utili, supernaturali, & à naturali, illicito, pernicioso, nullus sanæ doctrinæ Theologus vocabit in dubium... Et quidem ad naturalem quod attinet, facilè concessero, eum sæpe, & fortè communiùs socium habere servilitatis vitium, quo quis desideret opus vetitum committere; si pœnæ arceretur periculum.

Istud itaque sit quasi timori servili proptium, si solas naturæ vires attenderis. De hoc timore enuntiat *Institutor*, dum ait: *Nec à malo recessisse putandus est, qui timore prohibitus malum perpetrare abstinet; nam qui metu pœnæ non peccat, adbuc eo ipso peccat, quod*

quòd peccare vellet, si impunè posset, & innocentiam coram Deo, vel ex eo amittit, quod desiderio peccat. Audies mox oppositam huic vitio laudem, quam idem author tribuit alteri timori servili; sed indubiè supernaturali. Quia autem, ut diximus, timor servilis secundùm se, sive secundùm prædicata sua essentialia, non exigit supernaturalem esse, hæc ei perfectio advenit ex Divina gratia: quâ ratione timori servili supernaturalitas dicitur accidere. Hoc sensu *Institutor* prosequitur: *Per accidens tamen servilis timor ad pœnitentiam; & conversionem peccatoris plurimùm deservit, siquidem ad justificationem hominis, quam per pœnitentiam inquirimus, propinquus gradus est à peccando desistere. Per hunc gradum paulatim subducit hominem timor, qui vitia reprimit, & improbas cupiditates metu futuræ pœnæ restinguit*. Aliquis igitur pœnarum solummodo, & servilis timor adeò non ducit ad desperationem, aut ad alterius generis peccatum, ut *ad conversionem peccatoris plurimùm deserviat, vitia reprimat*, non solius corporis, sed etiam animi, *& improbas cupiditates metu futuræ pœnæ restinguat*.... *postremò omnium durissimam pœnam probrum illud, & verecundiam sempiternam tu timebis: hoc demum timore institutus quodam quasi fræno tuam cohibebis à pravis concupiscentiis animam*; non sola corporis membra ab externo opere. Quodnam hic vestigium desperationis, tenente servili metu tramitem desperationi prorsus oppositum, & ab ea homines abducente quàm longissimè?

10 Pergant nobiscum adversarii, quoniam ad institutorem nos provocant, eum audire attentiùs, ejusque credere documentis. *Ex his*, ait, *apparet, timorem servilem, qui ex peccatorum consideratione concipitur, pœnitentiæ, & contritionis excitandæ utilem ministrum esse*. Non igitur, quò major fuerit ex timore illo concepta, sive, ut Quesnellus loquitur, *animata pœnitentia*, eò magis ducit ad desperationem.

Interim autem (addit postea Institutor) *dum servilis timor inter examen gravissimorum peccatorum miseram hominis conscientiam pavore æterni ignis flagellat, mens mœrorem concipit, & peccata sua, ut quæ ei tanti mœroris causa sunt, incipit detestari; etiam procul dubio incipit tanti mali remedia circumspicere, & cùm quisque naturâ perditionem sui abominetur, incipit ex his malis liberari velle, & auxilium desiderare*. Dum pavore æterni ignis misera hominis conscientia flagellatur, dum animus indè mœrorem concipit, *& peccata sua, ut quæ ei tanti mœroris causa sunt, incipit detestari*, odium, ac detestatio, ut patet, afficit non sola manuum, aut sola corporis delicta; sed mentis quoque, & potissimùm, utpote quæ propriè iniquitatum omnium sedes est. Si *procul dubio jam incipit* homo *tanti mali*, videlicet *ignis æterni*, tantis debiti peccatis, *remedia circumspicere*, non posset, nisi furore stultissimo, desperationem eligere: *cùm enim quisque naturâ perditionem sui abominetur, incipit ex his malis liberari velle, & auxilium desiderare*. Rursus igitur non desperationem amplectitur; sed desiderat salutiferum gratiæ subsidium.

His jam (iterum apud Institutorem) *succedat vivida illa fides, quæ mentem peccatoris in Dei misericordiam dirigat, & quæ ex multiplicibus Dei promissionibus anxiæ peccatoris conscientiæ persuadeat, Deum nequaquam mortem peccatoris velle; sed ut convertatur, & vivat*. Quomodo timor servilis censeri ab Institutore potuisset idonea ad spem dispositio, si eum Quesnello judicasset, omnem solius supplicii metum, & omnem ab eo solo animatam pœnitentiam ducere ad desperationem? Quænam autem potest esse *vivida* illa *fides*, quæ mentem peccatoris cujuslibet in Dei misericordiam dirigere valeat, & quæ ex multiplicibus Dei promissionibus anxiæ peccatoris conscientiæ persuadere, Deum nequaquam velle mortem peccatoris; sed ut convertatur, & vivat; si, juxta fidem novæ Ecclesiæ, in tam multis Quesnelli Propositionibus, Deus salvos fieri velit solos eos, qui ad salutem perveniunt? Si nulli cæterorum impertiat, vel offerat in statu naturæ lapsæ auxilium sufficiens, quo beatitudinem consequi possit, aut effugere damnationem?

Prop. 12. „ Quando Deus vult salvare „ animam, quocumque tempore, quocumque loco, effectus indubitabilis sequitur „ voluntatem Dei. „

Prop. 13. „ Quando Deus vult animam „ salvam facere, & eam tangit interioris „ gratiæ suæ manu, nulla voluntas huma„ na ei resistit. „

Prop. 30. „ Omnes, quos Deus vult „ salvare per Christum, salvantur infallibi„ liter. 31. Desideria Christi semper ha„ bent suum effectum: pacem intimo cor„ dium infert, quando eis illam optat. „

Prop. 32. „ Jesus Christus se morti tradi„ dit ad liberandum pro semper suo sangui„ ne primogenitos de manu Angeli exter„ minatoris; „ Eos, inquam, solos, juxta Quesnelli sententiam tot articulis superioribus expressam: quibus, & junge 33. „ Proh!

„ Proh! quantum oportet bonis terrenis, „ & sibimet ipsi renuntiasse, ad hoc, ut quis „ fiduciam habeat, sibi, ut ita dicam, ap- „ propriandi Christum Jesum, ejus amo- „ rem, mortem, & mysteria, ut facit San- „ ctus Paulus dicens: Qui dilexit me, & „ tradidit semetipsum pro me. „

Imò totum novæ Ecclesiæ de gratia systema ducit clarissimè, & viâ sectatoribus indeclinabili ad eamdem de Deo, & Christo hæreticam impietatem. Prop. 1. „ Quid „ aliud remanet animæ, quæ Deum, atque „ ipsius gratiam amisit, nisi peccatum, & „ peccati consecutiones, superba pauper- „ tas, & segnis indigentia; hoc est, genera- „ lis impotentia ad laborem, ad oratio- „ nem, & ad omne opus bonum? „ Deum, & ejus gratiam omnes amisimus in Adamo. Antequam igitur eam Christi gratiâ recuperavimus, nihil in nobis esse potuit, nisi *peccatum, & generalis impotentia ad omne opus bonum*. Quisquis verò eam sacro Baptismate acquisitam, delinquendo perdidit, recidit in *generalem impotentiam ad omne opus bonum*, atque ad justificationem, quæ sinè bono opere, & conveniente pœnitentiâ adulto nemini obtingit. Pœnitentia autem salutaris non peragitur, aut peragi potest absque gratiæ auxilio, uti neque acquiri salus.

11. Sed quid agas, si defuerit auxilium efficax? Sufficiens enim in hoc statu non conceditur juxta Quesnellum. Exploratissimum itaque est, nulli pœnitentiam, nulli actionem quamcumque salutiferam, nulli beatitudinem esse possibilem, nisi qui eandem re ipsa consequitur. Conclusio perspicua sequitur ex antecedente, quod est doctrina Quesnelli de gratia, Propositionibus tam multis, & tam dilucidis enuntiata, ut voluntariè cæcum esse oporteat, qui non intelligit. Sola rem conficit Prop. 10. *Gratia est operatio manûs omnipotentis Dei, quam nihil impedire potest, aut retardare*. Propos. 11. *Gratia non est aliud, quàm voluntas omnipotentis Dei, jubentis, & facientis quod jubet*. Per undecimam, omnis gratia, omnem suum obtinet effectum: per decimam, eum tam certò consequitur, & necessariò, *ut nihil impedire possit, aut retardare*: Cùmque Propositio utraque contineat dogmaticam gratiæ definitionem, quam necesse sit definitis omnibus convenire, nemo potest revocare in dubium, quin omnis gratia semper omni potiatur effectu, ad quem idonea est, & sufficiens. Eundem sensum continent Propositiones post primam usque ad vigesimam sextam. Circa quas, si quid lucis desideras, copiosissimè reperies tomo primo. Progrediendum hic nobis est cum *Institutore* Moguntino circa articulum 60.

12. „ Si timor conscientiam tuam de- „ speratione exagitare contendat, quæri- „ tans: Tu canis horribilis oculis Dei, to- „ ties revelsus ad vomitum, quò te vertes? „ Respondeat tibi fides tua: quò te vertes, „ nisi ad misericordiam ejus pœnitendo, „ cujus potestatem offendisti peccando? De „ Dei bonitate miserum, & stultum est de- „ sperare. Nam ob hanc causam tibi vitam „ istam hucusque protraxit Deus, ut suâ „ patientiâ te expectaret ad veniam, qui, „ nisi misereri, & sanare vellet, hanc vitam „ tibi tunc, cùm eum offenderes, statim „ abrupisset. „ Non dicitur, ut in damnato articulo est, de *animatâ solo supplicii timore pœnitentiâ*, & quidem de omni, ut Propositio illimitata est universali æquivalens; sed *Institutio* differit de solo *timore*, eoque naturali tantummodo; supernaturalem enim non posse suggerere desperationem, compertum est omnibus prima theologiæ rudimenta callentibus: Non posse etiam *Institutionem* intelligi de omni solius supplicii formidine, quæ indubiè servilis est, ut omnis servilis solo movetur supplicio, seu pœnâ, quam fugere intendit: non posse, inquam, *Institutionem* de omni istiusmodi formidine explicari, patet ex eo, quòd constet ex SS. Thoma, Bonaventura, Salesio, definitione Apostolicâ Alexandri VIII., Concilio Tridentino, traditione Patrum, atque ex ipsis Scripturarum oraculis, timorem aliquem servilem esse à Spiritu Sancto, quod ipsa, cui eredere hic jubemur, *Institutio* ostendit; *Timorem* scilicet *servilem, qui ex peccatorum consideratione concipitur, pœnitentiæ, & contritionis excitandæ utilem ministrum esse*. Sola autem admissa ab omnibus timoris servilis notio metum, ut jam indicavi, solius pœnæ significat; nam si alia ratio accesserit honestior, indolem ejus mutat, & nobiliorem tribuit appellationem. Neque motivum quodcumque superadditum timori, si charitatem exceperis, aliud juxta Quesnellum efficeret, quàm augere numerum delictorum. Aliquis igitur in ipsius *Institutionis* sententia *timor servilis* est ex gratiâ, qui nempe pœnitentiæ, & contritionis excitandæ utilis minister est; quod solus Pelagio consentiens adscribet actui solis elicito naturæ viribus.

Rursus necessariò alius, ac minimè supernaturalis est, qui tum hic *conscientiam desperatione exagitare contendit*, tum superiùs *desperationi, quàm conversioni aptior judicata-*

dicatur, quod vitium nefas est, gratiæ ejusque effectui, non nisi sancto impingere. Si autem necesse sit, etiam penès *Institutorem*, distinguere inter timores serviles, quorum naturales alii sunt, & pravis effectibus obnoxii; alii naturæ viribus superiores, & ab omni pravorum fructuum suspicione remotissimi, sola adversariorum perversitas, aut turpis ignorantia potest timores serviles inter se confundere, & quidquid vitii est in metu serviliter servili, qui indubiè naturalis est, in omnem solius supplicii metum, quantumvis utilem attritioni,& salutari pœnitentiæ dispositionem conjicere.

Meritò *Institutor* ait: *De Dei bonitate miserum, & stultum est desperare*. Verùm si adversariis credimus, hanc nobis miseriam, & stultitiam non solùm Doctores Sanctissimi Angelicus, & Seraphicus, & cum iis Theologi communissimè; sed Moguntina etiam *Institutio* commendant: nam & in Angelico, ut superiùs retuli, legimus parte 3. qu. 85. art.5. „ Alio modo possumus loqui de pœnitentia quantum ad actus, quibus Deo operanti in pœnitentia cooperamur, quorum.... tertius est motus timoris servilis, quo quis timore suppliciorum à peccatis retrahitur... sic igitur patet, quòd actus pœnitentiæ à timore servili procedit, sicut à primo motu affectûs ad hoc ordinato. „

Angelico addidi Seraphicum dicentem: „ Timor servilis donum Spiritus Sancti est... Timor servilis Spiritui Sancto locum præparat, ut eum sicut seta filum introducat.... Timor servilis duo facit: primum est, quòd viam præparat charitati; secundum, quòd retrahat à peccato, metu pœnæ tantùm.

In Moguntina quoque *Institutione* jam vidimus *timorem servilem pœnitentiæ, & contritioni excitandæ utilem ministrum*. At per adversarios Prop. 67. *Timor servilis non sibi repræsentat Deum, nisi, ut Dominum durum, imperiosum, injustum, intractabilem*. Dum itaque SS.Thomas,Bonaventura,& cum universo Theologorum sana docentium choro, Moguntinus Institutor, nobis velut utilem prædicant timorem servilem, quam de Deo ingerunt peccatoribus in Quesnelli sententia cogitationem? Non aliam, quàm esse *Dominum durum, imperiosum, injustum, intractabilem*. Quod ubi peccatores novo Apostolo afferenti crediderint, quid clementiæ, quid gratiæ à tali Deo, ac Domino expectent, aut sperent? Nihil itaque, tali posito novæ Ecclesiæ axiomate, superest, nisi, ut peccatores, servili conceptâ formidine, in eam impellantur, ut *Institutio* meritò vocat, *miseriam, & stultitiam*, quâ *de Dei bonitate desperent*.

Non minùs à novis Quesnelli dogmatibus abhorret ea *Institutionis* illimitata ad peccatores, nemine excepto, directa consolatio, quæ & non levis ratio cuilibet sperandi est: „ Nam ob hanc causam, tibi vitam istam huc usque protraxit Deus, ut suâ patientiâ te expectaret ad veniam, qui, nisi misereri, & sanare vellet, hanc vitam tibi tunc, cùm eum offenderes, statim abrupisset. „ Tota oratio plena foret dolo, atque mendacio in Quesnelli systemate, omnem eliminante gratiam sufficientem. Quomodo enim Deus potest seriò expectare peccatores illos ad pœnitentiam, justitiam, & salutem, quos privare perpetuò statuit omni supernaturali, & sufficienti, quo resipiscere valeant, auxilio? Tali destituuntur omnes, quibus numquam obtinget pœnitentia justificans. Nam Prop. 28. *Prima gratia, quam Deus concedit peccatori, est peccatorum remissio*.

13 Institutionem de proposita hic quæstione resumamus: „ Vides ergo, quæ sint servilis timoris in excitanda contritione partes, quomodo à timore vera contritio ritè sumat initium. Ex eo enim, quo quis mala sua timet, incipit ea corrigere, & meliora desiderare: Et cùm aliunde salus non appareat, necessitate compulsus incipit ad Deum pro delictorum suorum remissione clamare: & sic servilis timor post peccati detestationem per Dei misericordiam introducit in cor hominis charitatem: & ipse timor jam non ampliùs manet; sed recedit, adveniente charitate: non aliter, quàm seta linum inducit in corium, & ipsa, ut linum introire possit, necessariò exit. Et sic quidem servilis timor ex peccatorum recordatione exoriens, peccata nequaquam sanat; sed magìs exasperat, & acerbiùs dolere facit; sanitatis tamen per misericordiam Dei quærendæ, & per charitatem perficiendæ ipse initium præstat; quemadmodum ferrum medici, dum putrem carnem exsecat, vulnus non sanat; sed amplius facit, & cruciatum auget; interim tamen medicaminibus locum aperit, ut per ea sanitas vulneris reparetur, & dolor omnis sedetur.

Edicat hìc nobis adversarius, quoniam adeò ipsi placet Moguntina *Institutio*, quid de timore servili sæpius hìc recurrente censeat? Sitne *passionibus* annumerandus *brutalibus*, cum quibus *appropinquare Deo non* debe-

debemus, nec possumus juxta Proposit. 66. An sibi *non repræsentet Deum, nisi ut Dominum durum, imperiosum, injustum, intractabilem*, prout enuntiat Prop. 67. ? Si ita est, non apparet, quæ possint esse *timoris servilis in excitanda contritione partes*: quando ab illa *vera contritio rite sumere initium*; quomodo ex eo *mala sua corrigere, & meliora desiderare*; quomodo ad Deum *pro delictorum suorum remissione clamare*; quomodo denique *servilis timor* possit *peccatum detestari, & post* ejus *detestationem, per Dei misericordiam introducere in cor hominis charitatem*? Patet enim, timorem istiusmodi, prout ab adversario describitur, non posse esse dispositionem congruam detestandis salubriter peccatis, concipiendæ spei, recursui, & clamori ad Dei misericordiam, minùs etiam introducendæ in cor hominis charitati.

Necesse est itaque ut, si adversarius, quem sibi patronum vindicat, *Institutorem* à contradictione liberari velit, duo statuat timoris servilis genera: naturale unum, quod passim à Scholasticis dicitur serviliter servile, inhonestum, damnabile, atque ab Augustino, Gregorio, & Institutore comparatur *adulteræ, quæ sic virum timet, ut odio eum habeat; quia cupiditatibus ipsius obsistit; alioquin in alienos amplexus promptissima veniret; nisi iram viri timeret, & verbera*: alterum, quod juxta Aquinatem, Bonaventuram, Salesium, & reliquos sanæ doctrinæ Theologos, Patres, atque Scripturas, est à Spiritu Sancto, ad fugam criminum, spem veniæ, veram pœnitentiam, charitatemque disponens: quod proinde meritò appellatur *Initium sapientiæ*, & sanctificationis extrinsecum.

Eidem, non autem priori, conveoit totum, quod hic *Institutio* colligit: *Vides, quæ sint servilis timoris in excitanda contritione partes: quomodo à timore vera contritio rite sumat initium*: quomodo *mala sua timens incipiat ea corrigere, & meliora desiderare*: quomodo, *cùm aliunde salus non appareat, necessitate compulsus, incipiat ad Deum pro delictorum suorum remissione clamare; & sic servilis timor post peccati detestationem per Dei misericordiam introducat in cor hominis charitatem*.

Excitatio ad desperationem impingatur servili metui naturali, dicto serviliter servili; assertio nemini videbitur digna anathemate: neque Quesnelli articulum ullus Christi Vicarius denuntiasset; si eum author limitatione debitâ expressisset, qualis foret: *Datur aliquis supplicii timor, qui, si solus animat pœnitentiam naturalem, quo hæc est magis violenta, eò magis ducet ad desperationem*. At novatoribus propositum, fixumque fuit, omnem ex theologia, atque animis hominum eliminare formidinem, saltèm nisi filiis propriam, quam imperaverit charitas. Neque felicior sors est actibus fidei, spei, & omnium virtutum moralium, qui, quoties à charitate non profluxerint, inter vitia rejiciuntur. Verùm formidinem illam adulteram, & mulieri adulteræ familiarem, inductricem impœnitentiæ, & desperationis, confundere cum ea, quæ à Spiritu Sancto est elicita auxilio gratiæ, imò quæ & ipsa singularis gratia est, peccatoribus à Patre Clementissimo ad salutarem resipiscentiam concessa, non video quomodo ab impietate excusaveris.

Si probè novi adversariorum ingenium, hæreticâ obfirmati pertinaciâ nullum solius supplicii timorem, qui servilis dicitur, patiuntur tribui Spiritui Sancto, & ultra naturæ vires ad supernaturalis excellentiæ provehi dignitatem. Indefinitè enim, & absque limite pronuntiant art.67. *Timor servilis non sibi repræsentat Deum, nisi ut Dominum durum, imperiosum, injustum, intractabilem.* Quomodo timor tot blasphemiis horridus alium agnoscere potest inspiratorem, quàm Diabolum, cui hominis stulta nimiùm perversitas consenticndo obsequatur?

Quæramus itaque ex adversariis, cùm Institutori nos credere jubeant, an *timor servilis*, qui dicitur *post peccati detestationem per Dei misericordiam introducere in cor hominis charitatem*, idem sit, vel ejusdem indolis cùm eo, *qui ducit* ad impœnitentiam, & *desperationem*, qui non sibi *repræsentat Deum, nisi ut Dominum durum, imperiosum, injustum, intractabilem*? Posterior indubiè naturalis est, perniciosus, impius, blasphemus: prior autem certissimè honestus, utilis, & supernaturalis; alia enim dispositio ad congruam *peccatorum detestationem*, & *charitatis intrà cor hominis introductionem*, non nisi à Pelagio fingetur. Inevitabilis est igitur Quesnello alterius præterea confessio timoris servilis, qui non sibi repræsentat Deum, ut Dominum durum, imperiosum, injustum, intractabilem, ac proinde nequaquam desperationi, quàm conversioni aptior judicatur; qui suam *in excitanda contritione partem habet, à quo vera contritio rite sumit initium: quo* homo *mala sua timens, incipit ea corrigere, & meliora desiderare, & ad Deum pro delictorum suorum remissione clamare: qui denique servilis timor post peccati detestationem per Dei misericordiam introducit* cha-

charitatem. Si verò inter timores serviles distinguere adversarius noluerit, si pergat omnes sinè discrimine non solùm adscribere naturæ viribus; sed etiam solitis onerare conviciis, necesse est, Moguntinum deserat *Institutorem*, aut Semipelagianis se deteriorem agnoscat, utpote qui salutis initium attribuat non actibus solum naturalibus; sed passionibus quoque brutalibus, &, quod pejus est, operibus impiis, atque blasphemis: Christum etiam arguit mendacii, cùm ait, non posse arborem malam bonos fructus facere.

16 Nos Institutorem nondum dimittimus: figant modò apud eum adversarii nobiscum pedem. „ Sic quidem servilis ti„ mor ex peccatorum recordatione exo„ riens, peccata nequaquam sanat; sed „ exasperat, & acerbiùs dolere facit; sa„ nitatis tamen per misericordiam Dei quæ„ rendæ, & per charitatem perficiendæ ipse „ initium præstat; quemadmodum ferrum „ medici, dum putrem carnem de vulnere „ exsecat, vulnus non sanat; sed amplius „ facit, & cruciatum auget; interim tamen „ medicaminibus locum aperit, ut per ea „ sanitas vulneris repareтur, & dolor om„ nis sedetur „. Efficere, ut acerbior sit peccatorum dolor, atque ita præstare initium sanitatis per Dei misericordiam quærendæ, & per charitatem perficiendæ, quod Institutoris judicio præstat timor servilis, est ducere peccatorem viâ plane oppositâ desperationi. Discant itaque adversarii discernere inter timores serviles, & non unius vitium omnibus imputare, asserendo indefinitè, & absque exceptione, quòd ad aliquos solos restringi oportuit, neque ad omnes extendi veritas catholica patitur. A ferro medici desumpta comparatio instituendo contra errorem populo Christiano perquàm idonea est; quamvis enim illud carnem putridam de vulnere exsecans, cruciatum augeat, neque se solo statim conferar sanitatem; *interim tamen medicaminibus locum aperit, ut per ea sanitas vulneris reparetur, & dolor omnis sedetur*. Non igitur sectio infirmum adigit ad desperandum de vita, aut valetudine; sed ad amovendum interitûs periculum; nè aliàs gangræna latiùs serpens, spe omni ademptâ, desperationem invehat certissimam. Fiat modo applicatio ferri, & sectionis medicæ ad timorem servilem, qui inducendæ attritioni idoneus judicatur: vel indè constabit liquidò, Institutorem minimè patrocinari Quesnello accusanti omnem prorsus solius supplicii formidinem, velut ducem ad impœnitentiam, & desperationem, quoties ad pœnitentiam excitaverit: *Si solus supplicii timor*, qui indubiè servilis est, *animat pænitentiam, quò hac est magis violenta, eò magis ducit ad desperationem*.

Immediatè institutio subjungit: *Hunc contritionis excitandæ, & concipiendæ modum, ubique Sanctorum Patrum sententiæ monstrant, & Scripturæ Sacræ testimonia manifestè approbant*. Quæ ibi sequitur sententiarum, & testimoniorum series, eadem est, quæ à nobis superiùs, & à cæteris passim theologis adhibetur pro alicujus timoris servilis bonitate, & ad salutiferam attritionem inducendam accommodatissimâ dispositione.

Recensitâ testimoniorum ex Patribus, & Sacris literis collectione admodum copiosâ; *iisdem concionatores* jubet *insistere vestigiis, ut severis comminationibus è Scripturâ desumptis à peccando homines arceant, æterni ignis supplicia transgressoribus ob oculos ponentes; justis verò æternæ vitæ præmia pollicentes; ut sic eos, cùm sibi ipsis propter peccatorum suorum agnitam fœditatem viluerint, paulatim per timorem Dei ad misericordiæ ejus fiduciam subducant. Hunc veræ contritionis modum concordes orthodoxorum Patrum sententiæ, Sacræ Scripturæ authoritate subnixæ, veluti præcipuum tradunt*. Veræ, & concordes Patrum Sententiæ, nixæ Scripturarum oraculis, docent usitatissimum Divinæ providentiæ in convertendis peccatoribus ordinem esse, ut eos primum horrore concutiat æternorum cruciatuum, & amissæ beatitudinis dolore: unde nascitur odium, ac detestatio criminum, quibus tantam sibi accersivere vindictam: sibique ipsi vilescunt, quod stultissimi mercatores, tam vilibus deliciis tantam sibi comparaverint calamitatem. Novus verò doctor mysticus nullam agnoscit justificationi præviam dispositionem Prop. 28. *Prima gratia, quam Deus concedit peccatori, est peccatorum remissio*. Prohibet autem, nè sive à timore, sive à fide, spe, aut quibuscumque virtutum moralium actibus peccator meditetur conversionis exordium, vel iis ad conversionem se præparet, nisi præcesserit charitas, præter quam, & profluentes ex ea actus, omnia peccata sunt juxta articulum 44. & plures sequentes.

Theologi cæteri ad virtutem principem charitatem plures commemorant dispositiones: Quesnellus verò compendio utens, rescissis omnibus dispositionibus, tamquam charitatis impedimentis, jubet illam origine primam esse, ante quam, ut dixi, omnia pec-

peccata sint; ut propterea ab omnibus ante eam actibus solicitè abstinendum sit. Vide quæ contra Prop. 44. & aliquot sequentes non minus perspicuè, quàm copiosè deduximus.

17 Abunde jam edocti sunt adversarii de Moguntinæ *institutionis* circa præsentem Articulum sententia: neque de hac tantùm; sed pariter de omnibus ad timorem pertinentibus: quibus adeò infesta est, ac ipsa Constitutio UNIGENITUS; nisi quod hæc definitionibus junxerit anathema, nè multiceps hydra, sæpe scholasticorum confossa spiculis, in exitium pergat convalescere animarum.

Ut autem Quesnellianum *Collatorem*, & omnes ejusdem perfidiæ socios magis pœniteat temeritatis, qua *Institutionem*, novitatibus adeò contrariam, opponere Sedi Apostolicæ; imò Ecclesiæ ausi sunt; sed magis, ut caholici in fide ampliùs confirmati, damnatos etiam de gratia articulos pridem horrori fuisse fidelibus conspiciant, gemina adhuc *Institutionis* præclarissima monita expendenda sunt. „ Firmissimè tenendum est, benignum, & liberalem Deum nulli homini, quantumvis malo, & perverso, gratiam suam subtrahere, qui juxta Joannis testimonium, stat ad singulorum ostia, & pulsat adeò, ut etiam aversos à se ultro sequatur, & ad gratiam suscipiendam amanter invitet. Si dimiserit vir uxorem suam, inquit Propheta Jeremias cap. 3. & illa recedens duxerit virum alium, numquid revertetur ad eum ultra? Numquid non polluta, & contaminata erit mulier illa? Tu verò fornicata es cum amatoribus multis; tamen ad me revertere, dicit Dominus. Et in Ezechiele 18. & 33. post peccatores clamans Deus, quare, inquit, moriemini? Numquid meæ voluntatis est mors impii, & non magis, ut convertatur, & vivat? Revertimini, & vivite....

„ Alterum est, ut cogitemus, quam impudenter scelerati, & impii homines malitiam suam in Deum velut authorem rejicientes, quòd converti non possint, infirmitatem suam excusent; cùm utique nemo rectè infirmitatem suam prætenderit, cui ubique præsens adest gratuitum Dei auxilium.

Assentior *institutioni*. Verùm si gravis adeò sceleratorum impiorumque excusationi censura conveniat, quantam merebitur magistrorum temeritas, discipulis, aliisque incautis suis auditoribus, ac lectoribus eosdem suggerentium sacrilegos obtentus! Quantum scilicet Spiritus Sanctus in Scripturis, quantum Concilia, Patres, omnium ordinum Theologi, & Concionatores catholici impendunt operæ, & eloquentiæ, ut Dei misericordiam, peccatores omnes ad pœnitentiam, omnes homines ad beatitudinem invitantis prædicent, tantum novæ Ecclesiæ Apostoli, & administri studium ponunt in affingendâ Supremo Numini duritie, quasi contra promissorum suorum fidem præcipiat infirmis hominibus impossibilia, gratiam denegans, quâ possibilia fiant: & tamen transgressiones necessarias æternis puniat cruciatibus: Prop. 3. *In vanum Domine præcipis, si tu ipse non das, quod præcipis*, ut certissimum est nulli dari transgredienti.

Prop. 4. *Ita Domine, omnia possibilia sunt, cui omnia possibilia facis, eadem operando in illo*, ut operaris in solis justis. Solis istis efficacem tribuis gratiam, sinè qua nihil possumus juxta Prop. 2. *Jesu Christi gratia, principium efficax boni cujuscumque generis, necessaria est ad omne opus bonum: absque illa non solùm nihil fit; sed nec fieri potest*. Propositio hæc nimis clarè hæretica apparuit Cardinali Noailles; ideò mutari eam in posterioribus editionibus curavit, verùm quid juverit uno alterove loco tolli, quod plurimis, & clarissimis remanet intactum?

Nihil tenebrarum, nihil ambiguitatis patitur propositio 40. *Sinè gratia nihil amare possumus, nisi ad nostram condemnationem*.

Prop. 39. *Voluntas, quam gratia non prævenit, nihil habet luminis, nisi ad aberrandum; ardoris, nisi ad se præcipitandum; virium, nisi ad se vulnerandum: est capax omnis mali, & incapax ad omne bonum*. Quibus enuntiationibus si junxeris decimam, *Gratia est operatio manûs omnipotentis Dei, quam nihil impedire potest, aut retardare*, scientiâ theologicâ opus non est, sed intellectu solùm utcumque sano, ut videas, gratiam omnem esse insuperabiliter efficacem, & sinè hac nihil esse homini luminis, aut virium nisi ad peccandum, atque ita omnibus præceptum non observantibus, obedientiam fuisse impossibilem.

Quæ igitur Dei justitia est, gravissimis æternum puniens suppliciis quod evitari non potuit? Quæ fides promittentis, non permissurum se tentationes accidere ultra quàm possumus sustinêre; sed daturum etiam, ut, si per nos non steterit, faciamus de tentatione proventum? Profectò quantalibet sit adversariis cavillandi peritia, & lucidissimæ veritati affundendi caliginem, numquam tamen suum de gratia systema à

dam-

damnata sæpius hæresi expedient, numquam à blasphemia, quam *Institutio* in *sceleratis*, *& impiis* reprehendit, illos suis principiis convincens, quòd *nemo infirmitatem suam rectè prætenderit*; Quod *ubique præsens adsit Dei gratuitum auxilium*.

Prop. 16. *Nulla sunt illecebra, quæ non cedant illecebris gratiæ, quia nihil resistit omnipotenti*; quod de singulis gratiis in Quesnelli sententia intelligendum est, quia Prop. 11. *Gratia non est aliud, quàm voluntas omnipotentis Dei jubentis, & facientis quod jubet*. Infidelibus, Judæis, hæreticis nullam adesse gratiam definit Prop. 26. *Nulla dantur gratiæ, nisi per fidem*. Prop. 27. *Fides est prima gratia, & fons omnium aliarum*. Nihil gratiæ obtingere etiam schismaticis, statuitur Prop. 29. *Extra Ecclesiam nulla conceditur gratia*.

Non plus istiusmodi præsidii peccatoribus, etiam in Ecclesia esse, antequam convertantur, declarat Propos. 28. *Prima gratia, quam Deus concedit peccatori, est peccatorum remissio*. Denique nec justis labentibus ullum fuisse gratiæ auxilium, quo persistere in justitia possent, patet ex Prop. 20. *Vera gratia idea est, quòd Deus vult sibi à nobis obediri, & obeditur: imperat, & omnia fiunt: loquitur tamquam Dominus, & omnia sibi submissa sunt*. Evidens, est reperiri nusquam gratiam, ubi vera ejus defuerit idea, ut esse nequit homo, nisi fuerit animal rationale, quia lumine naturæ notum est axioma dialecticum, *Definitum, & definitionem inter se converti*. Deest itaque juxta Quesnellum Divina gratia, ubicumque non est Divinæ legis obedientia.

Tali destitutis subsidio minimè prodesse possunt conciones, lectiones piæ, sacrificia, & fortè suffragia Sanctorum; sed nocent plurimùm; quia Prop. 5. *Quando Deus non emollit cor per interiorem unctionem gratiæ suæ, exhortationes, & gratiæ exteriores non inserviunt, nisi ad illud magis obdurandum*.

Denique nec confugere vellet, aut potest Quesnellus ad theologorum sententiam, qui docent, gratiæ auxilium semper esse à Dei misericordia paratum, & offerri hominibus, quoties necesse eis fuerit; modò obicem, quem liberè omittere possunt, suâ malitiâ non posuerint: recurrere, inquam, eò nollet Quesnellus, quia videtur sibi accedere ad Semipelagianismum. Sed neque potest, quia juxta ipsum ante concessionem gratiæ, nulla homini potestas est abstinendi à peccato Prop. 38. *Peccator non est liber, nisi ad malum sinè gratia Liberatoris*. Prop. 40. *Sinè gratia nihil amare possumus, nisi ad nostram condemnationem*.

Nimis diu nos Moguntina *Institutio* detinet; sed etiam non leviter dimittenda fuit, nec privanda in tot capitibus catholica veritas suffragio adversariis irrefragabili, utpote quod dignum censuerint, ad quod contra Sedem Apostolicam, & totius orbis catholici Episcopos appellarent. De Moguntino Concilio à quo *institutio* promissa fuerat, nihil dico; quia illud Articulo 7. de pœnitentiâ ex timore oriundâ differens, nihil tradit nisi consonum Tridentino sess. 6. cap. 6. & sess. 14. cap. 4. neque in Moguntino adversariis apparuit quidpiam, quod in sui torqueri posset patrocinium erroris.

CAPUT VIII.

Expediuntur argumenta adversariorum reliqua.

1 UT ponderis præcipui haberi meritò solet Augustini authoritas, ita à prætensis ejus discipulis, etiam ubi fides, aut dogma catholicum impugnandum est, in primo passim agmine collocatur. Quod autem circa præsentem Articulum ad finem in Hexaplis reservata sit, statim oborta mihi suspicio est, proferendam ex Augustino sententiam, ipsorum novaturientium judicio, parum verisimilis subsidii afferre damnato Articulo; producique ad ostentationem magis, & simplicium, rudiumque circumventionem, quàm ad seriam proscripti dogmatis apologiam. Citatur itaque Hipponensium Antistes Serm. 18. de diversis; aliàs 33. cap. 1. *Qui .... sub gratia est, non sub lege, ipse implet legem; quia non est ei pondus; sed decus: nec timenti tormentum est; sed amanti ornamentum*. Quem locum subsidiarius *Collator* in Hexaplis temerè adductum, sibi meritò censuit prætereundum: meliorem hic scilicet sectandum statuit suffragiorum delectum, dum coacervatione temerariâ textuum adeò non juvatur Jansenianæ causa Ecclesiæ, ut prostituatur potiùs, & profligetur. Ubi enim in Augustini sententia desperatio est, eaque attributa pœnitentiæ, ad quam solus excitaverit metus suppliciorum? Versio iterum Gallica tam parum accurata est, ut in ea Augustini sententiam ægre invenias. Sed istiusmodi detegendis translationum vitiis, & fraudibus immorari vix ampliùs lubet: sufficiat Doctoris Sanctissimi exhibuisse textum

tum genuinum, cujus sola lectio patefacit sensum damnato Articulo minimè suffragantem, nihil penitùs continentem de desperatione, quæ gravissima novitatis macula est, salutari suppliciorum formidini, & ortæ ex ea pœnitentiæ, frustrà per calumniam impacta.

2 Hic sistunt Hexapla; subsidiarius verò *Collator* latinus, ut beneficio gaudere non potest vernaculæ translationis ad corrumpendas sententias percommodo, nihil prorsus in Augustino reperit, stabiliendæ novitati idoneum; novas autem suppetias adducit ex Germania; Enchiridion, scilicet, Coloniense titulo de Pœnitentia. Suppono, Adversarios non ignorare, quòd Enchiridion Coloniense pridem à Sede Apostolica prohibitum fuerit, ut refertur in indice librorum prohibitorum jussu Innocentii XI. edito. Vide illic *Enchiridion Concilii Coloniensis*. Ibidem sequitur *Enchiridion doctrinæ Christianæ Concilii Coloniensis, nisi expurgetur*. Quod si Collatorem latuerit, ignorantia excusationem meretur; sed authoritatem non tribuit confixo operi. Si verò nota Adversario fuerit Censura, talis operis allegatio, non solùm nihil firmamenti adfert Quesnelliano Articulo; sed etiam allegantem convincit de insigni irreverentia, & contemptu Tribunalis Apostolici.

3 Cùm autem non à solo isto Quesnelli vindice; sed etiam a quodam ipsius Quesnelli ante annos plures alibi Adversario; sed in præsenti sententia consono, intorqueatur nobis istud *Coloniense Enchiridion*, operæ pretium erit aliqua de eo, ejusque Authore digna scitu lectoribus indicare. Provinciæ illius Synodus titulo de Disseminatione verbi cap.20. 21. & alibi Enchiridion fieri curavit; sed brevissimum, quod postea excrevit in volumen non exiguum, ut in sua epistola operi præfixa testatur Hermannus Archiepiscopus Coloniensis. Enchiridion istud igitur non Coloniensis propriè Synodi est; sed Archiepiscopi, hac occasione callidè utentis, ut quædam Lutheri erroribus faventia insereret; Lutherano enim toxico afflatum se, non uno indicio prodidit, ut nempe refert Spondanus ad annum 1543. Hermannus à suis aulicis Lutheranæ doctrinæ sectatoribus inductus, specie reformandi Clerum, & abusus in religionem intrusos auferendi, ad id munus eligit Martinum Bucerum hæreticum famosissimum, cui, nequidquam renitente Clero Metropolitanæ Ecclesiæ, & Coloniensi Academiâ, concionandi publicè munus contulit. In eodem munere socios Bucero à Duce Saxoniæ imperravit Melanctonem; à Lantgravio Pistorium, Sarcerium, aliasque hujus generis pestes. Ob hæc à Paulo III. Pontifice maximo citatus, & demum Excommunicatus, atque Archiepiscopatu, cæterisque Sacerdotalis bonoris gradibus dejectus, Archiepiscopatum alteri cedere coactus est. De Lutheranismo suspectas Enchiridii sententias, hìc deducere opus non est: videri possunt à pluribus indicatæ, nominatim in *Responsione ad Epistolam familiarem*, editâ Mechliniæ anno 1668. pag. 39. & sequentibus.

4 Denique Collator, ut solet, arte mirabili conatur Articulos durissimos emollire: „ Hic (inquit) de timore supplicii qui „ solus sit, loquitur author (Quesnellus) „ id est, de timore, cui nulla spes veniæ con„ sequendæ adjuncta est, ut patet ex con„ textu. Porrò quò magis violentus est hu„ jusce modi timor, eò magis ducit ad de„ sperationem, *occasionaliter* nempe, quòd „ homini corrupto occasionem tantò magis „ præbet desperandi. Itemque quò magis „ homo *sic* timens irascitur sibi, seseque pu„ nit severiùs, eò est in desperationem pro„ clivior, ut funesta nimium experientia „ comprobat. Quare, & Patres timorem „ spe misericordiæ obtinendæ temperan„ dum esse admonent „. Admonemus, & nos; sed non ideo, quia solo supplicii timore animata pœnitentia, ut Quesnellus existimat, propellit animum in desperationem, & interitum, cùm ab utroque illa maximè nata sit avertere hominem, & absterrere; Sed quia ad sufficientis pœnitentiæ exercitium, utpote actionem maximè arduam, necessarium spei subsidium est, etiam sapientissimâ Numinis providentiâ sic disponente. Duo autem contra adversarios negamus, & pernegamus: primùm, necesse esse, ut pœnitentia, & omnis peccatoris ad conversionem dispositio incipiat à charitate; nos ordinem ex Tridentino, & Patribus didicimus magis connaturalem, & experientiæ, ac veritati consentaneum, quòd, præsuppositâ fide, initium sit timor judicii, & gehennæ: deinde spes veniæ, & salutis: unde cum uberioris gratiæ auxilio progreditur animus ad dilectionem.

Alterum pariter inficiamur, quòd interea, dum timor, & nata ex eo qualiscumque pœnitentia, spem, & dilectionem benevolam prævenit, pœnitentia illa hominem incitet ad desperandum. Quod si fieret, timor ille, & ex eo profluens pœnitentia, forent mala &

& perniciosa; minimèque conveniens ad conversionem integram, perfectamque præparatio. Quæ Quesnelli novitas indubiè plena est veneno pestifero, ipsi divinæ gratiæ calumniam infert, & peccatoris adulti conversionem reddit in communi hoc decretorum ordine nullam quodammodo, aut certè rarissimam. *Timor* enim *gehennæ*, qui definiente Alexandro VIII. contra Articulum 14. inter triginta, & unum, *supernaturalis est*, oritur ex gratia: cùmque in conversione peccatoris hic ordo solitus sit, ut fidem sequatur timor, dein spes, postea dilectio, ut à Tridentinis Patribus edocti sumus, atque hi ex Traditione veterum acceperunt, damnare timorem illum, & procedens ab eo pœnitentiæ initium, quid aliud est quàm condemnare Deum, & ejus gratiam, quasi moventem ad illicita, atque ita damnato conversionis initio, fingere conversionem ipsam viâ solitâ, & morali quadam ratione impossibilem? Nos verò iterum contra novitatum artifices sustinemus, edoceri homines perspicuo rationis lumine, nihil esse in timore perennium suppliciorum, nihil in procedente indè pœnitentia accommodatum, vel idoneum ad suadendum peccatum, minùs etiam ad persuadendum peccatorum gravissimum desperationem; utpote supplicia illa, quæ adeò horrentur, certissimè inducentem. Imò potiùs timor idem, & nata indè pœnitentia, ita ex se comparata sunt, ut, quò fuerit pœnitentia vehementior, magis debeat omnem rationis compotem à crimine potissimùm desperationis abstrahere.

Frustrà Collator experientiam comminiscitur; ex nulla enim discimus, desperationem in peccatoribus ex suppliciorum otiri formidine, vel ex animata indè pœnitentia; sed ex judicio erroneo de damnatione inevitabili, & remorsu Conscientiæ, cui, ut sibi intolerabili, finem imponere corporis interitu cupiunt, minimè considerantes, quantò graviora sibi accersant desperando supplicia. Non itaque timor vehemens gehennæ; sed ejus potius oblivio, & defectus considerationis, tanto crimini occasio sunt.

Nunc attendat lector subdolam Collatoris artem in obtegendo exitialis dogmatis veneno, in exprimendis vocibus *occasionaliter*, & *sic* charactere Italico, tanquam si verba Quesnelli essent; vel saltèm is, & non alius sensus. Ut nempe res bona potest homini malevolo esse peccandi occasio; ita tolerabile videretur, si solus supplicii timor, & animata ex illo pœnitentia diceretur subinde *homini corrupto occasio desperandi*. Verùm amplius significat Propositio Quesnelli in sensu proprio & obvio, cùm dicitur *pœnitentia* illa *ducere ad desperationem*. Amplius etiam exigit sensus authoris absurdissimus Propositione 67. clarè, publicè, sinè ambagibus declaratus: *Timor servilis non sibi repræsentat Deum, nisi ut dominum durum, imperiosum, injustum, intractabilem*. Num talis de Deo prædicatio, si fidem in peccatoribus pœnas timentibus obtinuerit, in iis nata non erit concurrere, velut ratio ad desperandum accommodatissima? Quid nempe misericordiæ prudenter speres à domino duro, imperioso, injusto, intractabili? Non igitur timor, & animata ab illo solo pœnitentia à Quesnello describitur, ut mera occasio; sed velut causa efficiens, seu movens, & instigans ad desperationis flagitium.

Sexagesimaprima Propositio damnata.

Timor non nisi manum cohibet; cor autem tamdiu peccato adducitur, quamdiu ab amore justitiæ non ducitur. *Obser. Moral. in Luc.* 20. *vers.* 9.

CAPUT I.

Error è vitiatis fontibus fluens, rationis lumini manifestè contrarius.

1 Quemadmodum maxima dogmatum vicinitas, & errorum est in præsenti Articulo, & præcedenti; ita mirum non est ex iisdem utrumque reperiri fontibus scaturientem. Notissima est Lutheri Sententia tradita in assertionibus articulorum contra Bullam Leonis Assert. 6. *Contritio, quæ paratur per discussionem, collectionem, & detestationem peccatorum, quâ quis recogitat annos in amaritudine animæ suæ, ponderando peccatorum gravitatem, multitudinem, fœditatem, amissionem æternæ beatitudinis, & acquisitionem æternæ damnationis, hæc contritio facit hypocritam, imò magis peccatorem*. Hæc assertio damnatur à Concilio Tridentino sess. 14. can. 5. Mirum autem est, Michaelem Bajum non

non vidisse eundem à se errorem resuscitari articulo suo 38. *Omnis amor creaturæ rationalis, aut vitiosa est cupiditas, quâ mundus diligitur, quæ à Joanne prohibetur; aut laudabilis illa charitas, qua per Spiritum Sanctum in corde diffusâ Deus amatur*. Si enim omnis amor, seu volitio, quæ charitas non est, sit cupiditas, seu peccatum, patet, eâ contritione, quæ charitatis actum non continet, reddi hominem magis peccatorem. Sed magis apparet mirabile, quòd Jansenius, qui ignorare non potuit, B.ji errores fuisse à tribus Summis Pontificibus percussos anathemate, ab eodem autem publicè retractatos, in scholam saltèm Lovaniensium reducere ausus fuerit.

Præsentem Quesnelli sententiam tradit Jansenius tom.3. lib.5. cap.33. *Intelligere neque, quod sibi scholastici nonnulli volunt, dum dolorem peccati ex pœnarum timore pullulantem tantopere extollunt, ut eum etiam omnem voluntatem peccandi excludere, & benè vivendi propositum includere putent: quo nihil in doctrina Augustini absurdius, & falsius dici potest*. Addit propositum istud esse impossibile col.577. *Timens, quidquid ex illo timore fecerit, nihil ex animo, nihil ex corde, nihil volenter, nihil coram Deo; sed tantùm in speciem coram hominibus operatur. Hinc non est amicus rectitudinis, nec Dei; sed potiùs hostiles erga eum animos gerit*. Col. 587. *Præceptum bonum ex timore nè quidem concupisci potest; sed solâ charitate*. Denique eodem lib.5. cap.35. col.597. *Quæ omnia præcipuè declarant, doctrinam istam, quam scholastici quidam tradunt de dolore peccatorum ex solo gehennæ metu, non solùm Augustini principiis fundatissimis, & per omnes ejus lucubrationes diffusis ex diametro repugnare; sed etiam à Synodi Tridentinæ Patribus, multis modis proscriptam esse; quam non perspecta veritas; sed sola inutilis, imò perniciosa erga peccatores misericordia peperit*. Verùm cùm Jansenius se suaque scripta moriens, publicis Testamenti tabulis, & sæpiùs in ipso damnato opere, judicio Sedis Apostolicæ submiserit, non est dubium, quin, si ei ad nos reditus daretur, catholicæ, & promptæ obedientiæ exemplum præberet, subscribendo non solùm Pii V. Gregorii XIII. Urbani VIII. Innocentii X. Alexandri VII. Alexandri VIII., sed etiam Clementis XI. Constitutionibus, ac Decretis; sed attentâ discipulorum ejus tam inolitâ pertinaciâ, nescio, an qui errantem tam alacriter secuti fuerant, audituri essent docentem saniora.

Ut autem de præsenti solùm disseramus articulo, quæ ratio movere Adversarios potest, præsertim post inflictum à Clemente XI. anathema, ut errorem tam absonum, & omni rectæ rationis dictamini tam apertè repugnantem, scandalosâ adeò contra Sedem Apostolicam, imò contra Ecclesiam rebellione defendere non vereantur? Nihil divino judicio cogitari potest magis terrificum, nihil atrocius inferorum incendio, & infinitâ illud comitante omnium congerie calamitatum: nihil proinde infelicius damnatorum æternitate. Quid autem ad tanta mala vitanda juverit continuisse manum; si addictus peccato animus manserit? Quòd timor potestatis humanæ, quòd etiam metus mortis in Testamento veteri constitutæ mandatorum transgressoribus, manum à peccato cohibere potuerit, non animum, facilè intelligitur; quia, cùm mors infligenda esset ab hominibus, qui cordium penetralia non scrutantur, externis operibus dijudicandis, puniendisque unicè intenti; dum reus abstinuerit ab actibus in mortalium oculos incurrentibus, effugiebat supplicium. Hinc neque hodie secures, neque laquei, neque rotæ, neque infames rogi, & si quid aliud cruciatuum zelus justitiæ, vel sævitia excogitavit, corrigendis mentibus sufficiunt; sed Princeps, Respublicæ, & quicumque Magistratus, ac Judices, quantumlibet intendant consuetudine bonorum operum, quæ præcipiunt, & constanti abstinentiâ à malis, quæ prohibent, cives bonos facere, & virtutibus præditos; ad vim tamen quod attinet coactivam, & exercenda judicia, summum se votorum apicem, finemque legum consecutos existimant, si in externis actibus omnia tranquilla sint, omnia ad æquitatis, & rationis libram composita. At quid hæc omnia pro evitandis inferorum suppliciis, si animus scateat sordibus peccatorum, vel unum sit, à quo nolit contumax divelli? Quisquis igitur æternitatem infelicissimam, ut oportet, seriò metuit, necesse est, decernat fortiter, non ab externis solùm peccatorum operibus; sed ab eorum quoque se continere desideriis.

4 Respondent adversarii, adhærere semper suppliciorum formidini hanc conditionem turpissimam; peccare vellem, si possem impunè; si aut annexum non esset crimini ex divina dispositione supplicium; aut spes esset illud, retento crimine, quomodolibet evadendi.

Inficias ire nequeo, conditionis istiusmodi noxiæ cum formidine societatem in rudibus, & ignorantibus subinde contingere; sed eam perpetuam esse, ac necessariam, inficiabor semper, utpote ab omni ratio-

tione, & fano judicio alieniffimam. Quid enim? num etiam actus fecundæ virtutis Theologicæ, five amor, ut à Salefio vocatur, concupifcentiæ fanctæ, qui Scripturis, Patribus, præcipuè Auguftino honeftiffimus; & ad virtutem omnem, etiam charitatem, aptiffima difpofitio eft, adhærentem fibi femper, antequam charitatis intentio accefferit, habet hanc nequiffimam conditionem: Nollem à vitio abftinere, nollem facere, quod imperatur, fi fuis Deus imperiis non annexuiffet æternæ beatitudinis præmium? Num forfitan, & hæc charitatem femper fequitur non cogitatio folùm, fed voluntatis pariter affectio, dum tentat e. g. fornicationis illecebra: vellem alieno corpori commifceri, fi fumma bonitas non prohibuiffet? Nam, etfi pofterior conditio amoliri turpitudinem videatur, periculofa tamen ea affectio eft, & ipfa delectatio fæpiffimè morofa; verumtamen de hoc quidquid fuerit, infignis profectò infania eft, externis folummodo fenfibus, & non affectibus frænum injicere metu fupplicii à Supremo Numine infligendi, quando novèrimus, non minùs ei perfpecta effe cordis intima, nec magis fubducenda fuppliciis, quàm quæcumque foràs crimina prorumpunt: Tam malefana igitur conditio in memoratis rudibus, & ignorantibus fæpiffimè forfitan reperiatur; at in iis, qui fidei principiis fatis imbuti funt, prorsùs intolerabilis eft; &, ni fallar, rariffima.

Si verò quæfieris, quomodo damnata novitas tam contraria rationi, apud recentiores aliquos locum reperire potuerit? Occurrit quorumdam in Auguftino textuum obfcuritas, ab iis avidè atrepta, quibus omnis actio hominis libera, vel charitas eft, vel vitiofa cupiditas. Error ifte inter Bajanos eft trigefimus octavus; &, licèt à tribus olim Pontificibus damnatus, atque ab ipfo retractatus fuerit authore; non defuere tamen novitatem amantibus obtentus varii, etfi futiles, quibus errorem triplici Apoftolico acinace refciffum, reftituere conarentur; adeò ut identidem repullulans ab Alexandro VIII. debuerit iterum exterminari, inter 31. articulos feptimus; *Omnis humana actio deliberata, eft Dei dilectio, vel mundi: fi Dei, charitas patris eft; fi mundi, concupifcentia carnis, hoc eft, mala eft:* Unde fequitur 14. *Timor gehennæ non eft fupernaturalis*, & 15. *Attritio, quæ gehennæ, & pœnarum metu concipitur, finè dilectione benevolentiæ Dei propter fe, non eft bonus motus, ac fupernaturalis*. Quomodo enim bonus, ac fupernaturalis motus foret, quem carnis concupifcentia inquinaffet? Unde, & fluit præfens Quefnelli enuntiatio 61. *Timor nonnifi manum cohibet; cor autem tandiù peccato addicitur, quamdiù ab amore juftitiæ non ducitur*: quâ enim ratione animam à peccato cohibeat timor, qui & ipfe peccatum eft? Confpicis hic, lector, non folùm præfentis Articuli, fed totius quodammodo Bajani, & Quefnelliani fyftematis originem, ac fundamentum. Nunc error, qui hìc profcribitur, omni apparatu facro Scripturarum, Patrum, Tridentini Concilii, Principum Theologorum, totius denique Ecclefiæ authoritate obruendus eft, & conterendus.

CAPUT II.

Error convellitur Scripturis Sacris.

1 SI ad fcientiæ oftentationem fcriberem, deceret me proprii ftudii ubique magis fœtus producere, quàm alieni; at, ubi fcopus unicus eft propugnatio Conftitutionis Apoftolicæ, & cum ea catholicæ veritatis, lubens profero undecumque acceptum, quod majoris ponderis,& ad finem intentum conducentius arbitror. Ideo Scripturarum textus dare conftitui ex interpretatione plurium Academiarum, ad quas hactenus Bajana, & Janfeniana novitas non potuit habere acceffum. Sunt illæ in Germania Viennenfis, Pragenfis, Ingolftadienfis, Dilingana, Salisburgenfis, quæ librum Auguftini Michel confiliarii Ecclefiaftici Frifingenfis fummis Elogiis approbarunt. Libri titulus eft: *Difcuffio Theologica quatuor differtationum* &c. Inter Academias iftas minimè fufpecta adverfariis eft Salisburgenfis, utpotè Benedictinorum. Porrò facultas illic Theologica judicio dato 27. Septembris anno 1710. teftatur, effe *difertiffimam difcuffionem, in puncto contritionis, & attritionis potiorum Germanicorum generalium ftudiorum, tum Thomifticorum, tum recentiorum ferè unanimem confenfum; adftipulante etiam celebriorum Ecclefiarum Germanicarum in catechefibus, concionibus, & confeffionibus receptâ praxi*. Quæ *Difcuffio* parte 4. puncto 1. *Probatur* (inquit) *Theologicè, actum fupernaturalem metus gehennæ poffe excludere voluntatem peccandi de cætero graviter*. Non excludere, five non deftruere crimen antea commiffum, certa catholicorum omnium fententia eft; neque viam penitùs obftruere delicto veniali, patet, quia ifto gehenna non incurritur. Affertionem autem probandam author fufcipit viginti fex clariffimis texti-

bus ex Scriptura. Hi statim exhibentur n.2. cum brevissimis authoris observationibus, quas cum ipsis Textibus integras exhibeo.

2 „ *Ut enim probaret vos, venit Deus;* „ *& ut terror illius esset in vobis,& non pec-* „ *caretis.* Exodi 20. En! ad finem non pec- „ candi, & sic ad vitandum peccatum ter- „ ror Domini erat in Israëlitis.

„ In solo capite 1. Eccli. quanta sunt „ encomia timoris Dei exprimentia hunc „ ipsum finem: *Plenitudo sapientiæ timere* „ *Deum, & plenitudo à fructibus illius* cap.1. „ quomodo verò timere Deum, est pleni- „ tudo sapientiæ, si non excludatur, sed „ perseveret stultissima voluntas peccandi?

„ *Timor Domini expellit peccatum* cit. „ cap.1. Quâ ratione autem expellit pecca- „ tum, si non secludit voluntatem peccan- „ di, in quo consistit formale peccatum; „ non in actu exteriori, qui tantùm dicitur „ peccatum denominativè à voluntate pra- „ va peccandi.

„ *Sapientia enim, & disciplina timor Dñi,* „ *& quod beneplacitum est illi* cit.c.1. Sapien- „ tia ergo, & disciplina timor beneplaci- „ tum Dei inducunt, seu id, quod Deo ab „ homine placet; cum quâ voluntate bene- „ placiti divini non stat voluntas peccandi.

„ *Beatus vir,qui timet Dominum;in man-* „ *datis ejus volet nimis.* Psalm.111. Ecce! ti- „ mor Domini vult mandata ejus custodire „ nimis, quæ voluntas utique expellit vo- „ luntatem transgrediendi mandata.

„ *Servite Domino in timore, & exultate* „ *ei cum tremore, apprehendite disciplinam,* „ *nè quando irascatur Dominus, & pereatis* „ *de via justa.* Psalm.2. Igitur de via justa „ perit, qui non timet Dominum: stat ergo „ in via justa, qui eum timet. Ecquonam „ modo autem stare potest in via justa, qui „ stat in voluntate perversa?

„ *Timor Domini odit malum.* Proverb.8. „ Quod utique falsum foret; nisi ejiceret „ amorem, seu voluntatem mali.

„ *Sapiens timet, & declinat à malo,* Pro- „ verb. 14. Si itaque timendo declinatur à „ malo, timendo declinatur à voluntate „ peccandi, quæ unicè est formaliter mala.

„ *Per misericordiam, & fidem purgantur* „ *peccata, per timorem autem Domini decli-* „ *nat omnis à malo.* Quando per timorem „ omnis declinat à malo; equidem semper „ timens habet voluntatem declinandi à „ peccato.

„ *In timore Domini declinatur à malo.* „ Prov. 16. Viden! Quomodo Sacra Scri- „ ptura tot repetitis vicibus pro immedia- „ to effectu timoris tribuat declinationem „ à malo, quæ declinatio formaliter (ut „ nemo Theologorum negaverit) dicit vo- „ luntatem non peccandi.

„ *Non æmuletur cor tuum peccatores; sed* „ *in timore Domini esto totâ die.* Prov.23.Ad „ quem finem? Scilicet, nè æmuleris pecca- „ tores. Itaque timor Domini est voluntas „ non æmulandi in transgressione mandato- „ rum peccatores.

3 „ *Beatus enim homo, qui semper est* „ *pavidus; qui verò mentis est duræ, corruet* „ *in malum.* Proverb. 28. videlicet, qui ti- „ mens Dei est,non corruet in malum; quia „ retrahitur à malo, timore Domini.

„ *Deum time, & mandata ejus observa;* „ *hoc est enim omnis homo.* Eccli. 12. hìc tri- „ buitur voluntas observandi mandata,tan- „ quam effectus immediatus timori; quæ „ positivè contrariatur voluntati peccandi: „ dicitur etiam: *hoc est omnis homo*) quæ ver- „ ba ad literam sonant: sic rectè constitutus „ est omnis homo; quomodo autem rectè, si „ adsit voluntas peccandi?

„ *Qui timet Deum,faciet bona.* Eccli.15. „ Sed quid boni faciet, qui retinet volun- „ tatem peccandi? Excluditur ergo illa per „ timorem Dei. *Qui timet Dominum, con-* „ *vertetur ad cor suum.* Ibid. cap.21. con- „ versio autem ad cor dicit in sensu lite- „ rali Scripturæ immutationem voluntatis „ pravæ in voluntatem servandi mandata.

„ *Consummatio timoris Dei sapientia, &* „ *sensus:* cit.cap.21.ergo effectus (hoc enim „ sonat *consummatio*) timoris Dei est sapien- „ tia; & sensus, seu judicium practicum,esse „ declinandum à malo, completur liberâ „ voluntate refugiendi à malo, seu pec- „ cato.

„ *Quàm magnus, qui invenit sapientiam,* „ *& scientiam! sed non est super timentem* „ *Deum. Timor Dei super omnia se superpo-* „ *suit. Beatus,cui donatum est habere timorem* „ *Dei: qui tenet illum, cui assimilabitur?* Ec- „ cli. 25. atqui tanta encomia non mere- „ tur timor,secum patiens voluntatem pec- „ candi: ergo &c.

„ *Et timorem meum dabo in corde eorum,* „ *ut non recedant à me.* Jerem.32. Ergo me- „ dium, ut non recedamus à Deo, est timor „ Domini: recedimus verò à Deo per vo- „ luntatem peccandi: itaque hanc averrit „ timor Dei.

„ *Ecce timor Domini ipsa est sapientia, &* „ *recedere à malo, intelligentia.* Job.28. qui „ textus secum vehit præcedentem sensum „ patulum.

„ *Timor Domini fons vitæ, ut declinet à* „ *ruina mortis.* Prov. 14. ruina mortis est „ pec-

„ peccatum; ab hac autem declinare facit „ timor.

„ *Timor Domini ad vitam, & in plenitu-* „ *dine commorabitur absque visitatione pessi-* „ *mi*. Proverb. 19. Quomodo verò timor „ Domini ad vitam spiritualem, si secum „ nutrit voluntatem peccandi, mortem spi- „ ritualem? Quomodo commorabitur abs- „ que visitatione pessimi, si pessimum, nimi- „ rum voluntas peccandi, cum eo habitat?

„ *Finis modestiæ timor Domini, divitiæ,* „ *& gloria, & vita*. Proverb. 22. Hæc planè „ non quadrant actui, non excludenti vo- „ luntatem peccandi mortaliter.

„ *Serva timorem illius, & in illo vetera-* „ *sce: metuentes Dominum sustinete miseri-* „ *cordiam ejus, & non deflectatis ab illa, nè* „ *cadatis*. Eccli. 2. Sic servat à casu timor „ Domini: atqui casus animæ est voluntas „ peccaminosa: ergo &c.

„ *Quoniam nihil melius est, quàm timor* „ *Domini; & nihil dulcius, quàm respicere in* „ *mandatis Domini*. Eccli. 23. Igitur respi- „ cimus in mandatis Domini per timorem, „ cum quo respectu serio incompossibilis „ est affectus ad peccandum.

„ *Qui timet Dominum, excipiet doctri-* „ *nam ejus*. Eccli. 32. Anne excipit doctri- „ nam Dei, qui actualiter afficitur ad pec- „ catum?

„ *Qui timet Deum, inveniet judicium ju-* „ *stum, & justitias quasi lumen accendet*. Ibi- „ dem. Sed quas justitias accendet, cui est „ voluntas perpetrandi injustitiam?

4 „ Plures textus, etsi ad manum sint, „ nolo, ut te fatigent, lector; nec totidem „ opus fuisset, ad inculcandam tibi tam cla- „ ram Scripturariam veritatem, qualis nul- „ la alia invenitur in eadem. „ Vnde sic concluditur num. 3. „ Dum ergo in sensu „ literali, grammaticali, plano, aperto, ac „ indubitato Sacra Scriptura tribuit timori „ Dei, quem maximè pro præceptorum „ suorum observatione per gehennam in- „ cutit, exclusionem voluntatis peccandi, „ quid nos morantur dicta S. Augustini, & „ quorumdam aliorum Patrum, dubia, ob- „ scura, contorta? .... Ex quo conficitur „ ejusmodi irrefragabile argumentum: jux- „ ra certissimum dogma omnium Sacræ „ Scripturæ Interpretum, tenemur retinere „ proprium sensum, & significationem li- „ teralem Scripturæ, quamdiu nulla cogit „ necessitas ab eadem recedere, quæ est „ doctrina S. Augustini tom. 4. lib. 3. de do- „ ctrina Christiana cap. 10. „ Planum au- tem, & obvium sacris textibus sensum esse pro utilitate timoris, etiam ad excludenda animi peccata, Scripturarum, quas retulimus, lectio convincit.

CAPUT III.

Veritatem Catholicam errori damnato oppositam tradidit Augustinus.

1 Hipponensium Antistes, & Doctor maximus concione 30. in psalmum 118. ad illud, *Et à verbis tuis trepidavit cor meum*, ita monet: *Habuerunt quidem, & illi* (Tyranni) *verba minacia, proscribo, occido &c., sed tua me potiùs verba terruerunt: Nolite timere eos, qui occidunt corpus; sed eum timete, qui potest & corpus, & animam perdere in gehennam; ab his verbis formidavit cor meum, & contempsi persecutorem, & vici diabolum*. Talem victoriam rideret diabolus, si ab adversariis imbutus crederet, externa solum opera formidine cohiberi, non prava desideria, quæ mergendis in barathrum hominibus, atque Angelis sufficere, ex immensa damnatorum multitudine, & proprio nimiùm didicit experimento.

Tractatu 9. in Epist. Joannis. *Cæpit ergo timere diem judicii: & timendo corrigit se: vigilat adversùs hostes suos, id est, peccata sua: incipit interiùs reviviscere, & mortificat membra sua, quæ sunt super terram, sicut dicit Apostolus: Mortificate membra vestra, quæ sunt super terram; spiritualia nequitiæ dicit membra super terram; nam sequitur, & exponit avaritiam, immunditiam, & cætera, quæ illic exequitur*. Audiant adversarii, eum, qui cœpit timere diem judicii, non solùm cohibere à facinoribus manum; sed timendo corrigere se, vigilare adversùs peccata sua, incipere interiùs reviviscere, id est, abstinere à novis criminibus, & disponere se ad abluenda commissa. Neque ea, quæ timor dicitur mortificare, membra, intelligenda sunt tantùm membra corporis; sed, ut rectè hìc Augustinus explicat, spiritualia nequitiæ, quæ sunt avaritia, immunditia, & cætera, quæ veterem hominem vitia constituunt.

S. Thomas in Epistolam ad Colossenses cap. 3. *Potest*, inquit, *exponi similitudinariè; quia conversatio nostra est continens multos actus, sicut corpus multa membra, & in conversatione bonâ, prudentia est velut oculus dirigens; fortitudo autem sicut pes portans; in malâ verò, astutia sicut oculus; pertinacia verò sicut pes*. Similis est interpretatio Cornelii à Lapide. *Genuinè* (inquit) *ad phrasim Apostoli. Membra terrestria hic vocat affectus pravos, & motus concupiscentiæ; hi enim sunt quasi* mem-

membra veteris hominis, terrestris Adæ, & totius corporis concupiscentiæ, de quo dixi Rom.7. v.22. Ita Chrysostomus, Ambrosius, Anselmus: unde membra hujus veteris hominis explicans subdit: fornicationem, libidinem &c. consentit Augustinus loco citato *membra illa* vocans *spiritualia nequitiæ*.

Quapropter juxta Doctorem maximum homo *timens diem judicii, timendo corrigit se*, non solùm exteriùs; sed etiam interiùs; *vigilat adversùs hostes suos, id est, peccata sua*, quæ non in solis consistunt externis actibus; sed internis potissimùm: *incipit interiùs reviviscere*, patrata etiam solo animo crimina detestans, & mortificans deinceps membra sua *spiritualia nequitiæ*, avaritiam, immunditiam, cum cæteris actibus, atque affectibus, ob quos judicii dies terrificus, & sententia judicis funesta est.

2 Ampliùs verò timenda est peccatoribus, quæ judicium sequitur infelix æternitas, quando, ut intonat Augustinus in psalm. 127. *Vermis eorum non morietur; & ignis eorum non extinguetur. Audiunt hæc homines, & quia verè futura sunt impiis, timent, & continent se à peccato: timent quidem; sed non amant justitiam. Cùm autem per timorem continent se à peccato, fit consuetudo justitiæ, & incipit quod durum erat, amari, & dulcescit Deus, & jam incipit homo justè vivere ... timet, nè mittatur in gebennam: bonus est, & utilis iste timor.* Si homines *quia verè futura sunt impiis æterna supplicia, timent, & continent se à peccato*, timor non solùm manum, sed animum quoque cohibet; non enim peccatum ad manum propriè pertinet; sed ad animum: neque incipit homo justè vivere cohibendo solam manum, dum intus fovet animum, non minùs quàm antea libidine, aliisque criminibus æstuantem. Propterea meritò pridem Scriptores Catholici in Luthero deriserunt ineptissimam interpretationem, quasi illud Augustini *continent se à peccato*, de *externo* solummodò intelligendum sit, quâ ratione fuisset valdè impropria, fallax, & parùm digna tanto Doctore enuntiatio. Sed nulla tam absona, uti Scripturarum, ita Augustini explicatio est, quam non excogiter, & mordicùs sustineat Lutherus, & quisquis cum eo statuit esse novi artifex erroris, spretâ Sedis Apostolicæ, atque Ecclesiæ authoritate.

3 De verbis Apostoli serm.13. *Timor servus est: charitas libera est; &, ut sic dicam, timor est servus charitatis: nè possideat diabolus cor tuum, præcedat servus in corde tuo, & servet Dominæ venturæ locum: fac vel timore pœnæ, si nondum potes amore justitiæ.* Audi effrænis novaturientium turba, *nè possideat diabolus cor tuum*; non dicit Augustinus, nè possideat diabolus manum tuam, & à tot infamibus, schisma, & hæresim spiranribus contra Apostolicam Sedem scriptis reprimat; sed nè possideat diabolus cor tuum, à quo rationis, & libertatis expers manus in tot flagitia impellitur: duram cervicem flecte, & tandem subjice supremæ, quæ in Ecclesia est, potestati: subjice fidei *vel timore pœnæ, si nondum potes amore justitiæ*.

Epist. 120. ad Honoratum: *Timor non est in charitate; sed perfecta charitas foràs mittit timorem: proinde præmissus timor in cor nostrum, pellit indè consuetudinem malorum operum, & servat charitati locum.* Non dicit Augustinus, timorem pellere à manibus, sed à corde consuetudinem malorum operum: *Timor immissus in cor nostrum pellit indè* &c.

Lib. 2. de Genesi contra Manich. cap. 28. *Nihil enim sic revocat homines à peccatis, quemadmodum imminentis mortis cogitatio.* Quam Augustini sententiam objiciens Luthero Eckius lib. 1. de pœnitentia cap. 12. addit: *Adhuc quatis caput Luddere: timor mortis imminentis revocat homines à peccatis.*

Pergit Augustinus de cathechizandis rudibus cap. 5. *De ipsa etiam severitate, qua corda mortalium saluberrimo terrore quatiuntur, charitas ædificanda est*: non solius manûs, sed cordis cohibitione charitas ædificatur: ideo saluberrimo terrore corda mortalium quatiuntur, non ut peccato, & pravis ejus affectibus addicta maneant; sed ab iis invictissimè avellantur.

4 Necessaria quodammodo, & naturalis connexio est inter timorem mali incurrendi, & desiderium fugiendi; rursus inter amorem acquirendi boni, & formidinem amittendi, si hoc inter contingentia numeretur: ut autem timor omnis excidendi beatitudine, & incidendi in æterna supplicia; ita desiderium, & amor vitandæ damnationis, ac beatitudinis consequendæ Quesnello vitium est, utpotè ex virulento profluens cupiditatis latice, si ex charitate, sive amore benevolo *omnia agente propter Deum, quemque Deus remuneratur* non dimanaverit. Ita plures Quesnelli de charitate Articuli; præsertim Quadragesimus quartus. Sicut igitur timor, novatore isto judice, ad cohibendum à peccaris animum minimè comparatus est; ità neque potest ad eundem effectum idoneus esse amor salutis, dum à charitate, sive amore benevolo præscinditur.

Oppositum autem sensit, & clarè docuit Augustinus in psalm.63. *Quod supra homines est,*

eſt, time, & homines te non terrebunt: mortem ſempiternam time, & præſentem non curabis. Voluptatem illam incorruptam, & quietem ſinè labe concupiſce, & promittentem dona iſta temporalia; & totum mundum deridebis. Ama ergo, & time. Ama quod promittit Deus: time quod minatur Deus; nec corrumpèris ex eo quod promittit, nec terreberis ex eo, quod minatur homo. Si, quod ſupra homines eſt, metuens, comminationibus non terretur humanis; ſi mortem timens perpetuam, præſentis curâ non tangitur: ſi timens quod minatur Deus, promiſſis hominum non corrumpitur, nec intentatis à tyranno ſuppliciis terretur; perſpicuum eſt, futurorum formidine non manum ſolùm, ſed, & animum refrænari.

Enarratione in pſalm. 68. *Præmiſit Deus, nolite timere &c. Majore timore, minora contemnimus, & majore æternitatis cupiditate, omnia temporalia faſtidimus; nam & hic deliciæ temporales dulces ſunt, & tribulationes temporales amaræ ſunt; ſed quis non bibat tribulationis poculum, metuens ignes gehennarum? Et quis non contemnat dulcedinem ſæculi, inhians dulcedini vitæ æternæ?* Si majore timore minora contemnimus, & majori æternitatis cupiditate, omnia temporalia faſtidimus; ſi nemo eſt, qui ignes gehennarum ſeriò metuens, bibendum non ſuſcipiat tribulationis poculum, quantumlibet amarum, falſiſſimè aſſeritur, externa ſolummodo peccata, æternorum ſuppliciorum formidine coërceri; non interna, quæ hominum oculos fugiunt, divino conſpectui apertiſſima. Quid enim ad declinanda inferorum tormenta faciet, ſi obtutus feſelleris humanos, Deo arcana mentis crimina intuente, & cruciatibus puniente perpetuis?

Iterum lib. de catechizandis rubibus cap. 17. *Qui*, inquit, *propter beatitudinem ſempiternam, & perpetuam requiem, quæ poſt hanc vitam ſanctis futura promittitur, vult fieri chriſtianus, ut non eat in ignem æternum cum diabolo; ſed in regnum æternum intret cum Chriſto, verè iſte Chriſtianus eſt, cautus in omni tentatione, nè proſperis rebus corrumpatur, & nè frangatur adverſis, & in abundantia bonorum terrenorum modeſtus, & temperans; & in tribulationibus fortis, & patiens: qui etiam proficiendo perveniet ad talem animum, ut plus amet Deum, quàm timeat gehennam: ut, etiamſi dicat illi Deus; utere deliciis carnalibus ſempiternis, & quantum potes, pecca, nec morieris, nec in gehennam mittèris; ſed mecum tantummodo non eris; exhorreſcat, & omnino non peccet; non jam, ut quod timebat, non incidat; ſed nè illum, quem ſic amat, offendat, in quo uno eſt requies vera, quam oculus non vidit &c.* Quando fidem amplectendi intentio, nè eas in ignem æternum cum diabolo; ſed ut in regnum æternum cum Chriſto, verè chriſtianum te efficit, cautum in omni tentatione, nè proſperis corrumparis, nec frangaris adverſis; ut in abundantia bonorum terrenorum modeſtus ſis, & temperans; in tribulationibus fortis, & patiens; non in ſolam manum, & externorum ſenſuum opera, ſed in animum quoque ejuſque affectus liberos ea intentio dominatur: neque imperium, & fructus ſiſtit in iſtiuſmodi fugâ vitiorum, & virtutum moralium exercitio; ſed diſponit etiam ad ſublimiorem ſpei apicem, & virtutum principem charitatem.

Finiamus cum Auguſtini ſermone 45. ex Sirmondianis, alias 22. num. 9. *Timor hominum fortè corpus poteſt ab immunditia temperare; ANIMAM autem nonniſi timor Dei:* fallit itaque damnata, & Auguſtino maximè contraria novitas aſſerens, quòd *Timor nonniſi manum cobibeat; cor autem tamdiu peccatis addicatur, quamdiu ab amore juſtitiæ non ducitur.*

CAPUT IV.

Sancti Baſilius, Ambroſius, Hieronymus, Cyprianus proſcripto Articulo adverſantur.

1 SAnctus Baſilius in pſalm. 33. *Niſi timor inſtituendæ vitæ noſtræ rudimenta jaciat, impoſſibile fuerit caſtitatem, ſanctimoniamque legitimè obſervari. Timor ſalutaris eſt, qui ſanctitatis operatorius: vis enarrem, qualis ſit? Si quando te ſenſeris ad unum aliquod cieri, & proſilire peccatum; ad mentem revoca formidabile illud, nec ulli mortalium tolerabile Chriſti judicium.... Hæc time, & hoc timore eruditus animum à concupiſcentia ad hæc mala, velut fræno quodam, cohibe ab ea, quæ ad malum eſt, cupiditate.* Timor inſtituendæ vitæ noſtræ fundamenta jaciens, ſinè quo caſtitatem, ſanctimoniamque legitimè obſervari impoſſibile eſt, ſinè dubio, non ſolam retinet manum à peccato; ſed etiam animum. Quis timorem vocaret *ſalutarem, & ſanctitatis operatorium*, qui ſolùm reprimens manum, cor peccato addiceret? Sanctitatemne, & ſalutem conſequitur, qui corde criminibus immerſus voluerit permanere? Eritne tolerabile judicium peccatori, qui voluntate flagitiis plenâ, ab externis abſtinens, ſanctimoniam ſimu-

simulaverit? Quæ igitur sunt sepulchra dealbata, intrinsecùs putredine, fœtore, & sordibus horrida, quæ Christus in Euangelio detestatur, graviùs puniturus in judicio? Denique Basilius dicit animam hoc timore veluti fræno, à concupiscentia coerceri.

Ibidem paulò superiùs: „ Quemadmodum qui corporis membra habent clavis transfixa, ea habent ad operationem immobilia; sic quorum animum occupavit Dei timor, omnem importunitatem, quæ ex peccati affectione, ac perturbatione oritur, vitant; timenti itaque non est inopia; hoc est, nihil illi ad ullam virtutem deest, qui per timorem ab omni prava actione cohibetur „. Quàm hæc peremptoria sunt erroris! Quorum animum occupavit Dei timor, omnem importunitatem, quæ ex peccati affectione, ac perturbatione, utique in animo oritur, vitant. Quomodo timenti nihil ad virtutem deest, si timor in solis membris corporis operetur? Hominem per timorem ab omni prava actione cohiberi, de solis corporis actibus enuntiatur, an etiam animi? Pravarum omnium actionum generalitate indubiè comprehenduntur etiam, quæ in animo committuntur; aliàs nulla prava actio competeret Dæmonibus, quibus nihil corporis est.

Idem Sanctus Hom. in principium Proverb. *Quamobrem initium Sapientiæ timor Domini dicitur; animæ verò purgatio timor Domini, secundùm Prophetæ preces, ac desiderium dicentis: confige timore tuo carnes meas.* Ecce timorem Domini initium Sapientiæ, & purgationem animæ. Non potest autem purgari anima, quamdiù cor peccato addicitur. Fallit itaque moralis Observatio, enuntians, timorem nonnisi manum cohibere, cor autem tamdiu peccato addici, quamdiù ab amore justitiæ non ducitur.

2 S. Ambrosius in Psalm. 118. Serm. 6. *Is, qui in judiciis Dei sperat, servare potest verbum veritatis; quia dum veretur pœnam, custodit gratiam: ideoque ait: & custodiam legem tuam semper*: non custoditur gratia solâ manuum, aut cæterorum qualiber cohibitione membrorum, si animus illicitis indulgeat affectibus.

In eundem Psalmum Serm. 8. in illud *Particeps ego sum omnium timentium te, & custodientium mandata tua*, sic observat: *Quia sunt, qui ignava formidine pertimescunt, & hebeti trepidant metu, addidit, & custodientium mandata tua .... qui ergo timet, custodit: ergo ejus est custodire, qui timeat.* Ad mandarorum autem divinorum custodiam plus opus est, quàm continentiâ manuum. Quod de ignava formidine dicitur, etiam nos agnoscimus, non eam esse, quæ humanis dominetur affectibus, & eos intrà Dei mandata coerceat. Sed hoc vitium, aliquorum videlicet ignaviter timentium, non esse ad timentes omnes, & singulos derivandum, neque segnem, & inertem esse omnium formidinem, certa Ambrosii sententia est, cùm ait; *sunt*, nempe aliqui, *qui ignava formidine pertimescunt*: de salubri autem præditis timore concludens prædicat: *Qui ergo timet, custodit*.

In eundem rursus Psalmum Serm. 13. *Tunc cognoscitur Dominus, cùm timentium convertit affectus, gravis terrore judicii.* Non igitur sola corpora, non sola externa opera reprimuntur; sed etiam convertuntur affectus gravis terrore judicii.

In eundem Psalmum Serm. 21. docet, æternorum formidine excludi, superari timorem temporalium, tyrannorumque minas, & quælibet tormenta carnificum. *Excludit* (inquit) *timor timorem. Si enim ingressus quis balnea, solis deponit æstus, & calor excludit calorem: quanto magis divini judicii terror, hunc terrorem excludit humanum?*

Denique in Psalm. 118. v. 20. *Configat has carnes timor Domini, & judiciorum ejus: & servituti redigat. Quod si carnes istæ rejiciunt clavos divini timoris, haud dubiè dicitur; non permanebit Spiritus meus in hominibus, quia carnes sunt .... Sicut sunt aculei timoris, quibus compungimur, ita sunt clavi timoris, quibus configimur. Qui compungitur, excitatur; qui configitur, mortificatur, ut peccato deficiat, & Deo vivat.* Si timor Domini, & judiciorum ejus redigat hominem in servitutem Dei; si, qui aculeis divini timoris compungitur, excitatur; si, qui ejusdem timoris clavis configitur, mortificatur, ut peccato deficiat, & Deo vivat, perspicuum est, timorem non sola reprimere à peccato corpora; sed etiam animos; non enim servus Dei esse intelligitur, non mori peccato, & vivere Deo, quisquis manum ab immunditia continet, si spurcissimis voluntas liberè ardet affectibus. Similia habet S. Doctor lib. de Viduis cap. 8. *Si mente cernerent homines peccatores, quale judicium imminet mundo, sensus humanus non dispergeretur vanitate sæculari, si non infidelitate gravaretur.*

Lib. 5. de fide cap. 8. „ Nobis enim scire non proderat, ut dum certa futuri judicii momenta nescimus, semper tanquam

„ quam in excubiis conftituti, & in quadam „ virtutis fpeculâ collocati, peccandi con- „ fuetudinem declinemus, nè nos inter vi- „ tia dies Domini deprehendat... Prode- „ rat ignorare, ut ignorantes timeremus, „ ut obfervantes emendaremur „. Nonne fe rifui exponeret, vel indignationi, non dico folùm Theologorum; fed omnium fidelium, fi quis ifta ad folos reftringeret actus manuum; ad mentium verò opera extendi nollet, quod univerfim de collocatione in fpecula virtutum, & declinandâ peccandi confuetudine à Sancto Ambrofio affirmatur, & à Chriftianis paffim omnibus creditur, *nè nos inter vitia dies Domini deprehendat*? An non inter vitia dies Domini deprehendit hypocritas, qui foris humiles, toto, quantùm apparet, corpore ad modeftiam compofito; mente, ingenio fuperbiffimi funt; animo, & affectibus impii?

3 S. Hieronymus ad Fabiolam Manfione 23. in illud *Dominus regit me &c.* fic monet: *Jungit timorem, qui cuftos eft beatitudinis, virga tua &c., eft fenfus, dum tormenta formido, fervavi gratiam, quam receperam*. Exterior fola mandatorum obfervatio abfque obediendi animo, non fervat receptam gratiam. Quis adeò perditæ rationis, ac fidei hæreticus eft hodie, qui inficietur? æternorum itaque tormentorum formidine non fola manus retinetur à committendo crimine; fed etiam animus à defiderando; unde divinæ gratiæ confervatio, vel ejus amiffio potiffimùm dependet.

Idem Sanctus in caput 1. Malachiæ. *Qui Spiritum adoptionis* (accipit,) *in filium Dei vertitur; qui autem Spiritum fervitutis, in timorem Dei, fervus efficitur. Vult itaque primum Deus, ut filii ejus fimus, & bonum voluntate faciamus: fi hoc confequi nolumus, ut faltèm fervos nos habeat, & à malis per fuppliciorum formidinem recedamus*, quod nemo nifi infigniter ineptiendo, ad fola mala corporis, vel fola peccata extrinfeca ftatuet referendum.

Idem S. Doctor ad Damafum Pontificem fcribens, poteftatem compellendi ad Dei obfequium, & mandatorum ejus obfervationem, tribuit defiderio bonorum temporalium. Minorifne autem roboris erit timor graviffimorum, & perennium fuppliciorum, quàm fpes obtinendi à Deo bona fluxa, &, fi cum æternis comparaveris, pretii admodum exigui? Audiatur itaque Sanctus loco citato. „Mercenarios fecundùm alium „ intellectum, eos animadvertimus ex Ju- „ dæis, qui ob præfentia tantùm bona, le- „ gis præcepta cuftodiunt. Hi jufti funt, & „ mifericordes, non ob ipfam juftitiam, & „ ob ipfum mifericordiæ bonum; fed ut à „ Deo terrenæ felicitatis, & longæ vitæ „ præmium confequantur: qui autem ifta „ defiderat, meritò compellitur ad obfe- „ quium præceptorum, nè eorum prævari- „ catione careat concupitis.

Denique alibi Hieronymus eam prædicat in timore judicii virtutem, ut, fi illud vidua attentiore expenderet meditatione, ab ineundis fecundis nuptiis abftineret. Alibi de fe ait, quod gehennæ metu ad carcerem fe damnaverit, factufque fit fcorpionum tantùm, & ferarum focius. Senfit itaque Hieronymus, futurorum formidinem plus aliquid valere, quàm ut manum cohibeat ab externo peccati opere.

4 Confenfum facilè præftiterit Cyprianus Epifcopus, & Gloriofus Martyr lib. 3. ad Quirinum cap. 20. afferens *Fundamentum, & firmamentum fidei, ac fpei effe timorem*. In fpe quoque cœleftium bonorum agnofcit fortitudinem maximam ad fuperandas tentationes, & tormenta quælibet carnificum contemnenda; cur autem fimile quid non valeat timor amittendæ beatitudinis, & incurrendæ damnationis, cùm boni cujuslibet obtinendi fpes, & eo carendi metus, ad eandem pertineant rationem, atque ejufdem cenfeantur ad movendum roboris? Sic habet Sanctus lib. de exhortatione Martyrii cap. ultimo. Poftquam oftenderat, quanta merces in cœlo maneat Sanctos Martyres, concludit: „ Has cogitationes quæ per- „ fecutio poteft vincere? Quæ poffunt tor- „ menta fuperare?... Hæc oportet mente „ contemplari, & cogitatione die, ac nocte „ meditari. Si talem perfecutionis dies „ Chrifti militem repererit, vinci non po- „ teft virtus ad præmium prompta.

CAPUT V.

Clariffima ubique eft Gregorii Magni contra damnatum Articulum Sententia.

1 SAnctus Gregorius lib. 2. in 1. Regum cap. 1. expendens illud, *Dominus mortificat, & vivificat: deducit ad inferos, & reducit*, fic obfervat. „ Ut mor- „ tificet (Dominus) ducit ad inferos: &, „ ut vivificet, reducit ab inferis; omnipo- „ tenti enim Deo ad inferos ducere, eft „ peccatorum corda æternorum cruciatuum confideratione terrere: ei quoque „ ab inferis reducere, eft territas pœni- „ tentium, atque commiffa lugentium „ men-

„ mentes, spe vitæ indesinentis attollere. „ Tunc quippe peccare desinimus, cùm „ supernâ gratiâ mollitis cordibus futura „ tormenta formidamus: & ab inferis re- „ ducimur; cùm interno visitati solatio ad „ spem veniæ de pœnitentiæ lamento re- „ spiramus „. Ubi videmus peccantium mentes æternorum cruciatuum considera- tione territas, pœnitere, lugere commissa crimina, à novis abstinere. Quid ad pro- sternendos adversarios desiderari potest validiùs? *Tunc peccare desinimus, cùm supernâ gratiâ mollitis cordibus futura tormenta formidamus*: peccare certè non desinit, qui *nonnisi manum cohibet*, & cujus cor peccato addicitur.

Lib.5. in 1. Regum cap.2. „ *Servite Domino, & timete eum in veritate*; ait: *Hæc quidem via bona est, & recta, quâ ad æternam quis vitam tendit, & velociter pervenit; per timorem quippe Domini devitantur mala*. Si per timorem Domini sola devitarentur ea mala, quæ membris corporis committuntur, non verò interna, quæ in animo cogitationibus contrahuntur, & affectibus; non debuisset Gregorius devitationem malorum asserere simpliciter, & absque exceptione: incongrua quoque prorsus, & enervis ratio redderetur, cur *ad æternam vitam tendatur, & perveniatur velociter; per timorem quippe Domini devitantur mala*. Perveniturnè velociter ad beatitudinem cohibitione solius corporis, dum fræna laxantur desideriis maximè spurcis, & impiis? Quis Apostolus talem, veluti idoneum bravio celeriter obtinendo, cursum docuit?

Lib.26. Moralium cap.27. „ Sæpe qui „ jubentis verba non audiunt, ferientis „ verberibus admonentur, ut ad bona æter- „ na saltèm pœnæ trahant, quos præmia „ non invitant... Sunt nonnulli, quos à „ perditis moribus nec tormenta com- „ pescunt... Fatuitas quippe stultitiæ est, „ quòd illos sic iniquitas obligat, ut à cul- „ pa eos, nec pœna compescat „. Fatuitas ista stultitiæ à Quesnello, & Sectatoribus ejus fovetur, dum illos, quos iniquitas obligat, compesci à culpa nolunt formidine supplicii.

2 Prosequamur cum Sanctissimo Ecclesiæ Doctore, & Pontifice Maximo. Hom. 26. in Euangelia: „ Hunc tanti timoris ju- „ dicem ante oculos ponite: hunc ventu- „ rum timete; ut, cùm venerit, non timi- „ di; sed securi videatis. Timendus ergo „ est, nè timeatur: Terror ejus nos ad „ usum bonæ operationis exerceat; metus „ illius vitam nostram à pravitate com- „ pescat „. Quot hìc verba, tot contra novitatem stabilita judicia sunt. Cur tanti timoris judicem in adversariorum sententia ante oculos ponamus? Dicere illi cum Sancto Pontifice nequeunt: *Timete, ut, cùm venerit, non timidi; sed securi videatis*: num enim, si Quesnello credimus, timor præsens, timidos nos in judicio esse non sinet? Quâ autem ratione ab ipso tanta securitas præstabitur, *si timor nonnisi manum cohibet*; *cor autem tandiu peccato addicitur, quamdiu ab amore justitiæ non ducitur*? Constat scilicet, non sola manuum; sed vel maximè animi crimina à supremo judice pœnis gravibus mulctari.

Terror ejus, pergit Gregorius, *nos ad usum bonæ operationis exerceat*; sed quæ à terrore profluere poterit operatio bona, quis usus ejus salutaris, qui nos præstare securos valeat, vel immunes à supplicio, si timor nonnisi manum cohibet, dum tot cogitationes liberæ, tot affectus, & desideria divinæ legi repugnantia, ac proinde æternis obnoxia cruciatibus supersunt? A sola manuum continentiâ, & exercitio exteriùs honesto, si animi pietas ei non responderit, quid solatii, quid securitatis in judicio, quid beatitudinis apud Superos expectandum? *Metus illius* (judicis, inquit Sanctus) *vitam nostram à pravitate compescat*. Sed nos ex adversariis quærimus, à qua pravitate compescere timor poterit, si nonnisi manum cohibet, dum pravitatis potissimùm sedes est animus, & indè certissima damnatio; quantumcunque manus, & tota corporis compages ab omnibus perpetuò criminibus custodita supponatur.

3 Prolixior, & non minùs conspicua ejusdem S. Doctoris sententia est hom. 3. in Ezechielem de timore supremi judicis: „ Hunc ideò tunc electi terribilem non vi- „ debunt; quia modò terrorem illius con- „ siderare non cessant. Studiosè enim „ considerant, quàm terribilis ad judicium „ veniat: culpas anteactas deflent; immi- „ nentes declinant: pavorem illius quoti- „ die ante oculos mentis ponunt, & timen- „ do agunt, nè, quando venerit, perti- „ mescant.... &, quia ipse pavor ejus, „ quem in suis cogitationibus tenent, eo- „ rum mentes protegit, rectè subjungitur: „ extenti super capita eorum desuper. „ Firmamentum hoc, quod in similitudi- „ nem crystalli super capita eorum anima- „ lium apparet, & horribile, & extentum „ est; quia bonorum mentes unde terret, „ indè protegit. Si enim pavendus in eo- „ rum cordibus non esset, protector & mo- „ do

„ do à peccatis, & post à suppliciis non „ fuisset. Quia autem semper considerant, „ quis pavor ex judicio immineat, virtutum „ pennas in rectitudinem conservant „. Quandoquidem vera ratio, cur judex electis terribilis apparriturus non sit, adferatur, quod terrorem illius, dum hìc mortales degerent, considerare non cessaverint, patet, considerationem istam, & indè natam formidinem illis salutiferam fuisse; proindè cobibuisse non solùm à criminibus manum; sed etiam à pravis cogitationibus, & affectibus animum, ut ipse statim se explicat Gregorius, *Quia* (inquit) *dum studiosè considerant, quàm terribilis ad judicium veniat, culpas ante actas deflent, imminentes declinant*. Hoccine est, quod ait Quesnellus, *Timore nonnisi manum cohiberi, cor autem tamdiu peccato addici, quamdiu ab amore justitiæ non ducitur*?

In verbis Gregorii nova sequitur convictio: *Pavorem illius* (judicis) *quotidie ante oculos mentis ponunt: & timendo agunt, nè, quando venerit, pertimescant*. Audiunt adversarii? *Timendo agunt* opera justitiæ, servant præcepta, à criminibus abstinent, præterita deflent, *nè, quando* (judex) *veneris, pertimescant*. Rursus: ipse *pavor ejus, quem in suis cogitationibus tenent, eorum mentes protegit*, contra tela inimici, carnis scilicet illecebras, mundi, & Diaboli suggestiones. Sic itaque pavor ille terrendo protegens mentes, non solùm manum; sed etiam animum ab illicitis retrahit. *Si enim pavendus in eorum cordibus non esset* judex, *non esset modò* pariter *protector à peccatis, & postea à suppliciis*: protectio à peccatis manuum, & quorumlibet membrorum corporis minimè sufficit, ut quis à damnationis sententiâ, & æternis protegatur suppliciis.

Tam manifesta, & quodammodo palpabilia hæc sunt, ut nemo ea legens dubitare valeat de Gregorii Magni sententiâ proscripto Articulo undique infestissimâ. Denique si superiora omnia defuissent, sola, quæ ibi sequitur ultima periodus, dirimendæ pro nobis controversiæ sufficeret: *Quia semper considerant, quis pavor ex judicio immineat, virtutum pennas in rectitudinem conservant*. Pavor itaque ex judicio imminenti prosiliens, & attentâ propositus meditatione, si pennas virtutum in rectitudinem conservet, non in solis operatur manibus, non eas solas dirigit ad virtutes, & à vitiis cohibet, sed etiam animos.

4 Hæc omnia in S. Gregorio plana, apertaque contra Quesnelli Articulum sunt adeò, ut nulla opus habeant deductione scholasticâ, aut ratiocinio. Quod si adhibere paulisper placuerit, plura facilè ex eodem Doctore, & Pontifice elicientur argumenta, quæ subruendo tam exotico novæ Ecclesiæ dogmati abunde sufficient: locis scilicet pluribus desiderium beatitudinis velut maximè idoneum inculcat ad fugam vitiotum, saltèm gravium, prosecutionemque virtutum: cui desiderio si tantùm virium sit, quod negari teste Magno Gregorio non potest, non apparet quâ ratione virtus similis detrahenda sit formidini beatitudinis amittendæ, & consciscendæ tam horrificæ damnationis. Sic autem Sanctissimus Pater hom.17. in Ezechielem. „ Spes enim cœlestium mentem solidat, nè concutiatur „ fluctibus tumultuum terrenorum, de qua „ & per Paulum dicitur, quam sicut anchoram habemus animæ tutam, ac firmam „. Lib.19. Moralium cap.14. „ Qui „ enim æternæ retributionis bona cogitat, „ necesse est, ut ad omnem se causam futuræ mercedis extendat. Hinc per Salomonem dicitur, qui Deum timet, nihil „ negligit „; sive quod à manuum operatione, vel fræno, sive ab animæ, affectuumque dependerit. Lib.5. in lib.1. Regum cap.3. „ Tantò jam fortiùs oblata mundi oblectamenta respuit, quantò jam cœlestia ferventiùs diligit „. Ibid: cap.4. „ Potenter corpus extenuat, qui amore cœlestium cor inflammat; quia, dum spiritualia fortiter diligit, desideria carnis valenter premit..... Pauper spiritu esse non poterit, qui amare adhuc thesauros „ æternos nescit. Sic nimirum ira vincitur, si amore cœlestium perfectè terrena „ omnia despiciuntur. Sic quoque acediæ „ virium, id est, tædium cordis depellitur, „ si semper bona cœlestia cogitentur. Tædere quidem mens nullatenus potest, „ quæ tam jucunda bona lætanter videt „. Quomodo igitur cordis tædium, seu acediæ vitium non depellat, qui tantis bonis excidere metuit, eaque cum gravissimis cruciatibus commutare? Quemadmodum itaque spes cœlestium tam arctos compedes injicit, non solis corporum membris, sed etiam concupiscentiis, & pravis affectibus animorum; cur non similia præstet timor faciendæ bonorum cœlestium jacturæ, & accersendæ sibi damnationis adeò terrificæ, congeriem malorum omnium complectentis. Denique non facilè dixero, utrum in hoc ignorantiæ statu, & nonnisi obscurissima passim bonorum cœlestium cognitione, horum appetitio nata sit fortiùs afficere animum, & ad vitanda crimina commovere, quàm æternorum

rum cruciatuum horror, quos vivis adeò, & terrificis coloribus Sacræ ubique paginæ depingunr. Quamquam, & in præsenti Articulo timor non ad supplicia restringitur, sed ad privationem quoque extenditur hæreditatis. In humanis etiam præter verbera intentat Pater filio, si rebellis fuerit privationem istiusmodi, vel dominus subdito bonorum omnium jacturam. Hæc sinè dubio æquè ad pœnam pertinet, quàm flagella, & de utriusque comminatione, ac formidine dicendum fuerit: *Timor non nisi manum cohibet: cor autem tamdiu addicitur peccato, quamdiu ab amore justitiæ non ducitur*. Quæ enuntiatio, etsi in timore pœnæ utriusque inferendæ ab hominibus, utpote cordis intima non intuentibus, haud foret digna anathemate; at illimitatè proposita de timore quolibet, etiam supernaturali, & pœnæ cujuslibet, etiam gehennæ à scrutatore cordium infligendæ, nimiùm contraria est doctrinæ à Spiritu Sancto revelatæ, & à Prophetis, Apostolis, atque omnium sæculorum Patribus traditæ;

Omitto, quòd spes sinè charitate in Quesnelli sententia non plus valeat ad coercendum à criminibus animum, quàm formido, cùm neutra supernaturalis ipsi sit; utraque ex cupiditate noxia nascatur; utraque originis maculetur vitio. Spes enim oritur: ex *fide*; sed hæc ipsa non *operatur*, *nisi per charitatem* Prop. 51. *Nec Deus est*, *nec religio*, *ubi non est charitas* Prop. 58. *Cupiditas, vel charitas usum sensuum bonum*, *vel malum faciunt* Prop. 46. Eadem autem, quæ sensuum, etiam cæterarum animæ facultatum ratio est. *Non enim sunt nisi duo amores unde volitiones*, *& actiones omnes nostræ nascuntur*: *amor Dei*, *qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur*; *& amor, quo nos ipsos, ac mundum diligimus*, *qui quod ad Deum referendum est*, *non refert*, *& propter hoc ipsum fit malus* Propos. 44.

Decreveram præsentem de Augustini, & Prosperi mente hic terminare controversiam; sed quia in textuum istiusmodi obscuritate præcipuam sibi rebellionis arcem adversùs Ecclesiæ anathemata schismatici constituunt, cogor in tironum gratiam qualescumque novatorum latebras aliquantò ampliùs excutere, ut etiam in illis catholica veritas, frendente frustrà erroris spiritu, exposita solis meridiani radiis manifestè resplendeat.

CAPUT VI.

Damnato articulo infesti sunt S. Prosper; *sive Author librorum* de Vocatione Gentium, *S. Bernardus*, *& Hugo à S. Victore*.

1 Lib. 2. de vocatione gentium cap. 9. dicitur „Hunc autem consensum „(voluntatis ad bonum) non solùm cohortatio; sed etiam metus gignit, „propter quod scriptum est, Principium „Sapientiæ timor Domini: qui quantislibet terroribus inferatur, non aliud agit, „quàm, ut, quem fecerit timentem, faciat & volentem; nec solùm volentem, „sed etiam sapientem, unde & illud scriptum est: Beatus, cui donatum est habere „timorem Domini: Quid enim tam beneficum, quàm hic timor, qui genitor, eruditorque sapientiæ est? in cujus utique „devotione devota est & voluntas, quæ „authore gratiæ eodem proficit timore, „quo cœpit; cùm ergo hic timor, etiam „per quandam vim magni terroris immittitur, non ibi ratio extinguitur, nec intellectus aufertur; sed illa potiùs, quæ „mentem premebat, caligo discutitur, ut „voluntas depravata priùs atque captiva, „recta efficiatur, & libera„. Si metus gignit consensum voluntatis in bonum salutiferum, de quo illic à Prospero, sive memorati operis authore agitur; & quidem metus, qui magnis terroribus immittitur, ideoque non filiis, sed servis proprius est, patet non solùm manum, sed etiam animum formidine cohiberi. De hoc nè ullus ambigendi locus maneat, convincimur ampliùs sequentibus, ubi metu animus *non solùm volens efficitur*, *sed etiam sapiens*. Si *nihil tam beatificum*, *quàm hic timor*, fatuum profectò videtur, vel levissimè suspicari, quod solùm à malo opere manum reprimat, non animum. Quid enim ad beatitudinem confert tantopere manuum continentia; dum cor totum addicitur iniquitati? Denique certissimum erroris excidium parit, quod dicitur, *Timor ille genitor, eruditorque sapientiæ*. Rursus non sola manus; sed *voluntas proficit timore*, inquit S. Author: & tandem quid pro veritate catholica tradi potest magìs conspicuum, quàm quòd timor, illam, quâ mens premebatur, caliginem discutiat, *ut voluntas depravata priùs, atque captiva*, *recta efficiatur*, *& libera*?

2 Consentit Bernardus post octavam Epi-

Epiphaniæ dominicâ 1.Serm.2.*Primus timor est, nè cruciemur in gebenna : secundus, nè exclusi à visione Dei privemur tam ineffabili gloriâ*. Tum fubdit : *Et quidem omnis timor Domini, sicut aqua extinguit ignem, sic extinguit peccati concupiscentiam*: concupifcentia peccati in manibus eft, an in animo ? Dum autem timore concupifcentia peccati extinguitur, criminibus animum non addici, perfpicuum eft.

Idem Sanctus ferm. de primordiis, mediis, noviffimis ad illud Ecclefiaftici cap. 7. verf. 4. *In omnibus operibus tuis memorare novissima tua, & in æternum non peccabis*, faluberrimè commonet. *Time, quòd in gebenna cruciatibus æternis, & immensis exponendus es : unde est, quòd non dicitur, memorare primordia, aut media; sed novissima, & non peccabis*; delicto utique lethifero, quo gehennæ cruciatibus fieres obnoxius; illi autem non folis debentur criminibus foràs prorumpentibus, & quæ manibus, aut aliis membris corporis committuntur; fed etiam quæ folis cogitationibus, & affectibus deliberatis.

Dominica 1. poft octavam Epiphaniæ ferm. 1. *Aquâ repleantur, timore Domini custodiantur; quoniam Timor Domini fons vitæ: aqua, inquam, timor Domini est; si minùs sapida; sed optimè refrigerans animam noxiis desideriis æstuantem*. Non in fola itaque membra corporis; fed in *animam* quoque timor Domini agit, ut ejus *æstum* reprimat, & *noxia* impediat *desideria*.

Serm. de diverfis affectionibus animæ: *Jam verò secundo statu incipit esse sub domino, qui tanquam servus carcerem timet, & metuit, nè subigatur pœnis: in quo sanè statu conversio est, exitusque à sæculo, & introitus vitæ*: Eftne vera converfio, verus exitus à fæculo, & introitus vitæ, fola manuum cohibitione, dum animus addictus manferit flagitiis?

3 Hugo à S. Victore lib. 1. Mifcellaneorum titulo 103. pag. 60. *Ecce præambulos Dei, spiritum, commotionem, & ignem: non venit Dominus ad te, nisi veniant. Spiritus est terror judicii æterni, qui si in cor peccatoris impegerit, & montes superbiæ dejicit, & petras duritiæ dissolvit*. Ecce terrorem judicii penetrantem corda, in iis montes fuperbiæ dejicientem, & diffolventem petras duritiæ, quod, qua veritatis fpecie, Hugo affereret, fi non animus, fed fola manus timore cohiberetur à crimine? Si autem tantum formidini robur fit, ut cordibus, etiam petrarum duritiem imitantibus, & montium inftar fuperbiâ elatis, demiffionem, pietatem, pœnitentiam perfuadere valeat, neceffe eft, Quefnelli articulum à veritate longiffimè aberrare, quando faluberrimi timoris vires tam arctis circumfcribit limitibus.

Iterum Hugo eodem lib. titulo 118. *Cùm ad delectationem præcipitem impellit desiderium culpæ, cohibet à delectatione timentem providentia pœna; in hoc enim, quod cernit, quod post culpam pœna sequitur, sive in correctione, sive damnatione, refrænatur à culpa, sive in opere, sive in delectatione. Timor ergo frænum: ipse timor cohibet, & stringit effluentem animum, & sistit ad tolerantiam, ostendens faciliùs, malam concupiscentiam vincere, quàm malam conscientiam tolerare; & eligit durum, ut durius evadat.* Dum providentia pœnæ timentem cohibet à delectatione culpæ, non folùm manum à crimine coercet; fed etiam animum ab illicita delectatione. Quid pro communi, ac definitâ fententiâ dici potuit illuftrius, quàm quòd *timor cohibeat, & stringat effluentem animum, & sistat ad tolerantiam, ostendens faciliùs, malam concupiscentiam vincere, quàm pravam conscientiam tolerare*? Nullo hæc indigent commentario, per fe evidentia prò catholica veritate.

4 Singulari attentione Lector profequi dignetur, quæ ex eodem Patre nunc addam; quia confringendis poftea objectionum machinis maximum adferent præfidium. Tom. 1. lib. 4. Allegoriarum in Lucam pag. 164. ad hæc Cantici verba: „ Mifericordia ejus in progenies, & progenies timentibus eum, (fic Hugo:) Quatuor timores Sacra Scriptura difcernit; fervilem, mundanum, initialem, filialem. „ Servilis timor eft pro evitanda pœna abftinere à malo, retentâ voluntate malâ. „ Mundanus timor eft, pro evitanda pœnâ abftinere à bono, retentâ voluntate bonâ. „ Initialis timor eft pro evitanda pœnâ, cum perverfo opere etiam pravas cogitationes refecare. Filialis timor eft, bono firmiter adhærere, quia iftud amittere nolis. Ex his quatuor timoribus, duo mali funt, id eft, fervilis, & mundanus: duo verò boni, id eft, initialis, & filialis. „ Servilis timor pœnam, quæ ab hominibus infertur, metuit, & idcirco ei fufficit ceffare à malo opere; quia ad oculum famulatur, & reatum confcientiæ non metuit.... Initialis verò timor, quia eam, quam Deus comminatur, pœnam declinare fatagit, nequaquam fibi fufficere videt, ut ab illicitâ fe operatione contineat; quia ei, qui cor intuetur, non eft „ fatis

„ satìs ad probationem, si innocens fuerit „ actio, nisi etiam ipsa cordis cogitatio an„ te ejus oculos sincera, & impolluta ap„ pareat. Quia ergo illi displicere metuit, „ qui videt totum; ad perfectam innocen„ tiam coram eo necesse esse consideret, ut „ mundet totum: & ideo ipse timor initia„ lis dicitur; quia sub hoc per bonam vo„ luntatem & virtus initium capit, & vi„ tium finem. Tum accedit charitas, & in„ trat per timorem istum. „ Hic itaque, Lector, duo memoriâ retine: primum, quis timor servilis sit, solùm impediens externum opus, *retentâ voluntate malâ*, videlicet, *timor pœnam, quæ ab hominibus infertur, metuens*: ut enim hominibus non patent aliena corda, soli Deo pervia, fieri nequit, ut inferendum ab hominibus supplicium mentem corrigat; etsi cohibeat manum. Alterum est, quis timor initialis sit, *qui pœnam metuens, quam Deus comminatur, declinare satagit: dumque videt, nequaquam sibi sufficere, quòd ab illicita se operatione contineat; quia ei; qui cor intuetur, non est satìs ad probationem, si innocens fuerit actio, nisi etiam ipsa cordis cogitatio, ante ejus oculos sincera, & impolluta appareat*; igitur maximè puritas animi procuranda decernitur. Unde manifestum est, istam pœnæ formidinem non solis manibus frænum injicere; sed etiam mentibus, coërcendo cogitationes noxias, effectus, & desideria, etiam nunquam exequenda opere. Quam formidinis egregiam potestatem Hugo additis rationibus loco citato, non minùs solidè, quàm eleganter elucidat. Eadem tradit lib. 2. de Sacramentis fidei parte 13. cap. 5. & in Miscellaneis lib. 4. tit. 32. Denique in annotationibus epist. 1. ad Roman. pag. 185. ad illud *Non accepistis spiritum servitutis iterum in timore*, ait: *Timor servilis cobibet manum à malo opere timore pœnæ temporalis. Timor initialis cohibet à malo opere, & à mala voluntate timore gehennæ. Timor filialis cohibet ab omni malo, amore justitiæ... Ille dicitur habere timorem servilem, qui timore pœnæ temporalis tantùm aliquid criminale non committit*. Istud, ut dixi, pro solvendis facilè Novaturientium argumentis, semper ante oculos habendum est; quia, non obstante diversâ timoris servilis acceptione, unanimis hujus Patris, & cæterorum omnium cum Scholasticorum principibus, & utrorumque sectatoribus orthodoxis, contra damnatum errorem consensus ostenditur. Quod circa Patres præstiti, prosequor in scholasticis; in quibus omnibus si fortè cuipiam prolixior visus fuero, quàm abundè demonstrata veritas postulat, meminerit, nobis cum pertinacissimis hostibus certamen esse, quorum frangendæ pertinaciæ nulla potest esse convictio nimia.

CAPUT VII.

SS. Thomas, Bonaventura, Laurentius Justinianus, Salesius pro communi contra damnatum articulum stant sententia.

1 Hugonem superiore capite relatum, uti & Laurentium Justinianum mox citandum pridem adversarii in partes suas violentè, & maximè invitos trahere conabantur; sed nimio veritatis lumine perterriti, videntur tandem ab hac sua desistere temeritate. Quàm meritò desperent de Hugone, ex ipsis ejus verbis jam vidimus: idem ut pateat de primo Venetorum Sanctissimo Patriarcha, audiatur tractatu de Timore cap. 5. *Si te amor Dei à peccatis non cobibet, saltèm te probibeat, terreatque timor judicii, metus gebennæ, laquei mortis, dolores inferni, ignis urens, vermis corrodens, & flamma tartarea: ex talium consuetudine Deum time, & hæc non formidabis*. Si timor ex talium consideratione profectus efficere valeat, ut nihil homini ab illis postea metuendum sit, evidens est, talium timore, videlicet judicii, & gehennæ, atque hanc comitantium cruciatuum, non manum solummodo; sed animum maximè à criminibus contineri; non enim sola membrorum exterior innocentia liberabit ab interitu, quem turgens flagitiis animus sibi consciverit, & corpori.

Luculentiùs etiam catholica contra Quesnellum veritas deducitur ab eodem Sancto ejusdem tractatûs cap. 2. „ Sicut „ enim (inquit) securitas est ad lapsum fa„ cilis, ita timor à lapsu protegit; quia „ odit vitia, virtutes custodit, cor sedulâ „ vigilantiâ observat, ab ingressu ejus no„ xias cogitationes repellens clavâ terri„ bili; videlicet memoriâ æternæ pœnæ: „ ingerit namque sicut veraciter, ita fre„ quenter, quòd post hanc peregrinatio„ nem tunc edax flamma comburet, quos „ nunc delectatio carnis polluit; illosque „ infinitum barathri chaos devorabit, quos „ salutaris timor ab inani elatione, & à de„ formitate culpæ non custodit.... Qui ti„ met Deum nihil trepidat; quia timor Do„ mini fiducia est fortitudinis, & qui illum „ possidet, non corruet... Nam timor bo„ minum peccandi differt facultatem, & „ ope-

„ operationem; non autem aufert; sed retinet voluntatem, donec habeat opportunitatem, vel occasionem: unde & quos „ suspendit à crimine, avidiores reddit ad „ crimen; & æstuat animo, quousque perficiat, quod malum cogitat: solus enim „ Dei timor est, qui nocentes corrigit, fugat crimina, & perpetem confert bene „ agendi voluntatem ... Nubes etiam carnalium cogitationum, & affectionum fugat .... Nam sicut remissa securitas culpas admittit, ita timor desiderabilis delicta semper excludit, & mentem conservat. „ Quid pro communi sententia disertius enuntiari potuit? Timor à lapsu protegit, odit vitia, virtutes custodit, cor sedulâ vigilantiâ observat, ab ingressu ejus noxias cogitationes repellens clavâ terribili, videlicet memoriâ *æternæ pœnæ*. Hoccine est solam cohibere manum; cor autem relinquere, ut peccatorum illecebris abripiatur? Quomodo timor Domini est *fiducia fortitudinis*, adeò ut *illum possidens non corruat*, si verum est, quod Quesnellus asserit, timore sola corporis membra, non animum frænari, atque hunc semper exitialibus addici affectibus, quamdiu amore justitiæ non ducitur? *Dei timor nocentes corrigit, fugat crimina, & perpetuam confert bene agendi voluntatem*. Iterum sciscitari liceat; hoccine est sola impedire manuum opera; solutis mentium habenis ad cogitationes quaslibet exitiales, & desideria maximè nefanda? Nequaquam, inquit Sanctissimus Patriarcha; sed *Dei timor nubes carnalium cogitationum, & affectionum fugat, delicta semper excludit, & mentes conservat*. Quæ lux fulgentior desiderari possit, quæ clariùs exhibere veritatem catholicam, non video.

2 Sed quia hæreticis propria est pertinacia, & voluntaria cæcitas, quæ nec veritatem se ipsâ lucidissimam, tot etiam Scripturarum textibus, tot Patrum sententiis, & post illos à Patriarcha Sanctissimo ampliùs illustratam conspicere velit; accedat etiam Sol Angelicus, ad cujus radios ab ipsis hìc provocamur errantibus. Experiamur, quàm provocent seriò, quàm bona fide. Juxta ipsum 2. 2. quæst. 17. art. 8. *Aliquis introducitur ad amandum Deum per hoc, quòd timens à Deo puniri, cessat à peccato, ut Augustinus docet*. At, si vera fuerit Quesnelli assertio, secundùm quam *timor non nisi manum cohibet; cor autem tamdiu peccato addicitur, quamdiu ab amore justitiæ non ducitur*, quomodo timor idoneus est, ut introducat hominem ad amandum Deum, siquidem in mentibus amor est, non in manibus, quas solas in nova sententia dirigere potest, vel cohibere formido; non animum ad virturum actus, maximè ad diligendum omnis justitiæ fontem inducere? Si verò, ut par est, Angelico credimus, &, eo teste, etiam Augustino, *Aliquis introducitur ad amandum Deum, per hoc, quòd timens à Deo puniri cessat à peccato*. Aliquis igitur, ut cesset primùm à peccato, ac dein quoque Deum diligat, introducitur per hoc, quòd timeat à Deo puniri: atque adeò timor non solùm manum; sed etiam animum à crimine cohibet, & promovet ad amorem. Solius enim cohibitione manûs, non absolutè, & simpliciter cessatur à peccato, ut cessari docet Angelicus, & apud eum Augustinus: neque sola manûs continentia, quamdiu *animus addicitur peccato*, est *introductio ad amandum Deum*; alias eò quoque introduceret hypocrisis, quod nemo sanæ mentis admiserit.

2. 2. Quæst. 19. art. 2. corp. „ Quandoque homo propter malâ, quæ timet, „ convertitur ad Deum, & inhæret: quod „ quidem malum est duplex; scilicet malum pœnæ, & malum culpæ. Si ergo aliquis convertatur ad Deum, & ei inhæret „ propter timorem pœnæ, erit timor servilis. „ Supponit itaque manifestè Angelicus, imò non obscurè docet, aliquando fieri, ut aliquis convertatur ad Deum, & ei inhæreat propter timorem pœnæ, eumque *servilem*. Atqui si propter talem *timorem pœnæ aliquis convertatur ad Deum, & ei inhæreat*, conversionem illam, atque inhæsionem timor pœnæ efficit: Non igitur timor iste solam manum cohibet, neque indomitum relinquit animum, ut tàmdiu addicatur peccato, quamdiu ab amore justitiæ non ducitur. Quæ enim aliàs ea ad Deum foret conversio, quæ ei inhæsio propter malum pœnæ, quod timet? Inane profectò conversionis, & inhæsionis figmentum!

Eodem articulo ad quartum: *Timor servilis, & initialis respiciunt pœnam, per quam homines attrahuntur ad Deum*. Quomodo per pœnam, quam timent, attrahuntur homines ad Deum; si in eorum animis nihil timor valeat, non nisi manum cohibens; laxissimas autem permittens habenas peccatis interioribus, ut affigantur eis corda, quamdiu non ducuntur amore justitiæ?

Eâdem quæst. art. 7. in conclusione. „ Timor servilis est principium extra disponens ad sapientiam, in quantum aliquis „ timore pœnæ discedit à peccato, & habilitatur per hoc ad sapientiæ effectum, „ secundùm illud Ecclesiastici 1. Timor „ Domi-

„ Domini expellit peccatum: „ Cùm timor servilis non sit charitas, neque pars ejus, in qua vera sita est sapientia; sed sola ad sapientiam, seu charitatem præparatio; rectè dicitur *principium extra* disponens ad sapientiam, quæ sanè non repetitur in corpore, aut in animo subdito peccatis; dum tamen, ut S. Thomas ait: *Aliquis timore pœnæ discedit à peccato; & habilitatur per hoc ad sapientiæ effectum*, evidens est, timorem illum non tantùm manui frænum injicere; sed etiam animo; non enim cohibitione manûs disceditur à peccato, quamdiu illi addicitur animus: neque per hoc principium, quod est timor pœnæ, habilitatur aliquis ad sapientiæ effectum, qui est peccatorum expulsio, quamdiu allubescit peccati stultitia voluntati.

Imò, inquiunt adversarii; fieri aliter non potest, quin ea voluntati placeat, dum solo formidinis impulsu à crimine quis abstinet; nam per Prop. 62. *Illud committit in corde suo, & jam est reus coram Deo*. Adde, quòd ex timore illo solo orta *pœnitentia ducat ad desperationem*, eoque trahat fortiùs, quò pœnitentia cum suo timore *magis fuerit violenta* juxta Prop. 60. Qualis proinde potest per timorem illum esse habilitatio ad sapientiæ effectum, qui expulsio peccatorum est secundùm illud Ecclesiastici cap. 1. *Timor Domini expellit peccatum*: quando novo semper consensu affigitur animus iniquitati? Timor ipse nova transgressio præcepti Divini est, ut indicat Propositio præsens, & clariùs exprimit quadragesimaquarta: „ Non „ sunt, nisi duo amores, unde volitiones, „ & actiones omnes nostræ nascuntur: amor „ Dei, qui omnia agit propter Deum, quem„ que Deus remuneratur; & amor, quo nos „ ipsos, ac mundum diligimus, qui quod „ ad Deum referendum est, non refert, & „ propter hoc ipsum fit malus. „ Si itaque Quesnellum audiverimus, timor servilis adeò non est principium disponens ad sapientiam; adeò neque *timore aliquis discedit à peccato*, vel habilitatur ad sapientiæ effectum, ut potiùs animus æquè, ac antea turpitudini consentiens novâ labe cumulum augeat delictorum. Sed nos, dimisso tot erroneorum dogmatum, & non paucarum hæresum architecto, vel instauratore, sequamur Angelicum magistrum, qui etiam par. 3. quæst. 85. art. 5. damnatum subruit errorem dicens. *Tertius est motus timoris servilis, quo quis timore suppliciorum à peccatis retrahitur*: non retrahitur à peccatis, cujus sola manus ab externo opere abstinet, quando mens perversa sacrilegis indulget cogitationibus, ac desideriis æstuat deliberatis: vel igitur Quesnellus labitur miserè in proscripto articulo, prout hactenus demonstravimus innumeris argumentis, vel hallucinatus fuerit locis pluribus Aquinas, quod nemo sapiens suspicabitur. Quod verò Hexapla, & eorum subsidiarius Collator pro damnato dogmate proferunt ex 1. 2. quæst. 107. art. 1. ad 2. ex crassa objiciunt ignorantiâ. Splendidissimis scilicet Angelici Præceptoris radiis occludentes oculos suos, non vident, aut non videre se simulant, sermonem illic Aquinati esse maximè dilucidè expressum de timore pœnarum, quas comminabatur lex vetus, & inferebat per humani tribunalis sententiam, quod cordis arcana non penetrat: unde hujusmodi timor, licèt quandoque præscindat, sejunctusque sit à peccandi affectu; hunc tamen etiam frequenter admittit: nec id mirum; cùm ex se nullam vim habeat, quantumvis serius, intensusque sit, excludendi, aut retundendi voluntatem peccati, etiam dum reipsa metuitur pœna humano judicio irroganda, quæ, ut ad solos externos actus extenditur, ita non nisi externa membra à flagitiis perpetrandis coercet.

Itaque *lex vetus* (ut l. c. ait S. Thomas) quæ pœnas intentabat humano infligendas judicio, *dicitur cohibere manum, non animum: quia qui timore pœnæ* (ab humano tribunali propter culpam decernendæ) *ab aliquo peccato abstinet, non simpliciter ejus voluntas à peccato recedit, sicut recedit voluntas ejus, qui amore justitiæ*, vel etiam metu æternæ pœnæ à scrutatore cordium Deo inferendæ *abstinet à peccato. Et propter hoc lex nova, quæ est lex amoris, dicitur animum cohibere*; præcipuè scilicet amore justitiæ; secundariò verò pœnæ formidine à Divina justitia peccantibus immittendæ. Hanc esse mentem Sancti Thomæ, cuilibet perspicuum fiet verba ejus expendenti in eâdem ad 2. responsione, sed vel maximè ex doctrinæ ejus connexione in tota illa, & præcedenti quæstione tractatæ, imò & in omnibus ejus tam Summæ Theologicæ, quàm cæterorum operum, præsertim in 3. sent. dist. 40. quæst. 1. art. 2. ubi non solùm id affirmat, sed etiam invictissimè demonstrat ex veteris, ac novæ legis distinctione. Quærens enim illic, utrum lex Mosaica non solùm manum, sed etiam animum cohibeat, sic ait: „ Respondeo, dicendum, „ quòd coactio legis secundùm Philoso„ phum in 5. Ethic. ad hoc necessaria est, „ ut illi, qui persuasionibus ad bonum non „ inclinantur, per pœnas cogantur. Unde „ COHIBITIO LEGIS SE EXTENDIT, QUANTUM POENA INFLI-

„ INFLICTA PER LEGEM. Sicut autem lex vetus „ infirmis animis, non nisi terrena promit- „ tebat; ita etiam pro peccatis temporalem „ pœnam infligebat, oculum pro oculo, „ dentem pro dente. Pœnæ autem tempo- „ rales pro peccatis animi infligi non pos- „ sunt, nisi quatenus in actum exteriùs pro- „ rumpant; aliàs enim ab homine de eis „ judicari non potest. Et ideo LEX VETUS MA- „ NUM, ET NON ANIMUM COHIBERE DICEBATUR. „ LEX AUTEM NOVA æterna promittit, & „ comminatur in præmium, & pœnam. „ ÆTERNA autem POENA ab illo judice infli- „ gitur, qui est cordis scrutator. Et ideo „ NON SOLUM MANUM, SED ETIAM ANIMUM CONI- „ BET. „ Nihil luculentius dici poterat, quo S. Thomas mentem suam exponeret, catholicam veritatem demonstraret, adversarios confunderet, eorumque refelleret argumenta.

3 Doctori Angelico jungamus Seraphicum in Opusculo de gratia sanctificante lib. 5. cap. 4. „ Timor servilis Spiritui San- „ cto locum præparat, ut eum, sicut seta „ filum, introducat... Timor servilis duo „ facit: Primum est, quòd viam præparat „ charitati: Secundum, quòd retrahit à „ peccato metu pœnæ tantùm. „ Non esset quâ ratione timor servilis præpararet locum Spiritui Sancto, si manum solummodo cohiberet, quod timor humanus potest naturæ viribus circa ea crimina, quibus lege decernitur supplicium. Minùs etiam juxta Quesnellum idoneus est timor extremi judicii, & æternorum cruciatuum ad præparandum Spiritui Sancto, & charitati locum, quàm in communi sententia timor mortis ab hominibus infligendæ; hic enim potest circa nos saltèm esse innocuus, & Spiritui Sancto, atque charitati non occludere aditum; at in nova Ecclesia per articulum 44., & plures sequentes, timor omnis, qui à charitate, sive Dei amore omnia agente propter Deum, quemque Deus remuneratur, non profluxerit, peccatum est, ac proinde novus obex Spiritui Sancto, & salutiferæ charitati. Denique Seraphicus timori servili tribuit vires retrahendi à peccatis metu pœnæ tantùm, ad nullum genus criminum eam limitans potestatem; Quesnellus restringit ad peccata, quæ à manibus, seu corpore prodeunt, & humanis passim obtutibus exponuntur. Sed plura, nec paulò etiam efficaciora infra ex S. Bonaventura proferemus.

4 Agmen Sanctorum claudat suavissimus charitatis præco Franciscus Salesius lib. 2. de amore Dei cap. 16. „ Divina bo- „ nitas volens in anima humana collocare „ diversitatem virtutum, & tandem eam „ exornare sacro suo amore, utitur acu ti- „ moris servilis, & mercenarii, quâ ordi- „ nariè omnium primò corda nostra pun- „ guntur. (Cap. 18.) Quando igitur hi „ sensus timoris in animis nostris invale- „ scunt, ut ex finibus nostris exterminent, „ propellantque affectionem, & volunta- „ tem peccandi, ut sacrum Tridentinum „ Concilium loquitur, sunt illi magnopere „ salutares. Nos concepimus ex timore „ tuo, ò Deus, & peperimus spiritum sa- „ lutis, dicitur apud Isaiam. „ Quesnellus ab initio interdiceret introitum timori servili, nè, dum manum cohibet, addicat magis animum peccato, ad quod expellendum minimè subsidio est; sed ad retinendum pertinaciùs, & delictorum numerum novis semper accessionibus augendum. Si autem, ut Salesius docet, timoris istiusmodi sensus in animis nostris invalescentes, ex eorum finibus exterminant, propelluntque affectionem, & voluntatem peccandi, non solas coercent manus ab externo opere; sed mentes etiam ab illicitis conservant affectibus.

Ibidem: „ Timor eorum, qui velut „ servi, & mancipia, Dei legem observant „ ad evitandas inferni pœnas, est bonus; „ sed longè nobilior, & desiderabilior est „ timor mercenariorum Christianorum, qui „ velut servi, pactâ mercede, fideliter labo- „ rant; non equidem principaliter propter „ aliquem amorem, quem jam habeant ver- „ sùs suos Dominos; sed ut salarium com- „ pensæ loco sibi promissum consequan- „ tur. „ Si timor iterum, non nisi manum cohibeat, non est ea sufficiens Divinæ legis observatio, non obedientia, ubi animus à præcepto aversus est, solam exteriùs obedientiam simulans. Sic quidem illudi hominibus potest; sed non Deo: ita supplicia possunt evitari humana; sed non à supremo intentata Judice, qui, dum scrutatur corda, & renes, internis æquè, & occultis, quàm externis, & publicis pœnas inferet, nullo tempore terminandas. Quare Salesio opponit Quesnellus etiam articulum suum 47. „ Obedientia legis profluere debet ex fon- „ te, & hic fons est charitas. Quando Dei „ amor est illius principium interius, & Dei „ gloria ejus finis, tunc purum est, quod „ apparet exteriùs; alioquin non est, nisi „ hypocrisis, aut falsa justitia. „ Quod autem præsenti articulo dicitur contra obedientiam nascentem ex timore, intelligit Quesnellus, ut verba apertè significant, etiam

etiam de timore mercenariorum, & profectâ indè legis observantiâ, nè promissâ excidant mercede. Salesius timore mancipiorum bono, longè nobiliorem, & desiderabiliorem prædicat formidinem mercenariorum: utramque novus Theologus noxiis cupiditatibus accenset Prop. 44., & sequentibus. Quid igitur miri, quòd præsenti articulo dicitur *Timor, non nisi manum cohibere; cor autem tamdiu peccato addici, quamdiu ab amore justitiæ non ducitur*? Ita novorum dogmatum, errorumque in Quesnelli systemate connexionem facilè invenias, finem nunquam.

CAPUT VIII.

Concilium Tridentinum, Catechismus Romanus, & Scholastici communissimè damnato Articulo adversantur.

1 TRidentini Patres sess. 14. cap. 4. postquam de contritione disseruerant perfectâ: „ Illam verò „ (inquiunt) contritionem imperfectam, „ quæ attritio dicitur, quoniam vel ex „ turpitudinis peccati consideratione, vel „ ex gehennæ, & pœnarum metu communiter concipitur, si voluntatem peccandi „ excludat, cum spe veniæ, declarat (Sancta Synodus) non solùm non facere hominem hypocritam, & magis peccatorem; verùm etiam donum Dei esse, & „ Spiritûs Sancti impulsum, non adhuc „ quidem inhabitantis; sed tantùm moventis, quo pœnitens adjutus, viam sibi ad „ justitiam parat; &, quamvis finè Sacramento pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento „ pœnitentiæ impetrandum disponit. „ Ubi manifestè Synodus supponit, fieri posse, & reipsa fieri aliquando, ut attritio ex gehennæ, & pœnarum conceptâ formidine excludat delinquendi voluntatem; alioqui sibilos non evasisset hæreticorum, quibus in promptu fuisset objicere, quòd declaratio appareret ridicula, definiens contra Lutherum, & ejus asseclas, quod ipsorum nullus unquam negaverit; videlicet attritionem, quæ ex gehennæ, & pœnarum metu concipitur, non facere hominem hypocritam, & magìs peccatorem, si voluntatem peccandi excludat; modò concedatur Luthero, & sociis, quòd talis attritio extiterit nunquam; neque futura sit imposterum; non enim de casibus metaphysicis sibi curam esse, aut rixam cum Romana Ecclesia; sed de iis, qui humanis, & christianis usibus serviunt. Quod igitur in Decreto est, *si voluntatem peccandi excludat*, intellige juxta mentem Concilii, ut idem sit, ac si diceretur, *quando voluntatem peccandi excludit, ut constat excludere aliquando*; non enim omnem pœnarum formidinem, & omnem indè ortam criminum displicentiam, absolutam esse, & efficacem, certum est non minùs Catholicis, quam novatoribus, & hæreticis. Sensum illum Tridentinis Patribus fuisse, confirmamur ex eo, quòd perspicuè ipsa sacra Synodus sess. 6. canone 8. sic definiat: *Si quis dixerit, gehennæ metum, per quem ad misericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel à peccato abstinemus, peccatum esse, aut peccatores pejores facere, anathema sit*: ubi non jam conditio apponitur, quam veluti de facto dubiam interpretari, intenta semper contentionibus novitas possit; sed clara, & diserta subintelligitur affirmatio, nos aliquando per gehennæ metum ad misericordiam Dei de peccatis dolendo confugere, aliquando etiam per illum à peccatis abstinere. Hunc sensum, ut capite superiori vidimus, sub Tridentini Concilii vocibus S. Salesius intellexit, & quis non, præter paucissimos, forsitan à Baji, vel Jansenii commilitonibus circumventos?

2 Eminentissimi Bellarmini de mente Concilii sententia patet ubique in ejus contra Lutherum controversiis: sufficient ejus verba ultima lib. 2. de pœnitentia cap. 18. „ Una quidem (inquit) adhuc quæstio tractari potuisset; an videlicet attritio, sive „ imperfecta contritio, quam certum est „ finè Sacramento non sufficere ad justificationem, sufficiat cum Sacramento, ita ut „ pœnitens ex attrito, virtute absolutionis „ fiat contritus, & justificetur. Lutherus „ enim id aliquando negavit, ut perspicuum est ex ejus responsione ad Dialogum Sylvestri Prieratis, ubi de conclusione sexta loquens: Error est, inquit, „ quòd attritus fiat contritus virtute clavium. Cæterum Discipuli ejus, qui contritionem in terroribus constituunt, & soli fidei ex verbo absolutionis conceptæ, „ quæ terrores illos consequitur, justificationem adscribunt, nullo modo negare „ possunt, quin attritio & sola non sufficiat, & cum absolutione sufficiat, ut in „ Concilio Tridentino sess. 14. cap. 4. declaratum est. „ Atqui quod juxta Bellarminum sacra Synodus declaravit illo capite de attritione, eam cum Sacramento sufficere, patet intelligi de attritione illic descripta,

fcripta, etiam quæ ex gehennæ, & pœnarum metu concipitur, & ex illo concepta principio voluntatem peccandi excludit; non enim cum abfolutione fufficere attritionem voluntati illi peffimæ conjunctam, omnes agnofcimus, neque ullus eft Catholicus, qui aliam Tridentinis vocibus fententiam adfcribat. Audiatur iterum Bellarminus lib. 2. de pœnitentia cap. 17. „ Quartus timor „ eft propriè fervilis, quo videlicet ita peccator Deum punientem timet, ut folius „ pœnæ fugiendæ causâ à peccatis perpetrandis caveat, & de perpetratis doleat.... De hoc igitur timore tota controverfia eft: hunc enim Lutherus damnabat, ut qui faceret homines hypocritas, magifque peccatores: & hunc eundem Tridentina Synodus. feff. 14. cap. 4. bonum, atque utilem effe, & à Deo excitari docet. Quæ fententia probatur primò ex verbis illis Davidis Pfalmo 110., & Salomonis Proverb. 1. *Initium fapientia timor Domini*: & Eccli. cap. 1. *Timor Domini expellit peccatum; nam qui finè timore eft, non poterit juftificari*: & cap. 25. *Timor Domini, initium dilectionis ejus*. Hæc dicuntur de timore, qui eft in peccatoribus, & qui dilectionem præcedit. In peccatoribus autem, & ante dilectionem timor filialis effe non poteft, fed tantùm fervilis „. Hactenus Bellarminus. Hoc igitur Eminentiffimo Tridentini Concilii interprete, feffionis 14. cap. 4. declaratur de gehennæ formidine, contra Lutherum, attritionem indè progenitam, quâ voluntas peccandi excluditur, ad Dei gratiam in Sacramento pœnitentiæ impetrandam difponere: atque is fenfus cuilibet, quem novitas non præoccupaverit, facilè apparebit à Concilio intentus, ut femper apparuit fcholarum, quantumvis alibi inter fe diffidentium Theologis. Et quid ipfi, quid Tridentini Patres aliud tradere nobis potuere, quàm, quod eos à majoribus Sanctiffimis accepiffe, tam luculentè pluribus capitibus demonftratum eft? Recentiores paucos forfitan Bajo, Janfenio, Quefnello, aut eorum affeclis nimiùm credulos, nihil moror: excufabilis fortè error fuerit ante Conftitutionem UNIGENITUS: pofthanc nemo, nifi falutis fuæ infipienter prodigus, fe in conviĉtiffimi erroris gratiam exponit anathemati.

Tridentino confonat Catechifmus Romanus, jubentibus Patribus Tridentinis compofitus. Is parte 2. cap. 5. enumerans gradus, quibus ad contritionem confcenditur perfectam, ait: *Præterea motus timoris confequitur, & fuppliciorum acerbitate propofità animus à peccatis revocatur: atque huc videntur fpectare illa Ifaiæ verba: ficut quæ concipit, cùm appropinquaverit ad partum, dolens clamat in doloribus fuis, fic facti fumus*. Quando timoris motu, & fuppliciorum acerbitate propofita animus à peccatis revocatur, indubiè non fola manus fræno conftringitur; fed etiam retinetur animus, nè novis criminibus tantam fuppliciorum in fe concitet acerbitatem.

4 Nolim hic immenfam texere Scholafticorum feriem, inftituto meo minimè neceffariam, & lectoribus forfitan moleftam. Dum enim fupra dedimus SS. Thomam, & Bonaventuram, facilè colligitur eis confentire communiffimè fcholas Thomifticam, & Seraphicam. Bonaventura fententiam fuam didicit à Magiftro fuo Alexandro Alenfi part. 3. quæft. 76. membro 2. & 3. iftos itaque fcholæ utriufque clariffimæ Principes fecuti funt Durandus in 3. part. dift. 34. quæft. 4. num. 9. Dominicus Soto in 4. dift. 14. quæft. 2. art. 5. Alphonfus à caftro verbo *Timor*. Hærefi 1. contra Lutheranos, & verbo contritio. Petrus Ledefma in Theologia morali Tract. de Pœnitentia cap. 7. Bannes 2. 2. quæft. 19. Art. 4. Gabriel in 4. dift. 14. quæft. 2. dub. 3. Didacus Cabezudo. Suffragantur Theologi omnium ordinum, & nationum. Dionyfius Carthufianus in 3. dift. 34. quæft. 3. Pefantius quæft. 86. difp. 1. art. 5. Duvallius 2. 2. Tract. de fpe quæft. 3. art. 2. Puteanus 3. part. quæft. 85. art. 5. dub. 1. Kellifonus 1. 2. quæft. 42. & 3. part. quæft. de Pœnitentia art. 2. Bonacina tom. 1. difp. 5. quæft. 5. puncto 3. prop. 3. Gamachæus 1. 2. quæft. 19. de dono Timoris cap. 5. Navarrus tom. 2. de contrit. cap. 1. num. 8. in Manuali. Societatis Jefu Theologos non commemoro, utpote nullâ apud Quefnellum valentes gratiâ, & quorum à Bajanis, & Janfenianis novitatibus averfio fatis nota eft. Recentiores quoque alios prætereo, quia innumeri funt, & fat longos indices exhibent, quæ hoc tempore de contritione, & attritione contra rigidos edita funt variorum opufcula: aliquos tantùm profero ex Lovanienfibus antiquis.

5 Ruardus Tapperus contra Lutherum Art. 4. pag. 185. „ Attritio (inquit) „ ex timore pœnarum fupernaturalium „ idonea difpofitio eft ad Sacramentorum „ baptifmi, & pœnitentiæ gratiam percipiendam, ut, cùm quis deteftatur omnia „ peccata mortalia, & propterea confitetur, „ nè per peccatum excludatur à gloria, vel „ nè

„ nè in supplicium ignis sempiterni conjiciatur, qui etiamsi cognoscat se non habere contritionem; sed tantùm hanc attritionem, probabilis est Doctorum sententia, quod licitè accedit ad Baptismi, & Pœnitentiæ Sacramenta suscipienda „. Nulla mihi de necessaria simul, & sufficienti ad Sacramenta baptismi, ac pœnitentiæ dispositione concertatio est: istud unum contendo, & ex Tapperi testimonio erutum, quòd attritio ex timore pœnarum supernaturalium detestetur omnia peccata mortalia.

Judocus Ravestein Tiletanus part. 1. de præparatione ad justif. cap. 1. „ Ex fide per „ considerationem divinæ justitiæ nascitur „ timor, quo utiliter concutiuntur homines, ut peccata deserant, saltèm divini „ supplicii timore „.

Thomas Stapletonus tom. 2. prolegom. 1. in lib. 5. „ Cùm timor gehennæ objectum „ habeat proportionatum timori, & nullâ „ extrinsecâ circumstantiâ vitietur, necessariò debet esse bonus: utiliter autem „ disponere indè constat, quod à peccatis „ cavere, & de præteritis dolere, & ad Dei „ misericordiam confugere docet „.

Guilielmus Estius in 4. dist. 54. §. 13. „ Quamvis igitur hic timor neque sit justitia, neque aliquid justitiæ, quia servilis „ est; rectè tamen vocatur initium pœnitentiæ, justitiæ, & sapientiæ; quatenus „ nimirum hominem per peccatum à Deo „ alienatum, ad pœnitentiam, justitiam, & „ sapientiam, & per consequens ad Deum „ ducit, & revocat.

Denique Jacobus Bajus (non Michael, cujus in multis propositionibus condemnatio, & dein gloriosa palinodia nota est.) lib. 2. Religionis Christianæ cap. 84. „ Ex „ quibus liquet, quàm falsò Lutherus dixerit, timorem servilem esse malum; quia „ efficiat hominem hypocritam, magisque „ peccatorem; cum proprius ejus effectus „ sit voluntatem à peccato impedire..... „ Hinc Deus primum hominem timore „ mortis à peccando deterruit, Judæosque „ suppliciorum comminatione „. Ita veritas catholica ubique resplendet, & omnibus sæculis à Doctoribus ex omni ordine tradita reperitur distinctè, perspicuè, constanter, ut nullis valeat cavillationibus obumbrari. Ubi autem Quesnellus errorem suum invenier, nisi apud Lutherum, Michaelem Bajum, Jansenium (quorum nullus, præter primum, errori pertinax immori voluit)? si quem verò scholasticum aliàs non malum, nimius, & non secundùm scientiam zelus, charitatem unicè prædicandi, ulrra veritatis limites abripuerit, ut voluntarem subinde in vitium, ita intellectum in errorem cadere est humanum, & inter catholicos facilè dignum veniâ, quamdiu pertinacia absfuerit, & Ecclesiæ in suis definitionibus contemptus. Retinenda proindè semper est aurea Aquinatis regula 2. 2. quæst. 11. art. 2. ad 3. „ Hæreticus censetur, „ qui pertinaciter repugnat determinatis „ authoritate universalis Ecclesiæ; quæ „ quidem authoritas principaliter residet „ in summo Pontifice.... Contra cujus „ authoritatem, nec Hieronymus, nec Augustinus, nec aliquis sacrorum Doctorum „ suam sententiam defendit.

CAPUT IX.

Prænotanda pro depulsione faciliore eorum, quæ contra timorem pœnarum, vulgò servilem *ab adversariis opponuntur.*

1 Cum proprium servis sit magis duci pœnarum formidine, quàm dilectione dominorum, timor supplicii vulgari nomine à Theologis servilis dicitur; quamquam ea appellatio non in eadem adhibetur ab omnibus, significatione; quæ quia non à cunctis percipitur, vel ab aliquibus cognita, novitatis studio subdolè dissimulatur, hinc partim ignorantibus, partim malevolis occasio est, Sanctos Patres, & Theologorum principes inter se collidendi, doctrinamque subruendi Ecclesiæ, nisi inconcussis eam Dominus fundamentis in Petra firmissimè stabilivisset; contra quam nec portæ inferi prævalebunt. Quapropter nè varia vocis accceptio confusionem pariat, & tenebras veritati, significationes *timoris servilis* distinguere oportet: quæ ubi perceptæ fuerint, spontè dissipabitur, quidquid nubium meridiano soli inducere novatores duobus sæculis moliuntur.

Timor itaque servilis aliquando sumitur pro timore pœnæ ab hominibus infligendæ, ob quam cessatur ab externo opere, retento peccandi desiderio, quando opportunitas foret absque supplicii periculo. Talis est timor in furibus, talis fuit in plurimis Judæorum, qui nè lapidibus obruerentur, legem transgredi non audebant publicè, quàm oderant animo. Hoc sensu timorem servilem intelligit, & meritò damnat Hugo à S. Victore lib. 4. Allegor. in Lucam pag. 164. dicens: „ Servilis timor est pro evitanda pœ-

„ pœnâ abſtinere à malo, retentâ volunta-
„ te malâ: duo timores mali ſunt, ſervilis,
„ & mundanus. Servilis timor pœnam,
„ quæ ab hominibus infertur, metuit: &
„ idcirco ei ſufficit ceſſare à malo opere;
„ quia ad oculum famulatur, & reatum
„ conſcientiæ non metuit „. Idem in Annotat. Epiſtolæ ad Rom. pag. 185. „ Timor
„ ſervilis cohibet manum à malo opere timore pœnæ temporalis .... Ille dicitur
„ habere timorem ſervilem, qui timore
„ pœnæ temporalis tantùm aliquid ctiminale non committit „.

Simili modo Auguſtinus nomine timoris, qui caſtus non eſt, & à charitate excluditur, intelligit timorem hominum, vel pœnarum temporalium, enarratione in Pſalmum 127. *Alius timor permanet: alius excluditur: timor, qui excluditur, caſtus non eſt; qui autem permanet, caſtus eſt. Qui eſt timor, qui excluditur? Dignemini animadvertere. Aliqui propterea tantùm timent, nè quid mali in terra patiantur &c. adhuc timor ille non eſt caſtus.* Lib. de virginitate cap. 38. *Timor quidem non eſt in charitate; ſed perfecta charitas foràs mittit timorem; ſed timorem hominum: non timorem Dei: temporalium malorum; non divini in fine judicii*, & quæ judicium ſequitur infeliciſſimæ æternitatis.

De prioris generis timore ſervili enuntiat S. Laurentius Juſtinianus tract. de timore cap. 5. *Facilè deviat à juſtitia, qui in cauſis non Deum; ſed homines pertimeſcit. Hic timor peccandi facultatem auferre poteſt, voluntatem auferre non poteſt.*

2 Alia acceptio timoris ſervilis eſt, quo ſupplicium formidatur æternum quidem, ac proinde à Deo infligendum; ſed timetur velut malum principale contrarium ſuo commodo, in quo peccator maleſanus finem ſuum ultimum conſtituit, quem proinde præfert Deo, & dilectioni ejus. Ita timor ſervilis intelligitur, & meritò condemnatur à Doctore Angelico 2. 2. quæſt. 19. art. 6. in concluſione. *Alio* (inquit) *modo contrariatur charitati, ſecundùm quod aliquis refugit pœnam contrariam bono ſuo naturali, ſicut principale malum contrarium bono ſuo, quod diligitur ut finis: & ſic timor pœnæ non eſt cum charitate. Alio modo timor pœnæ diſtinguitur quidem ſecundùm ſubſtantiam à timore caſto, quia ſcilicet homo timet malum pœnale, non ratione ſeparationis à Deo; ſed in quantum eſt nocivum proprii boni; nec tamen in illo bono conſtituitur ejus finis: unde nec illud malum formidatur tanquam principale malum, & talis timor pœnæ poteſt eſſe cum charitate. Sed iſte timor pœnæ non dicitur eſſe ſervilis, niſi quando pœna formidatur ſicut principale malum* (contrarium bono, quod peccatori, antequam ſe convertar, maximum eſt) *ut ex dictis patet* (Art. 4.) *& ideo timor in quantum ſervilis, non manet cum charitate; ſed ſubſtantia timoris cum charitate manere poteſt; ſicut amor ſui manere poteſt cum charitate.*

3 Quandoquidem hic remittat nos Angelicus ad Articulum ſuum quartum, nè adverſariorum inſtar ex brevi lacinia furtim decerpta, captare præſidium videar, concluſionem citati Articuli refero integram, unde veritati catholicæ accedet lucis plurimum, nihil ſubſidii novatoribus „ Reſpon-
„ deo (inquit) dicendum, quòd timor ſer-
„ vilis ex parte ſervilitatis habet, quòd ſit
„ malus; ſervilitas enim libertati opponi-
„ tur: unde cùm liber ſit, qui cauſa ſui eſt,
„ ut dicitur in 1. Met. Servus eſt, qui non
„ cauſâ ſui operatur; ſed quaſi ab extrin-
„ ſeco motus. Quicumque autem ex amo-
„ re aliquid facit, quaſi ex ſe ipſo opera-
„ tur; quia ex propria inclinatione move-
„ tur ad operandum, & ideo contra ratio-
„ nem ſervilitatis eſt, quòd aliquis ex amo-
„ re operetur. Sic ergo timor ſervilis, in
„ quantum ſervilis eſt, charitati contraria-
„ tur. Si ergo ſervilitas eſſet de ratione
„ timoris ſervilis, oporteret quòd timor
„ ſervilis ſimpliciter eſſet malus; ſicut adul-
„ terium ſimpliciter eſt malum; quia id, ex
„ quo contrariatur charitati, pertinet ad
„ adulterii ſpeciem. Sed prædicta ſervilitas
„ non pertinet ad ſpeciem timoris ſervilis,
„ ſicut nec informitas ad ſpeciem fidei in-
„ formis; ſpecies enim moralis habitûs,
„ vel actûs ex objecto accipitur: objectum
„ autem timoris ſervilis eſt pœna: cui acci-
„ dit, quòd bonum, cui contrariatur pœna,
„ ametur tanquam finis ultimus; & per
„ conſequens pœna timeatur tanquam
„ principale malum, quod contingit in non
„ habente charitatem: vel quod ordinetur
„ in Deum ſicut in finem, & per conſequens
„ pœna non timeatur tanquam principale
„ malum: quod contingit in habente cha-
„ ritatem; non enim tollitur ſpecies habi-
„ tûs per hoc, quòd ejus objectum, vel
„ finis ordinetur ad ulteriorem finem; &
„ ideo timor ſervilis ſecundùm ſuam ſub-
„ ſtantiam bonus eſt; ſed ſervilitas ejus
„ mala eſt „. Verbis Angelici ab eruditiſſimo ejus interprete Joanne Nicolai ex Ordine S. Dominici, Sacræ Theologiæ Pariſiis profeſſore hæc annotatio additur in margine: „ Hinc ex impulſu Spiritûs Sancti eum
„ (timorem ſervilem) eſſe Concilium Tri-

„ dentinum aſſerit ſeſſ.14. cap.4., ac eos
„ damnat ſeſſ.6.can.8. qui peccatum potiùs
„ eſſe dicunt, & pejores facere peccatores,
„ ut jam Leo decimus contra Lutherum in
„ Concilio Lateranenſi decreverat. An
„ eum porrò Chriſtus Lucæ 12. verſ. 5. &
„ Matth. 10. verſ. 28. inculcaret, ſi malus
„ eſſet? De his etiam in 3. ſentent. diſt.34.
„ quæſt.2. art. 1. quæſtiuncula 2.

4 Adeamus, & hunc locum Angelici, ad quem ab interprete remittimur. „ Pœna
„ (inquit Sanctus) eſt duplex; una pro cu-
„ jus vitatione peccatum quandoque com-
„ mittitur; ſicut ſunt temporales pœnæ:
„ & hanc pœnam refugit timor mundanus,
„ vel humanus: alia pro cujus vitatione
„ nunquam fit peccatum; ſed magìs vita-
„ tur (peccatum) ſicut pœna, quæ erit
„ poſt hanc vitam: & hanc pœnam fugit
„ timor ſervilis. Alius autem timor eſt,
„ qui fugit utrumque malum, pœnæ ſcili-
„ cet, & culpæ: ſcilicet initialis, qui habet
„ oculum ad utrumque, & ideo eſt medius
„ inter ſervilem, & caſtum.

Eâdem diſt.34. & quæſt.2. art.2. quærit Angelicus *Utrum timor ſervilis ſit à Spiritu Sancto*: quod affirmans ita probat. „ Rom.8.
„ *Non accepiſtis Spiritum ſervitutis iterum in*
„ *timore*. Gloſſa: *unus Spiritus eſt, qui facit*
„ *duos timores*; ſcilicet ſervilem, & ca-
„ ſtum; ſed caſtus timor conſtat, quod eſt
„ à Spiritu Sancto; ergo & ſervilis. Præ-
„ terea non eſt minus timere Deum, quam
„ credere: ſed fides, etiam informis eſt à
„ Spiritu Sancto: ergo & timor ſervilis eſt
„ à Spiritu Sancto „. Tùm ſequitur quæ-
ſtiuncula 2. *Utrum timoris ſervilis ſit uſus bonus*. Sic autem reſolvit. „ Cujus uſus
„ malus eſt, ipſum etiam malum eſt; *quia*
„ *non poteſt arbor bona fructus malos facere*.
„ Matth. 7. ſed timor ſervilis eſt bonus,
„ cùm ſit à Deo; ergo ejus uſus bonus eſt.
„ Præterea uſus timoris ſervilis eſt abſtine-
„ re à peccato, & ad Sapientiam introdu-
„ cere: hoc autem eſt bonum, ergo uſus
„ ſervilis timoris eſt bonus „.

Audiat hoc Collator ſubſidiarius Queſnelli, & Hexaplorum, atque inaniſſima dimittat conamina ad pertrahendum Angelicum in novitatis partes, quibus patet eſſe infeſtiſſimum. Si enim penès ipſum uſus timoris ſervilis ſit, *abſtinere à peccato, & ad ſapientiam introducere*, aperta eſt falſitas damnati Articuli: *Timor nonniſi manum cobibet; cor autem tamdiu peccato addicitur, quamdiu ab amore juſtitiæ non ducitur*. Ad ipſum timor ducit amorem juſtitiæ, ad ipſam ſupremi Numinis dilectionem ſuper omnia, etiam benevolam, quam ſibi ad evitandum malum, quod maximè horret, interitum ſcilicet ſempiternum, conſpicit eſſe pernecesſariam. Evidens igitur contra adverſarios eſt, in Aquinatis ſententia, quæ eſt Eccleſiæ Catholicæ, non debere hominem, nè in cupiditatis vitium incidat, ſuſpendere animum à timore divini judicii, & perennium ſuppliciorum, donec amore juſtitiæ, & dilectione Dei benevolâ moveatur; cùm ad hæc ipſa ſervilis timor diſpoſitio, juxta S. Thomam, convenientiſſima ſit, juxta quem in memorato textu, uſus timoris ſervilis, eſt *abſtinere à peccato, & ad ſapientiam* (ſeu charitatem) *introducere*.

Temeraria autem adverſariorum fiducia eſt, quâ peccatores ſuos ſic inſtituunt, ut converſionis initio fugiant timorem, & à fide ſolummodo, & dilectione Dei pœnitentiam inchoent. Prop. 66. *Qui vult Deo appropinquare, nec debet ad ipſum venire cum brutalibus paſſionibus, neque adduci per inſtinctum naturalem, aut per timorem, ſicut beſtia; ſed per fidem, & per amorem ſicuti filii*.

5 Diſcamus nos potiùs ex Angelico: *Uſus timoris ſervilis eſt, abſtinere à peccato, & ad Sapientiam introducere*: & ex Auguſtino de Verbis Apoſtoli Serm. 13. *Timor ſervus eſt; charitas libera eſt; &, ut ſic dicamus, timor eſt ſervus charitatis: nè poſſideat diabolus cor tuum, præcedat ſervus in corde tuo, & ſervet dominæ venturæ locum: fac vel timore pœnæ, ſi nondum potes amore juſtitiæ*. Quid autem ſuades, Doctor Sanctiſſime, ſi prætenſi tui diſcipuli in *Moralis Euangelicæ compendio* veritatem nobis tradiderint Euangelicam? Prop.61. *Timor nonniſi manum cobibet; cor autem tamdiu peccato addicitur, quamdiu ab amore juſtitiæ non ducitur*: quod ita intelligunt, ut non ſolùm peccatum, quod ante fuerat, maneat habitu, ſive non remittatur; ſed etiam ut delicto novo maculetur animus, quoties ſolo metu continebitur, ſive quamdiu delectatione juſtitiæ non dirigetur. Hoc ſenſu cor interea addicitur peccato, cumulatque ſemper, ut ajunt, novis vetera: nam, ut quoque vidimus Prop. 60. *Si ſolus ſupplicii timor animat pœnitentiam, quò hæc eſt magìs violenta, eò magìs ducit ad deſperationem*. Dum igitur, Auguſtine, mones, ut pœnitentia fiat, *vel timore pœnæ, ſi nondum poteſt amore juſtitiæ*, quid aliud ſuggeris, niſi peccatum, & quidem pernicioſiſſimum deſperationis, eò gravioris, quò major fuerit pœnitentia? Quod verò aliud præceptum, vel bonum quodlibet opus homines *faciant timore pœ-*

na,

na; *si nondum possunt amore justitiæ*, dum juxta Prop. 47. *Obedientia legis profluere debet ex fonte, & hic fons est charitas. Quando Dei amor est illius principium interius, & Dei gloria ejus finis, tunc purum est, quod apparet exteriùs; alioquin non est, nisi hypocrisis, aut falsa justitia?* Ad hypocrisim itaque hortatus fuerit Augustinus eos, qui obedire nondum potuerint amore justitiæ: idem est de alio quovis opere secundùm speciem bono.

Denique generalis regula, & quasi fundamentum novæ Ecclesiæ est Prop. 44. *Non sunt nisi duo amores, unde volitiones, & actiones omnes nostræ nascuntur; amor Dei qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur; & amor, quo nos ipsos, ac mundum diligimus, qui quod ad Deum referendum est non refert, & propter hoc ipsum fit malus*: ac proinde mala omnis volitio, & actio indè proveniens. Quid enim ex virulento fonte saliat nisi noxium, & pestilens? Nam Prop.46.*Cupiditas, aut charitas usum sensuum bonum, aut malum faciunt*: atque adeò usus manuum necessariò est malus sinè charitate: unde qualemcumque Augustinus usum sensuum, vel eorum cohibitionem suaserit *timore pœnæ*, si nondum facere homo opus bonum, vel desistere à malo potuerit *amore justitiæ*, evidens est in novo systemate, Sanctissimum Antistitem suasisse peccatum. Denique timor pœnæ sinè amore justitiæ est vulgari vocabulo servilis: Prop. autem 67. *Timor servilis non sibi repræsentat Deum, nisi ut dominum durum, imperiosum, injustum, intractabilem*. Tam horrifica, tam contumeliosa Deo Optimo Maximo, tam blasphema repræsentatio approbari, atque suaderi sinè gravi scelere non potest; approbavit tamen & suasit Augustinus, si Quesnellus non fallitur.

6 Contra usum timoris servilis argumentum famosissimum est, & ab adversariis velut maximè nervosum ubique ingeritur, petitum ex Augustini lib. 3. contra Julianum cap. 4. quod ex alio motivo quàm charitatis possint *bona fieri*; *sed non bene*. Hoc argumento, & authoritate Augustini gestiens usus est Lutherus contra conclusiones Eckianas resolutione 2. Neque gloriari meritò Hæresiarcha potest tanquam difficultate suo ingenio contra Doctrinam Ecclesiæ excogitatâ: reperit eam priùs Doctor Angelicus, & facili depulit responso in commentario ad lib. 3. sententiarum distinctione 34. quæst. 2. art. 2. quæstiuncula 2. ita sibi objiciens. „ Videtur quòd usus ti„ moris servilis non sit bonus; usus enim „ bonus est, quo fit bonum, & bene: sed „ secundùm Augustinum super illud Rom. „ 8. *Non accepistis spiritum servitutis &c.* in „ timore servili etiamsi aliquid fiat bonum, „ non tamen bene: ergo ejus usus est ma„ lus.

2 „ Præterea omnis actus timoris ex „ aliquo procedit: sed actus timoris servi„ lis non procedit ex amore charitatis, er„ go procedit ex amore libidinoso: ergo „ est malus.

„ 3 Præterea una circumstantia indebita facit totum actum malum; sed actus „ timoris servilis videtur esse serviliter ti„ mere, quæ est circumstantia turpis: ergo „ actus timoris servilis est malus.

Quibus more suo præmissis objectionibus, Aquinas sententiam suam illis contrariam enuntiat dicens: Sed contra.... *Non potest arbor bona malos fructus facere Matth. 7. sed timor servilis est bonus; cùm sit à Deo: ergo usus ejus bonus est &c.* ut supra. Solutiones autem objectionum jam propositarum non possumus meliùs, quàm ex ipso fonte, ut Angelico, ita & purissimo haurire.

„ Ad primum ergo (quod ex Augusti„ no objicitur, timore servili fieri aliquod „ bonum, sed non bene) dicendum, quòd „ Augustinus loquitur, quando aliquid „ *fit timore servili ratione suæ servilitatis* „ (quando malum pœnæ; timetur, ut malum principale, & retinetur voluntas peccandi, si possit impunè).

„ Ad secundum dicendum quòd actus „ timoris servilis, quando bonus est, non „ est ex amore gratuito, neque ex amore „ libidinoso; sed ex amore naturali, quo „ quis vult consistentiam, & bene esse sui „ subjecti: & ideo horret omnem pœnam, „ sive quam experientia docet, sicut in na„ turali timore; sive quam fides demon„ strat, sicut in servili „. (Ad illud *sed ex amore naturali*, interpres rectè addit in margine, *licèt impulsum quemdam supernaturalem supponente, ut ad supernaturale objectum elevetur*) Pergit Angelicus. „ Ad tertium dicendum, quòd non semper time„ re serviliter est actus timoris servilis, ut „ ex dictis patet „ quia potest quis timere pœnam non tamquam malum principale, & maximum, sive ita ut ad illud cavendum velit potiùs malum quodlibet aliud, etiam separationem à Deo, & malum culpæ lethiferæ: in qua conditione, seu circumstantia turpissima consistit ratio servilitatis. Certum autem est, quòd attritio bona ex timore servili disponens ad gratiam in Sacramento pœnitentiæ recipiendam, sit à tali cir-

circumstantia, seu servilitate immunis, aliàs mala esset,& prorsus incongrua dispositio ad gratiam, utpote quam turpitudine sibi propriâ, quâ novum ipsa peccatum est, impediret, & removeret magis; non verò attraheret. Attritio igitur bona, & supernaturalis ex timore pœnæ, dicitur concipi ex timore servili quoad substantiam, sed non quoad servilitatem, quæ mala est: unde qui sic comparatus animo est, ut à furto abstineat metu quidem gehennæ; sed ita, ut simul statuat velle furari si posset impunè, sive si simul gehennam evadere daretur, ille non liberè, ut oportet, sed invitus à furto se continens, malitiæ addictus animo est, & novo astringitur delicto.

In ejusdem Quæstiunculæ solutione dicitur: „ Non oportet, quòd omne, quod „ accidit alicui habitui, semper in actu ejus „ manifestetur: sicut fidei informi accidit „ habere aliquid repugnans charitati; non „ tamen oportet, quòd semper in actu ejus „ charitati repugnans aliquid reperiatur. „ Cùm igitur servilitas timoris habitui accidat ex imperfectione subjecti, ut ex dictis patet, non oportet, quòd actus ejus „ semper conditiones servilitatis in se habeat; sed poterit habere bonitatem proportionatam substantiæ sui habitûs... & „ quia habitus perfectam rationem bonitatis non habet, ideo defectus alicujus debitæ bonitatis in actu, sive deordinatio „ aliqua, non repugnat substantiæ habitûs, „ sicut repugnat omnis actus inordinatus „ habitui virtutis, qui habet bonitatem perfectam: & propter hoc virtutis usus „ semper est bonus; peccati autem semper „ est malus; sed timoris servilis actus potest esse bonus, & malus„.

7 Hactenus S. Thomas, cujus vestigiis inhærens Cardinalis Bellarminus lib. 2. de pœnitentia cap. 18. respondet Luthero quædam maximè notatu digna, & lucem afferentia tractatui de timore servili, cui aliquorum seu imperitia, seu innovandi studium novas quotidie tenebras affundere moliuntur. Sic igitur Cardinalis. „ Dubitari non potest, quin dolor de peccato ex „ solo timore legis, & pœnarum, profectus, „ non sit ita liber, ac voluntarius, ut est ille, „ qui oritur ex amore justitiæ, & Dei; simpliciter tamen liber, & voluntarius est „ etiam ipse; cum ex deliberato consilio, „ & electione nascatur, & possit homo, ut „ etiam multi re ipsâ faciunt, malle peccando præsenti jucunditate frui, quàm non „ peccando futuras pœnas evadere. Sed „ etiamsi dolor iste aliquo modo extortus „ dici queat; non ideo tamen est malus, „ neque peccatum auget; sed bonus est, & „ à peccato retrahit; alioquin lex ipsa, „ quæ timorem incutit, esset mala; & Deus, „ qui timorem illum inspirat, mali author „ esset.

„ Sciendum est præterea, duos quasi „ gradus distingui posse in timore servili. „ Primus est quando impedit opus peccati „ externum; sed non voluntarem: & hic „ timor est bonus, & bonæ rei causa; quia „ bonum est impediri opus externum; sed „ quia conjunctus est cum mala voluntate, „ non gignit contritionem, neque attritionem. Secundus est, quando non solùm „ opus externum peccati; sed etiam voluntatem peccati coercet; sæpe enim homines, etiamsi nondum toto corde Deum „ diligant, tamen, consideratis malis effectibus peccati, & suppliciis æternis, ad „ quæ ipsos perducit, simpliciter odium „ contra peccatum concipiunt, & seriò abjiciunt peccandi voluntatem: & hic timor „ est melior: neque ex eo illo modo crescit „ peccandi voluntas, & de eo loquuntur „ Theologi, cùm dicunt, attritionem ex timore conceptam, dispositionem esse ad „ justificationem, &, Sacramento accedente, reverà justificare, ut perspicuum est „ ex Concilio Tridentino sess. 14. cap. 4. „ ubi legimus, attritionem disponere ad „ justificationem, si voluntatem peccandi „ excludat.

His positis, quæ nullus, ut existimo, sanæ Doctrinæ Theologus revocabit in dubium, saltèm æquus lector perspicit, fundatissimam à nobis propugnati sententiam; neque quidquam esse in Scripturis, Patribus, Scholasticorum Principibus, Tridentino Concilio, aut ratione Theologicâ, quod cum Constitutione Apostolicâ non optimè consentiat; nihil, quod condemnato suffragetur articulo.

Possem hic defungi præsenti controversiâ, & ex fundamentis catholicæ veritatis in aperta luce positis facilè solvendum lectori utcumque Theologo relinquere, quidquid objectionum Hexapla, vel Collatio eorum subsidiaria comminiscuntur; quia tamen omnibus debitores sumus, & multi studiis Scholasticæ non assueti malunt lectioni facili plusculum temporis impendere, quàm intendere nervos animi, ut ex principiis certis dissipandas suscipiant tenebras, quas ex obscurioribus quibusdam Patrum sententiis turba novaturiens congessit, quocumque nos adversarii provocant, sequamur; sed non provocaverint impunè.

CA-

CAPUT X.

Nihil præsidii Adversariis est in Scriptura Sacra.

1 LUcæ cap. 20. v. 19. *Quærebant principes Sacerdotum, & Scribæ mittere in illum manus illâ horâ: & timuerunt populum; cognoverunt enim quòd ad ipsos dixerit similitudinem de colonis occidentibus filium domini vineæ.* Nonne necessaria, aut valde congrua tali loco est moralis Observatio, quòd *Timor nonnisi manum cohibeat; cor autem tamdiu addicatur peccato, quamdiu amore justitiæ non ducitur?* In Euangelio de solo agitur timore hominum, qui cor non inspiciunt, ac proinde nullas ob solius animi crimina, ob cogitationes, ac desideria, etiam pessima, quæ externo opere non complentur, pœnas exigere possunt. Quænam igitur hic comparatio ad Deum, ejusque timorem, quando omnibus fidei rudimenta callentibus notissimum est, ab illo non sola, quæ corpore exequimur scelera, sed quaslibet cogitationes, affectionesque animi liberas divinis legibus repugnantes, non solùm videri, sed æternis etiam puniri cruciatibus?

Principes Sacerdotum, & Scribæ quærebant mittere manus in Christum; sed tamen non ausi, quia *timuerunt populum*; retinuere sacrilegum propositum, ut eventus docuit. Quis verò dubitet, quin juxta Jansenianam Logicam æquè, ac similem Theologiam factum unum particulare sufficiat, ut generalis dogmatis inferatur assertio, & pro casibus à priore diversissimis, qualis est sensus damnati Articuli: *Timor nonnisi manum cohibet: cor autem tamdiu peccato addicitur, quamdiu ab amore justitiæ non ducitur?* In casu Euangelico, ut dixi, timor hominum non inspicientium corda, solam repressit manum in Principibus Sacerdotum; non correxit animum: igitur timor Dei penetrantis corda, & cogitationes impias, affectusque liberos æque, ac facta publica discutientis, æternisque punientis cruciatibus, nihil unquam cohibet nisi manum; semper cor relinquit criminibus addictum, quamdiu ab amore justitiæ non ducitur. Si diceretur, contingere aliquando, imò sæpe, ut timor etiam divini judicii, & gehennæ nonnisi manum contineat; etsi inepta ea foret in casum longè disparem moralis observatio, dissimulari tamen posset, velut immunis à censura Theologica; cùm timor etiam æternitatis non in omnibus æquè vehemens sit, & in tentatione gravi, ac potissimùm liberâ hominis perversitate suffocetur.

2 Succurrunt *Observationibus* Hexapla, & nobis occinunt illud Psalmi 77. v. 34. & seq. *Cùm occideret eos, quærebant eum, & revertebantur, & diluculo veniebant ad eum, & rememorati sunt, quia Deus adjutor est eorum, & Deus excelsus redemptor eorum est: & dilexerunt eum in ore suo, & linguâ sua mentiti sunt ei: cor autem eorum non erat rectum cum eo, nec fideles habiti sunt in testamento ejus:* Iterum ex casu particulari non sequitur enuntiatio dogmatica, & universali æquivalens, qualis Quesnelliana est. Materiæ quoque disparitas obest, nè ex una prudens fiat qualiscumque collectio ad aliam. Psalmista loquitur de timore mortis; Quesnellus de timore quolibet, etiam judicii, & gehennæ.

Longè aliter, & multò fortiùs in mentibus hominum operatur non quidem semper; sed sæpissimè timor æternorum, quàm temporalium: unde ex eo, quòd forsitan metus mortis, etiam ut à Deo inferendæ non satis roboris in Judæis illis habuerit ad conversionem animi, non rectè conficitur contra æterni cruciatûs formidinem, quòd conversionem nequeat in hominum mentibus operari. Scilicet malum posterius priore longè gravius est; quidni ejus metus divinitus inspiratus agat fortiùs, & quædam ab animis obtineat magis ardua, quàm timor mortis corpori intentatæ?

Ex Servatoris id sententia discimus Matth. 10. v. 28. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus; animam autem non possunt occidere; sed potiùs timete eum, qui potest & animam, & corpus perdere in gehennam.* Rationem majoris timoris breviter explicat S. Thomas in Commentario: *Quia corpus in se necessitatem habet moriendi, unde qui vitam eripit corpori, non facit quod non sit aliquando futurum... Item quia occisio corporis propter gloriam est optabilis; unde Rom. 7. quis me liberabit de corpore mortis hujus? Item quia brevis est, & momentanea.* Subinde contigit, Martyres in tormentis titubare, & metu mortis, atque cruciatuum in periculo esse abnegandæ fidei; sed à miserante Numine excitatâ validiore divini judicii, & perennium suppliciorum formidine, timorem noxium superarunt. Ita Augustinus in Psalmum 127. circa finem. *Quomodo si videas avem veluti jam cadere in muscipulam, facis majorem strepitum, & volat de muscipulâ; sic & Martyrum jam fortè aliqui ipsorum intendebant collum in dulcedinem vitæ hujus: Do-*

minus, qui erat in illis, fecit strepitum gehennarum, & erutus est passer de laqueo venantium.

3 Hinc patet solutio ejus, quod objicitur ex Augustino in Psalm. 77. n. 10. „ Ex „ corde nullo modo fieri potest, quod formidine fit pœnæ, non amore justitiæ; „ nam quantum attinet ad facta, quæ forinsecus aguntur, & qui timent pœnam, & „ qui amant justitiam non furantur, & ideo „ pares sunt manu, dispares corde; pares „ opere, dispares voluntate. Ideo illic sic „ notati sunt: *Generatio*, inquit, *quæ non* „ *direxit cor suum*: non dictum est *opera*; „ sed *cor*; recto enim corde, recta sunt „ opera; cùm autem cor rectum non est, „ opera recta non sunt; etiamsi recta videantur. Et unde cor non direxit prava „ generatio, satis aperuit, cùm ait, *& non est* „ *creditus cum eo spiritus ejus*. Rectus est „ enim Deus, & ideo rectè adhærens tamquam incommutabili regulæ, potest fieri „ rectum, quod in se fuit pravum cor hominis. Ut autem cor cum illo sit, & per „ hoc rectum esse possit, accedatur ad eum, „ non pede; sed fide. Ideo dicitur etiam „ in epistola ad Hebræos de illa ipsa generatione prava, & amaricante: *Non profuit sermo auditus illis, non contemperans fidei eorum, qui obaudierunt &c.*

Ut Psalmus agit de temporalibus pœnis, quibus populum incredulum in idololatriam, crapulam, & cætera vitia propensum reprimere Deus, & ad meliorem frugem reducere conabatur, ipsum etiam exemplum, quod profertur de furibus, dubitare neminem sinunt, de quâ formidine ibi sermo sit; pœnarum videlicet ad corpus pertinentium, uti & temporaneæ mortis, quæ etiam lege veteri decernebatur transgressoribus, neque ob actus qui hominum conspectum fugerent, & solis intus committerentur mentibus. Ideo nihil miri, si de tali formidine, quâ & fures in publico manum à furtis continent, animo manente eisdem criminibus addictissimo, dicatur *nullo modo ex corde fieri posse, quod formidine fit pœnæ, non amore justitiæ*. Posse enim hominem metu divini judicii, & æternorum ignium divinitùs incusso, & supernaturali imperare sibi obedientiam Deo debitam, & aversionem à crimine, ex ipsius jam vidimus Augustini sententia comprobatum.

Plures ejusdem Sanctissimi Doctoris textus contra damnatum articulum clarissimos, & ineluctabiles dedi cap. 3. Quod quidem hic de Augustini mente breviter attigi occasione Psalmi 77. qui cum Augustini commentario objicitur, non impediet, quin accuratissimo discutiam examine quidquid ab Adversariis pro damnati dogmatis apologia, sive ex eodem S. Doctore, sive aliunde non minori fraude, quàm operâ collectum occurrerit.

CAPUT XI.

Augustinus damnato dogmati minimè suffragatur.

1 Assumamus textus quatuor Constitutioni Apostolicæ, ut adversarii autumant, maximè fatales, quos Hexaplorum subsidiarius *Collator* post Lutherum, & Jansenium ex Doctore maximo collegit. Sic nempe Sanctus in Psalm. 118. num. 18. „ Timor iste, quo non amatur justitia; sed timetur pœna, servilis est, & „ ideo non crucifigit carnem. Vivit enim „ peccandi voluntas, quæ tunc apparet in „ opere, quando speratur impunitas; cùm „ verò pœna creditur secutura, latenter „ vivit; vivit tamen; mallet enim licere „ quod lex vetat; quia non spiritaliter delectatur ejus bono; sed carnaliter malum metuit, quod minatur. Timore autem casto... carnes crucifiguntur; quoniam carnales delectationes, quæ legis „ literâ vetantur potiùs, quàm vitantur, „ spiritualium bonorum delectatione vincuntur „.

In Psalm. 11. num. 1. „ Qui timore pœnæ, non amore justitiæ opus legis facit, „ profectò invitus facit: quod autem invitus facit, si posset fieri, mallet utique non „ juberi; ac per hoc legis, quam vellet „ non esse, non est amicus; sed potiùs inimicus: nec mundatur opere, qui immundus est voluntate.

Epist. 144. „ Inimicus justitiæ est, qui „ pœnæ timore non peccat; amicus autem „ erit; si ejus amore non peccat; tunc „ enim verè timebit peccare. Nam qui gehennas metuit, non peccare metuit; sed „ ardere: ille autem peccare metuit, qui „ peccatum ipsum, sicut gehennas odit... „ Tantum porrò quisque peccatum odit, „ quantum justitiam diligit.

Lib. 2. contra adversarium legis cap. 7. „ Desiderium peccandi non extinguitur, „ nisi contrario desiderio faciendi rectè; „ ubi fides per dilectionem operatur „.

Primum, quod objicitur, etiam sibi ex Augustino ante reliqua opposuerat Sanctus Bonaventura, & facilè dissolvit in lib. 1. Sen-

Sentent. diftinct. 34. quæft. 2. cui hunc tribuit titulum: *Timor fervilis, licèt non fit bonus bonitate meriti, eft tamen bonus bonitate præparante ad meritum*: tum in contextu operis, propofitis utrimque rationibus, & determinatione fuâ, doctrinæ communi, quam hic defendimus, confonâ fic refpondet: „ Ad illud, quod primò objicitur, quòd „ *in timore fervili vivit voluntas peccandi*, „ *& quòd dolet de eo, quod lex vetat*, dicen- „ dum, quòd illud verbum Auguftini non „ intelligitur, quòd femper, quando timet, „ doleat actu; & fimiliter, quòd voluntas „ peccandi femper fit in actu. Sed hoc di- „ cit; quia manet in habitu, & radice. Li- „ cèt autem voluntas fit per peccatum de- „ formata, & regnet in ea malus amor; „ poteft tamen aliquando moveri ad aliqua „ bona opera in genere, vel ex circum- „ ftantia per aliquam gratiam gratìs da- „ ram, non committendo culpam, ficut pa- „ tet per multa exempla, & fic poteft effe „ in parte ifta „. Si Quefnellus aliud non affirmaffet, quàm quod, Seraphico interprete, Auguftinus, peccatoris animum tamdiu peccato addici habitu, quamdiu ab amore juftitiæ non ducitur, quod aliud non eft, quàm peccatum antea commiffum remanere habitu, five reatu, quamdiu in fola hærens formidine peccator, ad amorem juftitiæ non affurgit: Si, inquam, non affirmaffet aliud Quefnellus; habuiffet & Hipponenfem Antiftitem, & ipfum Seraphicum fuffragatores, neque ullum offendiffet Catholicum; multò minùs Sedis Apoftolicæ in hanc fuam fententiam anathema confciviffet. At Quefnellus articulum fuum intelligit de *addictione*, in novis femper peccati actibus confiftente, ut patet tum ex propofitionis initio, *Timor non nifi manum cobibet*, à committendo externo crimine; tum ex Prop.62. *Qui à malo non abftinet, nifi timore pœnæ, illud committit in corde fuo; & jam eft reus coram Deo*. Præceffere tot articuli de charitate, quibus præcipuus fcopus eft, actiones omnes arguere peccati,quæ ex charitatis imperio non dimanaverint. Prop.44. *Non funt nifi duo amores, unde volitiones, & actiones omnes noftræ nafcuntur: Amor Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur; & amor, quo nos ipfos, ac mundum diligimus, qui quod ad Deum referendum eft, non refert, & propter boc ipfum fit malus*. In Auguftini autem fententia dictum de peccatore, dum metu fervili *timet pœnam*; fed *non amat juftitiam*, quòd *vivat* in eo *peccandi voluntas* habitualis, *quæ tunc apparet in opere, quando fperatur impunitas*; cùm ve-

rò *pœna creditur fecutura, latenter vivat, vivat tamen*; deinde quòd habitu *mallet licere, & doleat non licere, quod lex vetat*; *quia non fpiritaliter delectatur ejus bono; fed carnaliter malum metuit, quod minatur*, agnofcimus omnes cum Seraphico de voluntatis peccatricis habitu, ratione cujus graviores etiam ei convenient cenfuræ, qualis eft, quòd Deum ipfum contemnere cenfeatur, ac Redemptoris Sanguinem conculcare. Sed pariter iniquus, & minimè verax reputabitur, qui omnibus peccatoris actibus, vel omnibus ex fervili formidine elicitis hanc intulerit contumeliam. De folis juftis dicitur, quòd *Legis bono fpiritaliter delectentur*; nemo tamen catholicus afferet, omnia peccatorum opera effe peccata. Nemo etiam fani fenfûs theologus afferet, omnem eum actu *metuere carnaliter malum, quod lex minatur*, qui ab amore juftitiæ præfcindens, timore fupplicii à Deo inferendi inducitur ad decernendum obfervantiam mandatorum, ceffationemque à peccato.

At, inquiet Quefnellus, idipfum eft, quod fieri poffe pernego, cùm dico, *timore non nifi manum cobiberi; cor autem tamdiu peccato addici,quamdiu ab amore juftitiæ non ducitur*:atque hujus afferti vadem habeo Auguftinum. Ego verò adversùs hanc Quefnelli temeritatem reclamare apertiffimè Auguftinum, ex verbis ejus fæpius demonftravi. Sufficiet huc adducere Auguftini interpretem, vel ipfius Janfenii judicio irrefragabilem; Aquinatem dico, & quidem in Summa Theologica, quæ Auguftini compendium, five, ut vocabulo Janfenii utar, *Auguftinus contractus* eft, 2. 2. quæft. 17. art.8. *Aliquis introducitur ad amandum Deum, per bot, quòd timens à Deo puniri, ceffat à peccato, ut Auguftinus docet fuper primam Canonicam Joannis*: Verba Auguftini tractatu 9. in illud *Perfecta charitas foràs mittit timorem*, funt quæ fubjicio: *Sunt bomines, qui propterea timent, nè mittantur in gebennam, & nè ardeant cum Diabolo in igne æterno; ipfe eft timor, qui tbaritatem introducit*: ubi confpicimus, folam proferri fupplicii formidinem, & ab omni præfcindi nobiliore ftimulo, quo homo, qui hactenus à charitate, & juftitia alienus fuerat, *introducitur ad amandum Deum* juxta Angelicum, five *ad tbaritatem* juxta Auguftinum.

Nunc mihi ex adverfariis quærendum, num ita timens, dicendus fit *carnaliter metuere malum*? Affirmare nequeunt, nifi deferto propalam Auguftino non minùs, quàm Angelico, ipfâque violatâ in novitatis gra-

tiam manifestissimâ veritate. Præterea inflictum ab Alexandro VIII. anathema propos. 14. inter 31. *Timor gehennæ non est supernaturalis*. Et 15. *Attritio, quæ gehennæ, & pœnarum metu concipitur, sinè dilectione benevolentiæ Dei propter se, non est bonus, motus & supernaturalis*. Adversarios per amorem justitiæ intelligere amorem Numinis, sive justitiæ increatæ, liquet ex Prop. 44., & plerisque aliis de charitate. Rectenè autem *carnalis* timor dicitur, quem supernaturalem definivit pridem Apostolica Sedes, præeuntibus Tridentino Concilio, SS. Salesio, Bonaventura, Aquinate, ipsoque Augustino in illud Apostoli ad Rom. *Non accepistis spiritum servitutis iterum in timore*? Ideo in objecta Augustini sententia *carnalis* timor accipitur tutiùs, & magis congruè veritati pro formidine pœnæ ex legis præscripto corporibus inferendæ. Quamvis *spiritaliter delectari Legis bono*, sive justitiâ, propriè justis conveniat; quales supponuntur non esse, qui formidine ducuntur servili (charitas enim filiorum est;) potest tamen etiam sensu non incongruo reperiri in pœnitentibus, qui timore hactenus Dei vindicis, non amore justitiæ juxta adversariorum sententiam conteruntur. Cui enim attritio est, qualis à Tridentino describitur sess. 4. cap. 4. *Propositum* includens *non peccandi de cætero*; Ibid. *Voluntatem peccandi excludens*, comitante *spe veniæ, non faciens hominem hypocritam, & magis peccatorem*; Illi *donum Dei est, & Spiritûs Sancti impulsus; non adhuc quidem inhabitantis; sed tantùm moventis, quo pœnitens adjutus viam sibi ad justitiam parat*. De eo autem, qui tali ducitur timore, ait Augustinus in Psalm. 127. *Timet, nè mittatur in gehennam: bonus est, & utilis iste timor*. Quantum autem attinet ad *delectationem* in *bono Legis*, seu justitiâ, convenit etiam aliqua, virtualis saltèm, memoratæ formidini, quatenus per hanc via sternitur ad justitiam, & summi Numinis dilectio cum cæterorum impletione mandatorum, firmiter à timente proponitur. Ita Augustinus eodem loco de gehennæ suppliciis loquens: „ Audiunt hæc homines; &, quia verè „ futura sunt impiis, timent, & continent „ se à peccato. Habent timorem, & per „ timorem continent se à peccato. Timent „ quidem; sed non amant justitiam; cùm „ autem per timorem continent se à pecca„ to, fit consuetudo justitiæ, & incipit quod „ durum erat, amari, & dulcescit Deus „. Non solùm itaque timentis animus haud semper novis consensibus addicitur peccato, quamdiu ab amore justitiæ non ducitur; sed & timor ipse continentiam à peccato, & cum proposito implendi omnia præcepta, adeoque Dei amorem rebus omnibus præferendi, convincitur inducere amorem justitiæ, potissimùm increatæ, cujus dilectio creatam complectitur. Num igitur talis amoris desiderium, firmumque propositum nullus justitiæ amor virtualis est, nulla in *Legis bono delectatio*? Timore gehennæ juxta Augustinum *fit* non solùm *abstinentia à peccato*, sed etiam *consuetudo justitiæ*. Eodem timore fit, ut quod in Divina lege durum priùs apparuerat, velut suave diligatur, *incipiat quod durum erat, amari*. Denique timore illo fit, ut *dulcescat* homini *Deus*, eumque amoris sui dulcedine *delectet*. Non igitur, Augustino judice, prævenire, vel ab initio comitari timorem necessariò debet *amor justitiæ*, & *spiritualis* in *bono legis delectatio*, ut *timor* censeatur *bonus, & utilis*, ut per eum se homo contineat à peccato, proinde, ut non *manum* solummndo *cohibeat*; sed etiam animum, nè novis in illud consensibus perpetuò prolabatur. Dum enim juxta S. Doctorem *homines continent se à peccato*, simpliciter intelligit, non manuum solùm, quod nonnisi impropriè peccatum est, sed etiam animorum. Solâ manuum continentiâ, dum animus sceleratis continuò volutatur cupiditatibus, non *fit consuetudo justitiæ*, neque *amari incipit* quod in lege Domini *durum erat*, neque *dulcescit Deus*. Quæ cùm ita sint, adeò non patrocinatur Doctor maximus proscripto Articulo; ut nihil cogitari valeat infensius. Quapropter dimittere hìc possem argumenta adversariorum ex Augustino cætera; cùm neque præsumendus sit Sanctus inter se pugnantia docuisse, neque proferatur aliquid difficultatem præseferens majorem, quàm quæ in præcedenti commodè, & ex ipsius S. Antistitis sententia invictissimè dissoluta sunt. Attamen velut ex abundanti discutiamus reliqua.

In Psalm. 11. ait Augustinus: „ Qui ti„ more pœnæ, non amore justitiæ opus le„ gis facit, profectò invitus facit. Si pos„ set fieri, mallet utique non juberi; ac „ per hoc legis, quam vellet non esse, non „ est amicus; sed potiùs inimicus: nec „ mundatur opere, qui immundus est vo„ luntate.

Istud S. Doctoris, *non amore justitiæ*, duplicem patitur significationem. Primam, ut accipiatur infinitè, sive contrariè: alteram pro mera negatione. Priore modo textum Apostoli Rom. 14. *Quod non est ex fide, peccatum est*, explicat S. Thomas lectione 3.

Sic

Sic intelligendum eft „ Omne , quod eft „ contra fidem , vel confcientiam , pecca- „ tum eft, etfi ex genere luo bonum videa- „ tur; puta, fi paganus ad honorem fuorum „ Deorum Virginitatem fervet, vel elee- „ mofynam det, hoc ipfo peccat.

Julianus acerrimus Pelagii defenfor apud Auguftinum lib.4. contra Julianum cap.3. quæficrat ex Sancto : *Si gentilis operuerit nudum, numquid quia non ex fide, peccatum eft?* Refpondet S. Doctor : *Prorfus in quantum non ex fide, peccatum eft; non quia per fe ipfum factum, quod eft operire nudum, peccatum eft; fed de tali opere non in Domino gloriari, folus impius negat effe peccatum.* Juxta Auguftinum fcilicet virtutes à vitiis difcernuntur *finibus*, *non officiis*. Neceffe autem eft, illud *in quantum non eft ex fide*, ab Auguftino afferi; ficut Angelicus ejus difcipulus, & interpres *intelligendum* fupra monuit, ut fenfus fit : *Omne, quod eft contra fidem, vel confcientiam, peccatum eft*: Aliàs enim Hipponenfi Antiftiti, atque ipfi Apoftolo impingeretur error à tribus Pontificibus S. Pio V., Gregorio XIII., & Urbano VIII. profcriptus anathemate : *Omnia opera infidelium funt peccata, & virtutes philofophorum funt vitia*; quia non ex fide.

Apoftolicis hifce adversùs Bajum definitionibus nihil deeffe, ut univerfam Ecclefiam obligent, & circa illas nec appellationem admitti, nec mutationem expectari poffe, meritò cenfuit Cardinalis Noaillius : *atque ita*, inquit, *exiftimo profefforum fuiffe Clerum Gallicanum* anno 1705. in Comitiis; *fi de illis actum fuiffet*. Sic Eminentiffimus ad fummum Pontificem fcripfit anno 1711.

Adde, quòd Auguftinus non folùm Juliano; fed omnibus Pelagii fectatoribus fe præbuiffet ridiculum; fi locum Apoftoli per negationem fimplicem, non contrariè expofuiffet. Compertiffimum fcilicet eft, Auguftinum agnoviffe in infidelibus actiones omni ex parte innocuas; imò bonas, quæ effent dona Dei, & in ipfius æquiffimo tribunali judicata digna præmio temporali. Verba clariffima fæpe retuli ex Epiftola 5. ad Marcellinum, Epiftola 99. & 130. lib. de fpiritu, & lit. cap.26. lib.1. de peccatorum meritis cap.22. ac denique lib.5. de civitate cap.12. Si igitur Auguftinus Apoftoli effatum, ut debuit, acceperit, non negativè; fed contrariè, evidens eft illius in eandem Apoftoli fententiam commentarium modo fimili intelligendum : *de tali opere non in Domino*, feu contra Dominum *gloriari*, illnd fibi ex vana gloriâ tribuendo, faciendo ut videatur, & laudetur ab hominibus, vel ut honorentur indè falfa numina, *folus impius negat effe peccatum*. Hic Auguftini fenfus colligitur etiam ex invectivâ, & notis graviffimis, quibus illud *non in Domino gloriari* folitus eft perftringere : vocans infidelem, ftultam, noxiam, impiam, voluntatem: quales cenfuras non meretur fola relationis in Deum omiffio; fed Stoicorum fuperbia in fuis gloriantium virtutibus. Solent quidem Baji, & Janfenii affeclæ terribilem iftam Auguftini notam inurere omnibus, qui non agnofcunt peccatum, quoties opus aliqnod in Dei gloriam actu præfenti, aut eliciti virtute imperii in illud influentis referri non contigerit. Non perfpiciunt illi fcilicet, vel occludunt oculos, nè videant, quantam calumniam inferant Sanctis Patribus, atque Ecclefiæ Doctoribus Angelico, & Seraphico, etiam Salefio, quos fequitur innumerabilis Scholafticorum exercitus; hos enim omnes conftat perpetuæ illius relationis neceffitatem non admittere. Nullâ quoque ratione admittendam oftendimus contra plures de charitate articulos, præfertim quadragefimum quartum, & contra alios, feu de actibus humanis, feu de libertate finè gratia, nominatim 42. Adverfarii itaque tot Sanctos cœlorum fedibus detrudunt velut impios. Si verò, ut evidens eft, locus Apoftoli, & Auguftini in eum commentarius accipi debet non negativè, fed contrariè, nihil apparet incongrui in explicatione fimili objectæ ex Auguftino fententiæ, *Qui timore pœna, non amore juftitiæ opus Legis facit, profectò facit invitus: quod autem invitus facit, fi poffet fieri, mallet utique non juberi: ac per hoc Legis, quam vellet non effe, non eft amicus; fed potiùs inimicus: nec mundatur opere, qui immundus eft voluntate.* Quæ iterum omnia rectiùs tribuentur profeqnenti juftitiam odio, quàm in opere aliquo præcepto amorem juftitiæ prætermittenti; neque ulla umquam proferetur ratio probabilis, quæ conficiat, hominem gehennæ formidine graviter perculfum, non poffe illâ folâ, quæ ex Spiritu Sancto eft, tum opus legis fibi præcipere exercendum, tnm juftitiæ odinm fibi liberum impedire, quando probè confcius eft, fe inferorum fupplicia non minùs incurfurum odio juftitiæ, quàm præfcripti operis omiffione. Haud equidem inficior, vitium iftud fæpe metuentibus accidere, ut, dum amore explicito non feruntur in juftitiam, eam odio infectentur, quia, ut Luthero fimilia objicenti refpon-

dentem vidimus Bellarminum lib. 2. de pœnitentia cap. 18., timores varii gehennæ sunt, etiam boni, & utiles, sed inæqualis roboris, & imparis bonitatis. Duos commemorat, quorum *primus impedit opus peccati externum; sed non voluntatem, qui quia conjunctus est cum mala voluntate, non gignit contritionem, neque attritionem. Secundus non solùm opus peccati externum; sed etiam voluntatem peccandi coercet*. Itaque de primi generis timore accipi potest objecta Augustini sententia; non de secundo, ut patet. Si enim hic *voluntatem peccandi coerceat*, non patitur elici actum, quo legis, aut justitiæ constituetur inimicus. Falsitatis quoque convincitur articulus, indefinitè, & quodammodo universaliter statuens: *Timor non nisi manum cohibet; cor autem tamdiu peccato addicitur, quamdiu ab amore justitiæ non ducitur*. Convictionem autem non sola fundat Bellarmini authoritas; sed potissimùm Tridentini, Principum Scholasticorum Angelici, & Seraphici, etiam Salesii, præcipuorum Patrum, & vel maximè Augustini: quorum inculcata sæpius verba clarissima hic repetere supervacaneum est.

Neque sola nobis patrocinatur Traditionis, quin, & Scripturarum locis plurimis indubitata authoritas; sed ratio quoque adeò manifesta, ut assequi numquam potuerim, neque assecuturum credam quemquam novitatis spiritu non præoccupatum, cur Divini judicii, & æternorum cruciatuum timor vehementissimè apprehensus, concurrente Divinæ gratiæ auxilio, persuadere homini nequeat abstinentiam ab ullo interiore crimine, quando quotidie perspicimus, & experimur, quantum rationes humanæ, subinde levissimæ, si cum supernaturalibus istiusmodi conferantur, in animis valeant, atque affectibus dominentur.

Poterit quoque hic aptari responsio S. Thomæ, quam objectioni simili ex Augustino propositæ adhibet in librum tertium sententiarum distin. 34. quæst. 2. art. 2. ubi ita sibi Angelicus opposuerat: *Videtur, quòd usus timoris servilis, non sit bonus; usus enim bonus est, quo fit bonum, & bene: Sed secundùm Augustinum super illud Rom. 8. Non accepistis spiritum servitutis &c. In timore servili etiamsi aliquid fiat bonum; non tamen bene; ergo usus ejus est malus*, quod non minùs solidè, quàm breviter ita dissolvit: *Ad primum ergo dicendum, quod Augustinus loquitur, quando aliquid fit timore servili ratione suæ servilitatis*: Tunc scilicet, etiamsi opus legis fiat, ac proinde bonum; non tamen bene; quia includitur intentio non obediendi, si promitteretur impunitas: ac per hoc *inimicus legis est, quam vellet non esse*: sive, ut alibi servilitatem Angelicus explicat, pœnam metuit veluti malum principale fugiendum potiùs, quàm malum culpæ; quæ comparatio indubiè sacrilega est, atque de eo, qui operatur tali ductus formidine meritò asserit Augustinus, *nec mundatur opere, qui immundus est voluntate*. Loci autem contra Julianum interpretatio nostra confirmatur invictissimè ex illo Angelici 2. 2. quæst. 23. art. 7. *Ad primum ergo dicendum, quòd actus alicujus charitate carentis potest esse duplex: unus quidem secundùm hoc, quòd charitate caret*, utpore cùm facit aliquid in ordine ad id, per quod caret charitate. *Et actus semper est malus, sicut Augustinus dicit contra Julianum, quòd actus* (hominis) *infidelis, in quantum est infidelis, semper est peccatum; etiamsi nudum operiat, vel quidquid aliud hujusmodi faciat, ordinans in finem suæ infidelitatis*. Ubi patet, *Non in Domino gloriari* ab Augustino nequaquam negativè accipi; sed contrariè pro *contra Dominum gloriari*.

Titones facilè hallucinantur, dum à Magistris audiunt, timorem servilem esse posse absque servilitate. Potestne esse, inquiunt, rationale animal, absque rationalitate, paries manens albus esse absque albedine? Quapropter recentiores tam Scholæ Thomisticæ, quàm Scotisticæ, & cujuscumque alterius catholicæ Doctores consensu communissimo, claritatis gratiâ distinguunt timorem serviliter servilem, qui semper malus est, à servili simpliciter, qui bonus, & à Spiritu Sancto est. Timoris simpliciter servilis forma est, timère pœnam delinquentibus infligendam, præscindendo utrum ea locum mali obtineat principalis. Verùm forma serviliter servilis nequitiam semper continet, qua evitatio supplicii præfertur fugæ peccati. Usu quoque loquendi passim obvio, qui Angelico, ut vidimus, conformis est, non dicitur serviliter fieri, nisi juxta sensum reprobum jam indicatum.

Alia rursus Augustiniani loci interpretatio perspicua, & sanissima est, quam ex S. Bonaventura in lib. 3. sententiarum dist. 34. quæst. 2. adhibui ad objectionem priorem, & à quolibet huc facilè transferetur, juxta quam Seraphici interpretationem, objectæ ex Augustino laciniæ sensus erit: *qui timore pœnæ, non amore justitiæ opus legis facit, profectò*

fectò invitus facit, vel ratione conditionis illicitæ,quæ actui sæpe annectitur, vel ratione subjecti, seu hominis peccatoris, qui habituali crimine aversus est à Deo, ac proinde ab ejus sanctissima lege, & utrinsque inimicus. Ita dicitur invitus facere, quidquid agit timore legis, & non amore justitiæ. Hinc autem nihil sequitur eorum, quæ in damnato articulo affirmantur. Non enim hinc conficies, quòd timor qualiscumque nonnisi manum cohibeat, totiesque peccetur corde, quoties non duxerit amor justitiæ. Nihil hic sensûs odiosioris tribuo adversario,aut ejus proscripto dogmati. Quod enim in illo ponitur de timore solam cohibente manum, ut illimitata timoris enuntiatio est, ita æquivalet universali. Neque ullus revocabit in dubium, quin, considerata potissimum authoris circumstantiâ, verbum *addicitur* non solùm habitum significet; sed etiam actum; non enim cor dicitur addictum remanere (quod faciliùs habitum indicaret, sive habitualem tantùm in patrato crimine perseverantiam) sed *addicitur tamdiu*, sive tot repetitis actibus, quot eliciuntur, non ducente amore justitiæ. Nota quoque est adversarii regula Prop. 47. *Obedientia legis profluere debet ex fonte, & hic fons est charitas: quando Dei amor est illius principium interius, & Dei gloria ejus finis, tunc purum est quod apparet exteriùs: alioquin nonest, nisi hypocrisis, aut falsa justitia*. Prop. 45. *Amore Dei in corde peccatorum non ampliùs regnante, necesse est, ut in eo carnalis regnet cupiditas, omnesque actiones ejus corrumpat*. Unum hic moneo, quòd ubi in hac quæstione cum Doctore Seraphico peccati habitum voco, intelligam peccatum habituale; non habitum istiusmodi, qui ex actibus natus, post reconciliationem remanet quasi fomes, & propensio non voluntaria ad peccatum.

Ultima Augustiniani textûs explicatio, à nemine, Augustini præcipuè, & Angelici discipulo rejicienda, est: *Qui timore pœnæ, non amore justitiæ opus Legis facit*, absque ullo pio affectu erga legem, vel erga opus lege impositum; sed cum voluntariâ agit tristitiâ, *profectò invitus facit; quod autem invitus facit, si posset fieri, mallet utique non fieri: ac per hoc Legis, quam vellet non esse, non est amicus: sed potius inimicus: nec mundatur opere, qui immundus est voluntate*. Hæc explicatio congruit Aquinati 1. 2. quæst. 100. art. 9. ad 3. *Dicendum, quòd operari sinè tristitia opus virtutis cadit sub præcepto legis divinæ; quia quicumque cum tristitia* (voluntaria) *operatur, non volens operatur; sed delectabiliter operari, sive cum lætitia, vel hilaritate quodammodo cadit sub præcepto*; in quantum scilicet delectatio ista, seu lætitia in parte hominis rationali est quædam objecti approbatio, & complacentia. Dixi ab observatione præcepti excludendam tristitiam *voluntariam*, quæ ad rationem pertinet: mœstitia enim, quæ in parte sensitiva est, impediri ab homine non potest, ideoque nec imputatur ad culpam: aliàs nulla præcepti impletio repugnans concupiscentiæ innocua foret, neque ipsum vacaret culpâ martyrium, quoties dolores acerbissimi sentiuntur.

Ovabunt hic forsitan adversarii, quasi partâ victoriâ; sed præcoces triumphi in leves facilè disperguntur auras; immenso enim adhuc spatio à damnato dogmate dissidet doctrina catholica. Penes hanc remanet inconcussum, quòd aliquis Divini judicii, & damnationis perpetuæ timor, non solùm manum; sed etiam animum valeat à peccando retrahere, ut nos Scripturarum docuere oracula, & universa Sanctorum Patrum, Principumque Scholasticorum traditio, rationis lumine suffragante. Qui verò ab Augustino, nobis ultro assentientibus, requiritur amor justitiæ, sive præcepti justissimè impositi, ortum ducit ab ipsa perennium suppliciorum formidine veluti dispositione: quod vel ipsi, teste Augustino, accidit chatitati libro de catechizandis rudibus. Cap. 5. *Ipsâ etiam severitate, qua corda mortalium saluberrimo terrore quatiuntur, charitas ædificanda est*. Serm. 214. *Cùm timetur pœna, quam* (Deus) *minatur, discitur amari præmium quod pollicetur, ac sic per timorem pœnæ bona vita retinetur: per bonam vitam bona conscientia comparatur; ut per bonam conscientiam nulla pœna timeatur*. Confirmatur hìc apertissimè doctrina Concilii Tridentini, & nostra, præsenti articulo, & toti adversariorum systemati directè opposita. Quesnellus enim nullam volitionem, actionemve agnoscit bonam, nullam expertem vitii, nisi charitatem, vel quæ ex ea duxerit originem: *Non sunt nisi duo amores* (Prop. 44.) *unde volitiones, & actiones omnes nostræ nascuntur: Amor Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur; & amor, quo nos ipsos, ac mundum diligimus, qui quod ad Deum referendum est, non refert, & propter hoc ipsum fit malus*. Synodus autem Tridentina à Spiritu Sancto, & traditione veterum, maximè Augustini edocta, in peccatoribus conversionis initium deducit primum à fide, dein à timore, à quo gradus fiat ad spem, justitiæque, increatæ po-

potissimùm, dilectionem. Sessione 6. cap. 6. „ Disponuntur autem ad ipsam justitiam, „ dum excitati Divinâ gratiâ, & adjuti, fi- „ dem ex auditu concipientes, liberè mo- „ ventur in Deum, credentes vera esse, quæ „ divinitus revelata, & promissa sunt, at- „ que illud imprimis, à Deo justificari im- „ pium per gratiam ejus, per redemptio- „ nem, quæ est in Christo Jesu: Et, dum „ peccatores se esse intelligentes, à Divi- „ næ justitiæ timore, quo utiliter concu- „ tiuntur, ad considerandam Dei miseri- „ cordiam se convertendo, in spem eri- „ guntur, fidentes, Deum sibi propter Chri- „ stum propitium fore: illumque, tam- „ quam omnis justitiæ fontem, diligere in- „ cipiunt: ac propterea moventur adver- „ sùs peccata per odium aliquod, & dete- „ stationem: hoc est, per eam pœniten- „ tiam, quam ante baptismum agere opor- „ tet „. Perspicuum hìc est, timore Divi- næ justitiæ peccatores utiliter concuti, &, cùm nulla possint humana præsidia contra talem judicem eos tutos reddere, formido eadem instigat fortiùs ad considerandam Dei misericordiam: indè spe erecti illam precibus implorant; quas comitatur aliquod Divini amoris initium, cùm Deum tamquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt. Quid enim magis conveniens, quàm ut justitiæ, quam tantopere desiderant, authorem pariter dilectione prosequantur? Non igitur in sola corporis membra agit supremi judicii metus, sed etiam in animos, ut eos tum à novis deterreat, & abstrahat criminibus, tum ad commissorum odium, detestationemque excitans, eorum abolitionem suadeat modis omnibus procurandam. Neque totam hanc salutarium actionum seriem ab amore justitiæ; sed à timore judicii, & cruciatuum æternorum velut principio deducimus; cùm & ipse amor justitiæ primùm à formidine imperetur. Hunc ordinem contra timoris calumniatores hæreticos Lutherum, & Calvinum nobis describit Oecumenica Synodus, quem ipsa acceperat à Scripturis, Patribus, & quidem clarissimè ab Augustino Tract. 9. in Epist. Joannis. *Opus est, ut intret timor primò, per quem veniat charitas: timor medicamentum, charitas sanitas*: Novi autem non minùs exitiales Theologi, quàm ridiculi medici, præscribere ægro, vel admittere medicamentum nolunt, nisi valetudine recuperatâ.

Objectio tertia desumitur ex Augustini Epistolâ 144. „ Inimicus justitiæ est, qui „ pœnæ timore non peccat: amicus autem „ erit, si ejus amore non peccet; tunc „ enim verè timebit peccare. Nam qui ge- „ hennas metuit, non peccare metuit, sed „ ardere. Ille autem peccare metuit, qui „ peccatum ipsum sicut gehennas odit... „ Tantum porrò quisque peccatum odit, „ quantum justitiam diligit „. Quod hic dicitur, *Inimicus justitiæ est, qui pœna timore non peccat*, cave intelligas sensu Quesnelli, quasi timor ille, qui neque amor Dei est, neque ex amore illo velut *fonte nascitur*, sit *malus*, ut habet Prop. 44. cum pluribus sequentibus; non enim sic effugies anathema Tridentini Concilii sess. 6. can. 8. *Si quis dixerit, gehennæ metum, per quem ad misericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel à peccando abstinemus, peccatum esse, aut peccatores pejores facere, anathema sit*. Canon, inquies, contra Lutherum est, qui timorem pœnæ, etiam ex charitate profluentem vitii accusat. Ad hoc Lutherus ipse respondeat in disputatione Lypsica; ubi objicienti Eckio quædam Patrum testimonia probantia utilitatem timoris, & ex eo provenientis pœnitentiæ; contendit Lutherus, & cum eo nostri hodie adversarii, agere Patres de timore qui in charitate fit. *Sic* ergo ibi fœdus apostata: *Dico & ego, habitâ charitate, simul moveri hominem ad timorem Dei, & sic incipi pœnitentiam à timore in charitate; alioquin stat firma sententia, quòd timor bonum non operatur; sed odit legem*. Ibid. inferius: *Respondeo, quòd Divus Gregorius non debet excludere charitatem, nec exclusit à timore incipiente pœnitentiam, sicut Divus Doctor intelligit; sicut nec à charitate excluditur omnis timor servilis, præsertim in hac vita, cùm charitatis officium sit, expellere timorem servilem, atque id totâ vitâ.... Ego cum Apostolo sentio, quòd, nisi lex diligatur (quod est charitatis) non bene vivitur: ergo nec Deus timetur, nec colitur... Respondeo; Ambrosium, Gregorium, aliosque non repugnare dictis Apostoli, & sto eorum sententiâ: non enim excludunt charitatem à timore sive servili, sive filiali*. Convenit itaque Lutherum inter, & recentiores nostros adversarios, quòd Augustinum, & cæteros Patres contra clarissimum eorum sensum explicent, quasi illi pœnarum formidinem, & omnia indè profecta opera, quoties charitas abfuerit, inter peccata rejiciant: amorem quoque justitiæ iidem cum Luthero novi Theologi non alium intelligunt, quàm supremi Numinis dilectionem gratuitam. Ita Propositio, licèt fronte suâ præferat dignam anathemate novitatem, juncto tamen vocibus sensu authoris, longè magis redditur into-

intolerabilis, præterquam inter hæreticos omni poteſtatis Eccleſiaſticæ contemptores. Quis enim Catholicus poſt Tridentinum Concilium, & ſuccedentes ei Pii V., Gregorii XIII. Urbani VIII. Alexandri VIII. definitiones adeò conſpicuas, & iterata toties anathemata ſuſtineat, actiones omnes, nominatim timorem, & quidquid ex eo operum progignitur ſinè amore juſtitiæ increatæ, eoque ſanctificante, vitiis eſſe annumerandum?

Quapropter Auguſtini mens in objectâ nobis ſententiâ propiùs inſpicienda eſt. Dicitur *inimicus juſtitiæ, qui pœna timore non peccat*. Inimicitia autem, vel de actu intelligitur, vel de habitu: de actu accipiunt adverſarii, quia omnia opera, quæ non imbuerit charitas, peccata illis ſunt per Prop. 44. 45. 46. 47. Sed contra notiſſimam doctrinam, & plurimis pridem ſtabilitam Eccleſiæ definitionibus, quas Sancti Patres præceſſerant, & Scripturæ locis apertiſſimis. Nemo ſcilicet inimicus juſtitiæ dicitur, niſi propter delictum grave, & lethiferum. Quis autem catholicus non horreat, ac deteſtetur iſtiuſmodi dogma, quo peccari aſſeratur mortaliter, quoties timore pœnæ à Deo vindice inferendæ occaſio criminis devitatur? Non ſic Auguſtinus contra adverſarium legis, & Prophet. lib. 1. cap. 16. *Salubriter non ſolùm bonitatem, ſed etiam ſeveritatem Dei S. Scriptura commendat; quoniam amatur Deus utiliter, & timetur*. Sicut igitur timere ſeveritatem Dei in puniendis peccatoribus non eſt inimicitiam cum Deo, aut juſtitiâ contrahere; ſed potiùs utili ſe diſpoſitione ad amicitiam præparare; Ita neque inimicitiæ actus committitur, dum timore ſervili crimina declinantur. Auguſtinus tract. 9. in Epiſt. Joannis: *Opus eſt, ut intret timor primò, per quem veniat charitas: timor medicamentum, charitas ſanitas*. Inſigne videlicet medicamentum recuperandæ valetudini præſcribit Sanctus, ſi mortem animæ adferat, quoties adhibetur. Fruſtrà dixeris, timorem tunc ſolùm utilem eſſe, quando ex amore juſtitiæ, ſeu, quod adverſario idem eſt, ex charitate proceſſerit; excluditur enim ea reſponſio ab ipſo Sancto Antiſtite, cùm timorem enunciat charitate anteriorem, ut effectu prior neceſſariò ſemper eſt diſpoſitio. Quomodo *timor*, qui teſte Auguſtino de Verbis Apoſtoli Serm. 13. *Servus eſt charitatis, præcedere* jubetur *in corde, nè poſſideat Diabolus cor tuum*, ſi ipſe Diabolum introducat, vel novum ei poſſeſſionis retinendæ tribuat titulum?

Si autem de ſolo inimicitiæ habitu ſermo eſt, nihil indè conficies pro damnati defenſione articuli, quem conſtat actualis peccati arguere omnem timoris actum, & ſimul omnem ex eo ſolo progenitam peccati fugam, cui originem non præſtiterit amor juſtitiæ. Talis verò Auguſtiniani loci ad præſentem atticulum applicatio graviorem ejus reddit, magiſque conſpicuam iniquitatem. Hinc enim omnibus compertum ſit, peccati nomine mortiferum intelligi, cujus reus fiat quiſquis, & quoties cohibet ſe homo quantum poteſt, antequam nata in eo fuerit juſtitiæ dilectio.

Continere ſe à peccando formidine æternorum cruciatuum peccatoribus quidem proprium eſt, motu charitatis ad filios pertinente; non tamen timor ille ſignum falli neſcium eſt animi ſanctificante gratiâ deſtituti; nam & Chriſtus omnibus, etiam juſtis, denuntiat Lucæ 2. verſ. 5. *Timete eum, qui, poſtquam occiderit, habet poteſtatem mittere in gehennam*. Quod monitum, quo magis ſine ingeritur, quàm, ut vitia coerceantur non ſolius corporis, ſed etiam animi? Aliàs gehenna, à qua avertere nos Dominus conatur, minimè effugietur. Neque Calviniani fanatici ſumus, quibus ſua promiſcuè innoteſcat prædeſtinatio, & ſtatus gratiæ. Sed neque Auguſtinus prorſus de omnibus accipi voluit, dum ait: *Inimicus juſtitiæ eſt, qui timore pœnæ non peccat*. Aliàs incongruè diceret ſermone 19. de verbis Apoſtoli: *Etiamſi timore gehennæ non facis malum, nondum es perfectus*. Tract. 9. in Epiſt. Joannis: „ Nondum eſt in illo „ perfecta charitas, numquid tamen de„ ſperandum eſt? In quo vides initium, cur „ deſperes finem? Quod initium video, in„ quies? Ipſum timorem.... quantum au„ rem mortificat iſte, qui timêre cœpit „ diem judicii, membra ſua ſuper terram, „ tantùm ſurgunt, & corroborantur mem„ bra cœleſtia: membra autem cœleſtia „ omnia opera bona.„ Non iſta inimicum juſtitiæ conſtituunt, ſed ad amorem juſtitiæ, etiam non infimum, & amicitiæ aptiſſimè diſponunt.

Lib. de S. Virginitate cap. 38. *Eſt etiam timor ignis æterni, propter quem devitandum Deo ſervire, non eſt utique perfectæ charitatis*. Adverſarii dicerent, eſt iniquitatis non levis, utpote quo inimicus legis conſtituitur. Auguſtinus quoque non de eo, quod ſemper eſt, loquitur; ſed quod frequenter accidit; unde ſuſpecta redditur converſio ejus, qui ſolâ ſe ductum formidine profitetur. Ita ſerm. 19. de verbis Apoſtoli. „ Audeo di„ cere, ſi timore gehennæ non facis malum, „ eſt

„ est quidem in te fides, quia credis futurum esse Dei judicium: Gaudeo fidei tuæ; sed adhuc timeo malitiæ tuæ. (Ibid. sermone 15.) Non furatur, non adulteratur, non dicit falsum testimonium, non facit homicidium, non concupiscit rem proximi sui: potest hoc, potest fortassis. Unde? Timore pœnæ; quamquam qui timore pœnæ non concupiscit, puto quia concupiscit. „ Si istud Augustinus putaret de omnibus, non statueret istiusmodi timorem charitati introducendæ opportunissimum, & quodammodo necessarium Tract. 9. in epist. Joannis: *Si nullus est timor, non est quà intret charitas*. Ibidem: *Opus est ergo, ut intret timor primò, per quem veniat charitas*. Non agi hìc de timore filiorum patet, quia hic charitatem supponit, supponit etiam initialis. Sermo illic Augustino est de timore, qui charitate veniente, non remanet: *Timor*, inquit, *primò occupat mentem; non autem ibi remanet; quia ideo intravit, ut introduceret charitatem*.

Quartus, & ultimus Augustini textus à *Collatore* nobis opponitur ex lib. 2. contra adversarium Legis: *Desiderium peccandi non extinguitur, nisi contrario desiderio faciendi rectè; ubi fides per dilectionem operatur*. Verùm locus ille ad quæstionem præsentem minimè pertinet. Proscriptus enim articulus non de extinguendo peccandi desiderio enuntiat; sed de impediendo, nè oriatur; nihil scilicet extinguitur, nisi quod priùs fuerit. Cùm autem dicitur *timor non nisi manum cohibere*, intelligis, eam reprimi ab actionibus pravis, furto, homicidio, sacrilegio committendis; sed non aboleri, quæ patraveris. Ad hoc requiri plus aliquid, quàm ad abstinentiam à novo crimine, nemo Catholicus inficiatur; præteritorum enim remissio exigit indubiè factorum pœnitentiam. Sic Augustinus epist. 48. ad Vincentium: *Nec quemquam putes ab errore ad veritatem, vel à quocumque seu magno, seu parvo peccato ad correctionem sinè pœnitentiâ posse transire*; potest verò sinè ea & manus, & animus à novo vitio contineri.

Sinè *desiderio faciendi rectè* noxa prior non *extinguitur*; quia pœnitentia non solo præteritorum dolore absolvitur; sed uti ex Tridentino discimus sess. 6. cap. 6., necessarium est propositum *inchoandi novam vitam, & servandi Divina mandata*; unde initio capitis 7. legimus. *Hanc dispositionem, seu præparationem justificatio ipsa consequitur*. Idem docet sess. 14. cap. 4. *Contritio, quæ primum locum inter pœnitentis actus habet, animi dolor, ac detestatio est de peccato commisso cum proposito non peccandi de cætero*; atque adeò servandi mandata omnia, ubi includi patet *rectè faciendi desiderium*; sed quid immoror probandæ rei liquidissimæ, & quam negare nè adversariorum quidem ausa fuerit temeritas; plus nempe exigi ad extinctionem reatûs contracti, quàm ad abstinentiam à novo? Ad priorem itaque necessarium sit *desiderium faciendi rectè*, non qualecumque; sed quod à charitate proficiscitur, sive, ut objectio habet, *ubi fides per dilectionem operatur*; at operationem istiusmodi justificantem, ut à Quesnello intelligitur, nemo Catholicus asseret necessariam, ut in casu aliquo *desiderium peccandi* liberum omittatur. Sic enim & *omnia opera infidelium essent peccata, & virtutes Philosophorum vitia*, & *liberum arbitrium sinè gratiâ Dei adjutorio, non nisi ad peccandum valeret*: quæ sunt Propositiones vigesima quinta, & 27. inter Bajanas à tribus olim Pontificibus condemnatæ. Sed has, spreto quocumque anathemate, à Quesnello imperterritè sustineri vidimus frequenter in Propositionibus de libertate sinè gratia, & pluribus de charitate. Hic igitur iterum Quesnellus, vel quisquis est ejus subsidiarius *Collator* locum censuit opportunum stabiliendo suo articulo 51. *Fides justificat, quando operatur; sed ipsa non operatur, nisi per charitatem*. Credere scilicet non vult novus Theologus, esse novitatem in Ecclesia inauditam, nec ulla ratione tolerabilem, quòd animus à nullius penitùs peccati desiderio se reprimere valeat, nec minimam declinare noxam, nisi charitatis justificantis roboratus imperio.

CAPUT XII.

Corollarium ex præcedentibus.

Denique, Lector, nè quid latebrarum maneat adversariis, & ut fatuitas erroris in aperto posita, neminem nisi volentem decipi, imposterum circumveniat, tibi semper ob oculos statue sensum articuli indefinitis comprehensum vocibus, & à fraudulento imprimis authore dolosissimè intentum: *Timor non nisi manum cohibet*, quod de humana, & naturali formidine indubitatum est, ut in furibus metu mortis à furto publico abstinentibus experientiâ comperimus quotidianâ. Idem locum obtinet in Judæorum turbâ promiscuâ legem palàm observante, nè supplicio transgressoribus decreto, & ab hominibus inferendo afficiantur; in occulto autem omni ferè

ferè injustitiæ genere inquinatissimi sunt.

Alius est timor Divini judicii, & malorum perennium reprobis infligendorum, supernaturali auxilio elicitus; sed non in omnibus æquè fortis. Spiritus enim ubi, & quomodo vult, spirat, non æquali semper mensurâ gratiæ homines præveniens, atque adversùs stygias muniens potestates. Non rarò etiam mortalis infirmitas, in malum prona ab adolescentia, Divino timori excitanti ad justitiam non obtemperat; sed motum repellit saluberrimum, quo tentationem superare potuisset, & non membra solùm corporis à pravis operibus; sed mentem pariter à desideriis, affectibus, cogitationibus liberis cohibêre. Est & alius æternorum timor robustior, qui concupiscentiam omnem, & suggestiones Diaboli vincens non sola membra corporis; sed & animum avertit à crimine. Consentiunt hæc allegatæ sæpins ex Bellarmino graduum divisioni, quam in timore contra Lutherum Quesnelli prodromum tradit lib. 2. de pœnitentiâ cap. 18., ubi primus timoris gradus est, qui *impedit opus peccati externum, sed non voluntatem*; *secundus*, *quando non solùm opus externum peccati*, *sed etiam voluntatem peccandi coercet*; quod sæpe contingere, Eminentissimus ibidem testatur, & comprobat. Prioris quoque gradûs, seu generis timor in malesanis peccatoribus frequens est, qui cùm neque contritionem pariat, neqne attritionem, justitiam proinde nec conferat, nec conservet, Augustinus, ejusque discipuli ab ejus imperfectione ad sublimiorem timoris gradum homines promovere, Scripturarum edocti oraculis, curaverunt: Hunc ipsi nobis multiplici elogio prædicant, non solùm veluti sanctum, & utilem; sed etiam necessarium ad vitanda quævis crimina, & simul introducendam charitatem, atque justitiam. *Si enim nullus est timor*, *non est quà intret charitas*, inquit Augustinus tract. 9. in epist. Joannis. Ibid. *Opus est ergo, ut intret timor primò, per quem veniat charitas*. Rursus ibi: *Timor quasi præparat locum charitati*. Serm. 13. de verbis Apostoli: *Timor est servus charitatis*; *nè possideat Diabolus cor tuum*, *præcedat servus in corde tuo*, *& servet Dominæ venturæ locum*; *fac vel timore pœnæ*; *si nondum potes amore justitiæ*. Eumdem sensum conspicimns complexos reliquos Patres, Scholasticorum Principes cum suarum classium alumnis, & Ecclesiam hodie universam. Paucos antea excipere oportuit, quos humani intellectûs imbecillitas in errorem induxit veniâ dignum; at nunc evibrato anathemate ab Alexandro VIII. contra articulos decimum quartum & 15. ex 31., iteratoque nuper à CLEMENTE XI., obtendi imposterùm excusatio non poterit, neque poterunt contumaces Ecclesiæ filiis accenseri. Eludere quidem aliqui Alexandrinum anathema conati sunt, causantes, Decretum illud timori gehennæ bonitatem asserere supernaturalem; sed non vires ad reprimendum à criminibus animum. Verùm nos acuti homines edoceant, quem usum habere valeat timor supernaturalis, si nihil boni ab animo impetrare valeat, nihil in eo noxium impedire? *Cohibitio manuum*, retento peccandi desiderio, opus non habet formidine, naturæ viribus superiore, cùm ad istiusmodi effectum humana ratio sufficiat, atque ipsa bruta animantia timore verberum à prædâ illicitâ arceantur. Minus etiam excusationis superest post CLEMENTIS XI. definitionem contra novitates clarissimam. Quæ igitur Augustinus, quæ alii eum postea secuti Patres, subinde minùs honorificè de timore, aut ejus effectibus pronuntiant, & quidem juxta verborum corticem indefinitè, determinanda necessariò sunt ad quamdam timoris speciem, seu gradum aliquem naturæ viribus contentum, imperfectum, debilem, neque talem, qualis attritionem efficere, & ad charitatem, justitiamque disponere peccatoris animum solet, *excludendo voluntatem peccandi*, ut Synodus nos Tridentina docuit, & ante eam Augustinus locis plurimis, consentiente Patrum traditione communissimâ. Distinguendæ itaque timoris species, seu gradus sunt, & nè Augustinus non reliquis solùm Patribus, sed & sibi ipsi oppositus censeatur, indefinita timoris expressio ex circumstantiis personæ, & prolatis alibi frequenter sententiis limitanda est, juxta regulam apud interpretes receptam, de non opponendis inter se Patrum locutionibus; sed conciliandis; maximè cum catholicâ, definitâque legitimè veritate.

At, iuquies, cur Augustinus formidini non fidens ad avellendum à noxiis desideriis animum, eaque penitùs excludenda exigit *amorem justitiæ*? Hujus ratio multiplex est; quia minùs constat, quo timoris genere quis agatur, sive quem perfectionis, & roboris teneat formido gradum; inferioremne, qui non nisi manum cohibeat; an superiorem, qui etiam animum. Ideo sermone 19. de verbis Apostoli: *Audeo dicere*, inquit Augustinus, *si timore gehennæ non facis malum*; *est quidem in te fides*; *quia credis futurum Dei esse judicium*: *Gaudeo fidei tuæ*; *sed adhuc timeo malitiæ tuæ*; qnia concupiscentia

scentia subtile, & perfidum virus est, in actiones quoad speciem bonas se facilè insinuans, easque pestiferâ corrumpens intentione. Talis peccatoribus solâ ductis formidine subrepit frequenter conditio: *vellem peccare, si promitteretur impunitas*: vel, hâc conditione sepositâ, timor fortè adeò flaccidus est, ut, si levi cuidam tentationi restiterit, succumbat graviori: *adbuc timeo malitia tua* ibid. *Nam etiamsi timore gebenna non facis malum, nondum es perfectus*, ut polliceri tibi debeas plenam, & constantem de hoste victoriam. Ibid. serm. 15. „ Non „ furatur, non adulteratur, non dicit falsum testimonium, non facit homicidium, „ non concupiscit rem proximi sui. Potest „ hoc, potest fortassis. Unde? timore pœ„ næ: quamquam qui timore pœnæ non „ concupiscit, puro quia concupiscit. „ Sinè gratia quidem nequit concupiscentia superari, sicut oportet; neque omnem semper pœnæ formidinem gratia imbuit, sinè qua naturalis virtus, opera externa, quæ Augustinus recenset divinæ legi repugnantia, vitare *potest fortassis*: *unde*? Timore viribus naturæ elicito: quamquam qui tali *timore pœna non concupiscit* exteriùs, vel etiam interiùs concupiscere non videtur, *puto, quia concupiscit*. Qui enim nullo passim feruntur amore Dei, aut justitiæ, in quadam hærent inefficaci formidine, etiam dum pulsantur cœlestis gratiæ moribus; non solent excludere omnem peccati complacentiam, & damnabilem conditionem, opus illicitum exercendi, si tanta non maneret reprobos ultio.

Verùm non posse Deum homini talem inspirare æternorum formidinem, quæ animum ejus ita commoveat, ut proponat firmiter omnem Divinæ legis obedientiam, non video, qui possit absque omnipotentiæ injuria, & impietate negari. Talem autem timoris gratiam subtrahere humano generi universo, non levis temeritas est, refragantibus Scripturis, Patribus, Scholasticorum Principibus, & nunc omni, quæ sub cœlo est, Ecclesia, ad quam non pertinêre adversarios nostros schismaticos, fidelibus manifestum est.

Pergimus nihilominus fateri, Augustini suspicionem esse minimè temerariam, *puto quia concupiscit*. Tepidus enim is Christianus est, qui in sola semper hærens pœnarum formidine, neque ad nobiliora se promovere satagens virtutum exercitia, justitiam non diligit, neque fontem justitiæ Deum, cujus dona, & gratias plurimas ad meliora excitantes charismata aspernatur, aut negligit. Qui quidem ejus torpor, & virtutis cujuslibet, maximè theologicæ, incuria suspicionem meritò ingerit Augustino, nè Divinorum mandatorum externa observatio minùs sincera sit, &, dum solâ retentus pœnæ formidine rem proximi non concupiscere videtur, velleitate saltèm noxiâ concupiscat. Instigationibus scilicet Diaboli, & innatæ cupiditatis vitio acriter stimulatur; neque verisimile est, tam vehementes illecebras non subinde consensûs aliquid emungere, saltèm obiter & momento temporis, quo fortè suppliciorum horror aliquantulum remiserit. Natum quoque fieri est, ut talis in teporis sui, atque neglecti toties Divini luminis pœnam deseratur quodammodo, & non nisi inefficacibus gratiæ auxiliis præveniatur. Adde, quòd qui de virtutibus non solicitus, & solo timore à criminibus se continere statuens, imperitissimum imitetur sagittarium, qui in remotiorem collimans scopum, neque arcum elevare paululum volens, ad præfixum sibi terminum pertingere numquam poterit. Denique æquissimum fert judicium Augustinus de quolibet fugiente crimina interiùs simul, & exteriùs, formidine efficaci: *Etiamsi timore gebenna non facis malum, nondum es perfectus* Serm. 19. de verbis Apostoli. Rursus lib. de sancta virginitate cap. 38. *Est etiam timor ignis aterni, propter quem devitandum Deo inservire, non est utique perfecta charitatis*; quia, ut ex Scriptura discimus, perfecta charitas foràs mittit timorem. Si tamen propter devitandum ignem æternum Deo servire sit charitatis, licèt imperfectæ, evidens est, non manum, sed animum quoque timore posse à vitiis cohiberi.

At, inquies, in charitate, etiam imperfecta reperitur aliquis necessariò amor justitiæ, atque ita confirmatur ampliùs Quesnelli Propositio: *Timor non nisi manum cohibet; cor autem tamdiu peccato addicitur, quamdiu ab amore justitia non ducitur*. Jungamus igitur dexteras, & in ventos abeat censura.

Liceret utinam dexteras jungere, & uti erroribus, ita & luctuoso finem imponere schismati; sed nimium ubique chaos est Catholicorum inter, & adversariorum dogmata. Et quidem hìc eum Doctore Maximo credimus, dari *timorem ignis aterni, propter quem devitandum* aliqui *Deo serviunt charitate* saltèm *imperfectâ*: neque timor ille solùm corpori frænum injicit, ut illud ab exteriore cohibeat pravo opere; sed animum pariter coercet à sceleratis affectibus, & desideriis

fideriis, Dei obsequio, & charitati maximè contrariis. Persuadet scilicet primùm timor ille, supplicia tam horrida modis omnibus declinari oportere, ideoque peccata odio habenda esse, servanda præcepta, virtutes, justitiamque diligendas. De hoc Sanctus Augustinus sermone 19. de verbis Apostoli ait, *Timor est custos, & pædagogus legis, donec veniat charitas*. Nè verò existimes custodem solummodo, nè violetur manibus; nihil autem custodiæ præstari contra pravas affectiones animi, & infesta legi desideria, ibidem serm. 13. monemur; *Ne possideat Diabolus cor tuum, præcedat servus* (timor) *in corde tuo, & servet Dominæ* (charitati) *venturæ locum: fac vel timore pœna, si nondum potes amore justitiæ*. Servet, inquam, timor iste non in solis manibus, sed potissimùm in corde locum charitati nondum præsenti; sed postea venturæ; *Fac* igitur *vel timore pœnæ*, non externa solùm, sed vel maximè interna Christiani hominis officia; *si nondum potes amore justitiæ*; quia *ipsâ etiam severitate, qua corda mortalium saluberrimo terrore quatiuntur*, introducendus amor justitiæ, & *charitas ædificanda est*.

Tract.9. in ep.Jo: *interim in quo vides initium*, sive in te, sive in alio, *cur desperes finem? Quod initium video, inquis? ipsum timorem. Audi Scripturam: Initium sapientiæ timor Domini; quantum autem mortificat iste, qui timere cœpit diem judicii, membra sua super terram*, quæ sunt affectiones pravæ, & desideria noxia, *tantum surgunt, & corroborantur membra cœlestia; membra autem cœlestia omnia opera bona*. Frequenter proinde, & seriò revoca in memoriam illud Spiritûs Sancti de reprobis oraculum Psalm.127. *Ubi vermis eorum non morietur*. De quo Augustinus: *Audiunt hæc homines, & quia verè futura sunt impiis, timent, & continent se à peccato. Habent timorem, & per timorem continent se à peccato: timent quidem: sed non amant justitiam*; & tamen, ut dixi, *continent se à peccato*, quod eos in istum tormentorum locum deduceret; non igitur, ut damnata Quesnelli novitas statuit, *cor tamdiu addicitur peccato, quamdiu amore justitiæ non ducitur*. Pergat Augustinus: *cùm autem per timorem continent se à peccato, fit consuetudo justitiæ*, in duabus partibus consistentis; peccatorum fugâ, & bonorum operum exercitio: consuetudine autem fugiendi peccata, & faciendi opera justitiæ acquiritur, ut hæc non solùm facilè fiant, sed etiam cum amore, & dulcedine: *incipit quod durum erat amari, & dulcescit Deus, & jam incipit homo justè vivere*, non solis actibus, sed etiam habitu.

Eodem Tract.9. in ep.Joan. *Opus est ergo, ut intret timor primò, per quem veniat charitas: timor medicamentum, charitas sanitas*. Metus autem, qui medicamentum dicitur, non cogitandus est languidus, iners, otiosus; sed acer, fortis, operans, impediendo, nè humores noxii ad vulnus defluere pergant &c. Quapropter, etsi timor essentialiter differat ab amore, atque hic, quo justitiam prosequimur, longè illo nobilior sit; attamen irrefragabilis est Augustini, & cæterorum Patrum, etiam recentiùs Tridentinorum sententia, priorem esse formidinem charitate, utpote quæ ab illa introducitur, &, eâdem deficiente duce, ut ibidem traditur, *non est quà intret charitas*. Perperam Quesnellus invertere studet Divinæ providentiæ ordinem ab Augustino, & totâ agnitum antiquitate, ut ipsius timoris ducem necessarium esse jubeat charitatem: *Timor non nisi manum cohibet; cor autem tamdiu peccato addicitur, quamdiu ab amore justitiæ non ducitur*.

Error hic necessarius fuit stabiliendo alteri, qui totius Bajani systematis de charitate fundamentum est, à nova Ecclesia adoptatum art.44. „ Non sunt nisi duo amores, unde volitiones, & actiones omnes „ nostræ nascuntur: amor Dei, qui omnia „ agit propter Deum, quemque Deus remuneratur; & amor, quo nos ipsos, ac „ mundum diligimus, qui quod ad Deum „ referendum est, non refert, & propter „ hoc ipsum fit malus. „ Omnis itaque timor tali prævius relationi, ac proinde qui charitate non ducitur, malus est; atque eâdem labe inficitur profecta ab eo volitio, & actio qualiscumque. Ex eodem articulo patet, Quesnellum *amore justitiæ* laudabili, aut qui expers maculæ sit, non intelligere dilectionem honesti, seu boni moralis, ut intelligunt Theologi communiter; sed ipsius Dei, qui fons bonitatis omnis, atque ipsa justitia increata est. Unde damnata Propositio 61. longè durior, deteriorque est in sensu authoris, quàm verborum obvio. Imò, ut amor justitiæ, qui solus impedire potest, nè novis semper animus criminibus addicatur; ut ipse, inquam, amor justitiæ sit innocuus, necesse est, ut ipsius Numinis dilectio sit; neque qualiscumque sufficit, sed requiritur benevola super omnia, & sanctitatem adferens, vel supponens. Non enim alius *amor est omnia agens propter Deum, quemque Deus propriè remuneratur*: atque hic requiritur, ut dilectio justitiæ sit *amor Dei in corde regnans*; quod alteri effectui, vel habitui non convenit, quàm justificanti:

Prop. 45. *Amore Dei in corde peccatorum non amplius regnante, necesse est, ut in eo regnet carnalis cupiditas, omnesque actiones ejus corrumpat*, etiam amorem justitiæ, quiscumque fuerit amore Numinis sanctificante inferior. Sic Augustini tot memorata textibus doctrina in oppositam convertenda est, atque ipsæ sacræ paginæ sunt in Quesnelli gratiam funditus subruendæ. Ampliùs dici non poterit; *si nullus est timor, non est, quà intret charitas*; sed si nulla est charitas, non est quà intret timor innoxius, & qui dispositio esse valeat ad dilectionem, & justitiam. Falsitatis accusabitur Augustini ibidem conclusio: *Opus est ergo, ut intret timor primò, per quem veniat charitas: timor medicamentum, charitas sanitas*. Invertenda juxta Quesnellum est sententia in contrariam, ut dicatur, charitatem priùs ingredi debere, per quam veniat timor, oè aliàs sordidus sit peccato, & adventum, atque introitum charitatis impediens potiùs, quàm promovens. De adhibendo timore velut medicamine nō cogitandum ante reditum sanitatis, quæ ipsa charitas est: aote illam medicina quælibet virus est, ponens obicem sanitati, si non semper enecans: Sic igitur timor non *præparat locum charitati*; sed eum peccatorum sordibus semper amplius conspurcat, redditque charitati invium, ac penitùs inaccessibilem. Non itaque in nova Ecclesiâ *charitas ædificanda est terrore, quo corda mortalium quatiuntur*: non eoim illic priùs salubriter Divini judicii, & pœnarum severitas metum incutit, quàm charitas peccata, quæ formidinis causa sunt, sustulerit. Patiuntur quidem novi Theologi timorem servum statui charitatis; sed pedissequum, non prodromum, ut Augustinus, qui Quesnelli sententiâ graviter erravit, timori tantùm inesse roboris existimans, ut etiam ante charitatis originem impedire possit, *nè possideat Diabolus cor tuum*; cùm in novo systemate timor ex charitate non proveoiens sit peccatum, ac proinde minimè idoneus, ut à capieuda cordium possessione Diabolum arceat; cùm ipse ea Diabolo magis subjiciat proditor perfidus, non defeosor. Non enim sola *cohibitio manuum* efficiet, nè *Diabolus cor possideat, quamdiu illud peccato addicitur*, ut Quesnello certum est addici non habitu solùm, sed novis etiam perpetuò actibus, *quamdiu ab amore justitiæ*, seu charitate, *non ducitur*. Quomodo *per timorem pœnæ bona vita retinetur*, ut pronuntiat Augustinus, *si timor nou nisi mauum cohibeat*? Num solâ manuum à peccato abstinentiâ, quamdiu spurcissimis cogitationibus, ac desideriis immergitur animus? Pergit Augustinus; *per bonam vitam bona conscientia comparatur*. Perspicuum est, bonam coosciemiam non solâ manuum à peccato immunitate obtineri. Coovulso utroque Augustini principio, finem hunc pariter Quesnellus dejicit, *ut per bonam conscientiam nulla pœna timeatur*. Cùm enim, inquit novus Theologus, timore solo à criminibus refrænari aoimus nequeat, atque ita nequeat acquiri bona vita, bona conscientia; non est timore expectanda securitas à supplicio. *Discat* igitur, qui Quesnellum audierit, non *timere*, antequam amet increatam justitiam, *qui non vult timere* in judicio. Discat *non esse solicitus* ante dilectionem Numinis justificantem, *qui semper* io nova Ecclesia *vult esse securus*. Quomodo per timorem homioes in Augustini sententia *continent se à peccato*; si, ut Quesnellus prædicat, *timor non nisi manum cobibet*; *cor autem* novis semper actibus *addicitur peccato, quamdiu ab amore justitiæ non ducitur*?

Juxta Augustinum *timent quidem, sed nou amaut justitiam; cùm autem per timorem contineut se à peccato, fit consuetudo justitiæ*. Quàm autem à justitiâ, multò magis ab ejus consuetudine remoti sunt, qui *non uisi manum* à crimine coercent, *corde* manente iniquitatibus continuò repetitis *addicto*! Sola manuum repressio, corde se in spurcitiis liberiùs voluntate, non reddit *amabile*, *quod* in præceptis *fuerat durum*, neque sic *dulcescit Deus*; neque *jam iucipiuut isti justè vivere*, injustitiam novis semper affectibus cumulantes.

Supersedeo Scripturæ textibus simili ratione contra Quesnelli articulum convertendis; cùm & quantum sufficit præstiterimus id cap. 2., & Lectori cuilibet insistenti vestigiis, quæ in opponenda adversariis Doctoris Maximi sententiâ signavimus, deductio sit facillima.

Ad difficultatem, quod attinet, toties objici, & infarciri nobis solitam, de timore pœnæ absque amore justitiæ; quasi prior absque posteriore ad nihil valeat, nisi ut augeat numerum peccatorum, ad nullam autem legitimam, & malitiæ expertem præparet legis observantiam; omnis hallucinatio oritur ex eo, quòd quæ de aliqua timoris specie, bumani scilicet, naturalis, vel si ex gratia, debilis asseruntur; de timore quolibet affirmata existimentur. Locutio quidem Sancti, spectato verborum cortice, subinde illiminata est, atque adeò juxta regulam sæpe à nobis alibi agnitam, ad nul-

nullum genus formidinis videretur restringenda, nisi ipsæ limitarent circumstantiæ, tum vicinæ, tum aliæ plurimæ, quot in Augustino effata sunt, quæ pro timore aliquo supernaturali, forti, & perquam utili ad justitiam dispositione produximus, exemplo Sancti Salesii, Bellarmini, & cujus non Scholastici de Bajanismo, Jansenismo, & annexis utrique novitatibus non suspecti? Quamquam innocuus in aliquibus, pietatis imagine delusis, error esse potuerit ante Tridentini, vel etiam Alexandri VIII., & CLEMENTIS XI. definitiones; at in tanto lumine cæcutire, nimium pertinaciæ argumentum est. Præter timorem Augustinus desiderat, & subinde veluti necessarium requirit *amorem justitiæ*, ut non solùm manus ab externo peccati opere, sed etiam animus à pravis affectibus abstrahatur; sola enim exterior præcepti operis executio, & similis à vetito abstinentia, simulacrum aliquod obedientiæ est; sed turpe, & dolosum, quoties est simulatio pietatis; aliàs saltèm conducendo homini ad justitiam, ac salutem, minimè sufficiens: necessaria scilicet volitio est satisfaciendi præcepto, quæ quidem amor aliquis justitiæ est; sed cui nihil officit, à timore Divini judicii, & æternorum cruciatuum suaderi animo, vel imperari.

Et quidem ea Divinæ providentiæ communissima in hoc Decretorum ordine, peccatores convertendi ratio est, ut non ab amore justitiæ, præsertim increatæ, ducatur initium; sed à judicii supremi, gehennæque formidine. Hac illi salubriter concussi, & cœlestibus animati promissionibus, in spem eriguntur, *Deumque tamquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt*. Clarissima hæc Tridentinæ Synodi sess. 6. cap. 6. doctrina est, sess. 14. cap. 4., & variis canonibus confirmata. Eam Patres isti acceperant à Traditione veterum, atque ipsis oraculis Scripturarum. Ut igitur actio aliqua sit innocua, & timor cum Divinæ gratiæ auxilio operari quidpiam boni valeat in animo, vel eum à peccato reprimere, non necesse est, primum omnium, & cæterorum *Ducem* semper statui *amorem justitiæ*; quasi *timor non nisi manum cohibeat; cor autem tamdiu peccato addicatur, quamdiu ab amore justitiæ non ducitur.* Timorem bonum, & utilem animo ad amorem justitiæ disponendo, esse anteriorem ipso amore justitiæ, potissimùm, uti ab adversariis intelligitur, increatæ, tam evidens est non Tridentini solùm, & recentiorum inter Catholicos Scriptorum, sed Patrum etiam, & præcipuè Augustini tot à me relata textibus sententia, ut temeritas appareat minimè toleranda, post demonstrationes adeò conspicuas ipsum Doctorem Maximum appellare velut damnati articuli defensorem.

Non sufficit quidem timor ad justitiam, neque is solus fuga, aut odium peccati est, neve præcepti observatio: denique nec satisfacit exterior criminis declinatio, aut præcepti operis executio in corpore absque vera mentis aversione à malitia, aut pio erga opus impositum affectu. In hoc Catholicos inter, & adversarios convenit: verùm discordia est, ad quem actum pertineat *ductoris* proprietas; num ad amorem justitiæ, an ad timorem judicii, & gehennæ. Non dubitat Quesnellus timori, & cæteris actibus ducem præscribendum necessariò *amorem justitiæ*, subintelligendo increatæ; quin, nisi amor Numinis præcesserit, ortumque præstiterit secuturis volitionibus, & actionibus quibuscumque, etiam virtutum, sive moralium, sive theologicarum, omnes originem, & cum ea vitium ex fonte contrahant cupiditatis, ut jam vidimus ex Prop. 44. „ Non „ sunt nisi duo amores, unde volitiones, & „ actiones omnes nostræ nascuntur; amor „ Dei, qui omnia agit propter Deum, „ quemque Deus remuneratur; & amor „ (malus,) quo nos ipsos, ac mundum „ diligimus. „ &c. Ipse itaque amor justitiæ cæterorum dux actuum si non accipitur pro amore Dei omnia agente propter Deum, peccatis non minùs, quàm mala cupiditas accensebitur. Præterea nullum actum posse ex gratiæ subsidio procedere ante charitatem, quæ justificat, liquet ex Prop. 28. *Prima gratia, quam Deus concedit peccatori, est peccatorum remissio*, quæ indubiè obtingit nemini extra Sacramentum absque charitate: Juxta Quesnelli igitur articulum præsentem, *cor tamdiu peccato addicitur*, non habitu solùm, sed novis continuò actibus, quamdiu amore *justitiæ* increatæ, & justificante *non ducitur*. Scriptoribus autem Catholicis sufficiat amor justitiæ creatæ, vel honestatis moralis, & cujuslibet virtutis, quem nulla comitetur aliunde turpis circumstantia, ut actus supernaturali gehennæ formidine imperatus, bonus sit, & utilis ad justitiam dispositio. Idem est de fuga mali, non manibus solùm; sed etiam animis timore simili inspiratâ. Verùm & qualiscumque iste *amor justitiæ* sit, quem reperiri agnoscimus in omni imperio, quo timor animo persuadet abstinentiam à peccato, aut præcepti operis salutare exercitium; nè amori quidem isti justitiæ veluti primo principio tribuendum est, quòd culpam animus fugiat, aut diligat justitiam; sed

ſed prima laus debetur formidini, cujus efficaci monito, atque impulſui adſcribenda ſunt horror, fuga, odium peccati, & mandati operis boni volitio, ſive dilectio, quæ ipſa ſunt aliquis *juſtitiæ amor*: atque hic quidem actibus iſtis includitur, eoſque terminat, ſed non determinat, veluti eorum parens, aut præparatio; hanc ſibi gloriam vindicante meritò gehennæ formidine, à qua amor ille qualiſcumque proficiſcitur. Proinde neque timor malus eſt, neque peccato addicit animum, aut hic aliunde addicitur neceſſariò, quamdiu ab amore juſtitiæ non ducitur. Deinde nec ortum, nec ductum timori illi amor juſtitiæ præſtat; ſed timor amori, quemadmodum ex Scripturis, & Traditione, ipſius potiſſimùm Auguſtini textibus clariſſimis comprobatum eſt. Sic condemnatus error omni penitùs authoritatis, rationiſque præſidio deſtitutus, undique impugnatus, & convictus non habet, quò ſe recipiat in Eccleſia Dei vivi, quæ columna, & firmamentum veritatis eſt: Wirtenbergam igitur, unde prodiit, tedeat: neque ſuccedat illi conſilium malignantium, nec ſedem figat apud Chriſtianiſſimos. Queſnelli Proteſtatio, & frivola obſervatio Hexaplorum expendenda veniet poſt articulum proximum.

Quod præterea ex Bernardo, & Angelico objicitur, nihil continet difficultatis, quod in ſuperioribus ſolutum non fuerit.

Sexageſima ſecunda Propoſitio damnata.

Qui à malo non abſtinet, niſi timore pœnæ, illud committit in corde ſuo, & jam eſt reus coram Deo. *Obſerv. Moral. Matth.* 21. *verſ.* 46.

CAPUT I.

Damnatus error convellitur Scriptura Sacra.

1 SI aſſeruiſſet author dogmatis, fieri aliquando, ut, qui à malo non abſtinet, niſi timore pœnæ, illud committat in corde ſuo, & jam ſit reus coram Deo, nulla fuiſſet Theologorum, atque Antiſtitum contra aſſertionem commotio, nullum anathematis Apoſtolici periculum. At modò enuntiatio, uti & præcedens, indefinita, & illimitata, ut in dogmaticis ſolet, æquivalens univerſali, ſenſum hunc conficit: quicumque à malo non abſtinet, niſi timore pœnæ, illud committit in corde ſuo, & jam eſt reus coram Deo. Quæ novitas in priore articulo copioſiùs, quàm oportuit, omni argumentorum genere expugnata, dejectaque eſt. Si enim timor æterni ſupplicii ſaltèm aliquando non ſolùm manum cohibeat; ſed etiam animum; ac proindè non tamdiu addicatur animus peccato, quamdiu ab amore juſtitiæ non ducitur, quod pluribus contra ſuperiorem articulum capitibus demonſtratum eſt; hoc ipſo fit evidens conſecutione ineluctabili, quòd non omnis à malo abſtinens ſolùm timore pœnæ, illud committat in corde ſuo, & jam ſit reus coram Deo. Unde ſupervacanea videri poterit omnis ulterior in conculcando ampliùs errore proſtrato toties, & obtrito, opera.

Quia tamen in diſcutiendis Propoſitionibus ſingulis ea Romæ à Sedis Apoſtolicæ Qualificatoribus adhibita diligentia eſt, ut etiam ſingulæ ſeparatim accuratiſſimâ æquitatis, ac veritatis lance expenſæ fuerint, idemque ſequi conatus ſim inſtitutum, proſequendum hic etiam eſt, non inutile futurum, iis ſaltèm lectoribus, quibus toti operi legendo otium, vel animus non eſt; ſed hinc indè Propoſitiones ſibi deligunt; quarum venenum ipſo loco dignoſcere amant, non aliò remitti; ubi ſubinde & nova occurret ad locum alium ablegatio: unde contingeret non raro, ut lectoribus brevitatis iſtiuſmodi ſcholaſticæ non amantibus, inquiſitionis tædio, lubentia legendi periret, & patientia. Quibus verò ſuperiora ſufficiunt ad præſentis etiam articuli convictionem, præterire poterunt ſequentia, & ut cuivis Theologo facile eſt omnia, vel pleraque deducta contra præcedentem articulum argumenta, convertere etiam contra quinque reliquos de timore, eorum pariter impugnationem tranſire poterit, vel ſibi utcumque ſatisfacere ſynopſi, quæ in brevitatem amantium commodum ſtudioſè concinnata eſt. Mihi verò propoſitum eſt, ſuperato quolibet repetitionum tædio, ita convellere Propoſitiones ſingulas, ac ſi unicæ forent, ut ſingulatum condemnatio æquiſſima cognoſcatur à lectore qualicumque, etiam aliàs ſcientiæ Theologicæ impetito. Ordiamur à convertendis in præſentem articulum

ticulum Scripturarum oraculis.

2 Bellarminus ab adverfariis fæpe contra nos, nec finè encomio citatus, ac propterea ab iis minimè recufandus, lib. 2. de pœnitentia cap. 17. „ Quartus timor (in„ quit) eft propriè fervilis, quo videlicet „ ita peccator Deum timet, ut folius pœnæ „ fugiendæ causâ à peccatis perpetrandis „ caveat, & de perpetratis doleat .... De „ hoc igitur timore tota controverfia eft; „ hunc enim Lutherus damnabat, ut qui „ faceret homines hypocritas, magifque „ peccatores: & hunc eundem Tridentina „ Synodus feff. 14. cap. 4. bonum, atque „ utilem effe, & à Deo excitari docet. Quæ „ fententia probatur primò ex verbis illis „ Davidis Pfalmo 110., & Salomonis Pro„ verb. 1. *Initium fapientia timor Domini*: „ & Eccli. cap. 1. *Timor Domini expellit* „ *peccatum*; *nam qui finè timore eft, non po-* „ *terit juftificari*. Et cap. 25. *Timor Domini* „ *initium dilectionis ejus*. Hæc dicuntur de „ timore, qui eft in peccatoribus, & qui „ dilectionem præcedit; in peccatoribus „ autem, & ante dilectionem timor filialis „ effe non poteft; fed tantùm fervilis.

„ Item Ifaiæ 25. fecundum verfionem „ 72. interpretum, *A timore tuo concepimus*, „ *& peperimus fpiritum falutis*. Jeremiæ 5. „ *Me ergo non timebitis, & à facie mea non* „ *dolebitis? dicit Dominus*. Malachiæ 1. *Fi-* „ *lius honorat Patrem, & fervus Dominum.* „ *Si ergo Pater ego fum, ubi eft honor meus?* „ *Si Dominus, ubi timor meus?* Quo loco „ Dominus exigit timorem à fervis, qui „ eum, ut Patrem, amare non noverant.

His itaque locis omnibus, tefte Eminentiffimo, agitur de *timore propriè fervili, quo videlicet ita peccator Deum punientem timet, ut folius pœnæ fugiendæ causâ à peccatis perpetrandis caveat, & de perpetratis doleat*. Non poterat clariùs exprimi cafus damnato articulo contentus: *Qui à malo non abftinet, nifi timore pœnæ, illud committit in corde fuo, & jam eft reus coram Deo*.

Si autem talis timor propriè fervilis, tot Scripturis teftibus, bonus, & utilis fit, fi ad eum toties Dominus hortetur, quomodo fieri poterit, ut femper nexu infolubili fecum trahat nòn leve folùm delictum, quale perperam aliqui tribuunt omni actui, qui Dei dilecto benevola non fit, vel ab ea non proveniat; fed etiam flagitia quæcumque enormia, quoties non nifi tali formidine devitantur? Cui novitati fi habuerimus fidem, quoties peccator, imò & juftus, volvens animo æterna fupplicia, metu coram Deo percellitur, ut ftatuat potiùs in mundo quidlibet, etiam mortem fævis cruciatibus inferendam perpeti, quàm aliquid committere, quo tantis æternùm calamitatibus exponatur; proinde decernat firmiffimè peccata prorfus omnia, faltèm lethifera, quanto deinceps poterit ftudio declinare; is, inquam, fi novitati credimus, tali timore, & tali indè emergente propofito, adeò non proficit in bono, neque recedit à malo, ut momento unico, omnium in fe convocet peccatorum catervam, reus factus omnium, & fingulorum, quæ non fine nobiliore, amoris videlicet benevoli, deteftatur. Quâ opinione nefcio an quid truculentius ab ullo unquam fuerit hæretico excogitatum.

Longè aliter, tefte Eminentiffimo doctrinæ Catholicæ contra hæreticos defenfore, nos erudit Divinus Spiritus in facris literis jam relatis, & aliis mox adferendis. *Initium* nempe *fapientia timor Domini* vindicis malorum eft, quia, infirmitate hominum quodammodo exigente, ita juftificationis ordinem Divina providentia difpofuit, ut primùm fide apprehenderetur fortiter, Deum effe indeclinabilem bonorum, malorumque judicem, præmia æterna, & maxima largientem bonis; malis fupplicia inferentem perpetua fimul, & graviffima. Hinc fequitur pofteriorum timor, defiderium autem præmiorum, eaque amittendi metus, ex quorum jactura fimul, & cruciatibus damnatorum pœna componitur. Hoc ftimulo fortiffimo excitantur homines, urgentur, & quafi impelluntur ad vitiorum fugam, profecutionemque virtutum.

Cùm itaque tam beatitudinis privatio, quàm inflictio cruciatuum ad pœnam pertineat, utriufque timorem impetit Propofitio; laudat è contrario, & commendat Spiritus Sanctus velut initium fapientiæ, five charitatis, juftificationis, & falutis. In timore enim Domini vindicis malorum continetur timor pœnæ, ut à Deo vindice inferendæ; is igitur initium quoque fapientiæ eft. Cùm autem in peccatoribus contritionem imperet, qualis ad juftificationem neceffaria eft; five perfectam charitate, fi Sacramentum defuerit; five imperfectam faltèm, ubi Sacramentum Baptifmi, vel Sacerdotis accederet abfolutio, ut in fine libri 2. de pœnitentia contra Lutheranos ex ipforum principiis concludit Bellarminus, *Nullo modo negare poffunt, quin attritio & fola non fufficiat, & cum abfolutione fufficiat, ut in Concilio Tridentino feff. 14. cap. 4. declaratum eft*. Cùm autem charitas, & fanctitas fit vera fapientia, cujus timor ille in pecca-

peccatoribus ante justificationem nè pars quidem sit; sed sola dispositio, in iisdem tamen *initium sapientiæ* est; sed quod *principium ad extra* à Scholasticis, duce Angelico, appellatur. Hinc intelligimus, quâ ratione dixerit Ecclesiasticus, *Timor Domini initium dilectionis ejus*, quia, ut præceptorum omnium impletionem, ita & charitatis imperat; etsi timor ipse dilectio non sit; sed ad eam, ut dixi, dispositio.

3 Eâdem ratione juxta Ecclesiasticum, *Timor Domini expellit peccatum*, non introducit, ut garriunt adversarii, contra quos apud eumdem terribilis sententia est, *Qui sinè timore est, non poterit justificari*, dum ipsi à timore homines, maximè peccatores, avertere student Propositione 66. *Qui vult Deo appropinquare, nec debet ad ipsum venire eum brutalibus passionibus, neque adduci per instinctum naturalem, aut per timorem sicuti bestiæ; sed per fidem, & amorem sicuti filii.* Prop. 67. *Timor servilis non sibi repræsentat Deum, nisi ut Dominum durum, imperiosum, injustum, intractabilem.* Et Prop. præsenti, *Qui à malo non abstinet, nisi timore pœnæ, illud committit in corde suo, & jam est reus coram Deo.* Non patiuntur itaque adversarii ad Deum peccatores accedere *per timorem*.

Præsens quidem Quesnelli Propositio, tantùm reprehendit timoris solitudinem, *qui à malo non abstinet, nisi timore pœnæ*; vult scilicet initium conversionis duci à dilectione, atque ab hac procedere cætera, seu imperari opera; antea autem ab omnibus studiosè caveri eliciendis seu timoris, seu cujuslibet virtutis actibus; cùm ante dilectionem Dei omnes necessariò cupiditatis vitientur origine Prop. 44. *Non sunt nisi duo amores, unde volitiones, & actiones omnes nostræ nascuntur: amor Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur; & amor, quo nos ipsos, ac mundum diligimus, qui quod ad Deum referendum est, non refert, & propter hoc ipsum fit malus.* Prop. 46. *Amore Dei in corde peccatoris non ampliùs regnante, necesse est, ut in eo regnet carnalis cupiditas, omnesque actiones ejus corrumpat.* 47. *Obedientia legis profluere debet ex fonte, & hic fons est charitas.... alioquin non est, nisi hypocrisis, aut falsa justitia.* Ecclesiasticus autem priorem dilectione Dei docet esse formidinem, veluti dispositionem, atque principium amoris extrinsecum: *Timor Domini initium dilectionis ejus*.

Eodem sensu Isaias, ut supra vidimus juxta 70. Interpretes ait: *A timore tuo concepimus, & peperimus spiritum salutis*; charitatis scilicet, cæterarumque virtutum, potissimùm pœnitentiæ; & juxta Jeremiam *Me ergo non timebitis, & à facie mea non dolebitis?*

4 Pergamus audire Scripturas reliquas apud eruditissimum Bellarminum loco cit. „ Præterea, *inquit*, Scripturæ passim terro„ rem incutiunt peccatoribus, nec sanè ad „ alium finem, nisi ut timorem concipiant, „ & eo timore pœnitentiam meditentur. „ Deuter. 32. *Ignis succensus est in furore* „ *meo, & ardebit usque ad inferni novissima.* „ Psalmo 7. *Nisi conversi fueritis, gladium* „ *suum vibrabit, arcum suum tetendit... &* „ *in eo paravit vasa mortis, sagittas suas* „ *ardentibus effecit.* Isa. 33. *Quis poterit ha*„*bitare de vobis cum igne devorante? Quis* „ *habitabit ex vobis cum ardoribus sempiter*„*nis?* Jonas cap. 3. *Adhuc quadraginta dies,* „ *& Ninive subvertetur.* Matth. 3. Joannes „ Baptista ex timore pœnæ ad pœnitentiam „ peccatores adducere satagebat: *Genimina* „ *viperarum, quis vobis demonstravit fuge*„*re à ventura ira?* Et iterum; *Omnis ar*„*bor, quæ non facit fructum bonum, exci*„*detur, & in ignem mittetur.* Christus ipse „ Matth. 5. 13. 24. & 25., Marci 9., Lu„ cæ 12., & alibi sæpissimè ignem gehen„ næ, stridorem dentium, tenebras exte„ riores, vermem non morientem, & flam„ mas inextinguibiles minabatur.

Quæ omnia, & plurima istiusmodi, quibus Scripturæ ubique personant, ideo à Spiritu Sancto adhibentur, ut sapienter monuit Bellarminus, & cuilibet novitatibus non præoccupato evidens est, ad incutiendum peccatoribus terrorem; *nec sanè ad alium finem, nisi ut timorem concipiant, & ex eo timore pœnitentiam meditentur.* Adversarii autem timorem ad bestias ablegant, prohibentque, ne quis, illo duce, ad Deum accedere præsumat. *Qui vult Deo appropinquare, nec debet ad ipsum venire cum brutalibus passionibus, neque adduci per timorem sicuti bestiæ, sed per fidem, & amorem, sicuti filii* Prop. 66.

Alias nihil duriùs in timoris nostri vocabulo audiebatur, quàm quòd servis proprius, atque inde servilis diceretur; nunc verò atroci additâ contumeliâ ad *bestias* rejicitur, ut pro servili formidine, *bestialis* imposterum appelletur. Parum tamen est adversariis, timorem illum *brutalibus passionibus* annumerasse, nisi etiam calumniarentur ut blasphemum. Prop. 67. *Timor servilis non sibi repræsentat Deum, nisi ut Dominum durum, imperiosum, injustum, intractabilem.* Quo supposito, non potest non esse

Deo

Deo graviter injurius, & reus blaſphemiæ multiplicis, ac minimè vulgaris. Sed neque hic terminatur timoris noſtri accuſatio: omnia, quæ hominis malitia committere poteſt ſcelera in unum timoris ejuſdem actum confluunt, quoties ab illis omnibus abſtinere, ſolâ pœnæ inſtigante formidine decernit. Ita fert Propoſitio præſens *Qui à malo non abſtinet, niſi timore pœnæ, illud committit in corde ſuo, & jam eſt reus coram Deo.* Unde longè melius eſſet non timere; imò neceſſarium ab omni ſibi pœnæ metu ſtudioſiſſimè cavere; niſi quem fortè charitas inſpiraverit, ſi tamen paſſionem brutalem inſpirare valeat.

Non debuiſſet igitur Deus, ſi adverſariis credimus, per Filii ſui Præcurſorem futuris ſuppliciis rerrere genimina viperarum, quæ ſatis noverat eſſe charitate vacua, neque diſpoſita, ut eam ſtatim, &, non præviâ ultionis formidine, conciperent. Neque juxta adverſarios debuiſſet Dei bonitas in veteri maximè Teſtamento, verbi Dei præconibus, & Prophetis ſuggerere ſermones ad populum perverſum, incredulum, plenos comminationibus Divinæ ultionis, ac proinde accommodatiſſimos ad concutienda timore corda ſaxea, quæ nullatenus, niſi hac diſpoſitione præviâ ad veram pertingere valeant charitatem. Verùm ſatis apparet talia novatorum dogmata non fuiſſe Divinæ providentiæ in diſponenda hominum converſione regulas, quas neque ex Scripturis, neque ex Traditione, neque ex definitionibus ſive Synodicis, ſive Pontificiis declaratas accepimus; ſed prorſus oppoſitas, uti tot contra adverſarios diſputationibus abunde demonſtro.

5 „ Denique (pergit Bellarminus) „ eædem Scripturæ timorem iſtum à Deo „ inſpirari tam apertè docent, ut nimis ma„ gna temeritas videri debeat, ſi quis eum „ adhuc damnare voluerit: Rom. 8. *Non ac„ cepiſtis ſpiritum ſervitutis iterum in timo„ re; ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis filio„ rum* &c. Quo loco Beatus Paulus docet, „ in Teſtamento veteri datum à Deo ſpi„ ritum ſervitutis, quo timeretur, quem„ admodum in Teſtamento novo dedit ſpi„ ritum adoptionis, quo diligeretur: Iſa. 63. „ *Quare nos errare feciſti de via tua? Indu„ raſti cor noſtrum, nè timeremus te?* Ubi „ lamentatur Propheta, quòd Hebræi ca„ ruerint dono timoris, quo converti ad „ Dominum potuiſſent; nam, ut rectè do„ cet S. Auguſtinus in Epiſtola ad Sixtum, „ non indurat Deus impertiendo malitiam; „ ſed non impertiendo miſericordiam.

Spiritus ſervitutis indubiè eſt, *qui à malo non abſtinet, niſi timore pœnæ*; ſi autem Scripturæ adeò apertè doceant, eum inſpirari à Deo, ut nimis magna videri debeat temeritas, ſi quis eum adhuc damnare voluerit, quo modo *temeritatis nimis magnæ* notam effugient adverſarii, illum accuſando, quaſi committatur in corde omne crimen, à quo talis ſpiritus dictaverit abſtinendum: *Qui à malo non abſtinet, niſi timore pœnæ, illud* (qualecumque fuerit, etiam graviſſimum) *committit in corde ſuo, &* (ejuſdem mali etiam graviſſimi) *jam eſt reus coram Deo.*

Servitutis ſpiritus à Deo inditus fuit hominibus Teſtamenti veteris, & ſtatui illi proprius, quo inducerentur ad ſervanda Dei mandara, & peccatores converterentur ad Dominum; ad ſalutarem ſcilicet pœnitentiam; Iſaias autem peccantium Hebræorum nomine lamentatur, quòd à Deo indurati ſint ſubtracto illo timoris ſpiritu, *quo converti ad Dominum potuiſſent*, ut Eminentiſſimus interpretatur, & ſenſus apparet ſe ipſo perſpicuus. Non igitur cenſuit Iſaias, ſpiritum illum, qui, etſi ſtatui illi proprius, tamen Hebræis aliquibus tunc peccatoribus in pœnam præcedentium delictorum ſubtrahebatur, ſive eos, quibus ſpiritus ille obtingeret, committere hoc ipſo omnia in animo peccata, quæ deteſtarentur, eorumque hoc ipſo reos fieri coram Deo. Potiùs credidit Propheta, ſpiritum iſtum eſſe inſigne Dei donum, & effectum miſericordiæ, quo maximè tunc indigebant Hebræorum infirmitas, & duritiés. Utinam autem Conſtitutioni Apoſtolicæ rebelles, aperto ſchiſmate, & multiplici ſuâ hæreſi ab Eccleſia ſeparati lamentari ſerò non debeant vocibus ab Iſaiâ obduratorum nomine pronuntiatis! *Quare nos errare feciſti de via tua? Induraſti cor noſtrum, nè timeremus te.*

Si ad timorem debilem quemdam, & inefficacem, cui annexa manet turpis cum conditione volitio, *vellem peccare, ſi obtingeret impunitas*, aſſertionem ſuam Queſnellus reſtringeret, aſſenſum facile à Catholicis obtineret; verùm tunc metuens à malo propriè *abſtinere* dicendus non eſſet, ſed quòd abſtinere hominibus videretur. Talis ſolet eſſe timor humanus, ejuſque exemplum non multis anfractibus quærendum, nec in ſolis furibus reperitur, & latronibus, ſed in novæ Eccleſiæ, & novæ fidei Apoſtolis, ac Diſcipulis frequentiſſimum; quod fortè, expeditis omnibus de timore articulis, digreſſione dignum videbitur.

CAPUT II.

Propoſitio impugnatur Traditione Patrum uſque ad ſeculum Quintum.

1 INgens adverſariis venenum debet eſſe timor pœnæ; cùm hominem noviſſima attentiùs meditantem, atque indè horribili perculſum formidine; antequam Dei dilectio orta fuerit, proponentem firmiter ſuperiora peccata plangere, & ab omnibus deinceps penitùs abſtinere, faciat omnia præterita rurſus committere, & ſimul omnia cujuſcumque generis aut ſpeciei crimina, quæ vitare ſtatuit, hoc ipſo jubeat perpetrare. Quid dico jubeat? imò ſinè mora eodem punčto temporis perpetrantur. *Qui à malo non abſtinet, niſi timore pœnæ, illud committit in corde ſuo, & jam eſt reus coram Deo.* Præſtaret itaque, certè minus malum foret, vel profanæ hiſtoriæ lectione tempus terrere, imò indulgere luſibus, jocis, conviviis, quàm noviſſimorum meditationi, quando talem ex eo fructum perciperet, formidinem ſcilicet pœnarum, & natum indè, quod memoravi, de plangendis peccatis præteritis, & in poſterum cavendis omnibus propoſitum. Sic quidem docet exotica novæ Eccleſiæ Theologia. Verùm longè alia eſt Eccleſiæ à Chriſto Domino inſtitutæ, & fundatæ ſupra firmam veritatis Petram perpetua Traditio.

Poſt antiqui, & novi fœderis Hagiographos, quos indicavi capite ſuperiori, eſt tertio ineunte Eccleſiæ ſeculo Tertullianus lib. de Pœnitentia: *Si de exomologeſi retractas, gehennam in corde conſidera, quam tibi exomologeſis extinguit, & pœnæ magnitudinem priùs imaginare, ut de remedii adeptione non dubites.* Si inſtitutus ab adverſariis fuiſſet Tertullianus, odiſſe debuerat tam peſtilens virus, quale eſt ipſis timor pœnæ, & profluens indè melioris vitæ deſiderium, ſi non ex amore juſtitiæ, videlicet increatæ, quæ eſt Deus optimus, oriatur. Sed talem attritionis noſtræ malitiam Tertullianus ignoravit.

2 Eodem ſeculo glorioſus Martyr, & Epiſcopus Cyprianus de laude Martyrii, *Nos* (inquit) *ad hunc gloriæ titulum metus excitat futurorum; etenim quibus magna promiſſa ſunt, magìs magna ſunt, quæ metuenda ipſis videntur.* Perniciosum penès adverſarios monitum eſt, dum nulla adeò neceſſariæ ſit mentio charitatis, ſinè qua non ſolùm, teſte Paulo Apoſtolo, martyrium nihil prodeſt, ſed etiam novis Apoſtolis docentibus, ipſum Martyrii deſiderium ſolæ pœnæ formidine excitatum, eſt peccatum, neque inter leviſſima; nam quiſquis ſic ſtatuit, potiùs ſubire omnia carnificum ſupplicia, quàm abnegare fidem metu æterni interitûs, hoc ipſo fit perfidus à fide apoſtata; *Qui enim à malo non abſtinet, niſi timore pœnæ, illud committit in corde ſuo, & jam eſt reus coram Deo.*

Libellum de laude Martyrii tribuo Cypriano, nihil moratus dubium, quod movet Eraſmus propter apparentem hic ſtylum magìs elaboratum, quàm aliqua, non omnia ejus Sancti opera; nam & epiſtola ſecunda ad Donatum ſtyli eſt non inferioris. Libellus de laude Martyrii ſimilis eſt orationi in genere demonſtrativo, cui ſtylus congruè adhibetur aliquantò comptior vulgari. In ipſius Auguſtini operibus indubitatis, & inter ipſa ſubinde ejuſdem libri capita non omnia ſermonis æquè floridi conſpiciuntur. Ita, & in aliis contingit ſcriptoribus ad ſubſtantiam magìs, quàm modum attendentibus, & quibus varia ſubinde corporis, & animi diſpoſitio, qualitas materiæ auguſtior, aut humilior, circumſtantia perſonarum, ad quas opus dirigitur, orationis ornatum excitare nata eſt non omnimodè ſemper ſimilem.

Nemini ſaltèm dubium eſt, quin libri tres ad Quirinum contra Judæos ſint Cypriani. Illic autem lib. 3. cap. 20. ait, *Fundamentum, & firmamentum ſpei, ac fidei eſſe timorem.* Non eo ſenſu timor dicitur fidei fundamentum, & firmamentum, quaſi, ut inter ædificii partes prima ſemper neceſſariò fundamentum eſt, ita & timor fidem omnem præcedere debeat; ſed quia timor paganos ad fidem, & Eccleſiam adducit, reducitque hæreticos, ac ſchiſmaticos.

Ita Auguſtinus lib. de catechizandis rudibus cap. 5. *Rariſſimè accidit, imò vero nunquam, ut quiſquam veniat volens fieri Chriſtianus, qui non ſit aliquo Dei timore perculſus.*

Idem timor, qui ad fidem pertrahit, in ea etiam nutantes, & apoſtaſiæ proximos à lapſu retinet, & invicto in ea robore confirmat juxta ipſum iterum Auguſtinum in Pſalmum 127. circa finem: *Quomodo ſi videas avem veluti jam cadere in muſcipulam, facis majorem ſtrepitum, & volat de muſcipulâ: ſic & Martyrum jam fortè aliqui ipſorum intendebant collum in dulcedinem vitæ: Dominus, qui erat in illis, fecit ſtrepitum gehennarum, & erutus eſt paſſer de laqueo venantium.* Quapropter etiam ad juſtos, & maximè ad Martyres pertinet illa Chriſti mo-

nitio

nitio *Matth.* 10. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus; animam autem non possunt occidere; sed potiùs timete eum, qui potest, & animam, & corpus perdere in gehennam*. Sed penès adversarios obnoxia scandalo, & seductioni simplicium est tam Christi monitio, quàm narratio Augustini; dum enim nulla memoratur dilectio benevola, à qua timor ille hominibus liber procedere debeat; pronum est à fidelibus intelligi verba, ut sonant in sensu obvio, quasi utile sit, etiam præscindendo à dilectionis benevolæ motivo, timere eum, qui potest & animam, & corpus perdere in gehennam, ideoque minas hominum perversa imperantium, & cruciatus minantium contemnere; juxta adversarios scilicet eo ipso, quo tale formidinis dictamen secuti fuerint fideles, ado tentationibus non resistunt, ut iis libero animo obsequantur; nam *Qui à malo non abstinet nisi timore pœnæ, illud committit in corde suo, & jam est reus coram Deo*. Unde non solùm falsa, sed & piarum aurium, quales Jansenianæ, & Quesnellianæ sunt, offensiva, ac perniciosa pariter fuerit Augustini narratio, dum accepta in significatione vulgari, ut verba sonant, facilè persuadebit simplicibus, Martyres tentationem superasse tali formidine, qualis juxta Propositionem eos apostasiæ reos fecerit coram Deo. Sed nos rigidis istiusmodi novatoribus opponere pergamus benigniorem, & veritatis catholicæ magistram Traditionem.

3 Initio ejusdem seculi tertii floruit Clemens Alexandrinus, istius Ecclesiæ Presbyter doctissimus, Origenis Magister, inter cujus indubitata opera extant Stromatum libri octo, quæ etsi propter errores aliquos, forsitan ab hæreticis insertos, ut quidam apud Bellarminum piè credunt, à Gelasio Pontifice inter apochrypha relata sint, quam tamen modo ex libro 2. proferam sententiam, approbant, & pro veritate catholica citant passim contra hæreticos polemici Romanæ Ecclesiæ Scriptores, atque inter hos Bellarminus lib. 2. de pœnitentia cap. 17. Sic igitur Clemens lib. 2. ante medium: *Fides est prima ad salutem inclinatio, post quam timor, & spes, & pœnitentia .... Qui autem timorem damnant, legem etiam insectantur: quòd si legem, clarum est, quòd & eum, qui legem tulit*. An non est timoris condemnatio, dum Propositione 66. asseritur: *Qui vult Deo appropinquare, nec debet ad ipsum venire cum brutalibus passionibus, neque adduci per instinctum naturalem, aut per timorem sicuti bestiæ; sed per fidem, & amorem sicuti filii?* Atrocior etiam, ni fallar, timoris accusatio est Propositione præsenti, dum *qui à malo non abstinet, nisi timore pœnæ*, dicitur *illud* quantumlibet enorme fuerit, & multiplex, *committere in corde suo, & jam* (illius) *reus esse coram Deo*. Cujus calumniæ immensam iniquitatem superiùs exposui; nunc autem videmus in legem, atque in ipsum legis conditorem Deum, eandem redundare blasphemiam. Rectiùs itaque Clemens ait: *Fides est prima ad salutem inclinatio, post quam timor, & spes, & pœnitentia*. Hic dispositionum ad justificationem ordo, est quem Tridentina Synodus sequitur sess. 6. cap. 6. ubi, etsi pœnitentiam supposueris imbui charitate; hæc tamen in ipsa pœnitentia est, quam timor, & spes præcessere; utraque etiam tunc, cùm sola esset, utilis, uti ad charitatem, ita & ad justitiam dispositio. Dum itaque ad dilectionem quis, & pœnitentiam præparatur imminentium suppliciorum, ac perdendæ beatitudinis timore; atque interea, antequam charitas, & oriunda indè pœnitentia advenerit, proponit nulla deinceps peccata committere; nemo nisi rationi atque naturæ lumini penitùs renuntiaverit, affirmabit, illum hoc ipso omnia, à quibus abstinet, & abstinere imposterùm decernit, crimina perpetrare: affirmat tamen damnata Propositio, ut aliquoties declaratum est.

4 Quod à magistro suo Clemente Origenes didicerat, quantumvis in aliis novator, hic fideliter secutus est lib. 2. in Job circa finem dicens. *Verè nisi primùm obscuraverit Diabolus corda hominum, nisi priùs infuscaverit animas eorum, nisi priùs oblivionem dederit timoris Dei, atque terribilium judiciorum ejus, non utique valebit unquam peccatorum semen seminare in cordibus eorum*. Maximè terribilia sunt judicia Dei propter æternitatis calamitosissimæ sententiam, quam fert contra impios. Illius autem consideratio tantùm valet in animis hominum, ut, nisi judiciorum illorum Diabolus priùs induxerit oblivionem, *non utique valeat unquam peccatorum semen seminare in cordibus eorum*. Non itaque solam manum; sed etiam animum timor Dei, & terribilium judiciorum ejus cohibet, nè sive interiùs, sive exteriùs lex Domini violetur. Et quidem solus timor ille sufficere potest, ut peccatum impediat; cum nisi illâ formidine sublatâ, non posset unquam contra homines prævalere, ut in *eorum cordibus spargat semina peccatorum*.

Seculo quarto S. Basilius Magnus Archiepiscopus Cæsariensis in Psalm. 32. *Necessariò velut introductorius ad pietatem timor assu-*

assumitur; dilectio verò deinceps succedens, à timore scientifico adaptatos perficit. Quesnellus moræ omnis, etiam minimæ, impatiens, non vult dilectionem timori succedere; sed hunc procedere à dilectione; quia per Prop.44. *Non sunt nisi duo amores, unde volitiones, & actiones omnes nostræ nascuntur: amor Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur; & amor, quo nos ipsos, ac mundum diligimus, qui quod ad Deum referendum est, non refert, & propter hoc ipsum fit malus*. Prop.45. *Amore Dei in corde peccatoris non ampliùs regnante, necesse est, ut in eo carnalis regnet cupiditas, omnesque actiones ejus corrumpat*. Neque vulgaris corruptio est, quam timor expers charitatis, ac proinde carnalis cupiditatis furenlus induerit in actiones ex se optimas, quale indubiè est propositum à peccatis deinceps omnibus abstinendi; efficit scilicet timor ille, ut omnia, quæ excogitari ab homine possunt crimina, re ipsa committat, Prop.62. quæ hìc discutitur, *Qui à malo non abstinet nisi timore pœnæ, illud committit in corde suo, & jam est reus coram Deo*; reus scilicet non delicti cujuspiam venialis, cujus molliores Bajani, & ab his pauci forsitan seducti, accusant actionem quamlibet in Deum charitate non relatam; sed reus fit illius quodcumque detestatur, sceleris, quia *in corde suo committit illud*, à quo sic *abstinet*; unde si ab omnibus sic abstinet, necesse est committat omnia in corde suo, & reus omnium fit coram Deo. Formidine igitur conceptâ, antequam *dilectio successerit*, longè meliùs foret, seu minùs noxium, non detestari peccata, eaque non sibi proponere imposterùm fugienda, quàm ipsâ detestatione, & proposito reatum contrahere eorumdem simul omnium, qualiumcumque flagitiorum.

5 Juxta errorem itaque adeò exoticum, inconsultè, & perperàm assumeretur velut introductorius ad pietatem timor, veluti dispositio, post quam dilectio deinceps succederet, ut nos docuit Basilius. Ineptissima profectò esset talis, quæ *timori scientifico* à Basilio tribuitur *ad pietatem adaptatio*, quando si non unica, saltèm prima ad pietatem, atque dilectionem adaptatio, deberet necessariò esse dilectio; cæteris eâ prioribus, nempe fide, & timore pœnæ, inter spurcitias ablegatis.

Idem Sanctus in Psalmum 33. *Nisi timor instituendæ vitæ nostræ rudimenta jaciat, impossibile fuerit castitatem, sanctimoniamque legitimè observari*. Perniciosa nobis rudimenta suggerit Basilius, si fallaci novaturientium staterâ expenderis, juxta hos enim *impossibile fuerit castitatem, sanctimoniamque legitimè observari*, si timor, & non timore prior dilectio instituendæ vitæ nostræ rudimenta jecerit: eo ipso enim castitas violatur, & sanctimoniæ obstruitur aditus, dum timor dilectionem præveniens jubet hominem ab impudicitia, aliisque se criminibus contineri: *Qui à malo non abstinet, nisi timore pœnæ, illud committit in corde suo, & jam est reus coram Deo*. Ita quascumque obscœnissimas species continet luxuria, committit omnes in corde suo, quisquis de charitate non cogitans, illas timore solo pœnæ à supremo judice inferendæ fuerit aversatus. Horrorem necesse est incutiat castis auribus tam inaudita, & fœda novitas.

Iterum Basilius in Psalm. 33. ad illud *Divites eguerunt*, ait: *Timor salutaris est, qui sanctitatis operatorius; vis enarrem, qualis sit? Si quando senseris, te ad unum aliquod cieri, ac prosilire peccatum, ad mentem revoca formidabile illud, nec ulli mortalium tolerabile Christi judicium .... Hæc time, & hoc timore eruditus, animum à concupiscentia ad hæc mala, velut fræno quodam relide*. Non est istud sensati hominis consilium, inquiet Quesnellus, à talibus ipse monitis studiosiùs sibi cavens, juxta quem timor pœnæ est minimè salutaris, minimè operatorius sanctitatis, etiam, ut remota dispositio, quoties ex amore Dei benevolo non procedit, ut in Basilii sententia ab illo præscinditur. Sive enim timor ille actus liberi arbitrii sit, sive ei libertas consentiat, peccatur juxta Prop.44. & sequentes aliquot de charitate; neque melioris notæ est per præsentes de timore Articulos. *Si quando* enim *te senseris ad unum aliquod cieri, ac prosilire peccatum*, necesse est animum statim applices ad dilectionem benevolam; alioqui solicitè abstine à *revocando in mentem formidabili illo, nec ulli mortalium tolerabili Christi judicio*; nam si illud timens, propter decernendam reprobis pœnam *à peccato abstines*; *illud*, quantumcumque enorme, aut multiplex fuerit, *committis in corde tuo, & jam es reus* illius *coram Deo*. Multùm igitur à novo Quesnelli Euangelio aberravit Basilius, existimans, hominem *hoc timore eruditum*, posse *animum à concupiscentia ad hæc mala velut fræno quodam relidere*, atque impedire consensum.

Denique idem Sanctus Hom. in principium Proverb. *Quamborem initium sapientiæ timor Domini dicitur; anima verò purgatio timor Domini, secundùm Prophetæ preces, ac desiderium, dicentis; Confige timore tuo carnes meas*. Corrigenda juxta Quesnellum necessariò

satiò est Scriptura, & dicendum initium sapientiæ amor Domini; nisi enim amor ille pepererit timorem, hic, ut actiones, & volitiones reliquæ, *nascitur ex amore, quo nos ipsos, ac mundum diligimus, qui quod ad Deum referendum est non refert, & propter hoc ipsum fit malus Prop.44.*, & pluribus sequentibus: imò timor Domini, qui ad charitatem, quæ vera Sapientia est, præparare animum à fidelibus creditur, si expers amoris est, juxta Quesnellum ab eodem maximè avertit; adeò autem animum non purgat, ut eum magis repleat sordibus peccatorum, atque eò ampliùs, quo sæpiùs nititur tum à novis abstinere, tum præterita plangere, ut ex memorato sæpe, qui hic impugnatur, Articulo manifestum est, juxta quem timor, quoties charitate caruerit, non sapientiæ; sed insipientiæ foret initium, & ex illo concepta attritio stultitiæ complementum.

6 Seculum Quartum ornavit etiam S. Ambrosius Mediolanensis Antistes, & scriptis doctissimis illustravit. In Psalm.118. *Configat*, inquit, *carnales cogitationes timor Domini, & judiciorum ejus, & servituti redigat. Quòd carnes istæ rejiciunt clavos divini timoris, haud dubiè dicitur; Non permanebit spiritus meus in his hominibus, quia caro sunt.* Hìc in primis configitur Propositio præcedens, qua dicebatur, *Timor nonnisi manum cohibere; cor autem tamdiu addici peccato, quamdiu ab amore justitiæ non ducitur*; Ambrosius verò etiam cogitationes asserit timore Domini coerceri; *Configat carnales cogitationes timor Domini, & judiciorum ejus, & servituti redigat*; servituti utique Domini, ejusque mandatorum. Non igitur cor tamdiu *addicitur peccato, quamdiu amore justitiæ non ducitur*: juxta Quesnellum, imprudens fuerit Ambrosius, non commonens nos de necessitate charitatis, quando hortabatur, ut timor Domini, & judiciorum ejus configat cogitationes carnales, & servituti redigat; sed conscius non fuit novi dogmatis, quòd *qui à malo non abstinet, nisi timore pœnæ, illud committat in corde suo, & jam sit reus coram Deo*. Timor enim Domini, & judiciorum ejus indicat Dominum malorum vindicem, & pœnam divinis judiciis, sive à Deo judice infligendam. Talem timorem, etiamsi ab omni motivo alio præscindatur, carnalibus configendis cogitationibus sufficere, perspicua est Ambrosii sententia. Si autem timor ille ad talem effectum satis virium, & bonitatis habeat, repugnat apertissimæ veritati, quòd, quoties aliquis *solùm timore pœnæ à malo abstinet, illud committat in corde suo, & jam sit reus coram Deo*.

Liber ad Virginem lapsam cap.8. qui inter opera Ambrosii relatus, etsi illius non sit, & Novatianum errorem hoc ipso capite contineat; habet tamen, & hanc præclaram, ac cæteris conformem Patribus sententiam. *Pœnitentia sic agitur; si tibi ante oculos ponas, de quanta gloriâ rueris, & de quo libro vitæ nomen tuum delectum sit, & si te jam credas propè ipsas positam tenebras exteriores .... Quantumvis laborem, quantamvis afflictionem subire esto contenta, dummodo ab æternalibus pœnis libereris.* Si timor tenebrarum exteriorum satis momenti habeat, ut virgo lapsa quantumvis laborem, quantamvis afflictionem subire sit contenta, certè esse debeat, judicio authoris, dummodo à pœnis æternalibus liberetur; non est verisimile, quòd peccatum, pro quo expiando tanta susciperet incommoda, vellet iterum committere in corde suo, seque iterato crimine coram Deo constituere magis ream. Quanquam suspecti authoris præsidio nobis opus non est, qui fidei exploratissimæ Patribus abundamus.

7 Eodem seculo S. Hieronymus Tomo 3. ad Fabiolam Mansione 23. *Dominus regit me &c. jungit timorem, qui custos est beatitudinis, Virga tua &c., & est sensus: Dum tormenta formido, servavi gratiam, quam receperam.* Dum formidine tormentorum servatur gratia, evidens est, non committi in corde crimina, à quibus, eâdem impellente formidine, etiam dum sola fuerit, abstinetur; est enim illa custos beatitudinis, quam certum est non custodiri, neque gratiam antea receptam servari timore istiusmodi, cujus quoties solius instinctu crimina aversamur, toties ea patramus in corde, rei coram Deo, & æternis obnoxii cruciatibus.

Ibid. Mansione 28. *Timore supplicii, & ejus loci, ubi est fletus, & stridor dentium, deserens Diaboli vincula, Christo Domino credentium turba colla submittit.* Deseritnè Diaboli vincula, & Christo Domino colla submittit credentium turba; si tantùm exteriùs obediens Christo, in corde consentiat Diabolo? Quæ verò conversionis proferetur ratio alia, quàm timor supplicii, & ejus loci, ubi est fletus, & stridor dentium? Si quem Hieronymus suo tempore audivisset geminas suas cum damnato Articulo componentem sententias, nescio an æquiore eum animo tolerasset, quàm qui ipsum non erronibus solùm; sed ineptissimis quoque rabulis contraria sinè pudore effutientibus annumerasset.

In

In caput 2. Micheæ, *Qui pudore*, inquit, *& verecundiâ non tenentur, agant pænitentiam, saltèm comminatione pænarum*: Qualis autem foret ea digna tanto Doctore pœnitentia, si peccatum committeretur eodem prorsus tempore in animo, quo illud commendata ab ipso pœnitentia abdicaret?

Non minùs dilucidè vera à peccati abstinentia, suadente solâ pœnarum formidine, traditur à Hieronymo in caput 1. Malachiæ; *Vult itaque primò Deus, ut filii ejus simus, & bonum voluntate faciamus; si hoc consequi nolumus, ut saltèm servos suos habeat, & à malis per suppliciorum formidinem recedamus*. A' malis per suppliciorum formidinem minimè receditur, si quoties à malo non avertimur nisi timore pœnæ, illud committamus in corde. Nam si ad impediendum hunc pessimum effectum opus sit dilectione justitiæ, & quidem increatæ, ut adversarii intendunt, quivis facilè intelliget, recessum à malis non tribuendum suppliciorum formidini, ut manifestè tribuit maximus Ecclesiæ Doctor Hieronymus, sed tantummodo charitati.

8 Seculum quartum claudat Joannes Chrysostomus ex vita Monastica vocatus ad Clerum, & ex Antiocheno Ecclesiæ Presbytero Episcopus Constantinopolitanus, Doctor planè eximius, etsi Calvino, & Jansenio invisus. Is Hom. 15. ad populum Antiochenum: „ Quid (inquit) gehenna „ gravius? sed hujus metu nihil utilius; „ gehennæ namque timor regni nobis ad„ fert coronam... Nihil enim tantùm pec„ cata quidem consumit; virtutem verò „ crescere facit, & germinare, quantùm „ continui timoris natura. Propterea qui „ non vivit in timore, rectè illum agere „ non est facile: sicut vicissim cum timore „ viventem, est impossibile peccare.... „ Nisi bonus esset timor, non multos im„ pendisset Christus sermones, & longos „ de illa pœna, & supplicio loquens „. Diceres Chrysostomum spiritu prævidisse Quesnellianas contra pœnæ perpetuæ timorem non tolerabiles calumnias, easque refutandas studio suscepisse. Adeò enim timorem supplicii, etiam solùm, & animatam ex illo pœnitentiam non existimat *ducere (homines) ad desperationem*, ut asserit Propositio 60. adeò timorem non annumerat *brutalibus passionibus* juxta Prop. 66. adeò eundem non prohibet *volenti ad Deum appropinquare*, ut securos esse nos jubeat, nihil esse *gehennæ metu utilius*. *Si regni ille nobis affert coronam*, si *nihil tantùm peccata consumit*; *virtutem verò facit crescere, & germinare*, patet, timorem eumdem se ipso, etiam antequam amor justitiæ, ad quem animum præparat, accesserit, non solam *manum*; sed etiam *animum cohibere à peccato*, neque formidine illâ addici animum peccato; sed ab ejus affectu invictissimè averti. Quomodo nihil *tantùm peccata consumeret*: *nihil tantùm virtutem faceret crescere*, quàm *timor gehennæ*, si quoties aliquis *à peccato non abstinet nisi timore pœnæ, illud committeret in corde, & jam esset reus coram Deo*? Quomodo cum eodem Quesnelli dogmate consistit, quòd *cum hoc timore viventem sit impossibile peccare*? Is qui totam hanc Chrysostomi doctrinam cum præsenti novitate conjunxerit, poterit non difficiliore operâ cum nocte diem componere, & quolibet cum errore lucidissimam veritatem.

CAPUT III.

Seculi Quinti Traditio damnatum Articulum subvertit.

1 QUinto Ecclesiæ seculo maximè splenduit Aurelius Augustinus Hipponensium Antistes. De eo quidem famosissimus inter prætensos hoc tempore Augustini discipulos Elias du Pin in nova scriptorum Ecclesiasticorum Bibliotheca asserit, Doctorem Sanctissimum fuisse solitum à præcedentium recedere sententiis, ut nempe quidquid ex Hieronymo, Ambrosio, Chrysostomo, Gregoriis Nazianzeno, & Nisseno, Athanasio, Justino, Epiphanio, Irenæo, Cypriano, Clemente Alexandrino, aliisque Patribus Augustino anterioribus contra Bajum, Jansenium, Arnaldum, Quesnellum produxerimus, liceat novatoribus, Augustini Doctoris maximi quasi exemplo, contemnere. Cui contundendæ calumniæ locus fortè erit Tomo 3. Interea quod ad præsentem attinet quæstionem, Augustinum viâ regiâ incessisse, & secutum vestigia antiquiorum, patebit, illius cum relatis aliorum testimonia conferenti.

Ordior à sermone 214. de tempore, qui indubiè Augustini est, & inter indubitatos refertur in nova Benedictinorum Parisiensium editione, etsi sermones aliquos de tempore verisimilius sit Augustini non esse. Sic autem ibi Sanctus „ Cùm enim timetur „ pœna, quam Deus minatur, discitur ama„ ri præmium, quod pollicetur, ac sic per „ timorem pœnæ bona vita retinetur; per „ bonam vitam bona conscientia compara-

tur

„ tur, ut per bonam conſcientiam nulla „ pœna timeatur. Quapropter diſcat ti„ mere, qui non vult timere: diſcat ad „ tempus eſſe ſolicitus, qui ſemper vult eſ„ ſe ſecurus „. Si per timorem pœnæ bona vita retinetur; igitur qui à malo abſtinet timore pœnæ, de meliore ratione nihil cogitans, non propterea committit illud in corde ſuo. Neceſſe eſt, adverſarii reſpondeant, Auguſtinum ſupponere, quòd timor pœnæ originem hìc ducat ex amore juſtitiæ, ſive Dei, & quidem omnia agente propter Deum, quemque Deus remuneratur; alioqui actionem omnem, & volitionem procedere ex amore, quo nos ipſos, ac mundum diligimus, qui quod ad Deum referendum eſt non refert, & propter hoc ipſum fit malus, ut docuit Propoſitio Queſnelli 44.

Verùm tam falſum eſt de mente Auguſtini ſuppoſitum, quàm ipſum Queſnelli novaturiens placitum, cui meritò inflictum eſſe anathema loco proprio oſtendimus. Suppoſiti autem falſitas ex ipſa convincitur Auguſtini ſententiâ: *Cùm timetur pœna, quam* (Deus) *minatur, diſcitur amari præmium, quod pollicetur, ac ſic per timorem pœna bona vita retinetur*, mediâ ſcilicet ſpe præmii, ad quam diſponit, atque, ut charitas ſpe perfectior eſt, ita ab ea ſemitam præparante inducitur; proinde ſicut timor pœnæ ab Auguſtino præmittitur amori præmii, ita & intelligitur præcedere dilectionem Dei: Timor itaque pœnæ optima ad ſpem, & charitatem diſpoſitio eſt. Sicut autem metus ſuppliciorum, quæ vindex Dei juſtitia minatur, poteſt, ſolâ præſuppoſitâ fide, imperare ſibi, atque elicere, divinâ auxiliante gratiâ, actus ſpei atque dilectionis; cur non & alicujus ſpei fugam odiumque peccati, abſque eo, quòd illud committat animo, ejuſque reatum contrahat coram Deo? Conſecutionem adeò rationi, & veritati catholicæ conſentaneam ſola negare poteſt exotica Novatorum in defendendis erroribus pertinacia.

Cùm igitur timetur pœna, quam Deus minatur, ut diſcitur amari præmium, etiam dum nondum eſt dilectio benevola; ita diſcitur fuga peccati innocua, non committendo illud in animo. Idcirco deſtruit manifeſtè Auguſtini ſententia errorem Queſnelli, atque utinam tam ſalutiferi timoris, quàm Sedis Apoſtolicæ hoſtes, extra Petri naviculam fluctuantes, æternoque proximi naufragio, ſibi ab Auguſtino ſinguli dictum putent, *Diſcat timere, qui non vult timere: diſcat ad tempus eſſe ſolicitus, qui ſemper vult eſſe ſecurus*!

Fidunt quidem novi illi myſtici ſuæ charitati, quam abſque pœnæ formidine ſibi arbitrantur ſufficere; ſed aliorum judicio nimiùm ſtolida apparet confidentia, & fallax dilectio; veriſſimè enim dictum ab Auguſtino eſt Tract. 9. in Epiſt. Joannis; *Si nullus eſt timor, non eſt quà intret charitas*. Ibid. *Opus eſt ergo, ut intret timor primò, per quem veniat charitas*. Hanc ſibi quis non tribuit hæreticus? Sed nullam poſſe extra Eccleſiam eſſe charitatem, utì neque veram juſtitiam, neque ſalutem, certiſſima Auguſtini contra Donatiſtas, & totius Eccleſiæ contra omnes ſchiſmaticos ſemper ſententia fuit, de qua forſitan plus aliquid occurret poſt abſolutum de Propoſitionibus tractatum. Interim præſens diſputatio proſequenda eſt.

2 Auguſtinus contra Adverſarium Legis, & Prophetarum lib. 1. cap. 16. *Salubriter non ſolùm bonitatem; verùm etiam ſeveritatem Dei Scriptura Sacra commendat: quoniam, & amatur Deus utiliter, & timetur*. Audis, inquient, adverſarii, quod amor Dei præcedere debeat timorem, ut eum utiliter imperet? Reſpondeo, ordine dignitatis, non naturæ atque originis amorem ab Auguſtino ante timorem referri: de quo nè dubites gemina ipſius Sancti Antiſtitis teſtimonia clariſſima jam dedi ex Tract. 9. in Epiſt. Joannis quibus accedit ex lib. de catechizandis rudibus cap. 5. *Ipſa etiam ſeveritate, quâ corda mortalium ſaluberrimo terrore quatiuntur, charitas ædificanda eſt*. Quid prius naturâ, & origine eſt, fundamentum, an ædificium, quod ſuperſtruendum? Terror igitur ſaluberrimus prior charitate eſt, utque ex illo exſurgit ædificium charitatis, atque juſtitiæ; ita & odium peccati; prius autem eſt fugere peccatum, quàm juſtitiam increatam ſuper omnia amare. Quod ſcilicet minùs perfectum eſt, gradus ſolet eſſe ad perfectius, teſte Auguſtino, ut ſequitur.

In Epiſt. Joannis Tract. 9. *Audi Scripturam, Initium Sapientiæ Timor Domini..... Quantùm autem mortificat iſte, qui timere cæpit diem judicii, membra ſua ſuper terram, tantùm ſurgunt, & corroborantur membra cæleſtia; membra autem cæleſtia omnia opera bona*. Prius eſt mortificare membra, quæ ſunt ſuper terram, deſideria illicita, & peccata, quàm ſurgant opera bona, præcipuè charitatis. Hinc timor Domini dicitur initium Sapientiæ; Timorem autem Domini intellige hìc, ut explicat Auguſtinus, quo *timere cæpit diem judicii*, timorem proinde Domini vindicis, & pœnæ ab eo impiis decer-

cernendæ, Timor itaque iste membra, quæ sunt super terram, mortificat, antequam surgant bona opera, potissimùm charitas, quæ membrorum cœlestium nomine appellantur. Dicitur autem timor iste *initium Sapientiæ*; quia ad bona opera, charitatem maximè, hominem ducit. Qui igitur timore judicii, & pœnæ à Supremo judice peccatoribus infligendæ, graviter concussus, odium concipit peccati, etiam antequam charitas suborta fuerit, ad eam quidem se præparat, sed dispositione effectui congruâ, ac proinde necessariò innoxiâ, qualis est fuga, & odium peccati. Error itaque apertissimus est, quòd *qui à malo non abstinet, nisi timore pœnæ, illud committat in corde suo, jamque sit reus coram Deo*.

3 Nimis magnum catholicæ veritati præsidium est in Augustini sententia ex Tractatu 9. in Epistolam Joannis superiùs relatâ, quàm ut citatione perfunctoriâ dimittere eam liceat; certus enim sum nullo adversariorum sophismate eludendam: Quapropter fructus ex ea nobis uberior colligendus est. *Opus est ergo* (inquit Augustinus) *ut intret timor primò, per quem veniat charitas: timor medicamentum, charitas sanitas*. Oppositum ordinem statuit novitas adversariorum; juxta quam opus est intret charitas primò, per quam veniat timor, qui si prævenerit, peccatum est, & peccatores efficit deteriores; quia *Omnis actio, & volitio, quæ nascitur ex amore Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur, nascitur ex amore, quo nos ipsos, ac mundum diligimus, qui quod ad Deum referendum est, non refert, & propter hoc ipsum fit malus* Prop.44. Itaque medicamentum præcedere sanitas debet, ut Theologiæ veteris reformatores novi etiam ipsum naturæ ordinem invertant.

Neque responderi potest, Quesnellum non ad omne peccati odium, etiam honestum, & utile, requirere charitatem, quæ sit sanitas, sive justitia; sed ei sufficere inferioris ordinis dilectionem, modò fuerit supernaturalis; istud, inquam, frustrà respondetis. Quomodo enim id concilies, non solùm cum Propositione 44. jam relatâ, sed etiam cum 28. juxta quam *Prima gratia, quam Deus concedit peccatori est peccatorum remissio*: Et 5 *r. Fides justificat, quando operatur; sed ipsa non operatur, nisi per charitatem*? Qualecumque scilicet peccati odium honestum, & utile, ac proinde novâ maculâ non inquinatum excogites, maximè juxta Quesnellum, necessariò est ex gratia: atque ipsum prima gratia est justificationem conferens, si *Prima gratia, quam Deus concedit peccatori, est peccatorum remissio*. Necesse pariter est, ut qualecumque peccati odium salutare ex fide originem ducat; hæc autem est prima graria per Prop. 26. *Nullæ dantur gratiæ, nisi per fidem*. Prop.27. *Fides est prima gratia, & fons omnium aliarum*. Unde liquer, nullum peccati odium salutare penès Quesnellum posse destitui reconciliatione, cùm esse nequeat nisi ex fide, atque hæc ex gratia, quæ remissio peccatorum est. Hinc modò allegata refellitur facilè excusatio; nam qualiscunque ordinis inferioris, etiam infimi dicatur ab adversariis requiri solummodo charitas, vel amor justitiæ, debet necessariò esse ex gratia, & ex fide, ideoque ex duplici capite justificans; non quidem ut habitus, qui ipsa justificationis forma est; sed ut actus, cujus intuitu sanctitas infunditur.

Dum igitur Augustinus loco citato ait: *Opus est, ut intret timor primò, per quem veniat charitas: timor medicamentum, charitas sanitas*; ad timorem, ut sit legitima introducendæ charitati dispositio, secundùm adversarios requirit dilectionem, quæ est ex gratia, & fide, in qua hypothesi juxta eosdem timor ille nequit à justitia separari; imò justitiam, ipsâ primâ, ex qua oritur, gratiâ operante, supponeret collatam. Atqui tunc redderetur maximè incongrua Augustini sententia requirentis primò timorem charitate formatum, ut charitas introducatur. Præterea cùm timor per Prop. 44. nasci debeat *ex amore Dei omnia agente propter Deum, quemque Deus remuneratur*, qui proinde amor justificat; necesse est, ut timor iterum, qui medicamentum ab Augustino dicitur, præsupponat charitatem, & justitiam, quæ est sanitas; unde Quesnelliana hypothesis hâc etiam ratione ridiculam efficit Doctoris maximi sententiam. Sed nos malumus, repudiatâ rigoris exotici, & undequaque erronei novitate, Augustinum intelligere juxta significationem verborum planam, & obviam, quòd scilicet opus sit, ut intret timor primò, quo charitas, seu Dei dilectio, quæ ante non fuerat, introducatur. Medicamentum humores noxios expellit: ita timor lethiferam peccandi voluntatem; ut autem, pulsis humoribus pravis, succedit sanitas corporis; ita charitatis tum actus, tum habitus, qui sanitas animi est, virulentis sublatis affectibus, desideriis, actibus, facilè introducitur.

4 Confirmatio Augustiniani hujus sensûs, & convictio Quesnelliani manifesta est non solùm eodem Tractatu, cùm dicitur, *si nul-*

fi nullus eſt timor, non eſt quà intret charitas; ſed etiam dè Verbis Apoſtoli Serm. 13. *Timor ſervus eſt: charitas libera eſt: & , ut ſic dicamus, timor eſt ſervus charitatis. Nè poſſideat Diabolus cor tuum, pracedat ſervus in corde tuo, & ſervet Domina ventura locum: fac vel timore pœna, ſi nondum potes amore juſtitia*. Poſſidet Diabolus corda peccantium: nè poſſideat, arcetur timore pœnæ, quo mens à peccando retrahitur: de quo dubitari non ſinit quod ſequitur: *Fac vel timore pœna, ſi nondum potes amore juſtitia*; ubi manifeſtè perſpicis, non agi de timore, quem amor juſtitiæ imperaverit. Timore itaque pœnæ abſque amore juſtitiæ abſtinent aliquando homines à peccato, ita ut illud non perpetretur animo; aliàs fruſtrà præcederet ſervus timor, nè Diabolus cor poſſideat, ſi quidem non ſolo crimine in opus exterius proſiliente; ſed etiam eo, quod ſolo corde committitur, invadit animam Diabolus, & poſſidet. Infidum itaque cuſtodem animæ conſtitueret Auguſtinus timorem ſervum, qui Dominæ charitati venturæ locum tam infideliter ſervaret, ut Diabolum ingredi tam facilè pateretur, ut præſens docet Queſnelli aſſertio: *Qui non niſi timore pœna abſtinet à peccato, illud committit in corde ſuo, & jam eſt reus coram Deo*. Imò ſervus iſte à Queſnello ſtatuitur adeò perfidus, ut Dominam ſemper prodat, & cum ejus hoſtibus conſpirans obſtruat Ipſemet Dominæ aditum, nè ingredi poſſit.

Prætermiſſâ figurâ, Queſnellianæ ſententiæ virus apertiùs detegamus; juxta quam timor pœnæ dum nondum adeſt amor juſtitiæ, crimina ipſemet committit maximè horrida, immanes ſcilicet in Deum blaſphemias Prop. 67. *Timor ſervilis non ſibi repræſentat Deum, niſi ut Dominum durum, imperioſum, injuſtum, intractabilem*. Sic peſſimè cum Domina charitate ageret Auguſtinus, quando ſervum ei commendaret adeò ſacrilegum. Quomodo verò Auguſtinum à turpi ſecum, & cum veritate pugnâ expedies, ſi eam prætenſos ſuos diſcipulos ſententiam docuerit, quæ Propoſitione 67. traditur, & tanti Doctoris nomine contra Apoſtolicum anathema propugnatur? Minus eſt, quòd Dominam charitatem beſtiali ſervo committeret. Timor ſcilicet ad beſtias rejicitur, & homini rationis capaci à novis Apoſtolis prohibetur 66. Propoſitione, *Qui vult Deo appropinquare, nec debet ad ipſum venire cum brutalibus paſſionibus, neque adduci per inſtinctum naturalem, aut per timorem, ſicuti beſtia; ſed per fidem, & amorem ſicuti filii*.

5 Occurrit hìc modò caſus ad Theologiam pertinens moralem, quem Theologorum, imò omnium quibus mens ſana eſt, examini ſubmitto; quanquam nec multâ opus eſſe diſcuſſione exiſtimem, dummodo quæſtionis ſtatus dilucidè exponatur. Auguſtinus hortatur, ut facias vel timore pœnæ; ſi nondum potes amore juſtitiæ: Quæritur, utrum Sancti hortatio licita, conveniens, honeſta ſit, & tanto digna Antiſtite, inter Eccleſiæ Doctores maximo. Dubitandi forſitan apparebit ratio, novorum ejus diſcipulorum authoritas, talia Auguſtini nomine protrudentium de timore dogmata, qualia hactenus commemoro, & impugno: neque ea protrudunt leviter, & inconſideratè; ſed tantâ ſuſtinent pertinaciâ, ut ab Eccleſiæ Capite, ac totius corporis communione ſeparari malint, quàm ſuis, ut vocant, Auguſtinianis placitis renuntiare. Hæc ſiquidem dogmata adeò non videntur cum relata Auguſtini ſententia cohærere, ut ſi illa ſubſtiterint, non modò inconſulta hæc appareat; ſed etiam noxia, & penitùs antichriſtiana. Si enim Dei juſſa facias timore pœnæ, ſinè amore juſtitiæ, mandatorum omnium, quæ ſic implere viſus fueris, transgreſſor efficeris Prop. 62. *Qui à malo non abſtinet niſi timore pœna, illud committ t ie in corde ſuo, & jam eſt reus coram Deo*. Prop. 61. *Timor non niſi manum cohibet; cor autem tamdin peccato addicitur* (non ſolùm habitu; ſed novis quoque ſemper actibus) *quamdiu amore juſtitia non ducitur*. Quod parentheſis ſenſum dogmatis ab authore intentum exponat fideliter, patet ex relata Prop. 62. Rurſus Prop. 45. *Amore Dei in corde peccatorum non ampliùs regnante, neceſſe eſt, ut in eo carnalis regnet cupiditas, omneſque actiones ejus corrumpat*. 46. *Cupiditas, aut charitas uſum ſenſuum bonum, vel malum faciunt*. 47. *Obedientia legis profluere debet ex fonte, & hic fons eſt charitas. Quando Dei amor eſt illius principium interius, & Dei gloria ejus finis, tunc purum eſt, quod apparet exteriùs; alioquin non eſt niſi hypocriſis, aut falſa juſtitia*. E' quibus omnibus collectio fit lucidiſſima, quòd, ſi Auguſtinus his Propoſitionibus ſuffragetur, ut adverſariis indubitatum eſt, cùm ſingulas tueantur ejus authoritate, etiam contra Apoſtolicam Clementis XI. Conſtitutionem, totius Eccleſiæ obedientiâ, & conſenſu receptiſſimam; fit, inquam, collectio luciciſſima, quòd, ſi Auguſtinus relatis Queſnelli Propoſitionibus ſuffragetur, abſurdiſſimum fuerit ejus conſilium; *Nè poſſideat Diabolus cor tuum, pracedat ſervus* (timor pœnæ ſolummodo) *in corde tuo*,

& servet Domina (charitati) *venturæ locum: fac vel timore pœnæ, si nondum potes amore justitiæ.*

Quid enim hic fidelibus suades Doctor Sanctissime? Fœdos cupiditate actus, falsam justitiam, continuam hypocrisim, sive subdolam mandatorum omnium, quæ implere exteriùs visi fuerint, in animo transgressionem: si & Prop. 66. & 67. jungatur superioribus, suaserit Augustinus bestialitatem, sacrilegas in Deum contumelias, & blasphemias enormes. Nos tamen pergamus cum Augustino securè dicere, *Fac vel timore pœnæ, si nondum potes amore justitiæ.*

5 Hominem statuo in avaritiam pronum, cui quantumlibet describatur pulchritudo justitiæ, persuaderi tamen hactenus non potest, ut amore ejus rapiatur adeò, ut ab usuris abstineat. Quid faciat consultor pius, & sapiens? Ab encomio justitiæ cum Augustino se convertit ad describendum horridum damnatorum carcerem in Ps. 127. *Ubi vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur. Audiunt hæc homines, & quia verè futura sunt impiis, timent, & continent se à peccato. Habent timorem, & per timorem continent se à peccato: timent quidem, sed non amant justitiam: cùm autem per timorem continent se à peccato, fit consuetudo justitiæ, & incipit quod durum erat, amari, & dulcescit Deus: & jam incipit homo justè vivere. Timet, nè mittatur in gehennam; bonus est, & utilis iste timor.* Ita quidem Augustinus. Nunc quæritur, an rectè superiùs ab eo dictum fuerit; *Fac, vel timore pœnæ, si nondum potes amore justitiæ*? De rectitudine consilii nemo dubitat catholicus; sed judicium omnibus mutandum est, si vera fuerit præsens Quesnelli Propositio, *Qui à malo non abstinet nisi timore pœnæ, illud committit in corde suo, & jam est reus coram Deo*. Quid enim in hac hypothesi Augustinus suo obtinet consilio, nisi ut omne in animo committatur flagitium, à quo voluerat absterrere?

Saltèm, inquient adversarii, impediuntur externa opera juxta Propos. 61. *Timor non nisi manum cohibet; cor autem tamdiu peccato addicitur, quamdiu ab amore justitiæ non ducitur*. Quæro ego, quid ista ab externo opere continentia ad evitandam faciat, quam tantopere horrent homines gehennam? Fatuos esse oportet omnes, qui, dùm pœnæ æternæ formidine vehementissimè concutiuntur, ideoque omne volunt cavere damnationis periculum, ab omni exteriore solùm constituunt abstinere crimine, retentis libero animo affectibus maximè sceleratis. Tales esse omnes, qui solo funestissimæ æternitatis metu à peccato abstinent, non video qua ratione Theologus, aut quis alius sanæ mentis existimare potuerit. Si enim tantùm valeat apud avarum æterni supplicii consideratio, ut propterea ab usuris, & ab omni exteriore abstineat injustitia, non retineat etiam iniquè possessa, sibi aliàs tam grata, & ad omnes usus humanos, etiam maximas, si voluerit, delicias tam utilia à se abdicet; damnari nihilominus velit voluntario, & libero erga eas affectu; qui, dum rebus frui non conceditur, torquere, & affligere magìs solet, quàm delectare amantem. Supponamus tamen in adversariorum gratiam, omnes qui solo timore pœnæ à peccato abstinent, insanire adeò, ut liberè retineant ejus desiderium, ex quo sanæ Theologiæ principio potuit Augustinus in hac falsissima, & ipsi naturæ lumini contraria hypothesi suadere, *fac, vel timore pœnæ; si nondum potes amore justitiæ*, quando Doctori Sancto placuisset Quesnellianum de tali formidine judicium? De tali, inquam, pœnæ formidine, quæ in relata à me Augustini sententia est sinè amore justitiæ, atque ita propriè servilis?

Quesnellianam de ea opinionem exposui, quòd scilicet ei tribuat blasphemiam multiplicem, & maximè enormem Prop. 67. *Timor servilis non sibi repræsentat Deum, nisi ut Dominum durum, imperiosum, injustum, intractabilem*. Edicant itaque adversarii, iterum postulo, quo jure, qua ratione utcumque verisimili potuisset Augustinus in ea hypothesi memoratum suggerere consilium; *Fac, vel timore pœnæ; si nondum potes amore justitiæ*? Suaderetur enim omnibus, qui nondum ducerentur *amore justitiæ*, timor adeò impius, & quadruplici blasphemiâ infamis. Etsi autem concederem, quod contra superiorem Articulum, ostendi à veritate, & omni rationis specie alienissimum, quòd nempe *Timor nonnisi manum cohibeat; cor autem tamdiu addicatur peccato, quamdiu ab amore justitiæ non ducitur*, quid boni sufficientis remanet in istiusmodi timore, quòd excusare valeat suasionem sacrilegæ, & quadruplicis blasphemiæ, quæ in eodem metu oculis Quesnelli plusquam lynceis detegitur?

In communissima Theologorum sententia externi operis malitia tota ab interno desumitur, atque ab eo unicè denominationem mali accipit. Si igitur juxta superiorem Articulum *Timor nonnisi manum cohibet*: Si, & juxta præsentem, *Qui à malo non abstinet nisi timore pœnæ, illud committit in corde suo, & jam est reus coram Deo*, sicut externa actio

actio non fuperaddit malitiam internæ, ita externæ actionis cohibitio, quam fibi vindicat timor pœnæ, ab Hipponenfi adeò commendatus, non poteft illo fuo perexiguo effectu bono compenfare injuriam, quam in Quefnelli fententia infert Deo, tantis eum laceffendo blafphemiis. Quapropter vel Auguftinus fuerit imprudentiffimus Confultor, & fuafor impius blafphemiarum, quodque minus quidem malum eft, beftialitatis; aut rejiciendum penitùs eft novum Quefnelli de formidine pœnæ fyftema, tanquam à doctrina Auguftini Catholiciffimâ prorfus alienum.

Refumamus igitur, & teneamus firmiter in fenfu proprio, & obvio verba Doctoris Sanctiffimi: *Timor fervus eft; charitas libera eft, & ut fic dicamus, timor eft fervus charitatis* (timor fcilicet pœnæ, ut mox fequitur:) *Nè poffideat Diabolus cor tuum, præcedat fervus in corde tuo, & fervet Dominæ venturæ locum. Fac vel timore pœnæ, fi nondum potes amore juftitiæ.*

Num defineret Diabolus poffidere cor tuum propter timorem fervilem, qualis certiffimè hic eft timor pœnæ abfque amore juftitiæ, fi præfens Quefnelli Propofitio effet vera, *Qui à malo non abftinet, nifi timore pœnæ, illud committit in corde fuo, & jam eft reus coram Deo?* Quid Diabolum à poffidendo corde impediret? An quòd *timor manum cohibeat*, ut enuntiantem vidimus Articulum præcedentem? Non poffideat itaque Diabolus manum; verùm quid obeft, quin poffideat animum, quando timore nonnifi manum cohibente, *cor tamdiu peccato addicitur, quamdiu ab amore juftitiæ non ducitur*, & juxta Articulum 62. *Qui à malo non abftinet, nifi timore pœnæ; illud committit in corde fuo, & jam eft reus coram Deo?* Quomodo fie timor ille fervaret charitati locum? Num congrua ad charitatem difpofitio eft peccatum, quod corde committitur, & reum efficit coram Deo? Num denique in hoc fuppofito timore pœnæ finè amore juftitiæ fit præcepti obfervatio, quod afferit Auguftinus? In omnium catholicorum fententia ad veram legis obedientiam requiritur, non quidem charitas, at neque folùm motus, aut quies manuum à legibus præfcripta, fed potiffimùm obediendi animus remotus à committendo interiùs crimine, quo legis transgreffio fit coram Deo. Auguftini igitur fententia multiplici jam memorato ariete novitatem dejicit, ac peffumdat.

6 Revocandus hic iterum in memoriam alius Auguftini textus, quem fuperiùs ex Commentario in Pfalmum 127. folùm obiter pertranfiens attigi: *Ubi vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur. Audiunt hæc homines, & quia verè futura funt impiis, timent, & continent fe à peccato. Habent timorem, & per timorem continent fe à peccato; timent quidem; fed non amant juftitiam. Cùm autem per timorem continent fe à peccato, fit confuetudo juftitiæ, & incipit quod durum erat, amari, & dulcefcit Deus, & jam incipit homo juftè vivere.... Timet, nè mittatur in gehennam; bonus eft, & utilis ifte timor.* Et tamen propriè fervilis eft, quia timetur pœna, & non amatur juftitia. Bonitas autem timoris hujus, & utilitas non ex eo folùm accipitur, Auguftino judice, quòd manum cohibeat; fed quòd efficiat, ut homines abfolutè *contineant fe à peccato; quia* ut hæc inferorum fupplicia, *verè futura funt impiis, timent, & continent fe à peccato* non folùm manuum; fed potiffimùm cordis, cui fciunt fupplicia illa deberi, & certiffimè inferenda, quantumcunque manus ab omni motu illicito refrænetur.

Timent quidem (fupplicia) *fed non amant juftitiam.* En timorem folius pœnæ, qui vulgari nomine fervilis dicitur: *Cùm autem per timorem* (iftum) *continent fe à peccato, fit confuetudo juftitiæ.* Fitnè confuetudo juftitiæ, quando quod foris omittitur peccatum, committitur in corde? Sic in nequiffimis quoque hypocritis confuetudo fieret juftitiæ; quæ non juftitia, fed perverfiffima iniquitas eft.

Profequitur Auguftinus timoris ejufdem encomium; per illum, inquit, dum à peccato abftinent homines *fit confuetudo juftitiæ, & incipit quod durum erat, amari.* Num incipit, quod durum in via juftitiæ occurrerat, amari ab eo, qui quod foris agit divinis legibus confonum, toto pectore averfatur, & malum, à quo manus abftinet, affectu ftringit arctiffimè?

Dulcefcit Deus, inquit ibi Auguftinus; fed quomodo poteft Deus dulcefcere eis, qui, dum exteriùs abftinent à malo, illud toto defiderio profequuntur, atque ita reos fe conftituunt coram Deo, illum novo fempercrimine irritantes, à quo fibi imminere norunt æterna fupplicia?

Denique, ait Auguftinus, *jam incipit juftè vivere*; Mirabilis juftitia adverfariorum, quibus illud fit *juftè vivere*, quod in Propofitione tribuunt abftinenti à malo *tantùm timore pœnæ*, videlicet continentia exterior à malo opere, quod liberè committitur in corde. Talis profectò juftitia, omnium, ut dixi, hypocritarum eft, numquam vifa Hipponenfi Antiftiti digna nomine juftitiæ, etiam

etiam inchoatæ, à qua denominari homo valeat *incipiens justè vivere*.

7 Augustinus tempore suo strenuum nactus est defensorem S. Prosperum, qui sive, ut vulgò creditur, Episcopus fuerit Regiensis, sive, ut recentiores critici autumant, nè Presbyter quidem, aut Clericus fuerit; sed laicus solùm; authoritatis minimè levis est in Ecclesia, etiam apud adversarios. Ideo libros de vocatione Gentium fortè propter sententias ibi quasdam apertè nimium novitatibus refragantes ægrè ferunt Prospero attribui: quamquam aliâ de causâ non attribuant etiam aliqui Theologiæ sanioris.

Quesnellus, ut aliàs narravimus, mavult eos adscribere S. Leoni Papæ. Verùm Bellarminus lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis pag.127. ubi de Prospero agitur, dicit, eos *verè Prosperi esse*, & pag.80. verbo *Ambrosius*, ait, *Falsò tribuuntur Ambrosio, cùm manifestè Prosperi sint*. Ambrosii eos non esse, colligitur ex eo, quòd lib.1. cap.7. & lib.2. cap.8. disputatio fit contra Pelagianos, non nisi post mortem Ambrosii exortos. Sed, etsi libri illi essent Leonis Magni, ut suspicatur Quesnellus, æquè ad quintum seculum pertinerent, & authoritatis forsitan haberentur haud minoris, quàm si forent, ut communi judicio sunt, Prosperi.

Sic autem illic lib.2. cap.9. contra præsentem errorem veritas catholica statuitur: *Hunc autem consensum* (voluntatis ad bonum) *non solùm cohortatio; sed etiam metus gignit. Propter quod scriptum est, Principium Sapientiæ timor Domini: qui quantislibet terroribus inferatur, non aliud agit, quàm ut quem fecerit timentem, faciat & volentem: nec solùm volentem; sed etiam sapientem. Unde & illud scriptum est, Beatus cui donatum est habere timorem Dei. Quid enim tam beatificum, quàm hic timor, qui genitor eruditorque sapientiæ est? In cujus utique devotione devota est & voluntas, quæ authore gratia eodem proficit timore, quo cœpit; Cùm ergo hic timor etiam per quamdam vim magni terroris immittitur, non ibi ratio extinguitur, nec intellectus aufertur; sed illa, quæ mentem premebat, caligo discutitur, ut voluntas depravata priùs, atque captiva, recta efficiatur, & libera*.

Timor Domini, qui magnis *terroribus infertur*, indubiè servis, non filiis proprius est: timor Domini vindicis, timor terribilium judiciorum ejus, & quæ sui contemptoribus infligere solet, perennium suppliciorum. *Quantislibet* autem *is timor terroribus inferatur, non aliud agit, quàm, ut quem fecerit timentem, faciat & volentem*: *hunc consensum* (voluntatis ad bonum) *metus gignit*: *voluntas depravata priùs, atque captiva*, per eundem *recta efficitur, & libera*. Non igitur passionibus brutalibus timor comparandus est, neque qui timore ducitur, ad bestias relegandus, ut Propositio docet 66. neque solam manum cohibet, ut Propositio tradit 61. neque à quo exteriùs sola pœnæ formidine abstinetur, illud semper committitur in corde. Dico *non semper*, ut Propositio præsens dogmatica universali æquivalens intelligitur affirmare. Subinde autem accidere, ut homines stolidi, quod Dei vindicis timore à se malum abdicant, retineant desiderio, si impunè frui obtingeret opere, quasi ipsum desiderium non æquè, ac opus subjaceat punitioni; subinde, inquam, accidere casus istiusmodi, nemo inficias iverit; neque enim timor semper æquè efficax est, neque qui timet, æquè sapiens.

8 Contra superiorem Articulum cap.6. junxi Prospero Cassianum, qui licèt in materia de gratia invicem adversati sint, errante Cassiano circa initium salutis quod tribuit naturæ; hic tamen mirificè consentiunt. Quare & is tertius esse potest catholicæ veritatis testis pro seculo quinto, qui à Bellarmino lib.2. de Pœnitentia cap.17. adducitur contra Lutherum, & idem Cardinalis lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis testatur, ejus opera utiliter legi posse, excepta Collatione 13. & paucis aliis, quæ in editione Romanâ notata sunt.

CAPUT IV.

Sequentium quoque Seculorum Patres à damnato Articulo alieni sunt.

1 Finem seculo sexto, & initium septimo posuit Gregorius Magnus, terminumque calamitatum mortalium nactus Anno 604. Pontificatus decimoquarto. Clarissimæ sunt ejus pro catholica veritate sententiæ. In primis Hom.26. in Euangelia: *Hunc tanti timoris judicem ante oculos ponite: hunc venturum timete, ut, cùm venerit, non timidi; sed securi videatis. Timendus ergo est, nè timeatur. Terror ejus ad usum bonæ operationis exerceat: metus illius vitam nostram à pravitate compescat*. Ubi solus profertur timor, & quidem non Patris; sed judicis, & judicis terribilis, ut terror ejus nos ad usum bonæ operationis exerceat, metus illius vitam nostram à pravitate compescat: denique quot hic verba legimus, tot

tot novitatem configunt spicula lethalia; nam timor, & terror venturi judicis, non statim ad amorem justitiæ filiis proprium; sed ad pœnæ pertinet formidinem, mancipiis familiarem. Hunc igitur terrificum adeò judicem jubemur ob oculos ponere, quasi id solùm sufficiat, ut, cùm is venerit, non timidi illum, sed securi videamus: non quòd cæterorum omnium, quæ præcipiuntur, observatio necessaria non sit, præcipuè spei, & mandati maximi de charitate; sed quia nullum est inter præcepta tam arduum, quod timor judicis non faciat debitâ diligentiâ adimpleri.

Qua ratione timor judicis, atque adeò sententiæ, & pœnæ ab eo infligendæ efficeret, ut non timidi; sed securi judicem videamus, si timor solius pœnæ ad justitiam sive retinendam, sive recuperandam nihil conduceret, imò peccaret omnis toties in animo qualibet peccati specie, quod tali solùm quis formidine detestatur, juxta damnatum hic Articulum, *Qui à malo non abstinet nisi timore pœnæ* (à Deo judice decernendæ) *illud committit in corde suo, jamque est reus coram Deo*. Infert Gregorius de illo judice: *Timendus ergo est, ne timeatur*. Juxta Quesnellum verò, quo frequentiùs judex timebitur, tanto magis postea erit cur timeatur, commissis toties in corde criminibus, iisdem prorsus omnibus, & singulis, quæ tali formidine fugere quocumque studio, atque ardore fueris conatus.

Timor ejus, prosequitur Gregorius, *ad usum bonæ operationis exerceat*. Verùm quæ bona operatio, quis usus bonus, quod salubre exercitium à timoris illius imperio expectes, si omnis impletio præcepti, quam solus ille timor persuaserit, sit indubitata ejus in corde transgressio?

Denique ait Gregorius: *Metus illius* (judicis) *vitam nostram à pravitate compescat*. Quesnellus autem, metus illius vitam nostram continuâ pravitate commaculat, cùm quoties foris nos ab iniquitate videtur compescere, ea certissimè committatur in corde: cùmque istiusmodi timor juxta adversarios blasphemus sit; quia Prop. 67. *Timor servilis non sibi repræsentat Deum, nisi ut Dominum durum, imperiosum, injustum, intractabilem*; graviore nos inquinat impietatis sacrilegio, ac tandem, si ex tali formidine concipitur de criminibus pœnitentia, aliud non manet, quàm ultimum iniquitatum omnium, & infelicitatis maximæ complementū sceleratissima desperatio, Prop. 60. *Si solus supplicii timor animat pœnitentiam, quò hæc est magis violenta, eò magis ducit ad desperationem*. Quid enim clementiæ, quid gratiæ speres à *Domino duro, imperioso, injusto, intractabili*?

2 De timore judicii iterum Gregorius Hom. 7. in Ezechielem. *Sed hunc* (inquit judicem) *tunc electi terribilem non videbunt; quia modò terrorem illius considerare non cessant. Studiosè enim considerant, quàm terribilis ad judicium veniat. Culpas anteactas deflent: imminentes declinant: pavorem illius quotidie ante oculos mentis ponunt, & timendo agunt, nè, quando venerit, pertimescant: & quia ipse pavor ejus, quem in suis cogitationibus tenent, eorum mentes protegit, rectè subjungitur: Extenti super capita eorum desuper. Firmamentum hoc, quod in similitudinem crystalli super capita eorum animalium apparet, & horribile, & extentum est; quia bonorum mentes unde terret, inde protegit. Si enim pavendus in eorum cordibus non esset, protector & modo à peccatis, & post à suppliciis non fuisset. Quia autem semper considerant, quis pavor ex judicio immineat, virtutum pennas in rectitudinem conservant*.

Juxta adversarios autem *Electi terribilem non videbunt judicem*, quia modò terrorem illius ad bestias ablegarunt Prop. 66. *Qui vult Deo appropinquare, non debet ad ipsum venire cum brutalibus passionibus, neque adduci per instinctum naturalem, neque per timorem, sicuti bestiæ; sed per fidem, & per amorem, sicuti filii*. Num Jansenistarum Electis judex non videbitur terribilis, quia modò terrorem illius cum Atheis destruxerunt, aut cum hæreticis remiserunt ad inferos, velut *Dominum durum, injustum, intractabilem*?

Si verò, ut docet Gregorius, terrore illo homines in vera Christi Ecclesia culpas anteactas defleant, imminentes declinent, non igitur quisquis, & quoties, ut Quesnellus autumat, solo timore abstinet à peccato, illud committit in corde suo, & jam est reus coram Deo. Pergamus nos potiùs cum Sancto, adeò Docto, ac verè Magno Pontifice contra temerarios servilis timoris hostes approbare in catholicis etiam piis, quòd *pavorem illius* (terribilis judicis) *quotidie ante oculos mentis ponant, & timendo agant, nè, quando venerit, pertimescant*.

Si autem timendo agunt, nè, quando venerit, pertimescant; evidens est, quòd timore istiusmodi *abstinentes à peccato*, illud non *committant in corde suo*, neque se *reos* constituant *coram Deo*; aliàs timendo agerent, unde semper ampliùs haberent, cur, *quando judex venerit, pertimescerent*. Dixi *timore istiusmodi*; nam timor tremendi judicis indubiè

dubiè ad pœnæ metum pertinet. Dum *pavor ejus, quem in suis cogitationibus tenent, eorum mentes protegit*, intelligitur non manus solùm; sed animos quoque impedire, nè in peccatum consentiant, & illo ruant in exitium. Istud igitur *horribile* divini judicis *firmamentum super capita extentum, bonorum mentes unde terret, indè protegit* contra mundi, & Diaboli insidias, contra hostem domesticum concupiscentiam, magis quàm cætera omnia metuendam.

Si timere salubriter satis nossent adversarii, terrorem illis incuteret quod sequitur: *Si enim pavendus in eorum cordibus non esset* (judex Deus) *protector, & modò à peccatis, & post à suppliciis non fuisset*. Quænam verò illa per timorem judicii esset à peccatis modo, & post à suppliciis protectio, si, quoties solo illo timore crimina omittuntur, committerentur animo, & coram Deo? Exterior species, uti non à peccatis, ita neque à suppliciis nos potest reddere immunes. Denique boni, inquit Gregorius, *quia semper considerant, quis pavor ex judicio immineat* (& ferendâ in reprobos calamitosissimæ æternitatis sententiâ,) *virtutum pennas in rectitudinem conservant*; proinde non vitia animo fovent, quæ timor judicii suaserit abjicienda.

Si novis Ecclesiæ Doctoribus ad virtutum pennas in rectitudinem conservandas satis fuerit charitas; meminerint ab Augustino scriptum Tract.9. in Epist. Joan. & à me sæpius memoratum. *Si nullus est timor, non est quà intret charitas*. Ibid. *Opus est ergo, ut timor intret primò, per quem veniat charitas*: & lib. de gratia, & libero arbitrio cap.18. *Cavere debemus, nè nos arbitremur non accepisse spiritum timoris Dei, quod sinè dubio magnum est Dei donum .... non quo timore Petrus Christum negavit; sed illius timoris spiritum accepimus, de quo dicit ipse Dominus: Eum timete, qui habet potestatem & animam, & corpus perdere in gehennam*. Qui timor, ut pœnarum est, & mancipiis familiaris, ejus spiritus ab Apostolo ad Rom. 8. vocatur *spiritus servitutis*.

3 Pergamus in Gregorio lib.2. in 1. Regum cap.2. qui expendens illud Annæ post genitum Samuelem, *Dominus mortificat, & vivificat, ducit ad inferos, & reducit*. *Omnipotenti Deo*, inquit Gregorius, *ad inferos ducere, est peccatorum corda æternorum cruciatuum consideratione terrere .... Tunc quippe peccare desinimus, cùm supernâ gratiâ mollitis cordibus, futura tormenta formidamus*. Debentne hominum corda molliri gratiâ ad excitandam passionem brutalem, qualis adversariis timor est ad bestias remittendus? Estne fructus ille supernâ gratiâ dignus? Multò minùs erit, *si timor sibi repræsentet Deum, ut Dominum durum, imperiosum, injustum, intractabilem*; quæ repræsentatio velut semper, & necessariò affixa timori servili tribuitur à Quesnello.

Denique juxta eumdem formidando æterna tormenta, adeò non desinimus peccare, ut tunc maximè cumulare crimina incipiamus. Si enim antea humana infirmitas in delictum aliquod mortiferum lapsa fuerit; sed dein æternorum formidine tormentorum ad pœnitentiam excitatur, omnem, quantum in ipso est, peccandi imposterum voluntatem excludens; hoc ipso in omnem prolabitur flagitiorum abyssum. Ut enim præsenti statuitur Quesnelli dogmate, *Qui à malo non abstinet, nisi timore pœnæ, illud committit in corde suo, & jam est reus coram Deo*. Si igitur ab omnibus sic abstinet, omnia committit in animo, & jam omnium coram Deo reus efficitur; reus, inquam, omnium incestuum, adulteriorum, sodomiæ, parricidiorum, sacrilegiorum, & quidquid aliud execrabilium maximè scelerum est, in omni genere, & specie, committit omnis, & quoties ex sola pœnæ formidine attritus, dum illorum omnium voluntatem sibi visus fuerit formidine exclusisse. Talium monstrorum ferax est Quesnelli novitas, juxta quam ipsius naturæ legibus graviter prohibita esset formidolosa attritio, quæ tot criminibus plenam semper, vel produceret, vel haberet comitem necessariò voluntatem. Unde longè minus malum foret cujuslibet singularis perpetratio peccati, quàm talis complectens simul omnia, vel necessariò inferens attritio. Quisquis igitur nondum se moveri senserit amore justitiæ increatæ, quæ Deus ipse est, melius faciet, seu minùs malè, indulgendo liberaliùs somno, ludis, otio, quàm si ex sola pœnæ formidine peccata omnia detestetur. Ideo cogitationes ille avertere debebit ab omnibus, quæ timorem pœnæ inducere natæ sunt, nè, si ideo peccata omnia odisse contingeret, præscindendo à fine sublimiore, omnia hoc ipso, quod inevitabile foret, desiderio committerentur, & simul omnium reus fieret coram Deo.

4 Gregorius verò lib.26. Moralium cap.27. miratur reperiri aliquos adeò fatuos, qui, dum rationibus à peccando non retrahuntur nobilioribus, saltèm pœnæ formidine non moveantur, seque ab illicitis avertant. *Sæpe*, inquit, *qui jubentis verba non audiunt, ferientis verberibus admonentur*,

ut

ut ad bona æterna saltèm pœnæ trahant, quos præmia non invitant... Sunt nonnulli, quos à perditis moribus nec tormenta compescunt... Fatuitas quippe stultitiæ est, quòd illos sic iniquitas obligat, ut à culpa eos nec pœna compescat. Contra Gregorium autem novi Theologi arguent *Stultitiæ* eos, qui, dum amore justitiæ non ducuntur, trahi se sinunt aut spe præmiorum, aut pœnarum formidine; cùm juxta Prop. 47. *Obedientia legis profluere debeat ex fonte, & hic fons sit charitas.... alioquin non sit nisi hypocrisis, aut falsa justitia.* Prop. 58. *Nec Deus est, nec religio, ubi non est charitas.* 46. *Cupiditas, aut charitas usum sensuum* (eadem de cæteris animæ facultatibus ratio est) *bonum, vel malum faciunt.* Magis etiam juxta adversarios *fatuitas* in illis dicetur, qui, dum nondum feruntur amore Numinis, moveri se sinunt perennium metu suppliciorum, ut ab omnibus abstineant peccatis; cùm, ut sæpe monui, novæ Ecclesiæ dogma sit, omnia flagitia perpetrari hoc ipso, quo sola pœnæ formidine devitantur. Ita fert præsens Articulus: *Qui à malo non abstinet, nisi timore pœnæ, illud committit in corde suo, & jam est reus coram Deo.* Omitto plura ex Gregorio damnatæ doctrinæ prorsus adversantia ex Hom. 34. in Euang. lib. 28. Moralium cap. 8. lib. 5. cap. 13. lib. 16. cap. 13.

5 Eodem seculo scripsit S. Eligius Noviomensis Episcopus Hom. 11. in Cœna Domini: „ Duo sunt genera compunctionis „ cordis.... nimirum si Dominum sitiens „ anima, priùs timore compungatur, vel „ postea amore: priùs sese in lacrymis affligit; quia dum peccatorum suorum recordatur, pro his perpeti supplicia æterna pertimescit. At dum longâ mortis „ anxietate fuerit formido consumpta, „ quædam jam de præsumptione veniæ securitas nascitur: & in amorem cœlestium „ gaudiorum animus inflammatur: & qui „ priùs flebat, nè duceretur ad supplicium, „ postmodum flere amarissimè incipit, quia „ differtur à regno &c. Utramque autem „ nostræ compunctionis hostiam gratanter „ accipere dignetur Christus, qui & pro „ peccato lugentibus, atque afflictis clementer errata dimittit &c. „. Juxta Quesnellum autem non duo compuntionis genera Christus gratanter acciperet, quando quis priore genere solùm ex timore pœnæ de peccatis dolet; qua ratione juxta novos Theologos in corde iterum committitur, quodcunque crimen sola supplicii formido detestatur; siquidem per præsentem Articulum *Qui à malo non abstinet, nisi timore pœnæ, illud committit in corde suo, & jam est reus coram Deo.*

6 Præteritis pluribus minùs celebratis Authoribus, qui omnes Cypriani, Ambrosii, Hieronymi, Chrysostomi, ac potissimùm Augustini, & Gregorii vestigiis institerunt, venio ad Doctorem Mellifluum, qui seculum duodecimum, & Innocentii Secundi Pontificatum sanctitate, doctrinâ, sapientiâ condecoravit. Is Tract. de præcepto, & dispensatione. *Bonus*, inquit, *obedientiæ gradus est, si juxta Magistri sententiam propter metum gehennæ quisquam obedierit; melior tamen, cùm ex Dei amore obeditur.* Primo loco habetur bonus obedientiæ gradus ex solo timore pœnæ; talis igitur obedientia non est præcepti transgressio: sive non quoties aliquis solùm timore pœnæ à peccato abstinet, illud committit in corde suo.

7 Idem Sanctus sermone 1. Dominicæ 1. post octavam Epiphaniæ ait: *Aqua repleantur; timore Domini custodiantur; quoniam timor Domini fons vitæ: aqua, inquam, timor Domini est, si minùs sapida; sed optimè refrigerans animam noxiis desideriis æstuantem.* Hæc quidem de timore Domini in genere; sermone autem 2. dividit eum in tres species, quo fit, ut nihil superesse valeat dubii, quin damnatum articulum penitùs destruat. *Primus*, inquit, *timor est, nè cruciemur in gehenna: secundus est, nè excludi à visione Dei, privemur tam inæstimabili gloriâ: tertius replet animam omni solicitudine timidam, nè fortè deseratur à gratia: & quidem omnis timor Domini, sicut aqua extinguit ignem, sic extinguit peccati concupiscentiam.* Igitur & primus Domini timor, qui est nè *cruciemur in gehenna, optimè refrigerat animam noxiis desideriis æstuantem, &, sicut aqua extinguit ignem, sic extinguit peccati concupiscentiam.* Manifestum itaque est, non quotiescunque aliquis primùm timore Domini, etiam solo abstinet à peccato, committere eum illud in corde suo; aliàs timor ille non extingueret peccati concupiscentiam, neque refrigeraret animam noxiis desideriis æstuantem; cùm iis indulgeret, atque succumberet.

8 Sermone 16. in Cantica: *Ille, ille timendus est, qui postquam occiderit, potestatem habet mittere in gehennam &c. Qui sic afficitur, sensum procul dubio recuperavit.* Juxta Prop. 66. qui sic afficitur, sensum plus quàm antea amisit, & à recuperando remotissimus est, conceptâ scilicet *passione brutali*, & factus sicut equus, & mulus, quibus non

non est intellectus, sive, ut verbo utar inhumano dogmatis condemnati, factus est sicut *bestia*. *Qui vult Deo appropinquare, nec debet ad ipsum venire cum brutalibus passionibus, neque adduci per instinctum naturalem, aut per timorem, sicuti bestiæ*. Imò bestiâ quodammodo redditus est deterior, accedens propiùs ad sensum diabolicum, qui timore, & sensu pœnæ conversus in rabiem, nihil promptius habet, quàm horrendas in Deum eructare blasphemias. Prop. 67. *Timor servilis non sibi repræsentat Deum, nisi ut Dominum durum, imperiosum, injustum, intractabilem*. Denique quis sensus bonus potest tali recuperari formidine, quæ nisi sanioris intentionis remedio corrigatur, se ipsâ ad nihil boni operis idonea est, sed necessariò jungitur comiti impurissimo, & intentioni stultissimæ, si rectè declarat Prop. 62. *Qui à malo non abstinet, nisi timore pœnæ, illud committit in corde suo, & jam est reus coram Deo*. Unde quoties solo timore pœnæ aversatur aliquis peccata omnia præterita, futura forsitan, ac possibilia, jam omnia committit voluntate: quod profectò non est *sensum bonum proculdubio recuperasse*, sed pessumdedisse penitùs.

9 Sermone de diversis affectionibus animæ: *Jam verò secundo statu incipit esse sub Domino, qui tamquam servus carcerem timet, & metuit ne subigatur pœnis: in quo sanè statu conversio est, exitusque à seculo, & introitus vitæ*. In Quesnelli sententia status ille magìs removet à Domino propter *passionem brutalem* timoris, quâ agitur sicut bestia; magìs etiam ob repræsentationem Dei maximè impiam, & sacrilegam, quam sæpe ex Prop. 67. retuli, quâque ampliùs sub Diabolo constituitur. Quæ verò in eo statu conversio est, exitusque à seculo, & introitus vitæ, quando statui illi proprium est, à malo non abstinere, nisi timore pœnæ, eodemque impellente ad virtutum exercitia promoveri, si, quisquis sic *à malo abstinet, illud committit in corde suo*? Si autem, ut sententia Bernardi est verissima, in illo *statu sit* vera *conversio*, saltèm inchoata, *exitusque à seculo, & introitus vitæ*, perspicuum est, non quoties aliquis solo timore pœnæ à malo abstinet, eum committere illud in corde suo, neque jam reum illius esse coram Deo, ut præsens damnata contendit Propositio.

10 Denique idem Sanctus serm. de primordiis, mediis, novissimis in Ecclesiastici cap.7. ver.4. *Time, quòd in gehenna cruciatibus æternis, & immensis exponendus es: unde est, quod non dicitur, memorare primordia, aut media; sed novissima, & non peccabis*. Sic est, novissimorum memoria, præcipuè gehennæ, in qua perpetuis, atque immensis cruciatibus exponendus peccator sit, infirmis hominibus in lege Domini continendis,&ab omni avertendis crimine accommodatissima semper habita fuit, experimentis innumeris, ac testimoniis omnium ætatum, & ordinum comprobata. Quid verò ad effugiendos inferorum cruciatus conduceret illorum memoria, quando non aliud obtineret ab homine, quàm omissionem externi operis mali, vel exercitium exterioris boni, interim dum animus pravis desideriis plenus amat ardentissimè illud, à quo exteriùs abstinet, malum, & libero aversatur odio idem, quod exteriùs operatur bonum? Horrido itaque Quesnelliano errori ubique opposita est suavissimi Sancti doctrina melliflua.

11 Bernardo coætaneus fuit Hugo à Sancto Victore, ad quem extat Bernardi epistola. Quod autem ille Sancti Victoris Abbas Sancto Claravallensi in quæstione, quæ hic discutitur, prorsus consenserit, patet ex ejus verbis, quia pro Catholica veritate errori damnato adversantia dedi ad articulum præcedentem; cùm autem præsens aliquantùm ab illo differat, venenum latiùs diffundens, juverit etiam hujus confutationi sententiam Hugonis accommodatissimam demonstrare.

Timorem servilem magìs restrictè accipit Hugo, quàm cæteri passim seu Patres, seu Scholastici, qui hoc nomine intelligunt quamlibet solius pœnæ formidinem, sive à Deo, sive ab hominibus imminentis, si amor ejus, quod jubetur, nondum adfuerit. Hugo appellationem limitat ad formidinem pœnæ temporalis ab hominibus infligendæ, quâ proindè satis constat opus bonum sollummodo exteriùs effici, relictâ voluntate oppositâ præcepto. Timorem verò, quo supplicium à Deo inferendum timetur, ideoque prava etiam voluntas rescinditur, vocat Hugo *initialem*, quia revera in peccatoribus initium conversionis est.

Ita se explicat lib.4. Allegoriarum in Lucam pag. 164. ad ea Canticі verba: *Misericordia ejus in progeniem, & progenies timentibus eum*: „ Quatuor timores
„ Sacra Scriptura discernit, servilem, mun-
„ danum, initialem, filialem. Servilis ti-
„ mor est, pro evitanda pœna abstinere à
„ malo, retentâ voluntate malâ. Munda-
„ nus timor est, pro evitanda pœna abstine-
„ re à bono, retentâ voluntate bonâ. Ini-
„ tialis timor est, pro evitanda pœna cum
„ per-

„ perverſo opere etiam pravas cogitatio-
„ nes reſecare. Filialis timor eſt, bono
„ firmiter adhærere; quia illud amittere
„ nolis. Ex his quatuor timoribus duo
„ mali ſunt, id eſt, ſervilis, & mundanus;
„ duo verò boni, id eſt, initialis, & filialis.
„ Servilis timor pœnam, quæ ab homini-
„ bus infertur, metuit, & idcirco ei ſufficit
„ ceſſare à malo opere; quia ad oculum fa-
„ mulatur, & reatum conſcientiæ non me-
„ tuit.... Initialis verò timor, quia eam,
„ quam Deus comminatur, pœnam decli-
„ nare ſatagit, nequaquam ſibi ſufficere vi-
„ det, ut ab illicita ſe operatione conti-
„ neat; quia ei, qui cor intuetur, non eſt
„ ſatis ad probationem, ſi innocens fuerit
„ actio, niſi etiam ipſa cordis cogitatio an-
„ te ejus oculos ſincera, & impolluta ap-
„ pareat. Quia ergo illi diſplicere metuit,
„ qui videt totum, ad perfectam innocen-
„ tiam coram eo, neceſſe eſſe conſiderat,
„ ut mundet totum: & ideo ipſe timor ini-
„ tialis dicitur; quia ſub hoc per bonam
„ voluntatem & virtus initium capit, &
„ vitium finem. Tum accedit charitas, &
„ intrat per timorem iſtum.

Patet itaque, timorem ſervilem latiùs communiter accipi, quàm ab Hugone, à quo reſtringitur ad metum pœnæ ab hominibus præparatæ, qui cum cordis penetralia non ſcrutentur, inobedientiam, & omnem malitiam interiorem nequeunt, quacumque incuſſâ à ſe formidine ſupplicii impedire: quod poteſt timor cruciatuum æternorum impendentium à Deo, animos æquè, ac opera externa intuente; atque hic ideo ab Hugone *timor initialis dicitur; quia ſub hoc per bonam voluntatem & virtus initium capit, & vitium finem*, excludente timore illo omnem peccandi in poſterum voluntatem, ac decernente pariter ſeriam de præteritis nondum expiatis criminibus pœnitentiam. Sive igitur timorem illum ſolius pœnæ à ſupremo Numine inferendæ ſervilem vocaveris, ut appellatur communiter, ſive initialem, ut ab Hugone; apertiſſima Patris iſtius ſententia eſt damnato articulo contraria, non omnes, qui ſolùm *timore pœnæ à malo abſtinent, illud committere in corde ſuo, & jam reos eſſe coram Deo*.

13 Idem inculcat Hugo lib. 2. de Sacramentis fidei parte 13. cap. 5. Miſcell. 2. lib. 4. tit. 32., & in Annotationibus epiſt. ad Roman. pag. 185. ubi expendens illud
„ Non accepiſtis ſpiritum ſervitutis iterum
„ in timore (ait) Timor ſervilis cohibet
„ manum à malo opere timore pœnæ tem-
„ poralis. Timor initialis cohibet à malo
„ opere, & à mala voluntate timore gehen-
„ næ. Timor filialis cohibet ab omni malo,
„ amore juſtitiæ.... Ille dicitur habere ti-
„ morem ſervilem, qui timore pœnæ tem-
„ poralis tantùm, aliquid criminale non
„ committit.

Exploratiſſima eſt igitur Hugonis ſententia, timorem, qui manum ſolummodo cohibet, & non impedit peccandi voluntatem, eſſe non gehennæ, ſed pœnæ tantummodo temporalis, ab hominibus, interna non inſpicientibus inferendæ. *Timor verò, qui eam, quam Deus comminatur pœnam, declinare ſatagit* (& communiter *ſervilis*, ab Hugone *initialis* dicitur) *nequaquam ſibi ſufficere videt, ut ab illicita ſe operatione contineat; quia ei, qui cor intuetur, non eſt ſatis ad probationem, ſi innocens fuerit actio, niſi etiam ipſa cordis cogitatio ante ejus oculos ſincera, & impolluta appareat. Quia ergo diſplicere metuit illi, qui videt totum, ad perfectam innocentiam coram eo neceſſe eſſe conſiderat, ut mundet totum: & ideo ipſe timor* (qui paſſim ſervilis) *initialis dicitur; quia ſub hoc per bonam voluntatem & virtus initium capit, & vitium finem. Tum accedit charitas, & intrat per timorem iſtum*. Si itaque ſub timore, qui eam, quam Deus comminatur pœnam, declinare ſatagit, per bonam voluntatem & virtus initium capiat, & vitium finem, liquet falſitas damnatæ Propoſitionis: *Qui à malo non abſtinet, niſi timore pœnæ, illud committit in corde ſuo, & jam eſt reus coram Deo*.

Nos cum Hugone timorem pœnæ oſtendimus, qui etiam ſolus movendo omni homini ſenſato ſufficit, ut voluntatem bonam retinere, vel, ſi ante non fuerit, inducere, & malam declinare ſtudeat, ut introductâ bonâ voluntate *virtus initium capiat, & vitium finem*. Tum, ut rectè ab Hugone concluditur, *accedit charitas, & intrat per timorem iſtum*. Manifeſta pariter, & convincens ratio ab hoc piiſſimo Patre reddita jam eſt, atque à polemicis contra novitates Scriptoribus quotidiè inculcatur, quia ſcilicet *Timor, qui eam, quam Deus comminatur, pœnam declinare ſatagit, nequaquam ſibi ſufficere videt, ut ab illicita ſe operatione* (exteriore) *contineat*, niſi etiam animum conſervet à crimine illibatum; *quia ei, qui cor intuetur, non eſt ſatis ad probationem, ſi innocens fuerit actio, niſi etiam ipſa cordis cogitatio ante ejus oculos ſincera, & impolluta appareat*.

Hic finem imponamus Patribus. Citati hactenus ad plenam de Traditione fidem uſque ad Scholaſticorum tempora facien-

dam abundè sufficiunt; inter illos enim sunt quatuor Ecclesiæ Doctores Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, Gregorius, cum Cypriano, Chrysostomo, Bernardo, quos nulla novitatis maculavit suspicio: Quapropter credendum, eos non dogmata finxisse, sed quæ à majoribus acceperint, Discipulis tradidisse, & posteris.

CAPUT V.

Doctrinam proscripto Articulo contrariam stabilivere cum Tridentino Concilio Scholastici.

1 Eodem, quo desiere Patres seculo duodecimo, orti sunt Scholastici, duce Petro Lombardo Parisiensium Antistite, quem Magistrum vocant, & sequuntur communiter, licèt non prorsus in omnibus. In præsenti autem dogmate, sicut Majorum religiosè pressit vestigia, ita posteros facilè nactus est Sectatores. lib. 3. Sententiarum distinct. 34. lit. „ Sunt (inquit) homines, qui propterea timent, „ nè mittantur in gehennam, nè fortè ardeant cum Diabolo in igne æterno. Ipse „ est timor, qui introducit charitatem; sed „ sic venit, ut exeat. Si enim propter pœnas times, nondum amas Deum, quem „ sic times: non bona desideras, sed mala „ caves; sed ex eo, quia mala caves, corrigis te, & incipis bona desiderare. „ Clarissimè hic exprimitur casus controversiæ præsentis, & pro communi contra Quesnellum sententiâ deciditur. Timens scilicet gehennam, nè æternum ardeas cum Diabolo, sed *nondum amans Deum*, *nondum bona desiderans*, *caves mala*; *sed ex eo*, *quia mala caves*, *corrigis te*. En hominem non nisi metu pœnæ se corrigentem, atque ad bonorum desideria, & charitatem introducendam dispositum: sic igitur timens, sic timore, & non nisi timore mala cavens, & corrigens se, non committit in corde suo peccatum, à quo abstinet, dum ex timore cavet mala, & se corrigit.

2 Magistrum sequitur illustris Discipulus, & simul Doctor Angelicus, non solius Magistri, sed Scholasticorum omnium gloria, & coryphæus. 2. 2. quæst. 19. art. 2. in conclusione ait: „ Quandoque homo „ propter mala, quæ timet, convertitur ad „ Deum, & ei inhæret. Quod quidem malum est duplex: scilicet malum pœnæ, & „ malum culpæ. Si ergo aliquis convertatur ad Deum, & ei inhæreat propter timorem pœnæ, erit timor servilis.

Ibidem ad quartum: *Timor servilis, & initialis respiciunt pœnam, per quam homines attrahuntur ad Deum.*

Eâdem quæstione art. 7. in conclusione: „ Timor servilis est sicut principium extra „ disponens ad sapientiam, in quantum „ aliquis timore pœnæ discedit à peccato, „ & habilitatur per hoc ad sapientiæ effectum, secundùm Ecclesiastici. 1. Timor „ Domini expellit peccatum.

Parte 3. quæst. 85. art. 5. *Tertius est motus timoris servilis, quo quis timore suppliciorum à peccatis retrahitur.* Non ergo peccatis magis immergitur, *qui à malo non abstinet, nisi timore pœna*, ut contendit damnata Propositio, asserens omnes non aliter *à malo abstinentes, illud committere in corde suo, & jam esse reos coram Deo*. Si propter timorem pœnæ, ut Angelicus asserit, *aliquis convertatur ad Deum, & ei inhæreat, propter timorem* (inquam) *pœnæ*, qui ab Aquinate, & ab omnibus hodie *servilis* dicitur; non itaque sic timens à Deo avertitur, neque impeditur nè Deo inhæreat, ut averteretur certissimè, & impediretur, si peccatum committeret, à quo non aliter abstinet, quàm pœnarum formidine. Si rursus, ut asseritur secundo textu, *Timor servilis respicit pœnam, per quam homines attrahuntur ad Deum*; non igitur omnis tali, etiam solo impulsu formidinis *à peccato abstinent, illud committit in corde suo, & jam est reus coram Deo*; aliàs enim timore servili homines non attraherentur ad Deum; sed ab eo retraherentur.

Et quomodo aliàs juxta tertiam S. Thomæ sententiam *Timor servilis*, qui est solius pœnæ, esset sicut principium disponens ad sapientiam, seu charitatem? Quomodo aliquis timore illo *discederet à peccato, & habilitaretur ad sapientiæ effectum*, qui est expulsio peccatorum juxta Ecclesiasticum, si, ut asserit Quesnellus, quisquis sic à peccato abstinet, illud committit in corde suo, & est reus coram Deo? *Discedere à peccato*, ut ab Angelico discimus, non est illud committere, quod affirmat Quesnellus: Neque peccatum, neque aliquid, unde oritur, disponit ad sapientiam, seu charitatem; sed ad stultitiam omni propriam peccatori. Nec denique *habilitat ad sapientiæ effectum*, qui est expulsio peccatorum, quia peccati commissio opponitur expulsioni, ut vel ex terminis patet.

3 Longè plura in Angelico sunt, quibus contra damnatum errorem catholica veritas confirmetur; sed hæreticis contumacibus nihil sufficit. Angelico Magistro disci-

discipulum jungo non pietate minus, quàm scientiâ celebrem Ludovicum Granatensem concione 2. de pœnitentia parte 2. puncto 3. „ Sunt quidam (inquit) qui magis „ suppliciorum metu, quàm Dei amore alliciuntur. Num igitur ipsos à spe salutis, „ & consequendæ veniæ excludemus ? Nequaquam; horum enim solatio Tridentina Synodus providisse videtur, quæ sic „ ait: Contritionem illam imperfectam &c. „ ex quibus virtus Sacramenti confessionis „ apertè colligitur, quæ ex attrito contritum hominem facit. „

4 Nobilis Thomista, & Academiæ Duacenæ decus Franciscus Sylvius 2. 2. quæst. 19. art. 4. ait: *Quòd timor servilis sit bonus, & ad salutem utilis, fide certum est, & definitum in Tridentino, & antea à Leone X. contra Lutherum.* Si fide certum est, & ab Oecumenica Synodo definitum, quòd timor servilis sit bonus, & utilis ad salutem, qua ratione asseritur reus coram Deo, & ipsum in corde suo malum committere, quisquis solius pœnæ intuitu à peccato abstinet ? Ubicumque & officium actûs, & ejus finis rectus ostenditur, non est unde in actionem derivetur iniquitas, nisi circumstantia aliunde irrepserit perversa, qualis hìc minimè deprehenditur.

5 Profectò non repererat Tridentinum, quando sess. 6. can. 8. Sic asseruit: „ Si quis dixerit, gehennæ metum, per „ quem ad Dei misericordiam de peccatis „ dolendo confugimus, vel à peccando „ abstinemus, peccatum esse, aut peccatores pejores facere, anathema sit. „ Similiter sess. 14. can. 5. „ Si quis dixerit, „ eam contritionem, quæ paratur per discussionem, collectionem, & detestationem peccatorum, quâ quis recogitat annos suos in amaritudine animæ suæ, ponderando peccatorum suorum gravitatem, „ multitudinem, fœditatem, amissionem „ æternæ beatitudinis, & æternæ damnationis incursum, cum proposito melioris „ vitæ, non esse verum, & utilem dolorem, „ nec præparare ad gratiam; sed facere hominem hypocritam, & magis peccatorem; deinde esse dolorem coactum, & „ non liberum, ac voluntarium, anathema „ sit. „

Consona utrique canoni est doctrina tradita sess. 14. cap. 4., quam sæpe retuli, & semper oportet novatoribus ingerere, iis potissimùm, qui publicam nondum ab Ecclesia Catholica secessionem fecerint: „ Illam verò contritionem imperfectam, quæ „ attritio dicitur, quoniam vel turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ, & pœnarum metu communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat, „ cum spe veniæ, declarat, non solùm non „ facere hominem hypocritam, & magis „ peccatorem; verùm etiam donum Dei „ esse, & Spiritûs Sancti impulsum; non „ adhuc quidem inhabitantis, sed tantùm „ moventis, quo pœnitens adjutus viam sibi ad justitiam parat. „

6 Quibus Tridentini sententiis, quantumvis perspicuis, affundere caliginem conantur adversarii, quam Salmaticenses Thomistæ Carmelitani distinctione non minus dilucidâ, quàm sapienti depellunt disp. 7. de contritione dub. 1. §. 5. num. 32. ubi differentes de timore „ Solum (inquiunt) de „ servili dubitari potest, an honestus sit; „ pro quo oportet ulteriùs distinguere; „ quoniam tripliciter contingere valet, „ quòd quis vitet culpam ex timore pœnæ: „ uno modo solùm impulsivè, aut occasionaliter; ut, cùm quis odio habens culpam ob ejus deformitatem, magis provocatur ad ejus detestationem ex consideratione supplicii peccato imminentis: „ & hunc timorem esse honestum, liquet „ tum ex se, tum exemplo ejus, qui ex consideratione bonorum temporalium inducitur impulsivè ad Deum magis diligendum. Altero modo cum tanta adæquatione, ut solùm vitet culpam pœna imminente, cum affectu conditionato peccandi, si non immineret: tunc esse peccaminosum, satis liquidò constat ex actuali affectu ad culpam, & quia positivè præfert malum pœnæ, malo culpæ, quæ est „ gravis inordinatio. Ultimo denique modo sinè illa adæquatione, & prælatione; „ sed cum præcisione, ita quòd vitare culpam, illamque odisse habeat pro fine „ proximo evasionem pœnæ; non includendo, nec excludendo ordinem ad ulteriorem finem bonum, aut malum. Hæc „ ultima consideratio pertinens ad ejus speciem, ab aliisque conditionibus huic timori accidentalibus abstrahens, est quæ „ in præsentiarum refert: inter quas planè „ computari debet servilitas subjectiva, „ quæ aliud non est, quam status servitutis, „ sive peccati, in quo homo hunc timorem „ habens, potest existere. De quo meritò „ dixit D. Thomas 2. 2. quæst. 19. art. 4. „ quod *servilitas non pertinet ad speciem timoris servilis; sicut nec informitas ad speciem fidei informis*; accidit enim fidei, & „ timori pœnæ, conjungi cum statu peccati.

„ Num. 33. Hunc itaque rimorem non „ eſſe peccatum, ſed actum de ſe hone- „ ſtum, ac perinde & dolorem peccatorum „ ex illo ortum, quem attritionem voca- „ mus, definivit Concilium Tridentinum „ locis relatis, & meritò, propter plura, ea- „ que efficaciſſima motiva, quæ expendi- „ mus loco cit. in tractatu de ſpe, quibus „ nunc breviter alia ſuperaddemus.

Prima Probatio conſtat plurimis Scripturæ teſtimoniis, etiam ipſius Salvatoris verbis, ex quibus doctiſſimi iidem Theologi ita ſubſumentes concludunt: „ Luditne, „ aut illudit Chriſtus? Audiemus pro illo „ Lutherum? Verum itaque eſt, & omnino „ verum, commendari in Scriptura rimo- „ rem pœnæ, ut medium ad fugiendum „ peccatum.

„ Confirmatur ex aliis elogiis, quibus „ Scriptura hunc timorem commendar, „ tamquam utiliſſimum ad ſalutem, & viam „ pro illa conſequenda parantem: cum quo „ minimè cohæret, eſſe peccatum; ſed fa- „ teri omnino oportet, eſſe actum ex ſua „ ſpecie honeſtum...

„ Num. 34. Id ipſum probatur 2. ex „ SS. Patribus, quorum communis ſenten- „ ria eſt, timorem hunc inducere odium „ peccati, & ab eo fugam, ut relatis eo- „ rum teſtimoniis oſtendimus loco citato „ de ſpe.

Adductis nihilominus iterum aliquot Auguſtini ſententiis ſic colligunt: „ Ex „ quibus ſatis liquet, quàm dignè ſenſe- „ rit de hoc timore D. Auguſtinus, & „ quanrum ipſum commendaverit tam ad „ vitanda peccata, quàm ad conſequen- „ dam perfectam juſtitiam, & charitatem. „ Interea autem dum ad chariratem animus timore diſponitur, ſolus adeſt ſupplicii metus, & ex eo ſolo ortum peccati odium, ac deteſtatio cum propoſito non peccandi in poſterum. Non igitur tali timore, odio, deteſtatione, propoſito, quæ omnia honeſtiſſima ſunr, fieri poteſt homo novi criminis reus coram Deo, atque ita de aperta in catholicam veritatem calumnia convincirur hic Queſnelli articulus: ***Qui à malo non abſtinet niſi timore pœnæ, illud committit in corde ſuo, & jam eſt reus coram Deo.***

7 Adverſariorum hic, ſive ex craſſa ignorantia hallucinatio, ſive ex turpiore nequitia dolus ſimulat, perſuadetque ſimplicibus, quaſi omnis ex ſola pœnæ formidine attritio peſſimam hanc conditionem involvat: *Vellem peccare ſublato punitionis periculo*, vel quaſi talem inſtituat comparationem impiam, *Magis odi malum ſupplicii, quàm malum culpæ, ita ut, ſi alterutrum neceſſariò eligendum eſſet, mallem graviter contra Deum delinquere, quàm perpetuò ardere.* Comparationem iſtiuſmodi, & conditionem nemo ſapiens, nemo niſi inſaniens, cum timore, & orta ex illo attritione, prout à Catholicis traditur, umquam compoſuerit: quomodo enim timor efficax foret, & ſeria evitandi ſupplicii voluntas; ſi talem includeret, vel comitem ſibi jungeret comparationem, conditionemve, quæ rearum, quem evitare maximè decernit, incurrere ſe noverit certiſſimè? Ideo Salmanticenſes utramque ſuperiùs excluſere: neque majorem habet cum timore, etiam ſolo connexionem, quàm cum cœleſtis ſpe beatitudinis. An etiam omnis, qui ex hac ſola concipit odium peccati à beatitudine avertentis, neceſſariò addit *Vellem peccare, ſi non exſpectarem præmium: magis amo perpetuam meam felicitatem, quàm fugam peccati, vel quàm Deum, ut in ſe, & ſibi bonus eſt*? Conditio iſta, & comparatio prorſus inſipiens foret; cùm quidquid boni operis ad conſequendam beatitudinem eligeret, hoc ipſo deſtruens, maledictionem ſibi inducerer pro benedictione. Ita accideret filio, ſi hæreditatem expectans à patre diceret: Non amo te, niſi propter hæreditatem: quæ ſi non eſſet, te contemnerem. Quæ maleſana adeò mulier, quæ deſiderans pretioſum à marito annulum, ei dicat: pluris facio annulum, quàm te: Nollem te diligere, niſi iſtud à te muneris expectarem? Nè puer quidem reperietur adeò fatuus, qui delicti veniam poſtulans, pœnæque formidine promittens emendationem, addere nihilominus audeat, ſe eadem peccata iterum velle committere, & patrem offendere graviter, quando poterit impunè.

Inſaniam tantam, quam neque ulli mulieri, neque imprudenti puero quis attribuerit, omnibus etiam viris ſolâ pœnæ formidine pœnitentiam agentibus, impingere audent adverſarii; qui ut ipſi novitatis amore, non ſolùm fidei, ſed rationis etiam in ſe lumen extingunut, & furentium inſtar, aut brutorum animalium, quo fert impetus, proruunt; ita univerſam formidoloſè ſolùm pœnitentium turbam, amiſiſſe penitùs ſenſum humanitatis omnem temere exiſtimant, aut in damnari erroris gratiam mentiuntur.

8 At, inquies, non aſſerit Queſnellus, quòd quiſquis à malo non abſtinet, niſi timore pœnæ, edicat explicitè, ſe velle illud committere; ſed tantùm, quòd veluti doloſus

Iosus anguis in herba, in tali pœnitentia implicitum lateat istiusmodi perniciosum propositum, quo fructus omnis pœnitentiæ iterato crimine impediatur; *qui à malo non abstinet, nisi timore pœnæ, illud committit in corde suo, & jam est reus coram Deo*.

Non ita se novitas expedit erroris labiryntho; sed magis desperatam reddit evasionem voluntaria mentis fascinatio. Quid enim refert in conspectu Dei, quem attritus pœnitens deprecatur, explicitènè an implicitè impium propositum animi depromat? Quisquamne rudis adeò Christianus est, qui Deum autumet simulatâ posse circumveniri pœnitentiâ, ut desiderium peccatoris qualecumque implicitum non æquè intueatur, ac si explicitâ signatum oratione disertissimè exprimeretur, aut etiam per compita, & super tecta sonoris maximè prædicaretur clamoribus?

9 Pergamus audire Eruditissimos Thomistas eodem num. 34. ex Scripturarum, & Augustini testimoniis sic deducentes: „ Unde facilè præcluduntur duo effugia, ad quæ recurrunt hæretici, ut vim testimoniorum tam Scripturæ, quàm Patrum eludant. Dicunt imprimis intelligenda esse de timore filiali, vel saltèm charitati conjuncto. Addunt deinde, quòd intellecta de timore servili, solùm evincant, illum evitare externam executionem operis peccaminosi ex formidine pœnæ; non autem peccatum internum, sive affectum ad opus externum, quod, cessante illâ pœnâ, committeretur. Hæc, inquam, refelluntur, ut prorsus futilia; & vim inferentia allegatis testimoniis. Primum quidem; nam in omnibus locis relatis commendatur timor, ut destructivus, sive impeditivus peccatorum, & hâc viâ ducens ad justitiam, & charitatem, ut consideranti constabit.

„ Id verò adaptari non valet filiali timori, quippe qui à gratiâ, & charitate procedens supponit peccata destructa. Secundum etiam; quia malitia peccati non imponitur formaliter in membris, & operationibus exterioribus; sed in anima, ejusque potentiis internis. Unde propriè, & absolutè dictum non stat pro operibus externis peccaminosis: Et tamen accipi, & explicari debent in sensu proprio; ex opposito enim fieret, nihil nos firmum colligere posse ex Scripturæ, & Patrum assertis: præsertim, quia non loquuntur de pœna aliqua politica, aut legibus Reipublicæ impositâ, ad quam vitandam, sufficeret vitare externa peccata, retento interno perverso affectu; sed sermonem faciunt de pœna inferni modo nobis invisibili, & solâ fide cognitâ, pro qua vitandâ nihil, aut parum referret abstinere tantùm à pravis operibus exterioribus. Ergo commendantes timorem hujus pœnæ pro vitandis peccatis, non agunt præcisè de externis; sed omnia absque exceptione comprehendunt.

„ Et planè si pœna à Republica taxata cohibet homines, nè externa peccata exequantur; cur non pœna inferni firmâ fide cognita, cùm sit longè major, & majori certitudine apprehensa, illos non detinebit, nè prorumpant in affectus internos peccaminosos? Stulti sunt Lutherani, & æquè infelices, qui timore gehennæ correpti crimina externa minimè agunt ad ea propensi; & tamen fovent interiùs affectum peccaminosum, cui illa pœna jure æquissimo respondet. Satius illis esset nihil timere „.

Pluribus dein additis ex ratione theologica probationibus num. 35. „ Falsum omnino est (inquiunt) eum, qui timet, & timore atteritur, in detestatione peccati pœnam pluris facere, quàm culpam: & habere affectum peccandi, si non imminerer supplicium; nihil enim horum intervenit in timore, & attritione, quæ à nobis afferuntur; quippe cùm in illis non fiat ulla comparatio inter pœnam, & culpam, nec ullus concipiatur conditionatus ad istam affectus.... Sed simpliciter, & absque ulla comparatione, & affectu, ad timorem pœnæ sequatur odium culpæ, quæ illam meretur. Tum denique, quia, etsi peccatum sit superioris ordinis, quàm pœna, nulla tamen est inordinatio in eo, quòd homo ordinet fugam culpæ ad vitandam pœnam, tamquam ad finem suum proximum, non excludendo contrariè relationem ad Deum tamquam ad ultimum finem; hoc enim modo solent superiora ad inferiora ordinari absque ulla perversitate, sicut incarnatio Verbi ad salutem hominum, oratio supernaturalis ad naturalia bona, actus charitatis ad misericordiam, & sic de aliis „. Hactenus Salmanticensium Thomistarum Sententiam retuli copiosiùs; quia & rationes simul solidas complectitur, & non Scriptoris privati; sed totius illic religiosi Gymnasii authoritatem.

10 Prætereo autem Dominicum Soto in 4. dist. 14. q. 2. art. 5. Bannesium 2. 2. q. 19. art. 4. concl. 1. Petrum Ledesma in Theo-

Theologia Morali Tract. de pœnit. cap. 5. Didacum Cabezudo in 3. part. de contrit. Durandum ex Prædicatorum ordine Meldensem Episcopum in 3. dist. 34. quæst. 4. n. 9. Gonetum, & cæteros ejusdem clarissimæ Scholæ in eandem passim sententiam convenientes.

11 De Schola Seraphica, quin tota Pontificiæ contra Quesnellum definitioni consentiat, eamque ab institutionis suæ initio, prævenerit, nè adversarii quidem revocabunt in dubium. Nimis perspicua Bonaventuræ doctrina est in opusculo de gratia Sanctificante lib. 5. cap. 4. *Timor servilis donum Spiritûs Sancti est ..... Timor servilis Spiritui Sancto locum præparat, ut eum sicut seta filum introducat .... Timor servilis duo facit: primum est, quòd locum præparat charitati; secundum, quòd retrahit à peccato metu pœnæ tantùm*. Audiunt adversarii *quod viam præparet charitati*, & retrahat à peccato metu pœnæ tantùm? Concilient id, si possint, cum propositione damnatâ, *qui à malo non abstinet, nisi timore pœnæ, illud committit in corde suo, & jam est reus coram Deo*. Tunc scilicet ea inter se dogmata amico fœdere component, quando Christum cum Belial, atque cum errore catholicam veritatem.

Alexander Halensis 3. parte quæst. 76. memb. 2. & 3. præluxit Seraphico, gloriosus ejusdem magister. Notissima est Alphonsi à Castro sententia contra Lutheranos hæresi. 1. verbo *timor*, & *contritio*. Verùm cùm Scholam Seraphicam nobis ultro concedere soleant, non est quòd in singulorum enumeratione operam perdam.

12 Sententiam catholicam amplexus est Dionysius Carthusianus in 3. dist. 34. quæst. 3. qui *Belga doctissimus, & Sanctissimus* à Bellarmino libro de Scriptoribus Ecclesiasticis nuncupatur.

Eandem doctrinæ semitam tenuere Bonacina Tomo 1. disput. 5. quæst. 5. puncto 3. prop. 3. n. 4. Gamachæus 1. 2. quæst. 19. de dono timoris cap. 5. Navarrus Tom. 2. de contrit. cap. 1. num. 8. in Manuali. Duvallius 2. 2. Tract. de spe q. 3. art. 2. Alexander Pesantius quæst. 86. disp. 1. art. 5. Puteanus 3. part. quæst. 85. art. 5. dub. 1. Kellisonus 1. 2. quæst. 42. & 3. part. quæst. 1. de pœnit. art. 2.

Denique quotquot novis hæreticis, Luthero potissimùm, restitere, eandem nobiscum de timore sententiam, veluti doctrinæ Ecclesiæ maximè consonam toto pectore amplexi sunt. Ita Joannes Fischerus Roffensis in Anglia Episcopus, sparso pro fide sanguine, quàm Romanâ purpurâ, qua à Pontifice donatus fuerat, longè clarior, respondens Luthero ad articulum 14. ait: *Qui damni perpendit immensitatem, quod ex peccato conquisivit, is odiet facilè peccatum, & detestabitur, tam in aliis, quàm in se ipso: neque minùs id, quod occultum* (sive in animo latens) *est, quàm, quod est* (palàm) *agnitum*. Et fol. 65. *Tria sunt, quæ faciunt homines à peccato temperare; id est, aut metus gehennæ, aut spes, atque desiderium regni cœlorum, aut affectus boni ipsius, amorque virtutum ...... Fides namque est, quæ futuri judicii, ac suppliciorum metu, vitiorum facit contagia declinari*. Fol. 68. dicenti Luthero, quòd ea contritio magis faciat peccatorem, respondet Episcopus. „ Fides ob oculos statuit gravitatem, multitudinem, fœditatem suorum „ scelerum; præsentat æternos gehennæ „ cruciatus, quos & omnino videre facit, „ nisi resipiscat, effugere se non posse; „ ostendit, & cœlorum præmia, quæ jam „ peccator amisit; recuperaturus tamen eadem, si dignè conteratur. Hæc haud dubiè collectio citra charitatem fieri potest: quæ si cordis aliquem motum excitet, ad detestanda peccata, quod fieri „ plerumque compertissimum est.... non „ meretur sanè peccator ob hunc detestationis motum, notam aliquam deteriorem, ut dicatur jam peccare graviùs, & „ esse magis peccator, quàm fuerat.

13 Hactenus Roffensis. Contra hunc Quesnellus Luthero suppetias ferens; imò, inquit, talis detestatio magis peccatorem efficit, utpote committens omnia in corde crimina, quæ sibi pœnitens visus fuerat aversari, juxta præsens novæ Ecclesiæ axioma, *qui à malo non abstinet, nisi timore pœnæ, illud committit in corde suo, & jam est reus coram Deo*. Sed contra geminos istos novæ fidei disseminatores, cum memorato glorioso martyre dimicans Eckius lib. 1. de pœnitentia cap. 6. ait. *Fallitur hìc apertissimè Lutherus, quòd existimat pœnitentem non posse odire peccatum, nisi afficiatur ad bonum; cùm omnis homo qui spirat, noverit odire peccatum propter timorem pœnæ. Quomodo non odiret prodigus peccatum, ex quo in tantam venit miseriam, ac omnium rerum inopiam? Hæc pro evacuatione fuci Ludderani, licèt per se frivoli, & temerarii, dicta sufficiant*. Ita in Luthero vapulat Quesnellus.

14 Audiantur & Lovanienses maximè antiqui; Driedo de captivit. & redempt. parte 6. tract. 4. cap. 2. *Quamvis timor sit cum peccato in eo, qui nondum amat justitiam; is tamen, qui timet gehennam ignis, aut justum Dei judicium, neque peccat, neque Deum offen-* *dit*

dit in eo, quod fic timet. Cap. 7. *Manifeftum eft, timore gehennæ ignis, qui & donum eft Spiritûs Sancti, effe utilem ad juftificationem impii, & ex illo converfionem hominis fæpe numero fumere originem*. Si non peccet *in eo, quòd fic timeat gebennam*, ut *nondum amet juftitiam*; non igitur omnis metuens immittendum à Deo fupplicium, delinquit hoc ipfo, quo folùm timore pœnæ à peccato abftinet. Attamen peccat, qui numquam amat juftitiam; ficut anathema dicitur ab Apoftolo, qui non amat Dominum noftrum Jefum Chriftum, tum fcilicet, quando præceptum dilectionis obligat. Verùm ficut inde non fequitur, incurri anathema momentis omnibus, quibus amoris erga Deum benevoli actus non elicitur; ita neque omnis actio peccatum eft in eo, qui nondum diligit juftitiam. Poteft quoque timor gehennæ cum peccato priùs commiffo, & nondum condonato confiftere; non enim timor ille feipfo, & non accedente contritionis actu, faltèm extra baptifmi, vel pœnitentiæ Sacramentum juftificat.

15 Ruardus Tapperus explicans fuorum Lovanienfium contra Lutherum doctrinam art.4. pag. 185. *Attritio*, inquit, *ex timore pœnarum fupernaturalium idonea difpofitio eft ad Sacramentorum baptifmi, & pœnitentiæ gratiam percipiendam: ut cùm quis deteftatur omnia peccata mortalia, & propterea confitetur, nè per peccatum excludatur à gloria, vel nè in fupplicium ignis fempiterni conjiciatur; qui etiamfi cognofcat, fe non habere contritionem, fed tantùm hanc attritionem, probabilis eft Doctorum fententia, quòd licitè accedit ad baptifmi, & pœnitentiæ Sacramenta fufcipienda*. Quàm fuêre Doctores ifti alieni à Janfenii, Quefnelli, & iftiufmodi cum Luthero novaturientium placito, *qui à malo non abftinet, nifi timore pœnæ, illud committit in corde fuo; jamque eft reus coram Deo*! Probabilis quidem cenfetur eorum fententia, qui licitum ad confeffionem acceffum ftatuunt cum tali attritione cognitâ abfque conatu ad fuperioris ordinis difpofitionem. At non probabilibus tantum opinionibus annumeratur, quòd talis attritio extra Sacramentum licita fit, honefta, & utilis ad dilectionem, atque ita remota ad juftitiam difpofitio. Tale dogma inter certiffima ab omnibus paffim illo tempore catholicis habitum fuit. Hinc tanta Lovanii, & toto Belgio contra Bajum poftea orta commotio animorum, & offenfio fuit, quando hanc Lutheranifmi fobolem temere adoptans, in fcholas intrudere conatus eft. Sed Bajo cenfuris Apoftolicis ad palinodiam compulfo, quinquaginta annos, & ampliùs ea novitas toto Belgio catholico exulare perrexit, nifi fepulta latuerit fub dolofo cinere, donec à Janfenio infeliciffimè reducta, malefanos aliquot reperit fufceptores, quorum partes, & audaciam auxere Arnaldi, & Quefnelli è Galliis profugorum fuppetiæ.

16 *Malo in fcandalum totius reipublicæ Chriftianæ, & fidei Catholicæ perniciem vertenti opportunum remedium adbibere volens* Urbanus VIII., ut ipfa ejus teftatur Conftitutio IN EMINENTI, confirmavit omnia Pii V., & Gregorii XIII. anathemata contra Baji, & Sociorum ejus articulos, quos identidem repullulantes refecuit iterum Alexander VIII. Sed & illius Pontificis Decreto à Novatoribus partim contumeliis profciffo, partim elufo cavillationibus, opus contra venenum adeò peftiferum fuit potentiore antidoto CLEMENTIS XI. fapientiffimâ Conftitutione UNIGENITUS, qua converfis fubdolè in varias formas erroribus larva detrahitur, & anathematis gladius in ipfa adigitur vifcera novitatis.

Quidquid autem fit de aliquibus five Baji, Janfenii, Arnaldi, Quefnelli authoritate, five falsâ pietatis fpecie forfitan antea circumventis, hodiernos omnes celeberrimæ iftius Academiæ theologos, poft folemnem adeò erga Bullam UNIGENITUS obedientiæ profeffionem adducere fecuri poffumus, adversùs fingulas, quas Conftitutio prohibet opiniones. Quapropter, nec ægrè ferent illi, quos veneror, Doctores, fi palàm fecero, eos CLEMENTIS XI. totiufque Ecclefiæ vocem fequendo faluberrimis inftitiffe veftigiis Majorum, qui & præcipua celebrantur univerfitatis columina, & nulla hærefeos, vel novitatis noxiæ afflati creduntur infamiâ, vel diffolutis opinionibus patrocinati.

17 Judocus Raveftein Tiletanus parte 1. de præparatione ad juftificationem cap.1. *Ex fide per confiderationem divinæ juftitiæ nafcitur timor, quo utiliter concutiuntur homines, ut peccata deferant, faltèm divini judicii timore*.

18 Guilielmus Eftius lib. 1. fentent. dift.34. §.7. *Ufque adeò autem fatendum eft, bonum effe hunc pœnæ timorem, ut Apoftolus eum teftetur effe donum Spiritûs Sancti*. Idem in 4. dift.54. §.13. *Quamvis igitur hic timor neque fit juftitia, neque aliquid juftitiæ; quia fervilis eft, rectè tamen vocatur initium pœnitentiæ, juftitiæ, & fapientiæ, quatenus nimirum hominem per peccatum à Deo alienatum, ad pœnitentiam, juftitiam, & fapientiam, & per*

per consequens ad Deum ducit, & revocat. Cùm timor servilis, qui nè aliquid quidem justitiæ est, adeóque non à charitate elicitus, sed ut merè servilis hominem peccatis à Deo alienatum ad pœnitentiam, justitiam, sapientiam, ad Deum ipsum adducat, & revocet, evidens est, eum, qui sic *à malo abstinet timore pœnæ, non illud committere in corde suo*, ut damnatus asserebat articulus.

19 Guilielmus Mercerus ad supplem. D. Thomæ quæst. 1. art. 3. de contritione. *Bonum est detestari peccatum propter timorem gehennæ, non solùm, ut occasionem (prout vexatio dicitur dare intellectum) sed etiam, ut finem proximum; quia intentio finis ex objecto suo bona est, cùm sit voluntas fugiendi pœnam ex se odio dignam: & medium, scilicet detestari peccatum, est bonum, & proportionatum ad illum finem*. Ubi & finis proximus bonus est, & medium optimum, quod est peccati detestatio, neque ulla adfertur prava, unde vitiari actus debeat, circumstantia, ex quo capite, qua ratione quiliber ita à malo abstinens, fingitur illud committere coram Deo?

20 Thomas Stapletonus Tom. 2. Prolegom. 1. in lib. 5. „ Hic timor, etsi servilis „ sit, nec semper necessaria dispositio; ta„ men & utilis est, quoties adhibetur, & „ cum contraria dispositione nemo justifi„ catur.... Cùm timor gehennæ objectum „ habeat proportionatum timori, & nulla „ extrinseca circumstantiâ vitietur, neces„ sariò debet esse bonus. Utiliter autem „ disponere, inde constat, quòd & à pec„ catis cavere, & de præteritis dolere, & ad „ Dei misericordiam confugere docet „. Non itaque constituit hominem reum coram Deo, ut adversarius calumniatur.

21 Jacobus Bajus (Michaeli Bajo novaturienti non consentiens) lib. 2. de religione cap. 84. „ Ex quibus liquet, quàm „ falsò Lutherus dixerit, timorem servi„ lem esse malum; quia efficiat hominem „ hypocritam, magisque peccatorem; cùm „ proprius ejus effectus sit, voluntatem à „ peccando impedire.... Hinc Deus pri„ mum hominem timore mortis à peccan„ do deterruit, Judæosque suppliciorum „ comminatione „. Timori servili proprium est, solo moveri supplicio; si enim solo ducitur amore justitiæ, ut peccatum horreat, timor filiorum est: si mixtus amor justitiæ fuerit cum timore pœnæ, dicitur metus justorum incipientium, vulgò *initialis*. Si igitur effectus proprius timoris servilis sit, ut verè est, voluntatem à peccando impedire, patet eum, qui tali timore abstinet à malo, non illud committere in corde. Aut enim impedire peccatum simpliciter, seu absolutè, & illud committere in animo, invicem opponuntur; aut nihil in rebus humanis, & actibus moralibus reperitur contrarium. Quapropter aut insigniter ineptire, aut turpiter fallere deprehenderis, si eum impedivisse peccatum dixeris, qui actum solummodo suspenderit exteriorem, interea dum animum permiserit plenis quodammodo velis ad nefaria quæcumque provehi desideria.

22 Joannes Malderus ex Doctore Lovaniensi Antverpiensium Antistes 2. 2. q. 19. art. 4. *Respondeo cum D. Thoma, timorem servilem secundùm substantiam solùm dicere timorem pœnæ, atque hactenus non esse malum secundùm substantiam.... Timorem gehennæ non esse malum definit Tridentinum sess. 6. can. 8. estque tam evidens, ac amare beatitudinem, quâ privat gehenna, esse bonum*. Quis autem ante Lutheri tempora audivit, quòd, quotiescumque aliquis nonnisi beatitudinis amore, vel, quod idem est, illius amittendæ formidine à malo abstinet, illud committat in corde suo, jamque sit reus coram Deo?

Lutherus quidem contra Bullam Leonis X. asserrione 6. ajebat: *Contritio, quæ paratur per.... amissionem æternæ beatitudinis, facit hypocritam, imò magis peccatorem*. Calvinus etiam in antidoto ad sess. 6. can. 31. *Cùm ingenuam à filiis suis obedientiam requirat Deus, servile hujusmodi obsequium (quo spe mercedis operamur) non repudiabit modo, sed procul etiam rejiciet*. Quos duces, ut sæpe alibi, etiam hic sequitur Jansenius Tom. 3. lib. 5. cap. 9. dicens, *Concupiscentia respectu Dei, amor vitiosus est*. Sed majore verborum fastu ibidem ait: *Spem Christianam deprimunt, qui eam subtrahunt charitati, & quodam sinceritatis adulterio puritatem Divinæ, & gratuitæ charitatis in concupiscentiæ amorem, aut in mercenariæ cupiditatis fœditatem vertunt*. Ex his fontibus haurire Quesnellus potuit, urì præsentem articulum 62., ita & 57. *Totum deest peccatori, quando ei deest spes; & non est spes in Deo, ubi non est amor Dei*, nempe super omnia benevolus, quia ut dicitur art. 58. *Nec Deus est, nec religio, ubi non est charitas*. 44. *Non sunt nisi duo amores, unde volitiones, & actiones omnes nostræ nascuntur; amor Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur; & amor, quo nos ipsos, ac mundum diligimus, qui quod ad Deum referendum est, non refert, & propter hoc ipsum fit malus*. 47. *Obedientia legis profluere debet ex fonte, & hic fons est charitas. Quando Dei amor est*

est illius principium, & Dei gloria ejus finis, tunc purum est, quod apparet exteriùs; alioquin non est nisi hypocrisis, aut falsa justitia.

23 Rectiùs Joannes Wiggers de Virt. Theol. quæst.19. art.4. *Timor pœnæ à Deo infligendæ secundùm se utilis est, & bonus*. Procul absuit Doctor ille à rejiciendo istiusmodi timore inter *passiones brutales*, ut rejicit Quesnellus; remotior etiam fuit ab infligenda ei multiplici blasphemia propositionis 67. qua *timor servilis* dicitur *non sibi repræsentare Deum, nisi ut Dominum durum, imperiosum, injustum, intractabilem*. Si autem timor ille pœnæ sit utilis, & bonus; undenam tanta in eum, vel in actum ab eo solo imperatum derivabitur malitia, ut qualecumque sic metuens decreverit crimen fugere, illud hoc ipso committere censeatur? Censet Quesnellus præsenti articulo: *Qui à malo non abstinet, nisi timore pœnæ, illud committit in corde suo, & jam est reus coram Deo*.

Doctor ille è vivis excessit antequam foràs prorumperet Janseniana novitas; verùm morti proximus prædixisse fertur funestum quid protendere quandam conjunctionem animorum, quam in junioribus observabat illius Academiæ Doctoribus, inter quos erat Scripturarum interpres Jansenius, antequam ad Iprenses infulas promoveretur.

24 Scholasticorum agmen claudat citatus sæpius Genevensium Apostolus, & Sanctissimus Antistes Franciscus Salesius lib.11. de Amore Dei cap.16. *Quantum ad timores servorum, & mercenariorum, non procedunt equidem ab amore; sed ordinariè praecedunt ipsum amorem, ut ei sint instar prodromorum, & designatorum hospitii: & isti sæpe sunt perutiles ejus servitio .... Divina bonitas volens in anima humana collocare magnam diversitatem virtutum, & tandem eam exornare sacro suo amore, utitur acu timoris servilis, & mercenarii, qua ordinariè omnium primò corda nostra punguntur* Cap.18. *Quando igitur hi sensus timoris in animis nostris invalescunt, ut ex finibus nostris exterminent voluntatem peccandi, ut Sacrum Concilium Tridentinum loquitur, sunt illi magnopere salutares: Nos concepimus ex timore tuo o Deus! & peperimus spiritum salutis, ut dicitur apud Isaiam*. Habemus hìc timorem servilem, proinde pœnæ solummodo, nè confundatur aliàs cum eo, qui à scholasticis dicitur *initialis*. Servilis, teste Salesio, *non procedit ab amore*; sed eum ordinariè velut prodromus, & designator hospitii antecedit: tumque Divino obsequio est perutilis, introducendis scilicet virtutibus, etiam charitati. Timore illo in hunc finem divina bonitas utitur velut acu, cujus punctione introducitur linum: quam similitudinem Salesius ab Augustino Tract. 9. in Epistolam Joannis, & à S. Bernardo Sororem suam instituente mutuatus est. Formidinis illius invalescentes in animo sensus *exterminant indè*, sive, ut Tridentinum loquitur, excludunt voluntatem peccandi. Ita, Deus, ex timore tuo concepimus, & peperimus spiritum salutis.

25 Cum his, Lector catholice, confer Quesnelli de timore pœnæ novaturiens judicium. Quesnello timor ille est *brutalis passio*, &, quod illa longè deterius est, *non sibi repræsentat Deum, nisi ut Dominum durum, imperiosum, injustum, intractabilem*. Unde *qui à malo non abstinet, nisi timore pœnæ, illud committit in corde suo, & jam est reus coram Deo*.

Dicite nobis quotquot hæc legitis theologi, imò quotquot ratione præditi estis, num timor ille non procedens ab amore, sed illi prævius, sive, ut S. Salesius loquitur, *Prodromus, & designator hospitii*, censeri valeat ad hoc munus idoneus, & sicut acus linum, punctione suâ introducere charitatem; si, quoties ab amore non provenit, committantur in animo omnia crimina, à quibus oportuit abstinere. Si omnem istiusmodi à se homo formidinem excluderet sive dormiendo, sive occupando animum studiis, eum maximè distrahentibus, sic quidem non se disponeret charitati, at saltèm non committeret in corde tot crimina nefaria, quæ sunt omnia quodammodo possibilia, quæque, Quesnello judice, perpetrantur animo, quoties contigerit, hominem sola pœnæ formidine omnia detestari. Quis prudens non mallet talibus prorsus carère *prodromis*, quàm abundare? Talis præcursio adeò locum non instrueret charitati, ut novum semper, & maximum poneret obicem: Nec designaret hospitium; sed ab eo penitùs averteret.

Nihil itaque cogitari potest magìs oppositum sententiæ Salesii, qui ut *Scriptis cœlesti doctrina refertis Ecclesiam illustravit, quibus iter ad Christianam perfectionem tutum, & planum demonstrat* judicio Ecclesiæ, securior nobis dux meritò videbitur, quàm Quesnellus, cujus tot dogmata pridem, & sæpius ab Ecclesia fuere anathemate profligata. Utinam Sanctus cœlorum modò sedibus receptus non pauciores fidei, & Ecclesiæ restituat Jansenistas, quàm vivus olim converterat Calvinianos! Prodigium istud priore

priore tantò grandius reputabitur, quantùm novæ Sectæ obstinatio Calvinianam superat, Judaicæ concedens nihil, diabolicæ parum: Durius fortè diceret Augustinus, ut olim de Donatistis lib. 1. contra Epist. Parm. cap.6. *Puto, quòd ipse Diabolus, si authoritate judicis, quem ultro elegerat, toties vinceretur, non esset tam impudens, ut in ea causa persisteret.*

CAPUT VI.

Objectiones pridem ab Hæreticis ex Augustino, & aliis Patribus collectæ, à recentioribus nostris adversariis adoptatæ, à Theologis catholicis dissolutæ, ac partim præoccupatæ.

1 Admiratus priùs fueram, adversarios in eandem prorsus Augustinianorum textuum ex tam variis ejus operibus congeriem cum hæreticis impegisse. Verùm mirari desii, quando apud Jansenium lib. 5. de gratia Christi cap. 27. 28. 29. easdem Augustini sententias legi. Jansenium autem fuisse insignem hæreticorum plagiarium, pridem demonstravit Stephanus De Champs in celebri opere *de hæresi Janseniana*, & alio ante *de libero arbitrio*, sub nomine Antonii Richardi. Unde malim credere, Quesnellum cum suis sociis illas Augustini sententias descripsisse ex Magistro suo Jansenio, quàm ex deterioris notæ Scriptoribus ab Ecclesia separatis; sed & cur eas magno studio in tot Augustini voluminibus dispersas quærerent, qui in uno sibi familiarissimo opere omnes simul cumulatas conspiciunt? Omnibus autem satisfacit catholica Salmanticensium Thomistarum responsio, Disp.7. de Contritione dub.1.§.5. „ Ad motivum (inquiunt) innitens D. Augustini testimoniis respondetur, satis constare de ejus sententia ex locis relatis num.34. quibus contraria videntur, quæ modò opponuntur; sed oppositionem non habent; nam in prioribus loquitur S. Doctor de timore inducente fugam peccati, considerato præcisivè, & secundùm se, quatenus requiritur ad vitandum peccatum, quo pacto nullum includit, vel absolutum, vel conditionatum peccandi affectum. In qua consideratione honestus est, in Scripturis, & SS. Patribus commendatus, ab Ecclesia probatus, & à nobis assertus. In posterioribus autem loquitur de timore pœnæ secum afferente intentionem vel absolutam, vel conditionatam peccandi, si pœna non immineret, ut in non paucis contingit, qui, dum non peccare videntur propter timorem, peccant tamen ob affectum. Ut hos igitur revocaret D. Augustinus, modumque bene timendi doceret, sedulò, & subtiliter monuit, introspiciendas esse intentionis latebras; ubi enim timor aliud non parit, quam cessationem, aut non executionem operis peccaminosi ad evadendam pœnam, retento pravo affectu actuali ad ipsum, si pœna non esset; ibi opus est non cessare peccatum; sed occultari.

„ Et hanc esse ejus mentem, liquet ex ejusdem testimoniis in contrarium adductis, in quibus satis apertè reprobatur, carpiturque fuga mali ex timore pœnæ, quia implicat (sive involvit) non quidem necessario; sed in aliquibus, voluntatem saltèm conditionatam peccandi, si fieri posset impunè. Et ita se declarat S. Doctor loco cit. in epistola 144. (vel potiùs 145.) dum subdit: *Quis coram Deo innocens invenitur, qui vult fieri, quod vetatur, si subtrahas, quod timetur? Ac per hoc in ipsa voluntate reus est, qui vult facere, quod non licet fieri; sed ideo non facit, quia impune non est.* Hæc autem tam prava cum prædicto affectu conjunctio accidentaria est prorsus timori pœnæ, tam considerato secundùm se, quàm ut inducenti fugam peccati. Et ideo, quæ in relatis locis tradit D. Augustinus, non sibi in aliis, nec nobis in communi assertione contradicunt; sed docent rectum modum timendi pœnam, & abnegandi internum affectum peccaminosum „.

2 Carmelitanis Salmanticensibus jungo ex sacro Prædicatorum ordine celeberrimum Academiæ Burdegalensis Antecessorem Gonetum in Clypeo Theologiæ Thomisticæ tom.5. disp.7. de Contritione art.3. §.5. cui titulus est *Convelluntur præcipua fundamenta Jansenii*. Ad secundum, quod petitur ex testimoniis Augustini, qualia nobis Quesnellistæ objiciunt, ita respondet. „ Dico, S. Doctorem locis citatis loqui de timore propter pœnas, quarum fugam sibi proponit metuens, tamquam finem ultimum, qualis tamen non est ille, quem importat vera attritio; fugam enim pœnarum inferni non sibi proponit pœnitens in illo actu tamquam ultimum finem; sed solùm tamquam finem proximum; quia non excludit positivè ulteriorem relationem ipsius ad Deum; sed

„ merè

„ merè negativè, sive præcisivè quoad hoc „ se habet.

„ Ad secundam (Jansenii) probatio- „ nem, respondeo, non semper ea, quæ „ fiunt ex metu, esse mixta ex voluntario, „ & involuntario; sed solùm, quoties vo- „ luntas in contrarium aliquo modo fer- „ tur, vel per actum nolitionis inefficacis „ illius, quod facit ex metu; vel per actum „ amoris inefficacis illius, quod rejicit ex „ metu; unde, cùm regulariter Christiani „ doleant de peccato ex solo metu inferni „ absque aliquo actu amoris ad peccatum, „ & absque actu nolitionis talis doloris, „ non est actus attritionis de peccatis; „ quem habent, ullo modo involunta- „ rius.

„ Ad tertiam probationem nego, ti- „ morem pœnæ non posse mutare volun- „ tatem; sed solùm amorem justitiæ, qui „ est proprius charitatis; nam, licèt timor „ aliquis sit ejusmodi, quòd amorem rei „ deserendæ secum admittat, & in volunta- „ te simul vivere patiatur; datur tamen „ alius, qui omnem rei priùs dilectæ amo- „ rem, omnemque affectum ad peccatum „ prorsus excludit; ut patet ex Tridenti- „ no citato, & expressè docetur ab Augu- „ stino Sermone 214. de tempore his ver- „ bis: *Cùm timetur pœna, quam Deus mina- „ tur, discitur amari præmium, quod pollice- „ tur: ac sic per timorem pœnæ bona vita re- „ tinetur: per bonam vitam bona conscientia „ comparatur, ut per bonam conscientiam nul- „ la pœna timeatur. Quapropter discat ti- „ mere, qui non vult timere: discat ad tempus „ esse solicitus, qui semper vult esse securus.* „ Et in Psalm. 127. *Vermis eorum non morie- „ tur, & ignis eorum non extinguetur. Au- „ diunt hæc homines, & quia verè futura sunt „ impiis, timent, & continent se à peccato: „ habent timorem, & per timorem continent „ se à peccato.*

„ Ad objectionem Jansenii tertiam... „ Respondeo, eum qui dolet de peccatis „ solùm propter pœnas inferni, dupliciter „ in amore sui, ex quo dolor ille nascitur, „ posse ultimò quiescere: primò positivè, „ & contrariè, excludendo nimirum rela- „ tionem talis amoris, & sui ipsius in „ Deum: secundò negativè tantùm, sive „ præcisivè, non referendo illum amorem, „ & actum doloris de peccatis ex eo pro- „ venientem in Deum. Qui primo modo „ dolet de peccatis, fateor quòd illum „ actum de se bonum vitiet, apponendo illi „ pravam circumstantiam; sed nego, quòd „ pœnitens de peccatis secundo modo, „ qualis est, qui veram attritionem de il- „ lis habet propter solum gehennæ metum, „ sic se habeat, atque ita malè operetur.

3 Augustini textibus interpretandis si quid præterea luminis desideras, adire juverit Joannem Driedonem Adriani VI. discipulum, ipsis maximè adversariis venerabilem, utpote Lovaniensem Doctorem veterem, in hac ipsa contra nos materiâ non semel confidentiùs citatum. Sic ille Tract. de captivitate, & redemp. generis humani pag. 107. „ Non est silentio prætereundum, „ quòd, etsi in præparandis ad salutarem „ gratiam hominum cordibus, utcumque „ utilis sit timor, & non solummodo ge- „ hennæ ignis comminati à Deo justo Ju- „ dice; sed & timor pœnæ constitutæ se- „ cundùm humanas leges, & potestates; „ cùm uterque cohibeat voluntatem, nè „ det consensum in executionem nefarii „ operis; attamen magnum est discrimen „ inter istum, & illum timorem. Abstinet „ latro à furto, & ab adulterio, nè suspen- „ datur in patibulo: abstinet, & ab illis „ Christianus, nè puniatur in inferno; sed „ latro solùm timens leges hominum, facit „ latrocinium, dum sperat, se ipsum latêre „ tribunalia sæcularium judicum; Chri- „ stianus autem leges timens illius, quem „ novit falli non posse, propter timorem „ Divini tribunalis non modò cohibet „ membra ab exteriori opere; verùm, & „ intrà claustra cordium coercet malas cu- „ piditates, sciens, Deum omnium occul- „ torum esse conscium... Verum quidem „ est, in utroque timente vivere quam- „ dam peccati voluntatem, quemadmo- „ dum & demonstravit venerabilis Augu- „ stinus; sed modis longè diversis. Nam „ adultera propter metum pœnæ tempo- „ ralis comminatæ ab humana potestate, ad „ tempus sua membra comprimens ab exe- „ cutione, plerumque expectat locorum, „ & temporum occasiones, quibus possit „ latêre ad satisfaciendum suæ, quæ intus „ latet, peccandi voluntati; Christianus „ autem commotus, & tactus spiritu timoris „ Divini judicii, non sic expectat ullas exe- „ quendi nefarii operis opportunitates; „ Sed certâ fide jam tenens, Deum rerum „ omnium conscium, etiam internum suum „ reprimit consensum ex Spiritu Sancto, „ nondum quidem sanctificante; sed con- „ turbante spiritum malignum, qui latenter „ in eodem adhuc vivit, etiam plerumque „ intus operans suos nequitiæ motus. „ Proinde, ut docet venerabilis Augusti- „ nus, latenter in eo vivit quædam pec-

„ candi voluntas (habitualis) propterea „ quòd nondum est justitiæ amicus.... „ proinde talis adhuc carnalis vellet (tum „ habitu, tum motibus indeliberatis) sibi „ fore licitum frui creaturâ, suæque libi„ dini satisfacere... Verùm iste voluntatis „ motus; quo carnalis homo vellet hæc „ omnia, non est opus spiritûs timoris Do„ mini; sed diaboli, qui semper in cordi„ bus hominum sua conatur zizania super„ seminare inter Divini Spiritûs semina; „ quemadmodum enim in eo, qui est jam „ templum Spiritûs Sancti, plerumque Spi„ ritus nequitiæ suos seminat motus pravi„ tatis ad destruendum opus Dei; ita & in „ eo, qui adhuc est templum diaboli, ple„ rumque Spiritus Sanctus suos præmittit „ præcursores, quibus destruit opus diabo„ li. Neque igitur arbitretur, esse absur„ dum, timorem gehennæ ignis esse opus „ Spiritûs Sancti &c.

Hactenus Driedo, qui pag. sequenti nempe 108. sibi objicit, quòd, qui juxta Augustinum sola formidine à malo abstinet, odit præceptum, & justitiam peccata punientem, velletque Deum non esse ultorem criminum; mallet licere, quod est illicitum; atque hoc modo vivit adhuc in eo peccandi voluntas. Quam objectionem ita diluit. „ Is, qui solo metu gehennæ coercet „ se ab opere malo, præceptum quidem „ odit secùndum amorem quemdam habi„ tualem, seu radicem intus latentem, non„ dum renovatus spiritu amoris justitiæ; „ sed non semper est odium in actu: non „ semper actu concupiscit destructam esse „ justitiam punientem. Proinde subjectus „ servili timori quodammodo vult pecca„ re, & quodammodo non vult peccare. „ Vult quidem, quia vivit in eo latens quæ„ dam peccandi voluntas, non actualis „ quidem semper, in actu peccandi; sed „ habitualis, secundùm quam nondum ami„ cus justitiæ, semper præparatus manet „ peccare, si esset impunitas. Non vult au„ tem peccare; quia jam concussus timore „ Divini judicii, sciens Deum esse, cui om„ ne cor patet, & omnis voluntas loqui„ tur, & quem nullum latet secretum, in„ cipit exire de seculo. Et idcirco non „ quemadmodum fur, vel adultera expe„ ctat opportunitatem loci, & temporis ad „ perpetrandum nefarium opus; sed intrà „ claustra cogitationis coercere, & com„ primere se studet, nè pravis cupiditatibus „ præstet consensum.

4 Ex hoc igitur objecto nobis Augustini interprete adeò non labefactatur sententia communis, ut confirmetur certissimè, & quidquid in Doctoris maximi textibus superesse forsitan visum fuerat intellectu minùs facilè, plano commentario aperitur, etiam tironibus. Ex Driedonis itaque explicatione liquidum habetur, quod timor gehennæ non membra solùm corporis ab illicitis contineat operibus, sed etiam à pravis volitionibus animum, ac proinde non omnem, qui à malo abstinet solùm timore pœnæ, *illud committere in corde suo, & jam reum esse coram Deo*, ut damnata Quesnelli novitas contendit.

Ex eodem Lovaniensi Theologo tenetur indubitata ratio, cur gehennæ timor potiùs, quàm pœnæ ab hominibus imminentis coerceat animum, perversa in eo impediens desideria; quia hæc æquè Dei oculis perspicua sunt, & æternis obnoxia suppliciis, quàm quæ exteriùs peraguntur hominibus manifesta. Ex eodem *Augustini* discipulo discimus, non semper elici motum voluntatis pravum, etiam inefficacem liberum, dum quis metu pœnæ à peccato abstinet. Immittitur quidem, inquit, istiusmodi motus subinde à Diabolo etiam justis: sed metu gehennæ reprimitur animus, nè consentiat. Minimè autem motus ille ex tali formidine nascitur, oppositus ei, quod à formidine imperatur. In peccatoribus semper est voluntas peccandi habitualis, radix pessima intus latens, unde pullularent iniquitatis identidem germina, etiam deliberata, alliciente objecto delectabili, si non æterni supplicii metus frænum injiceret. Denique ab eodem Lovaniensi Theologo accipimus, quòd timor gehennæ sit à Spiritu Sancto, atque ita naturæ viribus superior, quæ omnia non solùm damnato articulo infesta sunt; sed etiam Augustini sensum nobis exhibent communi sententiæ patrocinantem.

5 Non meliùs novitati suæ consuluere aliàs adversarii quando Augustini sui Iprensis potiùs, quàm Hipponensis doctrinam haurire nos voluêre ex Joanne Lensæo vetere etiam Lovaniensium Doctore, quem reperio nobis apertissimè consentientem. Lib. 7. de Christianæ libertate cap. 14. „ Paravit cœlum, sed paravit & tarta„ rum,... cujus consideratione judicii sæ„ pe perhorrescere, si ad justitiam, & quæ „ nondum sit, comparandam, & quæ jam „ parata sit, frustrà diabolo tentante, reti„ nendam nihil conduceret; non hunc no„ bis Divina Scriptura toties, ejus utili„ tate propositâ, commendaret. Nolite, „ ait Dominus, timere eos, qui occidunt „ cor-

„ corpus; fed eum timete &c. Ille quippe „ hominum timor in eorpora fævientium „ fæpe numero ad peccatum impellit; hic „ verò Divinæ feveritatis & peccatum ex- „ pellit, & cum peccato diabolum; cùm „ Sanctiffimæ Dei voluntati cogit parêre, „ ut æterna, quæ malis irrogaturus eft, „ fupplicia fugiantur.... An fortè, ut fe- „ verus delictorum vindex timeri non vult „ Deus, quemadmodum ait quidam; fed „ tantummodò, ut benignus Pater? Atqui „ timeri vult, ut is qui corpus, & animam „ mittat in gehennam, quod non ut beni- „ gnus pater; fed ut feverus procul dubio, „ juftufque judex facit.... Eft igitur hic „ metus neceffarius, non ad ingrediendam „ folùm juftitiæ viam; fed plerifque etiam „ ad retinendam: quorum bona quidem „ illa; fed tamen infirma voluntas judi- „ ciorum Dei contemplatione excitanda, „ & firmanda eft, nè peccati inefcata vo- „ luptate citò ab itinere falutari deflectat, „ & ab hofte femper infidiante captivam „ fe, & illaqueatam abduci patiatur. Hunc „ proinde Cyprianus timorem innocentiæ „ cuftodem vocat...... Non immeritò „ proinde aecipi etiam de hoc timore po- „ teft, quod à fapiente dictum eft; *nifi ti-* „ *more Dei conftanter continueris te, citò* „ *fubvertetur domus tua*: eft enim & hic „ Dei timor bafis quædam, unde imbecil- „ la voluntas ftandi accipit firmitatem. „ Hine ejufdem, & illa femper animo vol- „ venda fententia: *Memorare noviffima* „ *tua, & in æternum non peccabis*.

Si *timor Divinæ feveritatis*, quæ pec- cantium corpus, & animam ftatuit perdere in gehennam, *expellit peccatum, & cum pec- cato diabolum*; *fi Sanctiffimæ Dei voluntati cogit parêre, ut æterna, quæ malis irrogaturus eft, fupplicia fugiantur*; quâ veri fpecie pro- pofitio Quefnelli fuperior afferit, quòd *ti- mor nonnifi manum cohibeat; cor autem tam- diu peccato addicatur, quamdiu ab amore ju- ftitiæ non ducitur*? Solius cohibitione ma- nûs, quamdiu peecato addicitur animus, neque *juftitia, quæ nondum eft, comparatur*, neque *quæ jam parata eft, diabolo tentante, retinetur*. Solâ cohibitione manunm, & totius corporis, *neque peccatum expellitur*, neque *cum peccato diabolus*: Neque ita *fan- ctiffimæ Dei voluntati paretur, ut æterna, quæ malis irrogaturus eft, fupplicia fugiantur*. Non minùs hæc Lenfæi fententia repugnat articulo præfenti, *Qui à malo non abftinet ni- fi timore pœnæ, illud committit in corde fuo, & jam eft reus coram Deo*. Si enim *hic metus eft neceffarius, non ad ingrediendam folùm jufti- tiæ viam; fed plerifque etiam ad retinendam*; Si impedit, *nè infirma voluntas inefcata pec- cati voluptate, citò ab itinere falutari defle- ctat, & ab hofte femper infidiante captivam fe, & illaqueatam abduci patiatur*; evidens eft, abftineri aliquando à malo, etiam folâ punitionis formidine, ita ut non eommittatur illud in animo, neque hominem hoc ipfo eoram Deo reum conftituat. Quomodo Lenfæus cum fanctiffimo Martyre *Cypriano timorem hunc vocat innocentiæ cuftodem*; fi non folùm omnis ex illo folo operatio pee- catnm fit; fed omnium fimul flagitiorum poffibilium admittatur iniquitas, quoties, illo folo excitante, & movente, homo om- nia fuerit deteftatus.

Fictitia itaque, & fallax *hic Dei timor ba- fis foret, unde voluntas imbecilla, ftandi acci- pere dicitur firmitatem*. Fallitur denique juxta Quefnelli articulum Lenfæus, dum enuntiat, *Non immeritò accipi etiam de hoc ti- more poffe, quod à Sapiente dictum eft: nifi in timore Dei conftanter tenueris te, citò fubver- tetur domus tua .... & ejufdem illam femper volvendam animo fententiam, Memorare no- viffima tua, & in æternum non peccabis*. Utra- que hæc non privati folùm theologi, fed Sapientis, imò Spiritûs Sancti fententia, huic applicata formidini in Quefnelli fyfte- mate de certa fallacia, & pernicie graviffima arguetur. Monemur fcilicet priore S. Scri- pturæ axiomate, ut, nifi maluerimus eitò domum, feu animam noftram à Diabolo, & concupifcentia fubverti, conftanter nos in Dei timore teneamus; altero docemur, nos in æternum non peccaturos, fi noviffi- ma æternùm mentibus obverfentur. Oppo- fitum autem in Quefnelli fyftemate prædi- eandum eft: moneri homines oportebit, ut fibi à timore Dei vindicis admittendo ca- veant, nifi quando fenferint, fe dilectionis benevolæ facibus aecendi: admodum enim proclive eft, ut, quando Divini judicii memoria animum acri punget formidine, omnia crimina detefteris præterita, futura, & quodammodo poffibilia, quæ te judicio terribili, & æternis fuppliciis reddere pof- fent obnoxium.

6 *Qui* autem juxta præfentem articu- lum *à malo non abftinet, nifi timore pœna, illud committit in corde fuo, & jam eft reus coram Deo*; ubi non levi oculo tranfiliendum eft *illud committit*; videlicet non exiguum qua- lecumque delictum, quale à Bajanis mitio- ribus affingitur omni actui, qui charitas non eft, neque ab ea dueit originem; *fed illud committit*, à quo metus dictaverat abftinen- dum: quapropter, fi omnia præterita, ut dixi,

dixi, futura, possibilia sic aversatus fueris, hoc ipso simul omnia commisisti; omnium momento unico reus factus es in supremo Numinis tribunali. Nè verò existimes, Quesnellum (cùm ait, *qui à malo non abstinet nisi timore pœnæ*) non exigere loco timoris, vel junctam illi sociam charitatem; sed contentum esse motivo spei, sive cœlestis concupiscentiæ, vel alterius virtutis charitate inferioris, apertè nimiùm enuntiat Prop.47. *Obedientia legis profluere debet ex fonte, & hic fons est charitas. Quando Dei amor est ejus principium interius, & Dei gloria ejus finis, tunc purum est, quod apparet exteriùs; alioquin non est nisi hypocrisis, aut falsa justitia.*

Prop.46. *Cupiditas, aut charitas usum sensuum bonum, vel malum faciunt.* Quod de usu sensuum asseritur, extende ad omnes animæ facultates, juxta Prop.44. generatim affirmantem: *Non sunt nisi duo amores, unde volitiones, & actiones omnes nostræ nascuntur: Amor Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur; & amor, quo nos ipsos, ac mundum diligimus, qui quod ad Deum referendum est, non refert, & propter hoc ipsum fit malus.*

Prop.58. *Nec Deus est, nec religio, ubi non est charitas*: perspicuum est igitur, quòd, quando Prop.62. ad innoxiè agendum requiritur motivum melius formidine, nullum sufficiat inferius charitate.

7 Non ita Lovanienses citati, non ita Gonetus cum Salmanticensibus Thomistis Hipponensem Antistitem interpretantur: non ita ipse author sanctissimus voluit intelligi, quod pluribus ex ipso locis clarissimis superiùs demonstratum est. Tract.8.in Epist. Joannis: *Cœpit aliquis credere diem judicii; Si cœpit credere, cœpit & timere: timendo corrigit se, vigilat adversùs hostes suos, id est, peccata sua, incipit reviviscere interiùs* illa execrando: ubi initium ducitur à fide judicii, terribilis sententiæ, & reprobos totâ æternitate sequentium suppliciorum. Hac fide concipitur timor salubeerimus, quo excitatus homo sua crimina detestatur, *corrigit se*, à novis abstinens, & adversùs ea, tamquam *hostes suos* infestissimos *vigilans*, atque ita *incipit reviviscere interiùs*, gradum faciens ad charitatem. Sed interea, dum ad eam animus disponitur, patet, præparantem eum formidinis motum bonum esse, atque utilem, ac proinde quod ex eo sequitur correctionis, & vigilantiæ adversùs peccata initium, non solùm innoxium esse, sed etiam effectum salutiferum Spiritus Sancti. Non igitur prima illa *à peccato abstinentia*, quæ Augustino *correctio*, & adversùs hostes *vigilantia* est, dici debet nova criminis commissio, novus coram Numine reatus. Dum autem ad dilectionem mens disponitur, manifestum est, amoris nondum præsentiam supponi; atque adeò horrorem judicii, & sententiæ in reprobos vibrandæ tale inducere *correctionis principium*, talem *adversùs peccata vigilantiam*, ut etiam ante omnem charitatis ortum, abstinentia à peccato nullâ ratione sit illius commissio, & novus coram justo judice reatus. Profectò turpiter aliàs, & frequenter nimiùm nos falleret Augustinus; quoties nempe docet, formidinem pœnæ viam sternere ad amorem, atque justitiam.

De verbis Apostoli Serm.13. *Timor est servus charitatis; nè possideat diabolus cor tuum, præcedat servus in corde tuo, & servet dominæ venturæ locum: fac vel timore pœnæ, si nondum potes amore justitiæ.* In Quesnelli sententia dici ab Augustino oportuit, nè possideat Diabolus cor tuum, præcedat charitas in corde tuo, & servet dominatimori famulo venturo locum: noli facere timore pœnæ, si nondum potes amore justitiæ; nam *qui à malo non abstinet nisi timore pœnæ, illud committit in corde suo, & jam est reus coram Deo.* Quesnellum non inferioris amore justitiæ, quàm rerceatæ contentum esse, ex omnibus ejus de charitate propositionibus liquet.

Invertendum similiter fuerit illud tract.9. in Epist. Joannis: *Opus est ergo, ut intret timor primò, per quem veniat charitas: timor medicamentum, charitas sanitas.* Inverso, inquam, ordine dicendum juxta Quesnellum fuerit: Opus est ut intret charitas primò, per quem veniat timor: charitas medicamentum simul, & sanitas; timor autem abdicandus penitùs velut brutalis passio, aut non nisi justificatis, & charitate ardentibus permittendus; nam, si charitatem præcesserit, jubebit quidem abstinere à crimine; verùm *qui à malo non abstinet, nisi timore pœnæ, illud committit in corde suo, & jam est reus coram Deo.* Quid modò faciat Quesnellus isto Augustini commentario in Psalm.127. *ubi vermis eorum non moritur, & ignis eorum non extinguetur. Audiunt hæc homines, & quia verè futura sunt impiis, timent, & continent se à peccato; timent quidem; sed non amant justitiam; cùm autem continent se à peccato, fit consuetudo justitiæ, & incipit, quod durum erat, amari, & dulcescit Deus; & jam incipit homo justè vivere. .... timet nè mittatur in gehennam, bonus est, & utilis iste timor.* Perspicua hic est conti-

nen-

nentia à peccato, & quidem sub initium non nisi timore pœnæ; *hanc enim timent, sed non amant justitiam*: neque tamen ex continentia à peccato dici potest ejusdem in corde commissio; quia, inquit Augustinus, *cùm per timorem se continent à peccato, fit consuetudo justitiæ, & incipit, quod durum erat amari, & dulcescit Deus, & jam incipit homo justè vivere*. Potestnè commissione criminis fieri consuetudo justitiæ, conciliari amor præceptis arduis, Deus dulcescere, & vitæ justæ duci exordium? Constat, timorem servilem esse formidinem solius pœnæ; nam cui amor Dei, & indè natus ejus offendendi metus jungitur, timor initialis dicitur. Sic & Spiritus servitutis, est Spiritus timoris incurrendi supplicia, absque amoris benevoli admixtione. Vitare itaque peccatum spiritu servitutis est illud fugere non nisi timore pœnæ. Si autem talis fuga necessariam haberet cum peccato connexionem; scilicet cum deliberato desiderio peccati ejusdem committendi, ubi promitteretur impunitas, Spiritus servitutis, infelix parens sobolis adeò pudendæ, non posset esse à Deo, *cujus omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est*, ut dicitur Jacobi cap. 1.

8 Augustinus tamen quæst. 55. super Exod. ait: *Non arbitror alium, quam eumdem Spiritum significari, ubi dicit Apostolus non accepistis Spiritum servitutis iterum in timore; Sed accepistis Spiritum adoptionis, in quo clamamus Abba Pater, quia eodem Spiritu Dei, id est, digito Dei, quo lex in tabulis lapideis conscripta est, timor incussus est eis, qui gratiam nondum intelligebant, ut de sua infirmitate, atque peccatis per legem convincerentur, & lex fieret illis pædagogus, à qua perducerentur ad gratiam, quæ est in fide Jesu Christi*. Si igitur Spiritus servitutis, & timor servilis est donum Dei, fieri nequit, ut omnis obedientia præcepti, sive abstinentia à peccato indè proveniens talem postulet turpitudinis societatem, ut ipsum, quod servitutis Spiritus vitari imperat peccatum, semper animo committatur. Argumentum hoc ex Augustino contra adversarios invictissimum meritò judicavit adducta sæpius Salmanticensium Thomistarum Schola Tract. 24. de pœnitentia disp. 7. de contritione dub. 1. §. 5. Quid pro veritate catholica dici potuit illustrius, quàm quod Augustin. ait serm. 214. de tempore? *Cùm timetur pœna, quam* (Deus) *minatur, discitur amari præmium quod pollicetur, ac sic per timorem pœnæ bona vita retinetur*. Retineturnè bona vita per timorem, si quæcumque is excerari hominem jusserit, committantur animo; eique omnia peccata lethifera, etiam possibilia in tribunali Numinis imputanda sint, quoties solo timoris illius seu consilio, seu imperio decernuntur evitanda? Ita saluberrimus gehennæ timor est, prout à Sancto Antistite prædicatur; perniciosissimus, prout à Quesnello. Quid enim horribilius, quod potest ullius actûs venenum esse magis pestilens, & se diffundens latiùs, quàm quo homo quilibet, etiam Christianus, & justus, omnium simul in quocumque genere criminum constituatur reus, quoties ea sibi proposuerit omni studio fugienda, si sola fugæ ratio occurrit judicium Dei terrificum, & illud subsequens æterna punitio? Non ita Augustinus; sed uti jam vidimus in Psalm. 127., agnoscit, homines solo vermis non morituri, & ignis inextinguibilis terrore perculsos, etsi *non amantes justitiam*, tamen *per timorem continere se à peccato*, atque ita *fieri consuetudinem justitiæ; incipere, quod durum erat, amari; dulcescere Deum, & incipere homines justè vivere*: quæ omnia, ut patet, minimè consistunt cum sola ab externo crimine abstinentia, dum illud committitur in corde. Non enim simpliciter continet se à peccato, qui illi in animo consentit: non fit consuetudo justitiæ; sed nequitiæ, & peccati: non sic inducitur justitiæ, & præcepti amor, sed producitur odium & aversio: non dulcescit Deus, sed pergit formidini esse, & horrori.

9 Denique semper nobis inhæreat inculcatum sæpius ab Augustino, & superiùs etiam à nobis, monitum de præmittenda formidine charitati. Qua autem ratione timor priùs ingrediens locum præparat dilectioni, nisi cohibendo animum, nè suggestionibus carnis, & diaboli consentiat; sed præterita crimina detestetur? Hunc esse Augustini sensum certissimum, sola videtur posse voluntaria cæcitas ignorare. Quid enim ineptius, & tanto indignius Doctore fingi potest, quàm operosè adeò prædicare formidinis illius utilitatem, necessitatemque, ut ad amorem animus disponatur; sed ea lege, ut, antequam amor successerit, timor maneat otiosus, & cum eo animus studiosè caveat ab omni legis obedientia, ab omni detestatione præteritorum criminum ac futurorum; quia aliàs hoc ipso, seu consecutione inevitabili, omnia patrarentur animo? patrarentur autem omnia, si Quesnelli novitas subsisteret: *Qui à malo non abstinet nisi timore pœnæ, illud committit in corde suo, & jam est reus coram Deo*. Qualia opinionum monstra nisi Doctori maximo tribuerimus, juxta novos theologos Augustiniani, & fortè catholici esse desinemus: Sed

Sed definemus esse solùm penès novam malignantium Ecclesiam, & turbam Schismaticorum in erroribus crassissimis, & multiplici fundatam hæresi, quemadmodum utroque hactenus tomo tot dissertationibus ostensum est.

10 Et quidem, ut à præsenti non digrediar quæstione, quid magis injurium Augustino, quàm ei imponere dogma tam insolens, quo nullum excogitari potuit aptius ad fovendam libertinorum licentiam, & omnem peccatoribus obstruendam pœnitentię, charitatis, justitiæ, salutisque semitam, quæ, duce Hipponensium Antistite, nulli pateat nisi per timorem pœnæ; cùm & charitas ingredi detrectet, nisi metus ille locum præparans antecesserit.

Pro veritate igitur damnato opposità articulo apertè militant non solùm Scripturæ clarissimæ, quas contra præcedentem ex Frisingensi Consiliario Ecclesiastico à quinque Germaniæ Academiis probato attuli, & contra præsentem articulum facilè transferuntur; sed Patrum quoque & Principum Scholasticorum authoritas, communis Ecclesiæ, Summorum Pontificum, atque ipsius Concilii Tridentini sententia, ratione manifestissimâ suffragante. Si enim tantùm roboris sit timori pœnæ temporaneæ, &, si cum æternâ comparetur, levissimæ, ut externam extorqueat virtute naturali obedientiam, subditorum sæpe ingenio plurimùm repugnantem; nihil verisimilitudinis superest, cur timor gehennæ longè gravior, supernaturali etiam cooperante auxilio, cohibere nequeat qualemcumque propensionem animi ad eliciendum peccandi desiderium sub conditione stultissima; si ultionis Divinæ periculum abesset.

11 Denique tot perspicuæ in ipso Augustino sententiæ deberent omnem penitùs de ipsius pro veritate catholica patrocinio dubitationem amoliri. Duobus autem potissimùm modis facillimè expeditur quidquid obscurius in quibusdam ejus locutionibus apparuerit. Prior explicatio, quam ex Carmelitani ordinis Salmanticensibus doctrinam Angelici professis dedimus, est, quòd Augustino sint duo genera abstinentium à peccato ex sola pœnæ formidine: alterum abstinentium sicut oportet, absolutè & absque conditione peccandi, si fieri posset, ut vitaretur punitio: alterum cum ea conditione non minùs turpi, quàm malesanâ peccandi, si promitteretur impunitas: Priore itaque modo timorem pœnæ ab Augustino accipi, quoties eum veluti bonum, & utilem ad charitatis, & sapientiæ introductionem prædicat: posteriore autem modo, quoties annexum ei reprehendit desiderium peccandi, dum ultionis absfuerit periculum.

12 Hanc theologis istis Augustinianæ sententiæ explicationem tradidit Magister Angelicus in lib. 3. Sentent. dist. 34. quæst. 2. art. 2. quæstiuncula 2. ubi sibi objicit. *Videtur, quòd usus timoris servilis non sit bonus; usus enim bonus est, quo fit bonum, & bene; Sed secundùm Augustinum super illud Rom. 8. Non accepistis Spiritum servitutis &c. in timore servili etiamsi aliquid fiat bonum, non tamen bene. Ergo usus ejus est malus.* Quæstionem autem ipse resolvens Angelicus, ait: *Cùm servilitas timoris habitui accidat ex imperfectione subjecti, non oportet, quòd actus ejus semper conditiones servilitatis in se habeat; sed poterit habere bonitatem proportionatam substantiæ sui habitûs; non scilicet meritoriam, sicut nec habitus habet bonitatem gratuitam .... Timoris servilis actus potest esse bonus, & malus;* prout nempe servilitatem annexam habuerit, vel ab ea fuerit immunis. Tum objectam Augustini sententiam conformi ratione explicat: *Ad primum ergo dicendum, quòd Augustinus loquitur, quando aliquid fit timore servili ratione suæ servilitatis;* tunc scilicet non fieri bene; secus quando servilitas non intenditur. *Non enim oportet, quòd actus servilis semper conditiones servilitatis in se habeat.*

Dum autem servilitas non intenditur, tunc *actus poterit habere bonitatem proportionatam substantiæ sui habitûs, non scilicet meritoriam*, propter absentiam gratiæ sanctificantis; sed ad hanc aliquo modo disponentem, ut clariùs exponit parte 3. quæst. 85. art. 5. *Tertius est motus timoris servilis, quo quis timore suppliciorum à peccato retrahitur .... Sic igitur patet, quòd actus pœnitentiæ à timore servili procedit sicut à primo motu affectûs ad hoc ordinato.* Dum motus timoris servilis dicitur retrahere à peccatis indefinitè, & absque distinctione, vel limitatione, intelligitur indubiè juxta locutionis significationem obviam, de peccatis omnibus, & non solis exterioribus, quæ uti malitiam, ita & denominationem ab internis accipiunt. Præterea non de solis exterioribus, sed de omnibus, quæ propriè peccata sunt, sermonem esse, liquet ex eo, quòd *actum pœnitentiæ* (quæ, ut omnibus notum est, de peccatis propriè dictis, & non solùm exterioribus intelligitur) ait *procedere à timore servili sicut à primo motu affectûs ad hoc ordinato.* Num timor bestialis, & blasphemus, qualis à Quesnello timor solius pœnæ describitur

Prop.

Prop. 66. & 67. & cujus usus necessariò malus est per 62. poterit esse *motus affectûs ad pœnitentiam ordinatus*, ut ab Aquinate vidimus definitum? Huic Augustini discipulo, & interpreti irrefragabili jungo etiam Seraphicum; quia in disputatione cum hæreticis, abundare probationibus præstat, quàm videri vel in minimo defecisse. Si autem neque lux tanta illuminandis eorum mentibus voluntariâ laborantibus cæcitate suffecerit; ad erudiendos saltèm, confirmandosque in doctrina catholica fideles conducet plurimum. Quæ Bonaventuræ sententia cùm copiosior sit, & fortissimis plena rationibus, integrum sibi caput postulat.

CAPUT VII.

Sanctus Bonaventura invictissimè confirmat nostras Augustiniani sensus vindicias, & viam adversariis præcludit obtinendi qualiscunque à Sanctis reliquis patrocinii.

1 Doctor Seraphicus in librum 3. sent. dist. 34. quæst. 2. antequam quæstionem dissolvat, proponit priùs argumenta sententiæ, quam animo concipit amplectendam: adductis dein rationibus oppositis, pro priore parte dirimit controversiam. Proinde, & nos Sanctum eodem ordine referamus. „ De timore servili (inquit) in comparatione ad ejus usum; utrum scilicet usus timoris servilis sit bonus, an malus: & quòd bonus sit, videtur, quia quales sunt habitus, tales sunt actus: sed timor servilis cùm sit donum Spiritûs Sancti, est bonus. Ergo per documentum motalis philosophi actus ejus est bonus. Maxima est philosophi, quod cujus usus bonus, ipsum quoque bonum est: & cujus usus malus, ipsum est malum. Ergo si usus malus est timoris servilis, ipse timor servilis est malus. Sed non est malus, cùm detur divinitus; ergo actus ejus est bonus.

„ Item omnis habitus, cujus usus præparat bominem ad susceptionem gratiæ, est bonus quantùm ad usum: sed timor servilis est hujusmodi; quia per usum ejus introducitur charitas, sicut dicit Augustinus, & habetur in litera, ergo &c. Item nullus actus, quo quis vitat peccatum, est peccatum; sed actu timoris servilis, recedit homo à peccaro; ergo actus timoris servilis non est peccatum. Non est ergo malus „. Paulò post sic procedítur ad argumenta opposita.

2 „ Sed contra, super illud Psalmi *Confige timore tuo carnes meas* glossa Augustini (est) timor servilis carnem non crucifigit; quia vivit in eo peccandi voluntas, & sequeretur opus, si speraretur impunitas; mallet enim licêre, & dolet non licêre, quod lex vetat; sed omnis talis motus est directè contra justitiam; quia vellet justitiam non esse: omnis verò motus contra justitiam est malus, ergo & actus, & usus timoris servilis est malus. Item Gregorius in moralibus, cùm pœna timetur, & Dei facies non amatur, timor ex tumore est, non ex amore: sed omnis actus, qui procedit ex radice tumoris, & superbiæ, est actus malus, & damnabilis: ergo usus timoris servilis non est bonus; sed damnabilis „. Plura ibidem Seraphicus congerit opposita suæ, & communi sententiæ argumenta, quæ dein acutissimè refellit. Ego referendis pluribus supersedeo, donec ab adversariis ea conspexero intorqueri. Nunc audienda Seraphici resolutio.

3 „ Respondeo: ad prædictorum intelligentiam est notandum, quòd, cùm dico timorem servilem, duo dico; videlicet ipsum habitum, quo anima disponitur ad timendum Deum, ut punientem eos, qui prævaricantur; & ulteriùs nomine servitutis importatur deformitas peccati, quæ annexa est illi habitui in eodem homine, ratione cujus ille homo dicitur servus peccati, & timor in eo existens dicitur esse timor servilis. Per hunc etiam modum, cùm dico aliquem timere serviliter, duo dico; videlicet actum ab illo babitu egredientem, & voluntatis servilitatem, sive deformitatem concomitantem. Sed attendendum, quòd hoc potest esse dupliciter; aut ita, quòd deformitas illa voluntatis concomitetur quantùm ad habitum, aut quantùm ad actum. Si concomiratur solùm quantùm ad habitum, sic potest esse, quòd aliquis serviliter timeat, & ramen motu illo non peccabir; quia ex recogitatione pœnarum aliquis abhorret offendere Deum: hoc potest esse præter omne peccatum. Si autem concomitatur in actu, quamvis ipsum rimere de se non sit malum; tamen ratione deformitatis actualiter annexæ depravatur: sicut aliquis, qui timet pœnas, & timendo dolet, quòd tales pœnæ infliguntur pro culpa, & actu etiam concupiscit peccare, si non esset illa pœna: & hoc

„ hoc modo timere serviliter, est peccatum „ & malum; hoc autem non est semper, „ cùm quis movetur timore servili; alio- „ quin per usum illius doni magis se homo „ à gratia elongaret, quàm præpararet, „ quòd planè falsum est: & ideo conceden- „ dum est, quòd usus timoris servilis potest „ esse bonus, licèt non sit bonus bonitate „ meriti: Sed magis bonitate præparante, „ vel ordinante ad meritum, quæ simul „ stat cum peccato.

4 Habemus hìc assertionem Seraphici damnato articulo prorsus oppositam. In omni scilicet peccatore est odium habituale justitiæ, quo velit sequi concupiscentiam, ubi opportunum fuerit, remoto ultionis periculo; quæ deformitas, & servilitatis ratio omni quidem propria est peccatori, quamdiu peccator est; sed non reperitur istiusmodi motivum in omnibus peccatoris actibus; ac proinde, etsi operans Deo odibilis sit, & ejus hostis, æterno dignus incendio; non tamen talis est omnis ejus actio, & volitio, quæ honesta potest esse, & secundùm omnes circumstantias bona, etiam ad charitatem, & justitiam præparans; licèt supernaturali destituta merito propter vitium subjecti Superis inimici. Hoc est, quod Seraphicus perspicuâ explicat distinctione: „ Cùm dico aliquem timere serviliter, duo „ dico; videlicet actum ab illo (servili) „ habitu egredientem, & voluntatis servi- „ litatem, sive deformitatem concomitan- „ tem. Sed attendendum, quòd hoc potest „ esse dupliciter; aut ita, quòd deformi- „ tas illa voluntatis concomitetur quan- „ tum ad habitum, aut quantùm ad actum. „ Si concomitatur solùm quantùm ad ha- „ bitum, sic potest esse, quòd aliquis servi- „ liter timeat, & tamen motu illo non pec- „ eabit; quia si ex recogitatione pœnarum „ aliquis abhorret offendere Deum, hoc „ potest esse præter omne peccatum „. Corruit itaque Quesnelli regula; qua indefinitè, & dogmaticè definit esse peccatum, quoties Divinæ legis transgressionem solâ pœnæ formidine detestamur Prop. 62. *Qui à malo non abstinet, nisi timore pœnæ, illud committit in corde suo, & jam est reus coram Deo*.

S. Bonaventura prosequitur: „ Si autem „ (deformitas) concomitatur in actu, „ quamvis ipsum timere de se non sit ma- „ lum; tamen ratione deformitatis actua- „ liter annexæ depravatur; sicut aliquis „ qui timet pœnas, & timendo dolet, quòd „ tales pœnæ infliguntur pro culpa, & actu „ etiam concupiscit peccare, si non esset „ illa pœna; & hoc modo timere serviliter „ est peccatum, & malum; hoc autem non „ est semper, cùm quis movetur timore ser- „ vili; alioquin per usum illius doni ma- „ gis se homo à gratia elongaret „; Quod foret absurdissimum, & blasphemum. Ubi Quesnelli novitas iterum conteritur, & ineluctabili destruitur ratione; quòd scilicet aliàs Spiritûs Sancti donum, quale est servilis ille timor, foret peccandi principium, atque ita quòd Dei bonitas peccatoribus ad eorum conversionem benignissimè impertir, diceretur ipsos à justificationis gratia ampliùs removere; quo nihil effutiri potest contra Dei misericordiam, Sapientiam, Sanctitatem contumeliosius.

5 Stabilitâ Seraphicus catholicâ veritate, argumenta aggreditur quæ sibi, & nobis, superiùs objecta retulerat. „ Ad illud „ verò, (inquit) quòd primò objicitur in „ contrarium, quòd in timore servili vivit „ voluntas peccandi, & quòd dolet de eo, „ quod lex vetat, dicendum, quòd illud „ verbum Augustini non intelligitur, quòd „ semper, quando timet, doleat actu; & „ similiter, quòd voluntas peccandi sem- „ per sit in actu; sed hoc dicit, quia manet „ in habitu, & radice. Licèt autem volun- „ tas sit per peccatum deformata, & regnet „ in ea malus amor; potest tamen aliquan- „ do moveri ad aliqua bona opera in gene- „ re, vel ex circumstantia per aliquam gra- „ tiam gratis datam, non committendo „ culpam: sicut patet per multa exempla, „ & sic potest esse in parte ista.

„ Ad illud, quod objicitur, quòd time- „ re serviliter est ex tumore, sicut dicit „ Gregorius, non ex amore, dicendum, „ quòd EX non dicit ibi causam, sed con- „ comitantiam: &, cùm dicit concupiscen- „ tiam in actu, tunc deformat actum timo- „ ris servilis: cùm dicit concupiscentiam „ in habitu, non oportet, quòd deformet; „ sed tamen facit ipsum deficere à meriti „ perfectione.

Hactenus Bonaventura. Satis nobis hic est, quòd Seraphica Augustinianæ, & Gregorianæ Sententiæ explicatio sit vera clavis, & facillima aperiendis quibuscumque tum eorumdem, tum aliorum Patrum textibus, adeò ut ex apparente alicubi obscuritate nihil præsidii adversariis expectandum sit.

Eadem responsio, & Augustiniani textûs interpretatio à duobus ferè seculis adhibita est à Driedone contra Lutherum lib. de captivitate, & redemptione generis humani pag. 107. cujus verba aurea dedi capite superiore. Ea-

Eadem eft Bellarmini contra Lutherum Sententia, & Auguftiniani loci acceptio lib.2. de pœnitentia cap.16.& cui difpliceat catholico; præfertim poft Alexandri VIII. contra duas illas propofitiones anathema: *Timor gehennæ non eft fupernaturalis. Attritio, quæ gehennæ, & pœnarum metu concipitur, finè dilectione benevolentiæ Dei propter fe, non eft bonus motus, & fupernaturalis?* quæ funt decimaquarta, & decimaqninta propofitiones inter 31. Si enim timor gehennæ fit fupernaturalis; fi bonus etiam, ac fupernaturalis motus habenda fit attritio, quæ gehennæ, & pœnarum metu concipitur, finè dilectione benevolentiæ Dei propter fe; nihil fupereft rationis utcumque verifimilis, cur cenfeatur omnis, *qui à malo non abftinet, nifi timore pœna, illud committere in corde fuo, & jam effe reus coram Deo*, ut nova contra Romanam contendit Ecclefia.

Propofitionum trium pofteriorum iterata ab adverfariis defenfio examinatur.

CAPUT I.

Hexaplorum obfervatio expenditur.

1 Circa Propofitiones fexagefimam primam, & 62. fic Hexapla obfervant: *Apparet ex* (Scripturæ) *verfibus, qui locum dant Propofitionibus 61., & 62., uti & ex contextu* Reflexionum Moralium, *agere Quefnellum de timore hominum, non Dei.* Sic nempe in caput Lucæ 20. v. 19. duxerat annotandum: *O Deus, quid eft cor hominis relictum fibi? Timore Dei, & æterna ejus juftitia nequaquam movetur; timore autem hominum, & mali temporanei reprimitur, ac gubernatur. Timor non nifi manum cohibet; cor autem tamdiu peccato addicitur, quamdiu ab amore juftitia non ducitur.* Reflexio ifta aptatur verfui 19. capitis 20. Lucæ ad ea verba: *Quærebant Principes Sacerdotum, & Scribæ mittere in illum manus illa horâ, & timuerunt populum.*

Quoniam effugia captare, & latebras conftitutum adverfariis eft, miror, non allegari, quòd Quefnellus ibi non agat de quocumque morralium, & qnibufcumque in circumftantiis; fed tantùm *de corde hominis relicto fibi* abfque Divinæ gratiæ fubfidio. Verùm tam ifta, quàm prior excufatio facilè fubvertitur: utraque enim, fi eam propiùs afpexeris, ad quid juvat, nifi ut fraudulenta Quefnelli ampliùs detegatur aftutia, & innovandi prurigo Catholicis omnibus deteftabilis? Ufuvenit fcilicet etiam hic, de quo fæpe aliàs Lectorem monui, nocentiffimi authoris nequitia, ut apprehenfo ex facris paginis facto quopiam particulari, ex eo pro materia quoqne longè difpari conclufionem eliciat dogmaticam, & fignificatione quodammodo univerfalem. Nulla tangebat Scribas iftos, & Sacerdotum Principes pietas; nullus juftitiæ, aut religionis amor, ac nè judicii quidem Divini, æternorumque horror cruciatuum; fed terror hominum, incommodorum temporalium, jacturæque leviffimæ, illos ab externis retrahebat fceleribus. Iftud novo Theologo fufficit, ut dogmatico hoc, atque illimitato Ecclefiam erudiat apophtegmate: *Timor non nifi manum cohibet; cor autem tamdiu peccato addicitur, quamdiu ab amore juftitia non ducitur.*

Hiftoria facra factum referens contemptæ religionis, & juftitiæ, folius autem humanæ formidinis, Judæos impios retrahentis à complendo exteriùs facrilegio, obfervari patitur, quòd timor hominum, quos arcana mentium latent, non nifi externa peccati opera coërceat. Si aliud fignificari Quefnellus noluerit, cur indefinitum potrufit articulum, & conclufionem ex facto, feu antecedente particulari elicuit dogmaticam, & in fenfu obvio adeò ftolidam? Cur nullam addidit particulam humanæ folummodo à fe intellectæ formidinis indicem? Non gravaffet ea articulum; fed priorem faltèm ejus partem ab erroris fufpicione liberaffet. Si etiam in timore Numinis,& vindictæ perpetuæ tantum roboris agnofcat, ut poffit amori juftitiæ prævius perfuadere animo abftinentiam à peccato novo, & deteftationem veteris; cur in totis quatuor tomis adeò nihil fimile ufpiam fignificat, ut omnia contraria ubique ftabilire principia totis viribus conetur? Fraus putida hic nobis ampliùs detegenda eft.

2 Juxta adverfarium nullus timor eft Divinus, nullus bonus, nullus peccati fpurcitiâ non inquinatus, nifi ab amore Dei benevolo, & juftificante proceflerit. Per Propofitionem fcilicet 44. „ Non funt, nifi duo „ amores, unde volitiones, & actiones „ omnes noftræ nafcuntur: amor Dei, qui „ omnia agit propter Deum, quemque „ Deus remuneratur; & amor, quo nos „ ipfos,

„ ipsos, ac mundum diligimus, qui quod „ ad Deum referendum est, non refert, & „ propter hoc ipsum fit malus. „ Timor itaque ab amore Dei omnia sic agente propter Deum non profluens, necesse est, ut à mala amoris proprii, vel mundani origine vitietur; proinde cohibendo à peccatis animo minimè est idoneus: Prop. 45. *Amore Dei in corde peccatorum non ampliùs regnante, necesse est, ut in eo carnalis regnet cupiditas, omnesque actiones ejus corrumpat.* Prop. 46. *Cupiditas, aut charitas usum sensuum bonum, vel malum faciunt.* Cui confirmando novæ scholæ axiomati, si quæ suffragetur ratio, vel authoritas, præstabit eadem fundamentum accusandæ cuilibet facultatis alterius actioni, etiam timori, quoties à charitate non processerit. Adde, quòd timor, qui non solam manum; sed animum quoque à delinquendo reprimeret, deberet esse ex gratia: id nemini magìs, quàm adversario indubitatum est, penès quem Propos. 39. *Voluntas, quam gratia non prævenit, nihil habet luminis, nisi ad aberrandum: ardoris, nisi ad se præcipitandum: virium, nisi ad se vulnerandum: est capax omnis mali, & incapax ad omne bonum.* Si autem timor animum cohibens à peccato debet esse ex gratia, occurrit Propositio 28. *Prima gratia, quam Deus concedit peccatori, est peccatorum remissio*; atque ita charitas, sinè qua remitti peccatoribus crimina nullus, potissimùm adversarius, admiserit. Præterea timor, qui arcere animum à peccando valeat, concipitur ex fide, quia per Prop. 27. *Fides est prima gratia, & fons omnium aliarum.* Si autem timor ex fide est, necessariò ex charitate nascitur justificante per Prop. 51., nisi juxta eandem adscribere justificationem maluerıs fidei; nam *fides justificat, quando operatur; sed ipsa non operatur, nisi per charitatem.* Exploratum itaque est, nullum dari in Quesnelli sententia timorem, charitatis, & justificationis expertem, qui possit animum à peccando avertere, atque adeò de omni alio timore, qui simul charitas non est, vel ex ea non nascitur, intelligi à Quesnello dictum: *Timor non nisi manum cohibet; cor autem tamdiu peccato addicitur, quamdiu ab amore justitiæ non ducitur*; & quidem increatæ. Ratio ulterior ab hoc Theologo redditur Prop. 58. *Nec Deus est, nec religio ubi non est charitas.* Quomodo igitur posset esse timor Dei sinè charitate, animum retinens à peccato? Præterea, inquit Quesnellus: *Totum deest peccatori, quando ei deest spes, & non est spes in Deo, ubi non est amor Dei*; utique justificans, sicut ex tot allegatis Propositionibus manifestum est.

Quis igitur fructus, quis finis excusationis frivolæ, quasi appareat tum ex Scripturæ versibus, quos *Reflexio* Quesnelli 61., & 62. respicit, tum ex ipso utriusque *Reflexionis contextu, eum agere de timore hominum, non Dei?* Fructus, inquies, & finis Hexaplorum est, ostendere, quòd sensus Propositionis utriusque, prout ab accusatoribus excerpta est, & à Pontifice damnata, non sit reverà Propositionis cum suis consideratæ circumstantiis; licèt authoris alibi sententia sit, ex tot allegatis jam textibus compertissima.

Ego verò mirari satis nequeo impudentiam Hexaplorum nobis exprobrantium, veluti malam fidem, aut cæcitatem, & ignorantiam non tolerandam, si in excerpendis, & damnandis Propositionibus geminis neque Sacrorum textuum, neque Quesnelliani sensûs ex antecedentibus eruendi cura fuerit; vel, quod deterius foret, cognitio utriusque circumstantiæ contempta. Verùm & sacrorum versuum sensus, & verba Quesnelli antecedentia perspectissima fuere tum denuntiatoribus, tum sapientissimis judicibus; sed eorum pariter perspicacitatem, & prudentiam fugere non potuit, quòd utraque indicata circumstantia nihil penitùs conferat ad excusationem proscriptorum dogmatum; sed ad exectandam ampliùs Quesnelli fallaciam in *Reflexionibus*, non solum à mente Spiritûs Sancti alienis; sed etiam maximè contrariis. Sic toto ferè tomo primo præsentis Operis ostendi ad Propositiones plurimas, Quesnelli ubique studium esse, ut Sacris Scripturarum textibus, etsi nullam cum nova theologia connexionem habentibus, assuatur Bajana, aut Janseniana *Reflexio*, seu exitialis error, quo fides Catholica subruatur. Evidens est Lucæ 20. v. 19. de solo sermonem fieri timore hominum, sive humano, cùm dicitur, *Principes Sacerdotum, & Scribas* voluisse quidem; sed non ausos fuisse *mittere* in Christum *manus illâ horâ; quia timuerunt populum.* Matth. quoque cap. 21. v. 46. *Principes Sacerdotum, & Pharisæi ... quærentes eum tenere, timuerunt turbas; quoniam sicut Prophetam eum habebant.* Neque ignoratur Quesnelli in priorem textum Moralis Observatio: *O Deus! quid est cor hominis relictum sibi? Timore Dei, & æterna ejus justitia nequaquam movetur; timore autem hominum, & mali temporanei frænatur, ac regitur.* Sed an istiusmodi antecedentia concludi merentur hoc epiphonemate illimitato: *Timor non nisi manum cohibet; cor autem tamdiu addicitur peccato, quam-*

quamdiu ab amore justitiæ non ducitur? Cur *timoris* vocabulum non restrinxit Quesnellus ad *humanum*, dicendo, *timor humanus non nisi manum cohibet*? Cùm enim de sola humana formidine ageretur in antecedentibus, exigebat omnis recta ratio, ut non de metu in genere, sed humano solummodo concluderetur. Perquam frivolum autem est, dum ratiociniis error stolidus convincitur, recurrere ad suppositionem restrictionis; quasi hæc subintelligi debuisset, quam constat subintelligendam à nemine; sed conclusionem ab omnibus (novitatis furore dicam, an amore non insanientibus) de stultitia arguendam: veluti si ex hoc antecedente, *omnis homo est animal, & rationis capax*, inferre quis voluerit: igitur *omne animal est rationis capax*. Explodetur ab omnibus conclusionis inanitas; neque minùs repelletur excusatio, si dixeris, ex antecedente debuisse in conclusione voci *animal* subintelligi *hominem*: reclamabit omnis, etiam paucorum dierum dialecticus; aliàs nullum fore uspiam argumentum adeò incongruum, quin unius vocabuli suppositâ mutatione ad legitimum reducatur.

3 Verùm quod omni vano obtentui magis occludit aditum, est, in omnibus de gratia Propositionibus eandem deprehendi rationis fallaciam; quod nempe ex singulis Scripturarum textibus ad factum restrictis particulare, conclusio eliciatur dogmatica æquivalens universali. Non multo molimine quærenda mihi sunt fraudis hujus sophisticæ exempla, quale statim suggerit primus Quesnelli articulus. Lucæ cap. 16. v. 3. *Ait Villicus intrà se, quid faciam, quia Dominus meus aufert à me villicationem? fodere non valeo, mendicare erubesco*. Hoc exemplum pigri, sed industrii simul, & fraudulenti Villici Quesnello peridoneum visum est, ut omnibus in peccatum mortiferum lapsis omnia dona spiritualia adimeret, etiam spem, & fidem, omne cœleste auxilium, omnem boni operis potestatem: *Quid aliud remanet animæ* (cuicumque,) *quæ Deum, atque ipsius gratiam amisit, nisi peccatum, & peccati consecutiones, superba paupertas, & segnis indigentia; hoc est, generalis impotentia ad laborem, ad orationem, & ad omne opus bonum?* Nobis autem ex Quesnello quærere liceat, an istud non sit peccatori cuilibet viam sternere ad desperationem, & abjiciendam omnem bonorum operum, atque ipsius pœnitentiæ curam? Non enuntiat Christus de omni villico iniquitatis, quòd fodere non valeat, mendicare erubescat; sed de uno singulariter nequam, cujus prudentiam ipse, cui graviter nocuerat, Dominus censuit prædicandam. At Quesnellus omni invigilans occasioni, quâ præceptas infarciat novitates, parabolâ abutitur ad fallendos simplices, extendendo eam ad peccatores omnes, atque ex unius villici impotentiâ, & quidem non nisi impropria, utpote in sola consistente pigritia, etiamnum liberâ, deducit impotentiam boni rigidam, propriè dictam, atque in peccatoris nequaquam positam facultate arbitrii. Quemadmodum igitur ex circumstantiâ parabolæ ad unum genus villici, & forsitan individuum determinatæ, perperam inferes, primum Quesnelli articulum non indefinitè de qualibet *animâ, quæ Deum, & ipsius gratiam amisit*, ab authore accipi, & à lectoribus intelligendum; sed de peccatore aliquo speciali, ac nimis enormiter flagitioso; ita pariter excusatio frivola est, cùm præsens articulus 61. dicitur ex antecedenti circumstantia limitandus, quantumvis significatione obviâ sonet indefinitè, & æquivaleat universali. Perspicuum proinde est, de timore quolibet, amorem justitiæ præveniente, à Quesnello asseri: *Timor non nisi manum cohibet; cor autem tamdiu peccato addicitur, quamdiu ab amore justitiæ non ducitur*. Ex oppositione timoris, & amoris patet, non agi de filiorum, aut incipientium timore, dilectionem aliquam justitiæ supponente, & præter quem omnis alius juxta adversarios humanus, inutilis, imò vitio maculatus est. Hinc etiam magìs conspicuus redditur Hexaplorum dolus, impudenter asserentium, quòd in damnato articulo de *solo agatur timore hominum*; quasi verò timor amore justitiæ non imbutus juxta Quesnellum alius sit, quàm humanus. Nondum oblivioni dedimus Propositionem 12. inter 31. ab Alexandro VIII. prostratam anathemate. *Quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor, deficit etiam fides; &, etiamsi videantur credere, non est fides Divina, sed humana*: Quam propositionem Arnaldus octogenario proximus cum suo studiorum adjutore domestico Quesnello censuit ab anathemate vindicandam *in difficultatibus propositis* Domino Steyaert parte 9. pag. 206. *Condemnare*, inquit, *non potes hanc Propositionem 12., nisi condemnando te ipsum, Sanctum Thomam, & cæteros passim Theologos.* Rejectâ autem omni fide veluti humanâ, quæcumque destituitur amore, evidens est, fortem non obtingere meliorem formidini absque dilectione.

Denique si operæ pretium foret, percurrendo singulos de gratia articulos, ostenderem facillimè, ut tomo 1. pluribus commonstra-

monstratum est, familiarem Quesnello esse consuetudinem, si non Theologo, aut Dialectico dignam; convenientem tamen subversori fidei, & Ecclesiæ; ut ex antecedente maximè limitato conclusio, sive reflexio ubivis eruatur dogmatica. Hexaplis ut passim alibi, etiam hic prudentior fuit *Collatio*, quæ etsi Hexaplorum subsidiaria, *Observationem* tamen nimis futilem existimavit, quam ut asseri sapienter posset, aut ulla probabili ratione stabiliri.

4 Denique ipsa Hexapla, quasi resumptis animis, sententiam de timore quolibet ante amorem justitiæ profitentur Quesnelli sententiam esse; sed pariter irrefragabilem; perceptâ scilicet excusationis traditæ vanitate. *Verumtamen*, inquiunt, *consideratione istiusmodi nobis opus non est, ad vindicias Propositionum* (sexagesimæ primæ, & 62.) *quia intellectæ de metu suppliciorum, quæ Deus peccatoribus comminatur, non continent, nisi doctrinam Patrum, & Pontificum veterum, in eorum scriptis frequentissimè inculcatam*. Ego verò utrumque articulum convellens authoritate potissimùm Augustini, aliorumque veterum, nè unum quidem ex Patribus, aut Pontificibus alterutri consensisse, ostendi copiosiùs, quàm videri plerisque potuerit meruisse doctrina tam horrida, tam injuria Divinæ gratiæ, ejusque authori Spiritui Sanctò, adeò opposita Doctoribus sanctissimis, Angelico præcipuè, & Seraphico, Francisco Salesio, & Synodo Tridentinæ; tam aliena à communi sensu Fidelium, atque ipsius lumine rationis.

CAPUT II.

Proponitur subdola Quesnelli protestatio.

1 Quesnellus protestationis pag. 217. §. 12. „ Circa formidinem (inquit) pœnarum, qua peccator communiter excitari „ à somnolentia incipit, teneo, & semper „ tenui doctrinam à Tridentino Concilio „ definitam sess. 14. cap. 4., & can. 5. atque „ cum eo dico anathema omni asserenti, timorem damnationis æternæ contentum „ contritione imperfecta cum proposito „ non peccandi de cætero, facere hominem hypocritam, & magis peccatorem. „ Imò credo, esse dolorem verum, & utilem ad conversionem, ac salutem; eamque contritionem imperfectam, quæ ex „ gehennæ, & pœnarum metu concipitur, „ esse donum Dei, & impulsum Spiritûs „ Sancti, cujus auxilio pœnitens viam sibi „ ad justitiam parat, seque ad Dei gratiam „ Sacramento pœnitentiæ impetrandum „ disponit, *si voluntatem peccandi excludat*, „ *atque eam spes veniæ comitetur*. Hæc est „ doctrina Concilii: neque protuli quidpiam ei contrarium. Cùm enim velit, ut „ gehennæ, & pœnarum formidini conditiones omnes istæ conjunctæ sint, præcipuè propositum non peccandi de cætero, „ & spes obtinendi commissorum veniam „ delictorum, evidens est, secutum me esse „ sententiam Concilii cùm dixi Prop. 60. „ *si solus supplicii timor animat pœnitentiam*, „ *quò hac est magìs violenta, eò magis ducit* „ *ad desperationem*. Casum non esse metaphysicum, docemur exemplo Judæ. Miser ille aliud præ oculis non habens, quàm „ criminis sui gravitatem, atque existimans, „ nullis istud suppliciis, ac nè Jesu Christi „ quidem sanguine posse expiari, sive, ut à „ S. Leone dicitur serm. 3. de Passione „ cap. 3. *Omnem mensuram ultionis excessisse*, „ præcipitem se egit in desperationem, „ ejusque dolor fuit adeò violentus, & tam „ scelerata conversio, ut ipsa in crimen versa fuerit pœnitentia, neque punire se „ ipsum, nisi novo potuerit flagitio. S. Leo „ ibidem serm. 11. cap. 4. *Meritò*, inquit, „ *sicut Propheta prædixerat, oratio ejus facta* „ *est in peccatum; quoniam, consummato scelere, tam perversa impii conversio fuit, ut* „ *etiam pœnitendo peccaret*.

„ Quandoqnidem de Juda ago in ea „ observatione, quæ complectitur etiam „ articulum inter damnatos quinquagesimumquintum, æqnus Lector judicet, an „ veritatis limites excesserim, & non fideliter secutus fuerim vestigia Pontificis „ inter maximos eximii. En *observationem* „ integram, quam loco suo avulsam, concisam, atque in varias divisam partes adversarii protrusere, ut deformem redderent, &, si fieri posset, obnoxiam censuræ. Deficiente fiduciâ, pœnitentia falsa „ est... finis Judæ, est finis infelix, & desperatione plenus in avaro, qui morsibus „ conscientiæ discruciatur propter nefarias „ in aeqnirendis opibus iniquitates, quibus impellitur in desperationem animus. „ Prop. 57. *Totum deest peccatori, quando* „ *ei deest spes; & non est spes in Deo, ubi non* „ *est amor Dei*. Prop. 60. *Si solus supplicii timor animat pœnitentiam, quò hac est magìs violenta, magìs ducit ad desperationem*. „ Facilè apparet, Propositiones istas non „ nisi Judam concernere, atque ipsi quo-
„ dam-

„ dammodo similes. Utinam non reperi-
„ rentur avaritiâ sic occupati, ut omnem
„ spem suam collocent in divitiis, utque
„ eas derelinquere coacti moriantur de-
„ sperantes absque ejus amore, & frequen-
„ ter absque fide, & religione!

2 „ Sacerdotes, & Scribæ, qui co-
„ nabantur capere Jesum, ac tandem voti
„ compotes facti sunt, erantne Judâ me-
„ liores? Et, quando solo metu populi im-
„ pediebantur, nè eum apprehenderent,
„ num eorum exemplo perperam usus sum,
„ ut hanc suggererem observationem: *Ti-
„ mor non nisi manum cohibet; cor autem
„ tamdiu peccato addicitur, quamdiu ab amo-
„ re justitiæ non ducitur?* Et hanc; *Qui à
„ malo non abstinet, nisi timore pœnæ, illud
„ committit in corde suo, & jam est reus co-
„ ram Deo?* Etiamsi loquerer de timore ge-
„ hennæ, Propositio, quæ SS. Patrum, &
„ Aquinatis est, non desineret esse vera;
„ utpote nihil continens Tridentino con-
„ trarium; quia, licèt timor non reprimat
„ animum; potest tamen utilis esse ad con-
„ versionem peccatoris. Deus motu isto
„ sæpe utitur, ut peccatorem ducat ad ju-
„ stitiam; sive motus iste oriatur à notitia
„ naturali pœnarum temporalium, sive à
„ supernaturali æternarum. Verùm in pec-
„ caroribus, quales Scribæ isti fuerunt, &
„ Sacerdotes Deicidæ, de quibus mea
„ agit observatio, quique se tradiderant
„ peccato; quid in ipsis efficere potuit ti-
„ mor mortis à populo inferendæ, nisi ob-
„ durationem cordium, magis semper ob-
„ firmatam in proposito occidendi Servato-
„ rem mundi, sicut eventu patuit? Occa-
„ sione illorum, & ad monitionem aliorum,
„ in quibus foret dispositio similis, hanc
„ ordior observationem: *Multùm desperata
„ est anima, quando monita maximè saluta-
„ ria, & gravissimorum comminatio malo-
„ rum non alium consequuntur fructum, quàm
„ ut in majores eam provehant excessus. O
„ Deus! Quid est cor hominis relictum sibi?
„ Timor Dei, ejusque justitiæ æternæ eam
„ minimè movet; timor verò hominum, & ma-
„ li temporanei ipsum reprimit, & gubernat.*
„ Tum sequitur Propositio 61.

„ Cùm non agatur hic, nisi de senten-
„ tiis meis exponendis, necesse non est
„ quidpiam dictis addere, quando subscri-
„ psi Definitionibus Tridentini; abdican-
„ do quidquid ab ipso circa timorem rejici-
„ tur. Sola Propositionum mearum lectio
„ sufficit, ut de meorum dogmatum, & il-
„ lius Synodi concordiâ convincaris.

3 „ Ipse timor, quando solus est, bo-
„ nus, & utilis est in se: attamen producit
„ sæpe effectus malos propter corruptio-
„ nem animi, propter defectus, & vitia,
„ metum illum comitantia; sed, quamdiu
„ solus est, non excludit actualem peccan-
„ di voluntatem, etiam quando actum im-
„ pedit exteriorem, & procul abest à suffi-
„ ciente dispositione ad justitiam.... Ac-
„ cusationem de rejecta à me formidine
„ veluti malâ, aut inutili possum facilè re-
„ pellere solâ textuum aliquot meorum le-
„ ctione. In Acta Apostolorum cap. 9. v. 5.
„ annotans varios conversionis gradus, in-
„ ter primos posui timorem, & quidem lo-
„ quens de conversione Apostoli: *Timere
„ peccator incipit; quia, cùm Deus ipse offen-
„ sus fuerit, & illata Servatori persecutio,
„ quid non metuendum est?* v. 6. Etiam *Saulus
„ timore totus contremuit.* v. 6. circa quod
„ dico: *Sextus conversionis gradus est, ju-
„ diciorum Dei timor, qui crescit, & sta-
„ tim dominatur in peccatore jam illustrato,
„ & moto Divinitus; quicumque eo non ter-
„ retur, non satis cognoscit Deum, neque pec-
„ catum.*

„ Alibi locis variis: *Hic igitur metus est
„ utilis: hæc conturbatio salutaris, quam in
„ nobis excitat Divinorum judiciorum, no-
„ straque notitia corruptionis. Deus timore
„ animum præparat ad amorem; Divini judi-
„ cii terror peccatorem adigit, ut se conjiciat
„ inter brachia Jesu Christi, unicum peccato-
„ ribus refugium.* Rursus alibi: *Metus pecca-
„ torem excitat, faciens, ut sui statûs sentiat
„ calamitatem, conscientiam commovet; ne-
„ que alia de causa excruciat, quàm ut cogat
„ quærere solatium, dulcedinem, pacem ani-
„ mi in charitate; inspirat ei comparationem
„ illecebrarum inanium, & transeuntium
„ peccati cum æternis, & captum omnem su-
„ perantibus inferorum suppliciis. Timor ani-
„ mum magis docilem reddit, avertitque à
„ vitiis, & punitione. Denique Divinorum
„ judiciorum metus peccatorem conturbat, sed
„ pavore gratiæ, quem non ob aliam excitat
„ rationem, nisi ut ei obtineat pacem solidam,
„ & æternam.* Si plura istiusmodi quis de-
„ siderat (inquit Quesnellus) in promptu
„ sunt.

CA-

CAPUT III.

Relata protestatio discutitur.

1 SI fraudes, & mendacia cum vocibus protestationis contuleris, utræ numero prævaleant, non facilè determinabis. *Circa formidinem pœnarum, quâ peccator communiter excitari à somnolentia incipit, teneo, & semper tenui* (inquit Quesnellus) *doctrinam à Tridentino Concilio definitam sess.* 14. *cap.* 4., *& can.* 5. Excitationis illius initium communiter duci à formidine pœnarum, tenent omnes Catholici contra Lutherum. Sed an hic saltèm consentit Catholicis Quesnellus? Ita affirmat *Protestatio*, addens, *timorem ipsum, quando solus est, bonum in se esse, & utilem; attamen effectus sæpe illicitos parere propter corruptionem animi, & defectus, ac vitia metum illum comitantia.* Si formidinem pœnarum, etiam dum sola est, Quesnellus intelligit bonam esse bonitate physica, seu materiæ, qua ratione bonitas proprietas entis est, ab omni ente inseparabilis; de hac Theologo cura non est, neque, ubi de bonitate, aut malitia actuum humanorum loquimur, de alia intelligi volumus, quàm quæ ad mores pertinet, & honestos dividit ab inhonestis.

Si itaque bonitas moralis timori pœnarum asseritur, etiam *quando solus est*, Quesnello judice, quid igitur faciet is tot suis de fide, spe, & charitate, & pluribus aliis Propositionibus, quæ novæ *Ethica*, ut voeat, *Euangelicæ* pars sunt non minima? Protestationis inscriptio est *de timore peccatoris.*

2 Ut autem ordiar à Propositione 1. „ Quid aliud remanet animæ, quæ Deum, „ atque ipsius gratiam amisit, nisi pecca- „ tum, & peccati consecutiones, superba „ paupertas, & segnis indigentia; hoc est, „ generalis impotentia ad laborem, ad „ orationem, & ad omne opus bonum? „ Quomodo igitur peccator, qui noxâ lethiferâ Deum, atque ipsius gratiam amisit, eliciet actum *timoris bonum, & utilem*? Si dixeris, amissâ sanctificante, de qua illic agitur, gratiâ, non denegari semper actuale gratiæ auxilium, per quod operari bonum peccator valeat, & converti; licebit, & mihi instare: Si *timor* ille *bonus, & utilis*, sit ex gratiæ auxilio, non est timor propriè peccatoris, sed justi; quandoquidem per Propos. 28. *Prima gratia, quam Deus concedit peccatori, est peccatorum remissio.* Neque est tunc *solus timor*; cùm sinè charitatis actu nulli adulto, saltèm extra Sacramentum, obtingat reconciliatio. Præterea timor iste, qui est ex gratia, necessariò est ex fide, quia per Tridentinum sess. 6. cap. 8. *Fides est humanæ salutis initium, fundamentum, & radix omnis justificationis*; imò per Quesnellum Prop. 27. *Fides est prima gratia, & fons omnium aliarum.* Si itaque timor ille *bonus, & utilis*, sit ex fide, non est in Quesnelli sententia iterum *timor peccatoris*; sed justi; quia necessariò ex charitate nascitur, sive per illam ex fide: Prop. 51. *Fides justificat, quando operatur; sed ipsa non operatur, nisi per charitatem.* Proinde metus, qui innoxius, imò *bonus, & utilis* à protestante subdolo declaratur, peccatoris esse nequit; sed justificati. Quomodo igitur pœnarum formidine, quæ ex fide est, *communiter peccator excitari à somnolentia incipit*? Patet quoque, timorem *bonum, & utilem, quo peccator communiter excitari à somnolentia incipit*, non posse esse, Quesnelli suffragio, solum, neque peccatoris; sed reconciliati, & iusti.

Dicesne, timorem *bonum, & utilem*, quo communiter peccator incipit à somnolentia excitari, esse ordinis solummodo naturalis? Sed quid tum faciet Quesnellus articulo suo 38. *Peccator non est liber, nisi ad malum, sinè gratia Liberatoris.* Art. 39. *Voluntas, quam gratia non prævenit, nihil habet luminis, nisi ad aberrandum: ardoris, nisi ad se præcipitandum; virium, nisi ad se vulnerandum: est capax omnis mali, & incapax ad omne bonum.* Art. 40. *Sinè gratia nihil amare possumus, nisi ad nostram condemnationem*? Ubi nihil potest diligi, nisi ad sui condemnationem, nihil pariter poterit bene, atque utiliter formidari. Art. 66. *Qui vult Deo appropinquare, nec debet ad ipsum venire cum brutalibus passionibus; neque induci per instinctum naturalem, aut per timorem, sicuti bestia; sed per fidem, & per amorem, sicuti filii.* Art. 67. *Timor servilis non sibi repræsentat Deum, nisi ut Dominum durum, imperiosum, injustum, intractabilem.* Timor pœnarum, dum solus est, non imbutus amore justitiæ, servilis dicitur: De hoc, nisi turpiter fallat, declarat Protestatio, *bonum in se esse, atque utilem, dum solus est*; ut scilicet peccatorem excitare à somnolentia incipiat. Componat hæc, qui potest, cum utroque posteriore articulo, quo timor ille ad bestias rejicitur, &, quod deterius est, infamibus declaratur refertus blasphemiis.

3 Protestatio declarat *bonum, & utilem, dum solus est.* Diceres, etiam Protestantis memoriâ excidisse tot traditos de chari-

charitate articulos: inter quos est 45. *Amore Dei in corde peccatoris non ampliùs regnante, necesse est, ut in eo carnalis regnet cupiditas, omnesque actiones ejus corrumpat*. In nullo peccatore regnat charitas; si autem necesse est, regnare hoc ipso cupiditatem, atque actiones omnes corrumpere, fieri numquam poterit, ut timor pœnæ solus in peccatoribus *bonus sit, & utilis*. Et quomodo somnolentiam pravam dispellere timor maculatus cupiditatis vitio incipiat, qui eam novorum excessibus delictorum augere necessariò pergit? Propos. 46. *Cupiditas, aut charitas usum sensuum bonum, aut malum faciunt*. Quæ sensuum, eadem cæterarum animæ facultatum ratio est, ut actionibus earum singulis, quas bonas non fecerit charitas, malitiam necessariò cupiditas aspergat. Quandonam igitur pœnarum timor ita solus esse poterit, ut bonus, & utilis sit, & non cupiditate corruptus? Sed & per Prop. 44. „ Non sunt nisi duo amores, unde volitio-„ nes, & actiones omnes nostræ nascuntur; „ amor Dei, qui omnia agit propter Deum, „ quemque Deus remuneratur, & amor, „ quo nos ipsos, ac mundum diligimus, qui „ quod ad Deum referendum est, non re-„ fert, & propter hoc ipsum fit malus. „ Si omnis actio nostra nascatur necessariò ex alterutro fonte, cùm supponatur, timorem pœnæ in casu non procedere ab amore Dei omnia agente propter Deum, quemque Deus remuneratur, necesse fuerit, eum profluere ab amore sui ipsius peccatoris, ac mundi perverso; proinde originis nequitiam, in ipsam derivante formidinem. Si verò ea supponitur profluere ab amore Dei, non est *timor pœnarum solus, & qui somnolentiam incipiat excutere peccatoris*; utpote quam sanctior, fortiorque charitatis flamma depulerit, ac servum peccati in sortem transtulerit filiorum; Dei enim amor, ex quo actio omnis innocua, ac proinde timor bonus, & utilis proficiscitur, juxta Quesnellum, ex gratiæ auxilio est, & vel ipse amor gratia, quia per Propos. 38. *Peccator non est liber, nisi ad malum, sinè gratia Liberatoris*. In idem conspirant plures articuli sequentes: *Prima* autem *gratia, quam Deus concedit peccatori, est peccatorum remissio*. Prop. 28. Si ex Sancto Dei amore timor nascitur, tam ipse, quàm amor necessariò ex fide est; & quidem fides timorem illum operatur per amorem, subjectumque sanctificat. Propos. 51. *Fides justificat, quando operatur; sed ipsa non operatur, nisi per charitatem*.

4 Perspicuum igitur est, scatere fraudibus, quidquid de timoris bonitate, & utilitate à se semper agnita persuadere Quesnellus nititur. Convenit illi, & sociis ejusdem novitatis, ac perfidiæ Sectatoribus, quod in sui temporis hæreticis deprehenderat Basilius Epist. 78. *Habent illi astutum quoddam dogma, ad ejusmodi mutationes paratum; nam verbis fidei, more medicorum, utuntur pro commoditate, aliter, atque aliter sese ad affectionum rationem, ac varietatem attemperantes*. Nemo in hac parte præcelluit Pelagio, qui, teste Augustino libro de Peccato orig. cap. 14. *Absolutionem suam falleudo furatus est* à Synodo Diospolitana. Fallaciam illam Quesnellianæ persimilem aperuit Innocentius Primus apud August. lib. citato cap. 9. *Objecta*, inquit, *partim ille vitando suppressit; partim multa in se verba retorquendo, totâ obscuritate confudit; aliqua magìs falsâ, quam verâ ratione, ut ad tempus poterat videri, purgavit, negando alia, alia falsâ interpretatione vertendo*: & quidem adeò subdolè, ut ipsius Augustini penè eluserit perspicaciam. Ita Doctor Sanctissimus de Pelagii literis loquens testatur. Eodem lib. cap. 19. *Videte latebras ambiguitatis falsitati præparare refugia, offundendo caliginem veritati: ita ut etiam nos, cùm primùm ea legimus, recta, vel correcta propemodum gauderemus*. Verùm, ut fraus ea Pelagio non profuit, nisi ad fallendos incautos, atque ad accersendam sibi majorem ab Ecclesia detestationem; non est, cur Quesnellus quasi de feliciori causæ suæ, & omnis fallaciæ exitu blandiatur. De Pelagio ait Augustinus libro cit. de peccato Orig. cap. 8. *Fefellit judicium Palæstinum .... Romanam verò Ecclesiam fallere usquequaque non potuit; quamvis & hoc fuerit utcumque conatus*. Sic & Quesnellus Gallicum alicubi deceperit judicium; Romanam tamen Ecclesiam, & cæteras totius orbis, cum ipsius Regni Christianissimi ferè omnibus, fallere non potuit hactenus, & confidere licet, ut protrahendis quotidie ampliùs Quesnellianis in lucem fraudibus, minùs valeat imposterum circumvenire.

5 Cùm autem astuti magìs inter hæreticos, & propterea ad fallendum magìs idonei, non ita sibi contradicere soleant, quin aliquo pacto, licèt minimè candido, conciliare posteriora prioribus possint; disquiramus diligentiùs, quomodo Quesnellus *Protestationis* suæ effata cum damnatis componere valuerit articulis: si à mente sua me alicubi viderit aberrare, ipsius erit reducere in viam. Fieri nequit, ut timor gehennæ in Quesnelli sententia liberè elicitus, sit so-

lus; sed vel ex amore profluit Numinis Sancto, vel rei creatæ illicito juxta prop.44. 45. & 46. superiùs relatas. Dum prior dilectio timori originem præstat, communicat & bonitatem; posterior malitiam.

Unde, dum Protestatio ait: *ipse timor, quando solus est, bonus, & utilis est in se*, illudit turpiter, vel loquitur de timore non libero, & qui propriè actus humanus non est; qua ratione neque bonus moraliter appellatur, neque malus; & tamen bonitas, & malitia moralis ferè sola à Scholasticis, & Mysticis Scriptoribus consideratur: Nisi quòd in concupiscentiæ actibus indeliberatis etiam quædã sua inhonestas sit, ut sua specialis perfectio, & bonitas motibus gratiæ, quos Spiritus Sanctus in nobis non liberè cooperantibus efficit. Sed ea bonitas in timoris motibus apud Jansenium, & ejus asseclas locum non obtinet, apud quos *gratia medicinalis*, sive infirmis post Adæ lapsum hominibus concessa, *non aliud est, quàm cœlestis quædam, atque ineffabilis suavitas, seu spiritalis delectatio, qua voluntas prævenitur, & flectitur, ad volendum, faciendumque, quidquid eam Deus velle, & facere constituerit*. Ita Jansenius tomo 3. editionis Rothomagensis anni 1643. pag.167., & sequentibus: præterea pag.184. 185. 202. 203. 204. 205. 206. 207. 336. Sic autem exprimitur in indice studiosè composito: *Gratia medicinalis consistit essentialiter in cœlesti suavitate, ac spiritali delectatione, qua voluntas flectitur ad agendum, quod Deus præstituerit*: Qua ratione è gratiarum numero timor excluditur. Eadem pag.167. col.1. rejicitur à Jansenio sententia eorum, qui dicunt, *gratiam Dei medicinalem esse quosdam indeliberatos motus amoris, timoris, spei, vel similis cujuspiam affectionis, qua voluntas ad amandum, timendum, sperandum, excitatur*. *Alii* (statuunt) *esse prædeterminationem physicam*, quam Jansenius gravibus affectam contumeliis jubet à scholis, & Ecclesia exulare. Patet itaque, timorem inter medicinales gratias, sive supernaturales Christi meritis impetratas, & infirmis post Adæ lapsum hominibus præstitas, minimè numerari à Jansenio; cum in *suavitate, & delectatione* adeò non consistat, ut ei potiùs opponatur. Jansenius autem est, quem veluti eximium, ac penè necessarium nobis à Deo datum suæ gratiæ interpretem Arnaldus, Quesnelli postea Doctor domesticus, prædicat in Apologia pro Jansenio edita an. 1644., post solemnem Janseniani Voluminis condemnationem tertio.

Illic ita Arnaldus pag.92. „ Quemadmodum Deus Salomoni reservavit ædificandum templum, ita jure dixerimus, materiam de gratia, per quam Jesus Christus in animis fidelium tamquam in suo templo regnat, à Deo Iprensium Antistiti Jansenio reservatam fuisse clariùs diluceidandam, & tam longi operis executionem diuturnis ipsius laboribus fuisse destinatam „. Consonat alius Quesnelli patronus, & inter Constitutionis UNIGENITUS hostes audaciâ, & temeritate nulli secundus, qui panegyrim suam Jansenianam, etiam post condemnationem hac sustinet *Apologiâ* pag.22. „ Demonstrandum (suscipiens) perspicuis rationibus, Doctrinam Ecclesiæ magìs jam esse illigatam Jansenio, seu personæ, & scriptis ejus, quàm umquam personæ Athanasii innexa fuit.... Conveniet etiam declarare, Scriptoris gloriosi volumen, tum dignitate materiæ, tum excellentiâ Sapientiæ, tum pietatis afflatu libris omnibus, quos Ecclesia Dei post canonicas Scripturas protulit, aut non cedere, aut palmam etiam cum laude auferre „. Vidimus quoque aliàs à Quesnello in *Notis ad Epistolam Steyaertii* jactatum paginâ 17. & 18. „ Adeò non persuadetur, sensum ab Authore (Jansenio) intentum, hæreticum esse, ut jam demum credere cœperit orbis catholicus, nihil in ipso non esse catholicum „.

Adhuc igitur divinandum nobis relinquitur, quæ sit in peccatoribus admissa à Quesnello, *timoris, quando solus est, bonitas in se, & utilitas*. Non est supernaturalis, quia timor pœnæ neque gratia est penès novam Ecclesiam, ut jam vidimus, neque est ex gratia, quia metus ortus ex gratia, non est peccatoris, & servi, sed justi, & filii: Prop. 28. *Prima gratia, quam Deus concedit peccatori, est peccatorum remissio*. Deinde si timor sit ex gratia, necessariò est ex fide, cùm juxta Trident. sess.6. cap.8. *Fides sit humanæ salutis initium, fundamentum, & radix omnis justificationis*, maximè apud Quesnellum, apud quem Prop.27. *Fides est prima gratia, & fons omnium aliarum*. Rursus, si timor ex fide est, necessariò est justificati, neque ex fide profluit, nisi mediâ charitate. Prop.51. *Fides justificat, quando operatur; sed ipsa non operatur, nisi per charitatem*. Non igitur timor ille bonus in se, & utilis, est solus, neque peccatoris, & servi; sed justificati, & filii: neque de timore hoc supernaturali hominis per fidem, & charitatem sanctificati Quesnellus diceret; „ Attamen producit sæpe effectus malos, propter corruptionem animi, propter defectus, & vitia metum illum comitantia;

„ sed

„ sed quamdiu solus est, non excludit actualem peccandi voluntatem, etiam quando actum impedit exteriorem: & procul abest à sufficiente dispositione ad justitiam „. Quæ omnia, ut patet, formidini, quæ ex fide per charitatem operante, & justificante procederet, minimè conveniunt.

6 Superest de timore elicito naturæ viribus interpretatio. Convenire huic formidini potest, quòd bona, & utilis sit, quando sola est; quòd tamen fructus sæpe proferat malos per accidens propter corruptionem animi libero abutentis arbitrio, pœnamque tamquam malum præcipuum fugientis, cujus evitationem præferat declinationi culpæ, cui velleitati consentiat, sicubi licuerit impunè. Unde, quantumlibet manum à facinore cohibeat metus supplicii ab hominibus inferendi, non tamen excludit interiorem in crimina consensum, ideoque procul abest indubiè à sufficiente ad justitiam dispositione; cùm nè minima quidem ejus pars esse, nisi forsitan apud Pelagianos, valeat. Sed neque hæc explicatio Quesnellum purgat à fallacia. Si enim de timore agitur naturali, cur asserit, eum, *quamdiu solus est, non excludere voluntatem peccandi*? Num excluderet, accedente postmodum charitate? Nobis, & cæteris catholicis firma stat sententia, effectum adeò salutiferum tunc charitati imperanti unicè adscribendum, nulla ratione actui solis naturæ viribus oriundo. Num & de tali pœnarum formidine satis tutò afferitur, *illâ peccatorem communiter excitari à somnolentia*, ut de laudato à se timore, etiam solo, asserit Quesnellus?

Prop. 57. *Totum deest peccatori, quando ei deest spes; & non est spes in Deo, ubi non est amor Dei*. Cui totum deest, quid bonitatis, & utilitatis ex sola superest formidine? Prop. 41. *Omnis cognitio Dei, etiam naturalis, etiam in Philosophis ethnicis, non potest venire, nisi à Deo; & sinè gratia non producit nisi præsumptionem, vanitatem, & oppositionem ad ipsum Deum, loco affectuum adorationis, gratitudinis, & amoris*. Si omnis Dei cognitio sinè gratiâ non producit, nisi oppositionem ad ipsum Deum, quid melius expectes à timore, qui ex tali profluit Dei cognitione? Propos. 38. *Peccator non est liber, nisi ad malum, sinè gratia liberatoris*. 39. *Voluntas, quam gratia non prævenit, nihil habet luminis, nisi ad aberrandum: ardoris, nisi ad se præcipitandum: virium, nisi ad se vulnerandum: est capax omnis mali, & incapax ad omne bonum*. Naturalis itaque timor, quando solus est, quid bonitatis in se continêre, quid præstare valeat utilitatis, non percipio. Istud hic mitiùs dictum intellige de formidine indeliberata; nam actus quilibet humanus, seu liber, exercitus sinè præsidio gratiæ, juxta Quesnellum, imò *sinè amore Dei omnia agente propter Deum*, certissimè peccatum esse, ex pluribus ejus propositionibus superiùs ostensum est; neque ipse, vel ullus ejus assecla inficiabitur.

7 Fortè & aliud tentabitur effugium, dicendo timorem pœnæ secundùm se solummodo accipi præcisum ab omni pravitatis, vel etiam ab omni honestatis principio; sive considerari à Quesnello timoris officium solummodo, non finem: secundùm officium scilicet timor supplicii à Deo inferendi *bonus in se est, & utilis*; sed adversarios interrogo, umquamnè accidit ita præcisum existere timoris officium? Nonne quilibet homo gehennam metuit, vel ut sibi incommodam, vel ratione proprer Deum honestiore? Porrò omnis ratio movens non propter Deum, juxta adversarios, cupiditatis vitio maculatur: Prop. 46. *Cupiditas, aut charitas usum sensuum bonum, vel malum faciunt*. Quod de sensibus dicitur pro reliquis valet animæ facultatibus. Clarissima est Prop. 44. juxta quam *omnis nostra actio nascitur ex amore Dei omnia agente propter Deum, quemque Deus remuneratur; vel ex amore, quo nos ipsos, ac mundum diligimus; qui quod ad Deum referendum est, non refert, & propter hoc ipsum fit malus*. Cùmque hic potissimùm sermo fit de timore pœnæ, qui in peccatoribus est, eorumque communiter *excitare somnolentiam incipit*, supposita ejus à protestante solitudo evertitur Prop. 45. *Amore Dei in corde peccatoris non ampliùs regnante, necesse est, ut in eo carnalis regnet cupiditas, omnesque actiones ejus corrumpat*. In justificatis quoque timorem pœnæ aut non esse penitùs juxta Quesnellum, aut non esse solum; sed eum amore Dei, liquet ex Propos. 58. *Nec Deus est, nec religio, ubi non est charitas:* quo nomine ab erroris, etiam post damnationem, defensoribus intelligitur amoris actus ex illo August. lib. 12. de Trinitate cap. 14. *Quis cultus ejus* (Dei) *nisi amor ejus*? Epist. 140. *Pietas cultus Dei est; nec colitur ille, nisi amando*. Plura istiusmodi à Quesnelli defensoribus allata, à nobis cum doctrina catholica, & Constitutione loco proprio facilè conciliantur. Quapropter, ubi timor dicitur à Quesnello *bonus in se, & utilis, quando solus est*, quem constat in ejus systemate solum esse non posse, cavillatio similis est illi, qua Tridentino illudens Concilio, Protestationem superiùs frau-

fraude turpissimâ, & multiplici exorsus est: „ Circa formidinem (inquit) pœnarum, „ qua peccator communiter excitari à somnolentia incipit, teneo, & semper tenui „ Doctrinam à Tridentino Concilio definitam sess. 14. cap.4. & Canone 5. atque „ cum eo dico anathema omni asserenti, timorem damnationis æternæ contentum „ contritione imperfecta cum proposito „ non peccandi de cætero, facere hominem hypocritam, & magis peccatorem: „ imò credo, esse dolorem verùm, & utilem ad conversionem, ac salutem: eamque contritionem imperfectam, quæ ex „ gehennæ, & pœnarum metu concipitur, „ esse donum Dei, & impulsum Spiritûs „ Sancti, cujus auxilio pœnitens viam sibi „ ad justitiam parat, seque ad Dei gratiam „ Sacramento pœnitentiæ impetrandum „ disponit; si voluntatem peccandi excludat, & spes veniæ comiterur „. Hactenus Protestatio, cujus quot verba, tot, ut ante monui, fallaciæ sunt. Quòd enim pœnarum formidine juxta Quesnellum nunquam à somnolentiâ excitari peccator incipiat; sed peccatis ampliùs immergatur, nisi amor Dei benevolus, omnia agens propter Deum, quemque Deus remuneratur, ipsi ortum, motum, vires formidini præstiterit, ex relatis Quesnelli Propositionibus exploratum est. Et sanè quid certiùs penès catholicos, quàm timorem bonum, & utilem, ut Peccatoris somnolentia excitari incipiat, atque is saltèm eminùs disponi ad conversionem, & justitiam, non esse ex solis naturæ viribus; sed ex gratiâ, & fide? *Prima* autem *gratia, quam Deus Peccatori concedit, est peccatorum remissio* per Prop.28. Neque peccatorum remissio absque spe, & dilectionis actu adultis tribuitur. Quandonam itaque timor pœnarum poterit *solus* esse, & tamen *utilis* adeò, ut *somnolentiam excitare incipiat Peccatoris*; quandoquidem primâ gratiâ, sinè quâ timor ille nequit existere, Peccator esse desinat, remissione criminum translatus in numerum Filiorum? Sed & *Fides*, quæ per Prop. 27. *est prima gratia, & fons omnium aliarum*, atque ipsum operatur utilem timorem, *justificat, quando operatur; sed ipsa non operatur, nisi per charitatem* Prop.51. Timor itaque bonus in se, & utilis, qui somnolentiam excitare incipiat Peccatoris, nunquàm solus est, nunquam Peccatoris; ac proinde fieri nequit, ut ejus excitare incipiat somnolentiam.

8 Doctrinam à Tridentinis Patribus definitam sess. 14. cap. 4. ait *se tenere, & tenuisse semper*: quàm sincerè, mox videbimus. Priùs moneo, solùm caput 6. sessionis 6. convincendis Propositionibus de timore abundè sufficere: illic enim dicitur *disponi* (Peccatores) *ad ipsam justitiam, dum excitati divinâ gratiâ, & adjuti, fidem ex auditu concipientes, liberè moventur in Deum, credentes, vera esse, quæ divinitùs revelata, & promissa sunt .... & dum Peccatores se esse intelligentes, à Divinæ justitiæ timore, quo utiliter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se convertendo, in spem eriguntur, fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore, illumque tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt, ac propterea moventur adversùs peccata per odium aliquod, & detestationem &c.* Ubi tot actuum series ante dilectionis initium describitur, & quidem timor ante spem, ante initium amoris, ante peccatorum odium, ac detestationem; atque adeò timor solus cum ea, à qua progenitus est, fide, ad actus cæteros, quos subsequentes retuli, disponit animum. Ita corruit Propositionum omnium contra timorem, actibus spei, & amoris prævium, damnata multiplex calumnia. Qui enim initio solus supplicii timor divinarum, ut vidimus, promissionum fide nixus, & suppliciorum pariter Peccatoribus imminentium minis excitus animat pœnitentiam, idem & ad spem mentem erigit, accendit ad dilectionis initium, inde ad odium, detestationemque peccatorum. Utilis proinde timor est, etiam dum solus ad tot actus saluberrimos disponit animum Peccatoris. Non igitur supplicii metus, quoties adhuc solus animat pœnitentiam, semper ad desperationem ducit; non semper solam cohibet manum: non semper relinquit animum cupiditatibus affixum, ut cuicumque se addicat interiùs crimini; minimè etiam toleranda est Quesnelli illimitata regula, quòd interea, dum solo timore pœnæ abstinetur à scelere, illud ipsum committatur in mente. Tria illa Quesnelli axiomata 60. 61. 62. uno Tridentini capite subvertuntur.

Sed quia ad sessionis 14. caput 4. unicè provocamur, expendenda illa nobis præcipuè est Novatoris Professio, quâ se contra anathemata CLEMENTIS XI. satis tutum existimat; nos verò ut nihil esse eâ fraudulentius, monere supra cœpimus, argumentis hic perspicuis, facilè demonstrabimus. Nè quid de pristinis suis opinionibus retractare videatur, quòd non solùm est à novæ sectæ consuetudine, & moribus alienum; sed totam novæ simul Ecclesiæ istius fabricam labefactaret, non sinè ruinæ periculo; ideò Professionis suæ conditionem studiosiùs obser-

servandam monuit, singularibus expressam characteribus, ut sui Socii, & discipuli intelligant, priora omnia hac conditione limitari; si nempe timor supplicii, & imperfecta illa contritio *voluntatem peccandi excludat, & spes veniæ comitetur*. Quæ quidem conditio Tridentini est; sed non nisi verbo tenus cum Quesnelli, ut mox videbimus, Professione conveniens, à sensu autem ejus remotissima.

Tridentinum scilicet non tantùm sess. 6. capite 6., ut ostendi sæpius, damnatis Quesnelli erroribus adversatur; sed ipso quoque, ad quod nos audacissimè Novator provocat, sessionis 14. capite 4. De illa enim *contritione imperfecta, quæ attritio dicitur, quoniam, vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ, & pœnarum metu communiter concipitur, si peccandi voluntatem excludat cum spe veniæ*, declarat S. Synodus (quod Quesnellus solitâ fallendi arte mutilatum refert) *illam non solùm non facere hominem hypocritam, & magìs peccatorem; verùm etiam donum Dei esse, & Spiritûs Sancti impulsum, non adhuc quidem inhabitantis; sed tantùm moventis; quo pœnitens adjutus viam sibi ad justitiam parat: & quamvis sinè Sacramento pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat; tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandum disponit*. Ita Concilium, in cujus relatione Quesnellus de *Contritione imperfectâ* omittit istud *quæ attritio dicitur*; quia vox ista nimiùm exprimit pœnitentiam adeò imperfectam, ut à justificante discernatur, juxta Scholasticorum omnium sententiam, ipsis quoque pueris doctrinæ Christianæ rudimenta callentibus notam. Ita quidem *imperfecta contritio* in Ecclesiâ catholicâ accipitur; Sed eâ voce turba Novaturiens perversè abutitur ad fallendum, intelligens contritionem etiam justificantem; quæ nempe ad perfectionem maximam doloris intentissimi, & ardentissimæ charitatis, qualis in Davide, Petro, Magdalenâ fuerat, non pertingit. Contritionem autem omnem, etiam quam Quesnello vocare placuit *imperfectam*, si & spes veniæ adsit, & excludatur voluntas peccandi, conferre justitiam in novâ Ecclesiâ, notissimum est ex Propositionibus compluribus in Quesnello damnatis. Est enim *Spiritûs Sancti impulsus*, ut rectè fatetur cum Concilio; sed perperam contra Concilium enunciat primum Spiritûs Sancti impulsum esse abolitionem criminum, & reconciliationem cum Deo Prop. 28. *Prima gratia, quam Deus concedit Peccatori, est peccatorum remissio*.

Præterea contritio illa necessariò est ex fide, quia per Prop. 27. *Fides est prima gratia, & fons omnium aliarum*. Si autem ex fide est, justificat, & dilectionis super omnia benevolæ præsentiam, influxumque necessariò supponit; nam per Prop. 57. *Fides justificat, quando operatur; sed non operatur, nisi per charitatem*: Extra quoque damnatos Articulos Quesnellus in 1. Epist. Joannis cap. 3. v. 9. ait: *Charitas nullum potest secum pati peccatum mortiferum*. Posteriori dogmati consentimus omnes cum Angelico; verùm ex toto hic brevissimè deducto systemate perspicua fit fraus Quesnelli, *contritionem* vocantis *imperfectam*, nec inferiorem aliam agnoscentis, quæ sit Spiritûs Sancti impulsus, quam quæ ex fide per charitatem operante, & justificante proveniat, vel in eumdem cum ea coalescat Charitatis actum: & tamen Tridentinum eodem capite, eodem tractu de contritione eâdem imperfectâ sic declarat; *Et, quamvis sinè Sacramento Pœnitentiæ ad justificationem perducere peccatorem nequeat; tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandum disponit*: vidit hic scilicet Quesnellus de splendidissimo se convinci mendacio, cùm in facie Ecclesiæ protestatur, *se tenere, & tenuisse semper doctrinam à Tridentinâ Synodo definitam sess. 14. cap. 4.* Ideo dignâ novatorum Principe versutiâ subticuit illud *Et quamvis sinè Sacramento Pœnitentiæ ad justificationem perducere peccatorem nequeat*. Quomodo enim contritio istiusmodi, quæ est ex gratia, & fide per charitatem operante, peccatorem Deo non reconciliet juxta Quesnellum, si fides juxta ipsum *justificat, quando*, seu quandocumque *operatur*? *Si prima gratia, quam Deus concedit peccatori, est peccatorum remissio*?

9 At inquies, quidquid antea Quesnellus docuerit communi sententiæ minus consonum, videri poterit in Protestatione retractasse, vel explicuisse ita, ut à receptis in Ecclesiâ dogmatibus non dissentiat, cùm ait, se tenere doctrinam isto Concilii Capite definitam. Acquiescere non possum. Si enim retractare voluerit, & contra expressiones priores maximè dilucidas, sua intrepretari placita, non debuit in ipsius professione definitionis Tridentinæ rescindere, quæ doctrinam catholicam à novitate discernunt; nec absque mendacissimâ impudentiâ potuit quasi de perpetuo cum Tridentinis illic Patribus consensu gloriari; Minus etiam sanctissimam CLEMENTIS XI. Constitutionem de errore, atque injustitia accusare. Quapropter ex tot ejus allegatis Pro-

propositionibus, obfirmatâque in iis contra censuram Ecclesiæ defendendis pertinaciâ manifestè conficio, ea, quæ ex definitione Concilii à se truncati refert, veluti suæ, & communi doctrinæ consentanea, dolosis ab eo perverti interpretationibus, adeò ut apparens excusatio sit potius novum contra ipsum perfidiæ argumentum. Protestatur scilicet, *se tenere, & tenuisse semper, quòd ea contritio imperfecta sit impulsus Spiritûs Sancti, cujus auxilio pœnitens viam sibi ad justitiam parat, seque ad Dei gratiam Sacramento Pœnitentiæ impetrandum disponit, si voluntatem peccandi excludat, & spes veniæ comitetur*. Quorum sensus, ut cum deducto ex Quesnelli propositionibus systemate connectatur, alius esse non potest, quàm quòd pœnitens tali instructus contritione imperfectâ, & Spiritûs Sancti auxilio, viam sibi ad justitiam paret habitualem, quæ ab ipsa contritione, & spe comite inducatur, ut solet, actu dilectionis super omnia benevolæ.

Neque, si propriè Quesnellus loquitur, sermo est de prima justitia, utporè quam *prima gratia* contritionis parens juxta Prop. 28. peccatori præstiterit. Quod in Protestatione sequitur, quasi *pœnitens se contritione illâ, & Spiritûs Sancti auxilio ad gratiam Sacramento Pœnitentiæ impetrandum disponat*, intellige, ut dixi, non de prima gratia sanctificante; sed de secunda; sive de acquisitæ antea justitiæ incremento. Ideo enim Protestans callidè prætermittit, quod ibi Concilium ad occludendum cavillationibus aditum, sapientissimè interserit, *quamvis sinè Sacramento Pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat*, quæ imperfectio minimè incidit in Contritionem, quæ à Protestante *imperfecta* fallacissimè appellatur: quo nomine, ut vidimus, à Tridentino non nisi ea intelligitur, quæ *sinè Sacramento Pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequit*; Quesnelliana autem perducit semper, & necessariò, cùm sit ex gratia, & *prima gratia, quam Deus concedit peccatori, sit peccatorum remissio* per Art. 28. cùmque Contritio quælibet utcumque ad justitiam disponens juxta omnes Catholicos, necessariò sit ex fide; imò juxta Art. 27. *prima gratia sit fides*, atque hæc Art. 51. *justificet, quando operatur*, ut operatur certissimè, ad contritionem excitans; geminos conspicimus titulos, quorum singuli Quesnello manifestè sufficiunt ad vindicandam justificationis gratiam *contritioni*, quam ipsi, & cæteris novi Evangelii præconibus ad fallendum vocare placuit *imperfectam*.

Neque geminis hisce nequitiæ convictionibus locum istum Protestationis dimittimus: novum irrefragabile, & multiplex contra illam testimonium propositiones offerunt sequentes: 44. *Non sunt nisi duo amores, unde volitiones, & actiones omnes nostræ nascuntur; Amor Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur; & amor, quo nos ipsos, ac mundum diligimus, qui quod ad Deum referendum est, non refert, & propter hoc ipsum fit malus*. Imperfecta Protestantis contritio, ut ipse fatetur, *est donum Dei, & Spiritûs Sancti impulsus, auxilio gratiæ, & spe veniæ excludens voluntatem peccandi*: proinde non oritur ex posteriore illo corruptissimo fonte amoris, quo nos ipsos perversè, ac mundum diligimus: Nascitur itaque ex amore Dei omnia agente propter Deum, quemque Deus remuneratur; quandoquidem ex alterutro latice *actiones omnes nostras* profluere necesse est.

Consideret igitur, Lector, an talis *contritio* non dicatur fraudulento nomine *imperfecta, & ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandum disponere*? Istud enim quisquis in Protestatione legerit, Novaturientis versutiæ non satis conscius, facilè inducetur, ut credat, verba Tridentini à Protestante adhibita, ejusdem Concilii sensu ab illo intelligi, ut *contritionis imperfectæ* vocabulo significetur attritio, quæ *sinè Sacramento Pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat, sed eum ad gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandum* tantummodo disponat. Hic sensus evidens Tridentini est: Hæc doctrina Ecclesiæ catholicæ, plana, & simplex Concilii interpretatio, nullis Novatorum fraudibus, aut machinis convellenda. Quapropter verba Concilii à Quesnello mutilè excerpta, & in oppositam detorta significationem adeò ipsum ab eo anathemate non liberant, ut novum perfidiæ ejus, & contumaciæ specimen demonstrent, bonis omnibus execrandum. Quis enim Catholicus dubitet, quin contritio *nata ex amore Dei omnia agente propter Deum, quemque Deus remuneratur*, sit sufficiens etiam sinè Pœnitentiæ Sacramento? Minùs etiam dubitat Quesnellus, penès quem prima gratia, quæ peccatori à Deo conceditur, remissio peccatorum est: & omnis operatio fidei, hominis justificatio; Patet itaque omnium oculis expositus propositionis ludus detestabilis, & abusus definitionis Oecumenicæ contra ipsam definientis Synodi Sententiam. Si argumenta cætera cumulem, quæ propositiones ipsæ damnatæ contra Protestationem

sup-

suppeditant, nimiùm excrescet præsentis capitis moles; sed & scandalosa adeò contra Christi Ecclesiam obstinatio vix poterit infringi nimiùm: quare impugnationem aliquantum prosequar; sed argumenta stringens, quàm potero compendiosissimè.

10 Prop.45. *Amore Dei in corde peccatoris non ampliùs regnante, necesse est, ut in eo regnet carnalis cupiditas, omnesque actiones ejus corrumpat*. Contritio Quesnelli imperfecta, nè carnalis eam corrumpat cupiditas, & corruptione pessumdet, debet esse ex amore Dei interiùs regnante; in quonam autem corde regnare Dei amor, locutione tolerabili dicitur, nisi hominis justi? Illa igitur imperfecta contritio est necessariò justificati: ac proinde Protestatio turpiter decipit, vocans *contritionem imperfectam, & disponentem ad justitiam Sacramento Pœnitentiæ impetrandum*.

Prop. 46. *Cupiditas, aut charitas usum sensuum bonum, vel malum faciunt*. Cujus asserti quæcumque ratio est, militat pro usu alterius etiam cujuslibet facultatis; atque ita, nè intellectûs, & voluntatis ad contritionem eamdem concurrentium, usum *cupiditas malum faciat*, necesse est, usum bonum, quoniam non potest virtus alia, præstet charitas; formata autem charitate contritio, si propriè loquamur, non imperfecta est, neque ad *justitiam impetrandam* expectat Pœnitentiæ Sacramentum.

Prop. 47. *Obedientia legis profluere debet ex fonte, & hic fons est charitas. Quando Dei amor est ejus principium interius, & Dei gloria ejus finis, tunc purum est, quod apparet exteriùs; alioqnin non est, nisi hypocrisis, aut falsa justitia*. Contritio peccatoris procul dubio est quædam legis, & quidem Divinæ obedientia, quæ nè, Quesnello judice, sit hypocrisis, seu falsum obedientiæ simulacrum, profluit ex fonte, qui est charitas, atque adeò non peccatoris contritio est; sed justi; neque *imperfecta* ex sola turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ, & pœnarum metu; sed à nobilissima virtutum principe proficiscitur; proinde ad primam justitiam in Sacramento Pœnitentiæ obtinendam non præparans; sed eam per se conferens, imò supponens præstitam ipsâ, ex quâ oritur charitate. Prop. 49. *Ut nullum peccatum est sinè amore nostri, ita nullum est opus bonum sinè amore Dei*. Nulla itaque *contritio imperfecta* est bona sinè Dei amore, qui Quesnello charitatis actus est, justificationem à Deo per se obtinens.

Propositionem 51. Protestanti opposui non semel hoc ipso cap. *Prop.53. sola charitas christiano modo facit (actiones christianas) per relationem ad Deum, & Jesum Christum*. Imperfecta itaque Quesnelli contritio ad justitiam præparans in Sacramento impertiendam, vel non est christiana actio christiano modo facta, quod apparet impium; vel ex *charitate est, quæ nullum pati secum potest peccatum lethiferum*, ut Quesnellus asserit in 1. Joannis cap.3. v.9. quam contritionem fingere imperfectam, est, ni fallor, Ecclesiam, & præcipuè Tridentinum Concilium improbè ludificari.

Prop.50. *Frustrà clamamus ad Deum, Pater mi, si Spiritus charitatis non est ille, qui clamat*. 54. *Sola charitas Deo loquitur; eam solam Deus audit*. Tridentinum autem laudans attritionem ex metu gehennæ, postquam dixerat, eam non quidem posse per se, *& sinè Pœnitentiæ Sacramento ad justificationem perducere peccatorem; tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandum disponere*, statim subjungit: *Hoc enim timore utiliter concussi Ninivitæ, ad Jonæ prædicationem plenam terroribus, pœnitentiam egerunt, & misericordiam à Domino impetrarunt*. Autumatne Quesnellus, Ninivitarum omnium, qui sacco, & cinere, jejunio, lacrymis, & planctibus ad Deum clamantes, misericordiam adepti sunt, à charitate cœpisse pœnitentiam, & non à timore subvertendæ Ninives, ac secuturi postea gravioris animos, & corpora interitûs? Nata ex hac formidine primùm attritio audita à Deo, & eatenùs exaudita fuit, quòd ingentes miseros complures ad amorem Dei provexerit, & salubriorem pœnitentiam. Reliqua ad Protestationem pertinentia expedientur cap. sequenti.

CAPUT IV.

Protestationis fraudes, præsertim circa Tridentinum, ampliùs deteguntur.

1 PLacet Protestanti tanquam fraudibus suis peridoneum istud Tridentinæ synodi Sess.14. cap.4. *si voluntatem peccandi excludat cum spe veniæ*: ut enim Ecclesia nova nullum agnoscit actum simpliciter bonum, & nullo inquinatum vitio præter amorem Dei obtinendæ à Deo justificationi sufficientem, vel qui ab eo dimanaverit, evidens est, quòd nulla dari posset contritio disponens ad justitiam sive in Sacramento Pœnitentiæ, sive extra illud impetrandam, nisi tali imbuta fuerit dilectione, vel ab ea duxerit originem. Qua-

Quapropter, dum à Quesnello in Protestatione dicitur, admittere se *contritionem imperfectam*, tanquam præparationem utilem justitiæ in Pœnitentiæ Sacramento acquirendæ, *quando excludit voluntatem peccandi, junctamque sibi comitem habet Spem veniæ*, subdolè luditur, & Ecclesiæ Christi, quantum in perfido Protestante est, illuditur turpissimè abusu vocabuli *contritionis imperfectæ*, ut notare cœperam cap. superiore; contritio enim illa in Quesnelli sententia actum charitatis continet, vel ab eo profluit: ab eo, inquam, qui ad impetrandam justitiam, etiam absente quolibet Sacramento, satis in se momenti habeat, ac bonitatis. Talis profectò contritio passim à Theologis, & fidelibus intelligitur perfecta, in quantum præfert rebus omnibus Deum, etsi intentione ardoris possit amor Dei alius esse vehementior, atque perfectior. Fucum prætereà simplicibus facit Protestatio, dum quasi Tridentinæ Synodo consentiens, addit: *quando voluntatem peccandi excludit, junctamque sibi comitem habet spem veniæ*; quæ sola diversis exprimit characteribus; etsi in eadem oratione longè plura referantur Concilii verba: sed illa singulari ratione visa sunt notis specialibus indicanda, ut dolum caperent sui discipuli, & quoties bono sectæ conduceret, imitarentur: Catholici autem Quesnellianæ ignari fallaciæ, Legentes Protestationis verba, autumaverint intelligenda sensu Tridentini, à quo sunt penès proferentem remotissima. Juxta Concilium enim contritio imperfecta accipitur pro attritione, quæ communiter ex turpitudine peccati, vel gehennæ, & pœnarum metu concepta, *si*, vel quando *voluntatem peccandi excludit cum spe veniæ, est donum Dei, & Spiritûs Sancti impulsus, ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandum disponens; tamen sinè Sacramento Pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequit*; quia non elicitur charitate. At juxta Quesnellum absque hujus amoris actu, qui etiam sinè Sacramento Pœnitentiæ per se ad justificationem perduceret peccatorem, nulla potest contritio excludere voluntatem peccandi; nulla potest esse spes veniæ, nullus Spiritûs Sancti impulsus, nullus motus, quo pœnitens juvetur, ut viam sibi ad justitiam paret, nulla ad Dei gratiam in Sacramento impetrandum dispositio. Hæc tamen cum cæteris jam recensitis agnoscitur à Tridentino in attritione experte charitatis, & vel ex solo conceptâ gehennæ metu quoties, comitante spe veniæ, peccandi excluserit voluntatem; quam excludi ab ea posse, Tridentinæ Synodo indubitatum est. Conditio autem à Patribus illis apponitur *si voluntatem peccandi excludit cum spe veniæ*, ut attritio supernaturalis, & fortis discernatur à naturali quadam, & flaccida, quæ velleitas magis reconciliationis est, quàm seria, & efficax voluntas. Juxta Quesnellum verò neque talis voluntas, neque spes veniæ, neque ullus actus bonus, vel innocuus sinè charitate potest existere: Prop. 67. *Totum deest peccatori, quando ei deest spes; & non est spes in Deo, ubi non est amor Dei*. Amorem Dei intellige non qualemcumque; sed qui juxta Art. 44. *Omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur; omnis autem volitio, & actio nostra*, quæ ex alio nascitur fonte, ex malo provenit, unde & ipsa non est immunis à vitio. Amorem quoque Dei Quesnello non alium esse, quàm Charitatem, utpotè qui vocibus istis promiscuè, & pro eodem utitur significato, patet ex omnibus ejus de charitate articulis, etiam sequenti 58. *Nec Deus est, nec Religio*, proinde nec amor Dei, *ubi non est Charitas*. Hac itaque absente, neque fides est, videlicet Supernaturalis, neque spes, neque ullus Dei amor: ubi clarè conspicitur idem sensus, qui est articuli præcedentis: *Totum deest peccatori, quando ei deest spes; & non est spes in Deo, ubi non est amor Dei*. Si neque Deus est, neque Religio, ubi deest Charitas; evidens est, totum deesse peccatori, etiam spem, quamdiu peccator est, & destituitur *Charitate*.

Prop. 52. *Omnia alia salutis media continentur in fide tamquam in suo germine, & semine; sed hæc fides non est absque amore, & fiducia*. Priorem articuli partem, ubi de illo agendi locus proprius fuit, ostendi esse absurdissimam; ex parte autem posteriore discimus, nullam fidem Quesnello esse supernaturalem, nisi spe præditam, & charitate: atque hâc potissimùm, sinè qua spes esse non potest per Propos. 52. jam relatam. Sensus itaque Quesnelli Tridentinis vocibus abutentis est, quòd quidquid commendationis, aut bonitatis attritioni charitatis experti à Concilio tribuitur, nullatenus ei conveniat; sed tantùm contritioni per se, etiam extra Sacramentum, justificationis gratiam impetranti. Hanc ipsi ad fallendum vocare libuit *contritionem imperfectam*; quia & minùs perfecta est, seu minùs vehemens, quàm Petri, Davidis, Magdalenæ, & charitati conjunctam habet pœnarum formidinem, dum charitas perfecta, & similis perfecta contritio *foràs mittit timorem*: cùmque nulla spes, nullus actus bonus, & ad justitiam

tiam disponens, vel excludens voluntatem peccandi, Quesnello judice, esse valeat absque amore Dei, seu charitatis actu ad obtinendam justificationis gratiam sufficiente; ideo truncanda ipsi necessariò fuit Tridentini sententia, omittendo non solùm *attritionis* nomen; sed etiam significatum, *quòd sine Sacramento pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat*: Præterea in alienissimum à mente Concilii detorquendo sensum istud de attritione dictum, *si voluntatem peccandi excludat cum spe veniæ*.

2 Assertum scilicet Tridentini de attritione ad justificationis gratiam obtinendam non sufficiente per se, & absque Pœnitentiæ Sacramento, protestatio fide pessimâ transfert ad contritionem tam salutifero effectui sufficientem penitùs. Attritioni autem charitate destitutæ tam impossibile Quesnellus existimat voluntatem peccandi excludere, vel comitem habere spem veniæ, videlicet supernaturalem, quàm animantibus volare sinè alis: atque ita Tridentini conditio applicata attritioni, ut eam Synodus applicuit, ineptissima foret, & exponenda sibilis Hæreticorum, quibus in promptu esset insultare Ecclesiæ dicendo: Pœnitentia, quæ ex solo oritur timore absque dilectione, nobis visa non fuit digna homine Christiano, propterea quòd non excluderet voluntatem peccandi: sed eam in animo adderet conditionem, *vellem peccare, si obtingeret posse impune*. Unde meritò intulimus, tali Pœnitentiâ reddi hominem hypocritam, & magis peccatorem, ducere eum ad desperationem &c. Patres autem ad Synodum Tridenti undique convocati à Pontifice post multa examina contra nos magno molimine definiunt, quod non negavimus, contritionem ex timore pœnæ, *si voluntatem peccandi excludat cum spe veniæ*, non reddere hominem hypocritam, & magis peccatorem; sed esse dispositionem bonam, & utilem ad justificationem; dum tamen judicant, Quesnello interprete, neque spem esse, neque voluntatis pessimæ exclusionem, nisi per charitatem, vel per pœnarum formidinem cum dilectione justitiæ, scilicet increatæ, qualis à Quesnello intelligitur. Sic enim Lutherus in *assertione articulorum*, quos Bulla Leonis X. damnaverat. Art. 6. *si dixerint* Romani, *se loqui de contritione* (ex timore quidem pœnæ: sed tamen etiam) *in charitate facta, jam articulus nihil ad me: nunquam enim sic docui*; sed contra contritionem ex solo timore. Idem in disputatione Lypsicâ circa sententias Patrum ab

Eckio allegatas: „ Dico & ego, habitâ charitate, simul moveri hominem ad timorem Dei, & sic incipi pœnitentiam à timore in charitate: alioquin stat firma sententia, quòd timor bonum non operatur; sed odit legem. (Inferiùs:) Respondeo, quòd D. Gregorius non debet excludere charitatem: nec exclusit à timore incipiente pœnitentiam: sicuti Divus Doctor intelligit; sicut nec à charitate excluditur omnis timor servilis... Ego cum Apostolo, & Augustino sentio, quòd, nisi lex diligatur (quod est charitatis) non bene vivitur: Ergo nec Deus timetur, nec colitur. Rursus ad objectiones ex Patribus Respondeo (Inquit) Ambrosium, Gregorium, aliosque non repugnare dictis Apostoli, & isto eorum sententiæ; non enim excludunt charitatem à timore sive servili, sive filiali. „ Crederes ubique loqui Quesnellum, nisi quòd hic Propos. 67. & subinde aliàs, de timore servili duriora pronuntiet: & in hoc appareat Hæresiarchâ illo impudentior, quòd Lutherus sententiam, quâ damnatur, minimè audeat in sui adducere patrocinium, ut Quesnellus audet definitionem Synodi sibi clarissimè adversantem.

3 Catholicos nunc contra Quesnelli sententiam disputantes audiamus, eique eripientes verba Concilii, quæ is temerè præsumit ad suam convertere novitatem. Thomistæ Salmanticenses Ordinis Carmelitarum Excalceatorum Tract. 14. de Pœnitentia Disput. 7. de Contritione dubio 1. numero 45. expendentes illud Tridentini sess. 14. cap. 4 definientis de *Contritione imperfectâ, quæ attritio dicitur.... si voluntatem peccandi excludat cum spe veniæ.... esse donum Dei, & Spiritûs Sancti impulsum &c.* sapientissimè sic animadvertunt: „ Loqui Concilium de attritione purâ, sive non includente amorem charitatis, constat evidenter; tum quia loquitur de attritione, sive dolore imperfecto proveniente ex metu gehennæ, ut condistinguitur à contritione, sive dolore perfecto proveniente ex amore charitatis, de qua egerat immediatè; tum quia sermonem expressè facit de illo dolore, qui est à Spiritu Sancto nondum inhabitante, & qui non habet adjunctam justificationem; sed ad eam consequendam disponit: quæ prædicata soli attritioni, sive dolori imperfecto ex timore pœnæ orto adaptari queunt. Contritio enim, sive dolor perfectus ex amore proveniens, donum est

„ Spiritûs Sancti jam inhabitantis, & ita disponit ad gratiam, quod illam infallibiliter annexam habet, etiam extra Sacramentum; licèt non absque ejus voto, ut proximè docuerat Concilium. Tum denique; quia illa doctrina, & declaratio dirigitur contra Lutherum, & sequaces, qui non impugnabant contritionem, sive dolorem peccatorum ortum ex amore Dei; sed attritionem, & dolorem imperfectum ortum ex timore gehennæ. Porrò Concilium manifestè supponit, hunc imperfectum dolorem aliquando excludere voluntatem peccandi, si *voluntatem*, inquit, *peccandi excludat*: Et non loquitur de exclusione peccati habitualis, in quo præexistit peccator; quod per gratiam justificationis formaliter expellitur; sed Concilium agit de attritione, per quam Spiritus Sanctus nondum inhabitat, atque ideo nec suam gratiam in corde diffundit. Agit itaque de exclusione peccati actualis, sive voluntatis peccandi: cùmque ejus declaratio sit doctrinalis, & in materia adeò gravi; minimè limitanda est ad exclusionem hujus, aut alterius peccati actualis; sed intelligi debet universaliter de omnium exclusione: præsertim cùm non sit major ratio expellendi unum, quàm alia; maximè ubi motivum illa detestandi est universale, & omnibus commune, ut constat esse pœnam inferni omnibus, & singulis imminentem. Dicere autem, quòd Concilium loquitur in sensu conditionato hypothesis impossibilis; quòd attritio excludat voluntatem peccandi, puerilis esset responsio, & Concilio non parùm injuriosa: Quid enim indigniùs ejus gravitate, quàm, ubi agitur contra Lutherum impugnantem attritionem, quæ ex metu gehennæ *communiter concipitur*, atque ideò etiam ab omnibus in hoc sensu obvio apprehenditur; recurrat Concilium ad eventum impossibilem, illique elogia deferat sub conditione simpliciter repugnante? Sic etiam posset dicere, attritionem esse impulsum Spiritûs Sancti, & disponere ad gratiam justificationis, si procedat ab homine habente alas. Hæc non instructionem, & correctionem Hæreticorum pararent; sed irrisionem: nec ita sacram Synodum se gessisse, ullus Catholicorum debet admittere; sed planè fateri, supposuisse, admisisseque Concilium possibilitatem alicujus attritionis, quæ voluntatem peccandi, sive omne actuale peccatum excludat. „

Hactenus istud Thomistarum Collegium, cujus argumenta invictissima omnibus veritatis lucem, non erroris tenebras diligentibus abundè sufficiunt ad refellendam adversantium cavillationem, quæ Tridentinæ Synodi non interpretatio probabilis, sed mera, & indignissima elusio est.

4 Cùm tamen Quesnellus contra Apostolicæ Sedis Constitutionem non ad futurum solummodo Concilium appellare impudenter audeat, cujus authoritate nunquam se ad palinodiam constringendum esse satis securus est senecio, priùs vitæ terminum visurus, quàm novæ Synodi Oecumenicæ initium; sed etiam provocet ad præteritum Tridentinum; quantumvis iniqua provocatio sit, sequi illuc non refugio Protestantem. Quandoquidem autem novas à Tribunali mortuo expectare sententias non possumus, oportet insistere pronuntiatis: Hic itaque sistere adversarium, & tomum hunc secundum cupio, collecturus solùm compendio, quidquid ad præsentem utcumque attinens controversiam, ab istis in Spiritu Sancto congregatis Patribus, sacrosancto judicio traditum, definitumque fuit.

Sess. 6. cap. 6. „ Disponuntur autem, (peccatores) ad ipsam justitiam, dum excitati Divinâ gratiâ, & adjuti, fidem ex auditu concipientes, liberè moventur in Deum, credentes vera esse, quæ divinitùs revelata, & promissa sunt, atque illud in primis, à Deo justificari impium per gratiam ejus, per redemptionem, quæ est in Christo Jesu: &, dum peccatores se esse intelligentes, à Divinæ justitiæ timore, quo utiliter concutiuntur, ad considerandum Dei misericordiam se convertendo, in spem eriguntur, fidentes, Deum sibi propter Christum propitium fore; illumque tamquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt: ac propterea moventur adversùs peccata per odium aliquod, & detestationem: hoc est, per eam pœnitentiam, quam ante Baptismum agi oportet; Denique, dum proponunt suscipere Baptismum, inchoare novam vitam, & servare Divina mandata. „ Tum citatis aliquot ad confirmationem textibus Scripturæ, statim initio capitis 7. declaratur: *Hanc dispositionem, seu præparationem* (præcedenti capite deductam) *justificatio ipsa consequitur*. Supposito hoc justificationis ordine infirmitati nostræ maximè congruo, quo uti in conversione peccatoris communiter solet Divina providentia, quærere liceat ex omni cujuscum-

que

que classis Theologo, vel Philosopho, vel sani saltèm utcumque judicii lectore, an universam illam actuum seriem successivam esse censeat, an instantaneam, ut primo atque unico momento temporis, etiam actu unico tota ab initio ad finem usque præparatio, pœnitentia, conversio, justificatio absolvatur? Mirabilis, inquies, & inaudita hactenus quæstio est; fatua verò dubitatio de distinctione, ac successione actuum, & requisito aliquo temporis spatio; quidquid sit de omnipotentia, qua Deus ordini adeò connaturali, & communissimâ peccatorum se convertentium experientiâ confirmato derogare non solet. Necesse tamen est, Deum in Quesnelli, & novæ ejus Ecclesiæ gratiam, modo hactenus incognito justitiam peccatoribus impertiri art. 28. *Prima gratia, quam Deus concedit peccatori, est peccatorum remissio*. Quid autem? num ad justificationem fieri potest præparatio sinè nullâ gratiâ; asserere, hæresis Semipelagiana est; *Prima* verò *gratia*, ut contra Pontificem, eique adhærentem Ecclesiam Quesnellus sustinet, *remissio peccatorum est*. Oportet igitur, aut justificationem peccatorum ratione utentium tribuere soli gratiæ, absque ulla liberi arbitrii per gratiam cooperatione, quod indubiè hæreticum est; aut omnem dispositionis pariter, & justificationis gratiam, atque cooperationem hominis à Concilio accuratissimè descriptam, unâ eademque comprehendere actione, quod rationis lumini, ac totius humani generis sensui, & fidelium experientiæ prorsus contrarium est.

5 Præterea Tridentinum anathema vibratum sess. 6. can. 3. sic habet: *Si quis dixerit sinè praveniente Spiritûs Sancti operatione, atque ejus adjutorio hominem credere, sperare, diligere, aut pænitere posse, sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, anathema sit*. Si tota justificationis ratio in concessione primæ gratiæ consistat, vel non erit peccatoribus ad reconciliationem necessaria fides, spes, dilectio, pœnitentia, quod indubiè à doctrina sana, & Catholica alienum est; aut omnes illos actus inter se, & simul cum prima gratia confundere oportebit; atque ita in exilium relegabitur gratia prævia à Concilio asserta veluti necessariò præcedens, *ut homo credere, sperare, diligere, pænitere possit, sicut oportet*. Ibidem can. 9. *Si quis dixerit, sola fide impium justificari, ita ut intelligat, nihil aliud requiri, quod ad justificationis gratiam consequendam cooperetur, & nulla ex parte necesse esse, eum sua voluntatis motu præparari, atque disponi, anathema sit*. At per Prop. 27. *Fides est prima gratia*: Per 28. *Prima gratia, quam Deus concedit peccatori, est peccatorum remissio*. Certissimum contra Semipelagianos est, hominem ad primam gratiam nec debere, nec posse suæ voluntatis motu præparari. Eadem sess. can. 7. anathema infligitur, *si quis dixerit, opera omnia, quæ ante justificationem fiunt, quacumque ratione facta sint, verè esse peccata*. Juxta Quesnellum peccati maculam effugere non possunt quæcumque ante primam gratiam, quæ remissio peccatorum est, fiunt, *quacumque ratione facta sint*; quia per Prop. 38. *Peccator non est liber, nisi ad malum sinè gratiâ Liberatoris*. 39 *Voluntas, quam gratia non prævenit, nihil habet luminis, nisi ad aberrandum; ardoris, nisi ad se præcipitandum; virium, nisi ad se vulnerandum: est capax omnis mali, & incapax ad omne bonum.*

6 Verùm, ut ad timorem redeamus, eâdem sess. can. 7. ita sancitur: *Si quis dixerit gehennæ metum, per quem ad misericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel à peccando abstinemus, peccatum esse, aut peccatores pejores facere, anathema sit*. Synodus hic, ut patet, præscindit à motivo charitatis, estque confirmatio capitis 6. ubi, antequam peccatores Deum *tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiant*, antequam etiam spes animet pœnitentiam; ad spem ipsam formidine supplicii instigantur; ad spem, inquam, veniæ, Divinis nixam promissionibus, & necessariam, ut indè se ad Dei dilectionem, perfectam pœnitentiam, justitiamque promoveant: *Dum scilicet peccatores se esse intelligentes, à Divinæ justitiæ timore, quo utiliter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se convertendo, in spem eriguntur, fidentes, Deum sibi propter Christum propitium fore, illumque tamquam omnis justitiæ fontem &c.* ubi variis gradibus ad dilectionem peccatores Deus promovet: & quidem ante gradus illos eodem capite præcedit fides, quâ *liberè moventur in Deum, credentes, vera esse, quæ divinitùs revelata, & promissa sunt.* Quando itaque per gradus istos, Divini Spiritûs auxilio, paulatim ascenditur, antequam ad apicem, quæ charitas est, perveniatur, quot Quesnelli articulos corruere necesse est, quos in Christianæ veritatis culmine voluerat collocari! Convincitur in primis de falsitate Prop. 44. ubi *Omnis nostra volitio, & actio, quæ non nascitur ex amore Dei, omnia agente propter Deum, quemque Deus remuneratur, nasci* dicitur *ex amore malo*. *Fides*, quâ *peccatores* suorum memores criminum, *liberè moventur in Deum, credentes*

dentes vera esse, quæ divinitùs revelata, promissaque sunt, actus liber est, adeòque non sinè volitione elicitus, *excitante Divinâ gratiâ, & adjuvante*; bonus proinde, utpote Divini Spiritûs immaculata progenies; prævenit tamen dilectionem Dei, ut in recensito conversionis ordine, Tridenti tradito, exploratum est: Non itaque nascitur ex malo amore nostri, aut mundi: quamvis, ut ordo postulat, & Oecumenica testatur Synodus, ex Dei amore, qui nondum esse supponitur, nequeat profluxisse. Idem liquet *de Divinæ justitiæ timore*, quo ad *considerandam Dei misericordiam peccatores se convertunt*; idem de actu, quo ex salubri adeò consideratione *in spem eriguntur, fidentes, Deum sibi propter Christum propitium fore*. Ita Quesnellus cum novis suis dogmatibus à Tridentino Concilio ubique abdicatur, rejicitur, condemnatur. Neque hic terminus oppositionum est. Eadem Synodi definitio subruit articulum 45. *Amore Dei in corde peccatoris non ampliùs regnante, necesse est, ut in eo carnalis regnet cupiditas, omnesque actiones ejus corrumpat*. In Tridentinâ conversionis serie peccatores, *dum excitati Divinâ gratiâ, & adjuti* relatos dispositionis ad amorem actus *liberè* eliciunt, nondum *regnantem* in se possident *amorem Dei*, neque tamen infeliciter adeò premuntur imperio cupiditatis, ut omnis eorum actio corrumpatur. Quomodo peccatores isti, antequam Deum *tamquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt*, teste Concilio, *liberè moventur in Deum credentes &c.* ut supra; si, ut Quesnelli articulus contendit 58. *Nec Deus est, nec Religio, ubi non est charitas*?

Qua ratione declarat Synodus, quæ ex ea recensui, si verus est novi Theologi articulus 57. *Totum deest peccatori, quando ei deest spes: & non est spes in Deo, ubi non est amor Dei*? *Amoris* nomine hìc, & ubique alibi ab authore intelligitur benevolus, *qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur*, quandoquidem amor quicumque alius vitiosa est cupiditas, ut docet articulus 44. cum sequentibus non paucis. Dum nempe primùm fides elicitur, deest etiamnum spes, in Tridentinâ serie posterior *Divinæ justitiæ timore*, & ab eo impetratâ *misericordiæ Dei consideratione*. Non itaque totum deest peccatori, quando ei deest spes: neque hæc dependet ab amore Dei benevolo, seu charitate, cùm sit prior origine, ut cum Doctore Angelico, & Scholasticis omnibus, haud novaturientibus docet in descripto justificationis ordine Tridentinum. Cum eâdem Concilii doctrinâ nemo conciliabit articulum 47. *Obedientia legis profluere debet ex fonte, & hic fons est charitas. Quando Dei amor est illius principium interius, & Dei gloria ejus finis, tunc purum est, quod apparet exteriùs; alioquin non est, nisi hypocrisis, aut falsa justitia.* Dum qui hactenus infideles fuerant, *excitati Divinâ gratiâ, & adjuti fidem ex auditu concipientes, liberè moventur in Deum, credentes, vera esse, quæ divinitùs revelata, & promissa sunt*, fides illa est indubiè quædam legis obedientia, non profluens ex charitate, quâ prior est; neque tamen dici potest hypocrisis absque blasphemiâ in Spiritum Sanctum, fidei per suam gratiam authorem, nisi Quesnello crediderimus potiùs, quàm Tridentino. Non minùs huic repugnat articulus 47. *Cupiditas, aut charitas usum sensuum bonum, vel malum faciunt*.

7 Si, ut in significatione obviâ enuntiatio sonat, adæquata sit divisio omnium humanorum actuum (saltèm qui usus sensuum sunt) quasi singuli, aut charitate reddantur boni, aut cupiditate mali, nullo existente inter illos actu medio; quid fiet primo fidei actu, professionis fidei, si ore statim profetatur, aut exprimatur calamo? Fides ex Spiritu Sancto est: cur ingenua ejus pronuntiatio, aut scriptio debeat esse ex Diabolo? Neque major ratio est, ad cupiditatem ablegandi omnem usum sensuum, quàm omnem reliquarum animæ facultatum absque charitatis influxu, vel imperio procedentem, ut non procedere fidem, Divinæ justitiæ timorem, Divinæ misericordiæ considerationem, in Tridentini ordine compertum est: atque is in conversionibus usitatissimus à Divinâ providentiâ, ita communiter conversionem, potissimùm infidelium dirigente, approbatus. Denique peccatorum confessio in Sacramento pœnitentiæ, nisi fiat ex charitate, fiet necessariò ex cupiditate; quia regula Quesnelli illimitata est: *Charitas, aut cupiditas usum sensuum bonum, vel malum faciunt*. Procul ab hoc erroris monstro abfuit Tridentina Synodus, quando sess. 14. cap. 4., ad quod adversarius provocat, Decretum condidit definiens, attritionem, saltèm aliquam, *quæ ex metu gehennæ concipitur .... quamvis sinè Sacramento pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat; tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento pœnitentiæ impetrandum disponit*. Unde facilè conficitur, peccatorum confessionem in pœnitentiæ Sacramento non esse usum malum sensuum, etsi cum

non

non reddiderit *bonum charitas*. In Concilii sententia additur attritioni conditio, *si voluntatem peccandi excludat cum spe veniæ*, non quasi revocetur in dubium, an aliqua imperfecta contritio voluntatem peccandi excludat, comitemque habeat spem veniæ; sed abstrahere definitionem Synodus voluit à quodam contritionis genere adeò imperfecto, ut voluntatem peccandi non excluderet, vel spe veniæ destitueretur. Dari porrò gehennæ formidinem adeò validam, ut voluntati istiusmodi noxiæ, & mortiferæ occludat aditum, ex Scripturis, & Patribus, maximè Augustino; ex Scholasticorum Principibus Angelico, & Bonaventura, Sanctissimo quoque Antistite Francisco Salesio cum recentioribus passim sequentibus irrefragabiles adeò Magistros; duce quoque ipso rationis lumine, sæpiùs à me, & luculentissimè contra damnatos de timore articulos demonstratum est. Sitne attritio, ut communiter admittitur, dispositio recipiendæ in Sacramento absolutioni sufficiens, & proxima; an solummodo remota, sive tantùm præparatio ad sublimioris ordinis attritionem in Sacramento pœnitentiæ requisitam, non discutio: neque ad præsens propriè attinet institutum. Sufficit mihi, quia sufficit Constitutioni UNIGENITUS, agnoscere aliquam ex gehennæ formidine, & præscindendo à motivo nobiliore, attritionem, quæ excludat voluntatem peccandi, & comitem habeat spem veniæ, quod tum ex Tridentinæ sessionis 6., tum ex sess. 14. cap. 4. indubitatum est. Dispositio itaque bona est, & sive proxima, sive remota ad Dei gratiam in Sacramento pœnitentiæ impetrandum idonea.

8 Quamvis autem absque censuræ periculo initium dilectionis aliquod exigere possis ad justificationem in Sacramento pœnitentiæ obtinendam; non tamen securè statues cum Quesnello, & paucis ei adhærentibus, quòd absolutionem Sacerdotalem præcedere necessariò debeat contritio per se justificans. Certissimè verò repugnat Tridentinæ Synodo, & nullum inter Catholicos patronum inveniet absurdissima Quesnelli novitas, juxta quam omnis deliberata hominis actio, ut bona, & supernaturalis esse valeat, ut vel remota ad justificationem dispositio; imò ut saltèm innoxia peccati labem non contrahat, debeat esse charitas justificans, vel ab eâ ducens originem.

Hanc esse Quesnelli sententiam, relati de charitate articuli perspicuè manifestant, præsertim 44. juxta quem *Omnis nostra volitio, & actio, quæ non nascitur ex amore Dei omnia agente propter Deum, quemque Deus remuneratur, ex amore malo est*. 46. *Cupiditas, aut charitas usum sensuum bonum, vel malum faciunt*; quæ sensuum, eadem, ut patet, & sæpe monui, cæterarum animæ facultatum est ratio. Comperta est itaque Protestantis fraus multiplex, dum consentire se ait, & consensisse semper Tridentino Concilio sess. 14. can. 4. de contritione imperfecta, quæ ex metu gehennæ concipitur. Totum scilicet intellige secundùm corruptissimam Novatoris ex latino in gallicum versionem, quâ universa Concilii de attritione doctrina pervertitur; transilit ille, & omittit, ut superiùs animadversum, istud, quod in definitione erat momenti præcipui, *quamvis sinè Sacramento pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat*: Callidè etiam supprimit *attritionis* vocabulum, quia in communi acceptione, non Scholasticorum solùm, sed quorumcumque Fidelium, de pœnitentia intelligitur imperfecta, adeò ut *sinè Sacramento pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat*. Destrueretur nempe notissima Quesnelli in tot ejus Propositionibus doctrina, nullum esse actum bonum, maximè ordinis supernaturalis, nisi charitas sit, vel ex charitate proveniens: *charitatis autem nullum secum pati potest peccatum lethiferum*, ut Quesnellus ait in 1. Joannis cap. 3. v. 9. Attamen sinè Spiritu charitatis omnis humana actio Quesnello peccatum est. *Contritionem* proinde *imperfectam* non intelligit Protestatio *attritionem*; sed pœnitentiam ex charitate justificante elicitam; non quidem ex ea sola, sed junctâ simul gehennæ, pœnarumque formidine, quam pœnitentiam, ad fallendos simplices, vocare Quesnello placuit *contritionem imperfectam*, quia perfectior est, quæ ex solo proficiscitur amore.

Sola detegendæ huic fallaciæ sufficere deberet Prop. 47. *Obedientia legis profluere debet ex fonte, & hic fons est charitas: quando Dei amor est illius principium interius, & Dei gloria ejus finis, tunc purum est, quod apparet exteriùs; alioquin non est, nisi hypocrisis, aut falsa justitia*. Contritio Quesnelli imperfecta, cùm sit aliqua legis obedientia, non eximitur obligatione generali profluendi ex fonte, qui est charitas, ac proinde, ut jam à Quesnello moniti sumus, *nullum potest secum pati peccatum lethiferum*. Cùm autem *contritio* illa fraudulento nomine *imperfecta* præparare dicitur *ad justificationem, & disponere ad ejus gratiam Sacramento pœniten-*

nitentiæ recipiendam, non minùs dolosa enunciatio est. Præparatio enim ad justificationem, non alia hic penès authorem est, quàm charitatis actus, per se exigens habitum charitatis, sive sanctificantem gratiam.

9 Quod notavi additum de dispositione *ad ejus* (justificationis) *gratiam Sacramento pœnitentiæ recipiendam*, etiam fallaciæ est obnoxium. Cur enim, dum Synodus ait *in Sacramento pœnitentiæ recipiendam*, Protestatio expungit præpositionis voculam *in*, & solùm ait *justificationis gratiam Sacramento pœnitentiæ recipiendam*? Cur non distinguente Concilio, Quesnellus, ejus verba gallicè referens, præparationem ad justificationem distinguit à dispositione ad ejus gratiam Sacramento pœnitentiæ recipiendum? In hostilis aggressione propugnaculi ubique insidiæ metuendæ sunt, etiam subterranei pleni pulvere nitrico cuniculi, quorum difficillimum indicium est; sed non minor pernicies. Distinctio illa accurationem novi Theologi ostendit in exponendo suis mysterio, quod pauci aliorum caperent; quomodo scilicet is explicandi Concilii, eique adhærendi, vel illudendi potiùs modus nihil contineat novæ Ecclesiæ dogmatibus adversum: Quesnelliana scilicet *Contritio imperfecta ad justificationem* dicitur *præparatio*, ut charitatis actus etiam perfectissimus non est ipsa justificationis forma, ob quam justi nominamur, & sumus; sed ad eam proxima dispositio, ut tres olim contra Baji articulum 63. definivere Pontifices, prælucente Tridentino Concilio seſſ. 6. cap. 7. justificationis itaque forma, quæ gratia habitualis est, & ab actualibus auxiliis, atque ab humanis actibus discernitur, solius Spiritûs Sancti opus est, peccatori mox, ut ejus perfecta pœnitentia est, infunditur, etiam sinè Sacramento, ut ex Tridentino discimus, & Catholici omnes consentiunt; maximè post damnatum Baji articulum 32. quo *Charitas illa, quæ est plenitudo legis*, dicebatur *non esse semper conjuncta cum remissione peccatorum*. Cùm autem in secundo membro Protestatio ait, pœnitentem *se disponere ad justificationis gratiam Sacramento pœnitentiæ recipiendam*, non amat dicere *justificationem*; hæc enim in communi usu significat transitum à statu peccati ad justitiam; in Quesnelli autem sententia justificatio fit per *contritionem* illam, quam subdolè vocat *imperfectam*: atque ea justificatio obtingit sic disposito etiam ante Sacramentum. Quod verò & eadem dispositio afferatur via ad *justificationis gratiam Sacramento pœnitentiæ recipiendam*, intellige de *secundâ justificationis gratiâ*, sive prioris augmento, quod justificationem supponit; atque *justificationis* magìs propriè *gratia* appellatur, quàm justificatio.

10 Denique, cùm Protestatio Synodum corripit, & *pro justificationis gratia in Sacramento pœnitentiæ impetranda* ponitur *justificationis gratia Sacramento pœnitentiæ recipienda*, favet novitati quorumdam Quesnello in pluribus patrocinantium, qua statuitur contritio Sacramento prævia, virtute ejus justificare, sicut Christi merita, antequam existerent, gratiam plurimis contulere. An autem Sacerdotis ministerio, dum confertur absolutio, juxta illos nova habitualis gratia infundatur, non inter omnes Novaturientes videtur hactenus convenire, neque discutere hujus operis est. Sufficit demonstrasse, Protestationem, quanta est, scatere fraudibus, & patens esse, atque turpissimum mendacium, quo ad circumventionem simplicium asserere palàm Quesnellus audet, *tenere* se, & *tenuisse semper doctrinam à Tridentino Concilio definitam seſſ.* 14. *cap.* 4. Ego verò ipsum tum ibi, tum alibi Concilio maximè oppositum ostendi, quod confirmare possem pluribus; veluti cùm eâdem seſſ. can. 10. Anathema dicitur cuilibet neganti illud Christi hodiernis quoque Sacerdotibus competere: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt*; Non enim propriè remittuntur peccata antea remissa: maximè verò impropriè eadem retinentur; Ita in novo systemate nunquam Sacerdotis absolutio reconciliat Deo peccatores, sed justos solummodo confirmat: unde & definit Sacramentum pœnitentiæ esse mortuorum; sed numerari debebit imposterum inter Sacramenta solummodo vivorum. Inventum autem istud de contritione extra Sacramentum, quæ non nisi hujus virtute sanctificet peccatorem, nullâ nititur ratione probabili; quid enim si Sacramentum non sequatur; sed mors inopinata præveniat? Num Sacramentum, quod non est, aut erit unquam, virtute sua conferet sanctitatem? non ea vis tribuitur meritis Christi, si nullo tempore extitissent, neque existerent imposterum. Ibidem can. 9. impingitur *anathema, si quis dixerit*, remitti confitentibus peccata, etiamsi *Sacerdos non seriò, sed joco absolvat*. Juxta Quesnellum pœnitens, quoties instructus fuerit *contritione*, vocatâ subdolè *imperfectâ*, quæ accipiendæ à Sacerdote criminum absolutioni sufficiens fuerit, justificationis gratiâ non carebit, sive Sacerdos seriò

seriò absolverit, sive joco; non enim absolutio unquam confert primam sanctificantem gratiam; sed contritio Quesnelli imperfecta; quâ tamen inferior juxta ipsum non sufficeret reconciliationi Sacerdotis ministerio consequendæ.

Inanissima pariter est tot textuum à Quesnello facta collectio, in quibus timorem, etiam pœnarum laudaverit. Ostendi ab ipso oportuit, ullum à se admissum uspiam timorem homini liberum, proinde actum humanum, qui bonus sit, & aliquo modo disponat ad justitiam; neque tamen imbutus charitate, neque ab ea profluens. Verùm frustrà istud ab eo requirimus quamdiu potentiore Divinæ gratiæ auxilio errores suos tantâ pertinaciâ, tantâ Ecclesiæ perturbatione, & non exiguâ animarum pernicie defensos salubri non retractabit palinodiâ.

FINIS TOMI SECUNDI.

Errata in Secundo Tomo sic Corrige.

Col.6. lin.21. *Adverfotur* lege 5. Advecfatur.
Ibid. lin.50. *se à* l. sed
Col.10. lio.7. boc est bomn l. bnc est, bomn
Col.18. lin.51. *que* l. *que*
Col.25. lin.20. *sibi* l. *tibi*
Col.44. lio.44. Christiana l. Christiaoas
Ibid. lio.45. Christianos l. Christiann
Col.60. lio.49. &, alìud l. &, si aliud
Col.75. lin.28. presertim l. præsectim
Col.76. lin.18. THANAS l. TANAS
Ibid. lin.44. Quesquelli l. Quesnelli
Col.77. lin.3. quo, vecsum l. qoovcrsum
Ibid. l.21. cemnneratue l. *remuneratur*.
Col.78. lin.11. 9. Prop. l. Prnp. 9.
Col.108. lin.9. *funt* l. *fiet*
Col.131. lin.33. cum l. eam
Col.132. lin.9. Ecclesiastiez l. Ecclesiastiez,
Col.133. lin.10. Hac l., hac
Col.135. lin.5. Quesuellus l. Quesnellom
Col.143. lin.13. Segncoot l. Seguenot
Col.160. lio.33. Nihil l., nihil
Ibid. lin.49. qui l. qui primus.
Col.165. lio.4. qui l. quæ.
Col.200. lin.17. *Propositiones 9.* l. *Propositionem nonam*
Col.201. lio.10. dogmatica l. dngmatica,
Col.211. lio.34. permittendam l. permittendum
Col.237. lin.35. dit l. det
Col.283. lin.6. dixi l. dixi?
Ibid. lin.7. bonnm l. malum, non amore justitiæ facis bonum
Col.295. l.7. malum l. malam
Ibid. qui l. quæ
Col.297. l.16. Mohumetanos l. Mahumetanos
Col.307. lin.45. bonus l. bonns
Col.317. lin.2. tua] l. tua:
Col.337. lin.24. difinitioni l. definitinni
Col.344. l.2. leges l. Seges
Ibid. lin.3. pullulant l. pullulat
Ibid. illum l. illam
Col.347. lio.48. qun ad l. qnoad
Col.351. lin.32. ootissimè l. notissimæ
Col.365. lin.42. Mammbnæ l. Mammonâ
Col.387. lio.56. *fit* l. *fit*
Col.427. lin.11. *Dei*; l. Dei merce l;
Ibid. lin.28. ceculi, l. ceculi:
Col.440. lin.55. odisse nolis l. non timeat
Col.449. lio.11. *damnatorum* l. *damnatarum*
Col.455. lin.53. *fidem* l. *fidem rectom*
Col.466. lin.44. cootëtinpibus l. contentionibus

Errata in Secundo Tomo sic Corrige.

Col.498. lin.45. certi l. certè
Col.505. lio.11. dicimus l. discimus
Ibid. lin.13. Dei l. Deo
Col.543. lio.ult. delendom est Tò ex sermone
Col.544. lin.1. ex 25. l. ex sermooe 25.
Col.577. lin.21, Sanctissimus. Lib. l. Sanctissimus lib.
Col,581. lin.32. quamque l. qoemque
Col.589. lin.31. *justificantem*! l. justificaotem
Ibid. cestrictio; l. cestrictio!
Col.592. lin.19. opecatione l. inspicatione.
Ibid. lin.29. *operatione* l. *inspiratione*
Ibid. lin.47. *velentem* l. *volentem*
Col.593. lin.42. contentâ l. contenta
Col.626. lin.56. quator l. quattuoe
Col.634. lin.14. *dilectionis* l. *dilectione*
Col.674. lio.28., *ex infidelitote* l. ex *infidelitate*;
Col.675. lin.9. obligare l. nbligaci
Ibid. lin.22. teoemus l. teoemur
Col.689. lin.42. exaoimans l. examioans
Col.761. lin. ult. *fine* l. *nisi*
Col.770. lin.54. stratu l. strato
Col.815. lin.17. promereatur l. promoveatur.
Col.854. lin.53.; *est* l. est;
Col.858. lin.23. *peccatorum* l. *peccotoris*
Col.862. lin.15. tabulâ l. cabolâ
Col.875. lin.48. hoccibile mandatum l. horribile, nec ulli mortaliom toleeabile
Col.896. lio.41. *excipiendæ* l. *concipiendæ*
Col.914. lin.6. quando l. quomodo
Col.926. lio.19. *neque, quod* l. *nequeo, quid*
Col.932. lio.11. *modestiæ* l. *molestiæ*
Col.950. lin.31. effectos l. affectos
Col.951. lin.21. *consuetudine* l. *consideratione*
Col.967. lio.48. ur l. ut
Ibid. liu.53. timoræ l. timore
Col.988. lin.2. omni l. omois
Col.1004. lio.52. dilecto l. dilectio
Col.1010. lin.17. terrere l. terere
Col.1014. lin.8. cootioeci l. continere
Col.1017. lio.10. *delectum* l. *deletum*
Col.1039. lin.26. qoia l. quæ
Col.1703. l. 1073.
Col.1073. lin.49. quia ex l. qnia, si ex
Col.1075. lin.40. & 42. concupiscentiam l. concomitantiam
Col.1081. lin.3. præceptas l. præconceptas
Col.1106. lin.39. qnàm ubi l. quàm quòd, ubi
Col.1112. lin.34. Sessionis 6. l. Sessionis 6. cap.6.
Col.1113. lin.30. *Charitatis autem* l. *Charitas autem*

I N D E X
CAPITUM, ET DOCTRINÆ

In his contentæ Synopsis.

TRIGESIMAOCTAVA PROPOSITIO DAMNATA.

Peccator non est liber nisi ad malum sinè gratia liberatoris:
Observ. Moral. Luc.8. v.29.

CAPUT PRIMUM.

Propositio refellitur. Columna 1.

HAnc Propositionem non restringi ad peccatorem, nisi ob circumstantiam energumeni, qui peccatoris figura est, & de quo mentio fit apud Lucam l. c., satis patet ea sequentibus Propositionibus illimitatis. Verùm nec sic restricta eximitur à censurâ inflictâ Bajanæ 27. quanquam hæc à justo, & peccatore præscindat: *Liberum arbitrium sinè gratiæ Dei adjutorio non nisi ad peccandum valet*. Si enim justus actum aliquem ea objecto & fine suo innoxium exercere potest sinè gratia, cur non & peccator quispiam? Alioquin quò se miser vertat; si, quidquid agat, necesse est peccet? Quæ enim hic adstruitur ad malum libertas, non est nisi inevitabilis ad illud necessitas; cùm huic vitando gratia nec à Deo offeratur, nec naturæ viribus sit impetrabilis. At Deus gratiam largiri potest: quid tum? Nonne & tollere potest concupiscentiam repugnantem legi mentis? An propterea hujus motus mihi liberi sunt, & ad culpam imputabiles?

II. Quid hìc Quesnello superest, nisi ut cum Magistro suo Jansenio [l.8. de gr. Christi c.19.] respondeat: *Nulla necessitas actibus voluntatis liberis formidanda est, sed sola coactio, & necessitas violentiæ*; quæ assertio congruit huic Bajanæ 39. *Quod voluntariè fit, etiamsi necessariò fiat, liberè tamen fit*: unde ultro fluit Janseniana 3. *Ad merendum & demerendum &c.* An dicet Quesnellus, peccatorem priore aliquo lapsu in eam se peccandi necessitatem liberè induisse? Verùm, ut alia omittam, quæ responsi vanitatem manifestè nstendunt, quo delicto inquinavit se, qui sinè prævio baptismo primam attingit rationis lucem? Talis peccator quamdiu est extra Ecclesiam, nullam accipit gratiam per Prop.29.; ergo per 38. *non est liber nisi ad malum*: quæritur, quâ libertate ad malum liber sit? Hic Quesnello cum Jansenio necessariò recurrendum erit ad libertatem in Adamo; & ita reus fiet hujus 31. ab Alex. octavo damnatæ: *In statu naturæ lapsæ ad peccatum formale & demeritum sufficit illa libertas, qua voluntarium ac liberum fuit in causa sua peccato originali, & voluntate Adami peccantis.*

III. Quesnellianum errorem manifestè redarguit S. Thomas loco non uno; ut 1. 2. q.109. a 5. *Sinè gratia homo non potest mereri vitam æternam; potest tamen facere opera perducentia ad bonum aliquod homini connaturale*; ubi à justis & peccatoribus præscindit: at 2. 2. q.10. a. 4. de infidelibus, adeoque peccatoribus ita loquitur: *Infideles ... bona opera, ad quæ sufficit bonum naturæ, aliqualiter operari possunt; unde non oportet, quòd in omni suo opere peccent*: quod expendens Cardinalis Aguirre disp.130. sect.4. ait esse *argumentum inconcussissimum, quod nullam videtur adversariis evasionem relinquere*. Angelico accedit Seraphicus, Scotus &c. Imò quoquot ferè catholici post damnatas Baji propositiones de hac materia scripsere, agnovere in omni homine rationis compote potestatem exercendi sinè gratia opera quædam intrà naturæ ordinem peccati expertia.

IV. Haud parum deterior fiet Quesnelli Propositio, si advertamus, eum nullam gratiam nisi *omnipotentem* seu efficacem admittere, ut constat ex Propos.10., 11. & aliis bene multis: unde sensus damnati dogmatis fit hic: *Peccator non est liber nisi ad malum sinè gratia efficace*; cui si jungas Prop. 28. *Prima gratia, quam Deus concedit peccatori, est peccatorum remissio*; sequetur, *opera omnia, quæ ante justificationem fiunt, quacunque ratione facta fiet, verè esse peccata, vel odium Dei mereri; aut quantò vehementiùs quis nititur se disponere ad gratiam, tantò gravius peccare*, quod Tridentino anathemate Sess.6. can.7. perculsum est. Huc revocatur Bajana 35. *Omne quod agit peccator, vel servus peccati, peccatum est*; sed Quesnelliana pejor est, cùm excludat ipsam in peccatore non peccandi potentiam; & sic involuit hanc octavam inter 31. ab Alex. octavo damnatas: *Necesse est, infidelem* (imò peccatorem quemlibet) *in omni opere peccare &c.*

V. Quesnelli doctrinæ non soli refragantur Scholastici, aut recentiores Theologi; sed & Patres complures. Chrysostomus hom.5. in ep. ad Rom. ad ea Verba *Gentes, quæ legem non habent, natura quæ legis sunt, faciunt*, ita scribit: *Per NATURÆ autem verbum naturales intelligit cogitationes, ac ratiocinationes; ostenditque alios illis* (Judæis) *esse probiores: & quod majus est, hoc ipso probiores, quòd legem minimè acceperint, neque id habeant, per quod videntur Judæi ipsos præstare: Propterea, inquit, admiratione digni sunt, quod nec lege illis opus fuit, & omnia, quæ legis sunt, præstiterunt*. Sufficiunt nobis aliqua. Paulò infra: *Per hæc rursus ostendit* (Apostolus) *Deum sic hominem finxisse, ut possit per se virtutem eligere, & vitium declinare*, ubi agitur de homine, qualis jam conditus est: superest ergo, teste Chrysostomo, etiam in natura lapsa naturalis facultas ad bonum morale: adeoque falsum est, quòd peccatores, de quorum numero sunt gentes, non sint liberi nisi ad malum sinè gratia liberatoris. Hieronymus in Ezechielis c. 29. *Ex eo, inquit, quòd Nabuchodonosor mercedem accepit boni operis, intelligimus, etiam Ethnicos, si quid boni fecerint, non absque mercede Dei judicio præteriri*. Atqui Ethnici non habent gratiam *liberatoris*, si per eam cum Augustino, & discipulis ejus intelligas gratiam, quæ notitiam & fidem Mediatoris supponit, vel involvit; imò nullam habent veri nominis gratiam, stante Prop.28. & 29., & tamen, teste Hieronymo, interdum *quid boni* faciunt, & quidem ejusmodi, quod *non absque mercede, Dei judicio*, præteritur. Rursum paulò post ita subdit: *Ex quo perspicuum est, condemnari nos comparatione Gentilium, si illi lege faciant naturali, quæ nos etiam scripta negligimus*. Bellarminus l.5. de grat. & lib. arb. c.9. allegans eumdem S. Hieronymi commentarium in eumdem Ezechielis locum S. Doctoris sententiam ita suo calculo confirmat: *Exercitus iste sinè dubio infidelis erat, & tamen, quia fideliter Regi suo* [Nabuchodonosori] *servivit in bello justo contra Tyrum, quam urbem Deus ob sua peccata everti volebat, ideo mercedem illi reddidit; donans ei mirabili providentia spolia Ægypti, quæ propter scelera quoque sua spoliari meruerat. Itaque Hieronymus &c.* Plura in hanc rem

Chrysostomi, Hieronymi, aliorumque Ecclesiæ Doctorum testimonia in decursu proferemus.

VI. Catholica tamen veritas hic etiam ex Augustino & Discipulis ejus Prospero, & Fulgentio probanda est. Prior itaque lib.5. de civ. c.12. *Romani*, inquit, *justitia, & artibus strenuis promeruerunt a Deo imperium*; id sanè peccatis non meruere; oportet igitur Idololatras illos vel habuisse gratiam, quam eis negant Prop.26. 27. 28. 29. vel peccatores sinè hac non ad solum malum esse liberos, contra ac statuit Prop.38. Rursum de Sp. & lit. c.28. de impiis universim pronuntiat: *Non usque adeò in anima humana imago Dei terrenorum affectuum labe detrita est, ut nulla in ea velut lineamenta extrema remanserint; unde meritò dici possit, etiam in ipsa impietate vitæ suæ facere aliqua legis vel sapere*: quo sensu ibidem concedit, intelligi posse verba Apostoli ad Rom.2. v.14. *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter quæ legis sunt, faciunt*. Tum pauló infra de Judæis generatim scribit: *Et ipsi homines erant, & vis illa naturæ inerat eis, qua legitimum aliquid anima rationalis & sentit, & facit*.

S. Prosper fidus Augustini Discipulus Cassiano allegauti ea ipsa, quæ jam recitavimos, Apostoli verba sic iorer alia respondet c.22. *Si autem ... de illis ista dicuntur, qui alieni à gratia Christiana, quædam ad similitudinem legalium mandatorum proprio judicio sanciebant, intelligentes, mores civitatum, concordiamque populorum non posse aliter contineri, nisi ut rectè factis præmia, & peccatis pœnæ decernerentur; Quis ambigat, hanc sapientiam humano generi ad temporalis vitæ utilitatem ex naturæ à Deo conditæ superesse reliquiis? Si enim nec ad ista terrena ordinanda rationalis animi vigeret ingenium, non vitiata esset, sed extincta natura*.

Jam ex utroque S. Doctore sic collige: juxta S. Augustinum anima rationalis in ipsa impietate vitæ *naturaliter*, sive ex *vi naturæ* aliquid legis, seu legitimum & sentit, & facit: juxta S. Prosperum in iis ipsis, qui alieni sunt à gratia Christiana, *rationalis animi* viget *ingenium* ad aliqua ordinanda, quæ conducunt ad temporalis vitæ utilitatem; & hæc *sapientia* humano generi dicitur *ex naturæ à Deo conditæ superesse reliquiis*: igitur fateri necesse est, eam esse horum Patrum sententiam, ut peccator sinè gratia liberatoris ad aliud, quàm ad malum liber sit: nec enim, quod legitimum, malum est; nec mala est ex bono fine constitutio legum.

Id ipsum confirmatur 1. ex alio Sancti Prosperi loco capit.26. *Naturæ quippe humanæ, cujus creator est Deus, etiam post prævaricationem manet substantia, manet forma, manet vita, & sensus, & ratio, cæteraque corporis, atque animi bona, quæ etiam malis, vitiosisque non desunt: sed non in illis veri boni perceptio est, quæ mortalem vitam honestare possunt, æternam autem conferre non possunt*. Itaque, fatente Prospero, mali & vitiosi cum iis facultatibus, quæ in natura post prævaricationem manent, potestatem habent quædam operandi, quæ mortalem vitam honestare possunt, cujusmodi certè, ut rectè advertit Bellarminus l.5. de grat. & lib. arb. c.9. non sunt peccata.

Confirmatur 2. ex S. Fulgentio altero Augustini Discipulo l. de Incarn. & grat. c.26. ubi loquitur de Infidelibus: *Quibus*, inquit, *aliqua quidem bona, quæ ad societatis humanæ pertinent æquitatem, inesse possunt: sed quia non charitate Dei fiunt, prodesse non possunt*: prodesse autem possent, si fierent ex gratia liberatoris.

Quidquid ferè hic contra Quesnellum dici posset, breviter complexus est S. Salesius lib. 11. de Amore Dei c.1. Quanti autem doctrina ejus facienda sit, liquet ex insigni elogio, quod ab Ecclesia in horis canonicis consecuta est. Sic autem disserit piissimus Antistes.

„ Considera, Theotime, quàm verum sit, virtutem à
„ Deo æstimari, licèt alioqui exercitam à perversis ho-
„ minibus. Nisi ei placuisset misericordia Ægyptiarum
„ obstetricum „ (quas ibid. ante dixerat *tum procul dubio fuisse paganas*) „ & justitia belli à Babyloniis „
(sub Nabuchodonosore contra Tyrum Ezechi. 29.)
„ suscepti, an eos remunerari curasset? Et, nisi Daniel
„ scivisset, infidelitatem Nabuchodonosoris non obesse,
„ quo minùs eleemosynæ ejus Deo placerent, cur fa-
„ ciendas suggessisset? Apostolus testatur, Paganos,
„ qui fidem non habent, facere naturaliter quod lex ju-
„ bet: Et, quando faciunt, quis dubitet, quin benè
„ faciant, & à Deo quod faciunt æstimetur? Pagani
„ cognoverunt, matrimonium esse bonum; maximè
„ conveniens, ac necessarium, prolem in literis, arti-
„ bus liberalibus, vitâ civili, amore patriæ educare:
„ quod cognoverunt bonum, fecere; suo relinquo de-
„ cernendum judicio, an id oculis Dei non apparuerit
„ bonum; siquidem eo fine, eâque intentione eis rationis
„ lumen, instinctumque communicaverat naturalem?
„ Ratio naturalis est arbor bona, in nobis à Deo
„ plantata: fructus indè nascentes non possunt non esse
„ boni, quamquam comparati iis, qui ex gratia gene-
„ rantur, levissimi sint pretii; non tamen nullius; cùm
„ Deus eos æstimarit, & temporali mercede ornarit;
„ adeò, ut, teste magno Augustino, morales Romano-
„ rum virtutes magnâ liberalitate, & magnificâ imperii
„ famâ pensaverit.

VII. Dogmati suo stabiliendo opportuna visa est Quesnello historia Energumeni Luc.8. v.29. *Præcipiebat* (Christus) *spiritui immundo, ut exiret ab homine: multis enim temporibus arripiebat illum & vinciebatur catenis, & compedibus custoditus, & ruptis vinculis agebatur a Dæmonio in deserta*. Ex quo particulari facto conclusio trahitur ad dogma, & quidem universale; ab uno energumeno ad peccatorem quemlibet: à dominatu, quem exercet Diabolus in corpus, ad potestatem ejus in omnes animas peccatrices: pari jure ex vi illata energumeno colligi potuisset, peccatorem non sola necessitate, sed etiam coactione ad malum impelli, quantum nec Lutherus, nec Calvinus, nec Bajus, nec Jansenius voluere, solam nempe actibus nostris necessitatem accersere.

VIII. Ex dictis hactenus conficere promptum est, in Quesnelli principiis *liberum arbitrium ... rem esse de solo titulo; imò titulum sine re*, quod à Trid. sess.6. can.5. damnatum est: nam: liberum non est hominis arbitrium sub gratia; cùm omnis, juxta Novatorem, sit omnipotens, eamque nihil impedire possit, aut retardare (Vide cap. ult: tomi 1.) sinè gratia verò, juxta hanc 38. & seqq. Prop. tantùm est libertas ad malum, seu potiùs vera omnimodaque necessitas, cùm nè quidem detur plurium peccatorum optio, si Janseniana schola consequenter ratiocinari voluerit. Consule Prop.32. c.5. n.5. 6. & 7.

CAPUT II.

Solvuntur objectiones petitæ ex Scripturis Sacris col.13.

I. OBjicitur primò illud Joannis 8. v.34. *Omnis, qui facit peccatum, servus est peccati ... v.36. si ergo vos filius liberaverit, verè liberi eritis*. Ergo peccator non est liber nisi ad malum, sine gratia liberatoris.

Refutatur primò consequentia ab absurdis indè profluentibus (II.) adhibito præsertim Bajano & Janseniano dogmate de charitate etiam perfecta non semper justificante (III.) & supposita nova Ecclesiæ praxi in administratione sacramenti pœnitentiæ, ubi absolutioni sacramentali (IV.) quam cum canonica primæ Ecclesiæ temporibus usitatâ novatores confundunt, diuturnam satisfactionem prærequirunt. His erroribus si accedat Prop.28. (*Prima gratia, quam Deus concedit peccatori, est peccatorum remissio*) sequetur, peccatorem ex charitate quidem perfecta, sed non intensivè summâ de peccatis dolentem, ad absolutionem non nisi longâ novorum criminum serie ritè disponi. Hic novi rigoris fructus est.

V. Refutatur secundò authoritate S. Thomæ ita objectum textum interpretantis. *Dicendum quòd ... homo ... quando ... movetur secundùm rationem, proprio motu movetur, & secundùm se operatur, quod est libertatis. Quando verò peccat, operatur præter rationem, & tunc movetur quasi ab alio*, hoc est ab eo, à quo in operando moveri non debet, *& ideo qui facit peccatum, servus est peccati ... quæ quidem servitus gravissima est, quia vitare non potest; nam quocunque homo vadat, peccatum*

ca'um intrà se bobet, licet actus & delectatio ejus transeat ... servitus autem corporalis saltèm fugiendo condi potest : unde dicit Aug. O miserabilis servitus ! ... Præterilt quod delectabat, remansit quod pungat : sive igitur consideretur servitus peccati, quod actu committitur ; sive illius, quod jam commissum est, & babitu perseverat, neutra juxta S. Thomam consistit io eo, quòd peccator non sit liber nisi ad malum sinè gratia liberatoris. Hinc io altero Joannis textu [*si ergo vos Filius liberaverit, verè liberi eritis*] intelligitur ab eodem S. Doctore *libertas gratiæ, quæ est carere criminibus*, sive iis, ad quæ non *secundùm rationem, & quasi ab alio* movemur, & incitamur ; sive iis, quæ jam commissa, sed nondum remissa sunt ; neutram enim libertatem sinè gratia obtineri, ultro profitemur, dicimusque rursum cum Angelico, paulò supra *Ipse* (Christus) *pretium dedit, non argentum, sed sanguinem suum. ... unde per eum liberamur non à Barbaris, sed à Diabolo*, tum conante nos in servitutem suam solicitando pertrahere ; tum quando jam, impetrato consensu nostro, re ipsa pertraxit : unde consequens non est, ut sinè gratia, etiam peccator actionem innocnam, facilem, & naturæ consentaneam exercere non possit, ut ab ipsa ratione probat Bellarminus referendus ad Prop.39. c.1. n.4.

VI. Objicitur a. illud ad Rom.7. v.14. *Ego autem carnalis sum, venumdatus sub peccato.*

R. *Expositio melior* hujus loci juxta S. Thomam [quæ etiam est Augustini l.1. retract. c.23. & aliorum PP.] est, *ut Apostolus intelligatur loqui in persona sua, id est, hominis sub gratia constituti* : unde nihil facit ad institutum. Sed nec sic intellectos, *ut Apostolus loquatur in persona hominis in peccato existentis* probat, peccatorem non esse liberum nisi ad malum sinè gratia liberatoris ; in hac enim postrema hypothesi sic ab Angelico explicatur Apostolus ... „ Dicitur *carnalis* .. ex
„ eo, quod subditur carni, consentiens his, ad quæ
„ caro instigat .... *Venumdatus*, quia peccato se ipsum
„ vendit in servum peccati, pretio propriæ voluntatis
„ implendæ. „ Quo sensu sit servus peccati, vidimus ex ipso S. Doctore ad objectionem præcedentem, ostendimusque, hinc minimè juvari damnatum Articulum ; uti nec juvatur ex eo, quòd carnalis passim consentiat his, ad quæ caro instigat : sunt enim alia objecta, quàm carnalia, quorum propositione ad nihil mali incitatur etiam peccator, & quæ naturæ conformia in sui prosecutione arduitatem non babeat, quæ opem gratiæ requirat.

VII. Objicitur tertio Jerem. c.13., ubi Deus de Judaico populo *pessimo* & idololatra ita loquitur : *Si mutare potest Æthiops pellem suam, aut pardus varietates suas, & vos poteritis bene facere, cùm didiceritis malum*, Hinc inferunt adversarii : ergo peccator quilibet, etiam unico mortali delicto, v. c. turpi & morosâ tantummodo delectatione inquinatus, non est liber nisi ad malum sinè gratia liberatoris. Quid mirum, si qui Ecclesiæ jura pessumdant, consecutionum leges non curent ?

Audiatur iterum interpretatio S. Thomæ, & objectio sponte suâ vanescet. „ *Si immutare*, quasi dicat,
„ difficulter potestis CONVERTI. *Æthiops* propter
„ naturalem infectionem peccati. *Pardus* propter do-
„ lositatem vel diversitatem peccatorum. *Cum didiceri-*
„ *tis* propter consuetudinem. „ Quis dubitat, quin qui flagitiis assuevit, difficulter converti possit : sed aliud est, difficulter posse converti, aliud non esse liberum nisi ad malum sinè gratia liberatoris. Vide num.5. & 6.

Sacra eloquia minimè favere proscripto errori, docet nos S. Greg. Magnus hom.27. in Evang. Joan. c.15. v.12. *Sunt nonnulli, qui diligunt proximos, sed per affectionem cognationis & carnis ; quibus tamen in hac dilectione sacra eloquia non contradicunt. Sed aliud est, quod sponte impenditur naturæ ; aliud, quod præceptis Dominicis ex charitate debetur obedientiæ.*

CAPUT III.

Respondetur ad objectiones desumptas ex Concilio II. Arausicano & epistolâ Synodali Africanorum Antistitum in Sardinia exulum : item ad authoritatem Petri Diaconi. col.19.

I. ADamos cùm conderetur, liberum ejus arbitrium omnibus ad bene agendum viribus instructum erat : Hinc ab Augustino c.14. de civit. c.11. *laudabiliter liberum* appellatur : *tale datum est à Deo*, inquit ibidem, *quod amissum proprio vitio, nisi à quo dari potuit, reddi non potest*. & epist.107. ad Vitalem : *liberum arbitrium AD DILIGENDUM DEUM primi peccati granditate perdidimus*. Tale igitur liberum arbitrium Adami peccato *infirmatum, attenuatum, inclinatum, amissum* ultro fatemur, & per gratiam roborari, reparari, reddi debere, ut aliquid operari possimus sicut oportet ad salutem : quocum optimè consistit, aliquid non quidem salutare, sed tamen innoxium solius arbitrii vi & citra gratiam operari nos posse ; atque ita difflatur objectio petita ex duplici loco Concilii Arausicani, quod ut nobis minimè incommodat, ita lethale vulnus infligit Quesnellianæ 28.

II. Fatemur etiam cum Africanis Episcopis *nisi gratia detur, bonum ipsum arbitrium non baberi*, tum quia bonum est ex integra causa ; tum quia, deficiente gratia habituali, non tantum non bonum, sed simpliciter malum est, & peccati maculâ infectum. Sed ut Quesnelliani invidiam conflent Clementi XI., ex damnata Propositione consequi mentiuntur, liberum arbitrium, adeoque ipsum hominem bonum esse posse sinè gratia ; quod tamen Catholici planissimè negant. Aliud scilicet est, arbitrium simpliciter bonum esse ; aliud, aptum esse, ut quidpiam operetur non malum ; imò & intrà naturæ limites bonum. Hoc sinè gratia fieri posse, demonstratur iterum ex Chrysostomo (III) & S. Thoma indicantur pro hac veritate clarissimum testimonium ex Hypognostico, cujus doctrinam agnoscit Jansenius esse Augustinianæ conformem.

IV. Objectum ex laudata epistola locum truncavit Adversarius, non tam, quòd verba omissa ad institutum pertinere non crederet, quàm quòd fatalia senserit pluribus Quesnelli Propositionibus, & huic Arnaldianæ proscriptæ ab Alex. VIII. *Pagani, Judæi, Hæretici, aliique hujus generis nullum omnino accipiunt à Jesu Christo influxum &c.* Africani enim PP. ibi de Christo ita disertè confitentur : *Illa autem est lux vera, quæ illuminat OMNEM hominem venientem in hunc mundum ; illuminat autem hominem, se ipsum dando per gratiam.*

V. Si bonâ fide integer relatus fuisset alter locus ex epist. Petri Diaconi ad eosdem Antistites, patuisset omnibus, concedi ab eo homini lapso libertatem ad *humana* non tantùm mala, sed etiam intrà naturæ fines innocua ; & tantum negari sinè gratia *libertatem Christianam*, vi cujus possimus *cogitare, & desiderare quæ pertinent ad vitam æternum.*

CAPUT IV.

Diluuntur quæ Adversarii objiciunt ex Augustino col.25.

I. UT perspicuè & ex mente S. Doctoris solvantur quæcunque ex eo in hac materia objiciuntur,

Notandum primò, eum, cùm dicit, opus bonum fieri non posse sinè gratia, tale opus bonum velle intelligi, *per quod solum homo potest ad æternum Dei donum, regnumque perduci*. Sententia ejus hac de re clarissima extat l.4. contra Julianum c.3. ubi hunc sic alloquitur: *Quoniam saltèm concedis, opera infidelium, quæ tibi eorum videntur bona, non tamen eos ad salutem sempiternam, regnumque perducere ; scito, nos illud bonum*

bomi-

hominum dicere, illam voluntatem bonam, illud opus bonum sine Dei gratia, quæ datur per unum Mediatorem Dei & hominum, nemini posse conferri, per quod solum homo potest ad æternum Dei donum, regnumque perduci: hinc l.4. ad Bonif. c.3. docet, *non posse captivam voluntatem, nisi Dei gratia respiraret in SALUBREM libertatem, quod evertit hæresim Pelagianam* [IV.] Id ipsum vult & tradit genuinus Augustini Discipulus S. Prosper in Epistola ad Rufinum sub initium.

IX. Notandum secundò, quando Aug. l.3. ad Bonif c.8. ait; *Liberum arbitrium captivatum non nisi ad peccandum valet; ad justitiam verò nisi Divinitus liberatum, adjutumque non valet*, comparari ab eo præcisè inter se justitiam & peccatum, sive opera bona ad justitiam conducentia, & mala seu peccaminosa: ex his autem operibus certum est nulla alia à solo libero arbitrio exerceri posse, quàm mala; quod directè adversatur Pelagianis contendentibus, illud ad utraque æqualiter valere. De inferioris ordinis actibus, qui inter salutares & peccaminosos medii sunt, quiqu etsi bono naturæ conveniant, nullo tamen modo conferunt, aut disponunt ad justitiam, & salutem, nulla Augustino cum Pelagianis, saltèm ex professo, disceptatio fuit. (X.) Declaratur hoc appositis exemplis, quæ in Opere ipso consule.

Usui etiam hic esse potest quod scribit Bellarminus l. de gr. & lib. arb c.11. „Rectè dicitur liberum arbitrium
„ non nisi ad peccandum valere, *tum* quia magnas vires
„ ad peccandum habet, *tum* quia ut plurimùm re ipsa
„ peccat, nisi Divinitus adjuvetur. Nam pauca quæ-
„ dam bona moralia, quæ potest facere, pro nihilo re-
„ putantur; cùm & nihil prosint ad salutem æternam, &
„ obruantur multitudine peccatorum. Similes senten-
„ tiæ frequentissimè occurrunt in Divinis scripturis,
„ ubi dicitur ab omnibus fieri, quod à pluribus fit: ut
„ gen.c.6. *Omnis caro corruperat viam suam* . . . Damnat
„ igitur rectissimè Augustinus illa opera Infidelium, quæ
„ ad malum ab illis referebantur; & quoniam talia erant
„ ferè omnia, quæ ab iis fiebant, ut ipse idem dicit in
„ lib. de Sp. & lit. c.27. ideo simpliciter omnia opera
„ Infidelium, peccata fuisse dicit, tribuens omnibus,
„ quod maximæ parti conveniebat.„

VI. Quid autem *vera & Prophetica & Apostolica & Catholica fides* doceat circa facultatem exercendi opera bona, seu salutifera, & mala, seu peccaminosa, tradit S. Doctor l.1. de Correp. & grat. c.1 his verbis: *Liberum . . . arbitrium & ad MALUM & ad BONUM faciendum confitendum est nos habere; sed in malo faciendo liber est quisque justitiæ, servusque peccati; in bono autem liber esse nullus potest, nisi fuerit liberatus ab eo, qui dixit: si vos filius liberaverit, tunc verè liberi eritis.*

Ex his Annotationibus patebit statim responsio ad quascunque objectiones (II.) sive ex Enchiridio ad Laurentium c.30. (V.) sive ex l.1.ad Bonif. c.3. sive aliunde depromptas.

VII. Falsò igitur Novatores existimant, Augustinum communi refragari sententiæ: dico *communi*; etenim, juxta Lutherum ipsum in epist. de disput. Lypsica, *certum est, modernos cum Scotistis & Thomistis in hoc re . . . consentire, excepto Gregorio Ariminensi . . . . dum sinè gratia opus bonum, sed non meritorium fieri posse docent.* [VIII.] De Gregorio Ariminensi fatendum est, eum placita subinde duriora, & singularia secutum esse, quæ sinè dubio correxisset, si tot Pontificum contra Bajum & Jansenium definitiones videre ei licuisset. Quidquid sit, *unus* tot inter Scholasticos *ei* oppositos, communi doctrinæ nihil præjudicat. Certè Magister sententiarum & Scholasticorum omnium Dux in 2. dist 26. ex mente S. Augustini, quem illic citat, agnoscit in homine *quædam bona . . . . etiam ex solo libero arbitrio, quibus tamen vitam non meretur, nec gratiam, qua justificatur.* (XI) Etiam Cardinalem Aguirre à nobis apertè stare, & eodem, quo nos modo, Augustini & cæterorum P.P. authoritates cum Catholicâ veritate componere, patet ex ejus disp. 118. sect.7. Quid, quòd Quesnello vel abdicanda est præsens sua Propositio, vel renuntiandum articulis 27. 28. 29. ubi dicitur *fidem esse primam gratiam; prima gratia, quam Deus concedit peccatori, esse peccatorum remissio; extra Ecclesiam nulla conceditur gratia.* Certum enim est, Scripturas in gentilibus agnoscere quædam bona opera, ut ostensum est c.1. n.5. talia in iisdem admittit & Augustinus ibid. num.6. imò Polemonis gentilis continentia visa ipsi est *donum* Dei: igitur Quesnellus vel fateri debet, hæc opera citra gratiæ auxilium esse exercita, quod repugnat præsenti, quam impugnamus, Propositioni; vel à gratia prodiisse, & tum rejiciendi erunt proximè memorati articuli.27.28.29.

CAPUT V.

Nihil communi doctrinæ contrarium tradunt Patres cæteri, aut Scholastici. Col.35.

I. NEmo orthodoxus dubitat, quin liberum arbitrium hominis in Adamo lapsi, quandiu *sinè Deo*, seu sinè Dei gratiâ *solum* est, *mortuum* sit *justitiæ*, vivatque obnoxium *peccato*, neque eruatur *à regno Diaboli*, nisi per gratiam. Nihil ergo contra nos Prosper in Epistola ad Rufinum.

II. Ad Capitulum 3. Gelasii Pontificis ad omnes per Picenum Episcopos (III.) uti & ad epistolam Innocentii Pontificis, quæ inter Augustinianas est 182., alias 93. respondendum est ex Annotationibus, quas dedimus Cap. præcedenti num.1. & 9. (IV.) Ex iisdem facillima est responsio ad Fulgentii c.19. de Incarn. & grat.

V. S. Thomas dicens 1. 2. q.109. a. 6. ad 1. *liberum arbitrium ad Deum converti non potest, nisi Deo ipsum ad se convertente* nè per umbram quidem favet damnatæ Propositioni; quam verò ei directè repugnet c.1. n.3. demonstratum est.

VI. Vel crassâ ignorantiâ, vel fide pessimâ allegatur contra nos ab Hexaplis objectio, quam S. Bonaventura sibi format & solvit, pro ejusdem S. Doctoris assertione: quantum verò proscripto errori adversetur constat vel ex solâ conclusione, quam distinctione, 28. articulo 2. velut titulum præmittit quæstioni 3. *Hominis liberum arbitrium in puris naturalibus constitutum cum generali Dei influxu, tametsi difficulter, potest tamen facere opus bonum morale, quod non disponit ad gratiam, nec ad gloriam.* Hanc dein conclusionem fusè probat, & respondet ad argumenta contraria ante à se relata. Tota quæstio 3., uti & 2. legi omnino meretur: hujus titulus est: *Hominis liberum arbitrium omni gratia destitutum, licèt non possit cuilibet tentationi resistere, non tamen est necesse, quòd cuilibet succumbat; sed contingit illud alicui tentationi resistere in particulari*, ut in contextu dicitur.

VII. Etiam, si superis placet, contrarius nobis est Thomas à Kempis, ita inquiens l.3. de Imit. c.55. *Opus est gratia tua & magna gratia, ut vincatur natura ad malum semper prona ab adolescentia sua.*

VIII. R. naturam *pro vitio, & infirmitate corruptæ naturæ* positam, ut immediatè post loquitur pius author, semper esse pronam ad malum; non quasi semper actu stimulet ad malum, seu peccatum; sed hoc sensu, quòd habitu semper insit, & quòd ejus *motus*, quando adsunt, semper *ad malum & inferiora* trahant.

Porrò illic ab authore non asseri, nihil boni operis fieri posse sinè gratia, constat ex sequentibus ejus verbis: *Modicum nis, quæ remansit, est tanquam scintilla quædam latens in cinere. Hæc est ipsa ratio naturalis, circumfusa magna caligine, adhuc judicium habens boni, & mali, veri, falsique distantiam; licèt impotens sit adimplere OMNE, quod approbat*: non dicit, modicam illam vim, quæ remansit non posse adimplere aliquid eorum quæ approbat, sed esse impotentem *adimplere omne quod approbat.*

IX. Postrema objectio desumitur ex oratione Dominicæ 2. Quadragesimæ: *Deus qui conspicis, omni nos virtute destitui, interiùs, exteriùsque custodi, ut ab omnibus adversitatibus muniamur in corpore, & à pravis cogitationibus mundemur in mente.* Si hæc verba se-

secundùm corticem accipiantur, jam sequetur, neque nos ullam *in corpore* virtutem habere. Sensus ergo precationis est, nullam nos virtutem ex nobis ipsis habere; sed omnem à Deo descendere, authore tam naturæ, quàm gratiæ, adeòque & virtutis tam ad naturalia, quàm ad supernaturalia requisitæ.

TRIGESIMANONA PROPOSITIO DAMNATA.

Voluntas, quam gratia non prævenit, nihil habet luminis, nisi ad aberrandum; ardoris, nisi ad se præcipitandum; virium, nisi ad se vulnerandum: est capax omnis mali, & incapax ad omne bonum. *Obser. Moral. Matth.20.vers.4.*

CAPUT I.

Damnatus articulus confutatur. Col.45.

I. EX Parabola eorum, quos l.c. apud Matth. videt Dominus vineæ stantes in foro otiosos, mittitque in vineam suam, colligere potiùs debuisset Quesnellius, nos quidem ante Divinæ gratiæ vocationem nihil mereri posse; non tamen omni bene agendi vi, industriâque carere, sicut nec illi carebant, licèt nihil stipendii à Domino mereri & exigere possent antequam ab eo conducerentur. Hæc Propositio non ut præcedens ad peccatorem restringitur, sed tam de justo quàm peccatore pronuntiat, eos, priusquam gratiâ præveniantur, nullas nisi ad peccandum vires habere: derivata videtur a Jansenio, qui l.4. de statu naturæ lapsæ c.18. dicit: *ita peccato periit libertas arbitrii, ut ante gratiam propriè dictam non sit liberum à peccato abstinere &c.*

Nimium hoc à natura lapsa opprobrium pridem repulit Doctor Angelicus 1. 2. q.109. a.2. dicens: *Natura humana .... potest ... etiam in statu naturæ corruptæ per virtutem suæ naturæ aliquod bonum particulare agere, sicut ædificare domos, plantare vineas, & alia hujusmodi &c.* S. Thomæ consentit Magister sententiarum [Vide Prop.38. c.4. n.8.] S. Bonaventura (vide ibid. c.5. num.6.) & longa probatissimorum authorum series, quibus præivere non pauci Patres, & Doctores, qui apud A Lapide illud Pauli *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter quæ legis sunt, faciunt*, ita intelligunt, ut sensus sit, gentes legem habere non scriptam, sed naturaliter inditam, *quæ eos dirigit & impellit, ut pleraque opera legis naturalis perficiant naturaliter, id est, ductu, lumine, & virtute naturæ.* Faventissima in eam rem testimonia produximus ad Prop.38. num.3. 5. & 6. Hæc explicatio non parum momenti nacta est ex proscriptione Bajanarum 22. 28. 29.36. [IV.] Huic doctrinæ apertè suffragatur Bellarminus l.5. de grat. & lib. arb. c.9. ubi inter alia hæc habet. *Si homo potest ex.gr. suis viribus sine auxilio gratiæ projicere omnia bona sua in mare, vel ipse se occidere, à quo natura abhorret; Cur non poterit nummos largiri indigenti, vel hominem à præcipitio revocare ex misericordia, ad quam prope natura ipsa compellit? Et, si potest interroganti, falsum de industria respondere; cur non poterit respondere verum, si nihil inde lucretur, aut perdat?* Sed hæc sententia, ut ut verisimilis, necessaria non est ad probandam veritatem Catholicam, ad quod videlicet ostendisse sufficit, in hoc conspirare Doctores Catholicos, ut agnoscant dari posse actus humanos sinè præsidio gratiæ, qui mali non sint; (V.) adeòque necessariò vel naturaliter, vel etiam moraliter boni: hi citra evidentem censuram rejici possunt; utique non possunt.

VI Veniamus ad consectaria non parvi momenti, quæ ex hac eadem Propositione sequuntur, quorum unum est, hominem gratiâ destitutum propriè & antecedenter necessitari ad malum; cùm dicatur *nihil* habere *luminis, nihil virium, nisi ad* peccandum. [VII.] Si verò quæras, quæ gratia prævenire debeat voluntatem, ut possit non peccare, intelliges ex Prop.42. & 46., esse gratiam Fidei, & Charitatis, nec qualiscunque, sed perfectæ, illius scilicet, quæ per Prop.44. *omnia agit propter Deum*, quamque *Deus remuneratur*; unde consequens est, ut *omnia opera infidelium sint peccata, & Philosophorum virtutes sint vitia*; item, ut *in omnibus suis actibus peccator serviat dominanti cupiditati*, quæ inter propositiones vulgò *Bajanas* dictas, quia pleræque Bajum habent authorem, sunt vigesimaquinta, & quadragesima, quarum hæc à Bajo clarè tradita non invenitur.

VIII. Pari facilitate ex memoratis proximè Quesnelli articulis nascitur errorum caterva ab Alexandro Octavo proscriptorum, ut hic septimus inter 31. *Omnis humana actio deliberata est Dei dilectio, vel mundi: Si Dei, charitas Patris est; si mundi, concupiscentia carnis, hoc est, mala est*; & hic 11. *Omne quod non est ex Fide Christiana supernaturali, quæ per dilectionem operatur, peccatum est*: item 9. 10. 12. 13. 14. 15. Atque ita Novatores, retentâ solâ ardentius charitate, repudiant virtutes cæteras tam Theologicas, quàm morales, & peccatis annumerant. [IX.] Si alia non detur in hominibus operatio immunis à peccato, quam perfectus Dei amor, nec alia proinde gratia, quam quæ hunc producit, & talis quidem, ut *nihil* eam *impedire possit, aut retardare*, juxta Prop.10., oportet profectò errasse Tridentinum, dum sess.6. præparationem ad justificationem tot actibus Charitati præviis describit; oportet & Deum non ampliùs divitem in misericordia dicere, qui manu tam parcâ gratias suas distribuat. [X.] Consectaria hæc sinè dubio valde odiosa sunt; sed cum novæ Ecclesiæ principio necessariò colligata.

CAPUT II.

Solvuntur objectiones desumptæ ex Scripturis. Col.54.

I. OBjicitur primò illud Gen 8. v.21. *Sensus .... & cogitatio humani cordis in malum proni sunt ab adolescentia sua.* R. licet in malum proni sint, non propterea semper iis consentitur; sicut qui in mendacia propendet, ut Jansenistæ, & ipse mendaciorum Pater Diabolus, non semper mentitur. Est siquidem in homine præter concupiscentiam, quæ ad malum inclinat, ratio, & voluntas, quæ legitimum aliquid velle & operari potest, juxta S. Augustinum, cujus verba habes Prop.38. c.1. num.6. Vide etiam similem objectionem solutam ibid. c.5. n.8.

II. Objicitur secundò illud Jeremiæ c.12. v.9. *Pravum est cor hominis, & inscrutabile: quis cognoscet illud?*

R. cor hominis pravum dici, non quòd præter malitiam nihil contineat, sed quòd, interprete S. Thoma, *multis malitiis involutum* sit; notissimum enim axioma est, *bonum* dici *ex integra causa, malum ex singulis defectibus.* Appositè S. Chrysostomus Hom.67. ad Populum Antiochenum sub initium ait: *Nec potest malus omnino malus esse; sed & evenit, ut habeat aliquid boni; neque bonus esse bonus omnino, sed & nonnulla solet habere peccata.* Idem confirmant Augustinus, Tertullianus, Hieronymus, Fulgentius &c. Vide etiam hic num.1. Et nè evadere possint adversarii, dicendo, bonum aliquid pravis hominibus inesse per gratiam, obstant complures Quesnelli articuli, imprimis hic 28. *Prima gratia, quam Deus concedit peccatori, est peccatorum remissio &c.*

III. Objicitur tertiò S. Joannes Evangelii sui c.3. v.27. *Non potest homo accipere quidquam, nisi fuerit ei datum de Cœlo.*

R. sensum esse, non posse hominem *accipere quidquam* salutiferum, nisi fuerit ei datum de cœlo, per gratiam scilicet; ita hunc locum manifestè exponit S. Thomas ex Chrysostomo.

Objicitur quartò illud Jacobi 1. v.17. *Omne datum optimum & omne donum perfectum desursum est, descendens à Patre luminum.*

R. S. Thomam per *donum perfectum* intelligere cœlestem gloriam. *Datum optimum* sic exponit: *bona sunt temporalia naturalia: optima gratuita. Vel potest exponi totum de naturalibus: bonum est, quòd sumus; melius, quòd vivimus: optimum, quòd intelligimus.* Sicut ergo hoc *optimum* naturale nobis à Deo inest sinè gratia supernaturali, ut liquet ex interpretatione Doctoris Angelici; quid vetat, actus quosdam naturaliter bonos nobis inesse per solum Dei concursum universalem? Ex eadem interpretatione sequitur, minimè opus fuisse, ut *omne datum optimum* redderetur gallicè ab Hexaplis *omni gratia excellens*; quo scilicet persuaderetur simplicibus, nullum datum esse à Deo sinè gratiæ auxilio, nullum actum bonum intrà ordinem naturæ.

CAPUT III.

Refelluntur objectiones reliquæ. Col.58.

I... V. Opponitur primò illud August. de nat. & grat. c 22. *Nec cogitat* [Pelagius] *prævaricator in legis quàm dignè lux deserat Veritatis, qua desertus utique fit cæcus, & plus necesse est offendat, & cadendo vexetur, vexatusque non surgat.*

Ex similibus tum scripturarum, tum Augustini sententiis non solus Bajus, Jansenius, Quesnellus, sed ante hos Calvinus l 3. Instit. c.14. intulit: *Quando naturalibus dotibus censendi sunt* [homines,] *à vertice capitis ad plantam usque pedis scintilla boni non reperietur.*

Jam ad objectum textum fateor, cum, qui, deserente lumine gratiæ, obcæcatur, non multo tempore à novis delictis abstinere, & in obvia præcepta passim impingere: sed, quemadmodum qui corporeis oculis captus est, licet sæpe cespitet, labatur, & aberret, tamen subinde ductu mentis, & rationis rectè & sinè offensione graditur ita & quem lux; Divinæ gratiæ destituit, interdum, moderante lumine naturali, non peccat, actumque exercet naturæ legibus consentaneum. Et quis neget, citra gratiam posse quempiam, etiam maximè impudicum, positivè detestari parricidium, ut naturali, quem in se sentit, impulsui contrarium? Quæ, obsecro, in hac detestatione umbra mali est? Et quid non potiùs naturæ lumini conforme? [II. V.] Oppositus error denuo ratione & authoritate tum Ecclesiæ, tum ipsius S. Augustini atteritur.

VI. Textus objectus ex opere de Vocat. gentium l.1. c.8. eò redit, ut cum omnibus Catholicis doceat, quòd, *si Deus non operatur in nobis, nullius possumus participes esse virtutis. Sinè hoc quippe bono nihil est bonum &c.* Sed aliud est, omne bonum esse à Deo; aliud à supernaturali ejus gratiâ. Etiam actus, quorum bonitas intra naturæ fines continetur, sunt, & quidem præcipuè, à Deo; quandoquidem non tantùm operatur omnia in omnibus, sed & vires omnes, quibus gaudemus, ab eo sunt, eaque insuper intentione concessæ, ut iis rectè, quoad possumus, uteremur.

VII. Notari meretur quod eodem c. legitur, & sententiam Novatorum infringit. *Nec quia spiritu Dei agitur* [homo præventus gratiâ] *ideo se putet liberum arbitrium non habere, quod nè tunc quidem perdidit, quando Diabolo voluntate se dedit, à quo judicium voluntatis depravatum est, non ablatum. Quod ergo non ereptum est per vulnerantem, non tollitur per medentem. Vulnus sanatur, non natura removetur.* Removetur autem natura, eripitur liberum arbitrium, si judicium voluntatis adeò depravatum sit, ut *voluntas, quam gratia non prævenit, nihil habeat virium, nisi ad se vulnerandum* peccato. Nam, ut cum Anselmo docet Angelicus in 2. sent. dist.17. q.1. a. 1 ad 3. *Posse peccare non est libertas arbitrii, nec pars libertatis.* Ergo si novum dogma subsistat, perditum erit liberum arbitrium, quod tamen Author Operis de Vocat. gent. negat.

VIII. Ex eodem authore ibid. c.6. contra nos allegatur quod sequitur. *Hæc itaque voluntas... infirma ad efficiendum... nihil in suis habet viribus nisi periculi facilitatem; quoniam voluntas mutabilis, quæ non ab incommutabili voluntate regitur, tantò citiùs propinquat iniquitati, quantò acriùs intenditur actioni.* Ut hanc authoritatem sibi propitiam faciat adversarius, Tò *infirma ad efficiendum* vertit gallicè *sinè viribus*. Infirmam sinè gratia voluntatem agnoscimus, sed non omnibus omnino ad qualecunque bonum viribus destitutam. *Infirmus*, ut docet S. Th., licèt non possit *perfectè moveri motu hominis sani*; tamen *potest per se ipsum aliquem motum habere*; ita voluntas peccato læsa virium infirmitatem, non omnimodam extinctionem contraxit. Idem docet Trid. sess.6. de justif. c.1. & can.6.

IX. *Periculi facilitas* [quæ gallicè non exactè redditur per *cadendi facilitatem*] plurimum etiam differt à peccandi certitudine, qualis foret, si voluntas sinè gratia nihil haberet virium, nisi ad se vulnerandum.

X. Nihil pariter obest, quod *Voluntas mutabilis, quæ non ab incommutabili voluntate regitur, tantò citiùs propinquat iniquitati, quantò acriùs intenditur actioni.* Procul dubio, si divina gubernatione destituamur, tantò crebriùs peccabimus, quantò plura, & quantò majori contentione agere studebimus. sed meminerit Hexaplorum author, naturalibus adminiculis etiam Divinæ exterioris providentiæ gubernacula accenseri.

XI. Dum Prosper *Carmine de ingratis* c.22. ait sinè gratia *exutam virtute animam, cæcataque cordis lumina*, intellige tenuitatem virium, & luminis: nihil enim usitatius, quàm ut qui exiguas vires habet, nullas habere dicatur; qui parum videt, cæcus pronuntietur. Ex simili loquendi usu interpretandum quod sequitur; *arbitrium* sinè gratia in *novos semper lapsus nitendo revolui*; & (XII.) ut dicitur c.45. *præcipites semper calles* ingredi. His enim & similibus loquendi formulis magna naturæ in peccatum proclivitas, & lapsus absque auxilio gratiæ frequentissimi significantur; non tamen sinè ulla interruptione continui; seu quasi nullus subinde medius intercederet actus, liber simul, & innocuus. Responsi veritas sexcentis exemplis declarari potest.

XIII. In oratione Ecclesiæ Dominica 14. post Pentecosten legitur quidem, quòd sinè Divinæ gratiæ auxilio *labitur humana mortalitas*; sed non additur, quod perfidè addiderunt Hexapla in versione gallicâ, humanam mortalitatem labi *ad singulos gressus*.

Nobis etiam opponitur *Imitatio Christi* l.4. c.3. num.3. ubi sic habetur. *Proni enim sunt sensus hominis ad malum ab adolescentia sua; &, nisi succurrat divina medicina, labitur homo mox ad pejora,* ubi per *divinam medicinam* manifestè intelligitur sacra communio, in cujus frequenti usu commendando contra ac permittit novæ Ecclesiæ disciplina, totus est author pientissimus tum hic, tum alibi; idque, ut præmittit, *nè fortè anima diutiùs abstinendo, à sancto proposito defluat.* Sensus ergo objecti loci est, nisi subinde divino illo cibo vires animæ reparentur, eam in dies magis magisque flaccescere, & tepescere; non quòd nihil ultra boni exerceat, sed quòd minus semper minusque boni agat, hinc etiam in graviores noxas sensim impingat; quod totum rectè appellatur *labi ad pejora*. Confirmatur hæc expositio ex eo quod immediatè subditur: *retrahit ergo sancta communio à malo, & confortat in bono.* Dicetne Adversarius, sinè sancta communione in omnibus actibus peccari? Atqui hoc tamen dicere deberet, si quid ex adducto textu pro se vellet concludere.

QUADRAGESIMA PROPOSITIO DAMNATA.

Sinè gratia nihil amare possumus, nisi ad nostram condemnationem. *Obser. Moral. 1. Thessal. 2. v.18.*

INDEX CAPITUM

CAPUT I.

Propositio refellitur. Col.70.

I. SI communis loquendi usus attendatur, *condemnatio* videtur hic importare non qualemcunque pœnam à Deo infligendam, sed æternam: unde relata Propositio infert 1. hanc 20. inter Bajanas: *Nullum est peccatum ex natura sua veniale; sed omne peccatum meretur pœnam æternam*. Infert 2. hanc ibid. 60. *Homo peccat, etiam damnabiliter in eo, quod necessariò facit*: [II. III.] etenim ex Jansenii, seu Quesnelli principiis consequi omnimodam, absente gratiâ, peccandi necessitatem, nè relictâ quidem inter plura crimina electione, jam sæpius demonstratum est. Vide, si lubet, Prop. 32. c. 5. num. 4. 5. & 6. (IV.) Non repugnare autem, ut aliquid simul sit peccatum, & necessarium, evincere conatur Jansenius, adductis in exemplum Dæmonibus, qui semper & necessariò malè agunt, & tamen verè peccant: cui argumento, jam pridem à Calvino objecto ita respondet Bellarminus l. 5. de grat. & lib. arb. c. 14. „ Propositio ista, *Dæmones semper necessariò malè agunt*, in aliquo sensu falsa est; in aliquo vera; verum siquidem est in genere, eos non posse nisi malè agere; falsum tamen est in particulari, omnia mala, quæ faciunt, illos necessariò facere; possent enim . . . multa non facere, quæ faciunt; & idem non necessitate, sed voluntate peccata committunt. „ Atqui, ut proximè diximus, Jansenii systema non patitur ullam circa peccata particularia liberam electionem: ergo Dæmones, qui saltèm istâ libertate gaudent, trahi non possunt in exemplum actionis hic & nunc simpliciter necessariæ, & peccaminosæ.

V. Verùm supponamus, actus, qui, deficiente gratia *ad nostram condemnationem* eliciuntur, licèt necessariò malos, tamen in particulari esse liberos; adhuc tamen jure optimo Quesnelli articulus proscribetur, non tantùm quia falsus, sed etiam, quia Divinæ bonitati, & fidelitati injurius. Quid enim utrique attributo magis oppositum, quàm hominem recenter justificatum, absente gratiâ, quâ sanè singulis momentis non prævenitur, adstringi, quidquid demum faciat, necessitati peccandi, & solam ei relinqui inter peccata optionem? Quomodo ergo subsistet illud ab Augustino & Prospero inculcatum, & à Tridentino sess. 6. c. 11. confirmatum: *Deus . . . sua gratia semel justificatos non deserit, nisi ab eis priùs deseratur*? Quid enim juvat, nos singula divisim peccata posse effugere, si, quamcunque actionem sinè gratia adoriamur, ea nobis, in condemnationem cessura sit?

VI. Scripturæ locus, unde Quesnellus errorem suum conflavit, legitur 1. Thess. 2. v. 18. *Quoniam voluimus venire ad vos: ego quidem Paulus, & semel, & iterum; sed impedivit nos Satanas*: id est, inquit, S. Thomas, *procurando impedimentum fortè per aliquas tempestates*. Hinc colligit novator interpres tam efficax Diaboli in nostram voluntatem imperium, ut *sinè gratia nihil amare possimus, nisi ad nostram condemnationem*.

Non parum crescet Propositionis malitia, si authoris sensus spectetur (IX., X.) Neque enim vitando peccato quæcunque ei gratia sufficit, sed efficacem requirit, extra quam nullam agnoscit, ut liquet ex Propos. 2. & tot sequentibus: nec efficacem tantummodò; (VII.) sed quæ producat *charitatem*, seu *amorem Dei* justificantem, utpote *regnantem in corde, omnia agentem propter Deum, quemque Deus remuneratur*, & sinè quo omnis actio, & volitio mala est per Prop. 44. 45. & seqq. cui errori viam præsignavit Jansenius, ubi l. 4. de statu naturæ lapsæ c. 19. asserit: „ Hæc est necessitas, quam Augustinus peccato advectam esse profitetur, quod liberum arbitrium ita rerum terrenarum cupiditate captivum sit, antequam fide Creatoris, CHARITATEQUE liberetur, ut, quoquoversum sese verterit, in genere necesse sit, illud malè agere. „ Hanc necessitatem non Augustinus, sed Jansenius ex Augustino ad Lutheri, Calvini, Bajique erronea dogmata fœdissimè detorta profitetur. Plura ea Jansenio proferemus ad Prop. 44. c. 1. quæst. 1.

Cæterum immediatè etiam probari potest, nullam à Quesnello gratiam admitti, quàm quæ charitatem gignit: nam in libello suo 4. seu commentario, vulgò *Memoire*, ita quærit pag. 142. *Nonne vera gratia, quam Concilia definivere, totaque Ecclesia contra Pelagianos defendit, est ACTUALIS MOTUS CHARITATIS?* Alibi gratiam vocat *inspirationem amoris*: Sic enim 1. cor. 15. v. 10. observat. *Si nullus amor est otiosus, nulla gratia debet esse otiosa; quandoquidem gratia est amoris inspiratio*; utique efficax, cùm *otiosa* non sit. Aliunde verò *bonus amor*, & *charitas* Quesnello idem sunt (Vide Propop. 44. c. 1. quæst. 3.) adeòque omnis gratia est *inspiratio Charitatis*; ex quibus testimoniis patet, quàm sit aperta consensio inter præsentem Propositionem, & 44. ac plures sequentes.

Rursus Quesnellus 1. Joan. 3. v. 9. agnoscit, *nullum peccatum mortale cum charitate compatibile esse*; unde clarescit mysterium Propositionis 28. *Prima gratia, quam Deus concedit peccatori, est peccatorum remissio*: cùm enim quævis gratia, adeòque & prima, quæ peccatori confertur, sit motus actualis, seu inspiratio charitatis efficax, nec charitas patiatur peccatum mortale, necessariò sequitur, primam gratiam peccata remittere.

Scimus quidem, & ab Augustino gratiam dici *inspirationem dilectionis*; sed scimus quoque, S. Doctorem enarr. in Psal. 9. num. 5. *dilectionem* accipere pro omni *amore recto*; & perquam alienum esse à Quesnello, & Jansenio, contendentibus, omnem gratiam esse efficacem, & nullum dari amorem rectum, nisi sit amor Dei benevolus. Redeamus in viam.

VIII. Si gratia aliud non sit quàm motus, seu inspiratio charitatis efficax, & nihil sinè gratia amare possimus nisi ad nostram condemnationem, sequitur, *non esse veram legis obedientiam, quæ fit sinè charitate*; item, *omnem amorem creaturæ rationalis aut vitiosam esse cupiditatem, qua mundus diligitur, quæ a Joanne prohibetur; aut laudabilem illam charitatem, qua per Spiritum Sanctum in corde diffusa Deus amatur*, quæ sunt inter Bajanas 16. & 38. à tribus Pontificibus proscriptæ &c.

Quòd si *nec Deus est, nec Religio, ubi non est Charitas*, ut asserit Quesnelliana 58.; necesse est, fidem & spem Charitatis expertem à religione exulare, & non esse ex gratia, sinè qua omnis humana actio, per hanc 40. condemnationi obnoxia est.

XI. Denique Quesnelli hactenus impugnata doctrina non modò pridem damnata est in hoc Baji articulo 27. *liberum arbitrium sinè gratiæ Dei adjutorio non nisi ad peccandum valet*; nec solùm gravibus notata censuris ab Academiis Hispanicis, quarum judicium facilè sperner Novatoris temeritas; sed & An. 1560. 27. Junii inter hæreses rejecta est à Facultate Sorbonicâ, cui Patres Franciscani eam à Bajo Lovanii traditam denuntiarant. Inter Propositiones enim ab illa facultate connexas hæc erat quarta: *liberum arbitrium ex se non potest nisi peccare, & omne opus liberi arbitrii sibi dimissi est peccatum mortale, vel veniale*. Censura: Hæc *Propositio utraque sui parte est hæretica*. Propositio quinta sic habet: *Homo faciendo quod in se est, peccat, & non potest non peccare faciendo, quod in se est*. Censura: *Tota hæc Propositio est hæretica*.

CAPUT II.

Solvuntur objectiones col.84.

I. ILlud Psalmistæ, quod Apostolus ad Rom. 3. applicat Judæis & Græcis, *non est qui faciat bonum, non est usque ad unum* juxta S. Thomam *potest intelligi . . quasi dicat; nec etiam unus est purus homo, qui faciat bonum, scilicet perfectum*: Fulgentius verò l. 1. ad Monimum c. 3. id ex Augustino sic explicat: *Hoc . . . bonum, quod est requirere Deum, non erat qui faceret, non erat usque ad unum*. Ergo textus ille non obstat,

qua

quo minùs homo solis arbitrii viribus faciat bonum imperfectum, naturæ quidem conducens, sed nihil conferens ad salutem: multò minùs verò hinc inferri potest, nihil sic fieri, vel amari posse nisi ad nostram condemnationem. Cætera hic ab Apostolo commemorata, ad intentum ab Adversario finem planè inutilia sunt, & pari facilitate, ac claritate, ab Angelico exponuntur.

II. A scripturis transitur ad Concilium Arausicanum II. can. 22. ita sanciens. *Nemo habet de suo nisi mendacium & peccatum; si quid autem habet homo veritatis, atque justitiæ, ab illo fonte est, quem debemus sitire in hac eremo &c.* ergo sine gratia nihil amare possumus, nisi ad nostram condemnationem.

R. 1., Concilium aliud non velle, quàm quòd solum peccatum ita sit hominis, ut nullo modo Dei sit: quò spectat illud quod legitur sub finem ejusdem Concilii: *Aliquos verò ad malum Divino potestate prædestinatos esse non solùm non credimus, sed etiam, si sunt qui tantum malum credere velint, cum omni detestatione illis anathema dicimus*: quibus verbis satis declarat, opera mala non nisi per summum nefas Deo adscribi posse. At reliqua opera, sive naturaliter, sive supernaturaliter bona, ita sunt hominis, ut simul, & vel maximè, Dei sint, authoris tam naturæ, quam gratiæ. Igitur homo nihil habet de planè & absolutè suo nisi peccatum. Vide Prop. 39. c. 3. n. 6.

R. 2., Concilium hic considerare, & comparare inter se duo operum genera: bona, idest, salutaria, & mala: Horum caulam Deo tribuentes detestatur, ut proximè vidimus; illorum vero Deum statuit authorem; unde cap. 7. ita pronuntiat: *Si quis per naturæ vigorem, bonum aliquod QUOD AD SALUTEM PERTINET VITÆ ÆTERNÆ cogitare, ut expedit, aut eligere .... posse confirmat absque illuminatione, & inspiratione Spiritus Sancti, hæretico fallitur spiritu.* Jam vero, licèt dentur opera media inter salutaria, & mala, ita ut tunc homo verè habeat aliquid de suo, quod non sit *mendacium, & peccatum*; hoc tamen non repugnat objecto canoni; quia nimirum mens Concilii tantùm fuit, docere, quodnam ex duobus operum generibus, malorum nimirum & salutarium, homo habeat de suo. De suo autem ex istis duobus generibus nemo habet *nisi mendacium & peccatum*. (III.) Res illustrari potest ex modo loquendi, quo utitur S. Augustinus Serm. 45. alias 12. ex Sirmondianis num. 9. *Timor hominum fortè corpus potest ab immunditia temperare; animam autem NON NISI TIMOR DEI.* Atqui tamen etiam amor Dei potest ab immunditia temperare animam: Cur igitur ait S. Aug. *non nisi timor Dei*? Quia nimirum duos tantùm ibi timores considerat; de amore sermo non erat. Sic facilè capitur, quomodo nemo habeat de suo *nisi mendacium, & peccatum*, dum de duobus tantùm operum generibus, malorum & salutarium, sermo instituitur; tametsi quis habere de suo possit opera, quæ sub neutro illo genere continentur. (IV.) Retorquetur in adversarios authoritas Arausicani.

V. Etiam Prosper in ep. ad Rufinum c. 17. tantùm considerat duplex operum genus, salutarium & malorum; quo sensu verè ait, quod *liberum arbitrium cum solum esset, sibique permissum, non nisi in suam perniciem*, non verò *ad pietatis opera* id est salutaria, ut ex contextu certum est, *movebatur*: unde Divinæ gratiæ dignitas & beneficentia contra ejus obtrectatores defenditur. Vel si mavis, illud *non nisi in suam perniciem movebatur* explica *passim, aut plerumque in suam perniciem movebatur*. Ita similes Patrum locutiones Bellarminus exponit.

VI. Augustini dictum: *quidquid enim bene amat, amat charitate* interpretare: *quidquid meritoriè, vel sicut oportet ad justitiam, & salutem amat, amat charitate.* Illud verò *sola charitas non peccat* quid aliud sibi vult, quàm quòd sola Charitas sumpta pro amore Dei super omnia excludat omnem graviter peccandi voluntatem; contra ac evenit in Fide & Spe; unde commendatur eximia tertiæ virtutis Theologicæ prærogativa. [VII. ... IX.] Hoc, aut simili modo necessariò interpretandæ sunt objectæ ex Augustino sententiæ, nè secum ipse pugnet, quam labem à Sanctissimo Doctore avertere nullius magis interesse debet, quàm eorum, qui se Discipulos ejus profitentur. Vide quæ ex eo protulimus testimonia in catholicæ Doctrinæ favorem Prop. 38. c. 1. num. 6.

QUADRAGESIMA PRIMA PROPOSITIO DAMNATA.

Omnis cognitio Dei, etiam naturalis, etiam in Philosophis Ethnicis, non potest venire nisi à Deo: & sinè gratia non producit nisi præsumptionem, vanitatem, & oppositionem ad ipsum Deum, loco affectuum adorationis, gratitudinis, & amoris. *Observ. Moral. Rom. 1. v. 19.*

CAPUT I.

Aperitur error, & confutatur. Col. 97.

I. LIcèt Propositio minimè erret, affirmando, *omnem cognitionem Dei, etiam naturalem, etiam in Philosophis ethnicis non posse venire nisi à Deo*; hæc tamen prior pars jure exprimitur, ut posterioris malitia magis eluceat; si enim omnis Dei cognitio sit à Deo, certè bona est: Cur igitur *sinè gratia non producit nisi præsumptionem &c.*? Id tamen conficere conatur Quesnellus ex Apostoli verbis Rom. 1. v. 19. & seqq. ubi S. Paulus eos, *qui veritatem Dei in injustitia detinent*, vocat *inexcusabiles: quia, cùm cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt* „ sed „ potiùs, inquit Angelicus, suo ingenio, & virtuti suæ „ sua bona adscribebant. *Evanuerunt in cogitationibus* „ *suis*, in quantum in se ipsis, & non in Deo fiduciam ha„ bebant, sibi, & non Deo bona sua adscribentes „, ubi quidem eos ex malitia sua Dei donis abusos videmus, non verò Dei dona malitiam produxisse, multò minus *non nisi* malitiam, seu *præsumptionem &c.* Quidni enim potiùs dicamus, infideles ex illa Dei cognitione quædam, quæ ad morum honestatem faciunt, scripsisse, & egisse; utrumque tamen, si Quesnello credimus, sinè gratia; cùm apud illum *prima gratia sit fides*.

II. Sed, quod magìs mirere, omnis Dei cognitio (nulla excipitur) omnibus, etiam fidelium, & justorum actibus ex ea ortis labem *vanitatis &c.* aspergit, si citra gratiam eliciantur: unde sequitur, ut Doctor, & Catholicus, & justus, qui multa de Deo, ejusque perfectionibus partim gratiâ, partim naturali conatu & studio didicit, si de iis sine præveniente gratia disserere, aut scribere instituat, toties peccet, quoties ita scribit, aut disserit. (III.) Misera enim vero Magistrorum, & Discipulorum conditio, si, quoties difficillimis de Deo quæstionibus, priùs gratiâ non excitati studeant, toties eos incidere necesse sit in vanitatem, præsumptionem, & oppositionem ad ipsum Deum. [IV.] Jam nemo studiis, lectionibus, & de Deo colloquiis vacare sustineat, nisi priùs sibi conscius sit, se ad ea pio gratiæ motu impelli; nè, si hæc defuerit, Deum præsumptione, aut vanitâte offendat.

V. Error hic plurium Bajanorum surculus est, ut hujus 27. *Liberum arbitrium sinè gratiæ Dei adjutorio non nisi ad peccandum valet* & 65. *Non nisi Pelagiano errore admitti potest aliquis usus liberi arbitrii bonus, sive non malus sinè gratia &c.* Juxta Quesnellum quicunque ex libero arbitrio utitur cognitione, etiam Dei, & ab ipso Deo inspiratâ, si ad usum illum non concurrerit gratia, erit certò usus malus, utpote *vanitate &c.* infectus. VI. VII. Imò verò, ut cognitionis illius usus bonus sit, non quæcunque gratia, sed amor Dei à Novatore requiritur:

VIII. Nam per Prop. 44. omnis actio, & volitio, quæ non procedit ab amore Dei, mala est; & per Prop. 47. obe-

obedientia legis, nisi fluat ex charitate, *non est nisi hypocrisis, aut falsa justitia*. Eòdem accedunt Propositiones 45. 46. 49. 57. 58.; amorem autem, & charitatem à Quesnello intelligi strictè dictam, & justificantem, docebimus ad Prop. 44. c. 1.

IX. Sensus ergo præsentis Propositionis est: *omnis cognitio Dei, etiam naturalis, etiam in Philosophis Ethnicis, non potest venire nisi à Deo, & sinè gratia*, quæ Charitatem efficit, vel actum ab hac imperatum, *non producit nisi præsumptionem &c.* Alia enim gratia in Quesnelli principiis nec datur, nec dari potest; cùm omnia actus, qui nec charitas est, nec à charitate imperatur, vitiosus sit. Hinc jam facillimè capitur, quomodo omnis cognitio Dei non nisi præsumptionem producat in quibuscunque peccatoribus, sive fidelibus, sive infidelibus; quamdiu enim tales sunt; requisitam à Quesnello charitatem non habent, ut certum est. Igitur Deus cognitionis illius author, etiam peccatorum indè nascentium author erit: Si autem cognitio Dei, quæ de se bona est, sinè charitate, vel gratiâ eam operante tam funestos effectus habeat, quos habebunt cognitiones cæteræ cognitione Dei multò inferiores? Non poterit sic declinari censura hujus Bajanæ 25. *Omnia opera infidelium sunt peccata, & Philosophorum virtutes sunt vitia*, uti nec hujus 35. *Omne quod agit peccator, vel servus peccati, peccatum est*. Parum etiam ex Quesnelli genio scripserit Cardinalis Aguirrius „ posse naturam hominis lapsam simpliciter „ & expeditè agere unum, vel aliud bonum opus ex fa„ cilioribus in genere moris, & sterile ad salutem, cum „ Divino adjutorio quidem; verùm absque speciali au„ xilio, sive gratiâ per Christum „ qui est ipse titulus sectionis primæ disp. 118., quod dein probat ex Conciliis, Patribus, ac sigillatim Augustino.

CAPUT II.

Convelluntur adversantium argumenta desumpta ex Scripturis Sacris. Col. 105.

I. ILlud Apostoli de infidelibus ad Rom. 1. v. 18. *qui veritatem Dei in injustitia detinent* ita exponit Angelicus. „ Vera Dei cognitio, quantum est de se, „ inducit homines ad bonum; sed ligatur quasi capti„ vitate detenta per injustitiæ affectum „ & hominum perversitatem. Ergo falsum est, quòd cognitio Dei, præscindendo à gratia, non producat nisi præsumptionem &c. Hoc solo posito, nihil penitùs pro damnata Propositione elici potest ex sequentibus ejusdem Apostoli verbis ab adversario allegatis. *Et sicut non probaverunt Deum habere in notitia, tradidit illos Deus in reprobum sensum &c.* quæ ita explicat S. Th. „ Quamvis lumine rationis, & per Creatu„ ras visibiles veram Dei cognitionem habere potue„ runt; tamen, ut liberiùs possent peccare, non proba„ verunt, id est, non approbaverunt, ut ipsi haberent „ Deum in sui notitiâ: Jobi 21. *Dixerunt Deo, recede „ à nobis; scientiam viarum tuarum nolumus.* „

Hinc rursus patet, cætum flagitia non in Dei cognitionem, sed in perversam voluntatem refundi: (II.) „ In„ tellectu enim dato à Deo, *inquit Chrys.*, per ea, „ quæ viderentur, poterant ad ipsum opificem velut „ manu præeunte perduci; quod cùm in animum sibi „ inducere noluissent, manserunt indigni, qui veniam „ assequerentur. „ *Propterea* „ Deus eos dimisit, qui „ admittere ipsius præcepta noluerunt, sed statim inter „ primos defecerunt, cùm ipse partes suas omnes ex„ plevisset. „ Alia multa, ac pulcherrima apud eumdem Sanctum Ecclesiæ Doctorem probant invictissimè, gentilium scelera non Dei cognitioni, sed liberrimæ eorum malitiæ esse tribuenda. [III.] Et quomodo aliàs ab Apostolo dicerentur *inexcusabiles, quia, cùm cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt*? Certè præsens Quesnelli articulus cum tot aliis nullam gratiam præter efficacem, & omnipotentem adstruentibus suppeditabit gentilibus excusationem ab ipsa Dei sapientia irrefutabilem. Dicent enim: Cognitio Dei sinè gratia non producit nisi præsumptionem; gratiam ad resistendum præsumptioni non habuimus; si enim habuissemus, jam restitissemus; ergo præsumptio, & reliqua nostra flagitia nobis vitio verti non debent: *quis enim*, inquit Augustinus l. de nat. & gr. c. 67. *peccat in eo, quod caveri nullo modo potest*? (IV.) Adde, nobis nullas unquam obtigisse gratias, quandoquidem per Prop. 26. *nullæ dantur gratiæ, nisi per fidem*, & per Prop. 27. *Fides est prima gratia, & fons omnium aliarum &c.*

V. Objicitur præterea illud ex Isaia relatum ab Apostolo 1. Cor. 1. v. 19. *Perdam sapientiam sapientium, & prudentiam prudentium reprobabo*. De qua sapientia hìc agatur, declarat Angelicus: „ Homines quantum„ cumque mali non totaliter Dei donis privantur, nec „ in eis Dona Dei reprobantur „ [ergo nec Dei cognitio, quæ, Quesnello ipso teste, à Deo est], „ SED IN „ EIS REPROBATUR, ET PERDITUR, QUOD „ EX EORUM MALITIA PROCEDIT. Et ideo „ non dicit simpliciter *perdam sapientiam*; quia omnia „ sapientia à Domino Deo est, ut dicitur Ecclesiast.; „ Sed *perdam sapientiam sapientium*, id est, quam sa„ pientes hujus mundi adinvenerunt sibi contra veram „ Sapientiam Dei; quia, ut dicitur Jacobi 3., non est „ ista sapientia desursum descendens, sed terrena, ani„ malis, Diabolica. „ Idem cum proportione dicit S. Thomas de *prudentia prudentium*. Jam quæro, an horum aliquid quadret *cognitioni Dei*? Estne hæc *non ... desursum descendens; sed terrena, animalis, Diabolica &c.*? Ad quid ergo locus objectus, ut probetur, cognitionem illam sinè gratia non producere nisi præsumptionem &c.?

VI. Sed en tibi aliud Jansenianorum telum, priore etiam obtusius, & depromptum ex eadem epist. 1. Cor. 3. v. 19. *Sapientia hujus mundi stultitia est apud Deum; scriptum est enim: comprehendam sapientes in astutia eorum*. Locus hic tum ex præcedentibus, tum ex se ipso solvitur, cùm agat de *sapientia hujus mundi*, quæ *est stultitia apud Deum*. Hanc optimè describit S. Greg. l. 10. Mor. c. 16. *Hujus mundi sapientia est*, inquit, *cor machinationibus tegere, sensum verbis velare, quæ falsa sunt, vera ostendere &c.* An forsus hæc vel cognitioni Dei congruunt, vel ab ea nascuntur?

VII. Denique intorquetur ex eadem objectionum fertili juxta adversarios epistola c. 8. v. 1. *Scientia inflat; Charitas verò ædificat*. Quis crederet, omnem Dei cognitionem inflare? Inter cognitiones Dei, quæ non nisi à Deo venire possunt, indubiè comprehenditur Divina fides: An & hæc inflat? Scientia ergo inflare dicitur, sicut litera, seu scriptura sacra occidere; non velut causa peccati, sed occasio; non per se, & à se data, sed ab hominibus perperam accepta. Scientia, præsertim de Deo, & quæ non potest venire nisi à Deo, ut non conceditur nisi ad usum bonum, ita hunc ex sponte natura produceret, nisi à malitia hominum verteretur in abusum. Abusus itaque scientiæ, non scientia ipsa à S. Paulo reprehenditur, ut videre est apud S. Bernardum serm. 36. [VIII.] Quàm verò frustrà, & ineptè memoratus textus objiciatur, in ipso Opere, cujus hic compendium fit, magis declaratur ex scopo scribentis Apostoli.

CAPUT III.

Sancti Cyprianus, Hieronymus, Augustinus, Author librorum de Vocatione gentium adversario eripiuntur. Col. 117.

I. S. Cyprianus l. *de bono patientiæ* num. 1. arguit *patientiam falsam*, & *sapientiam falsam* Philosophorum, quos *nec humiles*, inquit, *videmus esse, nec mites; sed sibi multùm placentes, & hoc ipso, quòd sibi placeant, Deo displicentes &c.* Verùm nullum hic verbum, unde colligi possit, talem præsumptionem produci à cognitione Dei, quæ non potest venire, nisi à Deo; *& quæ quantum est de se inducit homines ad bonum*, teste Angelico, ut vidimus c. 2. n. 1. [II.] Unde nec in

hanc refundi potest quod nobis objicitur ex Hieronymo epist.4.ad Rusticum Monachum, ubi de Philosophia seculi scribit: *Illi vitium vitia, peccatumque peccato medicantur.* De iisdem paulò ante dixerat: *SOLENT amorem veterem amore novo, quasi clavum clavo expellere,* quod postremum non memorat adversarius, nè pateat, Hieronymum non exprimere, quid à Philosophis seculi semper, sed quid communiùs, & passim fiat. Non enim adeò Hieronymus in Ethnicos durus est, ut omnia eorum opera peccati accuset: sic enim scribit in c.22. Matthæi: *Inter ipsos quoque Ethnicos est diversitas infinita; cùm sciamus, alios esse proclives ad vitia, & ruentes ad mala; alios ad honestatem morum virtutibus deditos.* Vide etiam Prop.38. c.1. num.5. Nè virtutes illæ apud Quesnellum sint ex gratia, prohibent condemnati ejus articuli 26.27. 28. 29. (III.) Etiam qui allegatur Augustini locus l.13. de Triu. c.18. non cognitioni Dei tribuit gentilium Philosophorum crimina, sed partim voluntariæ eorum incredulitati, quâ Mediatorem *nec venturum Prophetis, nec venisse Apostolis crediderunt*; in cujus incredulitatis pœnam *in deceptores Dæmones inciderunt, per quos factum est, ut immutarent gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis.*

IV. At nemo magis alienus est ab attribuendis cognitioni Dei Philosophorum excessibus, quàm author operis de Vocat.gent. cùm loco, qui nobis objicitur (l.1.c.4.) cognitionem illam esse dicat ex *illuminante gratia*; unde obiter infertur, fidem non esse primam gratiam contra Prop.26. & 27. Porrò vitia eorum manifestè adscribit eorum ingratitudini, & *superbiæ*: unde fit, ut paulatim in pejora ruant *incipientes in semet ipsis etiam illa temporalia Dei dona corrumpere, & à bono eorum usu in consuetudinem innumerabilium transire vitiorum*: ubi satis clarè innuatur aliquis priùs fuisse in illis Philosophis donorum illorum *bonus usus*; qui si fuit ex gratia, ruunt Propositiones citatæ num.2.; si non fuit ex gratia, falsum ergo est, quod *peccator non sit liber nisi ad malum sinè gratia liberatoris*, quæ est Prop.38., cui consonant Prop.39. 40., & hæc ipsa 41.

CAPUT IV.

S. Fulgentius ab impacto errore Propositionis Quadragesimæ primæ vindicatur. Col.122.

I. PRiusquam respondeamus ad Fulgentium l.9. de veritate Prædestinationis,

II. Observa ex S. Thoma in cap.1. Joannis lect.7. *antiquos Doctores, & Sanctos emergentes errores circa fidem ita fuisse persecutos, ut interdum viderentur in errores labi contrarios.* Unam ex rationibus, ob quas aliqui Sancti Patres ita agerent, aperit nobis idem Angelicus q.5. de malo a.2. ad 1. *Sancti tali modo loquendi usi sunt, ut detestabilem redderent errorem Pelagianorum*; quos in citato opere impugnat Fulgentius, scilicet, *ut eos reduceret ad medium, abundantiùs declinavit ad extremum: plus dicens, & minus volens intelligi*, quemadmodum loquitur Bonaventura in Breviloquio parte 3. c.5. occasione S. Augustini *errores Pelagianorum* acerrimè insectantis. Bonaventuræ prævenerat Theodoretus tom.4.pag.170. Aliâ etiam ratione Chrysostomum duriùs locutum defendit Augustinus, & Anselmus Patres universim. Nunc singula objecti textus membra excutiamus.

III. S. Fulgentius caput.22. libri citati sic concludit: *Illa itaque manifestatio, qua* Philosophi [de quibus Apostolus ad Rom.1.v.21.& seqq.] *cognoverunt Deum, qui cognitum non dilexerunt, gratiam non habuit, qua Deus sic cognoscitur, ut ametur*: ubi liquet, agi de efficaci gratiâ; merè enim sufficiens non amorem ipsum, sed solam amandi facultatem tribuit. Stabiliendæ autem *veritati Prædestinationis*, in quam unicè collimat Fulgentius, ut ex ipso operis titulo manifestum est, asserenda fuit gratia efficax, quæ proprius *Prædestinationis* effectus est. Hinc S. Doctor sic orditur caput 24. *Quia ergo gratiam* [efficacem, ut jam ostensum est;] *non habuerunt, propterea cognoscentes Deum, gratias non egerunt*, ut poterant, & debebant, cùm paulò infra dicatur: *nulli ergo cognitione ablata excusatio est*; quæ certè adfuisset justissima, si defuisset adjutorium, quo gratias agere potuissent: nam juxta fidem catholicam, Patres omnes, & speciatim Augustinum l.3. de lib. arb. *ista causa est voluntatis; si non ei* [tentationi cuicunque, adeòque & ingratitudinis, & superbiæ] *potest resisti, sinè peccato ei ceditur*: si Philosophi omni gratiâ sufficienti caruissent, qua pro accepta Dei *cognitione* gratias agere possent, debitum illud gratitudinis officium innocenè omisissent. Hactenus in Fulgentio difficultas nulla.

IV. Objectum textum sic prosequitur, & terminat: *Et quia vasa iræ fuerant aptata in interitum, hoc in eis operata est ista manifestatio; qua Deum cognoverunt, ut cognoscendo superbirent, non ut se humiliando diligerent*; ubi Tò *operata est . . . ut cognoscendo superbirent* apud omnes catholicos, qui Fulgentium, ut debent, reverentur, significare non potest causam propriè dictam, sed occasionem tantummodò; quo sensu dixit Apostolus Rom.4. v.15. *lex . . . iram operatur*; non quasi lex sit causa transgressionis, atque hinc nascentis iræ, & vindictæ Divinæ; sed quia lex peccatum patefacit, cujus occasione homines, qui in vetitum semper nituntur, etiam vetita ex propria malitia operantur. Ita quoque 1.Cor.3.v.6. dicitur *litera . . . occidit*, non aliâ sanè significatione, quàm quòd mortis occasio sit, non data, sed ab hominibus perperam accepta. Relege hic quæ ad Prop.5.c.2.ex S.Thoma retulimos. Sanè si lex, vel litera, adeòque & Dei cognitio, etiam absente gratiâ, per se operarentur mala, Deus illarum author, etiam malorum operum causa foret, contra apertissimam Fulgentii sententiam, ut mox videbimus.

V. . . . VIII. Verùm quid sibi vult Fulgentius, dum ait: *quia vasa iræ fuerunt aptata in interitum, hoc in eis operata est ista manifestatio &c.?*

R. *Interitum* hic significat; *pœnam*, non *culpam*; *supplicium justum*, non *opus injustum*, ut ipsemet Sanctus explicat l.1. ad Monimum c.26. proinde allegatorum verborum sensus est: quia vasa iræ fuerunt prædestinata ad inferni supplicium propter eorum peccata à Deo prævisa, hinc abusi sunt in tempore illâ Dei manifestatione, qua abusuri prævisi fuerant ab æterno; adeòque abusus ille ex aptatione, seu prædestinatione in interitum logicè quidem sequitur, at nullâ ratione causatur, ut ex subjectis Fulgentii textibus patebit, quibus tota nostra ad objectionem responsio egregiè confirmatur.

Cùm enim libro proximè citato, qui est *de duplici prædestinatione*, sedecim primis capitibus stabilivisset contra Pelagianos gratuitam prædestinationem Sanctorum; capite 17. „ malorum quoque voluntatem, operationem, & retributionem considerare „, *aggreditur*
„ ut agnoscamus (inquit) utrum malos Deus justos ad
„ hoc prædestinaverit faciendum, quod in eis punitur
„ est factum: An idcirco iniquos ad supplicium justè
„ prædestinaverit, quia eorum mala opera, licèt futura
„ præsciret, non tamen ipse prædestinavit, ut futura
„ essent, quia non ipse fecit, ut fierent. „ Primum rejicit, secundum admittit, & probat reliquis ejusdem libri capitibus, ut legenti indubitatum est.

Hinc c.26. sic habet: „ Vasis . . iræ nunquam Deus redderet interitum, si non spontaneum inveniretur ho-
„ mo habere peccatum: quia nec Deus peccanti homi-
„ ni justè inferret iram, si homo ex prædestinatione Dei
„ cecidisset in culpam. Sed quia causam iniquitatis suæ
„ ex propriâ habuit voluntate, propterea B. Paulus su-
„ stinuisse asserit Deum in multa patientia vasa iræ apta-
„ ta in interitum. Hæc igitur ita ideo talibus vasis in-
„ teritum reddidit, quia in eis meritum voluntariæ ini-
„ quitatis invênit „.

Tum cap.27. „ nam & hoc tempore, quo discedentes
„ malos deserit Deus, non operatur in eis, quod ei dis-
„ plicet . . . postmodum eis redditurus . . . pro eo quod
„ ipsi malè abusi sunt Dei operibus bonis. „

Dein cap.28. sic Monimum alloquitur: „ Etiam conside-
„ ra, quia [*Augustinus*] nullius culpæ humanæ in-
„ Deum

„ Deum referendam admonet causam . . . Alio quoque „ . . . loco memoratus S. Augustinus sic dicit: extolli „ quippe in superbiam, propriæ voluntatis est hominum, „ non operis Dei: neque enim ad hoc eos compellit, „ aut adjuvat Deus „. Atqui Deus compelleret, aut adjuvaret peccatores ad superbiam; superbia esset operis Dei; culpæ humanæ in Deum referenda esset causa; Deus operaretur quod ei displicet &c. si ejus cognitio, quæ non potest venire nisi ab illo, sinè gratia non produceret nisi præsumptionem &c. ergo ex duobus postremis Fulgentii locis stabilitur explicatio verborum ejus num. 4. tradita.

Ex duobus verò prioribus clarum est, non aliâ, quàm quâ diximus ratione, verificari hanc causalem: *gentiles Philosophi abusi sunt Dei manifestatione*, QUIA *vasa iræ fuerunt aptata in interitum*. & eâdem operâ Quesnelli impietas novo ariete concussa est.

CAPUT V.

Præoccupatur scrupulus circa rigidam Quesnellianæ sententiæ acceptionem. Col. 131.

I. AT, inquiet quispiam, S. Fulgentium capite præcedenti benignè interpretati sumus; Cur non par indulgentia Quesnellianæ Propositioni, quæ cum Fulgentiana convenit, adhibetur?

R. 1. cum Contensonu dissert. de gratiâ pag. 624. quia „ solis sacris literis, solis Sanctorum Patrum dictis Ec„ clesia hanc debet reverentiam, ut difficilia, & ob„ scura eorum verba, inquisitis reconditis eorum sensi„ bus, explicet, piisque interpretamentis exponat: „ *quare*, subjungit Cardinalis Aguirre, ex quo Contensoni verba retulimus, *frustrà aliqui id ipsum fieri exoptant cum Jansenio*. Ratio est, quia, ut ait S. Athan. oratione 4. *ibi bona mens superat obscuriorem loquendi modum: nunc quia hæreticorum ea mox est, omniaque hæreticorum verba suspecta sunt, non id faciunt sinè perversitate*. Plura vide apud Authorem.

II. R. 2. Quesnelli Propositionem ita claram esse, ut interpretatione non egeat, esse tot aliis ejus prioribus, posterioribusque damnatis articulis consonam, & sponte consequi ex novæ doctrinæ principiis &c., ut c. 1. ostensum est. Præterea ex nullis circumstantiis ad mitiorem sensum determinatur; imò nec determinat Quesnellus ipse in *Querela* sua, & *Protestatione*, nec sensum ejus obvium inficiatur, contentus eam referre, & defendere, non explicare. Alia omnia pro Fulgentio militant, ut vidimus Capite superiore.

R. 3. Fulgentium, ut mentibus, ita & voce à Quesnello discedere: Ille enim ait tantummodo: *Hoc in* Philosophis illis *operata est ista manifestatio, qua Deum cognoverunt, ut cognoscendo superbirent*: Quesnellus verò ultra progressus sic pronuntiat: *Omnis cognitio Dei . . . sinè gratia NON producit NISI præsumptionem &c.*

QUADRAGESIMA SECUNDA PROPOSITIO DAMNATA.

Sola gratia Christi reddit hominem aptum ad sacrificium fidei: sinè hoc nihil, nisi impuritas; nihil, nisi indignitas. *Observ. Moral. Act. 11. v. 9.*

CAPUT I.

Propositionis secundùm se, & sensu obvio intellectæ impugnatio. Col. 134.

I. QUòd *sola gratia Christi reddat hominem aptum ad Sacrificium Fidei*, Catholicum est; quòd *sinè hoc nihil nisi impuritas, nihil nisi indignitas*, fit, à tribus Pontificibus damnatum est in hac Bajana 25. *Omnia opera Infidelium sunt peccata, & Philosophorum virtutes sunt vitia*. Scripturas, S. Thomam, Hieronymum, Augustinum, Fulgentium &c. huic errori directè oppositos dedimus ad Prop. 38. c. 1. n. 3. 5. 6.

II. His adde, S. Augustinum ep. 130. in Polemone infideli aliquid agnovisse præter impuritatem, & indignitatem, videlicet *continentiam*, & quidem quæ esset *donum* Dei, & virtus moralis *ad præsentis vitæ honestatem* serviens. Item lib. de Sp. & lit. c 27. sic scribit: *Ad salutem æternam nihil prosunt impio aliqua bona opera, sinè quibus difficillimè vita cujuslibet pessimi hominis* (adeòque & infidelis) *invenitur*.

III. Augustino præivit Hieronymus in cap. 22. Matthæi, ubi ait ex Ethnicis *alios esse proclives ad vitia . . . alios ob honestatem morum virtutibus deditos*. Item in cap. 1. ep. ad Gal. *Multi*, inquit, *absque fide, & Evangelio Christi vel sapienter faciunt aliqua, vel sanctè, ut parentibus obsequantur, ut inopi manum porrigant, non opprimant vicinos, non aliena diripiant*, in quæ verba sic notat Bellarminus l. 5. de gr. & lib. arb. c. 9. *Hoc loco S. Hieronymus non solùm concedit sinè fide aliqua opera sancta fieri, sed etiam sanctè: nullo autem modo sanctè fieri dici potest, quod cum peccato fit*. Rursum Hieronymus in caput 5. ep. ad Gal.: *Quo modo juxta Jacobum fides absque operibus mortua est; sic absque fide quamvis bona opera sint, mortua computantur*: ad quod Bellarm. l. c. *Fides sinè operibus non est falsa, sed vera, tametsi mortua dicatur, quia non operatur salutem æternam: igitur, & opera bona sinè Fide non sunt mala, sed verè bona; mortua tamen, quia nihil prosunt ad æternam vitam, quæ est in cœlis*.

IV. Huic Patrum doctrinæ minimè adversatur quod pro se producit Quesnellus ex Act. 11. v. 9. ubi respectu Centurionis Cornelii dicitur Petro; *quæ Deus mundavit, tu nè commune dixeris*, quo significantur gentiles *communes* esse, id est, phrasi Scripturæ *immundi*: sed aliud est immundum esse, aliud in omnibus actibus peccare; hoc postremum gentilibus omnibus convenire soli docuere Hæretici, Lutherus, Calvinus, Bucerus, Kemnitius &c. & post hos Bajus, Jansenius, & Quesnellus. Si licet vide Jansenium l. 3. de grat. Salv. c 11. & l. 4. de statu naturæ lapsæ c 3.

CAPUT II.

Gravior accusatio Propositionis acceptæ juxta sensum ab authore intentum. Col. 139.

I. AD *Sacrificium Fidei . . . sinè quo nihil nisi impuritas, nihil nisi indignitas*, non sufficit Quesnello fides qualiscunque, etiam mortua; sed talis requiritur, quam Charitas imperet, aut comitetur: nam per Prop. 88. *Nec Deus est, nec religio* (adeòque nec Sacrificium fidei, utpote verus religionis actus) *ubi Charitas non est*. Per Prop. 56. *Charitas sola Deum honorat*: Sed ubi non est honor Dei, ibi nec Sacrificium; ergo juxta Quesnellum nullum est sinè Charitate Sacrificium Fidei. Rursus per Prop. 51. *Fides non operatur nisi per Charitatem*: sed Sacrificium Fidei est sinè dubio opus Fidei; ergo hoc Sacrificium non habetur sinè Charitate.

II. Quid, quòd juxta eumdem Novatorem non tantùm Fidei Sacrificium, sed nec ipsa Fides sinè amore Dei subsistit: Fides enim citra controversiam est opus bonum; sed per Prop. 47. *nullum est opus bonum sinè amore Dei*: At sinè quo *amore Dei*? qui scilicet per Prop. 44. *omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur*, & qui proinde super omnia benevolus est. Eodem conspirant Prop. 45. 46. &c.

III. IV. Tota hæc doctrina manifestè innovat Bajanam 15. 27. 38 58.; item articulos 7. 8. 10. 14. 15. inter 31. ab Alexandro Octavo damnatus; aliusque à Sequenotio, & Sancyrano excogitatos errores ad novæ, quam meditabantur, Ecclesiæ praxim, præsertim in Sacramentu pœnitentiæ, pertinentes.

V. Fi-

V. Fidem veram, & Christianam sinè Charitate non subsistere, dixere etiam Lutherus, Calvinus &c. & temporibus nostris vicinior Jansenius l.5. de Grat. Christi c.7. *Amor Dei*, inquit, *nisi voluntatem hominis ad credendum flectat, non erit fides Christiana, sed vel Dæmonum .... vel carnalis* Et c.6. *Nullam* Augustinus *agnoscit fidem veram, atque Christianam, nisi ex Charitate* [& quidem *dominante*, ut habet l.3. de grat. Christi c.21.] *dimanet* (VI.) Quod quàm falsò de Augustino afferat, patet ex l.15. de Trin. c.18. *Fides*, inquit S. Doctor, *juxta Apostolum esse potest sinè Charitate*.

Penè excideram annotare, ex eadem Quesnelli Propositione, consumpta 51., sequi, omnem actum humanum esse vel peccaminosum, vel justificantem: pro quo, Observa, Sacrificium Fidei ex gratia, esse sinè dubio fidem actualem, seu operantem; præterquam quòd aliunde constet, à Novatoribus otiosos habitus, saltem respectu adultorum, procol amandari: hinc Professor quidam Namurci Quesnello devotus in dictatis de Fine §.9. ausus est hæc Discipulis suis scribenda prælegere: *Non admittimus, in adultis dari habitus otiosos sive bonos, sive malos; sive supernaturales, sive naturales*: legitimum hujus doctrinæ præmium fuit Doctoris exautoratio. Jam breviter

Probatur sequela: juxta præsentem Propositionem sinè Sacrificio Fidei, hoc est, sinè Fide operante *nihil nisi impuritas, nihil nisi indignitas*: sed *Fides* per Prop.51. *justificat, quando operatur*: ergo omnis actus humanus est vel peccaminosus, vel justificans; quod erat probandum.

CAPUT III.

Propositioni 42. frustrà patrocinium quæritur in Scripturis. Col.145.

I. Objicitur primò ex epist. ad Hebræos c. 11. v.6. *Sinè Fide impossibile est placere Deo*: R. id neutiquam proscripto errori suffragari: nemo siquidem sinè fide bonus est, seu justus; nemo sinè fide peccato caret sive originali, sive personali, adeòque Deo simpliciter placere non potest: quo non obstante possunt ab infideli præstari quædam opera tam ex se, quam ex fine suo, rationi conformia, & proinde Deo non displicentia; imò etiam intrà naturæ ordinem placentia: nec enim malitia personæ necessariò in opus transit, ut patet in peccatore se ad justitiam per orationem, cæterosque virtutum actus disponente: hi enim placent, licet peccator ipse displiceat, utpote iræ, & vindictæ divinæ etiamnum obnoxius. Sicè contrario placere potest homo justus, licèt opus ejus venialiter malum displiceat.

II. Confirmatur responsio 1. ex Angelico, ubi lect.3. explicat illud ad Rom.14. *Omne, quod non est ex Fide, peccatum est*: qui est alter locus nobis ab adversariis objectus, & cujus verum sensum ab horum errore maximè alienum S. Thomas simul aperit his verbis: „ Dicendum est, quod aliter se habet fidelis ad bonum, „ & infidelis ad malum: nam in homine, qui habet Fi„dem formatam, nihil est damnationis; sed in homine „ infideli cùm infidelitate est bonum naturæ: & ideo „ cùm aliquis infidelis ex dictamine rationis aliquod „ bonum facit, non referendo ad malum finem, non „ peccat .... Cùm verò infidelis aliquid agit ex eo, „ quòd infidelis est, manifestum est, quod peccet: un„de in glossa cùm dicitur: opus omne, quod non est ex „ fide, peccatum est, sic est intelligendum: omne, quod „ est contra conscientiam, peccatum est; etsi ex genere „ suo bonum esse videatur: puta si Paganus ad honorem „ suorum Deorum Virginitatem servet, vel eleemosy„nam det, hoc ipso peccat.„

Confirmatur responsio 2. ex Cardinali de Aguirre ab Adversariis non recusando: hic disp.130. sect.5. pronuntiat esse *quædam opera Infidelium bona*, quod colligi ait „ *ex variis* Scripturæ locis, in quibus legitur „ remuneratio aliqua, vel præmium a Deo collatum in„fidelibus ob quædam opera, veluti Obstetricibus Ægy„ptiis &c. Patet verò, ea opera ab iis infidelibus rela„ta non fuisse in Deum ex fide, præsertim per dilectio„nem operante; nec Deum conferre præmium aliquod „ etiam temporaneum, nisi propter opera moraliter „ bona.„

III. Objicitur 2. illud Act. 15. v.9. *Deus ... nihil discrevit inter nos, & istos* (Gentiles) *fide purificans corda eorum*. Ergo sinè Sacrificio Fidei nihil nisi impuritas, nihil nisi indignitas.

R. Tob.12. v.9. dicitur: *eleemosyna purgat peccata*: eodem jure, hoc est, æquè insulsè hinc inferre possem: ergo sinè eleemosyna nihil nisi impuritas, nihil nisi indignitas. Sicut ergo eleemosyna purgans peccata non significat, nihil in eo, qui purgatur, contineri præter peccata: ita nec fides gentilium corda purificans significat nihil in iis præter Infidelitatis, & peccatorum sordes inveniri.

Cætera, quæ ex Scripturis allegantur, merè aerem verberant: unde nullâ penitùs responsione indigent.

CAPUT IV.

Non suffragatur adversariis Augustinus, sed opponitur certissimè, uti & S. Thomas. Col.152.

I. Opponitur nobis Augustinus in Ps.31. enarr.2. „ Debemus „ inquit, „ nulla opera præponere Fi„dei, id est, ut ante fidem quisquam dicatur bene ope„ratus. Ea enim ipsa opera, quæ dicuntur ante fidem, „ quamvis videantur hominibus laudabilia, inania „ sunt .... Ubi Fides non erat, bonum opus non erat.„

[II.] *Id est meritorium*, ait S. Thomas, eadem Augustini verba referens in 2. sent. dist.40. in *Expositione textus* Magistralis. De nullis verò aliis actionibus bonis, quam ad justitiam conducentibus hic Hipponensi sermonem esse, non tantùm ex Aquinatis testimonio; sed ex toto contextu compertissimum est. Porrò Angelicus loco citato pro uberiore illius, quod dixerat, intelligentiâ, remittit nos ad distinctionem sequentem. Illic q.1. quæritur, *utrum aliquis actus hominis Infidelis possit esse bonus*? quam quæstionem sic resolvit: „ quamvis ab infidelium actibus subtrahatur illa boni„tas, secundùm quam actus MERITORIUS dicitur, re„manet tamen bonitas alia vel virtutis Politicæ, vel ex „ circumstantia, vel ex genere: & ideo non oportet, „ quòd omnis eorum actus sit malus, sed solùm quòd sit „ deficientis bonitatis.„ Tum quidquid objici potest sic solvit:

„ Ad 1. ergo dicendum, quòd cùm dicitur, *omnis vita* „ *infidelium peccatum est*, non est intelligendum hoc mo„do, quòd omnis actus eorum peccatum sit, sed quia „ semper cum peccato vivunt; quia infidelitas est tale „ peccatum, quo retento nullum aliud remittitur. Vel „ dicendum, quod intelligitur de illis actibus, ad quos „ ex sua infidelitate impelluntur, ut est adorare Ido„la &c.

„ Ad 2. dicendum, quòd Fides dirigit intentionem in „ finem ultimum; sed ratio naturalis, vel prudentia po„test dirigere in aliquem finem proximum; & quia ille „ finis proximus est ordinabilis in finem ultimum, „ etiamsi actu non ordinetur, ideo in infidelibus, quo„rum actus per vim rationis in talem finem diriguntur, „ possunt aliqui actus esse boni, sed deficientes à perfe„cta bonitate, secundùm quam actus est meritorius.

„ Ad 3. dicendum, quòd, sicut aliquid participat boni„tatem, ita etiam Deo est acceptum: & ideo actus illi „ enuntiantur Deo accepti simpliciter, qui meritorii „ sunt completam bonitatem habentes. Sed tamen „ actus alii, secundùm quod sunt boni ex genere, vel „ ex circumstantia, Deo placent, non tamen sicut re„munerabiles æterno præmio.

„ Ad 4. dicendum, quòd non obligamur ad hoc, quòd „ quilibet actus actu dirigatur in finem illum, in quem „ non potest nisi Fides dirigere; quia præcepta affirma„tiva non obligant ad semper, quamvis semper obli„gent: & ideo non oportet, quòd actus infidelium, „ qui

„ qui in finem illum non est ordinatus, semper sit peccatum; sed solùm pro tempore illo, in quo tenetur „ actum suum in finem ultimum referre.
„ Ad 5. dicendum, quòd infideles non semper ex infidelitatis errore finem sibi præstituunt; sed aliquando „ ex vero, & recto judicio rationis. Et ideò non oportet, quòd in quolibet actu peccent.„
Habes hic, lector, doctrinam Catholicam à S. Ecclesiæ Doctore, & præcipuo Scholarum Magistro egregiè stabilitam, & ab objectis omnibus vindicatam; [III., IV.] cui consentire S. Augustinum ostendimus c.1.n.2. Item Prop.38. c.1. n.6. (V.) Ea dictis ad Prop.40. c.2. n.2. intelligi potest, quomodo simul verissimum sit, nec tamen ullo modo Adversariis prosit quod nobis ex eadem Augustini enarratione 2. in Ps.31. hic objicitur. *Omnia ; . . quæ habes, ab illo* [Deo] *habes; TUUM peccatum solum habes &c.*

CAPUT V.

Non favet adversariis S. Prosper. *Col.* 160.

I. HIc carm. de Ingratis c.17. de Fide sic enuntiat: . . . . . . *omnes Sola ex immundis mundos facit*: cujus solutio, & in simili retorsio habetur c.3. n.3.

II. . . . IV. Idem Prosper l. contra Collatorem c.28. reprehendens impiorum *justitiam, temperantiam &c.* explicandus est de impiis, quatenus impiè, & infideliter agentibus; *quia* nimirum, ut subjicit Prosper, *in iis studiis non Deo, sed Diabolo serviunt*; justitiam suam & temperantiam vel idolis suis acceptas referentes, vel in eorum honorem dirigentes, juxta ea, quæ retulimus ex S. Thoma c.3. num.2.

Eâdem ratione ait, *omnia opera eorum immunda esse, atque polluta habentium sapientiam . . . . animalem . . . . terrenam . . . Diabolicam*; ea hac enim sapientia procedentes actiones non possunt non principii sui vitio maculari: quod non obstat, quominùs cum D.Thoma sub finem præcedentis capitis allegato verè dici possit, quòd *infideles non semper ex infidelitatis errore finem sibi præstituunt; sed aliquando ex vero, & recto judicio rationis; & ideo non oportet, quòd in quolibet actu peccent*; quam doctrinam eum ibid. etiam Augustini esse ostenderimus, necesse est à S.Magistro Sanctum ejus discipulum Prosperum velle disjungere.

V. . . X. Non abhorret à vero, tam Prosperum, quàm Augustinum, aliosque SS. Doctores omnia Infidelium opera videri reprehendere, quia juxta Bellarminum plerunque,aut passim reprehensione digna erant. Vel si quæ bene, & citra culpam egissent, eadem postmodum quasi extrinsecè corrumpebant;vel superbè ostentando, & laudem hominum aucupando; vel diis suis per summum scelus attribuendo; quo fiebat, *ut & ipsa, quæ non haberent nisi donte Deo*, subderent *ei, qui primas recessit ab eo*, ut ibidem S. Prosper observat.

CAPUT VI.

Digressio de apparentibus Jansenistarum Virtutibus Sacrificio Fidei *destitutis*. *Col.*168.

SI subsisteret Quesnelli Propositio asserens, *Sinè Sacrificio Fidei nihil esse nisi impuritatem, & indignitatem*, in nullos illa melius conveniret, quàm in Jansenii sectatores, quorum mores, vita, & praxis ut à vera Fide, ita ab illius sacrificio longissimè absunt. In exemplum producitur Saneyranus Jansenio tum diuturnâ consuetudine, tum perpetuo literarum commercio conjunctissimus, cui, ut via dubitandum videtur, & ad scribendum impulsor extitit, & in fundanda nova Ecclesia Coadjutor.

PRÆCEDENTIUM QUINQUE PROPOSITIONUM

DE LIBERTATE SINE GRATIA IMPUGNATIO ITERATA.

CAPUT I.

*Instaurata inaniter Quesnelli defensio in Hexaplis. Col.*174.

I. II. AUthor Hexaplorum demonstrandum suscipit; „ 1. Quesnellum docuisse mandata Dei non „ esse impossibilia. 2. Boni operis impossibilitatem sinè „ gratia non esse defectum potestatis naturalem, & ab- „ solutum; sed voluntarium, ortum ea perversitate, & „ corruptione animi liberâ 3. desertionem Divinam „ esse punitionem præcedentis delicti. „ (IV. . . IX.) Hæc ipsa de se Quesnellus demonstrare conatus est in Explicatione sua apologetica; sed argumenta ejus in hanc rem omnia efficaciter elisa sunt ad Prop.2. c.7. num.13. & seqq. quò lectorem in hoc compendio remittimus; [X.] contenti hic ostendere, in Quesnelli principiis desertionem Divinam, saltèm in eo, qui semel justificatus est, nunquam esse pœnam præcedentia delicti. Justus enim, qui primùm à justificatione peccat, non habuit gratiam efficacem, qua se à lapsu præservaret, ut patet: ergo nullam habuit, cùm per Prop.9. & tot alias sequentes, præter efficacem in hoc statu nulla detur: ergo justus ille à Deo desertus est: nec tamen ea desertio imputari potest ulli præcedenti delicto; cùm quæ justificationem præcesserunt, in justificatione remissa sint; hoc verò, quod jam committitur, primum esse ab adepta justitia supponatur. Jam verò, cùm hoc primum peccatum non imputetur ad culpam, utpote quod defectu gratiæ caveri non potuit; redibit ratiocinium pro sequentibus delictis: & sic desertio divina in eo, qui semel justificatus est, nunquam erit pœna præcedentis peccati; scilicet propriè dicti, & ad culpam imputabilis.

III. Quæres, cur author Hexaplorum, qui præcedentes Propositiones de defectu liberi arbitrii sinè gratia, earumque architectum ab errore vindicare nititur; in verbis suis, quæ num.1. produximus, tantùm meminerit *gratiæ*, non etiam fidei, sinè cujus sacrificio dicitur in Prop.42. *nihil esse nisi impuritas, & indignitas*? R. quia Jansenianis Theologia idem videtur esse *sinè fide*, & *sinè gratia*. Jansenius enim editionis Lovaniensis col.818. *hæc quoque*, inquit, *vera ratio est, cur apud Augustinum* [non Hipponensem, sed Batavum] *indifferenter usurpetur, SINE FIDE, & SINE GRATIA, & SINE CHARITATE homines præceptum implere non posse*. Hinc originem trahit Prop.26. *Nullæ dantur gratiæ, nisi per Fidem*; & Prop. 27. *Fides est prima gratia*.

CAPUT II.

Examinatur Observatio *nomine Theologorum Galliæ proposita. Col.*183.

I. AUthor hujus observationis sic habet: *Putant Theologi Galliæ Propositionum 38.39. 40. & 41. censura perculli opinionem in Scholis frequentatam,etiam post tempora S. Pii V. Gregorii XIII. & Urbani VIII. circa operum absque gratia elicitorum pravitatem*.

IV. Certè hæc opinio post horum Pontificum tempora frequentata non fuit apud Discipulos S. Thomæ, qui sinè dubio est in opposita sententia:Vide Prop.38. c.1. num.3. (V.) Frequentata etiam non fuit apud Scotistas, quorum Magistri, Scotus, Bonaventura citatus ibid. c.5. num.6. item Gabriel, Richardus, Duran-

moratorum Antistitum Denunciatores produxit in feenam: quidquid fit, certè uterque Quesnelli partiarios est. Mirare autem mobilem factionis indolem. Cùm priùs dignissimos eos Præsules, & Sedi Apostolicæ obedientes per immanem calumniam denunciasset Eminentissimo Noaillio, quasi in documento suo Pastorali renovarent 27. Baji articulum à tribus Pontificibus proscriptum: *Liberum arbitrium sinè gratiæ Dei adjutorio non nisi ad peccandum valet*; dein biennio post in *variis observationibus* nomine *Theologorum Galliæ* editis præter alias plures, & in diversa materia Quesnelli Propositiones, etiam trigesimamoctavam cum tribus sequentibus, in quibus idem Bajanus articulus 27. clarissimè comprehensus est, vult à Clemente XI. tanquam innoxias permitti scholarum libertati. Atque istud esse ait judicium, istud votum *Theologorum Galliæ, & Cordatissimorum quorumque Virorum*: id unicè *necessarium ad Regni* non solùm; sed etiam ad *Ecclesiæ pacem, & concordiam*; cùm tamen ipsissima doctrina sit, contra quam tam imporcenter debacchatur, duos dennotiana Anti-Jansenianos Antistites, qui quantùm cœlum à terra, tantum aberant ab hoc errore, ut patuit ex eorum responsione An. 1714. edita, ubi pag.24. ostendunt, libero arbitrio sinè gratia non negari à se opera indifferentia, non naturalia moraliter bona; sed solùm ea, quæ ad justitiam, & salutem conducunt.

CAPUT VII.

Querimonia, & Protestatio Quesnelliana plena doli, & mendacii convincitur. Col.219.

IN sui tutelam allegat Quesnellus, agnoscere se in homine, etiam independenter à gratia, potestatem naturalem, & libero arbitrio essentialem agendi bene, & evitandi peccatum; sed hæc non est nisi primus, & remotissimus potestatis gradus fundatus in naturali rationali flexibili de se ad bonum, & malum; qui si ad libertatem sufficeret, jam nullos eam evertisset hæreticus.

Quia enim eorum talem dixit hominis voluntatem, ut tantùm velle possit malum, nunquam bonum, aut vice versa? Ea ergo nativa arbitrii facultas non distinguit Quesnellum à quocunque libertatis hoste. Si in præsenti materiâ distingui cupit, fateatur, hominem, absente gratiâ, posse hic, & nunc proximè, & expeditè aliter agere quàm malè.

Recole dicta ad Prop.2. c.7. num.14. & ad Prop.13. c.1. num.4.

CAPUT VIII.

Expenditur conditionalis Quesnelliana: Potest homo semper, si velit, seu bonum agere, seu malum. *Col.225.*

QUemadmodum Quesnellus ait, hominem gratiæ, quæ per Prop.10. *est operatio manus omnipotentis Dei, quam nihil impedire potest, aut retardare*, posse resistere, *si velit*; ita si ex eo quæsieris, an liberum arbitrium sinè gratia aliter agere possit, quàm malè, respondebit illico, posse aliter agere, *si velit*. Si ulteriùs quæras, an velle possit, vel potius, an aliquando sinè gratia efficaciter velit, id certè pernegabit, nè renuntiet Propositioni 38., & quatuor sequentibus; quæ nihilo meliores sunt Bajana 27. Unde patet, merè ad illudendum simplicibus adhiberi à versutissimo Novatore hanc conditionem impossibilem *si velit*, cujus originem assignavimus, & futilitatem explosimus ad Prop.2. c.7. n.18. & seqq.

Reponet Quesnellus: si quando sinè gratia aliter agere mus quam malè, jam sinè gratia resisteremus vitiosæ cupiditati, atqui hoc non: ergo.

Respondeo, negando majorem, quæ falsò supponit, omnem humanam actionem, quæ non procedit ex motu gratiæ, procedere ex motu vitiosæ cupiditatis. Quia verò vitiosæ cupiditatis motus est in eo, qui se opificio applicat ad sustentandam vitam, qui vestem consuit ad arcendum frigus, qui domum ædificat ad propulsandas aëris injurias &c. Absit enim, ut eum Quesnello dicamus *non esse nisi duos amores, unde volitiones, & actiones omnes nostræ nascuntur: amor Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur; & amor, quo nos ipsos, ac mundum diligimus, qui quod ad Deum referendum est non refert, & propter hoc ipsum fit malus* quæ est damnata 44., suo loco refellenda.

CAPUT IX.

Responsio ad cæteras Quesnelliana Querelæ & Protestationis *objectiones*. *Col.232.*

I. PErsuadere nititur Quesnellus, Propositiones suas de libertate sinè gratia, quas annumerat *Sacratissimis Divinæ Sapientiæ veritatibus*, aptas esse summum in humilibus generare solatium.

Contendimus nos, ex ejus doctrina nasci non Christianæ humilitatis solatium, sed infamium Quietistarum socordiam: sic enim in æstu sceleris secum facilè statuet peccator nequissimus. Per Prop.40. sinè gratia *nihil amare possum, nisi ad meam condemnationem*: gratia autem mihi deest; hæc enim si adesset, jam rectè amarem; cùm per Prop.10. *gratia sit operatio manus Omnipotentis Dei, QUAM NIHIL IMPEDIRE POTEST, AUT RETARDARE*: Sed nec sceleratum amorem eum minùs noxio commutare possum, cùm juxta vulgatum Ecclesiæ nostræ principium, *quod magis delectat, secundùm id operemur necesse fit*; nihil autem ita me allicit, ita inebriat, ut præsens objectum: igitur omnia supra vires sunt præter crimen, quod perpetro. Porrò ex hoc transibo ad alia pro majori semper cupiditatis illecebrâ; placidè interim divinæ gratiæ illapsum operiens, quæ ab hac vivendi ratione me revocet eâdem efficaciâ, quâ mortui suscitantur ad vitam per Prop.23.

II. Queritur præterea Quesnellus, malâ fide esse truncatam Propositionem 38. *Peccator non est liber, nisi ad malum, sinè gratia liberatoris*: Immediatè (inquit) subnecto: *ea sola ipsum ad boni operationem liberum reddit, rumpendo vincula, quæ sibi propria voluntate fecerat*. Unde perspicuum esse existimat, quòd de solo egerit peccatore criminum consuetudini irretito.

R. Sensum Propositionis stare per se, nec penitus dependere à subjecta sententia, quæ tantùm exhibet casum particularem, ad quem Propositio quidem indefinita extenditur, sed per quem minimè restricta concipitur. Sic si quis dicat: *Homo non est liber ad implenda præcepta supernaturalia sinè gratia liberatoris*: Et dein subjungat: *ea sola eum liberum reddit ad pœnitendum, salubriter de peccatis, convertendo cor ejus à creaturis ad Creatorem &c.* quis sanus dixerit, quia posterior pars agit de peccatore, restringi in priori parte subjectum *homo* ad peccatorem? Sicut ergo hic posterior para relinquit subjectum *homo* in tota suâ latitudine, adeò ut sensus sit, *nullus homo est liber &c.* ita in Quesnelliana periodo posterior ejus pars licèt agat de peccatore pravæ consuetudini obnoxio, relinquit tamen in priore parte subjectum *peccator* in tota, qua per se patet, extensione; adeò ut sensus sit, *nullus peccator est liber, nisi ad malum, sinè gratia liberatoris*.

[III.] Quamquam quid hic immoror, cum sole clarius constet ex sequentibus Quesnelli Propositionibus, eum docere, non tantùm peccatorem universim, sed & hominem quemlibet, justum vel injustum, liberum non esse nisi ad malum sinè gratia: ad quem enim restringitur hæc 40. *Sinè gratia nihil amare possumus, nisi ad nostram condemnationem*. De hac autem aliisque altum apud veteratorem silentium, quia nempe nullo fuco earum turpitudo induci poterat.

IV. Æquè

IV. Æquè ineptum est, quod ait, se non boof cujuslibet potestatem negasse finè gratia, sed tantùm salutiferi. Falsitas enim palpatur in recensita jam Prop.40. Item in 39. *Voluntas, quam gratia non prævenit, nihil habet.... nisi ad se vulnerandum: Est copax omnis mali, & incopax ad OMNE bonum.*

V. Ac (inquit) *denunciavi eos, qui negant post lapsum Adæ remansisse essentialem liberi arbitrii tum ad malum, tum ad bonum potestatem etiam finè gratia*: hanc potestatem ad catholicè sentiendum non sufficere ostendimus c.7.

QUADRAGESIMA TERTIA PROPOSITIO DAMNATA.

Primus effectus gratiæ baptismalis est facere, ut moriamur peccato; adeò ut spiritus, cor, sensus non habeant plus vitæ pro peccato, quàm homo mortuus habeat pro rebus mundi. *Observ. Moral. Rom.6. v.2.*

CAPUT I.

Propositionis error impugnatur. Col.237.

I. PRimus, juxta hunc articulum, gratiæ baptismalis effectus est, ita mori peccato, ut *spiritus*, *cor*, sive animæ facultates, *sensusque* omnes nil vitæ habeant pro peccato, quemadmodum homo mortuus nil habet vitæ pro rebus mundi; & consequenter sicut hic vitali modo nihil agere, vel pati potest in ordine ad res mundi, ita nihil quoque qui baptismo regeneratus est, respectivè ad peccatum: restat ergo ut penitùs peccare non possit, quod repugnat Tridentino sess.6.can.23. anathematizanti eũ, qui dixerit, *hominem semel justificatum ampliùs peccare non posse, atque gratiam amittere; atque adeò eum, qui labitur, & peccat, numquam verè justificatum fuisse.* Cùm verò experientia testetur, non paucos, qui in infantia baptizati sunt, labi & peccare; juxta hanc hæresim dicendum erit, hos baptismi gratiam non percepisse, non quidem defectu voluntariæ dispositionis, cujus erant incapaces; sed defectu Divinæ bonitatis, quæ iis baptismi gratiam denegaverit, quam aliis pro arbitratu suo concedit; quod optimè consentit cum doctrina Jansenii, & Quesnelli pernegantium, Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, aut Sanguinem fudisse. quibus positis, suscitatur alter error à Tridentino damnatus sess.7. can 7. asserentium *per Sacramenta novæ legis non dari gratiam semper, & omnibus, quantum est ex parte Dei, etiamsi ritè ea suscipiant; sed aliquando, & aliquibus.*

Primum hunc, & mirabilem gratiæ baptismalis effectum, quem hic in citato Apostoli textu comminiscitur Quesnellus, omnium videlicet passionum extinctionem, & ad peccatum insensibilitatem ignoravit certè S. Thomas, dum explanaturus c.6.ad Rom. ita fatur. *Postquam Apostolus ostendit* (c.5.) *quòd per gratiam Christi liberamur à peccato præterito tam introducto per primum hominem, quam etiam abundanti per legem, hic* (c 6.) *ostendit, quòd per gratiam Christi datur nobis facultas ad resistendum peccatis futuris*: quæ sanè resistentia importat motionem ad peccatum: igitur spiritus, cor, sensus etiam post baptismi beneficium habet plus vitæ pro peccato, quam homo mortuus habeat pro rebus mundi; à quibus hic nec movetur, nec moveri potest.

II. Primum illum baptismi effectum etiam ignoravit Apostolus dum c.7. v.14. & seqq. testatur de se ipso *sub gratia constituto* [Vide Prop.38. c.2. num.6.]
„ Ego autem carnalis sum, venumdatus sub peccato...
„ Condelector enim legi Dei secundùm interiorem ho-
„ minem; video autem aliam legem in membris meis
„ *repugnantem* legi mentis meæ &c. „ Omnis enim
[inquit Fulgentius ep.4. ad Probam c.6.] *qui nunc*
„ *justè vivit*, carne quidem servit legi Dei, *dum in se*
„ *nasci carnalem concupiscentiam sentit*: mente autem
„ servit legi Dei, quia eidem carnali concupiscentiæ
„ non consentit. „ (III.) Hæc sufficiunt imaginariæ post baptismum apathiæ retundendæ: quæ præter alios Jovinianum, & Pelagium Magistros nacta est; unde Hieronymus in Dialogo contra posteriorem scripto ita habet: *Joviniani, ô Pelagi, de te nunc hæresis suscitatur docentis eos, qui sunt baptizati, non posse tentari*: quos hæreticos in eo secutus est Calvinus, quòd justos justitiâ posse excidere negavit l.3. Inst. c.2. *Semine incorruptibilitatis Deus in perpetuum regenerat, ut nunquam dispereat semen vitæ in eorum cordibus infixum.* De Quietistis mox.

CAPUT II.

Propositionis error ampliùs convellitur comparatione ejusdem cum Quietismo. Proponitur suspicio de Propositionis origine, seu occasione. Col.240.

I. VIdetur Quesnellus in observationibus suis moralibus voluisse sibi sectam omnem, etiam Quietismum demereri, ut patronos haberet quantum est hominum hæreticorum, etiam maximè detestabilium. Jam pridem famosus Jansenista in libro, cui titulus *Ultimo non zelotricis innocentiæ* questus est, quòd Jesuitæ *per condemnationem Molinos, quem aliqui* [inquit] *magis infelicem quàm nocentem autumant, & prætensæ ejus doctrinæ, videntur voluisse eliminare illud genum, quod restat supernaturalis operationis Spiritus Dei vivificantis.* An fortè voluit Quesnellus prætensam innocentiam, & *operationem Spiritus Dei vivificantis* à Jesuitarum oppressione vindicare? [II.] Certè Michael Molinos, si viveret, inveniret apud Quesnellum aliquid valde affine huic suo 55. damnato articulo
„ Per hanc viam internam pervenitur, etsi multa cum
„ sufferentia, ad purgandas, & extinguendas omnes
„ passiones, ita quod nihil ampliùs sentitur, nihil, ni-
„ hil; nec ulla sentitur inquietudo sicut corpus mor-
„ tuum: nec anima se ampliùs commoveri sinit „ In quo enim, diceret, ego, Quesnellusque differimus, nisi quòd hic brevi clarâ, & commodâ viâ per baptismi gratiam; ego longâ, obscurâ, & *multa cum sufferentia* homines perducam ad passionum interitum & quemdam insensibilitatis statum, quem ambo eâdem *corporis*, sive *hominis mortui* comparatione illustramus. In amborum doctrina *pervenitur*, ut habet articulus meus 57., *ad statum non faciendi ampliùs peccata nec mortalia, nec venialia*: quomodo enim peccet qui *non plus habet vitæ pro peccato, quam homo mortuus pro rebus mundi?* Uterque expedimus sectatores nostros *à Confessione, à confessariis, & à casibus Conscientiæ*; (Vide art.59. & 60.) inutile uterque, imò veriùs solus Quesnellus reddit Sacramentum Pœnitentiæ *impossibile*; cùm hoc se non extendat ad peccata baptismo anteriora; posteriora verò nulla esse possint in iis, quibus statim à baptismo *non plus vitæ est pro peccato, quàm homini mortuo pro rebus mundi.*

III. Sed missis hypocritis, auscultemus Hipponensi Antistiti serm. 6. de verbis Apostoli: *Restat*, inquit, etiam piissimis post baptismum *cum carne confligere*; *quia deleta est iniquitas, sed remanet infirmitas*: Auscultemus Tridentino 5. *Decreto de peccato originali* sancienti, quòd concupiscentia etiam *in renatis ... ad peccatum inclinat.*

IV. Quid si Quesnellus non soli Molinos, sed & Bajo, atque Jansenio præsenti errore gratificari voluerit? Per Bajanam quinquagesimam *Prava desideria, quibus ratio non consentit, & quæ homo invitus patitur, sunt prohibita præcepto NON CONCUPISCES*, & per 51. *sunt verò legi inobedientia*, adeòque peccatum, licèt per 75. *in peccatum non deputetur*. Apud Jansenium

nium quoque l.2. de statu nat. lapsæ c.24. *Per præceptum NON CONCUPISCES ipsi motus concupiscentiæ intelliguntur, ideoque illud præceptum solùm in cælo est complendum.* Igitur Quesnellus, nè Magistros desereret, simul ne errorem a tribus Pontificibus damnatum apertè proderet, tacitus supposuit quod palàm edicere non audebat: cùm enim per baptismum non tollatur nisi peccatum, profectò si effectus baptismi sit tollere motus concupiscentiæ, hi peccata sint oportet.

CAPUT III.

Frustrà recurrunt adversarii ad Scripturam Sacram, & Professionem in baptismo fieri solitam. Col.243.

I. QUod ego asserui, inquit Quesnelli Protestatio, id ipsum est quod ait Apostolus ad Col.3. „ „ Quæ sursum sunt sapite, non quæ super „ terram; mortui enim estis, & vita vestra est abscon- „ dita cum Christo in Deo... mortificare ergo mem- „ bra vestra, quæ sunt super terram „ Et ad Rom.6. „ Existimate vos mortuos quidem esse peccato, viven- „ tes autem Deo in Christo Jesu Domino nostro. „

II. R. cum S. Thoma, priora verba continere quidem *monitionem* seu exhortationem, nè baptizati terrena sapiant, ut membra sua, id est, vitia mortificent &c. quæ monitio, & exhortatio adeò non negat, ut manifestè supponat, superesse etiamnum in iis concupiscentiæ sensum &c. contra quam totis viribus decertandum sit. Vide c.2. num.2.

III. Nè verò quemquam moveat, quòd baptizati *mortui* dicantur, audiatur S. Aug. l. de continentia c 15. „ Talium mortuorum vox est: Vivo autem jam non „ ego, vivit vero in me Christus. Quorum ergo vita „ abscondita est in Deo, admonentur, & exhortantur, „ ut membra sua mortificent, quæ sunt super terram; „ per continentiam scilicet, concupiscentiæ motibus „ non consentiendo; ut licèt ipsa nostra cogitatio co- „ rum quadam suggestione, & quasi susurratione tan- „ gatur; tamen ab eis nè oblectetur, avertatur. „ Ergo mors baptizatorum, & vita in Christo non in eo posita est, ut non sentiant, sed, ut non consentiant concupiscentiæ motibus: [VI.] Id ipsum confirmat Sanctus Prosper lib: de vita contempl. c.21. *Quid est*, inquiens, *mori peccato, nisi damnandis operibus omnino non vivere &c.*? Damnanda opera non sunt, quæ inviti patimur, sed quæ liberè perpetramus: his ergo, non illis per baptismum morimur.

IV. Scopum Apostoli ad Rom.6. dedimus ex S. Thoma c.1. num.1.

V. Iterum Augustinus l.4 de symbolo ad Catechumenos, ita baptizatos alloquitur „ Exclusus est inimi- „ cus de cordibus vestris: huic vos renuntiare professi „ estis... Scitote, vos cum callido, antiquo, & ve- „ ternoso inimico suscepisse certamen „ quo satis innuit, eos sacro fonte à tentationibus immunes non reddi.

VII. Contra tot, tamque aperta PP. testimonia Propositioni 43. planè fatalia audet nihilominus Quesnellus protestari, *eam esse meram Pauli Apostoli doctrinam*, quod ipsi tam perspicuum est, *ut sola*, inquit, *Propositionis lectio sufficiat*. (VIII.) Certè qui tam clarè videt, ubi Catholici omnes cæcutiunt, suspicionem movet, esse eum de *Illuminatorum* grege, inter quos etiam nomen aliquod habuit Joannes Vergerius Abbas Sancyranus Jansenii Magister, fassus aliquando, *in omnibus sequi se ductum interiorum ILLUMINATIONUM....& tanta in discernendis animobus prærogativa excellere, ut, quas semel observasset, dignosceret, electæ nè essent, an reprobatæ.* Jactate etiam auditus est, *se Evangelium verè possidere, & perfectam scriptorum à Paulo Apostolo intelligentiam.*

Præterea cum quidam Religiosi ordinis Apostata, De Troyes dictus, *ILLUMINATORUM errore imbutus* Parisiis in publico carcere attineretur, liberè professus est Sancyranus, *si is Hæreticus esset, esse & se, utpote ei per omnia consentientem.* Constant hæc juratis hominum minimè suspectorum testimoniis: Quid miri igitur, si Quesnellu scintilla aliqua ex tantarum illuminationum viro adhæserit?

IX. Nihil moramur quæ hic Quesnelli vindices pro Sectariorum more confidenter, sed nulla fulti ratione, nedum authoritate deblaterant.

CAPUT IV.

Fraus adversarii multiplex in Augustiniana sententiæ objectione detegitur. Col.250.

I. QUesnelli gallicæ *Observationes in Constitutionem* magnum Propositionis 43 patrocinium nactas se putant in Augustino l.1. de nuptiis, & Conc.c.33. è quo nobis hæc verba objiciuntur: „ Non „ erit autem omnino aliquid vel in carnali semine vitio- „ sum, cùm eâdem regeneratione, quæ nunc fit per „ sacrum lavacrum, usque in finem cuncta mala homi- „ nis purgante, atque sanante, eadem caro, per quam „ facta est anima carnalis, fiet spiritalis etiam ipsa, „ nullam legi mentis resistentem concupiscentiam car- „ nis etiam ipsa habitura, nihil carnalis seminis emissu- „ ra. „ Ergo effectus gratiæ baptismalis est facere, ut moriamur peccato, adeò, ut Spiritus, cor, sensus non habeant plus vitæ pro peccato, quàm homo mortuus pro rebus mundi.

II., III. R. distinguendo consequens: primus effectus gratiæ baptismalis est facere &c. Nego consequentiam: ultimus effectus, Prædestinatorum proprius, sed cœlo reservatus, est facere &c. Concedo consequentiam. Responsi veritas patet 1. evidenter ex postremis objectionis voculis, quæ sacræ regenerationi hoc etiam præter cætera privilegium arrogant, quòd *caro nihil carnalis seminis emissura* sit: in verò quis nisi fatuus proprium dicat esse carni mortali, etiam sacro lavacro regeneratæ?

IV. Vidit Quesnellus absurditatem, quam ut dissimularet, latinis verbis hæc gallica substituenda existimavit: *Elle n'eprouvera plus les ardeurs de la concupiscence*; quasi Augustinus diceret: *caro ardorem concupiscentiæ non ultra expertura est.*

V. VI. Responsi veritas patet 2. ex toto Augustini contextu; oculis enim tantùm opus est, & bonâ fide, ut deprehendatur, recensitos à S. Doctore baptismi effectus non ad præsentem vitam pertinere, sed ad eam ubi fiet *in æternam immortalitatem plena mutatio*, ut ibidem Præsul Hipponensis pramittit; concludens tandem in hæc verba: *Postremò Regni cælorum ipsa felicitas, ubi non habebit Ecclesia maculam, neque rugam, aut aliquid ejusmodi* in ullo suorum membrorum; ... *ubi non solum reatus, sed nec concupiscentia erit ulla peccati, quorum erit, nisi baptizatorum?*

IX. Interim Quesnellus adaptando, & allegando pro se Augustini textum in objectione relatum, eumque sic intelligendo, quasi quos S. Doctor ibi enumerat baptismi effectus, tribueret baptizatis, dum in hac vita sunt, clarissimè exponit sensum Propositionis suæ 43. scilicet, primum gratiæ baptismalis effectum esse, facere, *ut usque in finem cuncta mala hominis purgentur, atque sanentur*, ut *in carnali semine* baptizati *nihil* amplius *sit vitiosum*, seu ad peccatum inclinans, ut *caro fiat spiritualis etiam ipsa*, ut *nullam legi mentis resistentem concupiscentiam habeat, etiam ipsa*; Denique ut *nihil* ultra *carnalis seminis emittat*, hoc est, juxta falsam Quesnelli interpretationem, ut *nullum ultra concupiscentiæ ardorem experiatur.* Nihil nos sane prætera requirimus, ut justissime proscriptam esse affirmemus Propositionem 43. quæ longiorem illam periodum intrà hos breves terminos collegit: *Primus effectus gratiæ baptismalis est facere, ut Spiritus, cor, sensus non habeant plus vitæ pro peccato, quam homo mortuus pro rebus mundi.*

VII. VIII. Hunc verò primum gratiæ baptismalis effectum abhorrere à sincera Augustini doctrina abundè probavimus c.2. n.3. & c.3. n.3. quibus addi potest

quod de regenerato scribit in eodem, qui nobis objectus est lib. 1. de nupt. & conc. c. 25. *Manet in corpore mortis hujus carnalis concupiscentia, cujus vitiosis desideriis ad illicita perpetranda non obedire præcipimur.* Similia habet c. 26. & 27. Inest ergo etiam baptizato concupiscentia, insunt vitiosa desideria &c.

CAPUT V.

Frustrà confugiunt adversarii ad Gregorium Nyssenum, Basilium, Chrysostomum. Col. 258.

GRegorius Nyssenus oratione de S. Baptismate dum vult, ut per baptismum *mortuum prorsus deinceps in nobis peccatum sit*, agit de peccato voluntario, ut constat ex peccatorum, quæ ibidem subjungit, enumeratione; hortans initiatum hominem, ut proprium pactum memoriâ teneat, *quod pactum in traditione mysterii cum Deo fecit, cum omnem, & pœnam, & cruciatum, & voluptatem pro illius dilectione se neglecturum esse promisit*: pactum autem illud sicut in executione pendere debet à libero promittentis consensu; ita respicere non potest indeliberatos concupiscentiæ motus, quibus etiam viri sanctissimi inviti, nolentesque obnoxii sunt; quemadmodum in se Paulus ipse, etiam post raptum in tertium cœlum expertus est: [II.] Unde S. Thomas in 2. Cor. 12. lect. 3. ad illud *Datus est mihi stimulus carnis &c.* „Stimulus „ inquit „ carnis meæ, id est, concupiscentiæ surgentis, „ à qua multum infestabatur „ Rom. 7. *Non enim quod volo &c.*

III. Eodem modo Basilium intellige, dum in Moralibus regula 80. c. 22. ait: „Quid proprium ejus, qui natus est ex aqua? Ut, quemadmodum Christus peccato semel mortuus est, ita ipse etiam mortuus sit, & ad omne peccatum immobilis „; immobilitate scilicet pacti, seu propositi in baptismi susceptione concepti, nullis cedendi concupiscentiæ illecebris, sed cum Dei ope mundo, carni, & Dæmoni constantissimè resistendi.

IV. Agmen objectionum claudit hic Chrysostomi textus ex hom. 11. in ep. ad Rom. *Qui à baptismo descendit, ... peccato omnino mortuus maneat oportet. Si igitur in baptismo mortuus es, mane mortuus: etenim unusquisque mortuus cùm est, ampliùs peccare nequeat;* Prætermisit adversarius quod immediatè sequitur: *qui si peccat, labefactat Dei donum*, quo satis indicat Chrysostomus, regeneratum peccare posse, & Dei donum in baptismate acceptum labefactare, quod minimè potest is, cujus juxta Quesnellum *Spiritus, cor, sensus non habent plus vitæ pro peccato, quàm homo mortuus pro rebus mundi*. Verba ergo Chrysostomi obligationem, non necessitatem adstruunt non peccandi in eo, qui gratiâ baptismi potitus est.

IN-

I N D E X
CAPITUM, ET DOCTRINÆ
In his contentæ Synopsis.

PARS SECUNDA

Refellens sequentes viginti octo Propositiones à quadragesimaquarta ad septuagesimam primam, quæ spectant ad VIRTUTES THEOLOGICAS, TIMOREM GEHENNÆ, *iisque opposita, vel annexa.*

QUADRAGESIMA QUARTA PROPOSITIO DAMNATA:

Non sunt nisi duo amores, unde volitiones, & actiones omnes nostræ nascuntur: amor Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur; & amor, quo nos ipsos, ac mundum diligimus, qui quod ad Deum referendum est, non refert, & propter hoc ipsum fit malus. *Obs. Mor. Joan.* 5. *v.*29.

CAPUT PRIMUM.

*Sola Propositionis juxta sensum proprium, & obvium exhibitio necesse est, eam reddat Catholicis omnibus detestabilem. Col.*265.

I. AMor Dei hic à Quesnello intelligitur benevolus super omnia; sive qui Deum omnibus præfert; quandoquidem *omnia*, nullo excepto, *agit propter Deum*, sive, ut habet Prop.47., propter *Dei gloriam*, excluso omni amore, *quo nos ipsos, ac mundum diligimus*, quemadmodum præsens Propositio significat.

Intelligitur præterea amor Dei, qui justificationem sive Divinam amicitiam supponit: dicitur enim amor Dei, *quem Deus remuneratur*: atqui, sicut nullum opus est propriè, & simpliciter, id est, de condigno meritorium ante justificationem, ut colligitur ex Trident. Seff.6. de justif. cap.8.; ita quoque ante hanc nulla est propriè, & simpliciter dicta remuneratio. Ergo proprio, & obvio sensu amor Dei, *quem Deus remuneratur*, est amor justificationem, seu amicitiam cum Deo supponens. Eò minùs id negabit Quesnellus, quòd Propositio ejus sit observatio in illud Joan.5. v.29. *Et procedent qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ*: ubi procul dubio sermo est de remuneratione æternæ vitæ retribuendæ meritis simpliciter dictis, sive de condigno: adeòque Quesnelli observatio, nè extra rem sit, de eâdem quoque remuneratione intelligenda est. Præterea cùm Prop.56. dicat, *Deum non remunerare nisi Charitatem*, & 55. *Deum non coronare nisi Charitatem*, satis hinc liquet, nullam à Quesnello Dei remunerationem admitti, nisi quâ retribuitur corona, seu vita æterna: talis autem remuneratio ex omnium Theologorum consensu supponit, illum esse justum, ad quem ea pertinet.

II. Sensus ergo præsentis Propositionis est, volitiones, & actiones humanas omnes esse peccaminosas præter illas, quæ nascuntur ex amore Dei, omnia agente propter Deum, idest, benevolo super omnia, & Divinam amicitiam supponente: unde protinus sequitur, *opera omnia, quæ ante justificationem fiunt, quacunque ratione facta sint, verè esse peccata, vel odium Dei mereri*, quod Tridentina Synodus anathemate perculit Seff.6. de justific. can.7.

III. Hinc sequitur ulteriùs, peccatori pœnitentiam esse impossibilem: quæcunque enim, & quantacunque peccatoris Charitas, etiam intensissima, licèt juxta Catholicam fidem reconciliationem obtineat, eam tamen non meretur, ut docet Trid. Seff.6. de justific. cap.8. ergo nec Deus eam remuneratur: restat ergo, ut tam ipsa, quàm actiones ex ea profectæ, juxta hanc Propositionem, vitiosæ sint, & malæ, quibus nemo dixerit Divinam miserationem impetrari.

In hac ergo sententia *unicum peccatorum solatium est scire, quòd J. C. illi peccata eorum condonare possit* (ita observat Quesnellus in Marci 2. v.9.) idque juxta Prop.28., quæ statuit, *primam gratiam, quam Deus concedit peccatori, esse peccatorum remissionem*, quæ proinde à pœnitentis actibus, & cooperatione non dependet, ut suo loco ostensum, & per se evidens est: docemur verò ex Propos.27. *eum primam gratiam esse fidem*.

IV. At, inquiet aliquis, nonne juxta hanc 44. etiam peccatoris fides mala est? Si mala est, quomodo ergo justificat?

Hoc se nodo Quesnellus expediet, dicendo, fidem illam, quæ apud illum est prima gratia, non esse peccatoris actionem; sed à Deo infundi per modum piæ cogitationis, quæ nobis inest sinè nobis, idest, independenter à consensu nostro; quo responso præsens Propositio, quæ tantùm agit de volitionibus, & actionibus NOSTRIS, sive humano modo elicitis, cum Propositione 27. & 28., cæterisque omnibus qualitercunque conciliatur.

Juvat hìc quæstiones aliquot præmittere, quæ dicendis non modicam lucem affundent.

QUÆSTIO PRIMA.

V. QUos Quesnellus in tradenda 44., & pluribus, quæ sequuntur, ejusdem furfuris Propositionibus Duces, aut Magistros habuerit?

R. inter alios Calvinum, Bajum, atque Jansenium. Cal-

Calvinor in antidoto ad Sess. 6. can. 25. *Dei judicio nihil est sincerum, nihil probum, nisi quod ex perfecto ejus amore manet.* Et ad can. 31. *Cùm ingenuum a filiis suis obedientiam requirat Deus, servile ejusmodi obsequium* [quod præstatur spe cœlestis retributionis] *non repudiabit modò; sed procul etiam rejiciet.*

Baji in hac ipsa materia errores recensebimus infra c. 4.

Jansenius tomo 3. l. 5. c. 3. *Augustinus . . docet . . . virtutem creaturæ rationalis non esse prorsus aliam, quam amorem Dei: quæ quidem doctrina Philosophiæ moralis Aristotelicæ sectatoribus valde exotica videbitur*, ut revera est. Ibid. *S. Doctor catenus aliis virtutibus præditum quempiam docet, quatenus charitatis magis, aut minùs est particeps.* Tum caput illud sic terminat: *Igitur . . . . perspicuum est, virtutem non aliud esse, aut esse posse, quam amorem Dei.* Hinc capiti 4. hunc titulum præponit: *Virtutes cardinales amor Dei quadruplex*; capiti 5. illum: *Etiam cæteræ virtutes quidam effectus sunt dilectionis Dei. Ostenditur hoc de virtute Religionis*: In contextu verò clarè asserit, *nullam esse veram religionem, aut cultum Dei; sed simulationem tantùm, & larvam ejus, nisi Deus sincerè, & castè, hoc est, gratis, & propter se ipsum ex vera charitate diligatur.*

In Jansenii doctrinâ hactenus exposita, & S. Augustino perperam attributâ habes, lector, fundamentum Quesnellianarum Propositionum 50. 54. 55. 56. 58., & 59.

Ibid. c. 6. hanc doctrinæ suæ rationem assignat: *Quod si ratio hujusce doctrinæ quæritur, ea ex S. Augustini principiis non obscurè fluit: Non enim agnoscit Sanctissimus Doctor in universis operibus suis, NISI DUOS AMORES, Creatoris, & creaturæ, ex quorum alterutro necesse est, ut quæcunque actio voluntatis oriatur: ille CHARITAS est, iste CUPIDITAS, quarum illa de cælo est, Deo plantante; ista ex mundo, Diabolo seminante.* Atque hic fucens, & medulla est omnium Quesnellianarum Propositionum à 44. usque ad 67. inclusivè; imò etiam trigesimæoctavæ, 39. 40. & 42. sed speciatim Propositionis 44. 45. 46. 47. 48. 49., & 53. Aliam Jansenii sententiam, quæ priorem confirmat, referemus quæstione 4. Audiamus modò differentem de virtutibus fidei, & spei in particulari.

Ibidem itaque sic ait: *Nullam . . . . agnoscit* [Augustinus] *fidem veram, atque Christianam, nullam ibidem spem, nisi ex Dei charitate dimanet*; quod probare nititur hoc inter alia argumento: *Certissimum in Augustino principium est, nullum præceptum ab homine impleri, nisi justitia diligatur . . . sed justitia diligi non potest sine vera, & propriè dicta charitate . . . Non igitur potest præceptum fidei, & spei sinè eadem illa charitate servari.* De quo plura quæstione sequenti. Interim ex hoc Jansenii principio sponte fluit Quesnelliana 51. quatenus asserit *fidem non operari nisi per charitatem*; item 52. & 57.

De spe sigillatim agit Jansenius c. 9. cujus hic titulus: *Spes Christiana non oritur ex amore concupiscentiæ; sed genuinæ charitatis*; ratio est, quia, ut in decursu dicitur, *concupiscentia . . . respectu Dei amor vitiosus est.* *Quæ causa est*, si Jansenio credimus, *cur tam sollicitè semper commendet Augustinus, ut Deus diligatur gratis, ipso purissimæ bonitatis ejus intuitu, nullo promanantis inde in nos commodi, aut mercedis, aut voluptatis consideratione, atque retorsione.* Hinc c. 10 ita monet: *At sit, ut ita Christianus propter retributionem operetur*; ut, quemadmodum in præcedenti illic periodo dicitur, operantis intentio sit *ipsum Deum mercedem tanquam sibi utilem expectare*: scilicet Jansenio, & Jansenianis amor ipse Dei impurus est, quo eum, ut nobis bonum spectamus, & sperando diligimus: Deus, inquiunt, tantùm *propter se, & gratis* amandus est; non eo sensu, quo particulis illis subinde Augustinus utitur allegandus infra c. 13. num. 16. & 17.; verùm ita, ut amor ille omnem boni proprii considerationem excludat, etiam dum amat mercedem æternam; hæc enim non tamquam amanti utilis, sed solùm, ut cessura in amati gloriam diligi potest: alioquin enim talis amor fructus erit amoris proprii, quo nomine apud Novatores vapulabit ut *malus*, & ut *hypocrisis*, aut *falsæ justitiæ*. Hinc illa decima inter 31. ab Alexandro VIII. proscriptas: *Intentio, qua quis detestatur malum, & prosequitur bonum, merè ut cælestem obtineat gloriam, non est recta, nec Deo placens.*

Quadrat hic breve juxta ac efficax Seraphici Doctoris pronunciatum in 3. dist. 27. a. 2. q. 2. ad. 1. *Quærere, & videre, & amare Deum sicut suam mercedem, & præmium, non est quærere bonum proprium, illo modo vocandi PROPRIUM, qui sonat in vitium*: quadrant etiam plures Augustini textus, quos producemus c. 13. n. 13. & seqq. item alii referendi ex SS. Thoma, & Salesio ad Prop 49. c. 1. num. 6. & 7.

Nibilo æquior est Jansenius actibus ex timore, quam ex spe retributionis profectis: sic enim habet tomo 3. lib. 5. c. 23. *Hinc etiam fit, ut Augustino* (Ipreosi, non Hipponensi) *quisquis ex Divinæ legis pœnas comminantis timore præcepta justitiæ facit, non ex gratia Dei, sed ex propriis viribus ea implere velle censeatur. Nempe quia, quamvis & lex, & pœnarum comminatio sit ex Deo; non aliter tamen istu juvant, nisi cognitionem afferendo; qua percepta, si timore percellatur, propriæ voluntatis viribus facit, quidquid facit.* Sed hæc levissima in Dei timorem censura est.

Audiatur ibid. c. 28. *Ecce quis sit animus eorum, qui diem judicii, & gehennam timent, & ex illo timore sese à peccando custodiunt: nempe adulterinum animum gerunt.* Caput hoc concludit dicendo, *impossibile prorsus esse, ut ex puro timore pœnæ, sive hominum, sive Dei aliquod justitiæ præceptum impleatur, vel peccatum ita caveatur, ut animus prævaricationis non sit reus*; ratio, ut præmittit, est, *quòd voluntas, atque animus ejus* [qui timet] *perinde maneant atque leo, & lupus, qui sive fremant, sive tremant . . . semper manent leo, & lupus.*

Ibid. c. 50. sub initium: *Timor . . . continet manum, non animum, qui eodem modo ac si non timeret, peccato alicui affixus manet.* Et infra: *unde fit, ut quidquid homo ex illo timore fecerit, nihil ex animo, nihil ex corde, nihil volenter, nihil coram Deo; sed tantùm in speciem coram hominibus operetur . . . Hinc igitur consequenter nascitur, ut tales homines, qui coacti timore pœnæ justitiam legis operantur, aut operari videntur, non sint amici rectitudinis, seu justitiæ, hoc est, ipsius Dei, qui est justitia; sed potiùs hostiles adversùs eum animos gerant.*

Denique c. 33. in initio: *Timor pœnæ . . . peccandi voluntatem semper sibi conjunctam habet*; & aliquantò post: *Præceptum bonum ex timore pœnæ nequidem voluntate concupisci potest, sed sola charitate.* His si addas quæ de statu veteris testamenti scribit Jansenius tomo 3. lib. 3. c. 9. non difficili ratiocinio opus erit, ut hinc colligantur Quesnellianæ 60., & sequentes usque ad 67. inclusivè.

Porrò quanto apud Quesnellum in pretio sint Jansenii dogmata, liquet ex *Notis* illius *in Epistolam Martini Steyaert*, ubi pag. 18. scribit: „ Adeo non persuadetur, sensum ab authore [*Jansenio*] intentum hæreticum esse, ut jam demum credere cœperit orbis catholicus, nihil in ipso non esse catholicum „ &c.

QUÆSTIO SECUNDA.

VI. **A**N in præsenti de charitate materia Jansenius, & Quesnellius planè consentiant?

R. aliquo discrimine separari: licèt enim uterque ad humanarum actionum bonitatem requirat amorem Dei benevolum, seu gratuitum; in hoc tamen Jansenii sententia mitior est, quod non requirat semper justificantem, seu eum justitia infallibiliter connexum.

Probatur ex verbis Jansenii tomo 3. l. 5. c. 7. sub initium: Si „ per charitatem „, inquit, „ nihil aliud intelligimus, quàm virtutem illam dilectionis in tam perfecto gradu, ut super omnia diligatur Deus . . . certum est ex Augustini mente, fidem & spem non supponere charitatem, ex qua nascantur; sed è contrario fidem, & spem Charitati illi perfectæ, sicut & peccatorum remissioni viam sternere . . . Augustinus igitur charitatem accipere plerunque solet pro dilectione, qua verè, sincerè, & gratis ex animo propter se ipsum, nullius creaturæ, sed ipsius solius intuitu diligitur Deus; sive ad illam pertingat perfectionem, ut supra

„ om-

„ omnia creata diligatur, sive in simpliciori, & inferio-
„ ri affectu hæreat. Talis igitur amor Dei nisi voluntatem
„ hominis ad credendum flectat, non erit fides Chri-
„ stiana... De tali imperfecto Charitatis, seu dilectio-
„ nis actu, qui non sufficiat, ut justificetur homo, quia
„ nondum super omnia diligitur Deus, loquitur Augo-
„ stinus diversis in locis &c.„

Hinc patet, juxta Jansenium, dari actum Christianæ fidei, qui non justificat: id verò præcisè negat Quesnellus in Prop. 51. *Fides justificat, quando operatur.* Unde illa inter utrumque doctrinæ diversitas? nisi quòd Quesnellus ad fidei, uti & cæterarum actionum bonitatem requirat charitatem, qualis vulgò eâ voce significatur: sed, teste ipso Jansenio l. c., *hoc tempore passim, & ferè semper in scholis.... per CHARITATEM nihil aliud intelligimus, quàm virtutem illam dilectionis in tum perfecto gradu, ut super omnia diligatur Deus*, adeòque justificet; quo posito, manifestè sequitur, omnem actum, seu operationem Fidei Christianæ justificare.

Jansenius contra, relictâ vulgari significatione, ita charitatem accipit, ut à perfecta, & imperfecta; justificante, & non justificante præscindat; & alterutra ipsi tum ad Fidei, tum ad reliquarum actionum bonitatem sufficit; unde Fidei Christianæ actum agnoscit, qui non remittit peccata, sed *remissioni* tantum *viam sternit*.

QUÆSTIO TERTIA.

VII. AN Quesnellus in Prop. 44. & seqq. intelligendus sit de amore Dei seu charitate justificante, id est, quæ cum justificatione infallibiliter connectitur?

Dixi *amore Dei, seu Charitate*; voces enim illas esse Quesnello synonymas, patet ex Prop. ejus 47. *Obedientia legis profluere debet ex fonte, & hic fons est CHARITAS. Quando DEI AMOR est illius principium interius, & Dei gloria ejus finis, tunc purum est, quod apparet exterius; alioquin non est nisi hypocrisis, aut falsa justitia.* Id ipsum liquebit ex alio Quesnelli testimonio paulò infra producendo. Jam ad propositam quæstionem

R. affirmativè, ut jam nunc in quæstione præcedenti ostendi cœptum est. Sed hic ex professo

Probatur 1. quia talis est usitata, & obvia *Charitatis* significatio, ipso fatente Jansenio, ut mox vidimus; præsertim verò id locum habet in lingua gallica, qua scriptæ sunt *Observationes Morales*: in hac enim qui apud asceticos *charitatem* legit, justificantem intelligit.

Vulgari illi significationi insistens S. Thomas q. 1. de charitate a. 11. verissimè scripsit: *Quælibet charitas sufficit ad salutem*, adeòque justificat. Sed ad hoc alio teste opus non est, quam ipso Quesnello, qui in observatione ad 1. Joan. 3. v. 9. ultrò cum catholicis admittit, *nullum peccatum mortale cum charitate compatibile esse*.

Probatur 2. ex Prop. 51. *Fides justificat, quando operatur; sed ipsa non operatur, nisi per charitatem.* Hæc enim enuntiatio composita habens utramque partem falsam, ut suo loco demonstrabitur, continet evidenter etiam propositionem hanc: *Fides justificat, quandocunque operatur per charitatem*: sed per omnem charitatem simpliciter dictam operatur fides, ut certum est; ergo omnis Charitas simpliciter dicta Quesnello justificat; quod argumentum est tam ineluctabile, quàm quod maximè.

Probatur 3. Apostolus Col. 3. v. 14. ait: *Super omnia autem hæc charitatem habete, quod est vinculum perfectionis.* Huic loco hanc Quesnellus observationem attexit, ex qua desumpta est Prop. 53. „ Amor pro-
„ prius, hypocrisis, consuetudo facere possunt actiones
„ Christianas; sed *sola Charitas facit eas Christiano mo-*
„ *do per relationem ad Deum, & Jesum Christum*
„ *UNIENDO, ET CONFORMANDO NOS CAPITI*
„ *NOSTRO, UT VERA MEMBRA.* Amor proprius
„ est vinculum valde debile, quod humani cordis in-
„ quietudinem coercere non potest: charitas est solum
„ VINCULUM PERFECTUM, QUOD COR
„ QUIETAT, DEOQUE AFFIGIT.„ Igitur tum ex Apostoli textu, quem observatio illa respicit, tum ex authoris verbis dubitandum non est, quin, dum charitatem appellat, perfectam intelligat, &, quantum est de se, infallibiliter cum justificatione connexam: talis enim est, quæ ut *vinculum perfectum* cor quietat, & Deo affigit, quæque nos unit, & conformat capiti nostro, ut vera membra. Itaque quæcunque Christianæ pietatis actio si non fit ex tali charitate, non fit, fatente Quesnello, Christiano modo; hoc est, per Prop. 44. & 46. *mala est*; per Prop. 45. *corrupta est*. per Prop. 48. & 49. *peccatum est*; denique per Prop. 58. nec *Divina*, nec *religiosa* est, quæ omnia hic obscuriùs indicantur per priora Observationis verba; *Amor proprius, hypocrisis, consuetudo facere possunt actiones Christianas; sed sola Charitas facit eas Christiano modo &c.*

Probatur 4. Tam Quesnellus, quàm ejus subsidiarii; errores Propositionum 54. 55. & 56. defendere conantur authoritate Apostoli 1. Cor. 13. v. 1. *Si linguis hominum loquar, & Angelorum; CHARITATEM autem non habeam &c.* Atqui hic, juxta omnes interpretes, sermo est de charitate justificante: sic enim inter alios S. Thomas commentarium suum in hunc locum orditur: *Apostolus gratiarum gratis datarum distinctionem assignavit, & ministrationum, in quibus membra Ecclesiæ distinguuntur: hic agit de charitate, quæ inseparabiliter concomitatur gratiam gratum facientem.*

Rursum pro Prop. 55. allegatur ex Augustino tract. 9. in Joan. num. 8. *Charitas si desit, frustra habentur cætera; si adsit, rectè habentur omnia.* Et ex hom. 50. *Sola sufficit, si adsit; cætera omnia nihil prosunt, si sola charitas defuerit*: atqui hæc omnia non conveniunt, nisi charitati justificanti; ergo talem Quesnellus significat, tum in citatis, tum in reliquis Propositionibus, ubi vox charitas, aut ei synonyma usurpatur.

Confirmatur 1. Ex his Apostoli verbis 1. Cor. 16. v. 14. *Omnia vestra in charitate fiant* Quesnellus hanc animadversionem deducit: „ Bonus amor, sive Charitas
„ omnia operari debet in homine Christiano... Chari-
„ tas est principium, anima, vita, & cor omnium no-
„ strarum actionum, & ipsa est, quæ omnia refert ad
„ Deum tanquam finem suum ultimum. Non fit, ut de-
„ bet fieri, quidquid non refertur ad Charitatem, & est
„ peccatum non facere, ut debet fieri, quidquid facien-
„ dum est. Charitas sola non peccat, cùm ea sola le-
„ gem impleat.„ Hic iterum *bonus amor*, seu amor Dei cum *charitate* confunditur. Cæterum quis iterum non videat, charitatem, quæ hic dicitur omnia operari debere in homine Christiano, & ad quam quidquid non refertur, peccatum est, esse justificantem, cùm sit *vita* &c. omnium nostrarum actionum?

Confirmatur 2. Illud Christi præceptum Matth. 22. v. 37. *Diliges Dominum Deum tuum ex tota corde tuo &c.* sic à Quesnello explicatur: „ Nullæ cogitationes, aut con-
„ silia in intellectu; nulla desideria, aut motus in vo-
„ luntate; nullæ actiones, aut negotia in vita, quæ non
„ debeant habere pro principio amorem Dei, & pro fi-
„ ne ejus gloriam.„ Christi præceptum est sinè dubio de amore perfecto, & justificante: atqui talem ad omnem actionem hic requirit Quesnellus: ergo, & de eodem intelligitur Prop. 44. cum seqq. in quibus idem error mutatâ phrasi repetitur.

QUÆSTIO QUARTA.

AN Quesnellus ad actiones singulas exigat amorem Dominantem.

Amor Dominans intelligitur, ex cujus impulsu, seu imperio omnia peraguntur. Ad quæstionem

R. Affirmativè: Probatur 1. ex Prop. 44. *Non sunt nisi duo amores, unde volitiones, & actiones omnes nostræ nascuntur; AMOR DEI, QUI OMNIA AGIT PROPTER DEUM, quemque Deus remuneratur &c.*

Amor Dei, qui omnia agit propter Deum, est, ut patet, formaliter amor Dominans.

Probatur 2. ex Prop.45. *Amore Dei IN CORDE peccatoris non amplius REGNANTE, necesse est, ut in eo carnalis regnet cupiditas, omnesque actiones ejus corrumpat:* quid enim est amor Dei in corde regnans, nisi qui omnem volitionem, & actionem imperio suo subjectam habet?

Huic Propositioni planè consonat quod scribit Quesnellus in Matth.12. v.30. *Qui non est mecum, contra me est*; ubi sic notat: „ Nullum, datur medium . . . oportet, ut nobis DOMINETUR Charitas, vel cupiditas. „

Confirmatur ex observatione ejus ad illud Lucæ 10.v.27. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo &c.* ubi Christi præceptum ita interpretatur: „ Nisi amor Dei „ DOMINETUR, ut principium, & motivum in usu „ intellectûs nostri, voluntatis nostræ, sensuum, talentorum, sanitatis, virium nostrarum &c. desumus huic „ præcepto. „

Ergo, si Quesnello fides est, non satisfacimus Christi præcepto, nisi omnia fiant ex amore dominante, & justificante; justificantem enim maximo, & primo mandato importari, jam supra annotavimus.

Quesnello prævivit Jansenius lib.3. de grat. Christi c.21. „ Quamdiu infideles manent, ipsis principiis faciendi „ moraliter boni carent. Hæc autem principia duo „ sunt. Primum est dilectio Dei, seu justitiæ „ [increatæ] „ quæ in omni opere, etiam moraliter bono „ DOMINARI debet, atque ita dominari, ut, nisi „ adsit, non nisi peccatum futurum sit opus, quod ex „ alia quacunque dilectione nascetur . . . . . Secundum „ principium boni operis, quo infideles carent, est fides „ veri Dei, & Christi ejus, sinè qua Fide impossibile „ est vel servare legem, vel cavere peccata. „

QUÆSTIO QUINTA.

AN ex Quesnelli principiis sequatur, ad cujuscunque actionis bonitatem, requiri justitiam seu charitatem habitualem?

Dixi *justitiam, seu charitatem habitualem*, quia vel non distinguuntur, vel certè una ab altera inseparabilis est, ut inter omnes Doctores catholicos convenit. Ad quæstionem

R. affirmativè. Probatur 1. ex dictis supra num.1.

Probatur 2. Per Prop.44. omnis volitio, & actio, ut bona sit, procedere debet ex amore Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur; sed talem amorem necessariò prævenit gratia, ut certum est, & ultro Quesnellus agnoscit in Prop.39., & 40. atqui per Prop 28. *Prima gratia, quam Deus concedit peccatori, est peccatorum remissio.*

Ergo in Quesnelli systemate omnis actio bona, ut præsequitur gratiam, ita etiam necessariò præsequitur justitiam, & charitatem habitualem.

COROLLARIUM.

TEstatissima igitur Quesnelli doctrina est, in omnibus volitionibus, actionibusque peccari, nisi profluant ex amore Dei perfecto, justificante, dominante, & habituali: atque ita redarguitur impudentissimi Novatoris calumnia, conquerentis, se à 40. Galliæ Episcopis perperam accusari, quòd ad actuum humanorum bonitatem requirat charitatem justificantem, & habitualem, vel dominantem. Vide, si licet, *Protestationem* ejus §.10. *De duobus amoribus Charitate, & cupiditate* pag.190.

QUÆSTIO SEXTA.

AN verum sit, quod ait Author *Observationum in acta Antistitum 40. Parisiis congregatorum* pag.55. „ Nec sana ratio, nec æquitas patitur, Observationum „ Moralium Authori [Quesnello] opponi Bullam „ (UNIGENITUS); quæ excusari nequit, nisi supponendo sententias in ea damnatas intelligi de sola „ Charitate habituali, sive justificante. „

R. nihil stolidius dici, aut fingi posse, ut ex Quesnellianarum, quæ sequuntur, Propositionum refutatione videbitur; eæ enim ex Scripturis, Conciliis, Traditione, & Pontificum Constitutionibus apertissimorum errorum convincuntur, supponendo, in iis sermonem esse de charitate actuali; & abstrahendo tantisper ab habituali, sive justificante formaliter, quæ alio nomine *infusa* appellatur; quanquam ex Quesnelli principiis necessariò consequatur, non minùs hanc, quàm istam requiri, ut actiones peccati expertes sint, quemadmodum præcedenti quæstione constare fecimus.

Et verò nonne tot Bajani articuli Quesnellianis simillimi optimo jure proscripti sunt, licet Bajus in iis adeò non requirat charitatem, seu justitiam habitualem, ut hanc tanquam commentitiam omnino repudiet in art.42. 61. 62. 63. & 64. Audiatur 42.: *Justitia, qua justificatur per fidem impius, consistit formaliter in obedientia mandatorum, quæ est operum justitia; non autem in gratia aliqua animæ infusa, qua adoptatur homo in filium Dei, & secundùm interiorem hominem renovatur, ac Divinæ naturæ consors efficitur &c.*, & art. 63. *Illa distinctio duplicis justitiæ, quæ fit per spiritum charitatis inhabitantem; alterius, quæ fit ex inspiratione quidem Spiritus S., cor ad pœnitentiam excitantis; sed nondum cor inhabitantis, & in eo charitatem diffundentis, qua Divinæ legis justificatio impleatur, similiter rejicitur.*

Addo, licèt Quesnellus non aliam, quàm Jansenii sententiam explicatam supra quæstione 1. 2., & 4. in præsenti de charitate materia sectaretur, nihilominus incursurum fuisse censuras omnes, quæ ab Alex.VIII. inustæ sunt septimo, & octo sequentibus inter 31. articulos, totidem genuinis fœtibus doctrinæ Jansenianæ. Quæ in his quæstionibus breviter perstricta sunt, fusè deducuntur in Operis *Appendice* ad Propos.59. & passim in hujus secundi tomi decursu.

CAPUT II.

Propositio adversatur Scripturis Sacris. *Col.268.*

I. II. N*Abuchodonosor*, teste Hieronymo in Ezechielis c.29., *mercedem accepit boni operis*: atqui opus ab Ethnico principe (Vide Prop.38. c.1. n.5.) exercitum nec fuit amor Dei, nec ex eo dimanavit: ergo sinè tali amore bonum fuit; & ita quidem bonum, ut illud Deus apud citatum Prophetam temporali mercede remuneratus sit, quod Hieronymus *in exponendis Sacris Scripturis Doctor maximus* ab Ecclesia appellatus, de formali, & propriè dictâ remuneratione intelligit.

III. Ex tali etiam amore nata non sunt opera pœnitentiæ Ninivitarum; sed ex timore, nè Ninive à Deo subverteretur: & nihilominus Jonæ 3.v.10. dicitur: *& vidit Deus opera eorum, quia conversi sunt de via sua mala: & misertus est Deus super malitiam, quam locutus fuerat, ut faceret eis, & non fecit*: si hæc opera fuissent mala, non misericordiam; sed acerbiorem ultionem provocassent.

IV. Christus cum alibi sæpe, tum Lucæ 12. v.5. *Timete* inquit, *eum, qui, postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam. ita dico vobis, hunc timete*: quâ studiosâ repetitione nobis inculcatum voluit, timorem Domini ex se, & præscindendo à Charitate, *quæ omnia agit propter Deum, quamque Deus remuneratur*, utilissimum esse, & proinde vitio carere.

V. Ecclesiastici 25. *Timor Dei initium dilectionis ejus* dicitur: at juxta Quesnellum dilectio Dei, qualis ab eo describitur, est initium timoris Dei; qui nisi ex tali dilectione profluat, malus est, & pœnâ dignus.

VI. Apostolus ad Col.3. *Quodcunque facitis, ex animo operamini sicut Domino, & non hominibus; scientes, quòd à Domino accipietis retributionem hæreditatis*: ergo bonum est, operari ex motivo æternæ gloriæ, ibi sistendo.

do. Idem motivum proponit nobis in persona Dei S. Joannes Apoc.2. *Esto fidelis usque ad mortem, & dabo tibi coronam gloriæ.* Hinc Regius Propheta Ps.118. *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas* [idest, ad observanda mandata tua] *In æternum, propter retributionem* : non vitiantur itaque actiones nostræ, sed è contrario ad salutem perquam utiles sunt; licèt earum principium distinctum sit ab amore Dei à Quesnello perperam requisito.

CAPUT III.

Eadem Propositio contraria est Concilio Tridentino. Col.271.

I. CAp.1. nom.2. locum unum ex Tridentino produximus Quesnellianæ 44. planè fatalem.

II. Alter desumitur ex Tridentino Sess.14. cap.4. ubi Concilium declarat, *contritionem imperfectam..... vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ, & pœnarum metu.... conceptam, si voluntatem peccandi excludat* [ut procul dubio excludere potest, (III.) nè sanctio Tridentinis Patribus indigna sit] *cum spe veniæ... donum Dei esse, & Spiritus Sancti impulsum, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantùm moventis, quo pœnitens adjutus viam sibi ad justitiam parat &c.*

Hæc contritio imperfecta neque est amor Dei, qui omnia agit propter Deum; nec talem amorem habet pro motivo, aut principio; multò minus est amor, *quem Deus remuneratur*, id est, supponens amicitiam cùm Deo, quandoquidem clarè supponitur Spiritus Sanctus nondum inhabitare: & tamen talis contritio bona est, & utilis, utpote *donum Dei.... & Spiritus Sancti impulsus... quo pœnitens adjutus viam sibi ad justitiam parat*. [IV.] Hinc can.5. anathematizatur, qui dixerit, eam contritionem [inter cujus motiva nulla rursus fit mentio *amoris Dei, qui omnia agit propter Deum*] „non esse verum, & utilem dolorem „nec præparare ad gratiam, sed facere hominem hy„pocritam & magis peccatorem.„ (V.) Et can.8. *Si quis dixerit, gehennæ metum, per quem ad misericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel à peccato abstinemus, peccatum esse, aut peccatores pejores facere, anathema sit*: Atqui, stante damnato Quesnelli articulo, talis metus non relatus ad Deum benevolè dilectum super omnia, hoc ipso fit malus: ergo est novum peccatum: ergo facit *magis, seu pejorem peccatorem*, & *hypocritam*: quæ enim magis scelesta hypocrisis, & simulatio est, quàm si, cùm dolere te dicis de peccatis, dolendo pecces?

CAPUT IV.

Eadem Propositio adversatur definitionibus Summorum Pontificum. Col.275.

I. COntinet enim primò hanc inter Bajanas 16. *Non est vera legis obedientia, quæ fit sinè charitate*: quidquid non fit ex charitate juxta Quesnellum est malum: ergo non potest esse vera legis obedientia.

Continet secundò hanc 25. *Omnia opera Infidelium sunt peccata, & Philosophorum virtutes sunt vitia*. Infidelitas enim componi non potest cum *amore Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur*: sinè hoc autem amore omnis actio, si Quesnello auscultamus, mala est.

Continet tertiò hanc 27. *Liberum arbitrium sinè gratiæ Dei adjutorio non nisi ad peccandum valet*. Amor Dei, quem Quesnellus exigit, esse non potest sinè gratia: sinè eo amore omnis actio mala est: ergo sinè gratia omnis actio mala est: ergo *liberum arbitrium &c.*

Quartò, convenit cum hac Bajana Propositione 38. *Omnis amor creaturæ rationalis aut vitiosa est cupiditas, qua mundus diligitur, quæ à Joanne prohibetur; aut laudabilis illa charitas, qua per Spiritum Sanctum corde diffusa Deus amatur*. [II.] Eodem spectat hæc 7. inter 31. ab Alex. Octavo damnatas: *Omnis humana actio deliberata, est Dei dilectio, vel mundi; si Dei, Charitas Patris est: si mundi, concupiscentia carnis, hoc est, mala est*: Etenim juxta Quesnellum omnis humana actio, ut vitio careat, debet esse ex dilectione Dei; sed actio orta ex Dei dilectione, est dilectio Dei: *virtutes* enim, ut rectè Augustinus, *discernuntur finibus, non officiis*. ergo.

Continet quintò hanc 8. eodem Alexandri Decreto fulminatam: *Necesse est infidelem in omni opere peccare*: caret enim amore, sinè quo, Quesnello teste, omnis actio mala est.

III. Continet sextò hanc 9. ibidem confixam: *Revera peccat, qui odio habet peccatum merè ob ejus turpitudinem, & disconvenientiam cum natura sinè ullo ad Deum offensum respectu*, adeoque sinè amoris divini impulsu, seu motivo.

Continet septimò hanc 10. ibidem damnatam: *Intentio, qua quis detestatur malum, & prosequitur bonum merè, ut cœlestem obtineat gloriam* (adeoque non ex amore Dei benevolo super omnia) *non est recta, nec Deo placens*.

IV. Continet octavò hanc 11. ibidem proscriptam: *Omne quod non est ex fide Christiana supernaturali, quæ per dilectionem operatur, peccatum est*: Requisita enim à Quesnello dilectio necessariò præsupponit *fidem Christianam supernaturalem*.

Continet nonò hanc 12. *Quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor, deficit etiam Fides; &, etiamsi videantur credere, non est Fides divina, sed humana*: Si enim omnis actio, deficiente amore Dei, mala sit; ergo etiam fides: ergo tum non est fides divina, sed humana.

Continet decimò hanc 13. ibidem abolitam: *Quisquis etiam æternæ mercedis intuitu Deo famulatur, charitate si caruerit, vitio non caret, quoties intuitu licèt beatitudinis operetur*. Apud Quesnellum quoque verum est, quòd is vitio non careat, qui destitutus charitate operatur, intuitu licèt beatitudinis operetur. Accedit, talem à novatore charitatem actualem requiri, quæ in operante supponat habitualem, sive amicitiam cum Deo. Vide cap.1. n.1. & ibid.q 5.

V. Continet undecimò hanc 15. ibidem exustam *Attritio, quæ gehennæ, & pœnarum metu communiter concipitur sinè dilectione benevolentiæ Dei propter se, non est bonus motus, ac supernaturalis*; etenim sinè tali dilectione, Quesnello judice, est peccatum.

CAPUT V.

Eadem Propositio repugnat doctrinæ SS. Patrum. Col.278.

I. QUas ad Prop.38. 39. & 40. produximus Patrum, & Scholasticorum authoritates, ut ostenderemus, fieri posse opera non mala sinè gratia, eædem à fortiori demonstrant, talia fieri posse sinè amore Dei: aliæ item, quas tum ibidem, tum præsertim ad Prop.42. allegavimus, ut probaremus, interdum ab infidelibus exerceri quædam opera non tantùm non mala, verùm etiam bona; hæ, inquam, authoritates cùm in utroque casu excludant *amorem Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur*, evincunt, actiones nostras ex eo nasci non oportere, ut bonæ sint, aut non malæ.

II. His testimoniis non nulla pro mantissa superaddimus. S. Aug. l.4. contra Jul. c.4. *Etiam ipsa bona opera*, inquit, *quæ faciunt infideles, non ipsorum sunt, sed illius, qui bene utitur malis*: En bona opera in infidelibus, & quidem quorum author Deus est, qui nisi per sacrilegam impietatem peccati author dici non potest. Ex Augustino plura dabimus capite proximo.

III. S. Chrysostomum dabimus infra ad Prop.47.c.6.0.6. Author operis imp. in Matth. c.25. *Si Infidelis fecerit opus bonum, hic ei prodest opus ipsius, & hic ei reddit*

Deus

Deus bona pro opere suo ; *In illa autem seculo futura nihil ei prodest* : atqui opus bonum non exercetur ab infideli ex amore Dei : aliunde Deus pro tali opere, si ex defectu amoris vitiaretur, reddere non potest bona, nè quidem in hoc seculo : ergo ut actio bona sit, minimè necesse est, ex amore Dei profluere.

Id ipsum confirmatur 1. ex S. Hieronymo in Psalm. 118. *Qui gehennam timet, & propterea non fornicatur, non habet tantam mercedem, quantam ille, qui propter dilectionem Dei facit*. Si prior aliquam, ut clarè supponit Hieronymus, mercedem habeat, ejusmodi fuga fornicationis ob timorem gehennæ, etiam semotâ dilectione Dei, reprehendenda non est.

IV. Confirmatur 2. ex S. Bernardo tractatu de præcepto & dispensatione : *Bonus quidem*, inquit, *obedientiæ gradus, si juxta Magistri nostri* (Augustini de verbis Apostoli serm. 13.) *sententiam propter metum gehennæ quispiam obedierit . . . melior tamen, cùm ex Dei amore obeditur* : quem locum Luthero, Melanchtoni, & Calvino opponens Eminentissimus Bellarminus l. 4. de Justif. c. 16. sic observat : „ S. Bernardus cùm dicit, „ obedientiam ex metu gehennæ esse bonam, ex chari„ tate meliorem, intelligit bonam simpliciter, & sinè „ ullo peccato, etiam veniali posse præstari. „ Ruit igitur Quesnelli assertio: *Non sunt nisi duo amores &c.*

Idem Mellifluus tract. de char. c. 3. *Discat homo Deum diligere etsi non propter suam bonitatem, certè propter suam utilitatem propriam. Et hic gradus amoris amare incipientibus primus est*, & bonus est, cùm ad eum S. Doctor hortetur; nec tamen is est, quem Quesnellus requirit : ergo inter *duos* ejus *amores* medius est. Vide etiam Prop. 45 c. 5. num. 3. 4. 5.

Confirmatur 3. ex S. Prospero, vel quisquis author est Opusculi *de vita contempl.* l. 3. c. 25. *Taceo*, inquit, *de carnali amore, qui incipiens a conjugio manat in filios . . . Propinquorum etiam prætereo, . . Nec de illo aliquid dico, quo etsi amicos amamus, tamen etiam ipse refertur ad aliquod commodum temporale. Non quòd isti amores HONESTI non sint, cùm sint omnibus naturales; sed quòd his omnibus sit ille incomparabili diversitate præstantior, quo Deum diligimus gratis, & amicum.*

Confirmatur 4. ex S. Laur. Justiniano *de ligno vitæ* l. *de charitate* c. 13. *Amor triplex est; scilicet gratuitus, naturalis, & vitiosus. Amor gratuitus est laudabilis; quia habet principalem finem bonum incommutabile, & virtus est. Hic dividitur in amicitiam, & concupiscentiam. Secundùm amicitiam quis diligit Deum purissimè, non respiciens utilitatem suam, sed bonitatem amoris: hoc modo plus diligit homo Deum, quàm se ipsum. Secundùm verò concupiscentiam diligit quis Deum, quia remunerationem in eo expectat* [Nota *in eo*, quia non aliam remunerationem expectat, quàm ipsius Dei fruitionem : & propterea amor ille concupiscentiæ *gratuitus* dicitur non tantùm à S. Laur. Justin., sed etiam ab Augustino locis plurimis, ut infra videbitur c. 13. num. 16. & 17. Hoc obiter dictum sit.] *Amor naturalis nec laudabilis est, nec vituperabilis, & habet finem indigentiam, vel utilitatem propriam . . . Amor vitiosus vituperabilis est, quia peccatum est, & habet finem voluptatem, sive delectationem in creatura.*

Idem S. Patriarcha ibid. c. 10. plures Divini amoris species enumerat, omnes bonas, cùm tamen sola postrema sit amor purè benevolus. „ Diligentium Deum, „ inquit, „ quatuor sunt species. Prima est naturalis, „ quo amore amant omnes Deum, boni, & mali. De „ hoc amore ait Augustinus : *Deus, quem amat omne, „ quod amare potest, sive sciens, sive nesciens*. Secunda „ est, quâ aliquis amat Deum, eò quod cognoscit eum „ sibi necessarium, de quo David : *Diligam te Domine „ fortitudo mea &c.* Tertia est, quâ aliquis amat Deum „ propter delicias, quæ in eo sunt : cùm enim Deum di„ ligimus, omnia delectabilia, & suavia in eo reperi„ mus : unus est, qui quæritur, in quo omnia continen„ tur. O amor suavis! O lucrum mirabile! O com„ pendium singulare, qui vehementer accendis mentem „ delicias bonitatis tuæ sentientem? De hoc amore di„ citur Sap. 7. *Amator factus sum formæ illius*. Quarta „ est, quâ aliquis amat Deum, eò quòd sit dignissimus „ amore, qui amor purus est. „

Confirmatur 5. ex Ogerio Abbate viro à virtute, & pietate commendatissimo. Is *sermone 5. in cœna Domini* triplicem amorem ita distinguit. *Est quidam amor bonus, & est quidam amor malus, & amor MEDIUS. Amor bonus ipsa charitas est, qua diligimus Deum super omnia . . . Amor malus est charitatis inimicus, ut puta cœnosus . . . Amor MEDIUS est, qui nec charitati connectitur, nec amore cœnoso fœdatur; sicut amor filiorum, parentum, & aliarum rerum, quæ justè, & sinè periculo possidentur*. Ergo falsum est, quod *non sunt nisi duo amores &c.*

CAPUT VI.

S. Augustinus sigillatim proscripto dogmati oppositus. Col. 281.

Nihil apud spurios S. Augustini Discipulos efficimus, nisi horum contumaciam illius authoritate frangamus : En unde id fiat, si fieri possit.

I. Bonum, & utilem esse timorem pœnarum à Deo infligendarum, ex divino tamen amore minimè procedentem, invictè persuadent sequentia ejusdem Hipponensis Antistitis testimonia. In Psal. 127. ad illud *ubi vermis eorum non moritur, & ignis eorum non extinguetur* sic enarrat : *Audiunt hæc homines, & quia verè futura sunt impiis, TIMENT, ET CONTINENT SE A PECCATIS : timent, sed NON AMANT JUSTITIAM* [ergo nec Deum] *Cùm autem per timorem continent se, sit consuetudo justitiæ, & incipit quod durum erat, amari, & dulcescit Deus*. Ibidem : *Ille timor nondum castus præsentiam Domini, & pœnas timet: timore facit quidquid boni facit : non timore amittendi bonum illud; sed timore patiendi illud malum: non timet, nè perdat amplexus pulcherrimi sponsi; SED TIMET, NE MITTATUR IN GEHENNAM; BONUS EST ISTE TIMOR, UTILIS EST.*

II. Rursus serm. 13. de verbis Apostoli: *Timor servus est, Charitas libera est; & ut sic dicam, timor est servus charitatis : nè Diabolus possideat cor tuum, PRÆCEDAT servus in corde tuo, & servet DOMINÆ VENTURÆ locum: FAC VEL TIMORE POENÆ, si nondum potes amore justitiæ* : Si talis timor, qui Charitatem *præcedit*, adeòque ex ea non profluit, malus foret, perperam hortaretur Augustinus, ut ex eo operaremur, quando nondum operari possumus ex Charitate.

III. . . . VI. E sexcentis locis, quibus S. Augustinus nobis impensè commendat, ut operemur ex intuitu æternæ beatitudinis, nullâ, nè per umbram quidem, mentione factâ amoris benevolentiæ, unum alterumve qui instar multorum sit, hic deligo. Sic ergo nos hortatur enarr. in Ps. 120. n. 10. *Quando facis bonum opus, propter vitam æternam fac: nam si opus bonum in terra propterea feceris, ut terrena tibi abundent, scit sinistra tua, quid faciat dextera tua, miscuisti dexteram sinistræ. NOLI FACERE NISI PROPTER VITAM ÆTERNAM; IDEO FAC, ET SECURUS FACIES; HOC ENIM MANDAVIT DEUS*. Et serm. 1. in Ps. 103. num 14. *Latitudo est in bonis operibus, longitudo in perseverando usque in finem, altitudo propter sursum cor, ut omnia bona opera nostra.. NON FACIAMUS, NISI SPE COELESTIUM PRÆMIORUM : ipsa est enim altitudo, non hic quærere mercedem, sed sursum*. Magnam ex eodem Aug. locorum sylvam, quibus amor æternæ mercedis extollitur, exhibebimus c. 13. n. 12. & seqq.

VII. . . . X. Sanctum Doctorem in ipsis impiis, qui ab *amore Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur*, tantum absunt, quantum cœlum ab inferno, agnoscere quædam opera bona jam pluries demonstravimus. Addamus hic celebrem, quem huc distulimus, locum ex lib. de Sp. & lit. c. 27. qui sic sonat: *Etiam impiorum, nec Deum verum veraciter, justeque colentium, quædam tamen facta vel legimus, vel novimus, vel audivimus, quæ secundùm justitiæ regulam*

non

non solùm vituperare non possumus; verùm etiam meritò, rectèque laudamus: quanquam, si discutiatur, quo fine fiant, vix inveniantur, quæ justitiæ debitam laudem, defensionemque mereantur: in quem locum sic observat Cardinalis Bellarminus l.3. de gratia, & libero arb. c.9. „ Notandum est illud *vix*: verè enim magna
„ pars operum Infidelium ob finem pravum, ad quem
„ referuntur, peccata simpliciter sunt; quædam tamen,
„ tametsi pauca, inveniuntur, quæ nullo malo fine
„ vitiantur; & ea non peccata, sed opera bona simpli-
„ citer dici debent. „

Audiamus denuo Præsulem Hipponensem l. de patientia c.26. de Schismatico ita loquentem; *Si quis NON HABENS CHARITATEM... in aliquo Schismate constitutus, ne Christum neget, patitur tribulationes, angustias, famem &c. nullo modo ista culpanda sunt; imò verò, & hæc LAUDANDA PATIENTIA*; licèt à Charitate, quæ & disertis Augustini verbis, & ipso schismate per se excluditur, imperata non sit.

XI. Concludo hoc caput insigni textu deprompto ex serm.52. de tempore in initio. „ Alia est Divina Cha-
„ ritas; alia est humana: alia est humana licita, alia
„ illicita.... licent vobis humanà charitate diligere
„ conjuges, diligere filios, diligere amicos vestros...
„ sed videtis, istam charitatem esse posse & impio-
„ rum, id est, Paganorum, Judæorum, Hæreticorum: „ hæc charitas adeò divina non est, ut nè quidem supernaturalis sit; & tamen *licita est; non solùm autem licita est, ut concedatur; sed ita licita est, ut, si defuerit, reprehendatur*; sunt verba ejusdem textûs. Sicut autem hæc Charitas ratione sui licita est, ita ex ejus motivo agere minimè prohibetur: qui ergo ex solâ tali Charitate subvenit conjugi, filio, amico, non peccat: peccaret autem, si omnis actio, ut extra nexum sit, deberet vel esse amor Dei à Quesnello expositus, vel ab eo procedere. Similia apud S. Doctorem invenies ep.121. recentis edit. c.5.& hom.38. inter 50. c.1. & 2. Item hypogn. l.3. c.4.

CAPUT VII.

Eadem Propositio contraria est communissimæ Doctrinæ Scholasticorum, imprimis SS. Thomæ, & Bonaventuræ. Col.290.

I. LOca, quæ adduximus ex S.Thoma ad Prop.38.c.1. num.3. ad Prop.39. c.1. num.2. & ad Prop.42. c.4. num.2. omnino persuadent, quædam bona opera fieri posse sinè fide, quædam etiam non mala sinè gratia, adeòque sinè amore Dei, quem Quesnellus præscribit.

II. Similia habet S. Doctor in c.14. ad Rom. lect.3. *In homine infideli*, inquit, *cum infidelitate est bonum naturæ: & ideo cùm aliquis infidelis ex dictamine rationis aliquod bonum facit, non referendo ad malum finem, non peccat; non tamen opus ejus est meritorium, quia non est gratia informatum*. Iterum in c.1. ep. ad Titum lect.4. sic docet: *Peccator... si quid facit ex principio alicujus boni, quod habet, ut Fidei informis, vel naturæ, non est immundum*. Ergo subinde sufficit *dictamen rationis, & principium alicujus boni* distincti ab amore Dei, ut non peccetur.

III. Idem tradere Doctorem Seraphicum, videre licet ex verbis ejus relatis ad Prop.38.c.5.num 6. En aliud ejusdem testimonium in 2. dist.41. a.1. q.3. *Cùm aliquis ambulat, ut recreetur, vel comedit, ut reficiatur, talis actio indifferens judicatur, quia in tali actione non est malitia commissionis, quia non est inordinata dilectio: nec etiam omissionis; non enim semper omittit homo, quando actiones suas non refert in Deum: indulget enim naturæ fragili, & infirmæ... nec Deus requirit ab homine in statu distractionis, & miseriæ, quòd omnia, quæ facit, referat ad Deum*. „ Hactenus
„ ille Seraphicus „, inquit Em. Aguirre disp.130.sect. 4. „ & ardentissimus Dei amator; qui tamen religio-
„ nem non injecit, ordinandi omnia opera in Deum ex
„ dilectione ipsius, sed ob ea hominem fragilem, &
„ infirmum exemptum docuit. „

Idem Seraphicus *Centiloq.1. part.* c.25. iterum directissimè Quesnello opponitur. *Tripliciter autem*, inquit, *distinguitur amor; scilicet amor gratuitus, libidinosus, & naturalis. Gratuitus habet finem principalem summum bonum. Libidinosus habet finem voluptatem, seu delectationum in creatura. Naturalis habet finem necessitatem, seu utilitatem propriam. Primus est laudabilis, quia virtus; secundus vituperabilis, quia peccatum; tertius nec laudabilis, nec vituperabilis, quia naturalis*. Ergo perperam asseritur, *non esse nisi duos amores &c.*

IV. Cæterorum Scholasticorum, etiam Lovaniensium, præsertim qui Baji, & Jansenii temporibus posteriores non sunt, summa est in hac doctrina consensio; *quod sanè argumento est, certissimam illam iis omnibus extitisse*, ait l. c. Cardinalis Aguirre.

CAPUT VIII.

S. Franciscus Salesius damnato errori clarissimè adversatur. Col.294.

I. S. Antistes l.11. de amore Dei c.13. *Jejunare*, inquit, *ad parcendum sumptibus, est bonum; jejunare ad obsequium Ecclesiæ, est melius; jejunare ad placendum Deo, optimum*. Duo ergo priora jejunia bona sunt, licèt eorum principium minimè sit amor Dei, *qui omnia agit propter Deum* &c. c.16. *Quantum... ad timores servorum, & mercenariorum, non procedunt equidem ab amore, sed ordinariè præcedunt ipsum amorem.. & ipsi sæpe sunt PERUTILES ejus servitio... Divina bonitas... utitur ac timoris servilis, & mercenarii, quo ordinariè omnium primò corda nostra punguntur*.

II. Capiti 17. hunc præfigit titulum: *Quòd Amor spei sit valdè bonus, licèt imperfectus*; hoc ut doceat, præmittit: *Timor eorum, qui veluti servi, & mancipia Dei legem observant, ad evitandas inferni pœnas, est bonus; sed longè nobilior, & desiderabilior est timor mercenariorum &c.* Timor ergo, & spes sejuncta ab amore Dei, *qui omnia agit propter Deum &c.* commendationem magnam habent à Sanctissimo Præsule, [III.] qui, ut legitur in ejus Officio Canonico, *suis scriptis cœlesti doctrina refertis Ecclesiam illustravit, quibus iter ad Christianam perfectionem tutum, & planum demonstrat*. Vide etiam infra c.12. n.3.

CAPUT IX.

Damnatæ Propositionis error ab Eminentissimo Laurea argumento multiplici convincitur. Col.296.

I...V. QUesnellus in ementita sua, & Romæ proscripta *Defensione Romanæ Ecclesiæ; & Summorum Pontificum* factionis suæ eladem reparare nititur authoritate cujusdam *Voti Theologici* Cardinali Laureæ attributi, sed non nisi veteratoria calliditate in Janseniani sensûs favorem detorti. Id tamen hinc commodi resultat, quod Novatoribus recusandum non sit præsenti errori contrarium Eminentissimi Viri testimonium, in cujus judicio summum aliquando momentum posuere. Itaque laudatus Cardinalis opusculo tertio „, in commodum Tironum
„ S. Augustini doctrinæ studiosorum elucubrato „ caput 20. ita concludit: „ [VI.] Patet ergo, quòd „ Augustinus „ qualitates virtutis, quæ ad felicitatem
„ æternam conducunt, in virtutibus moralibus infide-
„ lium negat; at non dicit esse peccata, nisi ex fine
„ malo exerceantur; humanæ gloriæ, verbi gratia; vel,
„ ut falsis Diis placeant. Prudentia enim, justitia, for-
„ titudo, temperantia... secundùm se sunt rectæ ratio-
„ ni conformes; recta autem ratio specificat bonitatem

,, in actibus, quos dirigit. Si autem Infidelis habituatus in his virtutibus, vel in earum aliquâ veniret ad Fidem, operaretur tunc eâdem facilitate, ac promptitudine, sicut priùs operabatur. At post receptam fidem sunt eædem qualitates, quæ erant ante fidem, tunc post fidem malæ non sunt; ergo neque ante. In hoc differunt, quia, si post fidem exercentur in gratiâ, sunt meritoriæ; non autem ante. At dato, quòd post fidem non exerceantur in gratia, vel neque explicitè propter Deum, vel propter finem virtutis, numquid malæ sunt? Absit: ergo neque ante. ,, Hæc de multis delibasse sufficiat, ut apertissimè constet, Eminentissimo Laureæ minimè improbari virtutes sive à fideli, sive ab infideli exercitas, quanquam ab *amore Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur*, profectæ non sint; præsertim, cùm ad earum innocentiam nè opem quidem gratiæ requirat.

CAPUT X.

Damnatus error lumini rationis contrarius & omnem subruens religionem. Col.303.

I., II. QUid immitius, & magis à naturæ institutione alienum, quam peccati damnare actiones omnes, quas ad vitæ conservationem, ad promovendam, tuendamque valetudinem exercemus; præsertim si accedat honestatis impulsus; quia nempe laudabile est, vites sartas, tectasque servare sive ad parentum solatium, sive ad amicorum adjumentum, sive ad patriæ tutelam, sive ad obeunda Reip. munia, sive denique ad virtutum moralium exercitium? Nihil tamen horum, Doctore Quesnello, humanos actus à culpa absolvit, nisi eorum motivum extiterit *amor Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur*.

III. Quid, quòd Fides, quæ tali amori ex sana Theologia necessariò prærequiritur, juxta hæc damnata principia non potest esse nisi vitiosa, adeòque nec Christiana, nec Divina; quo posito, velim Quesnellus edoceat, quâ ratione adultus enitì valeat ad Dei amorem?

IV. Imò verò brevi argumento conficio ex Quesnelliana 44. consequi universæ religionis interitum; quare quæ proximè diximus claritatis gratiâ, ad hunc syllogismum revoco. Juxta allegatam Propositionem, omnis actio, & volitio aliunde orta, quam à memorata toties Dei Charitate, peccaminosa est: sed primus actus Fidei, qui Charitati præsupponitur, ex hac nasci non potest: ergo malus est; malus item, qui fidei præit, credulitatis affectus, malum voluntatis imperium. Ergo Fides Charitati prævia nequit esse theologica: atqui hæc, definiente Tridentino, est *humanæ salutis initium, fundamentum, & radix OMNIS Justificationis*: ergo hoc fundamento ruente, non tantùm ruit Charitas, verùm etiam succiditur Christiana spes, interit metus, abolentur sacramenta, Ecclesiæ compago laxatur; universum denique, quantum est, virtutum ac religionis ædificium pessum it; (V.) Valet hic denuo, quod alibi dixi jactum olim esse in Calvinistas convitium: *,Jansenistam fieri oportere, qui Atheus esse voluerit*.

CAPUT XI.

Origo Propositionis damnatæ panditur à Cardinale Aguirre. Col.307.

I. PAuca hæc detegendæ erroris origini abunde suffectura excerpimus ex Laudato Eminentissimo in Theologia S. Anselmi disp.130. sectione 3. ubi sic fatur: (II.) ,, In primis Calvinus l.4. Inst. c.14. §.3. docet, *omnes Fabricios, Scipiones, Catones in illis suis præclaris facinoribus hoc peccasse, quòd, cùm Fidei luce carerent, non ad eum finem ipsa retulerunt, ad quem referre debuerunt*. Præterea in Antidoto Tridentini Sess.6. can.7. inquit, *sinè Fide quæ videntur bona opera, in peccata vertuntur*; quoniam nimirum putavit, bonis opus esse Fide, quâ referantur in Deum finem ultimum: quod ipsum probare nititur iisdem locis Scripturæ, ac S. Augustini, quibus postea Jansenius, & Bajus suam munierunt opinionem. Lutherus quoque id ipsum videtur tradidisse in ep. ad Gal. c.4. dicens: *opera extra fidem facta, ut maximè in speciem Sancta videantur, sub peccata, & maledicto sunt*. Subscribit Melanchton... Kemnitius.... clariùs Petrus Martyr in ep. ad Rom. c.2. v.24., inquit: *Infidelium præclara opera, licèt quoad ipsos peccata essent, tamen ex sua natura, vel genere damnari non poterant humano judicio: coram Deo tamen prava fuisse, adeo non est dubium, quòd in congruum finem minimè referrentur*: ubi manifestum est, hæreticum ipsum nomine congrui finis... intelligere... finem ultimum simpliciter, quem gentiles non cognoverunt per fidem... Hanc itaque doctrinam contra omnes Theologos Scholasticos tradiderunt Hæresiarchæ seculi præcedentis.

II. ,, Paucis post annis Michael Bajus Lovaniensis Doctor, & nonnulli alii Scriptores inter plures alias Propositiones, quas anathemate ioussit B Pius V. & deinde Greg. XIII. hanc numero 25. ediderunt: Omnia opera infidelium sunt peccata: deinde hanc immediatè: *Virtutes Philosophorum sunt vitia*... Cur autem ea opera sint non virtutis, sed vitii, & vera peccata, exponit c.4. cui titulus: *quod honestatis officia, cùm in Deum non referuntur, non sint virtutes, sed vitia*... Quin & nominatim refellit Angelicum Doctorem, quod *prætendat esse virtutes, quia ad bonum aliquod particulare ordinantur, quod ad bonum universale sit referibile, etiamsi in iis reperiantur, qui unum verum Deum aut cæcitate nesciunt, aut elatione contemnunt*.. Præterea sic inscribit caput 5. ejusdem libri: *Quòd virtutes impiorum, quæ in Deum non referuntur, non ideo ab Augustino negantur esse veræ, quia non salvant; sed quia vitia sunt, & damnant*. Ac denique concludit: QUIDQUID NON FIT EX FIDE PER DILECTIONEM OPERANTE, IPSO NON RECTO FINE PECCATUM EST.

IV. ,, Bajo per omnia, aut pleraque successit hoc ipso seculo Jansenius.... qui... hanc ipsam doctrinam... instauravit tomo 2. lib.3. de natura lapsa c.17. ubi docet, *nullum omnino fieri posse opus bonum, hoc est, sinè peccato, nisi in Deum propter se dilectum referatur*. Cùm verò in Deum propter se dilectum referri nequeat sinè fide per dilectionem operante, consequenter docet, omnia opera quorumlibet infidelium.... esse peccata: ideoque eodem tomo 2. l.4. c.3. ait: *Sola absentia Fidei sufficit, ut opera infidelium vera sint peccata*. Et c.27. inquit: *omnia opera infidelium sunt peccata*.

Hinc, ni fallor, exploratissimum est, à quibus Majoribus Propositio 44. ad Quesnellum hæreditate transierit.

V. Prætermittendum hic non est, quod idem Eminentissimus observat sect.10. *Incredibile* videlicet, & *absurdum* esse *dictu, Spiritum Sanctum, deseruisse [à tempore Magistri sententiarum, quinque seculorum decursu] Doctoribus Scholarum, & ipsius Ecclesiæ, ac subinde toto fidelium cætu, vim ejus tam universalis præcepti* (omnia, & singula referendi, ut dictum est, in finem ultimum) *primum tradidisse Hæresiarchis seculi præcedentis Calvino, Luthero, Kemnitio, Melanchtoni, & Petro Martyri... & postea Michaeli Bajo, & Jansenio Iprensi, quorum præcipua dogmata à Summis Pontificibus Ecclesiæ fulgurita sunt*.

CAPUT XII.

Eliduntur argumenta pro confirmando errore accersita e SS. Literis . Col.312.

I. COmpilator Hexaplorum objicit primò illud Matthæi 7. v.18. *Non potest arbor mala bonos fructus facere, neque arbor bona malos fructus facere.*

R. cum S. Thoma in hunc locum : ,, Debes intelligere, quòd arbor est principium fructûs. Sed principium est duplex : principium naturæ, & principium moris. Principium naturæ est anima ; & quidquid inde procedit naturaliter, totum bonum est. Principium autem, moris est voluntas; ideò si voluntas fuerit bona, & opus (erit) bonum, cùm habeat voluntatem bonam cum intentione bona. ,, Planè ergo assentimur Doctori Angelico, opus bonum tunc esse, quando procedit ex voluntate bona cum intentione bona; & è diverso, opus malum esse, quando alterutra mala est, voluntatis nomine intelligendo volitionem, vel voluntatem malam quatenus malam. Sed negamus, solam intentionem *amoris Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur*, bonam esse; vel, quod in idem recidit, omnem intentionem ab hac distinctam, malam esse. Copiosissimas rationes, & authoritates, quæ id ipsum negant, habes superioribus capitibus, & nominatim Angelum Scholæ c.7. n.1. & 2.

II. Objicit secundò Apostolum 1. Cor.10. v.31. dicentem : *Sive ergo manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite*. Ergo tenemur omnia agere ad Dei gloriam, sive ex ejus amore. Igitur quæ ita non fiunt, sunt peccata.

Quid, & quantum in citatis verbis à nobis requirat Apostolus, intelligant S. Augustini discipuli ex ipso S. Augustino in Psalm.146. num.2. ubi hæc scribit memoratu dignissima. ,, Vis ergo psallere? Non solùm vox tua sonet laudes Dei, sed opera tua concordent cùm voce tua . : .. Negotium agis, & fraudem cogitas, siluisti à laude Dei ... Cùm ergo Deus laudatur de bono opere tuo laudas Deum ; & cùm blasphematur Deus de malo opere tuo, opere tuo blasphemas Deum ... Non cogitas in negotio fraudem, psallis Deo. Cùm manducas, & bibis, psalle ; non intermiscendo sonorum suavitates ad aures aptas, sed modestè, & frugaliter, & temperanter manducando, & bibendo : Quia hoc dicit Apostolus ,, [NOTA BENE] ,, *sive manducatis, sive bibitis, omnia in gloriam Dei facite*. Si ergo bene agis, & quod manducas, & bibis, & ad refectionem corporis sumis, reparationemque membrorum, gratias agens ei, qui tibi præbuit mortali, & fragili ista supplementorum solatia ; & cibus tuus, & potus tuus laudat Deum. Si verò modum naturæ debitum immoderatione voracitatis excedas, & vinolentiâ te ingurgites ; quantaslibet laudes Dei lingua tua sonet, vita blasphemat. Post cibum, & potum requiescas, ut dormias ; nec in lecto turpiter agas .. sit castus cum conjuge thorus ... Hæc agens laudas Deum ... Quid cùm somnus advenerit? Et cùm dormis, non te excitet à quiete mala conscientia ; & innocentia somni tui laudat Deum. Si ergo laudas, non tantùm linguâ tuâ canta, sed etiam assumpto bonorum operum psalterio .... laudas, cùm agis negotium ; laudas, cùm cibum, & potum capis ; laudas, cùm in lecto requiescis ; laudas cùm dormis. ,, Verba hæc adoptarunt Venerabilis Beda, Anselmus, Magister sententiarum, S. Thomas &c.

Similia tradit Hipponensis Antistes in Psalm.34. enarr.2. num.16. *Tota die*, inquit, *Deum laudare quis durat? Suggero remedium, unde tota die laudes Deum, si vis. Quidquid egeris, bene age, & laudasti Deum. Quando cantas hymnum, laudas Deum : lingua tua quid agit, nisi laudet & conscientia tua? Cessasti ab hymno cantando, discedis ut reficiaris? Noli inebriari, & laudasti Deum. Discedis, ut dormias? Noli surgere ad malè faciendum, & laudasti Deum. Negotium agis? Noli fraudem facere, & laudasti Deum*. Hæc doctrina sustinetur ab iis omnibus, qui verba Apostoli, si strictum præceptum contineant, sic exponunt, ut sufficere dicant, ita honestè aliquid facere, ut non sit contra gloriam Dei, sed natum sit in gloriam Dei cedere. Nam, ut in illum Apostoli locum scribit Doctor Angelicus; *relatio hæc in gloriam Dei intelligitur vel in actu, vel in aptitudine referendi, quæ non est solùm in bonis, sed etiam in indifferentibus*; quod conforme est ejusdem Doctoris Angelici sententiæ 2. 2. q.24. a. 8. C. obligari scilicet hominem, *ut nihil cogitet, vel velit, quod Divinæ dilectioni sit contrarium*.

Eodem modo Apostolum interpretantur Patres Græci Chrysostomus hom.2. in ep.1. Cor.10. OEcumenius, Theophylactus &c. nullibi insinuantes obligationem agendi omnia ex amore Dei sensu Quesnelliano 44.

III. Ex dictis patet Responsio ad objectionem tertiam ex eodem Apostolo Colos.3. v.17. *Omne quodcunque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini Jesu-Christi* (facite) *gratias agentes Deo, & Patri per ipsum*.

Eundem hunc textum ita ex S. Thoma declarat S. Salesius l.12. de amore Dei c.8. *Hæc verba Apostoli, ut dicit Doctor Angelicus ea explicans, sunt in sufficienti usu & praxi, quando nos possidemus habitum Sanctissimæ Charitatis; per quem, licèt non habeamus expressam, & actualem intentionem faciendi quidquid facimus, propter Deum; habemus tamen implicitè contentam in unione, & communione, quam cum Deo habemus, per quam omne bonum, quod facere possumus, una nobiscum dedicatum est Divinæ bonitati* : quod illustrat exemplo. *Non est opus, ut filius in ædibus paternis sub patris potestate commorans declaret, quidquid acquirit, acquirere se patri; nam, cùm filius sit sui patris, quidquid ab eo dependet, & provenit, ad patrem spectat. Sic, & satis est, nos esse Filios Dei per dilectionem* [habitualem utique jam dictam] *ut, quidquid agimus, integrè destinatum sit ejus gloriæ*.

Verba Angelici in objectum Apostoli locum sunt sequentia : *Dicendum est, quòd non est necessarium, quòd omnia in Deum referantur actu, sed habitu* [charitatis scilicet, ut exponit S. Salesius ;] *qui enim facit contra gloriam Dei, & præcepta ejus* [hoc est, qui mortaliter peccat] *facit contra hoc præceptum. Venialiter autem peccans non facit contra hoc præceptum simpliciter; quia, licèt non actualiter, tamen habitualiter refert omnia in Deum* :

Id est, insistendo iterum vestigiis S. Salesii ; licèt per singulas actiones, quarum aliquæ supponuntur venialiter malæ, omnia bona nostra non dedicentur Deo, ea tamen ejus gloriæ destinantur aliunde ; scilicet per habitum Charitatis, quem adhuc retinet, qui venialiter peccat. (Vide etiam Prop.46. c.2. n.1.

Itaque juxta hanc interpretationem, Apostolico præcepto prohibemur quidquam facere, quod repugnet habitui Charitatis, cujus beneficio omnia nostra bona divinæ gloriæ consecrantur, quæ ad illam referibilia sunt; etsi ad illam per actualem dilectionem Dei non referantur.

Actualis autem dilectio, juxta adversarios, duplex est, formalis, & virtualis : utriusque discrimen assignat è Quesnelli partiariis author *Tirocinii* ad Bajana principia elaborati pag.201., ubi sic habet : *Differt illa virtualis dilectio à formali tantùm extrinsecè : eadem enim, quæ modo dicitur, & formalis cognominatur, modico post tempore virtualis dicitur cum hoc discrimine, quòd supra formalem fiat expressa mentis reflexio, qua expressè cognoscit, se elicere talem dilectionis actum, & quasi illius recordatur*. Hinc concludit : *est igitur dilectio virtualis verus animi motus*, adeòque actus. Quæ huc usque disseruimus, probant, nec formalis, nec sensu jam exposito, virtualis dilectionis obligationem singulis actionibus nostris incumbere : At virtualem sensu S. Thomæ, hoc est, quæ resultat ex actuali, suo tempore juxta vim præcepti Charitatis elicitâ, nec retractatâ, ultrò admittimus : Vide Angelicum in 2. sent. d. 40. q.1. a. 5. ad 6. & 7. Talis virtualis dilectio, non minùs comitatur omnes bonas justorum actiones, quàm habitualis ex Salesio jam descripta.

IV. Objicitur quartò: Christus apud Matth. c.22. v.37. ita præcipit: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua.*

R. hoc præceptum accipi posse vel affirmativè, vel negativè. Quatenus affirmativum est, importat obligationem amandi Deum actualiter, & eo modo, qui hic præscribitur: sed cùm præcepta affirmativa, ex Doctrinâ S. Thomæ, licèt semper; non tamen ad semper obligent, neque hoc ita obligat. Quatenus negativum est, exigit, ut nihil fiat Dei dilectioni, amicitiæque contrarium, & hæc obligatio ita perpetua est, ut singulis actionibus sit annexa.

CAPUT XIII.

Repelluntur quæ Adversarii objiciunt ex S. Augustino. Col.318.

I. Opponitur primò: S. Augustinus l.14. de civit. Dei c.28. bifariam actiones omnes dividit: *Fecerunt ...*, inquit, *civitates duas amores duo; terrenam scilicet amor sui usque ad contemptum Dei; cœlestem verò amor Dei usque ad contemptum sui*: ergo, nè Augustini divisio inadæquata sit, dicendum est, quidquid non est amor Dei usque ad contemptum sui, vel quidquid ex eo non procedit, esse amorem sui noxium, & peccaminosum; quod ipsum, & nihil ultra, à Quesnello asseritur: igitur vel hic absolvendus, vel Augustinus cum Quesnello condemnandus.

R. Hic ab Augustino non actiones sed animorum status bifariam distribui, quorum alter est justitiæ, alter peccati: civitatis enim nomen non aptè rem fluxam, & transeuntem, ut est quælibet singularis actio, & volitio, sed stabilem, durantemque significat; quanquam, ut nihil in hoc mundo perpetuum est, subinde statum illum mutari contingat, ac destrui. Præterea si binæ civitates binam actionum omnium classem denotarent, jam non esset, ubi peccatum veniale reponeres; hoc enim nec est amor Dei usque ad contemptum sui, nec amor sui usque ad contemptum Dei: unde ulteriùs sequeretur, actionem non mortaliter malam, adeòque non contentam sub amore sui usque ad contemptum Dei, contineri sub amore justificante, qualis est *amor Dei usque ad contemptum sui*, *faciens cœlestem* Civitatem.

Aliud itaque Augustinus non vult, quàm duos esse animorum status, alterum justitiæ profectum ab amore Dei, quo se homo ita præ Deo contemnit, ut res omnes, propriam etiam vitam amicitiæ Divinæ posthabere non dubitet. Alter status est peccati, procedens ab amore sui, quo creatura ita Deum præ se contemnit, ut ejus amicitiam vilissimæ rei fruitioni postponat. Ad statum gratiæ vel peccati universum quidem hominum genus revocatur; sed amor, unde alteruter nascitur, non nisi eorum est, qui libero utuntur arbitrio; unde hi soli hic in Augustini considerationem veniunt, & in alterutra civitate collocantur; hæc autem statuum, aut civitatum discretio, ut per se liquet, non obstat, quo minùs tam hi, qui sibi terrenam civitatem fabricarunt amore sui pessimo, quàm qui cœlestem amore Dei optimo, subinde volitiones eliciant, & actiones exerceant ex neutro amore scaturientes; (II.) Quemadmodum supra, & speciatim ex S. Doctoris testimoniis c.6. demonstratum dedimus. Ruit igitur, & in fumos abit argumentum ex duplicis civitatis metaphora adornatum.

III. Secunda objectio formatur ex lib.2. de peccatorum mer. & rem. c.18. *Quanquam voluntas mirum si potest in medio quodam ita consistere, ut nec bona, nec mala sit; aut enim justitiam diligimus, & bona est; &, si magis diligimus, magis bona; si minùs, minùs bona est; aut si omnino non diligimus, non bona est. Quis verò dubitet dicere, voluntatem nullo modo justitiam diligentem, non modò esse malam, sed etiam pessimam voluntatem?*

R.1. dilectionem justitiæ nondum esse *amorem Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur*: rati enim sunt, etiam inter peccatores, qui justitiam aliquo modo non diligunt; innumeri verò carent amore Dei jam descripto. Ergo objectus locus non probat, quod probandum erat; sinè tali videlicet amore Dei actiones omnes vitiari.

R.2. hic ab Augustino per voluntatem non intelligi volitionem, sed volendi facultatem; quod patuisset, nisi Adversarius solitâ fraude verba immediatè in Augustino præcedentia lectoris oculis eripuisset; suntque hæc: *Nam si nobis libera quædam voluntas ex Deo est, quæ adhuc potest esse vel bona, vel mala; bona verò voluntas ex nobis est, melius est id, quod à nobis, quam quod ab illo est. Quod si absurdissimè dicitur, oportet fateantur, etiam bonam voluntatem nos adipisci. Quanquam &c.* ut in objectione legitur.

Hic igitur ab Augustino redarguuntur, qui ajebant volendi quidem facultatem esse à Deo, sed effectus ejus bonos, ac salutares esse à nobis. Id si ita est, inquit S. Doctor, jam à nobis ipsis meliores efficimur, quam à Deo conditi sumus: Deus enim in hoc supposito fecisset voluntatem liberam, & ad bonum malumque indifferentem; nos verò nostro studio, & conatu faceremus ex indifferenti bonam; *quod si absurdissimè dicitur, oportet fateantur, etiam bonam voluntatem*, idest, volitiones bonas, quibus voluntas, seu volendi facultas bona fit, *nos* à Deo *adipisci*. Tum appositè subjicit quæ sequuntur, & quæ breviter illustramus: *Quanquam voluntas mirum, si potest in medio quodam ita consistere, ut nec bona, nec mala sit: aut enim justitiam diligimus*, hoc est, justitiæ efficaciter afficimur, parati omnia præ illa perdere; *&* sic voluntas, ut pote Charitatis habitu prædita, *bona est; &, si magis diligimus, magis bona* est, qualis est eorum, qui ita justitiæ afficiuntur, ut eam esuriant, & sitiant: *si minùs diligimus, minùs bona est*, qualem habent non pauci etiam peccatores, qui justitiæ inefficaciter afficiuntur: *aut si omnino non diligimus, non bona*, imò pessima voluntas *est*, quæ nè tenuissimo quidem tangitur justitiæ desiderio; sed quidquid eò spectat, contemnit, & est status peccatoris, cùm in profundum malorum venerit. Verum ergo est, habitualem voluntatis dispositionem, adeòque ipsam voluntatem, seu voluntatis potentiam semper esse aut bonam, aut malam, nunquam in medio consistere.

Dum voluntatem hic sumimus pro volendi potentia, duce utimur Bellarmino l.5. de grat. & lib. arb. c.11. ad quemdam alium Augustini locum ita respondente: *Per voluntatem non accipit actum, ut adversarii putant, sed potentiam; quæ si prædita est Charitate, est bona: si cupiditate, est mala.*

V. Portò sicut non omnis justorum actio justa est, nec injustorum injusta est, ita nec voluntatis bonæ, & Charitatis habitu præditæ omnis volitio bona est, nec peccato infectæ peccatum est. Certè Assueri mutatio ad conspectum deficientis Estheris laudatur ab Augustino ut *bona* & Divino muneri tribuitur l.1. de gratia Christi c.24., ubi ex illo scripturæ *Deus convertit Spiritum Regis in mansuetudinem* ita concludit:
„ legant ergo *Pelagiani*, & intelligant intueantur, at-
„ que fateantur, non lege, atque Doctrinâ insonante
„ forinsecus; sed internâ, & occulta; mirabili, ac inef-
„ fabili potestate operari Deum in cordibus hominum
„ non solùm veras revelationes, sed etiam bonas vo-
„ luntates „ seu volitiones. Audiant igitur adversarii prædicari à S. Doctore bonam in gentili principe volitionem, & Deo adscribi, eam mirabiliter, & ineffabiliter operanti: multùm tamen aberat Assueri voluntas à Charitate habituali, magis etiam ab *amore Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur.*

IV. Ex dictis collige, quòd, cùm Augustinus in objecto textu tantùm neget volendi facultatem, seu dispositionem voluntatis habitualem posse ita in medio consistere, ut nec bona, nec mala sit, hinc non feriri eorum opinionem, qui actus, vel volitiones admittunt in individuo indifferentes. Certè in ea sententia est Hieronymus ep.89. ad Augustinum: *Bonum est continentia, malum est luxuria; inter utrumque indifferens ambulare &c. Hoc neque bonum; neque malum est; sive enim feceris, sive non feceris, nec justitiam, nec injustitiam*

tiom habebit. Et Greg. Nazianz. orat.3. in Julianum ait, *Non continuò sequi, esse pœna dignum eum, qui laudem non meretur; vel contra laude dignum esse eum, qui non est dignus supplicio*. Hoc etiam referri potest amor erga propinquos, qui sponte impenditur naturæ, & *cui sacra eloquia non contradicunt*, ut loquitur Greg. Magnus hom.27. in Euang.

VI. Opponitur tertiò quod habet Augustinus l. de grat. Christi c.20. *Aliud.. est Charitas radix bonorum; aliud cupiditas radix malorum, tantùmque inter se differunt, quantùm virtus & vitium*. Ergo quidquid virtus est, debet prodire ex charitate: atqui charitas est *amor Dei benevolus super omnia*: ergo nulla actio bona est, nisi ex tali amore gignatur.

R. primò, licèt tam verum foret, quam revera falsum est, omnem actionem, ut sit bona, seu virtuosa, debere procedere ex amore Dei, vel charitate; indè nondum sequeretur, cæteras omnes actiones malas esse; cùm, ut num. præcedente vidimus, non ignobiles authores, quibus multò plures addere in promptu est, sustineant, dari actiones medias inter virtutem, & vitium.

R. secundò transmisso primo consequente, distinguendo subsumptum: atqui Charitas apud Scholasticos, & recentioris ævi scriptores est amor Dei benevolus super omnia, concedo subsumptum. Charitas in objectis Augustini verbis est amor Dei benevolus super omnia, nego subsumptum; quod quamdiu Adversarii non probant, nihil probant; & hæc sola responsio ferè sufficit elidendis omnibus argumentis, quæ ex Augustini authoritate in hac materia proferuntur.

Et verò non nisi cum gravissima Præsulis Hipponensis injuria, & turpem ei affricando inconstantiæ maculam dici potest, eum aut in proximè allegato textu, aut uspiam Quesnelliano errori consentire; quandoquidem tum hic num.5., tum c 6. num.7., tum alibi sæpius invicta ex eo testimonia dedimus pro volitionum, aut actionum earum bonitate, quæ etiam ab infidelibus subinde exercentur, quasque certissimum est non ducere originem ex Divino amore: sic ep.144. alias 130. ad Cirtenses, conversionem Polemonis ad temperantiam non *humano operi* tribuit, SED DIVINO. Notum autem est, Polemonem fuisse hominem gentilem, qui actus temperantiæ in verum Deum ex amore benevolo referre nè cogitabat quidem. Porrò non unam esse apud S. Doctorem Charitatis acceptionem docebit sequens

ANIMADVERSIO.

Circa variam apud S. Augustinum notionem Charitatis, amoris, dilectionis &c. aliaque huc pertinentia.

VII. Licèt Jansenius non minùs in suis de Charitate, quam de gratia, & libertate dogmatibus à S. Aug. doctrina fœdè aberrarit; tamen tomo 3..l.5.c.7. verè scripsit, *non semper ita sumi ab Augustino CHARITATEM, quemadmodum hoc tempore passim, & ferè semper in Scholis usurpari solet: nunc enim per Charitatem nihil aliud intelligimus, quam virtutem illam dilectionis in eam perfectio gradu, ut super omnia diligatur Deus*. Huc usque Jansenius. Hinc pronum est, in fraudem induci simpliciores, quibus novator quispiam, ad conciliandam errori suo authoritatem, obtrudit Augustini textum, ubi meminit *Charitatis*, quam vocem isti non in alia, quàm quæ modò usitata est, notione accepturi prævidentur. Igitur operæ me pretium facturum existimo, si cavendæ tam periculosæ deceptioni ostendam, non rarò aliud à S. Doctore eo vocabulo significari, quàm persuadere cupiat Quesnellus, & qui in ejus favorem Augustini sententias consarcinarunt. Id planè evincent loca, quæ ex Hipponensi subjicio, quæque in præsenti tomo dispersa, hic sub unum aspectum colligenda censui; eò lectorem, ubi opus erit, remissurus.

VIII. Imprimis in Psalm.9. num.15. *Pes animæ*, inquit, Augustinus, *rectè intelligitur amor; qui cùm pravus est, vocatur CUPIDITAS, aut libido; cùm autem rectus, dilectio, vel CHARITAS*. Ergo, modò amor rectus sit, erit Augustino Charitas, quæ cupiditati, id est, amori pravo opponitur: substituatur jam in verbis objectis n.6. definitio pro definito; & sensus erit hic: *aliud est* amor rectus *radix bonorum*; *aliud* amor pravus *radix malorum; tantumque inter se differunt, quantum virtus, & vitium*; unde nihil penitùs accedit præsidii damnatæ Propositioni 44. nemo enim, nisi novâ hæresi dementatus, dixerit, nullum esse amorem rectum præter amorem Dei super omnia benevolum, aut volitionem, quæ ex eo procedit. Aliam responsionem ad simillimum ex S. Fulgentio locum infra dabimus Prop.45. c.5. n.1. & 2. Pergamus:

IX. Lib.2. ad Bonifacium c.9. post medium: *Quid est enim boni cupiditas, nisi Charitas, de qua Joannes Apostolus sine ambiguitate loquitur, dicens, CHARITAS EX DEO EST*. Juxta hanc definitionem actus de se bonus, & laudabilis, ex amore honestatis elicitus, nec ullo pravo fine, aut circumstantia vitiatus, dicetur Augustino *Charitas*: erit enim, ut patet, *cupiditas boni*.

Rursum l. de gratia Christi c.21. *Quasi verò aliud sit bona voluntas, quàm charitas*. Deinde c.24. bonæ voluntatis exemplum ponit in Assuero: unde ad illud Esther is *convertitque Deus Spiritum Regis in mansuetudinem* sic contra Pelagianos concludit: *Intueantur, atque fateantur, non lege atque doctrina insonante forinsecus, sed interna, & occulta; mirabili, ac ineffabili potestate operari Deum in cordibus hominum non solùm veras revelationes, sed etiam BONAS VOLUNTATES*, adeòque, Augustini phrasi, charitatem, sed multùm diversam à tertia virtute Theologica, quam nemo gentili Regi adscripserit.

X. Huc spectant variæ appellationes gratiæ, ut est motio voluntati impressa: hanc enim modò vocat Augustinus *spiritum charitatis*, ut l.1. ad Simpl.q. 2.; modò *infusionem charitatis*, ut lib.2. ad Bonif. c.8.; modò *gratiam, qua charitas Dei diffunditur in cordibus nostris*, ut lib. de gratia Christi c 26. & alibi sæpe; modò *dilectionem*, vel *inspirationem dilectionis*, ut lib.4.ad Bonif.c.5.; modò *concupiscentiam bonam*, ut l. de sp. & lit. c.4.; modò *suavitatem*, ut lib. de pecc. mer. c. 17.& 19.& in Psal.84.; modò *dulcedinem*, ut lib.2. ad Bonif c.9; modò, & sæpissime *delectationem* in libris, quos in defensionem Divinæ gratiæ elucubravit &c. Redeamus ad appellationem charitatis.

XI. Obsequium Deo præstitum propter timorem ignis æterni, videtur charitatis, sed non perfectæ vocabulo insigniri posse ex mente S. Doctoris; sic enim loquitur c.38. lib. de S. Virg. *Est etiam timor ignis æterni, propter quem devitandum Deo servire, nondum est utique PERFECTÆ CHARITATIS. Aliud est enim desiderium præmii, aliud formido supplicii. Aliæ voces sunt, QUO ABIBO AB SPIRITU TUO, ET A FACIE TUA, QUO FUGIAM? Et aliæ voces sunt: UNAM PETII A DOMINO, HANC REQUIRAM UT INHABITEM IN DOMO DOMINI &c.* Nonne hic insinuat Augustinus, *desiderium præmii* esse quodammodo Charitatem perfectam? Et nonne similem Charitatem designat lib.de vera Religione, ubi ab eo c.52. vocatur *anima perfecta, Deo subdita, & ad EJUS REGNUM SUMMA CHARITATE CONVERSA?*

XII. Cæterum nihil Augustino frequentius, quàm *Charitas* sumpta pro amore spei, & sanctæ concupiscentiæ, nulla facta mentione benevolentiæ; ut subjecta loca testantur.

Lib.5. de Civ. Dei c.24. docet cupiditates pravas frænandas esse *non propter ardorem inanis gloriæ, SED PROPTER CHARITATEM FELICITATIS ÆTERNÆ*.

L.1. de Doct. Christ. c.38. n.42. *Spei succedit beatitudo ipsa, ad quam perventuri sumus: CHARITAS autem, etiam istis decedentibus, augebitur potius. Si enim credendo diligimus, quod nondum videmus, quantò magis, cùm videre cœperimus? Et, si sperando diligimus, quò nondum pervenimus, quantò magis, cùm pervenerimus? Inter temporalia quippe, atque æterna, hoc interest, quòd temporale aliquid plus diligitur, antequam habea-*

h tur,

tur, vilescit autem, cùm advenerit; non enim satiat animam, cui vera, & certa sedes est æternitas; æternum autem ardentiùs diligitur adeptum, quàm desideratum: nulli enim desideranti conceditur, plus de illo existimare, quàm in se habet, ut ei vilescat, cùm minus invenerit: sed quantum quisque venient existimare potuerit, plus perveniens inventurus est. In Psalm. 7. num.14. *Sagittæ potentis acutæ cum carbonibus vastatoribus, quibus percussus, atque inflammatus, TANTO AMORE ARDEAS REGNI COELORUM, ut omnium resistentium, & à proposito revocare volentium linguas contemnas, & persecutiones eorum derideas, dicens, QUIS ME SEPARABIT A CHARITATE CHRISTI &c.* Rom 8. v.35.

XIII. An hæc quadrant *Charitati* sumptæ pro amore benevolo? An clarioribus verbis exprimi potest amor spei, seu concupiscentiæ, quàm in allatis textibus ab Augustino expressus sit? Quantopere hic amor à S. Doctore commendetur videre cœpimus supra c.6.n.3. ... 6. quibus hic juvat nonnulla superaddere.

Serm.25. aliàs de diversis 19. n.7. ,, Cùm Christus apparuerit vita vestra, tunc & vos cum ipso apparebitis in gloria. Ecce dies boni, ipsos desideremus: PROPTER HOC VIVAMUS, PROPTER HOC OREMUS, PROPTER HOC ELEEMOSYNAS DEMUS.

Serm.178. aliàs 19. de Verbis Ap. n.10. & 11. ,, Etiamsi timore gehennæ non facis malum, nondum es perfectus. Audeo dicere, si timore gehennæ, non facis malum, est quidem in te Fides, quia credis futurum Dei esse judicium: gaudeo Fidei tuæ, sed adhuc timeo malitiæ tuæ. Quid est quod dixi? Quia si timore gehennæ non facis malum, non amore justitiæ facis bonum. Aliud est, timere pœnam, aliud est, amare justitiam. Amor castus in te esse debet, quo amore desideres videre non cœlum & terram, non campos liquidos maris, non spectacula nugatoria, non fulgores, nitoresque gemmarum: sed desidera videre Deum tuum: quia dictum est, Dilectissimi, FILII DEI SUMUS, ET NONDUM APPARUIT QUOD ERIMUS; SCIMUS AUTEM, QUIA, CUM APPARUERIT, SIMILES EI ERIMUS, QUONIAM VIDEBIMUS EUM, SICUTI EST. Ecce propter quam VISIONEM fac bonum, ecce propter quam noli facere malum.

XIV. Serm.259. aliàs ex Sirmondianis 19. num.1. ,, Fratres exhortamur, & obsecramus vos in Nomine Domini nostri J. C. .... ut omnis intentio vestra, quare Christiani estis, & nomen ejus in fronte, & in corde portatis, non dirigatur nisi ad illam vitam, quæ nobis cum Angelis est futura: ubi perpetua quies, sempiterna lætitia, indeficiens beatitudo; nulla perturbatio, nulla tristitia, nulla mors.

Serm.282. aliàs de diversis 105. num.1. ,, Neque enim omnes Martyres in certamine passionis atque confessionis ad tempus fortiter laborarent, nisi UT PERPETUA FELICITATE GAUDERENT.

Serm.302. aliàs de diversis 25. num.3. ,, Hinc intelligitur, quare sumus Christiani; quia non propter temporalia, & transeuntia vel bona, vel mala; sed propter vitanda mala, quæ non transibunt, & PROPTER ADIPISCENDA BONA, quæ terminum non habebunt.

Serm.150. In edit. recentiori num.4. ,, Generaliter audite omnium Philosophorum commune studium, in quo studio communi habuerunt quinque divisiones, & differentias sententiarum propriarum. Communiter omnes Philosophi studendo, quærendo, disputando, vivendo adpetiverunt apprehendere vitam beatam. Hæc una fuit causa philosophandi: sed puto quòd hoc Philosophi nobiscum commune habent; Si enim à vobis quæram, quare in Christum credideritis, quare Christiani facti fueritis, veraciter mihi omnis homo respondet, PROPTER VITAM BEATAM. Appetitio igitur beatæ vitæ Philosophis, Christianisque commune est &c.

In Psalm.7. num.9. ,, Finis curæ delectatio est: quia eò quisque curis, & cogitationibus nititur, UT AD SUAM DELECTATIONEM PERVENIAT. Videt igitur curas nostras, qui scrutatur cor: Videt autem fines curarum, id est, delectationes, qui perscrutatur renes: ut, cùm invenerit, non ad concupiscentiam carnis, neque ad concupiscentiam oculorum, neque ad ambitionem sæculi, quæ omnia transeunt, inclinari curas nostras, sed AD GAUDIA RERUM ÆTERNARUM SUSTOLLI, quæ nullâ commutatione violantur, diligat justum scrutans corda, & renes Deus. Opera enim nostra, quæ factis, & dictis operamur, possunt esse nota hominibus; sed quo animo fiant, & QUO per illa pervenire cupiamus, solus ille novit, qui scrutatur corda, & renes Deus.

Serm.177. aliàs 10. inter editos ex M. Carth. MSS. n.8. ,, Verè ad fruendum ipse nobis erit omnia. Nam non mihi videtur dictum, QUI DEDIT NOBIS OMNIA ABUNDANTER ad fruendum, nisi se ipsum. Videtur enim aliud esse uti, aliud frui: utimur enim pro necessitate, FRUIMUR PRO JUCUNDITATE. Ergo ista temporalia dedit ad utendum, se ad fruendum. Si ergo se, quare dictum est OMNIA, nisi quia scriptum est, ut sit Deus omnia in omnibus? ERGO IBI COR AD FRUENDUM, UT SIT SURSUM COR. ,, Et l.1. de Doctr. Christ. c.30. n.33. Deus ,, nobis præbet misericordiam propter suam bonitatem, nos autem nobis invicem propter illius: id est, ille nostri miseretur, ut se perfruamur, nos verò invicem nostri misereamur, UT ILLO PERFRUAMUR. Aliud testimonium his affine proferemus infra c.14. n.4.

XV. Nihil penitùs in adductis locis reperire est, quo amor ille castæ concupiscentiæ, actionesque ex eo profectæ culpentur, nisi ulteriùs referantur in Deum ex amore benevolo; nullum hic indicium obligationis ita referendi: ergo talis amor, quo vitam æternam, seu Dei fruitionem, ibi sistendo, diligimus, rectus est, atque laudabilis juxta apertissimam Augustini sententiam, quam sequentia testimonia magis magisque confirmant.

In Psalm.149. num.4. ,, Quomodo vobis Deum commendamus? Ut diligatis eum BONO VESTRO, NON BONO IPSIUS: quia malo vestro eum non diligitis, non malo ipsius: non enim minùs habebit Deus Divinitatem, si homo in illum non habeat charitatem.

In Psalm.102. num.4. ,, Laudari se vult Deus, & hoc ut tu proficias, non ut ille sublimetur. Non est omnino quod illi retribuere ,, (in antiquioribus editionibus legitur: ,, retribuas) & quod exigit, non sibi, sed tibi exigit: tibi proderit, tibi servatur. NON HOC A TE AMAT, QUOD ILLUM AUGEAT, SED QUOD TE AD ILLUM PERDUCAT. Propterea quærebant Martyres &c.

Serm.57. alias de diversis 9. num.4. ubi explicans illud ,, Sanctificetur nomen tuum, sic ait ,,: PRO NOBIS ROGAMUS, NON PRO DEO; NON ENIM BENE OPTAMUS DEO, cui nihil mali potest aliquando evenire: SED OPTAMUS NOBIS BONUM, ut sanctificetur sanctum nomen ejus: quod semper sanctum est, sanctificetur in nobis.

XVI. Quid, quòd apud eumdem S. Doctorem, Dei fruitionem, ut nobis utilem, seu bonam, & ut totam nostram mercedem, amare, est Deum *gratis* amare, est Deum amare *propter ipsum*.

Audiatur l.8. de Gen. ad lit. c 11. num.24. ,, Deus quippe nostrâ servitute non indiget; nos verò Dominatione illius indigemus, ut operetur, & custodiat nos: & ideò verus solus est Dominus; quia NON ILLI AD SUAM, SED AD NOSTRAM UTILITATEM, SALUTEMQUE SERVIMUS ... nec ita sentiendum est, quod diximus, nos illi ad utilitatem nostram, salutemque servire, tanquam aliud aliquid ab illo expectemus, quàm eum ipsum, qui summa utilitas, & salus nostra est; sic enim eum GRATIS secundum illam vocem diligimus, MIHI AUTEM ADHÆRERE DEO BONUM EST.

In Psalm.52. num.8. ,, Deus GRATIS se vult coli, GRATIS se vult diligi, hoc est, castè amari; non propterea se amari, quia dat aliquid præter se, SED QUIA DAT SE.

In

In Psalm.134. num.11.,, Hoc est GRATIS amare, non
,, quasi propositâ acceptione mercedis ; quia ipsa mer-
,, ces tua summa Deus ipse erit , quem GRATIS dili-
,, gis : & sic amare DEBES, UT IPSUM PRO MER-
,, CEDE DESIDERARE NON DESINAS, QUI
,, SOLUS TE SATIET.

Serm.334. aliàs 48. de Sanctis n.3. *DOMINUS , inquit, PARS HÆREDITATIS MEÆ: Non dixit, O Domine, quid das mihi aliquam hæreditatem? Quidquid mihi dederis, vile est. Tu esto hæreditas mea; amo te, totus amo te, toto corde; tota anima, tota mente amo te. Quid erit mihi, quidquid dederis mihi præter te! Hoc est Deum GRATIS AMARE, DE DEO DEUM SPERARE, DE DEO PROPERARE IMPLERI, DE IPSO SATIARI: IPSE ENIM SUFFICIT TIBI, præter illum nihil sufficit tibi.*

In Psalm.104. *Videtur mihi admonere semen Abrahæ, qui sunt omnes filii promissionis pertinentes ad æternam hæreditatem Testamenti æterni, ut tanquam ipsam hæreditatem sibi eligant Deum, & ut eum GRATIS colant, id est, PROPTER IPSUM, non propter aliquod emolumentum mercedis extra ipsum.*

In Psalm.118. serm.11. num.6. *Testimoniis quippe suis agit nobiscum Deus, ut eum GRATIS colamus, quod impedit avaritia radix omnium malorum..... Si ergo cor non habeamus inclinatum in avaritiam, Deum non colimus, nisi PROPTER DEUM, ut sui cultus ipse sit merces.*

In Psalm.53. num.10. *Deus noster laudetur voluntate; ametur charitate; gratuitum sit quod amatur, & quod laudatur. Quid est GRATUITUM? IPSE PROPTER SE, NON PROPTER ALIUD. Si enim laudas Deum, UT DET tibi aliquid aliud, jam non GRATIS amas Deum: Erubesceres, si te uxor tua propter divitias amaret..... Ipsum autem GRATIS dilige; quia melius ab eo non invenis, QUOD DET, quàm se ipsum.* Vide enarrationem in Psalm.33. num.15.; in Psalm.72. num 23. & prætereaex Enarr. in Psalm.77. num.21. pauca hæc accipe: *Rectum cor cum Deo est, quando PROPTER DEUM quærit Deum. Unam quippe concupivit à Domino, hanc requiret, ut inhabitet in Domo Domini semper, & contempletur ejus delectationem.*

XVII. Vides itaque, lector, quid in relatis Augustini testimoniis sit *gratis* Deum amare, vel Deum amare *propter ipsum*; nimirum, ita Dei fruitionem appetere & sperare, ut extra hanc nullum aliud mercedis emolumentum quæramus, sive ita, ut soli illi speratæ fruitioni inhæreamus. Hinc S. Doctor l.3. de Doctr. Christ. c.10. *charitatem* latiùs acceptam vocat *motum animi ad fruendum Deo propter ipsum*, ubi Tò *propter ipsum* additum verbo *frui* non necessariò importat amorem benevolentiæ; ut colligitur ex hac altera ejusdem August. sententia deprompta ex eodem lib.c.18. n.27. *Si multis uxoribus castè uti quisquam pro tempore potuit, potest alius una libidinosè. Magis enim proba multarum fœcunditate utentem propter aliud, quam unius carne FRUENTEM PROPTER IPSAM.*

XVIII. Tota hæc textuum series duplici præsertìm fine à nobis producta est. Primus est, ut lectori constet, nos non temerè ab adversariis exigere, ut, cùm aliquem Augustini locum, ubi agitur de *Charitate, amore Dei, dilectione &c.* contra Pontificiam Constitutionem intorquent, non graventur priùs ostendere, voces illas accipiendas esse, pro amore juxta vulgarem loquendi usum *gratuito*; sive qui propriam utilitatem non respicit. Vide c.1. n.5. Alter finis est, ut pateat, quantùm S. Doctor à spuriis suis Discipulis dissideat, dum ille amorem castæ concupiscentiæ destitutum omni ulteriore relatione in Deum ex amore benevolo, laudat, prædicat, commendat, inculcat; hi è contrario impudenter reprobant, & vitiosæ cupiditatis condemnant.

XIX. Hanc quæstionem termino Augustini sententiâ, diligenter attendendâ ex lib. de catechis. rud. c.17. ubi ita fatur: ,, Sunt enim qui propterea volunt esse
,, Christiani, ut aut promereantur homines, à quibus
,, temporalia commoda expectant, aut quia offendere
,, nolunt, quos timent. Sed isti reprobi sunt; etsi ad
,, tempus eos portat Ecclesia, sicut area usque ad tem-
,, pus ventilationis paleam sustinet: si non se correxe-
,, rint, & PROPTER FUTURAM SEMPITERNAM
,, REQUIEM Christiani esse cœperint, in fine separa-
,, buntur. Nec sibi blandiantur, quòd in area possint
,, esse cum frumento Dei, quia in horreo cum illo non
,, erunt, sed igni debito destinantur. Sunt etiam alii
,, meliore quidem spe; sed tamen non minore periculo,
,, qui jam Deum timent, & non irrident Christianum
,, nomen, nec simulato corde intrant Ecclesiam Dei,
,, sed in ista vita expectant felicitatem, ut feliciores
,, sint in rebus terrenis, quàm illi, qui non colunt
,, Deum: ideoque cùm viderint, quosdam sceleratos,
,, & impios istâ seculi prosperitate pollere, & excelle-
,, re, se autem vel minùs habere ista, vel amittere, per-
,, turbantur, tanquam sinè causa Deum colant, & faci-
,, lè à Fide deficiunt. QUI AUTEM PROPTER
,, BEATITUDINEM SEMPITERNAM, ET PER-
,, PETUAM REQUIEM, quæ post hanc vitam
,, Sanctis futura promittitur, vult fieri Christianus, ut
,, non eat in ignem æternum cum Diabolo, sed in re-
,, gnum æternum intret cum Christo, VERE IPSE
,, CHRISTIANUS EST: cautus in omni tentatione,
,, nè prosperis rebus corrumpatur, & nè frangatur ad-
,, versis, & in abundantia bonorum terrenorum mode-
,, stus, & temperans, & in tribulationibus fortis, &
,, patiens; Qui etiam proficiendo perveniet ad talem
,, animum, ut plus amet Deum, quam timeat gehen-
,, nam: ut, etiamsi dicat illi Deus, utere deliciis car-
,, nalibus sempiternis, & quantum potes, pecca, nec
,, morieris, nec in gehennam mitteris, sed mecum tan-
,, tummodo non eris, exhorrescat, & omnino non pec-
,, cet, non jam ut illud, quod timebat, non incidat,
,, sed nè illum, quem sic amat, offendat, in quo uno est
,, requies, quam oculus non vidit &c.,, Nonne & illic difficulter deprehenderetur amor, quem in Scholis vocant *gratuitum*, seu *benevolum*? Similia ab Aug. traduntur in Psalm.85. num.11. In Psalm.127. num.9. Serm.145. aliàs 3. inter editos ex MSS. M. Carthus. num.3. Serm.178. alias 19. de verbis Apost. n.11. &c.

CAPUT XIV.

Præcipua ex Augustino objectio accuratiùs expenditur. Col.329.

I. S. Augustinus l.9. de Trin.c.7. ita scribit. *Nemo enim volens aliquid facit, quod non in corde suo priùs dixerit: quod verbum amore concipitur sive creaturæ, sive Creatoris, id est, aut naturæ mutabilis, aut incommutabilis veritatis. Ergo aut cupiditate, aut Charitate. Non quòd non sit amanda creatura; sed, si ad Creatorem refertur ille amor, non jam cupiditas; sed charitas erit. Tunc enim est cupiditas, cùm propter se amatur creatura; tunc non utentem adjuvat, sed corrumpit fruentem.* Ergo omnis noster amor, & volitio, ut non sit cupiditas, & peccatum, debet referri ad Creatorem.

R. primò, non probari iterum, quod probandum erat; scilicet omnem amorem nostrum, & volitionem debere referri ad Creatorem ex amore benevolo; sive ex amore Dei, *qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur*: hoc dum adversarii non præstant, frustrà sudant in defendenda ex Augustino Quesnelliana 44. & sequentibus, ubi ad actuum bonitatem requiritur amor jam dictus; quem hic à S. Doctore per *charitatem* significari, nunquam evicturi sunt, ut manifestum est ex superiori *quæstione*.

R. Secundò, distinguendo consequens: omnis noster amor, & volitio, ut non sit cupiditas, & peccatum, debet necessariò referri ad creatorem actu, nego consequentiam: debet ita referri actu, habitu, vel aptitudine, aut implicitè, ut docuimus ex SS. Thoma, & Salcho Cap.12. num.2. & 3., & latiùs infra ostensuri sumus, concedo consequentiam. Confirmatur responsio ex alio Doctoris Angelici texto. In 1. sent. dist.1. a.4. ita objicit: ,, Quicunque non facit id, ad quod tenetur, peccat mortaliter; si ergo tenemur uti omni-

„ nibus præter Deum, quicunque eis non utitur referendo in Deum, peccat mortaliter. „ Cui objectioni ita satisfacit. „ Ad 3. dicendum, quòd omnibus „ tenemur uti, non quod semper eis utamur, sed, cùm „ utimur, in Deum referamus: nec referre tenemur „ semper actualiter in Deum, sed habitualiter, quia „ præcepta affirmativa obligant semper, sed non *ad semper*. Unde non oportet, quod peccemus semper mortaliter, sed solùm, quando finis, in quem aliquid re„ ferimus, non est ordinabilis in Deum: si autem or„ dinabilis sit, & non ordinetur actu; potest esse pec„ catum veniale, dum eis nimis insistimus. „ Si ergo non nimis insistimus, peccatum nullum erit, dummodo finis proximus sit *ordinabilis* in Deum.

IV. Cùm S. Aug. in allato contra nos testimonio tantùm culpet amorem creaturæ propter se, qui *corrumpit fruentem*, ex nullo melius discere possumus quid propriè sit *frui*, quam ex ipsomet. Id autem ita explicat l.1. de Doctr. Christ. c.33. num.37. *Quanquam etiam actinessimè dicitur frui, cum delectatione uti. Cùm enim adest quod diligitur, etiam delectationem secum necesse est gerat; per quam si transieris, eamque ad illud, ubi permanendum est, retuleris, uteris ea, non propriè diceris frui; si verò inhæseris, atque permanseris FINEM IN EA PONENS LÆTITIÆ TUÆ, tunc VERE, ET PROPRIE FRUI dicendus es. Quod non faciendum est, nisi in illa Trinitate, id est, summo, & incommutabili bono.*

V. Hic primò commendatur nobis amor concupiscentiæ, quo inhæremus, & permanemus, & finem lætitiæ nostræ ponimus in ea delectatione, quæ speratur ex fruitione incommutabilis boni. Estne verò hic ullus apex, unde colligi possit, amorem illum, ut innoxius sit, procedere debere ex amore Dei, qui benevolentiæ nuncupatur? Plura in hanc rem Augustini testimonia habes toto c.6. & c.13. n.12. &c.

VIII. Secundò hic se aperit, quid sit *verè, & propriè frui* creaturâ; nempe in ejus delectatione inhærere, permanere, & finem lætitiæ suæ ponere; seu *quiescere tanquam in fine ultimo*, ut ait S. Bonav. in 2. dist.42. a.2. q.1. cui planè consentit S. Thomas in 4. dist.31. q.2. a. 3.; unde ibidem ambo negant, quòd qui venialiter peccat, fruatur creaturâ, quia scilicet non ponit in ea finem ultimum; unde ulteriùs sequitur, S. Augustinum in objecto loco non agere de quolibet amore creaturæ, sed de eo tantummodo, qui mortaliter malus est, quandoquidem *corrumpit FRUENTEM*.

Illic igitur à S. Doctore actiones eæ considerantur, quæ humanam vitam honestant, vel graviter dehonestant: insuper habitis, quæ inter has mediæ sunt, ut venialiter malæ, & indifferentes. Porrò actiones hoc ipso, quo fiunt ex amore honestatis, etiam certo modo procedunt ab amore *incommutabilis veritatis*: singulæ enim actiones honestæ totidem sunt particulares veritates practicæ, sub illa prima, & incommutabili comprehensæ; adeò ut, qui has amat, illam implicitè amare censendus sit. Huic actionum in charitatem, & cupiditatem divisioni affinis est ea, quam ex eodem S. Doctore produximus cap. præcedenti num 8., ubi per charitatem *amorem rectum*, per cupiditatem *pravum* universim intelligit.

Alibi tamen Charitatem magis restringit; ut cùm l.2. de Doct. Christ. c.10. *charitatem* vocat *motum animi ad fruendum Deo propter ipsum, & se atque proximo propter Deum; cupiditatem autem motum animi ad fruendum se, & proximo, & quolibet corpore non propter Deum*. Ad talem Charitatem revocari possunt actiones omnes, quæ fiunt *ex concupiscentia supernaturali propriæ salutis*; hæ enim omnes, (II. III.) ut optimè advertit Card. Aguirre disp.130. sect.11. *implicitè ordinantur in finem charitatis relatione quadam sibi intima, & transcendente ultimam earum differentiam*. Ad cupiditatem autem attinebunt actiones omnes saluti nostræ contrariæ; & sic mediæ erunt venialiter malæ, indifferentes, & merè moraliter bonæ.

VII. Cæterùm S. Augustinum agnovisse in gentilibus actiones bonas, quas etiam Dei *dona* appellat, & quæ tamen ad Charitatem jam dictam non pertinent, passim in decursu ostensum est. Vide c.13. num.6.

Nota, actiones venialiter malas propriè non esse usum, nec fruitionem creaturæ: à S. Bonav. in 2. dist.42. a. 2. q. 1. vocantur *abusus*. Hæ ad Dei gloriam per se non referuntur, ut certum est; cùm tamen in creatura tanquam in fine ultimo non quiescant, propterea mortaliter malæ non sunt, ut docuimus ex SS. Thoma, & Bonav. num.8. Actiones in individuo indifferentes, si dentur, cùm implicitè ordinentur, aut saltèm *ordinabiles* sint ad Deum, ut authorem, & finem naturæ, eatenus naturaliter bonæ dici possunt. Vide Verba S. Thomæ supra num.1., & cap.12. num.2.

Qua ratione opera moraliter bona referantur in Deum, dictum est num.8. Juvat hic addere testimonium Doctissimi Bellarmini, ad Hæreticorum terrorem nati, de operibus illis ita disserentis l.5. de grat. & lib.arb. c.9. *Non est necesse, omnia referre in Deum explicitè; sed satis est, si opus referatur in bonum finem proximum; tunc enim per se dirigitur in Deum, ut in ultimum finem. Sicut omne agens particulare agit in virtute primi motoris, id est, Dei; sic etiam omnis bonus finis movet in virtute ultimi finis. Alioqui non solùm infideles, sed etiam fideles, & justissimi quique semper peccarent, cùm inter operandum de Deo non cogitant; sed operantur, quia ratio dictat, esse bonum, & faciendum: itaque, nisi apponatur circumstantia finis mali, omne opus bonum morale per se refertur in Deum, etiamsi author operis id non cogitet, vel intendat*. Idem aliis verbis exprimit Em. Aguirre in Theologia S. Anselmi disp.130. sect. 11. *Omnes actiones*, inquit, *ordinis naturalis ex officio bonæ, & nullo sinistro fine, aut circumstantia vitiatæ referuntur .... implicitè saltèm in Deum ipsum, ut primum principium, & finem ultimum naturalem... cùm eliciuntur ab homine ex fine honestatis moralis, & objectivæ ipsarum: eo quippe in se imbibit, quasi transcedenter, intimum ordinem ad Deum, veluti ultimum finem naturalem totius honestatis moralis*. Hæc explicatio facile potest accommodari operibus in individuo indifferentibus; si dentur.

Quæ hactenus de charitate, & cupiditate, & duplice actionum classe, ex Augustino disseruimus, viam aperient enodandis similibus aliorum Patrum locutionibus.

CAPUT XV.

Non favent Quesnello Concilium secundum Arausicanum, nec SS. Fulgentius, & Prosper. Col.337.

I... III. OBjicitur 1. Arausicanum 11. Can.17. *Fortitudinem gentilium mundana cupiditas; fortitudinem autem Christianorum Dei Charitas facit, quæ diffusa est in cordibus nostris &c.*

R. & quæro, an nulla detur actio, nisi quæ sit aut fortitudo gentilium, aut Christianorum? Si detur, ut nisi insanissimè negari non potest, quid ergo hic locus, ad probandum, *non esse nisi duos amores &c.*?

Agitur in allegata sententia de fortitudine, *cujus lacerti in contemptu dolorum clarescunt*, quamque Julianus tam in Christianis, quàm gentilibus virtuti naturæ tribuebat, ut videre est l 1. Op. imp. num.83., unde Arausicana Synodus objectum locum mutuata est. E contrario Synodus cum Augustino, statuit gentilium fortitudinem ferè ex mundanæ gloriæ cupiditate procedere; eam verò, quæ est Christianorum [quo nomine hic sigillatim videntur censeri Martyres] ex Dei charitate, & quidem excellentissimâ proficisci.

Sed præter fortitudinem datur justitia, prudentia, & temperantia, quarum actus, ut populari auræ minùs expositi, ita etiam à gentilibus subinde citra vanæ gloriæ cupiditatem, & ex honestatis motivo exerceri potuere. Vide cap.13. n.6. &c.

IV. Objicitur 2. S. Fulgentius ad Monimum c.18.: *Voluntas porrò Creaturæ rationalis sinè qualicunque amore non potest esse: nec sic potest diligere, ut amorem suum non velit ad aliquid religare; quæ inter summum bonum,*

à quo

à quo creata est, & infimum bonum, cui prælata est, medio quodam loco posita, profectò aut in infimo bono necesse est miserabiliter jaceat, aut in summo bono veraciter, feliciterque requiescat.

R. hic describi finem ultimum, quem justus, & peccator sibi, saltèm interpretativè, constituit in suo quisque statu, & ad quem amorem suum, sive habitualem voluntatis affectionem *referat*. Sicut autem justus, non obstante amore, quo finem sibi proprium, seu summum bonum prosequitur, subinde ea facit, quæ ad finem illum non referuntur, ut cùm venialiter peccat; ita & peccator interdum exercet actum aliquem, qui ex præpostera ad bonum infimum affectione non nascitur, nec ad illud tanquam finem, in quo quiescat, dirigitur.

Responsionem nostram breviter confirmat Augustinus l. de Sp. & lit. c.26. *Sicut non impediunt à vita æterna JUSTUM quædam PECCATA VENIALIA, sine quibus hæc vita non ducitur; sic ad salutem æternam nihil prosunt IMPIO ALIQUA OPERA BONA, sine quibus difficillimè vita cujuslibet pessimi hominis invenitur.* Et ipse Fulgentius fidus Augustini Discipulus lib. de Incarn. c.26. *Quibusdam*, inquit, *cognoscentibus Deum, nec sicut Deum glorificantibus . . ALIQUA QUIDEM BONA, QUÆ AD SOCIETATIS HUMANÆ PERTINENT ÆQUITATEM, inesse possunt; sed, quia non Charitate Dei fiunt, prodesse non possunt.* Perspicuum igitur est, eum non docere, quemlibet hominem, seu fidelem, seu infidelem per actiones singulas aut miserabiliter jacere in bono infimo, aut in summo bono veraciter, feliciterque requiescere. Adde, quòd alioqui peccata omnia forent mortalia; tale enim peccatum procul dubio importat *miserabiliter jacere in bono infimo*.

V. Objicitur 3. S. Prosper l. sententiarum sent.281. *Duas in tota mundo civitates faciunt duo amores. Jerusalem facit amor Dei; Babyloniam amor seculi. Interroget ergo se quisque, quid amet; & inveniet, unde sit civis.* Ergo omnis humana actio est vel amor Dei, vel amor seculi.

R. cùm hic Prosperi textus nihil admodum differat ab objectis Augustini verbis c. 13. num.1. & sensu coincidat cum jam explicato Fulgentii testimonio, aliâ responsione non eget, quàm quæ utrobique abundantissimè data est. Jerusalem scilicet, & Babylonia repræsentant statum justi, & peccatoris. *Interroget ergo se quisque, quid amet*; hoc est, quid sibi pro fine ultimo constituat, & *inveniet unde sit civis*; hoc est, in quo statu sit, salutis, an damnationis.

CAPUT XVI.

Gregorius Magnus Quesnelio, & ejus sociis minimè favet. Col.343.

I. S. Pontifex l. 18. Moral. c. 8. in illud Job. *aut poterit in omnipotente delectari* sic observat: *qui enim terrenarum rerum amore vincitur, in Deo nullatenus delectatur: Esse quidem sine delectatione anima nunquam potest: nam aut infimis delectatur, aut summis: Et quanto altiori studio exercetur ad summa, tantò majore fastidio torpescit ad infima: quantòque ardentiori cura inardescit ad infima, tantò tepore damnabili frigescit à summis.* Ergo *non sunt nisi duo amores &c.*

II. IV. R. 1. quisquis sit hujus loci sensus, de quo mox videbitur, saltèm hinc non probari, quod probandum incumbebat, omnia esse peccata, nisi fiant ex amore Dei benevolo: nam enim etiam delectari in Deo, qui agit ex sperata fruitione Dei, ibi sistendo, & rectissimè ita agere, patet ex S. Augustino relato tum c.6. num.3. . . 6. tum c.13. num.23. & seqq. tum denique c.14. num.4.

VII. VIII. R. 2. Si hic agatur de actuali delectatione, sensum esse; animam passim, & plerunque aut infimis delectari, aut summis. Et ita plurimæ non solùm Patrum, sed & Scripturarum locutiones accommodè intelligendæ sunt. Unde Card. Bellarminus, Sectariorum fulmen, l.5. de grat. & lib. arb. c.10. ad illam objectionem Gen.6. *Omne figmentum cordis humani tantùm est malum* ita Respondet: „ Scriptura hoc
„ loco, & aliis plurimis, tribuit omnibus, quod convenit
„ majori parti. Sententia igitur hujus loci est;
„ majorem partem cogitationum, sive præcipuum studium
„ hominum illius seculi fuisse malum. . Quo sensu
„ eodem loco scribitur: *Omnis caro corruperat viam
„ suam*: & tamen ibidem additur: *Noe vir justus fuit,
„ atque perfectus.* „ Plura exempla ab eodem ibi adducuntur.

Nota, hanc S. Doctoris sententiam: *Qui . . terrenarum rerum amore vincitur, in Deo nullatenus delectatur*, non convenire in eum, qui, licèt venialiter peccet, ita tamen animo comparatus est, ut nihil velit committere, quo jus ad cœlestem hæreditatem amittat; talis enim adhuc retinet æternæ beatitudinis amorem, terrenorum amore superiorem, à quo proinde non vincitur.

R. 3. Gregorium Magnum hic loqui de habituali animæ delectatione, seu affectione, eaque duplici, pro duplici justorum, & peccatorum classe, quarum altera in infimis bonis *miserabiliter jacet*, altera in summis *veraciter, feliciterque requiescit*, ut ajebat Fulgentius cap. præcedenti num.4. adeò ut quæ illic dicta sunt, huc nullo negotio transferri possint. Hoc pacto intelligitur verissimum esse, quòd *qui . . . terrenarum rerum amore vincitur, in Deo nullatenus delectatur*: quandoquidem enim, ut paulò post ait S. Pontifex, *utrique se amores*, quibus summa, vel infima bona, ut finem nostrum consectamur, *in uno corde non capiunt*; certè cùm horum amore vincimur, illorum amorem, & delectationum excludi necesse est.

III. Quam alienus sit S. Gregorius à condamnandis omnibus iis actibus, qui ex Divina Charitate non prodeunt, disce ex homilia ejus 27. in Evangelia, ubi ad illud Christi *hoc est præceptum meum &c.* sic notat. *Sunt nonnulli, qui diligunt proximos; sed per affectum cognationis, & carnis, quibus tamen in hac dilectione sacra eloquia non contradicunt: sed aliud est, quod sponte impenditur naturæ; aliud, quod præceptis Dominicis EX CHARITATE debetur obedientiæ*: quibus verbis Bellarminus l. 5. de grat. & lib. arb. c.9. hæc subdit: *quòd si naturali dilectioni sacra eloquia non contradicunt, certè ea dilectio nihil peccati continet, ac per hoc bona est moraliter; si quidem sacra eloquia peccatis omnibus contradicunt.* Rursum de amore spei à Charitate, ut tertia virtus Theologica est, distincto sic idem S. annunciat in 1. Regum 12. lib.5. Moral. cap. 2. *Cui [Deo.] in veritate servimus, quando ejus præcepta pro sola superna retributione perficimus.* Igitur manifestissimè constat, ab eo admitti actiones bonas sive ex motivo naturali, sive etiam supernaturali exercitas, quæ mediant inter amorem, quo nos ipsos, ac mundum malè diligimus; & inter amorem Dei, quo omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur.

V. VI. De utriusque generis actionum relatione in Deum vide c.14. n.7. & 8. & c.17. n.9. & 3.

CAPUT XVII.

Non consentit adversariis S. Leo, sed manifestè opponitur. Col.352.

I. MIrificè exultant adversarii hoc S. Leonis textu hom.5. de jejunio mensis septimi: *Duo . . amores sunt, ex quibus omnes prodeunt voluntates, ita diversæ qualitatibus, sicut dividuntur autoribus. Rationalis enim animus, qui sine dilectione esse non potest, aut Dei amator est, aut mundi. In dilectione Dei nulla nimia; in dilectione autem mundi cuncta sunt noxia.* Atqui, inquiunt, id ipsum est, quod Quesnellus asseruit ergo.

R. 1. negando subsumptum: neque enim S. Leo dilectionem Dei restringit ad benevolam, sive ad eam, quæ

i um-

omnia agit propter Deum, quamque Deus remuneratur. Ratio uegati subsumpti petitur ex verbis objectum textum immediatè excipientibus: *Et ideo ÆTERNIS BONIS INSEPARABILITER INHÆRENDUM; temporalibus verò transeunter utendum est*: nam quæ hîc sunt *æterna bona*, nisi speciata Dei fruitio, quæ temporalium fruitioni opponitur? Habemus igitur amorem concupiscentiæ à S. Leone disertissimè commendatum, interea dum Quesnellus eum ad amorem relegat, quo nos ipsos, ac mundum malè diligimus.

X. XI. R.2. nec tamen sensum allegati loci esse, omnem actionem, ut bona sit, procedere debere ex amore, quo æterna bona diligimus, ac speramus. Probatur assertum; quia alioqui S. Leo sibi apertissimè contradiceret; sic enim habet serm.7. de quadragesima c.3. ,, Quid hac humanitate ,, [quâ proximi necessitates sublevamus] ,, facilius? Quæ utique laude suâ fraudanda non esset, si propter ipsam naturæ communionem ,, juvando homini ab homine præberetur; sed quia quod ,, non ex fidei procedit fonte, ad præmia æterna non ,, pervenit, alia est conditio operum cœlestium, alia ,, terrenorum: mundana benevolentia in iis, quos adjuvat, habet finem: Christiana pietas in summum ,, transit authorem, dum in ipsum dicamus benigni, ,, quem in nobis fatemur operari ,, &c. hinc formo inluctabile argumentum: humanitas juvando homini ab homine præbita propter ipsam communionem naturæ, adeòque non procedens ex *Fidei fonte*, non procedit ex amore concupiscentiæ erga Deum, multò minùs ex amore benevolo: atqui tamen, teste S. Leone, si talis humanitas homini ab homine præberetur, sua laude fraudanda non esset: ergo, judice eodem S. Pontifice, actio, ut laudabilis, ac consequenter bona sit, procedere non debet ex amore sanctu concupiscentiæ, multò minùs benevolentiæ. Ergo S. Leo, nisi eum sibi adversari cum grandi contumelia dixeris, in objecto testimonio significatum non vult, omnes volitiones, aut actiones esse noxias, nisi scateant ex amore, quo æterna bona diligimus, ac speramus, multò minùs, nisi oriantur ex strictè dicta charitate. (Vide etiam quæ ex S. Leone proferemus infra ad Prop.47. c.6. n.2.) Igitur.

IV.... VIII. R.3. in objecto textu per *amorem*, & *dilectionem* optimè intelligi posse habitualem; quæ est *Dei*, vel *mundi*, prout quis in cœlestibus, vel terrenis bonis finem ultimum constitutum habet: hæc justorum propria est, illa peccatorum. Eo sensu verissimum est hoc S. Leonis effatum: *Rationalis enim animus, qui sinè dilectione esse non potest, aut Dei amator est, aut mundi: in dilectione Dei nulla nimia; in dilectione autem mundi cuncta sunt noxia*: nam cùm inter justum, & peccatorem non detur medium, quivis certè in æternis aut temporalibus bonis habitualiter quiescit, & sic Dei, aut mundi amator est. Confirmatur hæc interpretatio ex monito, quod relatis verbis S. Pontifex immediatè subjungit. *Et ideo æternis bonis inseparabiliter inhærendum* tanquam fini ultimo, *temporalibus verò transeunter utendum est*, non fruendum, non tanquam fini ultimo inhærendum.

Cùm autem dicuntur ex alterutro amore *omnes prodire voluntates*, per voluntatem non actum, sed potentiam intellige, ut intelligi posse ex Bellarmino docuimus c.23. num.3. in fine. Huic igitur acceptioni insistendo, prodit bona voluntas ex habituali amore Dei, mala ex amore mundi; & quot sunt utriusque amoris gradus, aut discrimina, tot sunt etiam diversi gradus, aut discrimina bonarum aut malarum voluntatum, ut consideranti patebit: & sic etiam verissimum esse deprehenditur, quòd *ita sint diversæ qualitatibus, sicut dividuntur authoribus*.

Evidens est, ex totâ hâc objecti textûs explicatione non sequi, omnem actionem, aut volitionem esse vel amorem mundi, vel amorem Dei sive benevolentiæ, sive etiam concupiscentiæ, ut ostendimus c.25. n.4. in responsione ad Fulgentii testimonium nobis intortum: nihil siquidem vetat, eum, qui habituali peccato, seu amore infectus est, quo creaturam bonis divinis pessimè prætulit, volitionem elicere, aut actionem exercere, quæ à mortifero illo amore non nascitur; sicut è contrario qui habituali Dei ,, & Divinorum bonorum dilectione præditus est, ea non rarò vult, aut facit, quæ neutiquam ex tali dilectione emanant; *septies* enim *cadit justus*.

IX. R. 4. juxta documentum pastorale Eminentissimi Rohani, & 40. Galliæ Episcoporum a pluribus deindu ejusdem regni Antistibus adoptatum, S. Leonem, dum duos amores agnoscit, amorem Dei latissimè sumere, adeò, ut eo nomine voluntatem quamlibet rectam, & universim amorem boni complectatur. [II.] Quâ viâ id commodè intelligi possit, docet nos Cardinalis Aguirre in Theolog. S. Anselmi disp. 130. Sect. 11. ,, Cùm... Sanctissimi Ecclesiæ Patres, inquit, ardentissimâ in Deum Charitate essent prædici, nec quidquam deliberatè agerent, nisi ex dilectione Dei actuali ,, vel virtuali, palàm spectantes in majorem ejus gloriam, studuerunt consequenter eam perfectionem ,, adeò sublimem cæteris omnibus communicare, & ,, quodammodo imprimere... Verùm non omnia quæ ,, ab *iis* traduntur, & commendantur circa quærendam ,, in omnibus gloriam Dei [*adeoque circa amandum Deum*] uniusmodi sunt, aut pariter sub præceptum ,, cadunt; sed quædam etiam habent latitudinem, & ,, varietatem consilio admistam, intrà ipsos limites ,, præcepti. ,,

Præmissis duobus gradibus quærendæ in omnibus Divinæ gloriæ, qui juxta laudatum Cardinalem tantùm sunt consilii, tertium, qui præcepti est, sic determinat. ,, ,, Tertius gradus quærendi in omni actione deliberata ,, gloriam Dei [*atque adeò ipsum amandi*] isque omnium ,, infimus est, nihil omnino velle eligere, agere, aut ,, operari, nisi secundùm rectam rationem, & ex fine ,, alicujus honestatis moralis sinè admixtione ulla finis ,, pravi, aut circumstantiæ vitiosæ. Eo namque ipso, ,, quòd quispiam ita operetur, actiones ejus diriguntur ,, in gloriam Dei, implicitè saltèm, propter relationem intimam, quam habent ad Deum finem ultimum ,, totius honestatis moralis: supernaturalem quidem finem, si actiones sint supra naturæ ordinem; naturalem verò, si illæ intrà rationis naturalis metas coerceantur. ,,

Id ipsum roboratur authoritate Eminentissimi Bellarmini l.5. de grat. & lib. arb. c.10 ,, Sonant, inquit, hæc ,, verba [Apostoli, *sive manducatis, sive bibitis* &c.] ,, piam admonitionem, non præceptum propriè dictum; ,, nisi intelligamus, hoc tantùm imperari, ut omnia ,, fiant in gloriam Dei explicitè, vel implicitè; nam saltèm implicitè omnia refert in gloriam Dei, qui operatur propter bonum aliquem finem; semper enim ex ,, bonis operibus, etiamsi is, qui ea facit, fortè de ,, Deo non cogitet, sequitur, ut, qui ea vident, glorificent, aut certè glorificare possint Patrem nostrum, ,, qui in cœlis est. ,,

Atqui quâ ratione aliquod opus refertur in gloriam Dei, eâdem Deus per illud amatur: ergo si omnis actio honesta, & nullâ malâ circumstantiâ vitiata refertur implicitè in gloriam Dei, etiam Deus per illam implicitè amatur. Et sic facillimè capitur, quomodo amor Dei latissimè sumptus, comprehendat voluntatem quamlibet rectam, & amorem boni.

III. Hæc explicatio munienda est authoritate S. Thomæ. Hic in 2. sent. d. 41. q. 1. a.2. quærit *utrum aliquis actus hominis infidelis possit esse bonus*, & pro parte negativa objicit tertio loco quod sequitur: *Omne bonum Deo placet, & est ipsi acceptum; sed ullo infidelium non est Deo accepto, quia gratia carent: ergo in iis actus bonus non est*. Tom, stabilitâ doctissimè pro more suo parte affirmativâ, ita respondet argumento jam proposito: *Ad 3. dicendum quòd, sicut aliquid participat bonitatem, ita etiam Deo est acceptum: & ideo actus illi nuncupantur Deo accepti simpliciter, qui meritorii sunt, completam bonitatem habentes. Sed tamen actus alii secundùm quod sunt boni ex genere, vel ex circumstantia, Deo placent; non tamen sicut remunerabiles æterno præmio*.

Hinc sic arguo: quâ ratione aliquid Deo placet, eâdem re-

refertur in gloriam Dei, & est amor Dei: sed actus moraliter boni, etiam ab infidelibus exerciti, juxta Angelicum, *Deo placent; non tamen sicut remunerabiles æterno præmio*: ergo etiam referuntur in gloriam Dei, & sunt amor Dei, saltèm implicitus, *non tamen remunerabilis æterno præmio*. Plura ex S. Thoma habes ad Prop. 42. c.4. Et hæc dicta sint afferendæ contra protervos obtrectatores gloriæ Leonis Magni sanctâ, & eloquente eruditione clarissimi.

QUADRAGESIMA QUINTA PROPOSITIO DAMNATA.

Amore Dei in corde peccatorum non ampliùs regnante, necesse est, ut in eo carnalis regnet cupiditas, omnesque actiones ejus corrumpat. *Observ. Moral. in Luca 15. v.13.*

CAPUT I.

Confutatur Propositio. Col.361.

I. SEnsus Propositionis est; omnes peccatoris actiones à carnali, quæ, pulso Divini amoris dominatu, in eo regnat, cupiditate corrumpi. Hinc emergit primò Bajana 40. *In omnibus suis actibus peccator servit dominanti cupiditati*. Emergit secundò hæc 35. *Omne, quod agit peccator, vel servus peccati, peccatum est*, qui error pariter in Joanne Huss à Synodo Constantiensi proscriptus est. Emergit tertiò hæc 25. *Omnia opera Infidelium sunt peccata, & Philosophorum virtutes sunt vitia*, quæ consonant huic octavæ inter 31. ab Alex. VIII. fulminatas. *Necesse est, infidelem in omni opere peccare*. Emergit quartò hæc 12. ab eodem Pontifice damnata: *Quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor, deficit etiam fides; &, etiamsi videantur credere, non est fides Divina, sed humana*: Juxta Quesnellum, non solùm magni, sed cujuscunque etiam peccatoris fides divina non est, sed humana; utpote carnali cupiditate corrupta.

II. Eâdem quoque cupiditate necesse est infici peccatoris attritionem à Tridentino descriptam sess. 14. c.4.; quam tamen ibidem „ S. Synodus declarat non solùm „ non facere hominem hypocritam, & magis peccato„ rem; verùm etiam *DONUM DEI* esse, & *SPIRITUS* „ *SANCTI IMPULSUM*, non adhuc quidem inhabi„ tantis, sed tantùm moventis, quo pœnitens adjutus, „ viam sibi ad justitiam parat. „

Denique, ut paucis multa complectar, Quesnelliana Propositio rea est anathematis evibrati sess. 6. can. 7. cujus hic tenor est: „ Si quis dixerit, opera omnia, „ quæ ante justificationem fiunt, quacunque ratione „ facta sint, verè esse peccata, vel odium Dei mereri; „ aut quantò vehementiùs quis nititur se disponere ad „ gratiam, tantò eum graviùs peccare, anathema sit. „ Si enim omnes peccatoris actiones carnali cupiditate corrumpantur, quis neget, *verè esse peccata*, & cætera consequi, quæ hic Tridentina Synodus detestatur.

Animadversum pridem est, Quesnellum hâc in parte non consonare Jansenio; censet enim Jansenius, peccatorem, etiam reluctante cupiditate, quæ in eo habitualiter dominatur, posse cum residuis gradibus charitatis facere opera bona supernaturalia, & hæc opera, licèt non sint meritoria, esse tamen gradus, quibus charitas denique rursus cupiditate superior evadat. Tunc peccator, si Jansenio fides, non diligit Deum super omnia, & ideo peccator est; diligit tamen adhuc Deum, & quod ex motu amoris illius imperfecti fecit, bonum est, eumque disponit ad diligendum Deum, quantum necesse est ad justitiam consequendam.

Scripturæ, Concilia, Patres, Scholastici, quibus debellavimus Propositionem 38., & sequentes, etiam præsentem errorem pari ferè jure, & ratione laterimunt.

CAPUT II.

Scripturæ Sacræ ab adversariis temere allegatæ. Col.364.

I. II. OBjiciunt primò: Matth. 6. v. 24. ait æterna Veritas: *Nemo potest duobus Dominis servire; aut enim unum odio habebit, & alterum diliget; aut unum sustinebit, & alterum contemnet: non potestis Deo servire, & Mammonæ*. ergo.

R. primò. Si hinc sequeretur, omnes peccatoris actiones esse corruptas; sequeretur etiam, omnes justi actiones esse incorruptas; atque adeò justum nunquam peccare: Quâ enim necessitate in illo regnat cupiditas, eâdem in hoc regnat charitas; utrobique scilicet habitualis.

R. secundò cum S. Thoma in hunc locum: „ impossi„ bile est, quòd animus feratur ad duos fines simul, & „ semel . . . contrarios, & dissentientes . . . Aliter ex„ ponit Augustinus: Nemo potest duobus Dominis ser„ vire, scilicet contrariis: sed Deus, & Diabolus con„ trarii sunt: *Quæ conventio Christi ad Belial?* 2. Cor. 6.? „ Hinc Cornelius A lapide objectum textum ita commentatur. „ *Nemo potest duobus Dominis servire*, id „ est, se addicere, amare per omnia, obsequi, & obe„ dire. Id Christus applicat avaritiæ, & religioni, „ seu Dei cultui; quasi dicat: non potestis servire Deo, „ & Diti; cœlo, & cœno; ætheri, & æri; Numini, & „ nummis.

His positis, liquet, peccatorem exercentem opus aliquod immune à corruptione cupiditatis, non servire duobus Dominis, alterutro sensu jam explicato: neque enim per opus istud fertur *simul, & semel in duos fines contrarios*; sed si opus ejus sit merè naturale, est præter utrumque finem; si verò supernaturale, ut fidei, timoris, spei, disponit ad finem pariter supernaturalem. Prætereà sicut justus non ita addictus est servituti Dei in ipso per charitatem regnantis, quin subinde ad suggestionem Diaboli venialiter peccet, adeòque aliquid committat, quod à Deo non procedit; ita peccator non ita servit Diabolo in ipso per cupiditatem regnanti, quin subinde ex interna Dei suasione faciat, aut facere possit, quod à Diabolo, seu mala cupiditate corruptum non sit. (IV.) Et nonne sæpe numero videmus servos, quantumvis Dominorum suorum servitio mancipatos, interdum aliis, quàm Dominis, obsequii aliquid impendere? An proptereà Christus errat, cùm dicit, neminem posse duobus Dominis servire? Si hoc non nisi impiè dici potest, admittant etiam, Christi dictum non officere, quò minùs peccator interdum alteri serviat, quàm regnanti in ipso cupiditati, & quò minùs proinde aliquæ peccatoris actiones à cupiditatis corruptione intactæ sint.

Confirmatur responsio 1. ex S. Chrysostomo hom. 67. ad Populum Antiochenum: *Nec potest malus omnino malus esse; sed evenit, ut & aliquid habeat boni: neque bonus esse bonus omnino; sed & nonnulla solet habere peccata*.

III. Confirmatur 2. ex S. Augustino l. de Sp. & lit. c. 26. *Sicut non impediunt a vita æterna JUSTUM quædam PECCATA VENIALIA, sine quibus hæc vita non ducitur; sic ad salutem æternam nihil prosunt IMPIO aliqua OPERA BONA, sine quibus difficillimè vita cujuslibet pessimi hominis invenitur*.

V. Objiciunt secundò ex epistola 1. Joannis c. 2. *Si quis diligit mundum, non est charitas Patris in eo*. Ergo necesse est, omnes peccatoris actiones à cupiditate in eo regnante corrumpi.

R. antecedens vel involvere petitionem principii, vel

nihil

nihil probare. Etenim per charitatem intelligitur hic actualis, vel habitualis: si posterior; ergo debet subsumi in hunc modum: *atqui in quo non est charitas habitualis, illius actiones omnes à cupiditate in eo regnante corrumpi necesse est*, quæ est omnino ipsa thesis, quæ probanda erat, quæque Apostolicæ Sedis fulmine icta est.

Si per charitatem intelligatur actualis, tum nihil probatur: nam ex eo quòd qui diligit mundum, seu qui degit sub regno cupiditatis, non habeat actualem charitatem Patris, minimè sequitur, nullas alias actiones honestas, aut bonas; charitate inferiores, in illo inveniri posse.

VII. VIII. Textum objectum ita declarat *Expositio* verè *aurea* Doctoris Angelici in Joannem l.c. *Diligere mundum, est ipsum omnibus rebus præponere; & sic mundus non est diligendus; tamen sub Deo est diligendus. Unde non prohibetur quæcunque dilectio, sed illa, quæ est supra Deum, de qua dicit Augustinus: Væ tibi, si amaveris condita, & deserueris conditorem. Vel potest dici, quòd duplex est dilectio; quædam ad necessitatem, alia ad superfluitatem: primo modo mundus potest diligi; secundo modo prohibetur. SI QUIS DILEXERIT MUNDUM, præponendo ipsum Deo, non est CHARITAS PATRIS IN EO; quasi diceret: amor Patris est contrarius amori mundi. Augustinus: Duo sunt amores, Dei, & mundi; sed si amor mundi inhabitet, non est quà amor Dei intret &c.*

Ex hac expositione patet, quàm temere citatus Joannis locus in pessimi erroris tutelam adscitus sit.

VI. Dùm Adversarii hunc, & similes locos allegant, ut probent, omnes peccatoris actiones carnali cupiditate, seu mundi dilectione corrumpi; vel generaliùs, quidquid non procedit ab amore Dei, procedere ab amore mundi: [Vide Prop. 44.] satis insinuant, id se sentire, opus omne, ab hoc amore profectum, esse mortaliter malum: de lethifera enim mundi dilectione Joannem agere, tum per se, tum ex verbis Angelici clarum est: unde non levis suspicio fit, eos non omnino abhorrere ab hac Bajana 20. *Nullum est peccatum ex natura sua veniale; sed omne peccatum meretur pœnam æternam.*

CAPUT III.

Frustrà in damnati articuli patrocinium vocatur S. Augustinus. Col. 371.

I. INtorquetur illud S. Doctoris serm. 2. in Ps. 18. n. 15. *Qui noluerit servire charitati, necesse est, ut serviat iniquitati.*

Agitur de iis qui *propter* superbiam *dedignantur collum subdere jugo Christi, obligati arctiùs jugo peccati*, adeòque sensus est: qui noluerit colla Christo subdere, necesse est, ut sit sub jugo Diaboli, & peccati, sive iniquitatis.

Quid autem hinc pro damnato errore? Author Hexaplorum invitatem objectionis sentiens, ita objectum locum gallicè vertit, ac si haberetur: *Qui non agit ex motivo charitatis, necesse est, ut agat cupiditate*; quasi idem sit *nolle servire charitati*, & *non agere ex motivo charitatis*; cùm tamen prius Christi, & charitatis contemptum importet, adeòque culpâ vacare non possit; posterius verò sæpe innoxium sit, nam, ut habet S. Th. 2. 2. q. 88. n. 1., *illud præceptum* (charitatis) *est affirmativum; unde non obligat ad semper: & sic non facit contra hoc præceptum, quicunque actu non refert in gloriam Dei omne quod facit.*

II. S. Augustinus Enchiridii c. 117. ita loquitur: *Regnat carnalis cupiditas, ubi non est Dei charitas.* At, inquiet Quesnellus, poteritne aliud reperiri, quàm peccatum, ubi cupiditas carnalis regnat?

Respondeo, posse utique: sermo enim hic est de cupiditate regnante habitualiter in corde, à quo exulat charitas habitualis; quis autem dubitet, quin cupiditate regnante habitualiter in corde peccatoris, idem adhuc maneat capax, sese cum divino auxilio disponendi per fidem, timorem, spem &c. ad recuperandam per pœnitentiam, justitiam, quam amisit, ut videre est in Trid. sess. 6. c. 6.? Quis autem, nisi impius, dicat, actiones, quibus peccator ad justificationem disponitur, carnali cupiditate corrumpi?

III. Sed quid sibi volunt Hexapla, dum nobis objiciunt illud Augustini de Doct. Christ. l. 3. c. 10. *Quantò magis regnum cupiditatis destruitur, tantò charitatis augetur.* Certè, si quid intelligo, id significat; quantò magis extirpantur vitia, quæ sunt de jure cupiditatis, tantò crescere virtutes, quæ ad regnum charitatis attinent, tum quòd ad eas mediatè, vel immediatè potentiùs incliner, tum vel maximè, quòd eas vivificet. Verùm an hinc sequitur, omnes peccatoris actiones carnali cupiditate vitiari?

Instabis: Augustinus l.c. addit quod sequitur: *& quantum deperit regno charitatis, tantum accrescit regno cupiditatis*: ergo, cùm regnum Charitatis penitùs intereat primo etiam peccato mortali, oportet regnum cupiditatis in immensum augeri; atque adeò necesse est, omnes peccatoris actiones ab ea corrumpi.

R. 1. additamentum illud perfidè Augustino assutum esse ab Hexaplis, ut Quesnelli errorem, quem ex solis Augustini verbis deducere non poterant, ex suppositiis, saltem in speciem, colligerent.

R. secundò negando, ita per peccatum interire regnum charitatis habitualis, ut nihil post se relinquat, per quod redire possit: supersunt siquidem adhuc in peccatore fides, & spes, quarum ope disponi potest ad charitatem recuperandam; sicut, sublato per charitatem cupiditatis habitualis regno, restant etiam tunc non pauca tum interna, tum externa peccati irritamenta, per quæ justus relabi potest in regnum cupiditatis. Itaque ex neutro regno sequitur vel omnes justi actiones esse bonas, vel omnes peccatoris esse malas. Vide n. 2.

CAPUT IV.

Adversarii Gregorium Magnum temere objicientes horrendo involvuntur consectario. Col. 374.

I. SAnctus Gregorius l. 17. Moral. c. 13. Sic habet: *Diabolus . . . illa corda possidet, quæ Divini amoris gratia non replentur. Sed tamen omnipotenti Deo suppetit, etiam vasa Diaboli cunctis virtutibus vacua, suæ gratiæ munere implere.* Ergo amore Dei in corde peccatorum non ampliùs regnante, necesse est, ut in eo carnalis regnet cupiditas, omnesque actiones ejus corrumpat. Quàm hæc sit vana consecutio, liquebit ex integro Gregorii textu, quem hic recensemus. Igitur illud Job. *Qui extendit Aquilonem super vacuum* ita moraliter explicat: *Aquilonis nomine in sacro Eloquio, appellari Diabolus solet, qui ut torporis frigore gentium corda constringeret, dixit; SEDEBO IN MONTE TESTAMENTI, IN LATERIBUS AQUILONIS, QUI SUPER VACUUM EXTENDITUR; quia illa corda possidet, quæ Divini amoris gratia non replentur. Sed tamen Omnipotenti Deo suppetit, etiam vasa Diaboli cunctis virtutibus vacua, suæ gratiæ munere implere, in iisque Divini amoris soliditatem ponere, quos nulla conspicit rectitudinis actione roborari. Unde aptè subjungitur; ET APPENDIT TERRAM SUPER NIHILUM*: ubi per terram, Ecclesiam intelligit; per nihilum, gentes, *de quibus per Prophetam dicitur; OMNES GENTES VELUT NIHILUM, ET INANE REPUTATÆ SUNT.*

II. Ex hoc textu patet, hic Gregorio de gentilibus sermonem esse. Docet itaque 1. Aquilonem seu Diabolum super gentiles extendi, ob eam scilicet generalem rationem, *quia Diabolus illa corda possidet, quæ* habituali charitate destituta sunt: id enim verba Gregorii naturalissimè significant.

Docet tamen 2., Omnipotenti Deo suppetere, non tantùm fideles peccatores, in quibus, ablatâ charitate, restant fides, & spes; sed etiam gentiles, id est, ta-

vosa Diaboli cunctis Christianis *virtutibus vacua sua gratiæ munere implere*, cujus beneficio ab infidelitate ad fidem convertantur, & ab impietate ad justificationem disponantur.

Docet consequenter 3. Deo suppetere, *in iis Divini amoris soliditatem ponere*, hoc est, iis Charitatem infundere, *quos jam conspicit nulla rectitudinis actione roborari*, sive nullam ullius ad justificationem roboris aut momenti actionem exercere. *Unde aptè subjungitur: ET APPENDIT TERRAM SUPER NIHILUM*, id est, Ecclesiam ædificavit ex gentibus, sed nullis gentilium operibus bonis innixam.

Hæc interpretatio non longè quæsita, non violenta, sed ex ipsius Gregorianæ sententiæ visceribus eruta, fidei atque omnibus sanæ Theologiæ regulis consona est; nec rimam ullam aperit Quesnelliano errori. Hic enim nec cum damnatâ Propositione peccatoris universim, nec ipsorum quidem Gentilium actiones omnes, ut carnali cupiditate infectæ, reprehenduntur; sed virtutes Christianæ tantummodo, & opera ad fidem, justitiam, salutemque utilia ab infidelitatis statu excluduntur.

Certè *sunt nonnulli*, etiam inter Gentiles, *qui diligunt proximos . . , per affectionem cognationis, & carnis; quibus tamen in hac dilectione sacra eloquia non contradicunt*, ut ex ipso Gregorio vidimus ad Prop. 44. c. 16. num. 3. contradicunt autem procul dubio sacra eloquia dilectioni carnali cupiditate corruptæ.

III. Si hæc S. Doctoris verba *Diabolus . . . illa corda possidet, quæ Divini amoris gratia non replentur* intelligeremus de actuali Dei amore, ut intelligere debent adversarii, nè objectio aerem verberet, quæ non hinc Corollariorum monstra nascerentur?

Sequeretur enim, Dormientes, infantes, amentes in Diaboli jus ac possessionem transire; sequeretur, justum jam non tantùm septies cadere, sed septies mortaliter peccare: id nempe sonat, *à Diabolo possideri*: quis enim non modo è vulgo fidelium, sed etiam ex integerrimis Religiosis ac Presbyteris non sæpius diei spatio Divini amoris actum intermittit? Quanta hinc in excruciandâ conscientia, & in confessione perplexitas? (IV.) quæ forte inter causas fuerit, cur *Ægidius Candidus*, & *Candidorum* Jansenistarum princeps se Arnaldo paratum ostenderit, docere, ea tantùm peccata apud Sacerdotem deponenda esse, quæ olim fuêre obnoxia pœnitentiæ canonicæ, cujusmodi tantùm erant externa. Id constat ex ipsius Ægidii autographis literis datis ad Arnaldum An. 1681. 21. Junii, ut refertur in *Causa Quesnelliana* articulo 10. §. 5. pag. 275.

V. VI. Plures in hac materia novæ sectæ errores ab Authore nostro recensentur.

VII. Opponitur nobis præterea idem S. Gregorius l. 18. moral. c. 8. dicens: *Qui terrenarum rerum amore vincitur, in Deo nullatenus delectatur . . . . . Si quis diligit mundum, non est Charitas Patris in eo; ac si apertè dicat* (Joannes Apostolus:) *utrique se amores in uno corde non capiunt, nec in eo seges supernæ Charitatis pullulat, in quo illum spinæ infimæ delectationis necant.* Ergo amore Dei in corde peccatorum non amplius regnante, actiones omnes à carnali cupiditate corrumpuntur.

R. hic agi de terrenarum rerum, seu mundi amore mortaliter malo, sive actuali, sive habituali, quorum neuter cum charitate Patris, aut Dei delectatione consistit. Vide eundem c. 2. num. 5. & Prop 44. c. 16. ubi ad Gregorii locum fusè respondimus.

VIII. Demus rursum ejusdem S. Doctoris testimonium, unde liqueat, eum minimè sentire, eas omnes actiones carnali cupiditate violari, quæ ex regnante Dei amore non proflaunt. Sic igitur habet lib. 6. Registri epist. 187. *Anima priùs timore compungitur, POST AMORE . . . . quia duo sunt compunctionis genera. Dedit ei Pater suus irriguum inferius. Irriguum quippe superius accipit anima, cùm se in lacrymas regni cœlestis desiderio affligit; irriguum verò inferius accipit anima, cùm inferni supplicia flendo pertimescit.* Habes hic timorem bonum, utpote datum à Patre, & amore priorem. Habes etiam bonum regni cœlestis desiderium, nullo prærequisito amore Dei benevolo.

CAPUT V.

SS. Fulgentius, & Bernardus; item Author libelli de Imitatione Christi, nihil commune habent cum damnato articulo. Col. 382.

I. SAnctus Fulgentius serm. 6. sic disserit. *Tantum augetur charitas, quantum fuerit imminuta cupiditas . . .* [similem Augustini Phrasim explicuimus c. 3. n. 3.] *charitas donum Dei est . . . cupiditas laqueus est Diaboli: non solùm laqueus, sed etiam gladius . . . charitas est radix omnium bonorum, cupiditas radix est omnium malorum.* Ergo cùm in peccatore non sit charitas, necesse est, ut ejus actiones omnes pullulent ex radice corruptæ cupiditatis.

R. postrema verba, de quibus sola lis superest, accommodè intelligenda esse: neque enim charitas sui ipsius radix est, aut actuum ad eam disponentium, ut sunt, fides, timor, spes, &c. Vide Trid. sess. 6. c 6. Idem tradit S. Thomas 1. 2. q. 62. a. 4. *Oportet, quòd ordine generationis fides præcedat spem, & charitatem.* Consentit planè S. Aug. l. de catech. rudibus c 4. *Quidquid narras, ita narras, ut audiendo credat, credendo speret, sperando amet.* Et de timore sic habet tr. 9. in Joan. *Opus est . . .. ut intret timor primò, per quem veniat charitas. Timor medicamentum, charitas sanitas.*

II. Sed neque sic Fulgentium intellige, quasi nulla alterius cujuscunque virtutis actio bona sit, nisi imperetur a charitate: talem enim sensum suis ipsemet verbis refellit, & simul responsionem ad objectum locum suppeditat: sic itaque docet l. de Incarn. & grat. c. 26. *Quod si quibusdam cognoscentibus Deum, nec tamen sicut Deum glorificantibus, cognitio illa nihil profuit ad salutem, quomodo hi potuerunt justi esse apud Deum, qui sic in suis moribus, atque operibus bonitatis aliquid servant, ut hoc ad finem Christianæ fidei, charitatisque non referant? QUIBUS ALIQUA QUIDEM BONA, QUÆ AD SOCIETATIS HUMANÆ PERTINENT ÆQUITATEM, INESSE POSSUNT, Sed quia non charitate Dei fiunt, prodesse non possunt. Etenim . . . Apostolus . . . dicit, SINE CHARITATE FIDEM, CÆTERAQUE BONA OPERA cuiquam prodesse non posse . . . Si ergo opera cum fide sinè charitate prodesse non possunt, quomodo proderunt opera, quæ in fide non fiunt?*

Hinc discimus 1. *sinè charitate* dari *fidem* bonam, aliaque *opera* etiam *bona*. Discimus 2. non tantùm dari posse aliqua bona, quæ *non charitate fiunt*, sed etiam quæ *in fide non fiunt*. Discimus 3. neutra opera prodesse, scilicet, ut per ea vel vitam æternam, vel quæ ad hanc ducunt, mereamur; & sic deficiunt *à perfecta bonitate, secundùm quam actus est meritorius*, ut loquitur S. Thomas in 2. sent. dist. 40. q. 1. a. 2. ad 2. Prodesse tamen possunt alio sensu, vel ut dispositio ad justificationem, si fiant ex fide, ita sanciente Trid. sess. 6. c. 6.; vel saltèm, ut propriam vitam honestent, foveantque vinculum humanæ societatis, & æquitatis, si quidem extra fidem fiunt.

Ex dictis patet 1., non omnia opera, quæ sinè charitate fiunt, cupiditatis labe contaminari; sic enim omnia essent mala, contra ac docet S. Fulgentius. Patet 2. eum, dum charitatem bonorum omnium radicem pronuntiat, ea tantummodò bona intelligere, quæ perfectè bona sunt, & vitæ æternæ, vel quæ ad hanc tendunt, meritoria, qualia sola enumerat serm 4. de Stephano Protomartyre his verbis. *Charitas in Stephano superavit sævitiam Judæorum: Charitas in Paulo cooperuit multitudinem peccatorum. Charitas in utroque pariter regnum meruit possidere cœlorum:* quibus enumeratis immediatè subnectit: *charitas igitur est omnium fons, & origo bonorum, munimen egregium, via, quæ ducit ad cœlum.*

Præterea charitas *radix omnium bonorum* dicitur, quia nullum est, quod ea non producat; non quia sola pro-

ducit singula: aliquorum siquidem bonorum etiam fides mortua, etiam ratio naturalis suo modo radix est: quanquam hæc bona inter se fine, principio, perfectione, & momento immensum differant.

III. IV. V. Objicitur etiam ex S. Bernardo l. de modo bene vivendi ad Sororem Serm. 5. *Ibi regnat carnalis cupiditas, ubi non est Dei charitas*, quam sententiam Mellifluus à S. Augustino mutuatus est, & cui abunde satisfecimus c. 3. num. 2. quanquam sola Bernardi verba refellendo errori sufficiunt, quæ objectis subjungit: *SINE AMORE CHARITATIS, quamvis quisque RECTE CREDAT, ad Beatitudinem pervenire non potest*: si sine charitate *rectè credat*, ergo fides illa à vitio cupiditatis immunis est. Quid, quòd non tantùm fides, verùm etiam *servilis timor* ab eodem *bonus* prædicatur ibid. serm. 4. de timore Dei. *Ille quasi servus timet, qui bonum, quod facit, non timore amittendi bonum, QUOD NON AMAT, sed timore patiendi malum, quod formidat, facit . . . BONUS EST ISTE SERVILIS TIMOR, ET UTILIS, licèt insufficiens, & imperfectus, per quem crescit paulatim consuetudo justitiæ . . . Timor priùs venit in corde hominis, UT PRÆPARETUR LOCUS CHARITATI.* Annon satis clarè bonus hic timor, & bene operans, charitatem prævenit?

Idem Mellifluus ep. 11. *ad Cartusienses, & Guidoni Priori* versùs finem plures dilectionis gradus describit, per quos necessariò ad perfectum Dei amorem ascenditur; horum proinde nullum culpat. Verba sunt: „ Priùs necesse est portemus imaginem terrestris, deinde cœlestis. In primis ergo diligit seipsum homo propter se. Caro quippe est, & nil sapere valet præter *se*: Cùmque se videt per se *non* posse subsistere, Deum sibi quasi necessarium incipit per fidem inquirere, & diligere. Diligit itaque in secundo gradu Deum, sed propter se, *non* propter ipsum. At verò cùm ipsum cœperit occasione propriæ necessitatis colere, & frequentare cogitando, legendo, orando, obediendo, quâdam hujuscemodi familiaritate paulatim, sensimque Deus innotescit, consequenter & dulcescit; & sic, gustato, quam suavis *est* Dominus, transit ad tertium gradum, ut diligat Deum, non jam propter se, sed propter ipsum. „ Quesnellus omnem illum Dei cultum, qui fit *occasione propriæ necessitatis*, & ex amore quo Deum *non propter se, sed propter nos* diligimus, peccati damnaret tanquam sobolem vitiosæ cupiditatis. Observatione dignissimum est quod præcedentibus verbis S. Doctor immediatè subjungit: „ Sanè in hoc gradu statur, & nescio, si à quoquam hominum quartus in hac vita perfectè apprehenditur, ut se scilicet homo diligat TANTUM propter Deum. Asserant hoc, si qui experti sunt: mihi, fateor, impossibile videtur. „ Non ita videtur Quesnello: quomodo enim alioqui in Prop. 44. ad actionis innocentiam requireret amorem Dei, qui omnia agit propter Deum, exclusa omni dilectione nostri, & mundi. Certè qui tali amore Dei præditus est, tantùm se diligit propter Deum, ut clarum est.

Audiatur iterum S. Bernardus ep. 350. ad Rorgonem de Abbatisvilla: „ Perlatum est ad nos, quòd gratum tibi esset, si præsentiæ & colloquii nostri copiam habere valeres; & hoc ideo, quia unum de servis Altissimi me esse credit tua benignitas. Et ego dico tibi, quòd pro hac tua humilitate, & pro bona tuæ nobilitatis fama, quam audivimus, mihi quoque jucunda foret tua præsentia. Sed, licèt hoc in nos HUMANÆ PIETATIS BONUM LAUDABILE sit; non tamen perfectum. Nam hæc corporalis quidem est visio, & brevis, & nobis cum cæteris animantibus communis. Magis ergo ad illam æternæ societatis JUCUNDISSIMAM VISIONEM suspirare debemus, & bonis operibus insistere, UT ad illam perveniamus. „ *Humanæ* illa *pietas* non est, ut patet, Quesnelliana charitas: charitatis etiam motivum non est *jucundissima visio*: tamen humana illa pietas dicitur *bonum laudabile*; ad *jucundissimam* verò *visionem* hortatur S. Doctor tanquam ad perfectius.

VI. Objectiones terminant Hexapla duplici loco libelli de Imit. Christi, quorum alter l. 3. c. 9. sic habet *Si intraverit cœlestis gratia, & vera Charitas; non erit aliqua invidia, nec contractio cordis, neque privatus amor occupabit. Vincit enim omnia Divina charitas, & dilatat omnes animæ vires.*

Alter l. 2. c. 1. sic sonat: *nil sic maculat, & implicat cor hominis, sicut IMPURUS amor creaturæ*. Author Hexaplorum voculam *impurus* sibi incommodam, & ex qua patebat objectionis inanitas, prætermisit. Nonne proximi nostri creaturæ sunt? Nihilominus *per affectionem cognationis, & carnis*, teste S. Gregorio, non impurè amantur: vide c. 4. n. 2. in fine.

Prior locus æque inutilis est: Effectus bonos charitatis ante Thomam à Kempis descripsit nobis Apostolus 1. Cor. 13. *Charitas patiens est, benigna est &c.* sed neuter uspiam dicit, ea omnia, quæ originem non trahunt à charitate, vitium trahere à cupiditate.

QUADRAGESIMA SEXTA PROPOSITIO DAMNATA.

Cupiditas, aut Charitas usum sensuum bonum, vel malum faciunt. *Observ. Moral. Matth. 5. v. 28.*

CAPUT I.

Justa Propositionis damnatio demonstratur. Col. 388.

I. HÆc Propositio accedit proximè ad præcedentem; clarè siquidem innuit, omnem usum sensuum cupiditati vel charitati tribuendum, & eatenus malum semper esse, aut bonum. Porrò charitas tertiam virtutem Theologicam in ore moderni Ascetici propriè significat; & juxta Augustinum l. 3. de Serm. Domin. in monte c. 22. *voluntas . . . in malis flagitiosisque factis cupiditas propriè dicitur*. Verùm tam charitas, quàm cupiditas intelligi potest habitualis, vel actualis. Utrovis sensu Propositio erronea est. Juxta priorem, justus non nisi rectè utetur, peccator non nisi pessimè sensibus abutetur: Justus itaque quantò licentiùs oculis, linguæ, cæterisque sensuum instrumentis indulserit, tantò erit melior sanctiorque: opportuna Quietistarum gregi consecutio!

II. Si charitas, & cupiditas, quæ verosimiliùs authoris mens est, ut actualis accipiatur, sic quoque Quesnellianus articulus meritissimè proscribitur. Hinc siquidem conficitur, quidquid sensuum interventu fit vel ex motivo naturalis honestatis, vel alterius cujuscunque virtutis à charitate diversæ, bonum non esse; quod erroneum est, & absurdum, refelliturque iisdem Scripturarum, PP., Conciliorum authoritatibus, quibus præcedentes errores attriti sunt. Quid enim? An Christianus aliquis, qui judiciorum Divinorum timore perculsus ab illecebroso objecto avertit oculos, carnem flagellis, & cilicio subigit, cibos non nisi necessarios, eosque viliores mensæ suæ adhibet, hoc ipso non bene utetur sensibus? Jam profectò non miror, inquit, qui primus proscriptorum Quesnelli dogmatum virus aperuit, apud Jansenii sectatores tantam invaluisse mollitiem. Nempe quia certi non sunt, se agere ex puro motivo charitatis, hinc timent, opinor, nè affligendo etiam carnem perperam utantur sensibus, & damno suo sumptus faciant pœnitentiæ.

V. Sed paulò distinctiùs errorem refutemus. Apostolus ad Rom. 10. v. 17. fidei atque adeò charitati prærequirit auditum verbi Christi: ergo juxta Quesnellum prærequirit peccatum; siquidem omnis usus sensuum, qualis sine controversia est auditus, non procedens à charitate, oritur, & inficiatur è cupiditate.

III. Tridentinum sess. 14. c. 4. descriptâ attritione, quæ ex Gehennæ, & pœnarum metu communiter concipitur, ita subjicit: *Sic . . . timore utiliter concussi Ninivitæ, ad Jonæ prædicationem plenam terroribus, pœnitentiam egerunt, & misericordiam a Domino impetrarunt*. Ergo opera pœnitentiæ, quibus Ninivi-

nivitæ, ut narratur Jonæ 3., sensus suos castigarunt, fuere bona, utpote suscepta ex utili timore, & ita bono, ut ibidem a Trid. *Donum Dei* dicatur, & *Spiritus Sancti impulsus*.

IV. De Conversione Polemonis Gentilis ad temperantiam, quæ tota in refrænatione sensuum posita est, ita Augustinus ep.144. alias 130.: *Nec id ipsum quidem, quod melius in eo factum est, humano operi tribuerim, sed Divino.* Si temperantia illa fuit *opus Divinum*, ergo non mala, licèt ex charitate non processerit, quam frustra ab infideli expectes: Hinc l. de nat.& gr. contra Pelagium c.54. idem S. Doctor pronuntiat: *Peccata NON DIVINO OPERI; sed humanæ voluntati, illiusque justæ vindictæ tribuimus.*

Rursus lib 4. contra Julianum c.3. *Ex quo colligitur, etiam BONA OPERA, quæ* (omnia, aut ferè omnia ministerio sensuum) *faciunt Infideles, non ipsorum esse; sed illius, qui bene utitur malis.* En *bona opera* hominum *malorum*, & *infidelium*: atque adeò charitate, quam nè quidem novêre, carentium.

Confirmantur hæc authoritate Cardinalis Bellarmini, in celebri controversiarum opere à S.RituumCongregatione approbato, ubi l.5. de grat. & lib. arb. c.9. sic disserit de operibus Infidelium. *Augustinus l.5. de civ. Dei c.15. dicit, Deum dedisse Romanis tam amplum Imperium, ut remuneraret in hac vita bonas eorum virtutes. Sive autem illæ virtutes cum Dei speciali gratia conjunctæ fuerint, sive non; certè in Infidelibus erant; & virtutes, non vitia erant: Nisi Deum remuneratorem vitiorum, quod esset absurdissimum, faciamus.* Deinde caput concludit his verbis: *Si nullum opus bonum fieri posset ab Infidelibus, sequeretur, melius illis esse, remoto præcepto, bona opera ex objecto non facere, quam facere; nam faciendo peccarent, non faciendo non peccarent. Itaque monendi essent Infideles, nè facerent eleemosynas, nè pacificarent discordes, nè imperitos docerent, nisi quando ex præcepto aliquo tenerentur. Hæc autem sine dubio absurdissima sunt.*

CAPUT II.

Respondetur objectionibus desumptis ex Scriptura. Col.395.

I. AD loca Apostoli 1. Cor.10. v.3. & Col.3. v.17. responsum est Prop.4. c.12. num.2.& 3. & c.17. num.9. & 3.

Non possum tamen, quin ad eorum, quæ locis proximè citatis diximus, confirmationem, attexam hic duplex testimonium, alterum Angelici, Seraphici alterum. Prior q. 7. de malo a.7. ad 9. ita resolvit: *Dicendum, quòd cùm illud præceptum Apostoli* [1. Cor. 10. v.31.] *sit affirmativum, non obligat ad hoc, quòd semper observetur in actu: observatur autem semper in habitu, quamdiu homo habitualiter habet Deum sicut ultimum finem; quod non excluditur per peccatum veniale:* Quem locum expendens Card. Aguirre disp.130. sect.4. infert, ut sequitur: *Ergo ex mente D. Thomæ illud præceptum non obligat, ut observetur semper in actu, quia potiùs observetur in habitu, quamdiu homo est habitualiter conversus in Deum, ut finem ultimum. Si autem peccatum veniale, quamvis inordinabile ad Deum, non opponitur illi præcepto, quia non impedit conversionem ad Deum habitualem; quantò minùs eidem præcepto opponetur opus justitiæ aut misericordiæ propter se inspectum; quod non solùm permittit secum habitualem ordinationem creaturæ ad finem ultimum simpliciter, sed adhuc in se ipso est ordinabile ad Deum, & ad ipsum implicitè ordinatur.*

II. IV. S. Bonaventura in 2. dist.41. a. 1. q.3. sic decidit: *Quando quis facit operationem, ita quòd circa creaturam non afficiatur inordinatè, nec tamen illam operationem refert ad Deum, sed facit propter aliquem finem, qui respicit indigentiam creaturæ* [*ut cùm aliquis ambulat, ut recreetur; vel comedit, ut reficiatur*] *talis actio indifferens judicatur; quia in tali actione non est malitia commissionis, quia non est inordinata delectio; nec etiam omissionis; non enim semper omittit homo, quando actiones suas non refert in Deum; indulget enim naturæ fragili, & infirmæ, ut multa possit talia facere: nec Deus requirit ab homine in statu distractionis, & misericordiæ, quòd omnia, quæ facit, referat ad Deum.* Hæc, ni fallor, vident adversarii, quam ineptè ex objectis locis, conficiant, ad operum bonitatem requiri charitatem sive relationem in Dei gloriam actualem, aut etiam, saltèm ipsorum sensu, virtualem. Vide Prop.44.c.12. num.3. in fine.

CAPUT III.

Solvuntur objectiones petitæ ex S. Augustino. Col.401.

I. OBjicitur 1. hæc Hipponensis Antistitis sententia l.4. contra Julianum c.3. *Per hunc amorem Creatoris bene quisque utitur creaturis: sinè hoc amore Creatoris nullus quisquam bene utitur creaturis.* Ergo sola charitas usum sensuum bonum facit.

R. solutionem patêre ex verbis proximè sequentibus: *hoc ergo amore opus est, ut bonum BEATIFICUM sit:* opus scilicet est amore Dei habituali, ut actio non qualitercunque, sed beatificè bona, seu vitæ æternæ meritoria sit; & hoc sensu sinè amore creatoris nullus bene, id est, meritoriè utitur creaturis; nullus enim, nisi præditus charitate habituali, propriè mereri potest.

Si verò *beatificum* accipias pro eo, quod ad salutem, & beatitudinem refertur, ita etiam verum est, sinè amore creatoris neminem bene, seu salutariter uti creaturis: amor siquidem ille implicitè involvitur in *concupiscentia supernaturali propriæ salutis*, ex qua salutariter agimus; ut vidimus ex Cardinali Aguirre Prop.6. c.14. num.8.

Ex eo autem, quòd nemo meritoriè, aut salutariter utatur creaturis sinè amore Creatoris jam exposito, consequens non est, ut sinè eo nemo sive fidelis, sive infidelis utatur creaturis honestè vel indifferenter; multò verò minùs, ut sensuum usus semper malus, & inhonestus sit, nisi nascatur ex amore Dei benevolo, qui per *charitatem* in damnata Propositione significatur.

II. . . . VI. Quidquid ulteriùs ex objecto capite reponi posset, prævenit Cardinalis Laurea ipsi Quesnello laudatus, & Doctrinam catholicam confirmat *opusculo tertio de gratiis actualibus* c.20. in hæc verba: *His . . . duobus modis dicit Augustinus, virtutes infidelium non esse veras virtutes, sed potiùs vitia: quando non referuntur ad verum Deum, sed ad falsum infidelium numen; vel quando propter humanam gloriam exercentur. Si autem hæc duo absint, & ex ipsius virtutis, ac rectæ rationis naturalis dictamine exerceantur, non video quomodo Augustinus eas damnaret. Non enim credo, quòd damnaret sui procreationem, & educationem à Patre infideli; neque conjugium ejus cum Matre sua, si non ob libidinem, sed propter prolem factum fuerit. Neque damnaret, quod infidelis honoraret parentes, sicut ipsemet Manichæus faciebat; neque si fur restitueret furata Domino, & cætera similia.*

His addi potest, Augustinum, dum negat in Infidelibus veras esse virtutes, virtutis nomine intelligere non eam simpliciter, quæ mortalem vitam honestare potest, sed quæ prodest ad consequendam veram beatitudinem: sic enim capite in objectione citato clarè loquitur: *Non . . absurdè virtus definita est ab eis, qui dixerunt: Virtus est animi habitus naturæ modo atque rationi consentaneus.* Ad hanc definitionem revocantur virtutes merè morales etiam Infidelium. Tum S. Doctor ita prosequitur: *Verum dixerunt; sed quid sit consentaneum liberandæ ac beatificandæ naturæ mortalium, nescierunt . . . Si ergo ad consequendam veram beatitudinem . . . nihil prosunt homini virtutes, nullo modo veræ possunt esse virtutes.*

VII. . . X. Ad locum Augustini l.9. de Trin. c.7. fusè respondimus Prop.44. toto c.14.

In eorum, quæ illic diximus, uberiorem confirmationem

sub-

subnecto quæ scribit Cardinalis Cajetanus in commentario ad s. 2. q. 100. a. 1. ,, Quilibet [inquit] habens charitatem, ex hoc ipso, quod est in charitate, diligit procul dubio Deum ex toto corde, habens ipsum pro ultimo fine, ac per hoc sui ipsius, & consequenter suorum omnium finem; alioqui in charitate non esset: idcirco non oportet pias mentes scrupulo agitari, quomodo præceptum impleant, ut omnia in gloriam Dei faciant. ,,

QUADRAGESIMA SEPTIMA PROPOSITIO DAMNATA.

Obedientia legis profluere debet ex fonte, & hìc fons est charitas. Quando Dei amor est illius principium interius, & Dei gloria ejus finis, tunc purum est quod apparet exterius; alioquin non est nisi hypocrisis, aut falsa justitia. *Observ. Moral. in Matth. 23. v. 26.*

CAPUT I.

Propositio damnata oppugnatur. Col. 416.

I. Hæc Propositio ex eodem principio nascitur, ex quo tres præcedentes; nempe quòd omnis actio facta sinè charitate propriè dictâ sit peccatum, reciditque in 16. Bajanam: *Non est vera legis obedientia, quæ fit sinè charitate*; imò verò crudiùs, duriusque loquitur Quesnellus quàm Bajus, etiam postquam hic errorem suum solemni retractatione damnavit. Bajus negat veram esse obedientiam, quæ fit sinè charitate; Quesnellus hypocrisin affirmat esse, *aut* falsam justitiam; vel, ut Hexapla loquuntur, hypocrisin, *&* falsam justitiam; adeò ut particula *aut* non disjungat, sed hypocrisin per falsam justitiam explicet; atque adeò idem valeat, quòd vocula *seu*.

II. Præterea Quesnellum non aliam hìc caritatem intelligere, quàm justificantem, patet ex locis quæ in ejus defensionem sive ab Hexaplis, sive ab aliis subinde proferuntur, in quibus agitur de charitate, *quam diffundit Spiritus Sanctus in cordibus nostris*, quæque juxta Trid. sess. 6. c. 7. ea ipsa est, quâ impius justificatur.

Sic ex Augustini Enchiridio ad Laurentium c. 121. allegatur ab Hexaplis quod sequitur: ,, Quod . . . . ita fit . . . ut non referatur ad illam charitatem, quam diffundit Spiritus Sanctus in cordibus nostris, nondum fit, quemadmodum fieri oportet ,,: quæ gallicè sic redduntur, ac si diceret Augustinus: *Quod ita fit, ut ejus principium non sit illa Divina charitas, quam diffundit Spiritus Sanctus in cordibus nostris, non fit, quemadmodum fieri oportet.* Vide infra c. 5. num. 5. unde non temere colligitur, damnatam Propositionem significare, omnem actionem nostram esse hypocrisim, & falsam justitiam, nisi procedat à charitate justificante, sive ea sit actualis, sive habitualis: atque ita hæc quam modò impugnamus, Prop. 47. continet (IV.) monstrorum in fide feracissimam Bajanam 38. *Omnis amor creaturæ rationalis aut vitiosa est cupiditas, quo mundus diligitur, quæ à Joanne prohibetur; aut laudabilis illa charitas, qua per Spiritum Sanctum in corde diffusa Deus amatur.*

III. Eumdem sensum indicant aliarum Quesnellianarum Propositionum circumstantiæ, etenim 28. enuntiat: *Prima gratia, quam Deus concedit peccatori, est peccatorum remissio*: 38. ait: *Peccator non est liber, nisi ad malum, sinè gratia liberatoris*: igitur ut sit vera, & bona legis obedientia, is, qui eam præstat, debet esse justus; quanquam hoc apud Novatorem non sufficiat; requirit enim præterea, ut amor Dei sit interius obedientiæ principium, & Dei gloria ejus finis.

V. Unde deducitur ulteriùs primò, Tridentinum sess. 14. c. 4 perperam declarasse dolorem conceptum ,, ex gehennæ, & pœnarum metu . . . . si voluntatem peccandi excludat cum spe veniæ . . . non solùm non facere hominem hypocritam, & magis peccatorem; verùm etiam donum Dei esse, & Spiritûs Sancti impulsum. ,, Nec feliciùs Alexander VIII. damnaverit hanc 15. inter 31. *Attritio, quæ gehennæ, & pœnarum metu concipitur, non est bonus motus, ac supernaturalis.*

Deducitur secundò, eumdem Pontificem immerito fulmine perculisse hanc 9. ,, Revera peccat, qui odio habet peccatum merè ob ejus turpitudinem, & disconvenientiam cum natura, sinè ullo ad Deum offensum respectu; ,, uti & hanc 10. ,, Intentio, quâ quis detestatur malum, & prosequitur bonum, merè ut cœlestem obtineat gloriam, non est recta, nec Deo placens. ,,

Ratio horum omnium est, quia hic nullibi occurrit charitatis motivum, sinè quo, Quesnello judice, omnis actio in hypocrisim transit, falsamque justitiam. Scripturas, Patres &c. huic errori clarissimè adversantes selege ad Prop. 44., & sequentes. Paucula hìc superaddo in ulteriorem commendationem timoris gehennæ.

VI. S. Augustinus l. de grat. & lib. arb. c. 18. num. 39. ad illa 2. Tim. 1. v. 7. Apostoli verba: ,, Non enim dedit nobis Deus spiritum timoris, sed virtutis & charitatis, & continentiæ: ,, *In quo sanè Apostoli testimonio cavere debemus, nè nos arbitremur non accepisse spiritum timoris Dei, quod sinè dubio magnum est Dei donum . . . non quo timore Petrus Christum negavit, sed illius timoris spiritum accepimus, de quo dicit ipse Christus* (Lucæ 12. v. 5.) ,, Eum timete, qui habet potestatem, & animam, & corpus perdere in gehennam; ita dico vobis, hunc timete ,, ergo qui ex tali timore agit, agit ex Spiritu Dei; non est hypocrita, non peccat.

VII. S. Gregorius hom. 34. in Evangelia: *Pravæ mens si non priùs per timorem conteritur, ab assuetis vitiis non emundatur.* Et lib. 28. Moral. c. 8. *Cùm futurorum timor infunditur, ut bonæ vitæ surgat ædificium, jam fundamenta construuntur.*

CAPUT II.

Temere objiciuntur Scripturæ sacræ, & vel inde magìs Propositionis ac defensorum ejus perversitas detegitur. Col. 422.

I. Objicitur 1. ex Ecclesiastici c. 3. *Filii sapientiæ, Ecclesia justorum, & natio illorum obedientia, & dilectio.*

R. primò hìc imprimis præscindi à dilectione concupiscentiæ, & benevolâ: ex utrâvis procedat obedientia, bona est: unde nihil hinc concluditur pro obligatione agendi omnia ex amore benevolo.

R. secundò sensum textûs sacri esse, justos obedire Divinis mandatis, adeòque diligere, juxta illud Christi, *qui habet mandata mea, & servat ea, ille est, qui diligit me*: siquidem inter Dei mandata etiam est illud diligendi Deum ex toto corde &c. quamvis non ad singulos actus, quandoquidem, ut ait S. Th. 1. 2 q. 88. a. 1., *illud præceptum est affirmativum, unde non obligat ad semper*, sed tantùm pro certis temporibus, & circumstantiis. Aliæ plures expositiones in promptu sunt, sed nulla errori propitia.

II. III. Objicitur 2. ibid. c. 6. v. 18. &c. *Initium . . illius* (sapientiæ) *verissimo est disciplinæ concupiscentia; cura ergo disciplinæ dilectio est, & dilectio custodia legum illius est; custoditio autem legum consummatio incorruptionis est &c.*

R. primò ut supra ad objectionem præcedentem.

R. secundò cum A Lapide, sensum esse hunc: Initium sapientiæ est disciplinæ concupiscentia; hæc disciplinæ illius curam, & solicitudinem parit, cura dilectionem, dilectio custodiâ legum, custodia incorruptionem &c. Disciplina verò, juxta eundem authorem, *morum castigatio, & compositio* est; quam ante omnia peccator desiderat, curatque ex timore servili, & mercenario, quo, S. Salesio teste à nobis producto Prop. 44. c. 8.

a.8. n.5. *Divina bonitas velut acu . . utitur . . qua ordinariè omnium primò corda nostra punguntur*. Vide etiam Tridentinum sess.6. c.6. cujus titulus *Modus præparationis*.

VI. Objicitur 3. Apostolus 1. Tim.1. v.5. *Finis autem præcepti est charitas de corde puro, conscientia bona, & fide non ficta*. Et Rom.13. v.10. *Plenitudo legis est dilectio*

R.1. ex his, quos adversarii objiciunt, textibus, magis magisque clarescere, ex qua Charitate juxta ipsos procedere debeat legis obedientia, ut sit immunis ab hypocrisi, scilicet ex charitate justificante; talem enim indicat *plenitudo legis*: talem etiam prior locus significat, Augustino judice l. de nat. & gr. c.7. *Charitas inchoata, inchoata JUSTITIA est; charitas provecta, provecta JUSTITIA est; sed charitas de corde puro, conscientia bona, & fide non ficta*. Porrò cor purum apud eumdem S. Doctorem l.1. de Doct. Christ. c.5., *est vacuum cupiditate, & amore sui, ut nihil diligatur, quàm quod diligendum est*; quæ sanè valde provecta, & adulta justitia est.

V. R. secundò cum S.Thoma in locum citatum ad Tim. lect.1. ubi cùm præmisisset, *quòd omnia præcepta legis sunt de actibus virtutum*; sic arguit: *Virtutes . . . Theologicæ ultimum finem habent pro objecto: aliæ autem sunt circa ea, quæ sunt ad finem. Ergo omnes respiciunt Theologicas sicut finem. Inter Theologicas verò illa plus habet de ratione finis, quæ propinquiùs se habet ad ultimum finem. Fides autem ostendit eum, spes facit tendere in eum, charitas unit*. Ergo ex mente S.Thomæ ideo finis præcepti est charitas, quia nò spectant omnia præcepta, ut nos Deo per charitatem uniant; non quia singula præcepta ex charitate impleri debent: alioqui enim fidei, spei & cæterarum virtutum præcepta nos Deo unirent, & continerent æquè multum de ratione finis, & haberent se æquè propinquè ad ultimum finem; quod est contra disertam Angelici sententiam: quæ non minùs perspicuè eluxet ex 2.2. q.17. a.8. ubi ait: ,, sed contra est, quòd Apo-
,, stolus dicit . . . *Finis præcepti charitas est de corde*
,, *puro & conscientia bona*: glossa: id est, spe; ergo spes
,, est prior charitate. ,, Igitur ex eo ipso loco, quem nobis parum consultè Novator opposuit, concludit S. Thomas, *conscientiam*, seu spem *bonam*, & proinde etiam *fidem non fictam* charitati præire.

IV. Rursus in loc. cit. ad Rom. sic habet: *Dicitur primæ ad Tim 1. quòd finis præcepti charitas est; unumquodque enim perficitur, cùm ad finem pervenit, & ideo tota legis perfectio in charitate consistit*; tunc nempe lex finem suum consequitur, atque adeò hoc sensu completur, ac perficitur, cùm Deo per dilectionem unimur: ad hunc autem finem non simul, & semel per cujuscunque præcepti impletionem pervenitur, sed gradatim ascenditur; ut pulchrè explicat Tridentinum sess.6. cap.6.

Confirmatur responsio ex verbis quæ ibidem apud S.Doctorem leguntur: *Præcepta negativa obligant semper & ad semper; nullo enim tempore est furandum, & adulterandum: præcepta autem affirmativa semper, sed non ad semper*: Atqui præceptum charitatis est affirmativum; ergo illud non obligat ad semper: ergo obedientia, qua impletur præceptum à charitate distinctum, potest esse bona, licèt ejus fons non sit charitas.

CAPUT III.

Immeritò contra nos producitur S. Thomas. Adversarii magis produnt suam perfidiam, & animum minimè catholicum. Col.427.

I. AUthor Hexaplorum non erubuit catholicæ veritati opponere Doctorem Angelicum tot tamque luculentis testimoniis, quæ supra pluries exhibuimus, pro ea decertantem. Quod cùm adversarius non ignoret, saltèm illudere lectori voluit allegatione textûs malè mutilati, & alterati ex 2. 2. q.23. a.7. in argumento *sed contra*, quod genuinis S. Thomæ verbis relatum sic sonat: ,, Sed contra est, quòd Apostolus
,, dicit [1. Cor.13. v.3.] *Si distribuero in cibos paupe-*
,, *rum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum*
,, *ita, ut ardeam; charitatem autem non habeam, nihil*
,, *mihi prodest*: sed virtus vera multum prodest . . . ergo
,, sinè charitate vera virtus esse non potest. ,,

II. Adeamus primò S. Doctoris commentarium in recensitum Apostoli locum; ubi nomine ejusdem Apostoli ita loquitur: ,, Si, inquam, prædicta opera tam
,, excellentia fecero, *charitatem autem non habuero*, vel
,, quia simul cum prædictis operibus adest voluntas pec-
,, candi mortaliter, vel quia fiunt propter inanem glo-
,, riam, *nihil mihi prodest*, scilicet quantum ad meri-
,, tum vitæ æternæ, quæ solis diligentibus Deum repro-
,, mittitur. ,, Itaque juxta S. Thomam illa *opera tam excellentia*, quæ sinè charitate fiunt, hoc sensu nihil prosunt, quòd vitam æternam non mercantur, non quòd destituta motivo charitatis omnia hoc ipso sint hypocrisis: quæ macula licèt inficiat actiones ex vana gloria prodeuntes, non tamen omnes, quæ de se bonæ cum statu peccati junguntur, & sic meriti vitæ æternæ incapaces sunt.

III. His planè consonat responsio Angelici ad objectum argumentum l.c. in corpore: *Si accipiatur*, inquit, *virtus secundùm quòd est in ordine ad aliquem finem particularem, sic potest aliqua virtus dici sinè charitate, in quantum ordinatur ad aliquod bonum particulare . . . si* [enim] *illud bonum particulare sit verum bonum, puta conservatio civitatis, vel aliquid hujusmodi, erit quidem vera virtus, sed imperfecta, nisi referatur ad finale, & perfectum bonum; & secundùm hoc simpliciter vera virtus sinè charitate esse non potest*. Ibidem definit, *ultimum & principale hominis bonum esse Dei fruitionem*. Hinc rursus manifestum evadit, rationem, propter quam virtutes sinè charitate *simpliciter veræ*, seu *PERFECTÆ* non sint, esse, quod finem ultimum, seu Dei fruitionem vi sui meriti non attingant: *unumquodque enim PERFICITUR*, inquit S. Doctor relatus supra c.2. num.4., *cùm ad finem pervenit*. Quomodo autem bonæ justorum actiones *per habitum Sanctissimæ charitatis* ad finem ultimum ordinentur, ex Salesio & Angelico explicatum est Prop.44. c.12. num.5. Cæterum D. Thomas hic disertè admittit *virtutes* sinè charitate *veras, sed imperfectas*, quod profectò nomen nunquam tulit hypocrisis, aut larva justitiæ. Si omnia, quæ sinè charitate fiunt, hac labe inficerentur, non tantùm non essent virtutes imperfectæ, seu *deficientes à perfecta bonitate, secundùm quam actus est meritorius*, ut loquitur in 2. d. 41. q. 1. a.2. ad 2., sed essent positivè vitia, & peccata, (IV.) quod præcisè negat in commentario capitis 14. epistolæ ad Rom. lect.3. *In homine infideli* [adeòque operante sinè charitate] *cum infidelitate est bonum naturæ: & ideo cùm aliquis infidelis ex dictamine rationis aliquod bonum facit, non referendo ad malum finem, NON PECCAT*.

V. Virtutes, quæ fidem supponunt, bonas esse, etiam in quantum charitatem præcedunt, iterum S. Doctor dubitare non sinit 2. 2. q. 17. a. 8. ubi in conclusione ita determinat: *In via generationis spes est prior charitate: sicut enim aliquis INTRODUCITUR AD AMANDUM DEUM per hoc, quòd TIMENS AB IPSO PUNIRI, CESSET A PECCATO, ut Augustinus* [referendus c.5. num 2.] *dicit sup. primam canonicam Joannis; ita etiam SPES INTRODUCIT AD CHARITATEM, in quantum aliquis sperans remunerari à Deo, ACCENDITUR AD AMANDUM DEUM, ET SERVANDUM PRÆCEPTA EJUS*. Tam prælatos formidinis, & spei, quatenus utraque charitatem hic strictissimè præcedit, effectus nemo, nisi pejùs ipso Luthero insanierit, hypocrisi tribuat.

VI. Præterea virtutes dari bonas, etiam ipsâ fide priores, rursum insinuat Angelicus 2. 2. q.4. a.7. dicens: *Necesse est, quòd fides sit prima inter omnes virtutes . . . sed per accidens potest aliqua virtus esse prior Fide: causa enim per accidens, est per accidens prior: removere autem*

prohibens pertinet ad causam per accidens ; & secundùm hoc aliquæ virtutes possunt dici per accidens priores fide, in quantum removent impedimenta credendi ; sicut fortitudo removet inordinatum timorem impedientem ; humilitas autem superbiam, per quam intellectus recusat se submittere veritati fidei ; & idem potest dici de aliquibus aliis virtutibus : quamvis non sint veræ virtutes, nisi præsupposita fide, ut patet per Augustinum in lib. contra Julianum, quia scilicet ejusmodi virtutes morales, *imperfectæ* sunt, quòd sinè fide, & à fortiori, sinè charitate exerceantur. Vide num.3. At etiam sic consideratæ, maximè dum ad fidem, ut S. Doctor jam explicuit, disponunt, ac proinde sunt ex Divinæ gratiæ auxilio, citra ejusdem gratiæ contumeliam, hypocrisi, aut veri nominis peccato vertì non possunt. Vovamus sanè Novatoribus, & fortitudinem, quâ humanas considerationes propriæ saluti postponant, & humilitatem, qua pertinaciam facili docilitate permutent, ut ita animo comparati tandem, bonorum omnium gratulatione, & avitæ fidei, & Ecclesiæ gremio restituantur.

CAPUT IV.

Observationes quædam ex Cardinalibus Bellarmino, & Aguirre ad præoccupanda, quæ objiciuntur ex Augustino. *Col. 434.*

I. Recolenda hìc sunt quæ ex utroque descripsimus Prop. 44. c. 14. num. 7 & c. 17. num. 9. Item Prop. 46. c. 1. n. 4. & c. 2. n. 1.

III. Ex Aguirrio hìc addimus quæ habet disp. 130. num. 126. de Augustini mente in præsenti materia. „ Augustinus „, inquit „, in id potissimùm conatur, „ ut actiones nostræ ex officio bonæ non in sinistrum „ aliquem finem, puta inanis gloriæ, turpis quæstûs, „ aut similem alium dirigantur, sed in finem a Divina „ sapientia præscriptum, qui est ipse Deus, vel illius „ gloria. Virtutes enim à vitiis, ut ipsa ait, non of- „ ficiis, sed finibus distinguuntur ; ac proinde ut quæli- „ bet actio in materia ad virtutem spectante sit actio „ virtutis, debet ipsi præscribi finis ille, qui proprius „ virtutis est, & differt prorsus à fine vitii. Cùm verò „ honestas moralis propria uniuscujusque virtutis, „ prout distinctæ à vitio sibi directè contrario, sit pe- „ culiaris, & certa honestas moralis, consequens est, „ ut actio illa propter se directè spectata, sit propriè „ actio talis virtutis : nec ideo negamus, illam debere „ fieri in obsequium Dei ; siquidem eo ipso quòd mo- „ deratè spectet honestatem moralem propriæ virtutis, „ sinè admixtione alterius pravi finis, implicitè, & na- „ turâ suâ in obsequium, & gloriam Dei tendit, ut sæ- „ pe dictum est „, locis à me jam citatis. Cardinalem Lauræam de Augustini sententiâ differentem audivimus Prop. 44. c. 9. num. 1. . . . . 5. & Propos. 46. c. 3. num. 2. . . . 6.

Hos tres Eminentissimos producimus, quòd eorum authoritas, quâ subinde in dissolvendis ex Augustino difficultatibus utemur, apud ipsos adversarios sit in commendatione, & pretio.

CAPUT V.

S. Augustinus damnatæ Propositioni non favet; sed certissimè refragatur. *Col. 439.*

I. Objicitur 1. ex Enchiridio ad Laurentium c. 121. „ Omnia igitur præcepta Divina referuntur ad „ charitatem, de qua dicit Apostolus : *Finis autem præ- „ cepti est charitas*, id est, ad charitatem refertur omne „ præceptum. Quod verò ita fit timore pœnæ, vel ali- „ qua intentione carnali, ut non referatur ad illam cha- „ ritatem, quàm diffundit Spiritus Sanctus in cordibus „ nostris, nondum fit, quemadmodum fieri oportet, „ quamvis fieri videatur „.

R. licèt præcepta non semper ex charitate fiant, ad tamen per se conducere, & consequenter ex supremi legislatoris intentione referri, ut nos Deo per charitatem uniant : non omnis tamen præcepti impletio æque vicinè ad ordinatur : varii relationis gradus distingui possunt ex S. Thoma : sic ex. gr. *fortitudo*, & *humilitas* infidelem disponunt ad fidem, in quantum impedimenta fidei removent, ut ex S. Doctore annotavimus c. 3. num. 6. *Fides autem ostendit Deum, spes facit tendere in eum, charitas unit.* ; sunt Angelici verba recitata c. 2. num. 6. Timorem quoque ad charitatem referri, patet ex ejusdem Angelici verbis adductis c. 3. n. 5. *Aliquis*, inquit, *introducitur ad amandum Deum per hoc, quòd timens ab ipso puniri, cessat à peccato, ut Augustinus dicit*, (II.) scilicet tract. 9. in ep. 1. Joan. ubi Hipponensis sic habet paulò ante medium : *Sunt homines, qui propterea timent Deum, ne mittantur in gehennam . . . ipse est timor, qui charitatem introducit* : & paulò supra : *Si . . . nullus timor, non est quà intret charitas : sicut videmus per setam introduci linum, quando aliquid suitur ; seta prius intrat ; sed, nisi exeat, non succedit linum : sic timor primò occupat mentem ; non autem ibi remanet timor, quia ideo intravit, ut introduceret charitatem . . . . occupet ergo cor tuum timor, & inducat charitatem . . . nam si sinè timore es, non poteris justificari . . . opus est ergo, ut intret timor primò, per quem veniat charitas.* Timorem illum ab hypocrisi esse remotissimum patet tum ex opus, quam hic nobis inculcat Augustinus, necessitate ; tum quòd ad eum hortetur ; tum denique quod eum magnum . . . *Dei donum* vocare non dubitet. Vide cap. 1. num. 6. Igitur quod ex tam sancto metu fit, non dicetur *ita fieri timore pœnæ, vel aliqua intentione carnali, ut non referatur ad illam charitatem, quam diffundit &c.* Idem de cæteris virtutibus tam Theologicis, quam quæ aas *per accidens* præcedunt dictum puta : omnes siquidem, supposito divinæ gratiæ auxilio, vel mediatè, vel immediatè spectant, ut nos Deo per charitatem conjungant.

III. IV. Objicitur 2. in Psalm. 51. ubi illa verba *Radicem tuam de terra viventium* sic enarrat : *opus est, ut opera tua de charitate procedant : tunc est radix tua in terra viventium.*

R. sensum, per se clarum, esse hunc : opera nostra, ut ducant ad *terram viventium*, procedere debere ex charitate. Audiatur jam D. Thomas in quæstionibus disputatis q. 7. de malo art. 1. ubi ad illud *omnia in gloriam Dei facite* respondet : *non obligat ad hoc, quòd semper observetur in actu ; observatur autem semper in habitu, quamdiu homo habitualiter habet Deum ultimum finem* : quamdiu scilicet est in statu gratiæ, Deum semper amat habitu charitatis, atque ita radix bonorum operum ipsius est charitas pertinens ad terram viventium, si nempe ex fine honesto absque prava circumstantia exerceantur, ut pulcherrimè ex Angelico explicat Salesius, cujus verba habes Prop. 44. c. 12. num. 3.

V. Objicitur tertiò ex lib. de gr. & lib. arb. c. 18. *Hæc omnia præcepta dilectionis, id est, charitatis, tanta, & talia sunt, ut quidquid se putaverit homo facere bene, si fiat sinè charitate, nullo modo fiat bene.*

R. S. Augustinum hic agere de modo in correptione servando, quæ si fiat *sinè charitate*, id est, nimis acriter, & severè, irato, aut commotu animo, *nullo modo fit bene*. En tibi ipsa S. Doctoris verba c. præcedenti. *Ad Corinthios autem cùm dicit : OMNIA VESTRA CUM CHARITATE FIANT, satis ostendit, etiam ipsas correptiones, quas asperas, & amaras sentiunt, qui corripiuntur, cum charitate esse faciendas.*

VI. VII. Objicitur 4. ex lib. de dono perseverantiæ c. 16. *Sicutem gratia prævenit fidem, quoniam prævenit voluntatem, profectò prævenit etiam obedientiam ; prævenit etiam charitatem, qua uno veraciter, & suaviter obeditur.*

R. Argumentum Augustini esse hujusmodi : si gratia prævenire debet ipsam piam credendi voluntatem, adeòque fidem, quæ inde consequitur, profectò ea- dem

dem gratia prævenit omnem veram obedientiam, quæ, supposita fide, Dei mandatis exhibetur, & consequenter prævenit etiam charitatem, quâ non tantùm veraciter Deo obeditur, sed etiam suaviter, qui effectus charitati proprius est: unde S. Thomas 2. 2. q. 19. a. 4. in C. *Quicunque ... ex amore aliquid facit, quasi ex se ipso operatur; quia ex propria inclinatione movetur ad operandum.*

Hinc qui ex suavi, seu delectabili charitate obedit, propterea etiam dici potest *veraciter*, id est, perfectè obedire, quia in tali obediente nulla ferè est, nequidem indeliberata resistentia; sed omnes animæ, corporisque vires, ac potentiæ quasi ultrò se præcepti executioni accommodant.

Ex datâ textûs explicatione collige, eum directè adversari Novatoribus, cùm hic habeamus credendi voluntatem, & fidem ipsam charitate priorem; utramque tamen bonam, cùm utraque præveniatur à gratiâ.

VIII. Objicitur 4. ex lib. de gratia Christi c. 26. *Quid autem boni faceremus, nisi diligeremus?*

R. vel dicendum hic *bonum* sumi pro *meritorio* juxta ea, quæ diximus in responsione ad objectionem 2. & 3. vel dicendum, dilectionem hic latiùs sumi pro omni amore recto, quo sensu S. Doctor dilectionem accipit in Psal. 9. num. 15. *Pes animæ rectè vocatur amor, qui, cùm pravus est, vocatur cupiditas aut libido; cùm autem rectus, DILECTIO vel charitas.* Sinè amore autem recto certum est, nihil fieri posse boni, quanquam aliquid boni fieri possit sinè dilectione sumpta pro tertia virtute theologica, ut eam Novatores intelligunt.

IX. Objicitur 5. ex lib. contra Faustum c. 27. *Sola charitate justitia legis impleri potest*; item ex lib. de catechiz. rudibus c. 20. *Legem non implet nisi charitas.*

R. 1. si pro *charitate* substituas *bonam voluntatem* juxta dicta ad Prop. 44. c. 13. num. 9., sensus fiet, ut planus, ita maximè catholicus.

Hæc responsio ferè cum præcedenti coincidit, & plures alios Augustini textus, qui vel hic, vel alibi in præsenti materiâ objecti sunt, vel infra objicientur, facillimè explicat, unde plerumque subintelligenda est, licèt eam, vitando repetitionis fastidio, disertè non exprimamus.

R. 2. cùm finis præcepti sit, nos Deo per charitatem unire, finis ille non attingitur, nec proinde lex, aut justitia legis impletur, id est, perfectionem suam, & plenitudinem non consequitur, nisi Deo per charitatem uniamur: quo non obstante, obedientia quæ legi, etiam absente charitate, præstatur, bona est & hypocrisi vacat. Vide S. Thomam allegatum c. 2. n. 4. & 6.

X. Objicitur 6. lib. 3. contra 2. epistolas Pelagianorum c. 7. „sic eos litera occidit, aut apertè etiam sibi reos, non faciendo quod præcipit; aut putando se facere, quod spirituali, quæ ex Deo est, non faciunt Charitate; ita remanent aut apertè iniqui, aut fallaciter justi.„

R. solutionem patere ex verbis immediatè præcedentibus: *Putant .... se arbitrii sui viribus implere legem jubentem, & ista implicati superbia ad gratiam non convertuntur juvantem*: Itaque *spiritualis charitas* hic est *ipsa gratia juvans*, quæ ibidem etiam vocatur ab Augustino *Spiritus gratiæ*: hoc sensu posito, verissimum est, eos esse fallaciter justos, qui *implicati superbia*, qua Dei nolunt exposcere adjutorium, & sui proprii viribus putant *se ritè facere, quod spirituali, quæ ex Deo est, non faciunt charitate*. An hinc concludas, actum omnem, qui non procedit ex tertia virtute theologica, esse hypocrisim?

XI. Objicitur 7. „quæst. 54. in Deut. *Si forinsecus ea, quæ Deus jubet, manibus fiant, & in corde non fiant, nemo est tam insulsus, qui præcepta arbitretur impleri. In corde*, id est, *ex charitate*, ut ex eodem patet in Psal. 77. num. 10. *Ex corde nullo modo fieri potest, quod formidine fit pœnæ, non dilectione justitiæ.*„

Ita hanc objectionem proponit Latinus Quesnelli vindex in libello cui titulus „Propositionum in Constitutione Unigenitus damnatarum collatio cum quibusdam Sacræ Scripturæ locis ac SS. Patrum testimoniis.„

R. authorem hunc, quem brevitatis causâ *Collatorem* vocabimus, malâ fide suppressisse verba, quæ eadem enarratio in Ps. 77. præmittit textui, qui secundo loco allegatur: illic scilicet negat Augustinus legem operum „sufficere ad justificationem, cùm ea, quæ præcipiuntur, forinsecus fiunt ab eis hominibus, qui mallent non præcipi, quæ non ex corde faciunt; & tamen faciunt, ac per hoc quasi videntur ambulare in lege Dei, sed nolunt ambulare; non enim ex corde faciunt.„ Tum sequitur: „ex corde autem nullo modo fieri potest, quod formidine fit pœnæ, non dilectione justitiæ.„

Igitur hic agit Augustinus de iis, quæ forinsecus fiunt ex formidine pœnæ conjunctâ cum pessima voluntate, quæ mallet præcepta non existere, & non vult ambulare in lege Dei. Talia forinsecus facta sinè dubio nec implent præceptum, nec ex corde fiunt. A contrario verò si formido pœnæ pravam illam voluntatem excludat, ut excludere posse significat Trid. sess. 14. c. 4. tum obedientia, quæ à tali formidine procedet, implebit præceptum, & fiet *in corde*, & *ex corde*, imò etiam ex dilectione justitiæ, licèt nondum dilectæ propter se, sed maximè, propter evitandam pœnam.

Eum, qui ex tali pœnæ formidine Deo obedit, præceptum implere, Probatur ex ipso S. Augustino in enarr. jam citata ad illa verba *Non est creditus cum Deo Spiritus ejus*, ubi ait: *Quando ... cum Spiritu Dei Spiritus hominis cooperatur, tunc quod Deus jussit, IMPLETUR*: subsumo: atqui quando homo ex timore jam dicto, Deo obedit, tunc cum Spiritu Dei spiritus ejus cooperatur; nam talis timor, teste Tridentino l. c. est *donum Dei, & Spiritus Sancti impulsus*, imò apud eumdem S. Doctorem est *magnum .. Dei donum* [vide c. 4. n. 6.] ergo qui ex tali pœnæ formidine Deo obedit, juxta S. Augustinum præceptum implet: adeóque talis obedientia non est hypocrisis, licèt ejus fons non sit charitas, quam exigunt Novatores.

XII. Objicitur denique 8. ex enarratione in Ps. 67. *Per charitatem lex impletur, non per timorem.*

R. 1. cùm finis, plenitudo, & perfectio legis in eo consistat, ut Deo uniamur, & ea conjunctio non fiat per timorem, sed per charitatem, patet, Augustini dictum verissimum esse, & nihil tamen Quesnello prodesse. Vide responsionem ad objectionem 5.

R. secundò distinguendo ultimam partem: lex non impletur, id est, legi non obeditur per timorem conjunctum cum prava voluntate descriptâ num. 11. Esto. Non impletur per timorem, qui talem voluntatem excludit. Nego. Porro obedientiam Deo exhibitam propter timorem ignis æterni, etiam charitatis, sed non perfectæ vocabulo insigniri posse, S. Augustinus satis insinuat l. de S. Virg. c. 38 ita loquens: *Est etiam timor ignis æterni, propter quem Deo servire, nondum est utique perfectæ charitatis.* [XIII.] Timor hic adeò bonus est, & subinde tam efficax, ut Martyres in subeunda pro fide mortis decreto jam quasi titubantes firmarit, & mandatum difficillimum impleri fecerit: ita sanè docet iterum Augustinus in Psalm. 127. circa finem: „Quomodo si videas avem cadere in muscipulam, facis majorem strepitum, & volat de muscipula: sic & Martyrum jam fortè aliqui ipsorum laxabant collum in dulcedinem vitæ hujus: Dominus, qui erat in illis, fecit strepitum gehennarum, & erutus est passer de laqueo venantium.„

Vide præterea quæ ex eodem Augustino retulimus n. 2. pro bonitate timoris, cujus fons minimè est decantata à Jansenianis Charitas.

CAPUT VI.

Cætera ex Patribus objecta dissolvuntur. *Col. 454.*

I. OBjicitur 1. S. Prosper sent. 223. *Plenitudo legis charitas, quia per charitatem lex impletur, non per timorem.*

Respondimus ad hoc c. præcedenti num. 12.

II. Ob-

R. per bona opera intelligenda esse salutaria: quo pacto minimè excluduntur infidelium moraliter bona, vel innoxia.

II. Objicitur 2., quod mirère, Origenes, cui à Jansenio tom. 2. Col. 367. tribuitur *totius Pelagianæ structuræ basis præcipua*. Quid quid sit, verùm Origenis errores à pluribus Patribus reprehensi efficiunt, ut operæ pretium non sit, ejus in præsenti materia sententiam operosiùs explorare, exploratamque refellere, vel tueri.

III. Objicitur 3. Aug. tract. 10. in Joan. num. 1. item in Psal. 31. n. 4.

R. utrobique *opera* quæ ante fidem videntur [imò etiam sunt] *bona*, & *laudabilia*, appellari *inania* in ordine ad meritum vitæ æternæ, quo sensu ipsa fides, teste Apostolo, sinè charitate non prodest. Jure quoque optimo dicit ibidem Augustinus, actiones omnes, quas per fidem intentio non direxerit, esse *præter viam*, id est, aberrare à veræ justitiæ, & felicitatis semitâ.

V. Objicitur 4. Augustinus l. 3. contra duas epistolas Pelagianorum ad Bonifacium c. 5. num. 14. *Sine ipsa* (fide) *etiam quæ videntur bona opera, in peccata vertuntur; omne enim, quod non est ex fide, peccatum est*.

R. completam ad hunc; & alia ejusmodi loca solutionem suppeditari ex Angelico in epist. ad Rom. c. 14 lect. 3. ubi explicans illud Apostoli *OMNE, QUOD NON EST EX FIDE, PECCATUM EST* ait: *ex quo videtur, quòd, sicut dicitur in glossa, omnis vita infidelium peccatum sit .. sed dicendum est, quòd ... in homine infideli cum infidelitate est bonum naturæ, & ideo cùm aliquis infidelis ex dictamine rationis aliquod bonum facit, non referendo ad malum finem, non peccat: non tamen opus ejus est meritorium ... Cùm verò homo infidelis aliquid agit ex eo, quòd infidelis est, manifestum est, quòd peccat: unde in glossa cùm dicitur: OPUS OMNE, QUOD NON EST EX FIDE, PECCATUM EST, sic est intelligendum: Omne quòd est contra fidem, vel contra conscientiam, peccatum est; etsi ex genere suo bonum esse videatur; putà; si Paganus ad honorem suorum Deorum virginitatem servet, vel eleemosynam det, hoc ipso peccat*.

IV. Instabis: S. Augustinus l. 4. contra Julianum. c. 3. num. 30. ita habet: *Si gentilis, inquis, nudum operuerit, nunquid, quia non est ex fide, peccatum est? Prorsus, in quantum non est ex fide, peccatum est; non quia per se ipsum factum, quod est nudum operire, peccatum est, sed de tali opere non in Domino gloriari, solus impius negat esse peccatum*. Similia leguntur ibid. n. 3. & 33.

R. iterùm cum Angelico 2. 2. q. 23. a. 7. ad 1. ,, dicendum, quòd actus alicujus charitate carentis, ... cùm facit aliquid in ordine ad id, per quod charitate caret, ... semper est malus; sicut Augustinus dicit in 4. contra Julianum, quòd actus infidelis, in quantum est infidelis, semper est peccatum; etiamsi nudum operiat, vel quidquid aliud hujusmodi faciat, ORDINANS AD FINEM SUÆ INFIDELITATIS, ,, ut præcedente loco à nobis relato S. Thomas explicuit.

VI. .. VIII. Notandum est ex Card. Aguirre disp. 130. sect. 2. dum S. Augustinus ait, *de tali opere non in Domino gloriari, solus impius negat esse peccatum*, Tò non haud præfigi verbo *gloriari* [ut Novator quidam Belga apud Aguirre loc. temerè præfixit in adducta pro se Augustini sententiâ] sed præponi vocibus *in Domino*: quasi diceretur, *de tali opere gloriari*, id est, laudem appetere, sive gloriam; *non in Domino*; id est, non tribuendam Domino tanquam ejus authori; sed adscribendam sibi, *solus impius negat esse peccatum*. Fieri potest, ut gentilis nudum operiat non intendendo alium finem, quàm honestatem misericordiæ, ita ut indè nullo modo aucupetur laudem hominum sibi tribuendam, nec tamen etiam intendat gloriam Dei, de qua, ut suppono, non cogitat; hic igitur neque in se, neque in Domino gloriabitur, quia non gloriabitur ullo modo, nec proinde faciet contra præceptum Apostoli: *Qui gloriatur, in Domino glorietur*; ubi Apostolus non dicit, *qui bene operatur, in Domino glorietur*; sed, ex hypothesi quòd quis gloriari velit, in Domino gloriari debet. Paucis: ut quis peccet contra doctrinam istam Apostolicam, & Augustinianam, de eo verificari debet hæc propositio: *Talis homo de bono opere gloriatur, & non in Domino gloriatur*: atqui de eo, qui nullo modo gloriatur, ista propositio verificari non potest. Ergo &c. Hinc nullibi dicit S. Augustinus, peccare hominem, de bono opere *non gloriantem*; sed tantùm dicit, peccare de bono opere gloriantem *non in Domino*, quæ duo, ut consideranti perspicuum est, plurimum differunt.

Nihil plus velle S. Augustinum, confirmatur ex iis quæ scribit l. 4. contra Jul. c. 3 num. 21. & 22. ,, Quidquid boni fit ab homine, & non propter hoc fit, propter quod fieri debere, vera sapientia præcipit, etsi officio videatur bonum, ipso NON RECTO FINE peccatum est. Possunt ergo aliqua bona fieri, non bene facientibus à quibus fiunt. Bonum est enim, ut subveniatur homini periclitanti, præsertim innocenti; sed ille, qui hoc facit, si AMANDO GLORIAM HOMINUM MAGIS quàm Dei facit, non bene bonum facit, quia non bonus facit, quod non bona voluntate facit: absit enim, ut sit, vel dicatur voluntas bona, quæ in aliis, vel in se ipsa, non in Domino gloriatur: ,, atqui de eo, qui nudum operit, merè intendendo honestatem misericordiæ, dici non potest, quòd agat ex *non recto fine*, quod hoc faciat *amando gloriam hominum magis, quam Dei*, quod *in aliis, vel in se ipso, non in Domino glorietur*, cùm, ut suppono, non glorietur ullo modo: ergo ejusmodi actio à gentili exercita, & officio bona est, & bona manet sinè ulteriori relatione, nec proinde in objecto Augustini textu dicenda est reprehendi. Quid, quòd talis actio phrasi Augustini Charitas est, quod breviter sic probo ex verbis S. Doctoris in Psal. 9. num. 15. *Pes animæ rectè intelligitur amor; qui, cùm pravus est, vocatur, cupiditas, aut libido; cùm autem rectus, dilectio vel charitas*. Atqui amor honestatis, quæ reperitur in exhibita misericordia, non est *pravus*, non est *cupiditas*, aut *libido*; sed est *rectus*; igitur juxta S. Augustinum vocari debet *dilectio*, vel *charitas*.

IX. .. XI. Objicitur 5. S. Prosper in libro *sententiarum ex Augustini operibus excerptarum* sent. 106. *Omnis infidelium vita peccatum est, nihilque bonum sinè summo bono; ubi enim deest agnitio æternæ, & incommutabilis veritatis, falsa virtus est, etiam in optimis moribus*.

R. hic quadrare quod scribit Bellarm. l. 5. de grat. & lib. arb. c. 11. ,, Damnat rectissimè Augustinus illa opera infidelium, quæ ad malum ab eis referebantur; & quoniam talia erant ferè omnia, quæ ab illis fiebant, ut ipse idem dicit in l. de sp. & lit. c. 27. ideo simpliciter omnia opera infidelium peccata fuisse docet, tribuens omnibus, quod maximæ parti conveniebat. ,,

Cæterùm non aliter intelligendum esse Augustinum, ipse Augustinus testis est. Vide Prop. 38. c. 1. num. 6. Prop. 42. c. 1. n. 2. & Prop. 44. c. 6. à n. 7. ad finem capitis.

Prosperum quoque non omnes damnare infidelium actiones colligitur ex verbis ejus contra Collatorem c. 26. *Naturæ humanæ, cujus creator est Deus, etiam post prævaricationem manet .. sensus & ratio. .. quæ etiam malis vitiosisque non desunt. Sed non in illis veri boni perceptio est, quæ mortalem vitam HONESTARE possunt, æternam conferre non possunt*: quæ cùm recensuisset Bellarm. l. 5. de gr. & lib. arb. c. 9. ita subjicit: *Nota illud HONESTARE: non enim peccata, sed solæ virtutes vitam nostram honestare possunt*.

XII. Quæ præterea sive ex Prospero c. 7. ad Rufinum, sive ex Hieronymo, Bernardo &c. opponuntur, nihil continent, quod in præcedentibus solutum non sit.

§. II.

§. II.

Altera authoritatum classis, ex quibus probare conantur adversarii, nihil nos esse, nisi tenebras &c. sinè charitate.

XIII. Objicitur 6. Augustinus lib. 1. operis imp. c. 107. *Ab hac necessitate servitutis ille liberat, qui non solùm dat præcepta per legem; verùm etiam donat per Spiritum charitatem, cujus delectatione vincatur delectatio peccati; alioquin perseverat invicta.*

R. per charitatem hic intelligi bonam voluntatem ex gratia Spiritûs Sancti vide Prop. 44. c. 13. num. 9. Certum siquidem est, delectationem peccati non tantùm charitate, quæ est, tertia virtus theologica, sed etiam terrore supplicii, & præmiorum spe superari posse, ut ex luculentissimis Augustini testimoniis demonstratum est Prop. 44. c. 7. à num. 1. usque ad 7.

XIV. Objicitur 7. Augustinus lib. de sp. & lit. c. 14. *Non fructus est bonus, qui de charitatis radice non surgit.*

R. vel per charitatem iterum omnem bonam voluntatem designari phrasi S. Doctori non rarò usitatâ; vel si charitatem accipiat pro tertia virtute theologica, tum per *fructum bonum* intelligi debere vitæ æternæ meritorium, qui non nisi ex radice charitatis propriè dictæ, saltèm habitualis, exurgit.

Objicitur 8. locus Augustini ex lib. de gra. & lib. arbitrio c. 18., ad quem respondimus Prop. 47. c. 5. n. 5.

XV. ... XVII. Objicitur 8. Augustinus l. 2. de pecc. mer. & rem. c. 18. *Quis ... dubitet, voluntatem nullo modo justitiam diligentem, non modò esse malam, sed etiam pessimam voluntatem.*

Ex hac objectione, cui abunde satisfecimus Prop. 44. c. 13. num. 3., magis magisque se aperit adversariorum sententia. Nam cùm per dilectionem justitiæ, amorem intelligant justitiæ increatæ propter se seu benevolum (alioqui enim Augustini textum ineptissimè producerent, ad probandum, nos non esse nisi peccatum sinè CHARITATE) sequitur, voluntatem, quoties actiones ejus ex tali amore non procedunt, *non modò esse malam, sed etiam PESSIMAM*; undè ultro fluit, hæc Baji 20. *Nullum est peccatum ex natura sua veniale, sed omne peccatum meretur pœnam æternam.*

Hæc tamen, & pluras aliæ ex eodem errore consecutiones, tellatissima quoque Scripturarum, Patrum, Conciliorum, & Scholasticorum authoritas errori manifestè opposita, quam longa serie produximus ad Propos. 35. &c. 42. 44. &c. nihil deterruerunt nuperum *Collatorem* ab hac audacissima in præsentem Quesnelli articulum *observatione*: „Verissimum est, quod non
„ aliud simus, quàm tenebræ, quàm aberratio, & pec-
„ catum sinè charitate; si charitatem cum Augustino
„ latè sumas pro quolibet motu animi ad fruendum Deo
„ propter ipsum: nam nec fides, si modò vera sit, & di-
„ stincta à fide Dæmonum, tali motu caret; quippe
„ pio affectu in Divinam fertur veritatem, qui fidem
„ habet Christianam, etiam informem; atqui sinè fide,
„ saltèm inchoata, nil esse possumus nisi tenebræ, aber-
„ ratio, & peccatum, ut ad hanc ipsam Propositionem
„ vidimus sat fusè ex Patribus.„ Huic vanissimæ observationi

Respondeo imprimis, nihil ex Patribus adductum esse, quod non facillimè cum Ecclesiæ doctrina concilietur, ut patuit ex perspicua objectorum locorum solutione: Scripturas verò, Patres, & Pontificum definitiones quasdam Infidelium opera à peccato eximentes dedimus partim hic c. 2. num. 6. & 2., partim ad Prop. 42. c. 1. & locis aliis ibidem indicatis.

Respondeo præterea, recurrendum non esse ad Augustinum, ut discamus, quid *charitas* Quesnello significet: Vox enim ipsa longo Theologorum, & Asceticorum usu; Scriptoris, materiæ, & tot aliarum Propositionum circumstantiis optima sui interpres est: nec visu dignus sit, qui eam ad aliam, quàm virtutis inter Theologicas tertiæ significationem detorqueat. Et nonne juxta Prop. 44. sinè amore Dei, *qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur*, omnis actio, & volitio mala pronuntiatur? Talis amor non tam justificat, quàm justificationem supponit [Adi citatam Prop. c. 1.] unde sequitur, actum Christianæ fidei nunquam à justificatione dividi, nunquam esse informem. Et quid sibi vult Propositio 51. *Fides justificat, quando operatur; sed ipsa non operatur, nisi per charitatem*? An & hic *charitas* latè accipitur? An fortè apud Collatorem latè dicta justificat? Denique ostendat vitilitigator ineptissimus, qui fieri possit, ut peccator fidem eliciat divinam simul, & informem, si per Prop. 28. *Prima gratia, quam Deus concedit peccatori, sit peccatorum remissio*, & rursum per Prop. 27. *Fides sit prima gratia*? (Vide Prop. 5. c. 3. n. 4.)

Quam charitatem intelligat Augustinus, dum eam definit *motum animi ad fruendum Deo propter ipsum*, colligi potest ex dictis ad Prop. 44. c. 13 n. 17.

QUADRAGESIMA NONA PROPOSITIO DAMNATA.

Ut nullum peccatum est sinè amore nostri; ita nullum est opus bonum sinè amore Dei *Observ. Moral. in Marci 7. v. 23.*

CAPUT UNICUM.

Propositio damnata convellitur. Col. 496.

I. SAnctus Thomas 1. 2. q. 77. a. 4. quærens, *utrum amor sui sit principium omnis peccati*, in argumento *sed contra* concludit: *ergo amor sui est causa omnis peccati*: quod in resolutione distinctiùs explicat dicendo: *inordinatus amor sui est causa omnis peccati*; tum ad 1. respondet: *amor sui ordinatus est debitus, & naturalis.* Huic Angelici distinctioni inter amorem sui ordinatum, & inordinatum præsens Propositio 49. quoad primam sui partem adversa non est; si enim *inordinatus amor sui est causa omnis peccati*, ergo *nullum est peccatum sinè amore nostri*.

Verùm altera Propositionis pars eamdem distinctionem evertit: nam si *nullum est opus bonum sinè amore Dei*, oportet, ut omnis amor sui, ibi sistendo, malus sit, sive inordinatus; amorem enim, qui inter bonum, malumque sit medius, excludunt Propositiones 39. 40. 46. 48., & denique 44., quæ ab hac 49. re ipsa non differt, dum volitionem omnem, quæ non est *amor Dei*, tradacit, ut vitiosum amorem sui, & mundi.

VIII. Quis autem amor Dei sit, sinè quo *nullum est opus bonum*, declarat eadem Propositio 44.; ille scilicet, *qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur*; hoc est, amor cujus ultima agendi ratio semper, & in omnibus Deus est: quo quid aliud significatur, quàm amor super omnia benevolus, & ita in nobis *dominans*, ut nihil nisi ex ejus impulsu agamus?

II. Verùm licèt utraque Propositio (44. & 49.) intelligatur de amore Dei benevolo inferioris notæ, qualem ad fidei &c. bonitatem requirit Jansenius l. 5. de grat. Christi c. 7. neutra propterea vacaret flagitio. Qui enim agit ex spe mercedis, aut ex amore sui, agit ex amore non benevolo, sed concupiscentiæ: hanc tamen agendi rationem commendat nobis exemplo suo Psaltes Regius Psal. 118. *Inclinavi cor meum Deus ad faciendas justificationes tuas in æternum PROPTER RETRIBUTIONEM.* Eodem exemplo præivit nobis Moses, de quo ad Heb. 11. v. 25. legitur: *Majores divitias æstimans thesauro Ægyptiorum improperium Christi: ASPICIEBAT ENIM IN REMUNERATOREM.* Rursum coronæ immortalis spem, ut acrem ad virtutem stimulum, proponit Apostolus 1. Cor. 9. v. 25. *Omnis ... qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet; & illi quidem, ut corru-*

ruptibilem coronam accipiant; NOS AUTEM INCORRUPTAM.

VI. VII. Apostolum imitatur S. Augustinus Serm.25. aliàs de diversis 19. num.7. *Cùm Christus apparuerit vita vestra, tunc & vos cum ipso apparebitis in gloria. Ecce dies boni; ipsos desideremus: propter hoc vivamus, propter hoc oremus, propter hoc eleemosynas demus.* Basilius in admon. ad filium Spirit. *semper cor tuum promissa cœlestia meditetur, ut ipsa te ad virtutis aium provocent.*

S. Laur. Justin. in *Fasciculo amoris* c.17. ante finem: *Proponit Deus spiritualem, cœlestemque mercedem, ut CONCUPISCENTIAM valeat excitare pugnantis: gloriæ coronam tenet in manibus, ut robur perseverantiæ conferat bellaturis.*

Talia etiam patientiæ incitamenta Martyribus subjicit S. Cyprianus l. de exhortatione Martyrii c. ult. *Hæc oportet mente, & cogitatione complecti; hæc die ac nocte meditari: si talem persecutio invenerit Dei militem, vinci non potest VIRTUS AD PRÆMIUM PROMPTA.*

S. Thomas opusculo de dilectione c.22. *Voluntate Deum diligit dilectione concupiscentiæ, cùm ipsum ait: hæc est bona voluntas: imò optima, quæ vult summum bonum.* Bona ergo, imò *optima* in se est dilectio sanctæ concupiscentiæ; nec bonitas ejus pendet à societate amoris benevoli. Id ipsum luculenter confirmat suavissimus amoris Magister S. Franc. Salesius l.2. de amore Dei c.17. cui titulus: *Quod amor spei sit valde bonus*: De eo autem sic differit: *Amor, quem in spe exercemus Theotime, tendit quidem in Deum, sed ad nos revertitur; spectat Divinam bonitatem, sed cum respectu ad nostram utilitatem: tendit ad supremam perfectionem, sed respicit nostram satisfactionem, id est, non transfert nos in Deum, quà Deus in semetipso summè bonus est, sed quà summè bonus est nobis: amor igitur ille, quem vocamus spem, est amor concupiscentiæ; sed concupiscentiæ sanctæ, & bene ordinatæ.*

IV. Apostolus 1.Cor.13. v.13. *Nunc autem manent fides, spes, charitas, tria hæc; major autem horum est charitas.* Si Quesnellum audias, charitas non inter virtutes major, sed sola est; cætera sinè hâc mutantur in vitia: unde sequitur, fide, divinæ justitiæ timore, conversione ad Dei misericordiam, spe veniæ &c. peccatores non ad justitiam disponi, non ad Dei dilectionem manuduci, sed ab utraque magis, magisque averti totidem peccatorum commissione, quot sunt actus sinè amore Dei eliciti; quo asserto palam conculcatur sacrata Tridentini authoritas sess.6. c.6.

De utilitate, & bonitate timoris Dei, etiam sejunctâ charitate, vide Patrum testimonia relata ad Prop.44. c.5. n.2.3.4. c.6. num.1. & 2. & c.8.

Præsens Quesnelli articulus trahit evidenter secum Bajanam 25. *omnia opera infidelium sunt peccata, & Philosophorum virtutes sunt vitia*: item 27. *liberum arbitrium sinè gratiæ Dei adjutorio non nisi ad peccandum valet.* Neque enim concedet Quesnellus, timorem Dei, quem ad actionis bonitatem exigit, posse citra gratiæ auxilium exerceri, quandoquidem per Prop.40. *sinè gratia nihil amare possumus nisi ad nostram condemnationem.*

III. Uterque hic Baji, & Quesnelli error supra ad Prop.38. 39. &c. multiplici authoritate contritus est.

V. IX. X. Cætera dogmata à Tridentino, & Pontificibus confixa, quæque cum hac damnata Quesnelli Propositione connectuntur, deduximus ad Prop.44. c.3. & 4.

QUINQUAGESIMA PROPOSITIO DAMNATA.

Frustrà clamamus ad Deum, Pater mi, si Spiritus charitatis non est ille, qui clamat. *Observ. Moral. Rom.8. v.15.*

CAPUT I.

Fundamentum Propositionis alteratio Scripturæ. Col.506.

I. INdicatum Apostoli locum opportunum credidit Quesnellus erroneo dogmati stabiliendo, modò eum levi in speciem alteratione violaret. Apostolus ait: „ Non enim accepistis spiritum servitutis iterum „ in timore; sed accepistis spiritum adoptionis filio„ rum in quo clamamus: Abba (Pater.) „ ubi integrum est, referre Tò *iterum* ad Tò *accepistis*; quo posito, intelligitur, Judæos olim spiritum servitutis accepisse ab eo ipso, à quo postmodum acceperunt spiritum adoptionis. Quesnellus, versione suâ sensum illum Apostolici textus suppressit, aut sustulit; sic enim habet: „ Aussi vous n'avez point reçu l'esprit „ de servitude, pour vous conduire encore par la cra„ inte; mais vous avez reçu l'esprit d'adoption des en„ fans, par lequel nous crions, mon Pere, mon Pere, „ quæ latinè ita sonant: „ Non enim accepistis spiri„ tum servitutis, ut iterum vivatis ex timore; sed ac„ cepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clama„ mus, Pater mi, Pater mi: „ ubi quidem innuatur, Judæos priùs timore ductos fuisse; at omnino tacetur, eos à Deo spiritum timoris accepisse, quod tamen juxta probatissimos interpretes tum veteres, tum recentiores ibidem ab Apostolo significatur: Hinc Sanctus Thomas textum exponit, ut sequitur: „ Non „ enim iterum in nova lege, sicut in veteri lege fuit, „ accepistis spiritum servitutis in timore, scilicet pœ„ narum, quem timorem Spiritus Sanctus faciebat: sed „ accepistis spiritum, scilicet charitatis, qui est ado„ ptionis filiorum... Non autem hoc dicitur, quasi „ sit alius, & alius spiritus; sed quia idem est spiritus, „ scilicet qui in quibusdam facit timorem servilem, qua„ si imperfectum; in aliis facit amorem, quasi quod„ dam perfectum. „ Interpretationi Angelici planè inhæret Bellarminus l.2. de Pœnit. c.17. cui titulus: *Contritionem imperfectam, sive attritionem ex timore pœnarum ortum, bonum atque utilem esse*, ubi contra Lutherum sic arguit. „ Eadem scriptura timorem „ istum à Deo inspirari tam operosè doceat, ut nimis „ magna temeritas videri debeat, si quis eum adhuc „ damnare voluerit. Rom.8. *Non accepistis Spiritum* „ *servitutis iterum in timore; sed accepistis spiritum ado*„ *ptionis filiorum &c.* quo loco B. Apostolus docet, in „ testamento veteri datum à Deo spiritum servitutis, „ quo timeretur, quemadmodum in Testamento novo „ dedit spiritum adoptionis, quo diligeretur. „ In eamdem explicationem cæteri ferè, etiam Patres conspirant; ut Chrysostomus, Theodoretus, Anselmus, Origenes &c. Et clarissimè Augustin. q.55. super Exodum, ubi ait: „ Non arbitror, alium, quàm eumdem spi„ ritum significari, ubi dicit Apostolus: *Non accepistis* „ *Spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spi*„ *ritum adoptionis, in quo clamamus Abba, Pater*; quia „ eodem spiritu Dei, id est, digito Dei, quo lex in „ tabulis lapideis conscripta est, timor incussus est eis „ Quid disertius? Verùm talis interpretatio Quesnello incommodabat, cui deliberatum erat, spiritum omnem, præterquam charitatis, ab utili ad Deum clamore excludere. Quo loco apud Novatorem sit timor pœnarum, & proinde actio à tali metu profecta, patet ex Prop. ejus 66. ubi eum ad brutales passiones, & bestiarum instinctum relegat. Hinc ad Matth.10. v.28. [*Nolite timere eos &c.*] sic annotat: Debemus *timere NON INFERNUM; sed illum, qui istic punit eos, qui ipsum adeò non amarant super omnia, ut levissimæ reculæ postposuerint*: quo satis indicat, timore tantùm filiali timendum esse Deum, *qui* punit; non verò eum rectè timeri timore servili, *quatenus* punit: rationem continet Propositio 67. *Timor servilis non sibi repræsentat Deum, nisi ut Dominum durum, imperiosum, injustum, intractabilem.*

II. Sed misso fanatico Augustini Discipulo, auscultemus mo-

nitis Sapientissimi Magistri serm. 161. aliàs 18. de verbis Apost. num. 8. ubi sic quærit: „Libidine cùm victus habes consentientem, quare non committis adulterium? Et respondebis, quia timeo gehennam, timeo supplicium ignis æterni, timeo judicium Christi, timeo societatem Diaboli, ne puniar ab illo, & cum illo ardeam. Quid dicturus sum? malè times, quomodo tibi dicebam de Adversario, quia quærebat corpus tuum occidere? Ibi enim rectè dicebam, malè times; securum te fecit Dominus tuus, dicens, *Nolite timere eos, qui corpus occidunt*. Modò cùm dicis mihi, gehennam timeo, ardere timeo, in æternum puniri timeo, quid dicturus sum? Malè times? Vanè times? Non audeo; quandoquidem ipse Dominus ablato timore, subjecit timorem; & ait, ubi dixit, *Nolite timere eos, qui corpus occidunt, & postea non habent, quid faciant: sed eum timete, qui habet potestatem, & corpus, & animam occidere in gehennam ignis; ita dico vobis, hunc timete*. Cùm ergo Dominus timorem incusserit, & vehementer incusserit, & repetendo verbum, comminationem geminaverit, dicturus ego sum, malè times? Ista non dicam. Planè time, nihil meliùs times; nihil est, quod magis timere debeas.„

Dices 1. nonnullos alios translatores gallicos, etiam apprimè catholicos, in memorato Apostoli textu referre Tò *iterum* ad Tò *in timore*, sive, ut græcus habet, *in timorem*; non item ad Tò *accepistis*. 2. Vi latinæ, & græcæ sententiæ liberum esse, ad utramvis referre; imò naturaliùs referri ad secundum, quàm ad primum, à quo nempe adverbium *iterum* longiusculè removetur.

R. ad 1. eos bona fide excusari; minimè verò Quesnellum, qui infidam illam versionem pestilenti errorum suorum lucro apposuit.

R. ad 2. ambiguitatem, si quæ est in verbis Apostoli, non tollendam fuisse privati interpretis arbitratu; sed insistendum fuisse sapientissimo Tridentini *Decreto de editione, & usu sacrorum librorum*, ubi inter alia decernit, ut „nemo, suæ prudentiæ innixus, in rebus fidei, & morum ad ædificationem doctrinæ Christianæ pertinentium, sacram Scripturam ad suos sensus contorquens, contra eum sensum, quem tenuit, & tenet sancta mater Ecclesia ... aut etiam contra unanimem consensum Patrum, ipsam Scripturam sacram interpretari audeat.“

Denique sic saltèm temperanda erat versio gallica, ut, quemadmodum in græco, & latino, ita & in gallico textu liberum esset adverbium *iterum* ad alterutrum referre: ac propterea translationem gallicam, quam Theologi Lovanienses Genevensi opposuêre, cæteris præferendam judico, ut magis sinceram, & Apostolico textui exactè respondentem: sic autem vertit: „Car vous n'avez point reçû un esprit de servitude derechef en crainte; ains vous avez reçû l'esprit d'adoption des enfans de Dieu, par le quel nous crions, Abba, Pere.„

CAPUT II.

Propositio à centum Galliæ Episcopis impugnata adversatur SS. Scripturis. Col. 510.

I. CRedimus, & confitemur, Spiritum Sanctum esse Spiritum Charitatis, & salutares preces non nisi à sanctâ ejus inspiratione descendere. Verùm nec Quesnellus in sua *Querela, & Protestatione*, nec ejus defensores in *Hexaplis*, & *Collatione* intrà hos catholici dogmatis fines se continent: omnem scilicet orationem irritam statuunt, quæ non à Spiritu Charitatis, hoc est, ipsa, saltèm actuali, charitate effunditur. Id ipsum rotundè enuntiat Quesnelliana 54. *Sola charitas est, quæ Deo loquitur; eam solam Deus audit*. Nec verò aliud Quesnellum sentire patitur Propositio ejus 44. & 45., ubi omnis actio, & per consequens oratio, non modò frustranea, sed mala, & corrupta pronuntiatur, nisi procedat ex amore Dei in corde regnante, & omnia agente propter Deum, quemque Deus remuneratur.

Quesnelli sensus non parum etiam lucis accipit ex hac ejus observatione ad Philip. 2. v. 10. *Frustrà genu flectitur, nisi id fiat ex amore filiali, & religioso, ut fit in cælo*: an clariùs significari potest, amorem planè perfectum ad ullum religionis actum requiri? Quòd verò per Tò *frustrà* intelligat *peccaminosè*, & quidem graviter, dubitare non sinit hæc altera ejus observatio in Jacobi 3. v. 9. *Deo horrori sunt laudes, quas charitas ei non offert*.

II. Sapientissimè observant 40. Galliæ Antistites in documento pastorali Anni 1714. quod deinde 60. ejusdem regni Episcopi adoptarunt, & hac de causa *centum Galliæ Episcoporum documentum* vocabimus, „apertum hic esse abusum Apostolici textûs, cùm dicitur: Frustra clamamus ad Deum, Pater mi, si Spiritus Charitatis non est ille, qui clamat. Paulus in ep. ad Rom. c. 8. Accepistis, inquit, Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba, Pater; sed non dicit, Deum frustrà clamoribus solicitari, quando charitatis spiritu non rogatur. Clamat etiam ad Deum fides; clamat, & spes, sed inferiore perfectionis gradu, quàm charitas: voces fidei, & spei obtinent à Deo gratiæ subsidia, quibus via sternitur ad charitatem.„

III. Fidem, etiam charitate destitutam, esse ad impetrandum efficacem, probant sequentia testimonia. S. Augustinus lib. de Sp. & lit. c. 32. *Unde ista ... dilectio, id est, charitas, per quam fides operatur, nisi unde illam fides ipsa impetravit?* Ibid. c. 30. *Per fidem impetratio gratiæ contra peccatum, per gratiam sanatio animæ à vitio peccati; per animæ sanitatem ... justitiæ dilectio*. l. de Præd. Sanctorum c. 7. *Fides prima datur, ex qua cætera* [adeòque, & charitas] *impetrantur*. Vide etiam infra c. 4. n. 1. & c. 6. n. 1. ... 4.

IV. S. Thomas 2. 2. q. 83. a. 16. ad 2. *Peccator*, inquit, *non potest piè orare, quasi ejus oratio ex habitu virtutis informetur; potest tamen ejus oratio esse pia, quantùm ad hoc, quòd petit aliquid ad pietatem pertinens; sicut ille, qui non habet habitum justitiæ, potest aliquid justum velle; &, quamvis ejus oratio non sit meritoria, potest tamen esse IMPETRATIVA; quia meritum innititur justitiæ, impetratio gratiæ*.

V. ... VIII. Et verò nisi ea sit peccatoris conditio, ut etiam citra Spiritum charitatis impetrare possit, cur omnes homines indiscriminatim tam sedulò, tam frequenter invitat Divina bonitas: *Petite, & dabitur vobis; pulsate, & aperietur: Si quis vestrum indiget sapientia, postulet à Deo: Dabit* Deus *Spiritum bonum petentibus se &c.*? Quesnellus petitioni, & pulsationi prærequirit Spiritum bonum, & sapientiam: Quis enim neget, *amorem Dei in corde regnantem, omnia agentem propter Deum, & quem Deus remuneratur*, esse spiritum bonum, imò optimum, & ipsissimam sapientiam?

Quis credat, omnes eos cæcos, claudos, lunaticos &c. qui Christum, ubi conspicuus inter nos versabatur, de sanitate, nec umquam frustrà, interpellarunt, clamasse ad eum ex spiritu charitatis? Subinde quidem Christus fidem, ubi deerat, requisivit; ubi magna aderat, laudavit; at requisisse, vel commendasse dilectionem, ut impetrando beneficio necessariam, non legitur.

IX. X. Filius Prodigus Lucæ 15. cùm decrevisset ire ad Patrem, dicere *Pater peccavi in cœlum, & coram te &c.* ob hoc propositum ex consideratione propriæ egestatis ortum, *cùm ... adhuc longè esset*, (longè non est in cujus *corde regnat amor, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur*) *vidit illum Pater ipsius, & misericordia motus est, & accurrens cecidit super collum ejus, & osculatus est eum* in argumentum pacis, & amicitiæ: ergo non frustrà clamamus ad Deum Pater mi, licèt spiritus charitatis non sit ille, qui clamat.

INDEX CAPITUM

CAPUT III.

Damnata Propositio contraria est doctrinæ Conciliorum, & pridem editis à Sede Apostolica definitionibus. Col. 519.

I.... IV. Concilium Remense cap.2. tradit, *Non licere homini Christiano Dominicam orationem aut non retinere memoria, aut non intelligere, aut non frequentare*: nullus, ut patet, Christianus excipitur: omnis, sive peccator, sive justus, tenetur, ex mente hujus Concilii, orationem illam retinere memoriâ, intelligere, & frequentare. Quesnellus ex adverso docet, non priùs licere dicere *Pater noster* .. .. *dimitte nobis debita nostra*, quàm hæc spiritu charitatis abolita sint, quia 1. Petri 4. *Charitas operit multitudinem peccatorum*.

V. Sacra Tridentina Synodus sess.6. cap.11. ita definit: *Deus impossibilia non jubet; sed jubendo monet, & facere quod possis, & petere quod non possis, & adjuvat ut possis.* Deus itaque, teste Tridentino, monet omnes, & singulos tam peccatores, quàm justos, & facere quod possint, & petere quod non possint: Quesnellus à petendo abstineret peccatores omnes, ipsosque justos, quandocunque in eis non clamat Spiritus Charitatis, quæ nisi ita in corde regnet, ut omnia agat propter Deum, eamque Deus remuneretur, preces, & actiones omnes corrumpuntur per Prop.44. & 45.

VI. Ex eadem Quesnelli doctrinâ plures alii sequuntur damnati ab Alex. VIII. articuli, ut hic 15. inter 31. *Attritio, quæ gehennæ, & pœnarum metu concipitur, sinè dilectione benevolentiæ Dei propter se, non est bonus motus, ac supernaturalis*: ergo ab opposito; clamor attritionis, licèt non sit à Spiritu Charitatis, seu *dilectionis benevolentiæ Dei propter se*, est bonus, est supernaturalis, ac proinde potest esse impetrativus; quia, ut docet Angelicus relatus supra c.2. num.4. *impetratio innititur gratiæ &c.*

CAPUT IV.

Damnata Propositio opponitur doctrinæ Ecclesiæ, imprimis SS. Augustini, & Thomæ. Col. 526.

I. Sanctus Augustinus lib. de nat. & gr. c.22. nè excæcato quidem peccatori teneritudinem orationis subtrahit: verba ejus sunt: *Nec cogitat* [Pelagius] *prævaricatorem legis quàm dignè lux deserat veritatis; quo desertus utique fit cæcus, & plus necesse est offendat, & cadendo vexetur, vexatusque non surgat; ut ideo tantùm audiat vocem legis, quò admoneatur IMPLORARE GRATIAM Salvatoris.* Nemo facilè peccatori illi Spiritum charitatis affinxerit: & tamen *admonetur implorare gratiam Salvatoris*; ergo adest gratia, quâ alterius adjutorium imploret; Deus enim in lege *impossibilia non jubet*, aut monet, ut docet Trid sess.6. cap.11. Repugnat etiam Divinæ bonitati, & sapientiæ, hortari ad inutilia, & frustranea: ergo à primo ad ultimum talis peccatoris clamor non erit frustrà, licèt *spiritus charitatis non sit ille, qui in eo clamat*. Plura ex Augustino habes c.2. n.3. & c.6. n.1. ... 4.

II. Eidem doctrinæ consentire Angelicum, supra c.2. num 4. ostendimus ex 2. 2. q.83. a.16. ad 2. Ibidem in *Corpore* præmiserat: „ In peccatore duo sunt con-
„ sideranda, scilicet natura, quam [Deus] diligit, &
„ culpa, quam odit .. . ORATIONEM PECCATO-
„ RIS ex bono naturæ desiderio procedentem DEUS
„ AUDIT, non quasi ex justitia; quia peccator non
„ meretur, sed ex pura misericordia. „ Ergo peccator orare potest, sicut oportet, & impetrare; modò, ut ait S. Thomas l.c. , *pro se petat necessaria ad salutem, piè, & perseveranter*.

III. IV. In eamdem doctrinam conspirant Patres, & Doctores Catholici. Vide etiam dicenda ad Prop.59. c.5. num.5., 6.

CAPUT V.

Diluuntur objectiones desumptæ ex Scripturis. Col. 530.

I. Objicitur 1. à Quesnello, & latino *Collatore* illud Apostoli Rom.8. v.15. *Non enim accepistis Spiritum servitutis iterum in timore; sed accepistis Spiritum adoptionis, in quo clamamus Abba, Pater.*

R. primò, ex hoc loco iterum manifestè colligi, Spiritum charitatis, quem Quesnellus requirit, ut non frustrà clametur *Abba Pater*, esse Spiritum charitatis vel justificantis, vel justitiam supponentis; alterutrum enim sinè controversia significat *Spiritus adoptionis*; unde S. Thomas hic: *Accepistis Spiritum, scilicet charitatis, qui est adoptionis FILIORUM*, adeòque justorum.

R. secundò, ex eo, quòd in spiritu adoptionis non frustrà clametur *Abba Pater*, minimè consequi, ut in Spiritu fidei, spei &c. charitate destitutæ frustrà clametur: ergo objectus locus non pertinet ad institutum.

II. R. tertiò cum S. Thoma in hunc locum lect.3. „ Non
„ hoc dicitur, quasi sit alius, & alius Spiritus; sed quia
„ idem est Spiritus; scilicet qui in quibusdam facit ti-
„ morem servilem, quasi imperfectum; in aliis facit
„ amorem, quasi quoddam perfectum. „ Ergo cùm uterque timor sit à Spiritu Sancto, potest in utroque non frustrà orari; imò etiam clamari *Abba Pater*; neque hoc negat Apostolus; sed tantùm significat, per *Spiritum adoptionis*, qui legi novæ proprius est, longè potiori titulo, & perfectiori, ac nobiliori modo Deum vocari *Patrem*, quàm per Spiritum timoris, qui proprius erat legi veteri; quæ, ut ibid. præmittit Angelicus, *per inflictionem pœnarum inductus ad mandata Dei servanda, data est in Spiritu servitutis.* Vide c.1.

Porrò, sicut aliqui in lege veteri per quamdam legis novæ participationem agebantur Spiritu adoptionis; ita è contrario in lege nova, non pauci ducuntur Spiritu *servitutis in timore*: Unde Augustinus l. de grat. & lib. arb. c.18. num.39. ad illa 2. Tim.1. v.7. Apostoli verba: *Non enim dedit nobis Deus Spiritum timoris* sic monet: „ In quo sanè Apostoli testimonio
„ cavere debemus, nè nos arbitremur, non accepisse
„ Spiritum timoris Dei, quod sinè dubio MAGNUM
„ est DEI DONUM: .. non quo timore Petrus Chri-
„ stum negavit; sed illius timoris Spiritum accepimus,
„ de quo dicit ipse Christus: Eum timere, qui habet
„ potestatem, & animam, & corpus perdere in gehen-
„ nam: Ita, dico vobis, hunc timete: „ Cur igitur tum in veteri, tum in nova lege oratio, etiam à peccatore concepta ex salutari illo timore, & *magno Dei dono*, non possit esse impetrativa; si quidem juxta Angelicum laudatum c.2. num.4. *meritum innititur justitiæ, impetratio gratiæ?*

III.... V. Objicitur 2. aliud Apostoli testimonium 1. Cor.13. v.1. *Si linguis hominum loquor, & Angelorum; charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens.*

R. cum S. Thoma: „ Apostolus ... hic agit de charita-
„ te, quæ inseparabiliter comitatur gratiam gratum fa-
„ cientem „ (hinc iterum constat, cujus charitatis spiritum ad fructuosam orationem requirant adversarii)
„ & ... ostendit præcellentiam charitatis ad cætera
„ gratuita dona ... Rectè ergo comparat loquelam cha-
„ ritate carentem sono rei mortuæ, scilicet æris, aut
„ cymbali, quod, licèt clarum sonum reddat; non tamen
„ est vivus; sed mortuus: ita etiam locutio hominis
„ charitate carentis, quantumcunque sit diserta, tamen
„ habetur pro mortua; QUIA NON PROFICIT AD
„ MERITUM VITÆ ÆTERNÆ. „ Id ipsum omnes dicimus, & addimus, prædicationem fidei, quæ hic per *locutionem* ab Apostolo designatur, & quamcun-

que

que aliam locutionem bonam ex fide, & gratiâ, licèt non proficiat ad meritum vitæ æternæ, posse tamen conferre, ad aliquid impetrandum; quia videlicet *meritum innititur justitiæ, impetratio gratiæ*, ut ex eodem Angelico vidimus.

CAPUT VI.

Argumenta Adversariorum reliqua dissolvuntur. Col.536.

I... IV. Opponitur 1. S. Augustinus serm.71. aliàs 11. de Verbis Domini num.29. „ Apo-
„ stolus dicit: *Misit Deus Spiritum filii sui in corda no-*
„ *stra clamantem Abba Pater*; hoc est, clamare facien-
„ tem; nos enim clamamus; sed in illo, id est, ipso
„ diffundente charitatem in cordibus nostris, sinè quo
„ inaniter clamat, quicumque clamat.

Per charitatem, quam diffundit Spiritus Sanctus in cordibus nostris, intelligi solet, & intelligitur à Tridentino sess.6. c.7. inhærens, seu infusa, & habitualis. Præterea locus Apostoli, quem hìc allegat Augustinus, etiam agit de Spiritu filiorum, & adoptionis; sic enim habet: *Quoniam autem estis filii, misit Deus Spiritum filii sui in corda vestra, clamantem Abba Pater*.

Jam ex Quesnello quæro, an existimet, omnes, exceptis Dei filiis, seu justis, clamare inaniter? Id, opinor, quantum ex ejus *Querela*, & *protestatione* colligo, apertè fateri detrectabit; licèt alioqui cum principiis ejus necessariò connectatur: Si enim per Prop.27. *prima gratia sit fides*, & rursum per Propos.28. *prima gratia, quam Deus concedit peccatori, sit peccatorum remissio*; certè clamor salutiferæ orationis quâ necessitate præsupponit fidem, eâdem præsupponit justitiam: & sic omnes, præter justos, clamabunt inaniter: Verùm quantùm id Novatoris sententiæ consentit, tantùm ab Augustini mente, sensuque discordat.

Audiamus S. Doctorem serm.61. aliàs 5. de verbis Domini n.3. *Non... facit hominem bonum, nisi ille, qui semper est bonus: ergo UT SIS BONUS, DEUM INVOCA... Hoc est bonum, hoc est bonum, unde bonus es, justitia.* Tum n.4 *Ego, inquis, non erogo pecuniam, quia non habeo justitiam; habeam vel pecuniam. Ergo quia non habes justitiam, ideo non vis erogare pecuniam? Magis EROGA PECUNIAM, UT HABEAS JUSTITIAM. A quo enim habebis justitiam, nisi à Deo fonte justitiæ? Ergo SI VIS HABERE JUSTITIAM, ESTO MENDICUS DEI, qui te paulò ante ex Evangelio, ut peteres, quæreres, pulsares monebat. Mendicum suum sciebat, & ecce Pater-Familias, & magnus Dives, divitiarum scilicet spiritualium, & æternarum, hortatur, & dicit tibi: pete, quære, pulsa: qui petit accipit: quærens invenit: pulsanti aperietur. HORTATUR UT PETAS, NEGABIT QUOD PETIS?*

Itaque, Augustino teste, qui non est bonus, debet invocare Deum, ut fiat per justitiam bonus: Qui non habet justitiam, debet erogare pecuniam, ut habeat justitiam: Qui vult habere justitiam, debet esse mendicus Dei; nec inaniter erit: Quare? Deus *hortatur ut petas, negabit quod petis?* Hic nulla ad impetrandum requiritur charitas, non tantùm habitualis, quâ indubiè caret, qui non habet justitiam; sed nec actualis, qualem postulat Quesnellus; scilicet *quæ omnia agit propter Deum, quamque Deus remuneratur* per Propos.44. &c.

Jam ad objectum ex Augustino locum

R. sub distinctione: Si Augustinus illic charitatem accipiat pro habituali, ut videntur probare rationes paulò ante à nobis allatæ, tunc *inaniter* idem valet quod *non meritoriè*; sicut enim nulla actio quamtumvis bona sinè ea charitate, seu justitiâ meritoria est, ita nec clamor orationis; adeò ut quod per hunc obtinetur, puræ Dei misericordiæ debeatur. Vide S. Thomam relatum c.2. n.4.

Si verò, quod etiam, non obstantibus rationibus adductis, probabile est, S. Doctor charitatem hìc latiùs sumat pro gratia Spiritûs Sancti, quæ ad clamandum nos excitat, ita absolutè verum est, clamantem sinè charitate, clamare inaniter: nam, ut supra monebat S. Thomas, *meritum innititur justitiæ, impetratio gratiæ*.

Cæterum *charitatem, spiritum charitatis, infusionem charitatis &c.* non raro à S. Augustino usurpari pro ipsâ, quæ voluntatem prævenit, divinâ gratiâ, probant ejus testimonia à nobis indicata ad Propos.44. c.13. num.10.

V. Opponitur 2. S. Augustinus tract.74. in Joannem:
„ Nemo dicit *Dominus Jesus* animo, verbo, facto, cor-
„ de, ore, opere; nemo dicit *Dominus Jesus*, nisi in
„ Spiritu Sancto; & nemo sic dicit, nisi qui diligit.„

R. qui sic dicit Dominus Jesus, corde, ore, opere, servat mandata Dei; qui autem servat mandata ejus, ille est qui diligit eum tum charitate habituali, tum actuali, quando ea præcipitur. Hanc verò ad orationem bonam semper requiri, ex hoc loco non conficitur, & probatur oppositum ex altero Augustini testimonio l.1. ad Simplicianum q.2. „ Nonne aliquando ipsa
„ oratio nostra sic tepida est, vel potiùs frigida, & pe-
„ nè nulla; imò interdum ita nulla, ut neque hoc in
„ nobis cum dolore advertamus? Quia si vel hoc dole-
„ mus, jam oramus.„ Hic orationis tepor, & frigus non raro justis, sed frequentiùs peccatoribus obtingit: Utrique tamen, Augustino judice, *si vel hoc dolent, jam orant*; in quo dolore aliqua quidem orationis, majoris gratiæ, melioris vitæ, & pœnitentiæ dilectio reperitur, sed non ea, quæ à Novatoribus requiritur charitas *in corde regnans, quæ omnia agit propter Deum, quamque Deus remuneratur*.

VI. Contra quos in objecto textu agat Augustinus, indicant quæ ibidem præmittit: contra eos videlicet, *qui voce dicunt, corde autem, & factis negant: sicut de talibus ait* [Scriptura;] *Confitentur enim, se nosse Deum, factis autem negant: Si negatur factis; procul dubio etiam verbis dicitur fictis.* Tales minimè sunt, qui, charitatis Spiritu nondum præditi, cum precibus suppliciter petunt; quæ virtualis quædam dilectio est, contenta in proposito servandi mandata, quale ad pœnitentiam, etiam attritionis, à Trid. exigitur.

VII. Opponitur 3. S. Bernardus Serm.2. in *Salve Regina* „ Clamor est alius oris, alius cordis: clamor
„ oris alta vociferatio; clamor cordis valida, & supplex
„ ad Deum intentionis directio: Deus intus, homo fo-
„ ris: ad eos, qui foris sunt, clamor oris; ad Deum
„ & qui cum eo intus sunt, clamor cordis.

Hæc à solo Hexaplorum authore movetur objectio, quam cùm videret nihil ad rem pertinere, textum vertendo vitiavit; hæc enim verba *Clamor cordis valida, & supplex ad Deum intentionis directio* ita gallicè reddidit: *le cri du cœur est une attache sincere à Dieu*; quasi Mellifluus dixisset, *clamor cordis est sincera ad Deum adhæsio*, ad quam licèt charitas necessaria sit, non tamen ad validam, ac supplicem ad Deum intentionis directionem, utpote quæ etiam timore, & spe excitari potest. De mente suavissimi Doctoris ambigere non sinit hæc ejus ad gravissimos etiam peccatores directa hortatio planè pathetica Hom.2. super *Missus*, „ Si cri-
„ minum immanitate turbatus, conscientiæ fœditate
„ confusus, judicii horrore perterritus, barathro in-
„ cipias absorberi tristitiæ, desperationis abysso, cogita
„ MARIAM: In periculis, in angustiis in rebus dubiis
„ MARIAM cogita, MARIAM invoca.„ Quàm verò non frustrà peccator ad Deum recurrat per *Reginam misericordiæ* (modò adsit, quod semper supponimus, aliqua melioris vitæ voluntas) docet hæc alibi Bernardi invitatio: *Quæramus gratiam, & per MARIAM quæramus; quia MARIA FRUSTRARI NON POTEST*.

QUIN-

QUINQUAGESIMA PRIMA PROPOSITIO DAMNATA.

Fides justificat, quando operatur; sed ipsa non operatur, nisi per charitatem *Obser. Mor. Act.*10. v.43.

CAPUT I.

Propositio est contraria Scripturis Sacris. *Col.*545.

I. DUplex illimitatæ Propositionis error est; alter: Fides justificat quando, [id est, quandocunque] operatur, alter: Fides non (id est, nunquam) operatur nisi per charitatem.

Primus error repugnat his scripturæ locis: De baptismi sacramento sic legitur Act.2.v.38. *Pœnitentiã.. agite, & baptizetur unusquisque vestrum.. in remissionem peccatorum.* Ibid. c.22. v.16. *Baptizare, & ablue peccata tua.* De sacramento pœnitentiæ dicitur Petro apud Matth. c.16. v.19. *Tibi dabo claves regni cælorum. Et quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis: & quodcunque solveris super terram, erit solutum & in cælis.*

II. Hæc, & plura sacri codicis testimonia ita semper intellexit Ecclesia Dei, columna, & firmamentum veritatis, ut significent, adultos peccatores, qui per actum pœnitentiæ nondum justificati sunt, vi baptismi, & sacramenti pœnitentiæ posse justificari: atqui si fides justificet, quando operatur, id verum non erit: Probatur subsumptum: ante utriusque sacramenti validam, & fructuosam susceptionem agenda est ab adulto peccatore de peccatis personalibus, & mortiferis pœnitentia: sed salutaris pœnitentia procedit à fide, & est opus fidei: ergo si fides semper justificet, quando operatur, adultus peccator semper erit justificatus, antequam ei conferatur baptismus, vel impertiatur sacerdotis absolutio: ergo nunquam sacramenti virtute unquam justificabitur, aut justificari poterit: nunquam baptismus peccata abluet, nunquam sacerdos nisi jam soluta solvet, aut retinebit.

III. S. Thomas in cap.5 ad Eph. lect.8. referens illud Isaiæ 53. TRADIDIT IN MORTEM ANIMAM SUAM interrogat: *Sed ad quid? ut illam* (Ecclesiam) *sanctificaret... Iste est effectus mortis Christi: effectus autem Sanctificationis est mundatio ejus à maculis peccatorum: ideo subdit, dicens; MUNDANS EAM LAVACRO AQUÆ*: itaque baptismus non tantùm vim habet mundandi à macula peccati originalis, sed à *maculis* quorumcunque peccatorum.

IV. Idem Angelicus explicans hæc verba Matth.16. *Quodcunque solveris super terram &c.* ait ,, Potest accidere, quòd aliquis accedit non totaliter contritus:
,, ideo intelligendum est *quodcunque solveris*, id est, si
,, ministerium absolutionis adhibes. ,,

Illa imperfecta, seu non totalis contritio est opus fidei; neque tamen, teste Angelico, justificat, nisi accedente ministerio absolutionis; ergo falsum est, fidem justificare, quandocunque operatur. Denique cur baptismus, & pœnitentia dicuntur sacramenta mortuorum, nisi quia illorum realis susceptio adultos, spiritualiter mortuos aliquando saltèm spiritualiter vivificat: atqui id nunquam fiet, si fides semper justificet, quando operatur.

Perinde à veritate catholica alienum est, fidem non operari nisi per charitatem, qui alter est Propositionis error.

V. Huic refutando sufficit Apostoli testimonium I. Cor.13. v.2. *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum:* in quem locum ita S. Thomas: ,, *omnem*, id est, per-
,, fectam fidem propter illud, quod subditur; *ita ut*
,, *montes transferam.* ,, Supponit igitur Apostolus, perfectam fidem aliter, quàm per charitatem operari posse. Id ipsum apertè significat Seraphici Ordinis decus S Bonaventura in 3.*sent.*d.23.a.2.q.1.c.his verbis: *Fides informis, quæ quidem est in malis Christianis, habet esse in genere virtutis... sicut apparet in multis Christianis carentibus charitate, qui libenter, & humiliter audiunt verba spectantia ad doctrinam fidei; & constanter, & viriliter abhorrent hæreticam pravitatem.* Vide etiam Propos.57. c.5. n.4. ... 7.

CAPUT. II.

Damnata Propositio repugnat Traditioni Patrum, etiam antiquorum Pontificum. *Col.* 550.

I. DUos hic recensemus. Julius Papa cap. *Si Presbyter* 26. q.6. *Si Presbyter morientibus pœnitentiam denegaverit, reus erit animarum.* Morientes illi vel habuere fidem operantem, vel non: si primum, jam erant justificati; *fides enim justificat, quando operatur*; igitur Presbyter non est reus animarum. Si secundum, jam absolutio sacerdotis futura erat frustranea; & sic iterum Presbyter reus non est animarum, sed tota morientium culpa est.

II... IV. S. Augustinus ep.180. ad Honoratum: *Si.. Ministri desint, quantum exitium sequitur eos, qui de isto seculo vel non regenerati exeunt, vel ligati?* In Quesnelli sententia nunquam Ministrorum, sed tantùm *fidei operantis* defectu ligati ex hoc seculo exeunt: hanc enim si haberent, justificati exirent, & soluti.

CAPUT III.

Propositioni damnata opposita est doctrina Concilii Tridentini. *Col.*555.

TRidentinum sess.14. c.4. ,, contritionem imperfe-
,, ctam, quæ attritio dicitur, quoniam vel ex
,, turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ,
,, & pœnarum metu communiter concipitur, *si volun-*
,, *tatem* peccandi excludat cum spe veniæ; declarat..
,, .. donum Dei esse, & Spiritûs Sancti impulsum, non
,, adhuc quidem inhabitantis; sed tantùm moventis, quo
,, pœnitens adjutus viam sibi ad justitiam parat: &
,, quamvis sinè sacramento pœnitentiæ per se ad justi-
,, ficationem perducere peccatorem nequeat; tamen
,, eum ad Dei gratiam in Sacramento pœnitentiæ im-
,, petrandum disponit. ,, Attritio illa sinè dubio est opus fidei Christianæ, non tamen operantis per charitatem, sed per motiva inferiora: ergo falsum est, quòd *fides non operetur, nisi per charitatem.* Præterea fides operans per attritionem jam descriptam *sinè sacramento pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequit*; sed tantùm *ad Dei gratiam in Sacramento pœnitentiæ impetrandum disponit*: ergo etiam falsum est, quòd *fides justificet, quando operatur.* Utramque hanc sequelam pari facilitate elicies ex sess.6. c 6. cum initio capitis 7.

Ex hac Quesnelliana 51. manifestissimum est, juxta Novatorem, veram, ac christianam fidem, charitatem, & justificationem inseparabiles esse: unde in *Querela* sua, & *Protestatione* §.10. pag.197. *fidem non imbutam aliquo amore*, & quidem, ut illic additur, *amore CHARITATIS* assimilat fidei Dæmonum; cùm autem in 1. Joan.3. v.9. fateatur, *nullum peccatum mortale cum charitate compatibile esse*, hinc facilè intelligitur, quomodo si juxta Prop.27. *prima gratia sit fidei*, etiam juxta Prop.28. *prima gratia, quam Deus concedit peccatori, sit peccatorum remissio.* Vide etiam Prop.40. c.1. num. 7.

CAP.

CAPUT IV.

Quesnelli Propositio convenit cum pluribus pridem à Sede Apostolica condemnatis. Col.564.

I. CОnvenit 1. cum articulis 10., 14., 15. inter 31. ab Alex. VIII. proscriptos; suntque hi: *Intentio, qua quis detestatur malum, & prosequitur bonum, merè, ut cœlestem obtineat gloriam, non est recta, nec placens Deo. Timor gehennæ non est supernaturalis. Attritio, quæ gehennæ, & pœnarum metu concipitur sinè Dilectione benevolentiæ Dei propter se, non est bonus motus, ac supernaturalis.* His omnibus subscribere tenetur Quesnellus; si enim intentio illa sit recta, & placens Deo; si timor gehennæ, & attritio ex illo timore concepta sit supernaturalis, si sit bonus motus, necesse est, fidem etiam aliter quàm per charitatem operari, quod Quesnellus pernegat.

II. . . . V. Convenit 2. cum articulo 12. ibidem damnato: *Quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor, deficit etiam fides; &, etiamsi videantur credere, non est fides Divina, sed humana.* Si enim in magnis peccatoribus, deficiente amore, non deficiat fides, potest ea fides sinè amore in actus sibi proprios exire, & consequenter haberi potest divina fidei operatio sinè charitate; quod Quesnellus, & ante eum, vel potiùs cum eo Arnaldus in *Nona parte difficultatum Propositarum Domino Steyaert* negant intelligi posse; imò audacissimè ajunt, esse contrarium *S. Thomæ, & cæteris passim Theologis*; scilicet Jansenianо pulvere conspersis.

CAPUT V.

Frustrà confugiunt adversarii ad Sacras Scripturas. Col.568.

APostolus Gal.5. v.5. & 6. docet quidem, justitiam expectandam, & sperandam esse à fide, quæ *per charitatem operatur*: at nec illic, nec uspiam docet, fidem non aliter operari, quàm per charitatem; aut semper justificare, quando operatur: unde *cùm* idem Apostolus dicit, *JUSTIFICARI HOMINEM PER FIDEM, . . . ea verba in eo sensu intelligenda sunt, quem perpetuus Ecclesiæ catholicæ consensus tenuit, & expressit; ut scilicet per fidem ideo justificari dicamur* [non, quia fides semper justificat, quando operatur; aut quia non operatur, nisi per charitatem; sed] *quia fides est humanæ salutis initium, fundamentum, & radix omnis justificationis; sinè qua impossibile est placere Deo, & ad filiorum ejus consortium pervenire*; quemadmodum definit S. Synodus Tridentina sess.6. de justific. c.8. contra hæreticos, qui cum latino *Callatore* abutuntur Apostoli verbis, ut hinc probent, hominem solâ fide, seu fidei operatione justificari.

CAPUT VI.

In Augustino frustrà asylum quærunt Adversarii. Col.571.

I. II. OBjicitur 1. hæc S. Doctoris sententia ex serm. 53. alias 14. inter additos à Parisiensibus num.11. *illa ergo fides mundat cor, quæ per dilectionem operatur*: ergo fides justificat, quandocunque operatur, & ipsa non operatur, nisi per charitatem.

R. hoc enthymema non concludere; transitur enim à termino particulari ad universalem; ab aliqua fide ad omnem. Admittimus igitur, illam fidem mundare cor, quæ per dilectionem operatur; sed negamus 1., fidem, etiam veram, atque Divinam mundare cor, id est, justificare, quandocunque operatur. Negamus 2., ipsam non operari, NISI per charitatem.

Nihil restat, nisi ut hic nonnulla testimonia attexamus, è quibus liquet, fidem, etiam sinè charitate bene operari, & multùm differre à fide Dæmonum; contra ac putat Quesnellus in *Querela* sua, & *Protestatione* pag.197. allegans pro se Augustinum, sed malè intellectum, ut infra docebimus.

Angelicus, cujus *Summa*, teste Jansenio, quasi Augustini compendium est, 2. 2. q.17. a. 2. ubi explicat illud Act.15. v.9. *Fide purificans corda eorum* sic habet: *Primum principium purificationis cordis est fides, qua purificatur impuritas erroris: quæ si perficiatur per charitatem formatam* [monemur in margine meliùs legi: *per fidem charitate formatam*;] *perfectam purificationem causat*. 3. p. q.85. a.5. ubi *actuum* ad pœnitentiam concurrentium *primum principium* dixit *esse gratiam, seu operationem Dei convertentis cor*, ita prosequitur: *Secundus actus est motus fidei; tertius est motus timoris servilis, quo quis timore suppliciorum à peccatis retrahitur. Quartus actus est motus spei, quo quis sub spe veniæ consequendæ assumit propositum emendandi. Quintus actus est motus charitatis, quo alicui peccatum displicet secundùm se ipsum, & non jam propter supplicia.* Habemus itaque fidem, quæ sinè charitate purificat impuritatem erroris, gignit timorem, spem &c.: ergo falsum est, quod fides justificet, quandocunque operatur; & non operetur, nisi per charitatem.

De discrimine inter fidem informem vitiatorum, & Dæmonum ita rursum S. Thomas 2. 2. q.5. a.2. *Ad 1. dicendum, quòd Dæmonum fides est quodammodo coacta ex signorum evidentia; & ideo non pertinet ad laudem voluntatis ipsorum, quòd credunt. Ad 2. dicendum, quòd fides, quæ est donum gratiæ, inclinat hominem ad credendum secundùm aliquem affectum boni; etiamsi sit informis: unde fides, quæ est in Dæmonibus, non est donum gratiæ; sed magis coguntur ad credendum ex perspicacitate naturalis intellectûs. Ad 3. dicendum, quòd hoc ipsum Dæmonibus displicet, quòd signa fidei sunt tam evidentia, ut per ea credere compellantur, & ideo in nullo malitia eorum minuitur per hoc, quòd credunt.* Vide etiam infra n.4.

III. Objicitur 2. Augustinus in Psalm.67. num.41. *Sinè bonorum operum meritis justificatur impius . . . ut deinde ipsa fides per dilectionem incipiat operari. Ea quippe sola bona dicenda sunt, quæ fiunt per dilectionem.*

R. hic Augustinum loqui de dilectione, quæ in peccatoris justificatione, per modum habitûs infunditur; *sola* autem verè, & propriissimè *bona dicenda sunt*, quæ ex ea fiunt, & vim merendi accipiunt. *Hæc autem necesse est, ut antecedat fides, ut inde ista, non ab istis incipiat illa; quoniam nullus operatur per dilectionem Dei, nisi priùs credat in Deum*: Ita locum objectum prosequitur Augustinus: unde discimus, non omnem volitionem, & actionem bonam esse ex amore Dei, ut asserit Quesnelliana 41.; quandoquidem fides, & proinde volitio eam imperans statuitur ab Augustino dilectione prior, & utraque bona est, cùm sit ex gratia.

IV. Objicitur 3. Augustinus serm.156. de verbis Apostoli num.5. *Fides bene operari non potest, nisi per dilectionem. Ipsa est enim fidelium fides, ne sit Dæmonum fides; quia & Dæmones credunt, & contremiscunt. Illa est ergo laudabilis fides; ipsa est vera gratiæ fides, quæ per dilectionem operatur.*

R. locum hunc, ut priùs, facillimè cum doctrina catholica conciliari, si per *bene* intelligas *meritoriè*, & *dilectionem* accipias pro *charitate infusa*, quâ si fides destituitur, eatenus fidei Dæmonum assimilatur: comparationem enim non esse exactam ostendimus ex S. Thoma num.2. & constat ex variis Augustini testimoniis productis ad Prop.50. c.1. num.3. Hic unum sufficiat ex ep.156. *Hanc fidem volumus habeant, qua charitatem impetrent*: Ejusmodi fidem nemo Dæmonibus arrogarit.

V. Objicitur 4. idem Augustinus in Ps.130. *Si fides sinè dilectione sit, sinè opere erit.*

R. vel dilectionem hìc sumi pro auxilio gratiæ, quæ apud Augustinum interdum venit nomine dilectionis, Charitatis &c. ut declaratum est ad Prop. 44. c. 13. n. 10., & tunc Propositio, ut jacet, vera est; vel per dilectionem intelligi ejus habitum, sinè quo nullum existit opus antonomasticè bonum, quale est illud, quod vitam æternam promeretur.

VI. Objicitur 5. illud ejusdem Hipponensis Initio expositionis epistolæ ad Gal. *Non aufert peccata, nisi gratia fidei, quæ per dilectionem operatur.*

R. sensum planum esse hunc: *non omnis gratia fidei aufert peccata, sed ea sola id præstat, quæ per dilectionem operatur*: Quid autem hinc pro damnato dogmate?

VII. Objicitur 6. & ultimò ex eodem S. Doctore ep. 120. num. 8. *Pia fides sinè spe, & charitate esse non vult: Sic igitur homo fidelis debet credere, quod nondum videt, ut visionem, & speret, & amet.*

R. sicut gratia non vult esse sinè effectu, ad quem excitat, & tamen sæpe eo caret; ita pia fides non vult esse sinè charitate, ad quam velut finem à Deo intentum [Vide Prop. 47. c. 2. num. 5.] disponit, & tamen non rarò sinè charitate est, ut constat ex tot fidelium peccatorum exemplo.

CAPUT VII.

Hexaplorum in citando S. Bernardo perfidia, & temerarius ad Tridentinum Concilium recursus. Col. 580.

I. II. OPponitur 1. S. Bernardus serm. 24. in Cantica num. 8. *Non facit hominem rectum fides. Debet ea operari ex dilectione. Nemo enim potest esse rectus, nisi Deum amet.* Ita locum hunc galliceè producunt Hexapla temere truncatum, & interpolatum, ac sinè ullo truncationis, vel interpolationis signo.

Audiamus nunc sincerum Melliflui textum. *Vides, quòd non faciat hominem rectum fides ETIAM RECTA, quæ non operatur ex dilectione... Sed nec opera QUAMVIS RECTA rectum cor efficere sufficiunt sinè fide; quis enim rectum dicat hominem non placentem Deo? Sinè fide autem impossibile est placere Deo... Si ergo nec fides sinè operibus, nec opera sinè fide sufficiunt ad animi rectitudinem, nos... rectas facere studeamus vias nostras.*

Hinc triplex perfidia detegitur. Prima est suppressio harum vocum *etiam recta*, quas fatales sensit adversarius Propositioni 44., in qua omnis volitio, & actio, quæ non oritur ex *amore Dei omnia agente propter Deum, quemque Deus remuneratur*, peccati arguitur: Atqui juxta Bernardum datur *fides etiam recta, quæ non operatur ex dilectione*. ergo.

Secunda perfidia est, quòd Hexapla de suo addant, fidem *DEBERE operari ex dilectione*; hoc autem, ut patet, Bernardus non dicit; imò colligitur oppositum ex sequentibus, ubi significat dari posse *opera.... recta* sinè fide, & charitate; ergo à fortiori haberi possunt *opera.... recta* ex fide; deficiente solà charitate. Primum repugnat Propositioni 42., ubi dicitur *sinè sacrificio fidei nihil esse nisi impuritas, nihil nisi indignitas*. Secundum adversatur Propositioni 45. *Amore Dei in corde peccatorum non amplius regnante, necesse est, ut in eo carnalis regnet cupiditas, OMNESQUE ACTIONES EJUS CORRUMPAT.*

Tertia perfidia in eo posita est, quòd hæc S. Doctoris verba, *Quis enim rectum dicat hominem non placentem Deo*, transferat galliceè, ac si haberent: *Nemo enim potest esse rectus, nisi Deum amet*, quod postremum sensu Propositionis 44. intellectum falsum est. Talem æquivocationem non patitur sententia Bernardi verbis expressa: verum enim est, neminem esse rectum nisi placeat Deo; sed placere potest Deo, licèt non omnes ejus volitiones, & actiones oriantur *ex amore Dei, qui omnia agit propter Deum &c.* cujus contrarium significare intendit adversarius versione sua galliceà.

Itaque genuinus Suavissimi Doctoris textus nè uno quidem apice Novatoribus favet, & non paucos eorum errores efficaciter refellit.

III. Idem præstat sequens ejus testimonium Serm. 4. *de Timore Dei* ubi ad Sororem ita scribit: ,, Secundus
,, timor est servilis, ut ait B. Augustinus, cùm timore
,, gehennæ homo recedit à peccato, & OMNIA BO-
,, NA, QUÆ FACIT, NON PROPTER DILE-
,, CTIONEM DEI, SED PROPTER TIMOREM
,, INFERNI FACIT... De hoc servili timore dicit
,, Paulus: *Non enim accepistis spiritum servitutis iterum*
,, *in timore; sed accepistis spiritum adoptionis filiorum*, id
,, est, spiritum filialem. BONUS EST ISTE SERVI-
,, LIS TIMOR, ET UTILIS; licèt insufficiens, &
,, imperfectus, per quem crescit paulatim consuetudo
,, justitiæ. Cùm incipit homo credere diem judicii, in-
,, cipit timere.:.. Timor priùs venit in corde hominis,
,, ut præparetur locus charitati. ,,

Ergo fides etiam bene operatur per timorem sejunctum à charitate. Idem probat locus ex Bernardo relatus ad Prop. 44. c. 5. n. 4.

IV. Opponitur 2. Tridentinum sess. 6. cap. 7. *Nam Fides, nisi ad eam spes accedat, & charitas, neque unit perfectè cum Christo, neque corporis ejus vivum membrum efficit; qua ratione verissimè dicitur, fidem sinè operibus mortuam, & otiosam esse; & in Christo Jesu neque circumcisionem aliquid valere, neque præputium; sed fidem, quæ per charitatem operatur.*

R. connectenda esse verba immediatè præcedentia, ex quibus luce clarius est, agi hic de virtutibus infusis: *Unde in ipsa justificatione cum remissione peccatorum hæc omnia simul INFUSA accipit homo per Jesum Christum, cui inseritur, fidem, spem, & charitatem*: tum sequitur: *nam fides, nisi ad eam spes accedat, & charitas, neque unit perfectè cum Christo, neque corporis ejus vivum membrum efficit: QUA RATIONE verissimè dicitur, fidem sinè operibus* [id est, sinè spe, & charitate, vitalium operum principiis] *mortuam, & otiosam esse*, in quantum opera vitæ non producit; (V.) licèt interim, actualis gratiæ beneficio, alia producat, quæ ad vitam animæ consequendam disponunt, ut traditur ibid. c. 6. cui titulus, *Modus præparationis*.

Eadem *ratione verissimè dicitur.... Et in Christo Jesu neque circumcisionem aliquid valere, neque præputium; sed fidem quæ per charitatem* [id est, quæ charitate, quasi animâ suâ, informata, per intimam quamdam vim, & spiritualem suum influxum opera virtutum vitalia] *operatur*; qualia fides informis operari non potest, quæ eatenus nihil prodesse, aut valère dicitur.

Hæc vera Tridentini mens est, ut patet ex toto contextu, & capite præcedenti, ubi fidei informi tribuuntur opera timoris, spei &c. quæ ad justificationem quidem præparant, eam tamen non efficiunt; adeòque falsum est, *fidem justificare, quando operatur, & ipsam non operari, nisi per charitatem*, uti temere à Quesnello assertum est.

CAPUT VIII.

Hexaplorum, & Collatoris observationes subdolæ expenduntur. Col. 586.

I. FRivola ad præsentem, aliasque de charitate Propositiones Hexaplorum *observatio* id unum continet notatu dignum, quòd, cùm perbrevis sit, septies nominet *amorem*; *charitatem* nunquam. Quo fine? nisi ut odiosam Propositionum speciem hoc fuco dissimulet: latiùs scilicet extendi solet amor, quàm charitas, quæ recepto usu justificantem significat: Quid autem horribilius, quàm peccatorem sinè hac frustra precari; sinè hac nullum existere actum salutiferum; imò volitiones, & actiones omnes sinè hac esse noxias; fidem sinè hac non operari, adeòque peccatorem, quamdiu talis est, frustrà ad conversionem niti: Porrò amorem bonum, & charitatem à Quesnello confundi vidimus ad Prop. 44. c. 1. n. 6.

II. At, ajunt Hexapla, *Amor*, id est, charitas, *est cæterarum virtutum anima*. Quo sensu sit, dictum est cap. præcedenti num. 5. quibus hìc nihil addendum occurrit.

III. Audiamus modò, quid Collator in Quesnellianam 51. observet. *Sensus, inquit, prioris partis est; hominem justificari per fidem; sed eam fidem non esse operibus destitutam: Posterioris autem; ipsam (fidem justificantem) quæ talis est, non operari nisi per charitatem.*

R. sensum Quesnelli planum, & obvium esse, quem ipse suis verbis exprimit, quæ clarè significant, fidem semper justificare, quando operatur. Est enim Propositio dogmatica, ac proinde æquivalens universali. Si detur fides divina, ac supernaturalis à justificante sejuncta, quomodo per Prop. 27. & 28. prima gratia simul est fides, & remissio peccatorum? Vide c. 3. Quod de prima gratia dicitur, dicendum est de secunda, & reliquis, quæ justis obtingunt; neque enim in his minùs operatur gratia, quàm in peccatoribus: adeò ut ipsa semper justitiam vel primò conferat, vel augeat.

IV. Hinc patet, quàm inane sit, & velando iniquitatibus mysterio quæsitum, quod addit Collator; *ipsam [fidem justificantem] quæ talis est, non operari, nisi per charitatem*; quasi verò apud Novatores alia sit fides vera, & Divina, quàm justificans.

Cæterùm sicut Quesnelli Propositio quoad primam sui partem non eget Collatoris commentatio, ita nec quoad secundam: Quis enim non videat, de unâ eademque fide primò prædicari, quòd justificet, quando operatur; & dein dici, quòd non operetur nisi per charitatem?

QUINQUAGESIMASECUNDA PROPOSITIO DAMNATA.

Omnia alia salutis media continentur in fide tanquam in suo germine, & semine; sed hæc fides non est absque amore, & fiduciâ. *Observ. Moral. in Acta Apostol. c. 10. v. 43.*

CAPUT I.

Pars prima Propositionis contraria Scripturæ, Patribus, Concilio Tridentino, & Definitionibus Pontificiis. Col. 590.

I. Auxilia gratiæ sunt procul dubio salutis media: si igitur *omnia alia salutis media* (à fide distincta, ut patet ex Quesnelliano contextu) *continentur in fide tanquam in suo germine, & semine*; restat ut *nullæ dentur gratiæ nisi per fidem*; item ut *fides sit prima gratia, & fons omnium aliarum*: atque ita recurrit error Quesnellianæ 26. & 27. [II.] quem istic c. 1. & 2. iis, quæ in titulo præferuntur, authoritatibus operosè retudimus. [III.] Hic itaque, ut nos intrà compendii limites teneamus, indicare sufficiet ex Tridentino sess. 6. cap. 6. & can. 3., ubi fidei præire dicitur *Divinæ gratiæ excitatio*, seu *præveniens Spiritus Sancti inspiratio*: [IV.] id ipsum docet S. Thomas 3. p. q. 85. a. 5. *Actuum* (pœnitentiæ, inquit) *primum principium est Dei operatio convertentis cor ... secundus actus est motus fidei*. Igitur fides non est semen, & germen omnium aliarum gratiarum, cùm aliquæ eam præcedant: Junge his quæ dicentur infra c. 7.

CAPUT II.

Pars altera Propositionis 52. pridem anathemate profligata à Tridentina Synodo, & dein ab Alexandro VIII. Pontifice. Col. 594.

I. Fidem, in qua Quesnellus falsò dixerat omnia alia salutis media tanquam in germine suo, & semine contineri; jam duplicato errore asserit *non esse sinè amore, & fiducia*: hoc est scilicet, quod in *Protestatione* sua §. 10. pag. 197. inculcat, *fidem nullo penitùs amore Dei imbutam, esse pejus aliquid quàm cymbalum tinniens, quandoquidem*, inquit, *ab Augustino fides Dæmonum appellatur*: & nè incertum sit, quem Dei amorem intelligat, monet ibidem, veram obedientiam, quâ revelatæ veritati assentimur, Deo exhiberi non posse sinè *amore CHARITATIS*, adeòque justificante; *nullum enim peccatum mortale*, fatente Quesnello in 1. Joan. 3. v. 9. *charitatem compatitur*: (III.) aliunde verò ex Prop. 44. cæterisque hanc consequentibus exploratissimum est, actionem omnem, & proinde etiam fidem, à vitio immunem non esse, si vero, & justificante amore destituatur. Relege hic dicta ad Prop. 44. toto c. 1.

Denique de mente Quesnelli jam expositâ dubitare non sinit Propositio ejus 51. *Fides justificat, quando operatur; sed ipsa non operatur, nisi per charitatem*; atqui *fidem non esse sinè amore, & fiducia*, est, fidem operari per amorem, & fiduciam, ut patet; ergo si fides justificet, quandocunque operatur, justificat sanè, quando operatur per amorem, & fiduciam; ergo amor, sinè quo hic dicitur non esse fides, est amor charitatis, & justificans; nisi Quesnellus malit justificationem soli fidei, aut fiduciæ quâ tali cum Calvinianis, aut Lutheranis adscribere.

Quæres obiter, quomodo Quesnellus in Prop. 51. asserat *fidem non operari NISI per charitatem*, quandoquidem hic insinuat, eam etiam operari per fiduciam?

R. hæc in Novatorum systemate non pugnare: nam fides non operatur per fiduciam, nisi inquantum hæc bona est: sed tota actionum humanorum bonitas juxta Quesnellum repetitur à charitate, seu amore Dei, qui omnium, & singularum esse debet principium, & motivum, ut constat ex Prop. 44. & sequentibus: ergo fides operando per fiduciam, non operatur nisi per charitatem. Redeamus ad institutum.

II. Ex eo quòd vera, ac supernaturalis fides, & ut distincta est à fide Dæmonum, non sit sinè amore Dei jam explicato,

Sequitur hæc 12. inter 31. ab Alexandro VIII. damnatas: *Quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor, deficit etiam fides; &, etiamsi videantur credere, non est fides Divina, sed humana.* Hæc est illa propositio, de qua Arnaldus in *parte 9. difficultatum propositarum Steyaertio* sic Doctorem illum Lovaniensem interpellat pag. 206. *Condemnare non potes propositionem hanc duodecimam, nisi condemnando te ipsum, S. Thomam, & cæteros passim Theologos*: Quesnellus verò in epistola edita nomine *Abbatis ad quemdam Romanæ curiæ Prælatum* censuram, qua memorati articuli 31. configuntur, impudenter, impotenterque conviriis lacessivit: unde jure merito, nè Alexandrini decreti commemoratio sit unguis in ulcere. Convertamur itaque ad Tridentinum quod sess. 6. can. 28. anathema vibrat in eum, qui *dixerit, amissa per peccatum gratia, simul, & fidem semper amitti; aut fidem, quæ remanet, non esse veram fidem, licèt non sit viva; aut eum, qui fidem sinè charitate habet, non esse Christianum*: in hos errores manifestè impingit Quesnelli doctrina: nam qui per peccatum amittit gratiam, habet fidem destitutam charitate, sive amore Dei justificante; sed fides, ut errat Quesnellus, non est sinè charitate, sive amore Dei justificante; ergo peccator amittendo gratiam, simul & fidem semper amittit; aut saltèm fides, quæ remanet, non est vera, sed Dæmonum fides: ergo ulteriùs qui fidem sinè charitate habet, non est Christianus, nè quidem ratione characteris baptismalis, quem excludit Propositio 2. ut illic c. 1. ostendimus: Et qualis tandem Christianus est, qui nec Deum habet, nec religionem? Atqui per Propositionem 58. *Nec Deus est, nec religio, ubi non est charitas.*

IV. Addamus & verbum unum de fiducia, & videamus, an etiam sinè hac non sit vera, ac supernaturalis fides. *Fiducia*, ut habet S. Thomas p. 3. q. 129. a. 1. ad 2., *importat quoddam robur spei, proveniens ex aliqua consideratione, quæ facit vehementem opinionem de bono assequendo; inde est, quòd fiducia ad magnanimitatem pertinet*: atqui Tridentinum sess. 6. c. 6. in *modo præ-*

pa-

parationis, quo peccatores *disponuntur . . . ad ipsam justitiam*, primo loco ponit fidem ex divinæ gratiæ adjutorio, hinc *divinæ justitiæ* timorem, *quo utiliter concutiuntur*; ac tum denique spem, & fiduciam; quâ succedentium actionum serie apertè significat, dari veram ac supernaturalem fidem, & ex hac utilem divinæ justitiæ timorem, nondum existente in peccatore fiduciâ.

Doctrinam catholicam hoc capite traditam luculenter confirmat Bellarminus de justific. lib. 1. c. 15. quod sic inscribitur: *Fidem veram posse re ipsa à dilectione aliisque virtutibus separari*: Argumenta, quibus id efficit, consule l. c.

CAPUT III.

Frustrà recurrunt adversarii ad sacras literas. Col. 598.

I. LOca, quæ ex hæreticorum officinia deprompta nobis intorquent Quesnelli defensores, sunt sequentia: Act. 10. v. 43. *Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen ejus omnes, qui credunt in eum*. Rom. 10. v. 9. *Si confitearis in ore tuo Dominum Jesum, & in corde tuo credideris, quòd Deus illum suscitavit à mortuis, salvus eris*. Ibidem c. 1. v. 17. *justus . . . ex fide vivit*. In his textibus tribuitur fidei remissio peccatorum, salus, & justitia: sed fides sinè amore Dei, & fiducia non justificat: ergo vera, Divina, ac supernaturalis fides non est sinè amore Dei, & fiducia.

Præterea si justitia, & salus continentur in fide, ergo & media, quæ eò ducunt.

II. . . IV. R. cum Bellarm. l. 1. de justif. c. 22. sensum primi loci, & ejusmodi similium esse, neminem, nisi qui credit in Christum, accipere per nomen, id est, per virtutem ejus, & merita, remissionem peccatorum; hæc expositio illustrari potest aptissimâ similitudine petitâ ex S. Augustino l. de Præd. SS c. 8. nam si in una aliqua urbe unus tantùm grammaticæ doctor esset, & diceretur: *OMNES in hac urbe grammaticam discunt ab isto*, non significaretur, omnes in ea urbe grammaticam discere; sed neminem discere, nisi ab illo. Sic igitur omnes, qui credunt in Christum accipiunt remissionem peccatorum, non quia fides in Christum semper habet adjunctum amorem, & fiduciam; sed quia nemo remissionem accipit, nisi qui credit, & fidit.

V. VI. R. prætereà cum S. Thoma, sensum secundi loci esse, „ *si credideris in corde tuo*, scilicet fide formata, quæ „ per dilectionem operatur: „ quod frustrà adjungeret Doctor Angelicus, si omnis vera, ac supernaturalis fides adjunctam haberet dilectionem, ut perperam contendunt Novatores.

VII. . . . XII. R. ad tertium locum iterum cum S. Thoma „ quòd hic dicit *ex fide vivit*, intelligendum est „ fide formatâ: „ talem autem non esse omnem veram, ac supernaturalem fidem, constat iterum ex iis, quæ a S. Doctore hic præmittuntur: „ cùm charitas „ inquit, „ sit extra essentiam fidei, per ejus adventum „ vel recessum, non mutatur substantia ejus. „ atqui fides, adveniente charitate, est supernaturalis in substantia; ergo etiam, eâ absente, talis est: ergo falsum est, quòd talis fides non sit sinè *amore charitatis*, quem Quesnellus requirit. Vide c. 1. num. 1.

Jam ad primum argumentum R. distinguendo consequens: ergo aliqua vera &c. fides non est sinè amore Dei, & fiducia C. omnis N. consequentiam.

Ad secundum argumentum R. ea justitiæ, & salutis media, quæ fidem necessariò supponunt, contineri in fide tanquam in radice; non item ea, quæ ad fidem ipsam proximè, vel remotè disponunt, qualia sunt, quæ dantur Infidelibus, tam credituris, quam non credituris. Vide c. 1.

CAPUT IV.

Damnatæ Propositioni nullum in SS. Patribus præsidium est. Col. 606.

I. OPponitur 1. S. Augustinus in Psal. 89. num. 17. *Unum est, in quo sunt omnia; fides, quæ per dilectionem operatur*.

R. inter hæc *omnia* comprehendi non posse auxilia gratiæ, quæ fidem necessariò præveniunt, ut ex Trid. docuimus c. 1. num. 3. Igitur aliud Augustinus non vult, quàm quòd justitia, merita, & salus contineantur virtute in fide per dilectionem operante; quæ ideo *omnia* dicuntur, quia cætera horum comparatione quasi nulla sunt.

II. III. Opponitur 2. S. Augustinus l. de Sp. & lit. c. 29. *Justificatio . . . ex fide impetratur . . . . Fide . . . . Jesu Christi impetramus salutem . . . . . omnis enim, qui invocaverit nomen Domini, salvus erit*.

R. primò, priora verba parum sincerè ita translata esse ab Hexaplis: *la justification de l' homme est toute renfermée dans la foi*, quasi scripsisset Augustinus: *Tota hominis justificatio in fide concluditur*. Quò verò spectat illa perfidia, nisi ut saltèm rudioribus suadeatur, totum justificationis negotium solâ verâ ac supernaturali fide, ab amore, ut fingunt, indivulsâ absolvi; omniaque justitiæ ac salutis media in fide contineri.

R. secundò, justificationem, & salutem ex fide impetrari, non quia charitas, & consequenter justificatio semper fidei conjuncta est; non etiam, quia omnia salutis media in fide continentur; sed quia justificatio, & salus non nisi præviâ fide Christi, ut primariâ, ac necessariâ ad utramque dispositione, obtinetur. Hoc ut ex, & cum Apostolo probet Aug., allegat quod sequitur: *Omnis enim, qui invocaverit nomen Domini salvus erit*, hoc est, nullus ex adultis, nisi qui nomen Domini invocaverit, salvus erit: sed invocatio nominis Domini est ex fide, juxta illud; *quomodo . . . ergo invocabunt, in quem non crediderunt*: ergo justificatio, & salus est ex fide, & non ex lege.

IV. V. Opponitur 3. S. Prosper carmine de ingratis c. 6.

Omne etenim probitatis opus, nisi semine veræ
Exoritur fidei, peccatum est &c.

R. primò ex dictis ad Prop. 38. c. 1. num. 6. constare, S. Prosperum non omnia infidelium opera peccati damnare: objecta ergo sententia, nè ipsi Prospero, & doctrinæ catholicæ adversetur, sano sensu intelligenda est, quem ibid. c. 4. exposuimus, præeunte etiam Bellarmino, cujus illic observationem retulimus n. 10.

R. secundò, licèt omnia infidelium opera forent peccata, indè tamen non sequeretur, omnes gratias, seu salutis media contineri in fide; siquidem ipsam fidem prævenit *Spiritus Sancti inspiratio*, & *excitatio*, ut hic c. 1. num. 3. ex Tridentino demonstravimus: tales gratiæ sunt quidem semen, ex quo vera fides oriri potest; sed hæ ipsarum semen non est.

VI. Opponitur 4. S. Fulgentius lib. de Incarn. & grat. c. 19. & 20. *Quomodo autem Christus in suis formari potest, nisi quomodò in eis habitare incipit, id est, per fidem? . . . . Dum ergo reformamur, renovamur; & in eo, quo renovamur, vivificamur: vita autem nostra à fide sumit initium, quia justus ex fide vivit*.

R. ex eo, quòd incipiat Christus habitare in nobis per fidem, non sequi, veram, & supernaturalem fidem non disjungi à charitate: inchoata enim sive imperfecta habitatio etiam fit per fidem informem, ut patet ex sequentibus Doctoris Angelici verbis in c. 1. ad Rom. lect. 6. *Primò . . . Deus animam inhabitat per fidem . . . sed non est perfecta habitatio, nisi fides per charitatem sit formata, quæ per vinculum perfectionis nos unit*. Aliud ergo S. Fulgentius non vult, quàm reformationis, renovationis, & vivificationis nostræ initium à fide sumendum esse, comprehendendo sub fide etiam gratias, quæ ad hanc disponunt, vel excitant; quo sensu à Tridentino dicitur *fides humanæ salutis initium, fundamentum, & radix omnis justifica-*

cationis : [Vide Prop.26. & 27.c.4.] Tales verò gratias excludit præsens Quesnelliana Propos. dum ait, omnis salutis media in ipsa formali fide [qualis indubiè est, quæ amori, & fiduciæ sociatur] tanquam in suo germine, & semine contineri.

CAPUT V.

Eripiuntur adversariis quæ firmandæ potissimùm parti posteriori Propositionis 52. adducunt è Patribus testimonia. Col.611.

I. OBjicitur 1. S. Augustin. ep.120. ad Consentium num. 8.

Huic textui, qui hic in gallica versione fœdè corrumpitur, omnino satisfecimus ad Prop.51. c.6. num.7.

II. Objicitur 2. S. Augustinus in Enchir. ad Laur. c.8. *Nec amor sinè spe est, nec sinè amore spes: neque utrumque sinè fide.*

R. hic quidem legi spem non esse sinè amore, videlicet sanctæ concupiscentiæ, quem Hipponensis adeò cum Novatoribus non improbat, ut mille locis commendet, & inculcet (Vide Prop.44. c.6. num.3. ... 6. & c.13. num.11. & seqq.) Verùm neque hic, neque alibi dicitur, fidem non esse sinè amore, & quidem amore charitatis; hoc autem incumbebat probandum.

III. Objicitur 3. S. Fulgentius l.2. ad Monimum c.9. *Simon Magus credidit, & baptismi sacramentum accepit; nam & Dæmones dum credunt, & contremiscunt, videntur habere fidem; sed nihil eis prodest; quia non habent charitatem.*

R. nihil prodesse fidem sinè charitate ad vitam æternam consequendam, ut ait Augustinus Fulgentii Magister supra c.2. sub finem: hoc tamen non obstante, vera fides, quæ sit donum Spiritûs Sancti, dari potest sinè charitate, ut paulò post objecta verba indicat Fulgentius, dum ait: *His igitur demonstratur indiciis ... ubi ... cum fide charitas non est, quæcunque dona Spiritus Sancti esse posse, ipsum verò Spiritum Sanctum* (inhabitantem) *esse non posse.*

IV. Dæmones *videntur habere fidem*, sed veram, ac propriè dictam non habent, ut constat ex S. Thoma allegato ad Prop.51. c.6.num.2. in fine: unde quando Apostolus Jacobus, & post hunc SS. Patres eam cum fide nostra informi comparant, commodè intelligendi sunt; comparatio eatenus tenet, quatenus utrimque est assensus firmus circa idem objectum charitate destitutus: cæterum utriusque assensûs principia, motiva, & modus tendendi multùm differunt, ut docet S. Thomas l.c.

V. VI. Objicitur 4. S. Bernardus serm.2. de Paschate, cujus initio sic ait: *Postquam fides nostra mortua est, quodammodo Christus mortuus est in nobis. Porrò fidei vitam opera attestantur ... sicut enim corporis hujus vitam ex motu suo dignoscimus, ita & fidei vitam ex operibus bonis. Itaque vita quidem corporis est anima, per quam movetur, & sentit; vita verò fidei charitas, quia per illam operatur.*

R. supra ad Prop.51. c.7. num.5. ex mente Tridentini explicatum esse, quo sensu fides sinè charitate mortua, & otiosa sit; unde nulla in Bernardi verbis superest difficultas. Fides sinè charitate non habet motum spiritualis vitæ; alium tamen habet vel habere potest, qui ad hanc obtinendam disponat aut præparet: talis est motus timoris gehennæ, (VII. VIII.) ut docet mellifluus Doctor lib. *de modo bene vivendi* serm 4. *de Timore*. Vide Prop.51. c.7. num.3. Ex dictis collige, illud, quod legitur in objecto textu, *Dignoscimus ... fidei vitam ex operibus bonis*, explicandum esse de operibus vitæ æternæ meritoriis.

CAPUT VI.

Detegitur Hexaplorum perfidia in allegando S. Thoma, qui & à Collatore inanissimè imploratur. Col.618.

I. .. III. HExaplorum author in patrocinium Quesnellianæ 52. etiam adsciscit S. Thomam 2.2. q.5. a.2. ad 2. ubi sic loquitur: *Fides, quæ est donum gratiæ, inclinat hominem ad credendum secundùm aliquem affectum boni, etiamsi sit informis. unde fides, quæ est in Dæmonibus, non est donum gratiæ; sed magis coguntur ad credendum ex perspicacitate naturalis intellectus.* Tria hic docet S. Doctor, 1. fidem quæ est donum gratiæ, posse esse informem 2. fidem illam, etiam informem, inclinare hominem ex pio credulitatis affectu ad credendum; Tertiò Fidem Dæmonum non esse donum gratiæ, quia, & pio caret credulitatis affectu, & libertate; COGUNTUR enim *ad credendum ex perspicacitate naturalis intellectus*, non inclinantur secundùm affectum boni.

Quesnellus ex adverso veram ac supernaturalem fidem à charitate non dividit, & libertate exuit, dum per Prop.27. *fides est PRIMA gratia*; imò fidem informem cum fide Dæmonum confundit; ut c.2. vidimus; ergo recitatus Angelici textus adeò ei fatalis est, quam qui maximè. Neque id ignoravit qui cum nobis interfuit compilatur Hexaplorum; quapropter eum versione sua gallica adeò deturpavit, ut si quatuor priora verba excipias, nihil in eo sit S. Thomæ.

IV. V. Collator latinus majori fidelitate, non meliore tamen successu opem implorat à S. Thoma in ep. ad Heb. c.11. v.1. ubi ait: *Fides ordinatur ad res sperandas quasi quoddam inchoativum, in quo totum quasi essentialiter continetur, sicut conclusiones in principiis.* Imprimis lego hic fidem simpliciter, non fidem indivisam ab amore Dei, & fiducia; ergo locus ille probare non potest, omnia salutis media in tali fide tanquam in suo semine, aut germine contineri. Deinde illud *totum*, quod dicitur contineri in fide tanquam in suo inchoativo, non significat media salutis, sed ipsam visionem, *cognitionem*, aut *scientiam* beatificam, quæ quoad essentiam tota dicitur contineri in fide, quia easdem res de Deo jam credimus, quas postea videbimus: Hujus expositionis veritas patet ex his, quæ textui objecto pæcunt: *Fides nostra est*, inquit Angelicus, *ut credamus, quod Beati videbunt, & fruentur Deo. Et ideo, si volumus ad hoc pervenire, oportet, ut credamus principia istius cognitionis; & hæc sunt articuli fidei, qui CONTINENT SUMMAM HUJUS SCIENTIÆ.* Porrò sicut conclusiones in principiis non nisi obscurè videntur, clarè vero innotescunt, ubi ex principiis emerserint: ita objecta visionis Beatificæ *nunc per speculum in ænigmate* videntur in fide; at perspicuè cognoscentur, cùm ex statu fidei extracta, nobis in beatificæ visionis luce eluxerint. Particula *quasi* bis hic à S. Thoma adhibita denotat, non esse omnimodam proportionem inter modum, quo conclusiones continentur in principiis, & quo visio continetur in Fide. Ita S. Doctoris sententia plana, ac facilis est, & nullam errori umbram suppeditat.

CAPUT VII.

Subdola Collatoris observatio refellitur. Col.623.

FIdes non qualiscunque, inquit Collator, *sed talis quæ cum amore, & fiducia conjungitur, piè orat: atqui orationem piam, esse velut semen, & germen omnium gratiarum, omniumque virtutum, quis neget?* Præterea talis fides continet *voluntatem saltèm implicitam, ea omnia peragendi, quæ & Evangelium, &*

Ecclesia mandaverint: ergo continet omnia salutis media tum interna, quàm externa *ad eum ferè modum quo de VERO RECTI AMORE pronuntiat S.Leo Magnus, eum IN SEMETIPSO HABERE, & APOSTOLICAS AUTHORITATES, ET CANONICAS SANCTIONES.*

R.1. negando suppositum, aliam à Quesnello admitti veram fidem ac propriè dictam, quàm quæ cum amore Dei, & quidem justificante conjuncta sit: Vide c.2. num.1.

R.2. piam orationem esse ad summum germen, & semen earum gratiarum, quæ fidem supponunt, vel sequuntur, non quæ fidem præveniunt, ut per se evidens est: cùm enim pia illa oratio fide posterior sit, à fortiori posterior est iis gratiis, quæ fidem præcesserunt. Igitur si in tali fide, vel oratione contineantur omnia alia salutis media tanquam in suo semine, & germine; sequitur, non magis dari gratias ante fidem, quàm dari herbam sine semine contra ac definit tum Tridentinum sess.6. c.6. & can.3., tum Alexander VIII. damnatione hujus quintæ inter 31. *Pagani, Judæi, Hæretici, aliique hujus generis nullum omnino accipiunt à Jesu Christo influxum; adeoque hinc rectè infertes, in illis esse voluntatem nudam, & inermem sine omni gratia sufficienti.*

Quid quòd nego, in tali oratione contineri omnia alia salutis media fide etiam posteriora: Talis enim oratio juxta Quesnellum, est ex amore Dei justificante; [Vide c.2. num.1.] imò nisi ex tali amore nascatur, non erit bona, nec pia per Prop 44. & seqq. atqui inter fidem, & justificationem mediant non pauci actus supernaturales enumerati à Tridentino sess.6. c.6.: ergo sicut hi tali oratione priores sunt, ita & gratiæ, ex quibus eliciuntur; quarum proinde hæc oratio semen esse non potest.

Ex dictis sequitur, nihil ad rem facere quod additur de *voluntate implicita*: Id enim ad summum probat, aliqua, non omnia alia salutis media in fide tanquam in suo germine aut semine contineri: certè tali voluntate carent infideles, quibus tamen non negantur omnia salutis media juxta illud Prosperi, vel, ut vult Quesnellus, S. Leonis effatum l.1. de vocat.gentium c.21. *Quamquam credamus, NULLIS HOMINIBUS opem gratiæ in totum fuisse subtractam*, & c.26. *Quæ opitulatio* (gratiæ, ut immediatè præcedit) *per innumeros modos sive occultos, sive manifestos OMNIBUS ADHIBETUR.*

Quæres, cur Quesnelli Propositionem 52. rigidè accipiamus de omnibus planè salutis mediis in fide tanquam in suo semine contentis; & non potiùs benignè interpreteremur de solis salutis mediis fide posterioribus? quo pacto saltèm prima Propositionis pars tolerabilis foret.

R. quia sensus Propositionis obvius rigidam illam acceptionem significat; benigniorem autem respuunt tum Propositiones ejus 26., & 27., Jansenii, & Arnaldi erroribus illic c.3. recensitis consentaneæ; tum Propositio 44., & tot aliæ huic affines: juxta has enim omnis actio mala est, nisi prodeat ex charitate; quâ cùm careant Infideles, necesse est, eos in omni opere peccare, atque adeò omni bene agendi gratiâ esse destitutos: quo posito, manifestè sequitur, omnia planè alia salutis media in fide charitati conjunctâ tanquam in suo germine, aut semine contineri. Hæc omnia Collator fraudulenter dissimulat, quasi in nova Ecclesia hospes sit.

QUINQUAGESIMA TERTIA PROPOSITIO DAMNATA.

Sola Charitas Christiano modo facit (actiones Christianas) per relationem ad Deum, & Jesum Christum. *Observ. Moral. Coloss. 3. v.14.*

CAPUT I.

Propositio est contraria Scripturis Sacris. Col. 629.

I. PRæsenti errori, quem clarè jnata ac breviter exposuimus ad Prop.44. c.1. quæstione 3. probatione 3., repugnant Scripturæ loca, ubi Christus ipse hortatur ad gehennæ timorem, ut Lucæ 12. v.5. *Timete eum, qui postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam: ita dico vobis hunc timete:*

Hujus timoris Spiritum vocat S. Aug. lib. de grat. & lib. arb. c.18. *magnum Dei donum*: ergo dum quis ex tali spiritu facit actionem Christianam, actio illa fit ex magno Dei dono, fit ex ipsius Christi impulsu: ergo fit Christiano modo: ergo non sola charitas, verùm etiam Spiritus timoris operari potest christiano modo, & non raro ita operatur actiones Christianas.

II. Rursum Sacri codices commemorant, laudantque SS. Virorum actiones ex spe retributionis exercitas, citra mentionem ullam motivi charitatis, ut videre est ad Prop.49. c.1. num.2.; atqui ex Sanctorum actiones, & christianæ sunt, & christiano modo factæ: ergo non sola charitas ita eas facit (III.) Et cur Christus Apoc.2. v.10. Angelum sive Episcopum Smyrnæ motivo rependendæ *coronæ vitæ* excitat, ut sit *fidelis usque ad mortem*, si ex tali motivo, ibi sistendo, operari, non sit facere actionem Christianam Christiano modo?

CAPUT II.

Damnata Propositioni adversantur Concilii Tridentini, & Romanorum Pontificum definitiones. Col.631.

I. JUxta Tridentini can.28. sess.6. *amissa per peccatum gratia*, remanet vera fides, & *qui fidem sine charitate habet, Christianus est*: ergo peccator qui cum Dei auxilio ex tali fide stipem erogat ad obtinendam conversionem, facit ut christianus, seu christiano modo actionem christianam, licet ea non referatur ad Deum, & Jesum Christum per charitatem, sed per motivum charitate inferius.

II. III. Et quàm multi actus christiani fidei, timoris, spei, fiduciæ &c. ab eadem S. Synodo sess.6. c.6. præmittuntur justificationi, adeòque charitati: nam *quælibet charitas*, recte S. Thoma q.1. de charitate a.11. *sufficit ad salutem*, & consequenter justificat? Stante damnatâ doctrinâ, necesse est, actus illos non exerceri christiano modo, nec proinde disponere ad justificationem contra disertum Tridentini testimonium. Ostendimus ad Prop.44.c.1.q.3. Probatione 3. idem apud Quesnellum significare actionem malam, & actionem non christiano modo factam defectu charitatis: quo posito,

V. Hæc 53. Propositio involvit hanc, *Opera quæcunque sine charitate facta, sunt peccata, & Deum offendunt*, quam anathemate perculit Greg.XIII. Anno 1576. 24. Aprilis in Bulla cujus hoc est exordium: *Cùm Sacrosancta Romana Ecclesia.*

VI. Involvit præterea omnes eos damnatos articulos, quos longo ordine recensuimus ad Prop.44. c.4.

CAPUT III.

Propositio contraria est Doctrinæ Patrum, maximè S.Augustini. Col.635.

AD Prop.44. c.5. num.3. dedimus SS. Hieronymum, & Bernardum; ibid. c.6. à num.1. usque ad 6. dedimus S. Augustinum; rursum ad Prop.49. c.1.

c.1. num.6. 7. exhibuimus SS. Basilium, & Cyprianum proponentes, ut laudabile Christianarum actionum motivum vel timorem gehennæ, vel spem æterni præmii: unde conficitur, non solam charitatem facere actiones christianas christiano modo.

I. Iis textibus addamus aliquos hactenus non productos, quos claudet duplex Augustini sententia præsenti errori refutando aptissima.

Clemens Alexandrinus l.2. stromatum: *Prima quidem ad salutem inclinatio nobis fides apparet, post quam timor, & spes, & pœnitentia.* Hæc est ipsa Christianarum actionum series, quæ à Tridentino sess.6. c.6. recensetur, ut prævia ad justitiam dispositio: quis verò dicat, hominem ad justitiam disponi christianis actionibus non exercitis christiano modo?

S. Hieronymus in c.2. Michææ: *Qui pudore, & verecundia* [adeòque filiali charitate] *non tenentur, agant pœnitentiam saltèm comminatione pœnarum:* hortaretur ne S. Doctor ad pœnitentiam non christiano modo faciendam?

II.... IV. S. Augustinus serm.259. aliàs 19. ex Sirmondianis: *Fratres exhortamur vos in nomine Domini nostri Jesu Christi... ut omnis intentio vestra, quare CHRISTIANI estis, & nomen ejus in fronte, & corde portatis, non dirigatur nisi in illam vitam, quæ nobis cum Angelis est futura; ubi perpetua quies, sempiterna lætitia, indeficiens beatitudo, nulla perturbatio, nulla tristitia, nulla mors.* Ergo intentio, & Christo, & Christiano homine verè digna est, operari ex amore æternæ felicitatis: ergo non sola intentio charitatis facit actiones christianas christiano modo. Idem conficies ex præclarissimo Augustini loco relato ad Prop.44. c.13. n.19.

CAPUT IV.

Scholasticorum Principes, & Discipuli eorum præcipui consensu communissimo Propositioni refragantur. Col.639.

I. SAnctus Thomas p.3. q.85. a.5. *Actuum* (inquit, ad pœnitentiam concurrentium) *primum principium est Dei operatio... secundus actus est motus fidei: tertius est motus timoris servilis, quo quis timore suppliciorum à peccatis retrahitur: quartus est actus spei, quo quis sub spe veniæ consequendæ assumit propositum emendandi: quintus actus est motus charitatis, quo alicui peccatum displicet secundùm seipsum, & non jam propter supplicia.* Ecce quot actus procedentes ex gratia, ac proinde christiano modo exerciti; & tamen priores charitate. Id ipsum confirmat a.6. *Actus quidam LAUDABILES etiam tempore præcedere possunt actum, & habitum pœnitentiæ, sicut actus fidei, & spei INFORMIUM, & actus timoris servilis.* Actus illi fidei, & spei informes supponunt charitatis absentiam: & tamen sinè illa *laudabiles* pronuntiantur, quales non essent, si non fierent christiano modo.

II. Angelico consentit Seraphicus in opusc. de grat. sanctif. l.1. c.4. ubi timori servili effectus adscribit christiano homine dignissimos: TIMOR, inquit, *servilis duo facit: primum est, quod viam PRÆPARET charitati: secundum, quod retrahit à peccato metu pœnæ TANTUM.* In eamdem sententiam convenit Seraphici Magister Alexander Alensis p.3.q.76. memb.2. & 3. & longa sequacium turba, quos hic Author enumerat Jansenii temporibus anteriores, nec adversariis ullâ legitima ratione suspectos.

III. Inter hos Sanctitatis, & doctrinæ gloriâ inclytus est S. Franc. Salesius, cujus mens testatissima est, etiam ex solo *timore servili* aut *mercenaria* fieri actiones christianas christiano modo. Vide Prop.44. toto c.8. & Prop.49. c.1. n.6. & 7.

IV. Id ipsum pluribus locis tradit Bellarminus, cujus interdum Novatores malè intellectâ authoritate gloriantur. Is l.2. de Pœnit. capiti 17. hunc titulum præfigit, *Contritionem imperfectam, sive attritionem ex timore pœnæ* (à Deo infligendæ) *ortam, bonam, atque utilem esse.* Id contra Lutherum probat ex variis scripturæ textibus, qui agunt, inquit, *de timore, qui est in peccatoribus, & qui dilectionem præcedit:* Igitur talis contritio, & christiana est, & christianè fit, absente charitate.

V. Accedat & Cardinalis Aguirre, cujus acre juxta, ac æstimatissimum est, etiam apud novam factionem, judicium. Hic disp.129. sect.2. clarè edisserit, *ut actiones quælibet deliberatæ in materia virtutum moralium omni culpa careant; imò & honestæ sint, ac moraliter bonæ, non esse necessarium ex præcepto, ut explicitè referantur in gloriam Dei, vel fiant ex amore ipsius formali, aut virtuali; sed satis esse, ut fiant propter honestatem moralem intrà propriam materiam v.g. humilitatis, abstinentiæ, misericordiæ &c.* tum subjicit: *Hæc est communis, & vera Theologorum sententia,* quæ ibidem ab Eminentissimo Doctore extensa fuerat etiam ad *omnes peccatores infideles, & fideles, dum intrà statum peccati manent:* etenim, inquit, *quamvis omnes adstringantur præcepto divino, ac naturali ad diligendum super omnia Deum... id solùm intelligitur pro tempore determinato.* Infero: ergo, teste Eminentissimo Aguirre, actiones *intrà materiam* pietatis christianæ possunt fieri christiano modo sinè motu charitatis.

CAPUT V.

Damnata Propositio convellitur rationibus Theologicis deductis à Cardinale Aguirre, & recentissimè à Doctore Sorbonico. Col.645.

EX dictis ad Prop.44. c.1. quæst.3. Prob.3. constat, Quesnello idem esse actionem malam, & actionem non christiano modo factam defectu charitatis eam ad Deum, & J. C. referentis: hunc errorem refutavimus c.2. num.5. & 4. Eumdem refellit Eminentissimus Aguirre Disp.129 sect.2. ab absurdis quamplurimis, inter quæ duo seligimus ubi agitur de actionibus christianis.

Alterum, quod est ibi consectarium 2., respicit peccatores fideles: Si enim subsistat memorata Quesnelli doctrina; jam ,, in peccatoribus fidelibus ipsi actus religionis, fidei Theologicæ, ac spei, & pœnitentiæ
,, Christianæ præcedentes tempore justificationem,
,, erunt peccata defectu relationis in Deum propter se
,, dilectum amore supernaturali, quem supponimus in
,, iis peccatoribus non præcessisse, ac proinde nullum
,, influxum habere in ea opera. Eadem quoque ratio
,, erit de attritione ex metu pœnarum concepta, & ex-
,, cludente voluntatem peccandi, dum non ducitur,
,, neque innititur alicui dilectioni supernaturali Dei
,, propter se. Ea verò omnia esse partim cohærentia
,, Propositionibus Baji damnatis à Sede Apostolica;
,, partim dissidentia à doctrina Tridentini sess.6. can.6.
,, ostendemus abunde in progressu Disp. sequentis.,,

Alterum absurdum, quod est ibid. consectarium 5., ad justos attinet: ,, Sequitur quintò ,,, inquit, ,, omnes
,, actiones in materia virtutum quarumlibet elicitas ab
,, homine justo propter præmium à Deo obtinendum,
,, esse illicitas, quoniam finis movens ad exercendum
,, illas non est relatio aliqua explicita, sive formalis,
,, sive virtualis in gloriam Dei, cujus nulla cogitatio
,, animum pulsat; sed utilitas spiritualis præmii à Deo
,, sperati. Similiter neque ullus actus proprius Spei
,, theologicæ erit, qui vitiosus non sit, cùm omnis ejus
,, actio ducatur amore boni alicujus cedentis in com-
,, modum ipsius hominis sperantis. Consequens autem
,, est contrarium Concilio Trident. sess.6. can.26. &
,, can.31. &c.

Eminentissimo Hispano succedat Franciscus Maria Assermet Doctor Sorbonicus, qui in *Tractata Scholastica positiva de Divina gratia* edito Ann.1715. tom 2. pag.747. ita eamdem 53. Propositionem exagitat:
,, Nonne ,,, inquit, ,, actio Christiana est illa, quæ à
,, J.C. præcepta, & ejus spiritu ducta, fit in honorem
,, ipsius; etsi is qui illam præstat, sit adhuc peccati mor-

„ mortalis conscius? Ecquid actiones fidei in Christum
„ non erunt actiones Christianæ?... Ergo Christianus
„ sinè charitate non est Christianus? En præclara
„ illius Propositionis documenta. „ Simile de eâdem judicium tulit alter Doctor Theologus Gallus in libro cui titulus *Defense de la Constitution &c.* pag.275. & sequenti: prodiit hic Ann.1714.

CAPUT VI.

Inanis adversariorum ad Scripturas provocatio. Col.650.

I. OBjicitur 1. illud Apost. 1. cor.13. v.1., & seqq. *Si linguis hominum loquar, & Angelorum ... & si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam .... & si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas &c. charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.*

R. cum S. Thoma in hunc locum: *nihil mihi prodest,*
„ scilicet quantum ad meritum vitæ æternæ, quæ solis
„ diligentibus Deum repromittitur: „ Non solas autem Christianas actiones vitæ æternæ meritorias fieri christiano modo, 5. superiora capita luculentissimè demonstrarunt; imò textus ipse objectus evincit, in quem rursus S. Thomas: „ Potest exponi id quod
„ dicit [Apostolus] *omnem fidem*, id est, omnium ar-
„ ticulorum; sed melius est, ut exponatur *omnem*, id
„ est, perfectam fidem, propter illud, quod subditur,
„ *ita ut montes transferam*.„ An perfecta fides non christiano modo elicitur?

V. Objicitur 2. ex eodem Apost. 1. cor.10. v.31. *Sive ergo manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.* Similia habentur Col.3. v.17. & 1. cor.16. v.14.

His cumulatissimè responsum est ad Prop.44. c.12. n.2. & 3. ex Augustino, Angelico, & Salesio.

VI. Cardinalis Aguirre totâ Disp.130. strenuè resistens obligationi referendi opera singula in Deum ex motivo charitatis, adducto pro se clarissimorum Scriptorum testimonio, demum sect.4. num.4. ita concludit:
„ Mitto reliquos scholasticos per omnia subscribentes,
„ & solùm moneo, adeò certam iis esse nostram senten-
„ tiam, ut quatuor nuper allegati, nimirum D. Tho-
„ mas, S. Bonaventura, Scotus, & Durandus, om-
„ nesque illorum sectatores, inter quos circa res alias
„ in scholis controversas aere dissidium esse solet, in hac
„ sinè pugna aut altercatione convenerint: quod sanè
„ argumento est, certissimam illam iis omnibus exti-
„ tisse.„

Imò Lutherus ipse Scholasticos omnes trium sæculorum sibi adversari confessus est, uno dempto Ariminensi, quem à cæteris non tantùm impugnatum asserit, sed gravibus etiam vapulasse censuris.

CAPUT VII.

Frustrà pro defensione damnati articuli recurritur ad S. Augustinum. Col.655.

I. II. OBjicitur 1. lib. de grat. Christi c.26. *Etsi Dei mandatum videtur aliquando non à diligentibus, sed à timentibus fieri; tamen ubi non est dilectio, nullum bonum opus imputatur; nec rectè bonum opus vocatur; quia omne, quod non ex fide est, peccatum est. Et fides per dilectionem operatur.*

Ante responsionem Nota 1. apud Augustinum non infrequenter sumi *dilectionem* pro *gratia*, & ita hic accipi, solus ferè libri titulus probat in *gratiæ Christi* defensionem conscriptus. Vide quæ diximus ad Prop.44. c.13. num.8.

Nota 2. duplicem esse timorem; supernaturalem unum, naturalem alterum, seu merè humanum, qui pœnas ab hominibus inferendas effugere unicè intendit, paratus propterea Dei mandata vel facere, vel omittere.

His suppositis, objectum textum ita facilè explicamus.

Etsi Dei mandatum videtur aliquando fieri ab iis, qui non agunt ex impulsu gratiæ, *sed* timoris; *tamen ubi non est dilectio*, id est, ubi est merus timor, & sejunctus à gratia, imò gratiæ contrarius, *nullum bonum opus imputatur*; quid, quòd nè quidem *rectè bonum opus vocatur*; ratio est: *quia quod non ex fide est*, sive quod dictamini fidei adversatur, ut adversatur Divini mandati executio ex perverso illo timore profecta, *peccatum est*; *& fides* seu fidei dictamen *per dilectionem*, hoc est, per gratiam *operatur* mandati executionem dictamini fidei conformem.

Cæterùm licèt Augustinus posteriorem illum metum sæpe reprehendat, præsertim in Judæis, quorum non pauci eo in agendo ducebantur; tamen alterum, qui etiam pœnarum est, sed à Deo, præsertim post hanc vitam, infligendarum, frequentissimè commendat, & *magnum Dei donum* appellat lib. de grat. & lib. arb. c.18.; unde ex illo timore agere, est agere ex gratia, sive, Augustini phrasi, ex *dilectione*.

III. Objicitur 2. enarr. in Psal.77. n.41. *Ea quippe sola bona opera dicenda sunt, quæ fiunt per dilectionem Dei.*

R. *bona opera* hic intelligenda esse meriti capacia, ut suadent verba præcedentia: *Credenti in eum, qui justificat impium, deputatur fides ad justitiam; ut deinde,* acquisitâ justitiâ, & charitate, *fides per dilectionem*, seu charitatem propriè dictam *incipiat operari*: *ea quippe sola bona opera dicenda sunt, quæ fiunt per dilectionem Dei*: ratio, cur sola charitatis opera vocentur per excellentiam *bona*, petitur ex Apostolo 1. Cor.13. v.3. *si ... charitatem ... non habuero, nihil mihi prodest*;
„ scilicet quantum ad meritum vitæ æternæ, „ ut explicat S. Thomas in hunc locum.

IV.... VI. Cæterum ab Augustino agnosci opera bona, licèt inferioris ordinis, quorum principium non est propriè dicta charitas, ostendimus ad Prop.44. c.5. num.2.; item toto capite 6. & c.13. n.12. &c. quibuscum quævis alia S. Doctoris loca facilè in concordiam adducuntur, modò tollatur terminorum, quibus subinde utitur, ambiguitas; sub qua latentes Novatores ejus authoritatem Ecclesiæ definitionibus tantò impudentiùs objectant, quantò certius hoc suum axioma existimant: *Ubi quis invenerit doctrinam in Augustino clarè fundatam, illam absolutè potest tenere, & docere, non respiciendo ad ullam Pontificis Bullam,* quam Propositionem inter 31. ab Alexan. VIII. proscribi, tulere cum stomacho Quesnellus, atque Arnaldus. Audiatur Angelicus 2. 2. q.11. a.2. ad 3. „ Hæ-
„ reticus censetur, qui pertinaciter repugnat determi-
„ natis authoritate universalis Ecclesiæ, quæ quidem
„ authoritas principaliter residet in summo Pontifice..
„ ... contra cujus authoritatem nec Hieronymus, nec
„ Augustinus, nec aliquis sacrorum Doctorum suam
„ sententiam defendit: „ nec ipse S. Augustinus suam ita defendi voluit, cùm lib. de dono persev. c.21. num.55. scribat: „ Neminem velim sic amplecti omnia
„ mea, ut me sequatur, nisi in iis, in quibus me non
„ errasse perspexerit.„

VII. VIII. Objicitur 3. lib. de corr. & gr. c.3. „ Præ-
„ cipit Apostolus dicens; *omnia vestra in charitate*
„ *fiant*.„

R. sensum esse: nihil fiat contra charitatem proximi; de hac enim, & vitiis ei oppositis ibi agit S. Doctor, ut ex contextu manifestum est.

Instabis: S. Thomas in 1. Cor.16. v.14. sic explicat: „ *Omnia*
„ *vestra in charitate fiant*, id est, omnia fieri debent ad
„ finem charitatis; scilicet ut fiant propter Deum, &
„ proximum.„

R. Ita fieri, quando fini illi non sunt contraria, sed nata sunt tum in Dei gloriam, tum in proximi ædificationem cedere; nihil autem plus velle Doctorem Angelicum, probavimus ex perspicuis ejus verbis relatis ad Prop.44. c.12. num.2. & 3.: item c.14. num.1. in fine: sed de S. Thoma plura capite sequenti.

IX... XI. Planè etiam legi meretur A lapide in 1. Cor. 10. v.31. Alterum, qui objicitur, Augustini locum depromptum ex l.4. contra Julianum c.3. n.21. exposuimus ad Prop.48. c.4 n.6... 8.

Ex-

Expedienda nunc sunt, quæ à latino Collatore pro damnata Propositione ex eodem Augustino intorquentur.

XII. Objicitur itaque 4. ex l.1. de Doct. Christ. c.22.
„ Hæc regula dilectionis Divinitus constituta est: *Diliges*, inquit, *proximum sicut te ipsum: Deum verò ex tota corde, & ex tota anima, & ex tota mente*, ut omnes cogitationes tuas, & omnem vitam, & omnem intellectum in illum conferas, à quo habes ea ipsa, quæ confers. Cùm autem ait, *tota corde, tota anima, tota mente*, nullam vitæ nostræ partem reliquit, quæ vacare debeat, & quasi locum dare, ut aliâ re velit frui; sed quidquid aliud diligendum venerit in animum, illuc rapiatur, quò totus dilectionis impetus currit &c. „

R. primo mirum esse, similia nobis ex Augustino à Novatoribus opponi: compertissimum enim est, eos post Jansenium [Vide Prop.44. c.1. num.5.] omnem amorem improbare, præter eum, qui in Deo gratis dilecto terminatur? Atqui dilectio, quam toto capite objecto commendat Augustinus, est sola dilectio concupiscentiæ, amor spei, amor, quo Deo frui cupimus; sic enim loquitur: „ In .... omnibus rebus „ illæ tantùm sunt, quibus fruendum est, quas æternas, „ atque incommutabiles commemoravimus; cæteris au„ tem utendum est, UT AD ILLARUM FRUITIO„ NEM PERVENIRE POSSIMUS: „ & hoc est juxta S. Doctorem Deum propter se diligere, cætera verò propter Deum: vetat autem, nè res ulla propter se diligatur: „ quod enim, inquit, propter se dili„ gendum est, in eo constituitur VITA BEATA... „ sed nec se ipso quisquam frui debet ... quia nec se „ ipsum debet propter se ipsum diligere, sed PRO„ PTER EUM, QUO FRUENDUM EST: Tunc „ quippe est optimus homo, cùm totâ suâ vitâ PER„ GIT IN INCOMMUTABILEM VITAM, & toto „ affecto inhæret illi. „ Ex hac postrema periodo

R. secundò, eam diligendi Dei rationem, & normam non vulgaris perfectionis, quâ quis *est optimus homo*, sapienter vocari *regulam*; ut enim illam explicat Augustinus, est quid mixtum ex consilio, & præcepto. Præceptum est 1. ut omnes cogitationes &c. in eum conferamus, à quo ea ipsa habemus, quæ conferimus; sed negamus id alia ratione fieri non posse, quamsi omnia, & singula agamus ex motivo charitatis seu amoris gratuiti, de quo hic nulla apud Augustinum mentio.

XIII. Modum humanæ infirmitati magis accommodatum, quo omnia in Deum seu Dei laudem conferamus, tradit Hipponensis Doctor duplici loco à nobis recensito ad Prop.44. c.12. n.2.

XIV. Hinc Cardinalis Aguirre disp.130. sect.11. n.128. optimè advertit, ex objectis Augustini verbis l.1. de Doct. Christ. c.22. „ summam colligi obligationem, „ referendi in Deum semper, & ubique omnes delibe„ ratas cogitationes, affectiones, & opera nostra aut „ relatione formali explicitâ, aut virtuali, aut impli„ citâ saltèm, & intimè clausâ in ipso explicito amore „ honestatis moralis. „ Tum de triplici illo relationis modo ita subjicit: „ satis erit ad implendum id præ„ ceptum Divinum, ut juxta quemlibet eorum „ [mo„ dorum] „ quidquid in nobis est, ad Dei gloriam „ referamus; „ salvo semper mandato charitatis suo tempore adimplendo.

Præceptum est 2. ut nullâ re extra Deum frui velimus; quia alioqui in ea *constitueretur vita beata*, quæ in solius Dei fruitione reponenda est: creaturis scilicet utendum, non fruendum est. Inter cætera, quæ ibidem ab Augustino commemorantur, consilii est, in singulis vitæ partibus tanto affectu Beatæ, & incommutabili vitæ inhærere, *ut quidquid aliud diligendum venerit in animum, illuc rapiatur, quò totus dilectionis impetus currit*: is impetus nondum est in peccatoribus, qui terrenarum voluptatum cœno immersi beneficio salutaris metûs gehennæ paulatim, sed planè Christiano modo disponuntur ad justificationis gratiam, ut docet Tridentinum sess.6. c.6.

Textui ex Enchiridio ad Laurentium c.121.; item alteri ex l. de grat. & lib. arb.c.18. satisfecimus ad Pr.47. c.5. num.1. & 5.

CAPUT VIII.

Non minùs inanis adversariorum recursus est ad reliquos SS. Patres. Col.667.

I. OPponitur 1. S. Justinus Dial. contra Tryphonem: *Rectè dixit Dominus noster J.C., duobus præceptis* [charitatis Dei, & proximi] *contineri plenariam pietatem, atque justitiam*.

R. idem dixisse Apostolum Rom.13. v.10. *Plenitudo ... legis est dilectio*, quia hæc nempe ad omnia mandata sive quæ Deum, sive quæ proximum spectant, exequenda inclinat, & sufficit juxta illud 1. cor.13. v.4. & seqq. *charitas patiens est, benigna est &c.* quod non obest, quo minùs Christianæ pietatis, ac justitiæ opera, ex alterius virtutis quàm charitatis imperio profecta, dici possint Christiano modo exercita: neque enim primum excludit secundum, ut per se evidens est. Sed nimiùm frivolæ objectioni immoramur.

II. Opponitur 2. S. Prosper l. contra Coll. c.22. „ Quid „ ad renovationem miseræ vetustatis, idonenam definit „ prævaricatricis scientiæ nuditatem? *Quasi* ista scien„ tia vel ex naturæ opibus residua, vel ex legalis do„ ctrinæ eruditione quæsita, possit sui perceptione præ„ stare, ut quod faciendum noverimus, etiam facere „ diligamus, aut *ullus sit bonæ voluntatis motus, nisi* „ *quem creaverit diffusæ per Spiritum Sanctum charitatis* „ *afflatus*. „ Hexapla, & nuperus Collator sola objiciunt verba, quæ hic Italico charactere distinximus: cætera, nullo dato omissionis indicio, suppressa sunt fide non bonâ: nam

R. ex iis luce clarius esse, S. Prosperum tantùm velle, minimè sufficere legis scientiam, *ut quod faciendum noverimus, etiam facere* velimus, seu *diligamus*; sed ad hoc requiri gratiam; cùm nullus *sit bonæ voluntatis motus, nisi quem creaverit diffusæ per Spiritum Sanctum charitatis afflatus*; hoc est, nisi quem actualis gratia produxerit; hanc enim etiam apud Augustinum subinde venire nomine *diffusæ per Spiritum Sanctum charitatis*, pridem annotavit Jansenii debellator Stephanus Deschamps *de Hæresi Janseniana* l.3.disp.3 c.16. cæterum *bonæ voluntatis motus* est motus salutaris *ad renovationem miseræ vetustatis* conducens. Igitur ex allegato Prosperi textu non sequitur, *solam charitatem*, ut est tertia virtus theologica, *facere actiones Christianas Christiano modo &c.*

III. Opponitur 3. S. Basilius in Reg. fusiùs disput. Interrog.5. „ Christianus si actiones suas omnes sive „ minores, sive majores ad Dei voluntatem direxerit „ .... Pauli præcepto illi satisfaciet: *Sive manducatis,* „ *sive bibitis, omnia in gloriam Dei facite*. „

R. actiones omnes eo ipso in Dei voluntatem dirigi, quo voluntati ejus conformes sunt: tales autem sunt, quæcunque ejus gloriæ non adversantur, sed in eam cedere natæ sunt: sic enim eas Deus à nobis exerceri vult, ad quod non semper opus est motivo charitatis. Ita planè Apostoli sententiam explicat Augustinus, cujus verba dedimus ad Prop.44. c.12. num.2. Ita quoque Theophylactus eam interpretatur his verbis: „ Om„ nino quamcunque rem in gloriam Dei quispiam agit, „ quando neque alium scandalo quopiam lædit, neque „ se ipsum; neque hominibus placere studens, neque „ ex affectu aliquo perturbato. „

Ipsum S. Basilium Quesnello contrarium exhibuimus supra c.3.

IV. Opponitur 4. S. Bern. serm.2. de diversis num.5. *Quidquid facimus, jubemur facere in gloriam Dei*.

R. solutionem ex proximè dictis patere.

V. Opponitur 5. idem Mellifluus serm.2. de diversis, qui *de miseria humana* inscribitur. *Totum est vanitas, totum stultitia, totum dementia, quidquid facit in hoc mundo, præter id solum, quod in Deum, & propter Deum, & ad honorem Dei facit*.

R. S. Doctorem totâ illâ concione id unum contendere, quòd totum sit vanitas, stultitia &c. præter studium, & curam salutis, quod moraliter loquendo, ut Con-

cio-

cionatores loqui solent, verum est: omnia autem quæ facimus ad salutem, facimus eo ipso *in Deum, & propter Deum, & in ejus honorem*; licèt singula non fiant ex charitate: Salus enim nostra eò ordinatur, ut in æternum Dei misericordias cantemus. Si totum foret vanitas, stultitia &c. præter id, quod fit ex motivo charitatis, dicendus esset S. Bernardus hortari peccatorem ad actionem vanam, & stultam, dum ibid. ait: *Displiceat tibi super omnia ... quòd Dominum immensæ Majestatis, habentem potestatem omnis carnis, & mittere corpus, & animam in gehennam ausus fuisti offendere.*

VI. Opponitur 6. Idem S. Doctor Serm. 1. in octav. Paschæ num. 7. *Ambitionem vanitatis virtus charitatis excludat, quæ sola castificat animum, sola purgat intentionem.*

R. primò Tò *sola* excludere *ambitionem vanitatis*, non cæteras virtutes à charitate distinctas, ex quarum motivo fieri actiones christianas christiano modo, docet S. Bernardus in responsione ad objectionem præcedentem.

R. secundò objectam sententiam hoc quoque sensu verissimam esse, quòd sola charitas, & *animum*, & *intentionem* perficiat: Castificari enim, vel purgari dicitur non modò quod ex malo bonum; sed etiam quod ex bono melius efficitur.

VII. Opponitur 7. ex epist. Cœlestini ad Galliarum Episcopos c. 8. sequens testimonium: *Quòd omnia studia, & omnia opera, ac merita Sanctorum ad Dei gloriam, laudemque referenda sint; quia nemo aliunde ei placeat, nisi ex eo, quod ipse donaverit.*

R. Authorem Hexaplorum non feliciùs hinc, quàm ex præcedentibus authoritatibus probare, omnia, & singula ex charitate, vel motivo Divinæ gloriæ agenda esse; vox enim *referre* tum in allegato Cœlestini textu, tum in aliis frequenter nihil aliud significat, quam actiones omnes salutares esse Deo tanquam earum authori tribuendas; quod scienti, quid inter Pelagianos ac catholicos controverteretur, & consideranti textum Cœlestini integrum ita in oculos incurrit, ut cæcus sit oportet, qui id non perspiciat. Id ipsum vult S. Prosper in Responsione ad capitula Gallorum ad objectionem 3.: *Igitur sicut bona opera ad inspiratorem eorum Deum, ita mala ad eos sunt REFERENDA, qui peccant.* Item ad object. 15. *Bona ad largitorem, cooperatoremque eorum Deum; mala autem ad voluntariam rationalis creaturæ nequitiam REFERENDA sunt.*

Hoc sensu perspicua fit veritas ab Augustino inculcata l. 4. contra Julianum c. 3. num. 17. *Cùm non ad suum REFERUNTUR authorem dona Dei, hoc ipso mali his utentes efficiuntur injusti*; quia nimirum quæ Deo tribuenda sunt, sibi tribuunt, atque indè vanam captant gloriam. Nam *admoniti ab Apostolo sumus*, inquit S. Augustinus serm. 160. aliàs 11. inter editos ex MSS. Magnæ Carthusiæ, *ut qui gloriatur, in Domino glorietur ... Hoc est in Domino gloriari, non in sua, sed in ejus justitia gloriari .. De sua quippe justitia glorianti dictum est, QUID ENIM HABES, QUOD NON ACCEPISTI?* Et in Psalm. 56. num. 4. *Non ergo in te debes gloriari; prohibuit veritas: sed quod ait Apostolus, hoc præcepit veritas, QUI GLORIATUR, IN DOMINO GLORIETUR. Date ergo gloriam laudi ejus. Nolite imitari Judæos, qui quasi meritis suis volebant tribuere justificationes suas.*

His adde ea quæ diximus ad Prop. 48. c. 4. num. 6. ... 8. Denique quidquid in hac responsione probare intendimus, brevissimè expressit S. Doctor Hipponensis serm 68. alias de diversis 21. num. 5. *Hoc est ergo glorificare Deum, gratias agere Deo? Hoc sanè.* Non monendum puto, hæc duo multùm differre: gratias agere Deo pro bono opere, seu bonum opus Deo tanquam authori adscribere; &, bonum opus ex charitate vel motivo Divinæ gloriæ exercere: primum enim à charitate præscindit, non secundum.

VIII. Opponitur denique 8. S. Leo serm. 2. de jejunio Pentec. c. 4. *In mandatis, quæ patrimus efficere, contineamus nos ab inflatione jactantiæ, ad Dei gloriam cuncta REFERENTES, qui & bonorum est inspirator voluntatum, & bonarum est author actionum.*

R. hunc locum non magis ad rem facere, quàm allatum in superiori objectione Cœlestini testimonium: utrobique enim vox *referre* eodem modo accipitur, ut consideranti patebit.

CAPUT IX.

Novitatem non juvat, sed destruit S. Thomas Col. 673.

I. II. ALlegatur 1. à nupero *Collatore* S. Thomas in ep. ad Coloss. c. 3. lect. 3. ubi ait: „ *Omnia in* „ *nomine Domini nostri Jesu Christi*: quidam dicunt, „ quod hoc est consilium; sed hoc non est verum. „

R. Angelicum se explicare verbis immediatè subnexis, quæ fraudulenter omissa sunt: „ sed dicendum est, „ quòd non est necessarium, quòd omnia in Deum re- „ ferantur actu „ (ut volunt Novatores) „ sed habitu; „ qui enim facit contra gloriam Dei, & præcepta ejus, „ facit contra hoc præceptum: ubi si cum S. Salesio „ [adi Prop. 44. c. 12. num. 3.] per *habitum* intelligas habitum charitatis, sensus erit; teneri unumquemque se, & omnia sua bona ordinare in Deum per habitum charitatis, nihilque committere, quod huic repugnet; ut l. c. ex S. Salesii mente declaravimus.

Facit igitur *contra hoc præceptum* primò peccator, qui converti, & se, ut dictum est, ordinare in Deum nimiùm differt: facit secundò tum justus, tum peccator, qui se quovis alio scelere inquinat: si verò neutrius actio sit contra gloriam Dei, & præcepta ejus, non erit etiam contraria Apostolico præcepto. Hinc S. Thomas in quibusvis peccatoribus admittit, dari posse actiones innocuas, quæ tamen nullo modo referuntur in Deum ex charitate. Sic enim scribit in ep. Rom. c. 14. lect. 3. *Cùm aliquis infidelis ex dictamine rationis aliquod bonum facit, non referendo ad malum finem, non peccat; non tamen apud ejus est meritorium; quia non est gratia informatum.* Rursus in ep. ad Titum c. 1. lect. 4. commentans hæc Apostoli verba *Coinquinatis autem, & infidelibus nihil est mundum* ait: *Quando peccator facit aliquod bonum secundùm quod est peccator, & infidelis, totum est peccatum ex radice; sed, si quid facit ex principio alicujus boni, quod habet, ut fidei informis, vel naturæ, non est immundum.*

III. Allegatur 2. à Collatore, & Hexaplis idem Angelicus 2. 2. q. 69. a. 1. ubi dicit: *sed contra; ex præcepto tenemur omnia in gloriam Dei facere, ut patet 1. Cor. 10.*

R. iterum pessimâ fide suppressa esse verba intermedia: textus enim integer sic habet: *sed contra; omne quod est contrarium Divinæ gloriæ, est peccatum mortale; quia ex præcepto tenemur omnia in gloriam Dei facere*, id est, nihil facere, quod sit contrarium Divinæ gloriæ, ut proximè vidimus, & hæc ipsa verba satis insinuant. Si quid pro Adversariis probaret objecta sententia, probaret, actiones non relatas in Deum ex charitate esse totidem peccata mortalia; hinc talis est inscriptio articuli: *Utrum absque peccato mortali possit accusatus veritatem negare*: negare non posse citra mortale, probatur illic in argumento *sed contra* exemplo Achanis Josue 7.

Quid requiratur, ut actio conformis sit huic Apostolicæ sanctioni 1. cor. 10. v. 31. *Omnia in gloriam Dei facite*, iterum declarat S. Thomas in eum ipsum Apostoli locum: *Relatio hæc*, inquit, *in gloriam Dei intelligitur vel in actu, vel in aptitudine referendi*; quibus consonat doctrina, quam tradit 2. 2. q. 24. a. 8. c.; obligari scilicet hominem, *ut nihil cogitet, vel velit; quod Divinæ dilectioni sit contrarium*. Vide etiam Prop. 46. c. 2. n. 1.

IV. Allegatur 3. ab iisdem Aquinatis sententia 1. 2. q. 100. a. 10. cujus hic titulus: *Utrum modus charitatis cadat sub præcepto*; ubi sic fatur: *Ad secundum dicendum, quòd sub præcepto charitatis continetur, ut diligatur Deus ex toto corde, ad quod pertinet, ut omnia refe-*

referantur in Deum ; & ideo præceptum charitatis implere homo non potest, nisi etiam omnia referantur in Deum.

R. hunc quoque locum perperam adversùs Pontificiam Bullam intorqueri ; neque enim asserit Angelicus, id semper, & in omni actione requiri ; quandoquidem illic perspicuè docet, *posse contingere, quòd aliquis impleat præceptum de honoratione parentum, non tunc transgrediatur præceptum de omissione modi charitatis.* Rationem præmiserat : *cùm ista sint duo præcepta affirmativa, non obligantia ad semper, possunt pro diversis temporibus obligare* „ puta „ inquit nota marginalis, „ quodam tempore ad colendos parentes, quodam ad „ diligendum Deum, sive actum dilectionis Dei exer„ cendum. „ (V.) Meretur legi totus articulus.

Quâ ratione exponit Angelicus præceptum Christi, eâdem etiam explicat præceptum Apostoli 1. Cor. 10. v. 31., ut vidimus num. 3. in fine, ubi ait : *Cùm illud præceptum Apostoli sit affirmativum, non obligat ad hoc, quòd semper observetur in actu.*

VI. VII. Si *modus charitatis* deberet sub præcepto afficere singulas actiones ; quæcumque non referrentur in Deum actu charitatis, jam essent peccata : atqui hoc manifestè pugnat cum doctrina S. Thomæ relatâ *num. 1., 2.* ergo &c.

Probanda est major, non contra Quesnellum, qui ultro concedit, vitiosum, ac corruptum esse, quidquid non procedit ex charitate, per Prop. 44. 45. &c. sed contra quosdam Belgas, qui inter Angelici sententiam hactenus expositam, & Quesnellianam ab Ecclesia reprobatam, viam quasi mediam inire tentant, obligationemque referendi omnia in Deum ex charitate ita admittunt, ut tamen dicant 1. non opus esse formali relatione, sed sufficere virtualem, quam sic explicat author famosi *Tirocinii* instituendis præsertim Lovaniensibus editi, ut tantùm extrinsecè differat à formali, & utraque verè sit actualis : verba ejus dedimus ad Prop. 44. c. 12. n. 3. in fine.

Dicunt 2. licèt obligatio sit, actualiter, vel virtualiter referendi omnia, & singula in Deum ex charitate ; actionem tamen ipsam v. g. temperantiæ, modò ex objecto, & fine proximo bona sit, omissione præceptæ relationis non vitiari, sed solum operantem.

Contra hoc umbratile discrimen, quo se Lovanienses illi præcipuè conantur secernere à Bajo, Jansenio, & Quesnello, probanda est major superiùs posita, & attendendum, quòd si *modus charitatis*, seu *relatio ex charitate* debeat ex præcepto afficere omnes, & singulas actiones, hæ vitiosæ sint ac peccaminosæ, quotiescunque relatio illa prætermittitur.

Probatur autem breviter ex S. Thoma in 2. sent. d. 41. q. 1. a. 2. ad 4. ubi ait : *non oportet, ut actus infidelium, qui in finem illum non est ordinatus, semper sit PECCATUM; sed solùm pro tempore illo, in quo tenentur actum suum in finem ultimum referre* : ergo, juxta Angelicum, quando actus in finem ultimum referendus est, & non refertur, actus ille est PECCATUM : ergo falsum est, quòd omissio relationis non inficiat actum, sed solum agentem. Et quis non videat, actionem æquè vitiari, quando ei deest præcepta relatio, quæ adesse deberet, quàm quando adest v. g. finis vanus, aut superfluus, qui abesse deberet ? Nonne manus tam deformatur defectu digiti quinti requisiti, quàm accessione sexti superflui ?

CAPUT X.

Refellitur observatio Hexaplorum. Col. 680.

I. II. HExaplorum author ferociter insultat non nemini, quòd fretus authoritate Bullæ *Unigenitus*, & S. Thomæ, in publicis thesibus sustinuerit, non esse obligationem, omnia opera exercendi motivo charitatis : Magnum enimverò piaculum ! Atqui S. Thomas, inquit compilator, manifestè obligationem illam defendit : R. ex dictis superiori capite, luce clarius esse, Angelicum ita favere communi Scholarum catholicarum sententiæ, ut non nisi per summam injuriam, & impudentiam possit ad Novatorum placita detorqueri.

III. IV. Ibidem etiam num. 6. 7. S. Doctorem adversari ostendimus mediæ cuidam nonnullorum Lovaniensium opinioni illic expositæ, & refutatæ.

CAPUT XI.

Ab adversariis perperam allegatur libellus De Imitatione Christi. *Minùs perspecta, & minùs secura apparet doctrina quædam libelli* De principiis vitæ christianæ. *Col. 684.*

I. SApienter monet piissimus author *Imitationis Christi* l. 3. c. 9. ut omnia in Deum tanquam *finem nostrum supremum, & ultimatum* referamus ; utque *singula* consideremus *sicut ex supremo bono manantia* ; ideoque ad Deum *tanquam ad suum originem cuncta* reducamus : utrumque præstat, qui & certis temporibus Deum juxta præcepti vim diligit, eique de omnibus, ac singulis beneficiis gratias agit : quòque id frequentiùs præstiterit, eò magis affectus ejus à creaturarum amore purgabitur : sed in objectis verbis nulla mentio perpetuæ obligationis, referendi omnia, & singula in Deum ex charitate. Adde, Asceticos multa movere, & commendare, quæ christianæ perfectioni, non vitando peccato sunt necessaria.

II. III. *Principia vitæ christianæ*, an in præsenti materia satis consentiant doctrinæ catholicæ, perinde non liquet : certè non esse usquequaque ab errore intacta, insinuat hæc eorum sententia parte 1. §. 32. „ Etsi quis „ distribuerit in cibos pauperum omnes facultates suas, „ & tradiderit corpus suum ita, ut ardeat ; nisi hoc PU„ RE fiat OB AMOREM DEI, nihil prodest ; „ unde proclivis illatio est, attritione descriptâ à Tridentino sess. 6. cap. 6. & sess. 14. cap. 4. peccatorem minimè *ad ipsam justitiam*, aut *justificationis gratiam in sacramento* seu baptismi, seu *pœnitentiæ impetrandum disponi* : nullus enim dixerit, attritionem illam *purè* elici *ob amorem Dei*, ex quo nisi opus fiat, *nihil prodesse* asseritur. Plura erronea consectaria prætermitto, quæ ex eodem dogmate facillimè deducuntur.

QUINQUAGESIMAQUARTA PROPOSITIO DAMNATA.

Sola charitas est, quæ Deo loquitur : hanc solam Deus audit. *Observ. Moral. 1. Cor. 13. v. 1.*

CAPUT I.

Perversa Propositionis novitas repellitur. Col. 688.

CUm hæc Propositio sensu non discrepet à quinquagesimâ, eò lectorem in hac synopsi remittimus.

CAPUT II.

Objectiones dissolvuntur. Col. 702.

I. . . . III. OBjicitur 1. illud Apostoli 1. Cor. 13. *Si linguis hominum &c. factus sum velut æs sonans aut cymbalum tinniens*, quod Quesnellus in sua versione gallica ita adulteravit : *NON sum NISI velut æs sonans &c.*

R. hujus loci genuinam expositionem ex S. Thoma traditam esse ad Prop. 50. c. 5. n. 3.

IV. . . . VI. Objicitur 2. S. Augustinus in Psal. 37. n. 14.

Conti-

Continuum desiderium continua vox tua est: tacebis, si amore defieris. Frigus charitatis, silentium cordis est: Flagrantia charitatis, clamor cordis est.

R. apertissimam futuram fuisse Augustini sententiam, nisi Collator, & Hexapla suppressissent quæ immediatè sequuntur, & præcedunt. Sequuntur hæc: *Si semper manet charitas, semper clamas; si semper clamas, semper desideras; si desideras, requiem desideras*: præcedunt verò: *Desiderium tuum oratio tua est: &, si continuum desiderium, continua oratio... Quidquid aliud agas, si desideras illud Sabbathum* (æternam requiem,) *non intermittis orare; si non vis intermittere orare, noli intermittere desiderare*: charitas ergo, quæ hic ad orationem requiritur, est ea, quâ æternam requiem desideramus; hæc verò cum consistat in privatione omnis mali, & possessione omnis boni, certè qui ulterius desiderio tangitur, non facile est, ut oret: Hinc ergo minimè inferri potest, solam charitatem, ut est tertia virtus Theologica, Deo loqui, eamque solam à Deo exaudiri: imò verò catholica doctrina ex objecto Augustini textu egregiè confirmatur, ut consideranti patebit. Porrò charitatem à S. Doctore in varia significatione usurpari, prolixè ostendimus ad Prop.44. c.13.

VII. VIII. Objicitur 3. S. Augustinus lib.1. de moribus Eccl. c.17. *Amore quæritur, amore petitur, amore pulsatur.*

R. neminem petere, nisi amet obtinere, quod petit. Imò, licèt gratis daretur, hic Augustinum agere de amore perfectissimo; ex eo, quòd talis amor quærat, petat &c. nequaquam sequeretur, alias virtutes inferiores nec quærere, nec petere, nec pulsare, ut clarum est.

IX. Objicitur 4. S. Augustinus in Psal.119. *Quàm multi ....sonant voce, & corde muti sunt: & quàm multi tacent labiis, & clamant affectu, quia ad cor hominis aures Dei. Sicut aures corporales ad os hominis, sic cor hominis ad aures Dei: multi clauso ore exaudiuntur, & multi in magnis clamoribus non exaudiuntur.*

R. sinè dubio orationem extremis labiis delibatam ad Divinas aures non pertingere, sed ad hoc opus esse, ut ex cordis affectu depromatur: verùm quid inde? An non etiam affectus suos habet timor, spes, cæteræque virtutes Christianæ?

QUINQUAGESIMA QUINTA PROPOSITIO DAMNATA.

Deus non coronat nisi charitatem: qui currit ex alio impulsu, & ex alio motivo, in vanum currit. *Observ. Moral. in* 1. *Cor.9. vers.*24.

CAPUT I.

Proscripti dogmatis pars prima convincitur erroris ex Scripturis Sacris. Col.716.

Licèt inter Theologos controvertatur, an, ut actus sit meritorius æternæ gloriæ, exerceri debeat ex motivo charitatis, nullus tamen catholicus asserit, omnem rationem meriti non nisi à charitate esse repetendam: habent scilicet virtutes cæteræ ut objecta propria, ita propria merita, & præmia sibi à justissimo remuneratore destinata; quemadmodum vel ex solis octo Beatitudinibus Matth.5.manifestum est; ibi enim non soli charitati, sed etiam paupertati Spiritûs, mansuetudini, misericordiæ &c. sua adscribitur retributio; unde sequitur, propriam inesse singulis merendi rationem; charitati tamen subordinatam tum habituali, ut fide certum est; tum etiam actuali, ut gravium Doctorum habet sententia.

Rursum 2. cor.4. *Quod in præsenti est momentaneum, & leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus OPERATUR in nobis*: ergo non sola charitas, sed etiam patientia coronatur. Denique nullibi in Scripturis merces, aut meritum ad solam charitatem restringitur.

CAPUT II.

Eadem Propositionis pars dejicitur authoritate Patrum, Conciliorum, etiam Sorbonæ. Col. 719.

I. Sanctus Basilius orat. in initium Proverbiorum: *Omnes, qui viam Evangelicam incedimus, mercatores sumus, per opera mandatorum* (adeòque omnium virtutum, non solius charitatis) *nobis possessionem cælestium comparantes.* S. Hier. l.2. contra Jovin. non procul à fine: *Nostri laboris est pro diversitate virtutum diversa nobis præmia præparare.* Iterum ep.14. ad Celantium: *Arduum est iter castitatis, sed magna sunt præmia*: Sua etiam præmia sunt jejunio: hinc Eccl. in præf. Miss. *Deus qui corporali jejunio vitia comprimis, mentem elevas, virtutem largiris, & præmia.*

II. S. Augustinus de contemptu mundi c.7. *Felix paupertas, per quam cælestis acquiritur hereditas*: & tract. 104. in Joan: *Humilitas claritatis est meritum; claritas humilitatis præmium.* In Psal.93. omnia his paucis complectitur: *Venale habeo: quid Domine? Regnum cælorum. Quo emitur? Paupertate regnum, dolore gaudium, labore requies, vilitate gloria, morte vita*: igitur non solâ charitate hæc comparantur.

S. Bonav. Serm.2. Omn. SS. *Quid pretiosius vera paupertate, quæ est pretium regni cælestis?*

Hugo de S. Victore in Spec. Eccles.c.6. *Multa bona in Sanctis Deus remunerat præter charitatem, non quasi sinè charitate, sed multa, quæ non sunt illa charitas. Numquid enim nos dicemus, quòd fides non habeat meritum? Absit; & tamen ipsa non est charitas; sinè ea enim esse potest; simul autem cum ea auget meritum. Sic ergo sua cætera dona remunerat Deus in his, qui ea cum charitate conservant... & pro singulis suis donis, sive virtutibus, sive sacramentis, quæ per charitatem custodiuntur, coronas reddit singulas.*

III. A Tridentino sess.6. c. ult. dicitur *vita æterna.... tanquam merces ex ipsius Dei promissione bonis.... operibus, & meritis fideliter reddenda*: non ergo soli charitati: Conformia habet Arausicanum.

IV. Speciales Martyribus, Virginibus, Doctoribus &c. reddi in cœlo coronas, quas Aureolas vocant, est communis Ecclesiæ sensus: Hinc S. Augustinus l. de Sanct. Virgin. c.27. *Gaudia propria Virginum Christi non sunt eadem non Virginum, quamvis Christi: nam sunt aliis alia, sed nullis talia*: atqui omnia essent talia, si soli charitati deberentur. Augustino præluxit S. Joannes Evang. Apoc.14. v.3. *Nemo poterat dicere canticum, nisi... qui cum mulieribus non sunt coinquinati: Virgines enim sunt. Hi sequuntur agnum quocunque ierit.* S. Bonav. Serm.2. de S. Barthol. *Triplex legitur corona in Scriptura: una aurea, altera stellata, tertia lapidea. Prima corona detur Virginibus, secunda prædicantibus, tertia Martyribus.*

Hanc Catholicorum sententiam sugillare ausus est liber Sequentii, vel, ut alii existimant, San Cyrani falsò inscriptus de *Virginitate*, quam verè pessumdat: ibi autem sic legitur: *Aureolæ Sanctorum sunt novitium Theologorum inventum, & sinè fundamento in Scriptura*: Sorbona in Decreto edit. Anno 1638. 1. Junii, & confirmato 1. Julii relatæ assertioni meritissimam censuram inussit: *Hæc doctrina*, inquit, *est falsa, temeraria, scholis, etiam veterum Theologorum, injuriosa.* De Aureolis videri potest Doctor Angelicus.

Quæres, ex quo principio deducat Quesnellus, Deum nullam aliam virtutem coronare, præter charitatem?

R. ex principio Magistri sui Jansenii, juxta quem nulla datur virtus præter amorem Dei, seu charitatem. Ejus in hanc rem textus plures produximus ad Prop. 44. c.1. num.5.

CAP.

CAPUT III.

Convellitur Propositionis pars altera Scripturis SS. Col.724.

CAPUT IV.

SS. Patres, præcipuè Augustinus, communi contra Quesnellum sententiæ suffragantur. Col.727.

CAPUT V.

Scholæ Principes parti posteriori Propositionis Quesnellianæ opponuntur. Col.731.

CAPUT VI.

Tridentinum Concilium, & plures Pontificum definitiones eidem Propositionis parti adversantur. Col.734.

ALtera præsentis Quesnelliani articuli pars est: *Qui currit ex alio impulsu, & ex alio motivo* [quàm charitatis] *in vanum currit*. Demonstravimus ad Prop.53. c.1. 2. 3. 4. fieri actiones Christianas Christiano modo, licèt destitutæ sint motivo sive impulsu charitatis: sed actiones Christianæ Christiano modo factæ, prosunt ad salutem; adeòque nec vanæ, nec inutiles sunt: ergo falsum est, quòd qui ex alio impulsu, vel motivo quàm charitatis currit, in vanum currat. Præterea hic c.1.& 2. ostendimus, Deum coronare non tantùm charitatem, sed etiam virtutes alias: igitur qui ex harum quoque intrinsecis motivis currit, non in vanum currit. Cæterum cursum quem Quesnellus sinè impulsu charitatis *vanum* appellat, intelligit re-ipsa præcipitem in peccata: nam juxta Prop.44., & plures sequentes, quidquid non fit ex charitate, peccatum est.

CAPUT VII.

Depulsio objectionum. Col.738.

HAs tribus verbis expedimus: universa scilicet, quæ opponuntur, Scripturarum, & Patrum testimonia probant tantummodo, [I.] vel nullum esse vitæ æternæ meritum sinè charitate; (II.III.V.); vel præparatam esse coronam diligentibus Deum; [IV. VII.] vel frustrà in ordine ad cœli possessionem haberi reliqua, si charitas desit; (VI.) vel denique charitatem, licèt cætera deficiant, per se ad beatitudinem sufficere: verùm ex nulla harum veritatum, nec ex omnibus simul sumptis aliqua ratione sequitur, vel Deum *non* coronare, *nisi* charitatem; vel currentem ex alio quàm charitatis impulsu, in vanum currere: adeòque objectæ sententiæ sunt totidem parerga, ut eas vel leviter inspicienti constabit.

QUINQUAGESIMA SEXTA PROPOSITIO DAMNATA.

Deus non remunerat nisi charitatem; quoniam charitas sola Deum honorat. *Observ. Moral. in Matth. c.25. v.36.*

CAPUT I.

Propositionis impugnatio. Col.744.

I. PRima hujus propositionis pars respondet primæ partis præcedentis, *Deus non coronat nisi charitatem*; latiùs tamen se extendit, quia cæteris virtutibus à charitate distinctis omnem remunerationem tollit sive in hac vita, sive in futura. Ostendendum igitur erit, Deum etiam in hac vita non solam charitatem remunerari; quod præstabunt sequentia Scripturæ, & Patrum loca.

Lucæ 1. v.45. *Beata, quæ credidisti, quoniam perficientur ea, quæ dicta sunt tibi à Domino.*

Rom.4. v.3. *Credidit Abraham Deo, & reputatum est ei ad justitiam*; sive ad augmentum justitiæ.

Psal.36. v.40. *Adjuvabit eos Dominus, & liberavit eos... quia speraverunt in Domino.*

Hic fidei, & spei sua merces, etiam in hac vita adscribitur.

Rursum Marci 13. v.29. & 30. *Nemo est, qui reliquerit domum, aut fratres, aut Sorores, aut Patrem, aut Matrem, aut Filios, aut agros propter me, & propter Evangelium, qui non accipiat centies tantum, NUNC IN TEMPORE HOC.... & in sæculo futuro Vitam æternam*: ergo & in præsenti vita centuplum redditur non tantùm charitati; sed etiam voluntariæ paupertati &c. propter Christum susceptæ.

II. Quid, quòd Deus non tantùm virtutes Christianas, sed etiam merè morales, charitatis tam habitu, quàm actu destitutas in hoc sæculo remuneratur, ut constat ex Ezech. c.29. juxta interpretationem S. Hieronymi ita scribentis: *ex eo quòd Nebuchodonosor MERCEDEM accepit boni operis, intelligimus, etiam Ethnicos, si quid boni fecerint, NON ABSQUE MERCEDE Dei judicio præteriri.* Etiam Bellarminus l. de grat. & lib. arb. c.9. Ezechielis textum de mercede propriè dictâ datâ Nabuchodonosori, & exercitui ejus exponit. Hieronymo consentit Chrysostomus hom.67. ad populum Antiochenum, ubi maximis etiam peccatoribus *parentorum*, quæ agunt, bonorum *retributionem* in hac vita assignat. Accedit S. August. l.5. de civ. c.12. ita pronuntians: *Romani justitiæ, & actibus strenuis PROMERUERUNT à Deo imperium*: unde Salesius l.11. de amore Dei c.13. *Deus... secundùm S. Augustinum morales Romanorum virtutes magnitudine, & magnifica imperii fama, existimatione, & commendatione apud exteras gentes COMPENSAVIT.*

III. Secunda præsentis Propositionis pars [*charitas sola Deum honorat*] refellitur primò iis textibus, quibus probavimus, non solam charitatem à Deo coronari, vel compensari; si enim Deus alias etiam virtutes remuneretur, consequens est, ut & hæ suo modo Deum honorent.

Refellitur 2. disertissimis testimoniis, quæ subjungo. Eccli.3. v.21. *Quoniam magna potentia Dei solius, & ab humilibus honoratur.* Psal. 49. v.23. *Sacrificium laudis honorificabit me*: ergo & humilitas, & laudes, quæ Deo ex pia intentione deferuntur, Deum honorant.

Augustinus in Psal.149. *Nisi timore incipiat homo Deum colere, non pervenit ad amorem: initium sapientiæ timor Domini.*

S. Bern. Serm.72. de Diversis. *Cultus Dei in tribus consistit; fide, spe, & charitate.*

S. Laur. Justin. De lig. vit. l. de char. c.5. *Affectionum autem ad cultum Dei pertinentium una est timor... alia est spes... alius est amor.*

S. Bonav. l.3. d.9. dub.1. *Deus non tantùm colitur dilectione; sed etiam fide.*

Guerr. Abb. Serm. de Nativ. B. V. *Tuus veritas Christi in te impressa est, si veritatem, quæ ipse est, agnovisti, & agnitam glorificasti; timore videlicet, & spe.*

Deus igitur non solâ charitate, sed etiam fide, spe, timore, cæterisque virtutibus Christianis colitur, glorificatur, sive honoratur.

CAPUT II.

Diluuntur argumenta adversariorum. Col.750.

I. OBjecta Scripturarum testimonia vel nihil ad rem pertinent, vel alibi explicata sunt.

II. Ad locum Augustini l. de gratia Christi c.26. responsum est Prop.53. c.7. n.1. & 2.

III. Augustini verbis ex ep.167. num.51. respondebitur ad Prop.58. c 4. n.1.

IV. Quid sibi velit idem S. Doctor dum in ep.186. aliàs 106. num.7 ait, *Sola charitas bene operatur*, intelligetur, ubi totum textum retulerimus, qui sic habet: *Si quis autem dixerit, quòd gratiam bene operandi fides mereatur, negare non possumus; imò verò gratissimè confitemur: hanc enim fidem volumus habeant, qua impetrent charitatem, quæ sola verè bene operatur:* Quis non videat, hic ab Augustino vocari *charitatem*, quam prius dixit *gratiam bene operandi*; hæc *sola verè bene*, id est, salutariter *operatur*. Interim ex hoc loco rursum discimus, non solam charitatem Quesnelli sensu intellectam, sed etiam fidem aliquid mereri, & consequenter à Deo remunerari.

V. Neque nobis obest quod ait Hipponensis epist.177. aliàs 96. num.17. charitas *sola non peccat*. Audiatur integra sententia: *illud, quod scriptum, QUI NATUS EST EX DEO NON PECCAT* (1.Joan.3. v.9.) *secundùm ipsam charitatem dictum est, quæ sola non peccat*, id est, quæ sola cum peccato mortali incompatibilis est: unde textum S. Joannis ita explicat S. Thomas: *Qui natus est ex Deo, peccatum non facit; scilicet mortale, quod est contrarium generationi spirituali; & intelligendum est cum reduplicatione, in quantum scilicet ex Deo natus est: vel intelligendum est conjunctim, quamdiu natus, id est, nativitatis gratiam custodit, peccatum, inquam, non facit, scilicet mortale &c.*

VI. Dum S. Doctor ep.167. num.15. ait, *virtus est charitas, qua quod diligendum est diligitur*, vel sumit virtutem strictè, qualis, teste S. Thoma 1. 2. q.65. a.4. c., non est nisi sit charitate formata: vel charitatem accipit pro *bona voluntate*, seu bona voluntaria inclinatione, etiam quæ non reperitur in sola tertia virtute Theologicâ.

VII. Ad locum ex S.Gregorio hom.25. in Euang. n.1. responsum habes Prop.47. c.6. n.8.

VIII. IX. Reliqua nullam habent speciem difficultatis, adeò ut evidentissimum sit, nullo alio, quàm augendæ molis consilio ab ineptissimo compilatore allegari.

QUINQUAGESIMA SEPTIMA PROPOSITIO DAMNATA.

Totum deest peccatori, quando ei deest spes; & non est spes in Deo, ubi non est amor Dei. *Observ. Mor. Matth.27.v.5.*

CAPUT I.

Duplex Propositionis error prosternitur. Col.761.

I. DAmnati articuli pars prima (*Totum deest peccatori, quando ei deest spes*) sequentibus testimoniis enervatur.

Trid. sess.6. c.7. *Fides nisi ad eam spes accedat, & charitas, neque unit perfectè cum Christo, neque corporis ejus vivum membrum efficit.* Si spes accedat ad fidem, ergo a fide distinguitur, eâque posterior est; ergo hujus carentia non infert virtutum omnium, etiam fidei defectum: ergo falsum est, quòd *totum desit peccatori, quando ei deest spes*.

II. Tridentino consentit Augustinus l. de Præd. SS. c.7. *Fides PRIMA datur, ex qua cætera impetrantur*, scilicet spes, & charitas. Et serm.22. de verbis Apostoli: *Domus Dei credendo fundatur, sperando erigitur, diligendo perficitur*. Hinc S. Thomas 2. 2. q. 17. a. 7. *Fides absolutè præcedit spem*.

Præterea si deficiente spe, totum desit peccatori; ergo desunt pariter omnia gratiæ adjumenta: sed peccatori infideli, & extra Ecclesiam posito deest spes juxta Quesnellum ergo redit Propositio 29. *Extra Ecclesiam nulla conceditur gratia*.

III. Pro secundæ partis confutatione recolenda sunt quæ diximus ad Prop.44. c.1. num.5. & 6. ubi Calvini, & Jansenii placita circa spem retulimus, & à Quesnello omnem amorem bonum, adeóque amorem Dei cum charitate confundi ostendimus.

IV.... VII. Si non sit spes in Deo, ubi non est amor Dei; rursum si totum desit peccatori, cui deest spes, ergo deficiente amore Dei, seu charitate, deficit fides, spes, omne denique gratiæ donum, & auxilium; atque ita sub aliis terminis reproducitur Propositio 1. *Quid aliud remanet animæ &c.*

Spem sinè charitate subsistere, sequentes authoritates evincunt. Lucæ 5. v.17. *Quanti mercenarii in domo Patris mei abundant panibus. Ego autem hic fame pereo. Surgam, & ibo ad Patrem meum.* Hic locus veram spem sinè charitate adfuisse demonstrat.

S. Ambrosius in Psal.118. v.166. *Qui expectat, sperat charitatem: ergo spes præcedit, sequitur salus: spes igitur præcurrit affectum*; scilicet charitatis. S. Aug. Enchir. c.118. *Qui non amat, inaniter credit; etiamsi sint vera quæ credit: inaniter sperat; etiamsi ad veram felicitatem doceantur pertinere quæ sperat: nisi, & hoc credat, & speret, quod sibi petenti donari possit, & amet. Quamvis enim sperari sinè amore* [concupiscentiæ, ut mox patebit,] *non possit; fieri tamen potest, ut id non amet, sinè quo ad id, quod sperat, non potest pervenire: tanquam si speret vitam æternam* [*quamvis non amet?*] *& non amet justitiam, sinè qua ad illam nemo pervenit.* Nonne fides, & spes clarè hic sejungitur ab amore justitiæ, adeóque à charitate?

Guill. Abb. l. de nat. & dignit. amoris c.6. *Potest esse, ut fides, & spes sint sinè charitate: ut autem charitas fidem, & spem in se non contineat, non potest esse.*

Hugo à S. Victore in ep.1. Cor. q.121. *Charitati non possunt fides, & spes deesse: fides verò, & spes sinè charitate esse possunt. Dicunt tamen quidam* (ut Quesnellus, & ejus sectatores) *quòd fides sinè charitate esse non potest, quorum error hic destruitur: SI HABUERO OMNEM FIDEM, ITA UT &c. innuit manifestè, quòd fides etiam perfecta potest haberi sinè charitate.*

S. Greg. l.5. moral. c.2. ad illa verba *Servite Domino* ait: *tunc nimirum in veritate servimus, quando ejus præcepta pro sola superna retributione perficimus*, atque adeò ex sola spe, & sinè consortio, vel motivo amoris purè benevoli. Idem pluribus locis docet Augustinus, ut in Psal.120. num.10. *Quando facis opus bonum, propter vitam æternam fac.... Noli facere, nisi propter vitam æternam: ideò fac, & securus facies; hoc enim mandavit Deus.*

CAPUT II.

Repelluntur objectiones. Col.768.

I. OBjicitur 1. illud ad Rom.5. v.5. *Spes autem non confundit, quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris &c.* ergo spes non est sinè charitate.

R. primò ex hujus loci objectione patescere, Quesnelium *amore Dei* charitatem propriissimè dictam significare.

R. secundò charitatem in objecto textu non assignari, ut rationem spei præcisè; quasi divinorum auxiliorum, & veniæ consequendæ, imò spea ipsius beatitudinis his mediantibus obtinendæ, sinè charitate esse non possit; sed charitas adducitur ab Apostolo, ut ratio, cur spes æternorum bonorum non confundat, sed rè

ipsa

ipsa implenda sit; modò charitas, quæ vitæ æternæ semen est, ad finem usque perseveret: sensus ergo est: Spes æternorum non confundit nos, quia charitatem habemus, qua Deum diligimus, ejusque amici sumus: Deus autem amicos suos in se sperantes spe suâ non frustrabitur; Cùm diligentibus se hæc sperata æterna bona præparaverit. Hæc expositio est planè ex mente S. Thomæ in hunc locum. Spem veniæ esse sinè charitate, manifestè supponit Tridentinum sess. 14. c. 4. cùm peccatorem attritione, spei illi iunxâ, asserat *ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandum* disponi: Si enim peccator attritione illâ disponatur ad gratiam impetrandam, ergo nondum impetravit; ergo spes veniæ separatur a charitate.

II. Objicitur 2. S. Augustinus Enchiridii c. 8. *Jam de amore quid dicam, sinè qua fides nihil prodest? Spes verò sinè amore esse non potest .... proinde nec amor sinè spe est, nec sinè amore spes, neque utrumque sinè fide.*

R. primò ab Hexaplis adulterata esse hæc verba *sinè qua fides nihil prodest*, pro quibus gallicè substituerunt sequentia: *sinè qua dicere non possumus dari veram fidem.* Dari sinè amore veram, imò etiam perfectam fidem, evicimus tum ad Prop. 51. c. 1. num. 5. tum cap. præcedenti.

R. secundò S. Thomam 1. 2. q. 65. a. 4. cujus hic titulus: *Utrum fides, & spes possint esse sinè charitate*, objicere sibi eamdem Augustini authoritatem his verbis:
„ Præterea Augustinus dicit in Enchiridio, quòd *spes*
„ *sinè amore esse non potest*: Amor autem est charitas: de
„ hoc enim amore ibi loquitur: ergo spes non potest
„ esse sinè charitate. „ Ejus responsio erit etiam nostra:
„ Ad tertium dicendum, quòd Augustinus loquitur de
„ spe, secundùm quòd aliquis expectat futuram beatitu-
„ dinem per merita, quæ jam habet; quod non est sinè
„ charitate. „ Ibidem in conclusione præmiserat:
„ Actus spei est expectare futuram beatitudinem à Deo;
„ qui quidem actus perfectus est, si fiat ex meritis, quæ
„ quis habet, quòd non potest esse sinè charitate: Si
„ autem hoc expectet ex meritis, quæ nondum habet,
„ sed proponit in futurum acquirere, erit actus imper-
„ fectus, & hoc potest esse sinè charitate. „

Respondendi potest 3. hic Augustinum agere de amore sanctæ concupiscentiæ, quem sæpe amoris, etiam gratuiti, nomine intelligit, ut ostendimus ad Prop. 44. c. 13. num. 16.

III. Objicitur 3. S. Bernardus serm. 1. supra *Salve Regina*, ubi ait: *Inter has* (id est, inter *comminationem supplicii*, & *promissionem regni*) *spes cubat in molli strato charitatis.*

R. 1. perfidiam redolere, quòd Hexapla illud *cubat in molli strato charitatis* vertant, *habitat in charitate*, quasi non detur spes sinè charitate.

R. 2. S. Bernardum tantùm significare, quòd spes Beatitudinis cubet, idest, secura quiescat in molli strato charitatis; securam illam quietem non habet, qui Beatitudinem *expectat ex meritis quæ nondum habet, sed proponit in futurum acquirere*, ut num. præcedenti loquentem audivimus S. Thomam. Uterque verè sperat, sed non uterque securè sperat.

IV. Objicitur 4. idem S. Doctor ibidem. *Spes ruit sinè fundamento, sinè pabulo moritur, inedia deficit, extinguitur sinè nutrimento, arescit succisa radice; spes enim sinè vitâ virtutum, & devotionis dulcedine non est spes, sed præsumptio.*

R. cùm respectu adultorum usum rationis habentium Beatitudo bonis eorum meritis, & consequenter etiam charitati, *virtutum vitæ*, alligata sit; spes beatitudinis nec merita habens, nec proponens acquirere, sive charitate destituta, & devotione, quæ juxta S. Thomam 2. 2. q. 82. a. 1. est *voluntas quædam promptè tradendi se ad ea, quæ pertinent ad Dei famulatum;* talis, inquam, spes, est spes ruens sinè fundamento, sinè pabulo moriens &c. imò non est spes, sed præsumptio, si beatitudinem expectet sinè meritis, adeòque contra Dei promissa; vel saltèm ad præsumptionem accedit, si voluntas tradendi se Divino obsequio & sic acquirendi merita, adeò iners, & remissa sit, ut semper meliorem vitam parturiat, nunquam pariat; secus ac facit peccator, qui ita ex meritis acquirendis Beatitudinem sperat, ut se ad acquirenda per seriam, promptamque pœnitentiam disponat.

V. Objicitur 5. Idem Mellifluus Serm. 3. de Annuntiatione: *Sola nimirum spes apud te obtinet miserationis locum; nec oleum misericordiæ, nisi in vase fiduciæ ponis*; sed *miseratio*, & *oleum misericordiæ* significat justificationis gratiam: ergo si sola spes hanc obtineat, necesse est, spem numquam charitate destitui.

R. ad frivolum hoc argumentum, sensum primum verborum esse hunc; *NON obtinetur apud te miserationis locus, NISI adsit spes*; hanc esse veram Propositionis istius significationem, declarat sequens sub alia phrasi illius repetitio: *NEC oleum misericordiæ, NISI in vase fiduciæ ponis*, quod potuisset Bernardus æquè exprimere in hunc modum: *ET oleum misericordiæ in SOLO vase fiduciæ ponis*; quo tamen minimè significaretur sola per se fiducia justificare, sed non obtineri justificatio, nisi unà cum cæteris prærequisitis adsit fiducia.

VI. Objicitur 6. ex eodem S. Bernardo *de modo bene vivendi ad Sororem* c. 5. *Tanta est etiam virtus charitatis, quæ si desit, frustrà habentur cæteræ virtutes.*

R. S. Bernardum tantùm velle cæteras virtutes frustrà haberi in ordine ad beatitudinem per eas, seclusâ charitate, obtinendam. Responsi veritas patet ex his immediatè præcedentibus, quæ à compilatore prætermissa sunt: *Sinè amore charitatis quamvis quisque rectè credat, ad BEATITUDINEM pervenire non potest*: Interim ex eo quòd *sinè amore charitatis .... quisque RECTE CREDAT*, discimus, *non totum deesse peccatori, quando ei deest spes, amori* seu charitati conjuncta, contra ac suadere nititur Quesnellus; neque enim deest *recta fides*.

VII. Objicitur denique ex Mellifluo Doctore locus quispiam ex tract. de Charitate c. 13. num. 45., qui diu quæsitus, inventus non est. Hunc ex gallico ita repræsentamus: *Spes virtus esse desinit, si non ametur Deus, cujus speratur fruitio*: ad quod

R. cùm nihil speremus, nisi quod desideramus, & consequenter amamus; hoc sensu verum esse, quòd *spes virtus esse desinat, si non ametur Deus, cujus speratur fruitio.* Vel dic, *virtutem* hic strictè accipi, juxta dicta ad Prop. 56. c. 2. n. 6.

CAPUT III.

Fraudulenta Collatoris, & Hexaplorum observatio convincitur. Col. 772.

QUidquid mitigando præsentis Propositionis sensui ab Adversariis allegatur, evertitur, modò in memoriam revocentur Prop. 44., & sequentes, juxta quas, actiones omnes, etiam fides, spes, &c. si non procedant ex charitate, sive amore Dei super omnia, in peccata vertuntur; quo posito, evidenter sequitur, non esse veram, ac supernaturalem spem in Deo, ubi non est amor Dei; item totum deesse peccatori, si ei desit spes amori Dei, seu charitati conjuncta; totum, inquam, deest, quo se peccator possit ad justificationem disponere: quidquid enim sinè spe charitati sociâ, seu breviùs, sinè charitate fecerit, peccatum erit, ut indicatæ Propositiones testantur. Igitur sensus præsentis articuli obvius, est ille ipse, quem Quesnellus conformiter ad sua principia intendere debuit; nullâ proinde tergiversatione aut excusatione declinari, aut mitigari potest.

Sed, inquies, an in Quesnelli systemate ita totum deest peccatori, cui deest charitas, ut nequidem adsit gratia?

R. affirmativè: nam per Prop. 28. *Prima gratia, quam Deus concedit peccatori, est peccatorum remissio*, quâ proinde ex peccatore fit justus: ergo quamdiu peccator manet, nullam accipit; ergo sinè charitate ita totum deest peccatori, ut nequidem adsit ullus gratiæ pius motus; sed per Prop. 42. *sinè gratia nihil amare possumus, nisi ad nostram condemnationem*, & per Propos. 39. *Voluntas, quam gratia non prævenit, nihil habet luminis nisi ad aberrandum; ardoris nisi ad se præci-*

cipitandum; virium nisi ad se vulnerandum: est capax omnis mali, & incapax ad omne bonum; ergo peccatori, cui deest charitas, non tantùm desunt omnia interiora, ac supernaturalia salutis subsidia; sed ad infelicitatis cumulum, quidquid agat, necesse est peccet, negante Quesnello opera indifferentia. Vide etiam Prop.40. c.1. n.7.

CAPUT IV.

Subdola Quesnelli Querimonia, & Protestatio *penitùs enervatur*. *Col.776.*

I. II. PAg.200. indicati libelli ita ait: „ Quando perit charitas, amittitur fides, non omnis; „ sed justificans..... Peccato perditur fides viva, & „ justificans; quæ autem juxta Concilium [*Tridentinum*] post amissam justitiam remanet, est fides vera; „ sed mortua, quæ Ecclesiæ membrum non nisi mortuum efficiat. „ Totam hanc ejus orationem non esse, nisi ad fucum faciendum compositam, ostenditur argumento multiplici.

Fidem illam (idem est de Spe) quam, absente charitate, *veram* appellat, non intelligi ab eo Divinam, non supernaturale gratiæ munus; imò nec bonam, constat ex c. superiori; ubi ostendimus, actionem omnem, quæ non oritur à charitate, ab eo ut vitiosam reprehendi: hinc in eadem *Querimonia, & Protestatione* pag.197. *fidem nulla penitùs amore charitatis imbutam pejus aliquid esse* asserit; *quàm æs sonans, aut cymbalum tinniens; quandoquidem*, inquit, *eam Augustinus fidem Dæmonum appellat*. Eo igitur sensu fides destituta charitate apud Quesnellum *vera* est, quo fides Dæmonum vera dici potuit; quia nimirum est verus, ac realis circa veram objecti existentiam assensus. At Tridentinum sess.6. can.28. fidem, quæ, amissâ justitiâ, & charitate, remanet, ita *veram* vocat, ut CHRISTIANAM intelligat; eamdem Alexander VIII. proscriptione articuli 12. inter 31. DIVINAM esse definit: utrumque autem hoc prædicatum, ut soli fidei, quæ gratiæ donum est, competit; ita in fidem Dæmonum convenire non potest: Discrimen hujus ab informi, & christiana viatorum fide dedimus ex S. Thoma ad Prop.51. c.6. n.1.,2. in fine.

III. IV. Alterum argumentum, quo Quesnellus terminis *veræ fidei* abuti convincitur, suppeditat ipsa, cui devotissimus est, doctrina Jansenii: hic enim sinè circuitione profitetur, *nullam esse fidem veram, atque Christianam; nullam itidem spem, nisi ex Dei charitate dimanet* [Vide Prop.44. c.1. num.5. ;] quæ autem fidei, & spei actualis, eadem quoque habitualis est ratio: nulla igitur, teste Jansenio, fides, ac spes vera, id est, *christiana* est sinè charitate: unde citra temeritatem conficies, Quesnellum, dum admittere se simulat *veram* fidem, aut spem destitutam charitate, nullo modo intelligere *christianam*; sed vano, falsoque vocabulo lectoribus suis imponere; neque catholicorum sensu, sed sonos amplecti: imò verò pejùs etiam hic eum errare, quàm Jansenium, l. c. num.6. docuimus.

V. VI. Tertium argumentum, quo Quesnelli fallacia detegitur, subministrant hæc ejus verba supra relata: „ Quæ autem.... post amissam justitiam remanet, est „ fides vera; sed mortua, quæ Ecclesiæ membrum non „ nisi mortuum efficiat: „ quid enim apud eum significat *mortuum Ecclesiæ membrum*, nisi membrum Ecclesiæ simpliciter nullum? nam per Prop.74. *Ecclesia, sive integer Christus, incarnatum verbum habet ut caput; OMNES verò SANCTOS UT MEMBRA*: id ipsum aliâ phrasi reperitur in Prop.73. & 75. Nulli igitur peccatores sunt membra Ecclesiæ: restat proinde, ut fides eorum, quam Quesnellus *veram, sed mortuam* nuncupat, non sit re ipsa, nisi fides quædam fictitia, vel tropologica, vi cujus eodem ferè sensu dicantur *mortua Ecclesiæ membra*, quo cadaver hominis vocatur *homo mortuus*; quia nempe homo fuit, cùm animæ uniretur, non quia revera homo esse pergit. E contrario juxta catholicos, ita peccatores sunt mortua Ecclesiæ membra, ut re ipsâ, & simpliciter Ecclesiæ membra esse pergant; quemadmodum, juxta eosdem, fides mortua pergit in ratione veræ, & propriè dictæ fidei subsistere.

Quartum argumentum suggerit sequens Quesnelli damnata Propositio, ut jam visuri sumus.

QUINQUAGESIMA OCTAVA PROPOSITIO DAMNATA.

Nec Deus est, nec Religio, ubi non est charitas. *Observ. Moral. 1. Joannis c.4. vers.8.*

CAPUT I.

Rejicitur absona Propositio. *Col.782.*

INtegra Quesnelli observatio sic habet: *Nec Deus est, nec religio, ubi non est charitas; cùm Deus sit ipsa charitas; ac Dei notitia salutaris, verusque cultus in charitate consistat*: sensus itaque Propositionis est; nec, salutarem Dei notitiam, id est, fidem, nec spem, nec orationem, nihil denique ad verum, & interiorem Dei cultum pertinens, ut pertinet omnis virtus, & actio christiana christiano modo exercita, sinè charitate existere: adeòque trium vocularum periodo reproducuntur sequentes Propositiones: 47. *Obedientia legis profluere debet* ex charitate. 49. *Nullum est opus bonum sinè amore Dei*. 50. *Frustrà clamamus ad Deum sinè* spiritu charitatis. 54. *Sola charitas est, quæ Deo loquitur: eam solam Deus audit*. 52. *Fides non est absque amore* 53. *Sola charitas christiana modo facit actiones christianas*. 56. *charitas sola Deum honorat*. 57. *Non est spes in Deo, ubi non est amor Dei &c.*; ex harum refutatione omnis generis arma suppeditantur, quibus præsens articulus debelletur. Hic si subsistat, profectò Tridentinum sess.6. can.28. perperam anathemate perculit dicentem, *amissa per peccatum gratia, simul & fidem semper amitti; aut fidem, quæ remanet, non esse veram fidem, licèt non sit viva; aut eum, qui fidem sinè charitate habet, non esse Christianum*. Stante enim Quesnelli doctrinâ, qui *fidem sinè charitate habet*, caret religione, adeòque *non est Christianus*: rursum; sola vera fides est ea, quâ christiani sumus; sed tali fide caret, qui charitatem non habet, ut jam vidimus; ergo, amissâ charitate, & consequenter gratiâ, non remanet vera fides; sed fides simpliciter, & semper amittitur.

Hinc iterum putidissimi mendacii arguitur Quesnelli defensio relata ad Prop.57. c.4. num.1.2. ubi se agnoscere simulat, amissa justitia, *VERAM remanere fidem, sed mortuam*.

Hujus propositionis, ut ferè cæterarum, error ex damnato Jansenii volumine in *Morales Observationes* transcriptus est: Etenim tomo 3. l.5. c.5. citra ambages edicit Augustinus Iprensis, *nullam esse veram religionem, aut cultum Dei; sed simulationem tantùm, & larvam ejus, nisi Deus sincerè, & castè, hoc est, gratìs & propter se ipsum ex vera charitate diligatur*.

CAPUT II.

Collatoris observatio refellitur. *Col.785.*

S*Ensus Propositionis*, inquit Collator, *est, sinè charitate tam latè sumpta, ut etiam fidei, & spei dilectionem sub se comprehendat, neque Deum salutari notitia cognosci ab homine, neque verè, prout oportet, ab eo coli, quod verissimum est*.

Respondeo in Propositione talem significari charitatem, qualem requirit Quesnellus, ut fides, cæterique actus ad cultum Dei pertinentes boni sint, vitiique expertes. Atqui ad hoc requirit sinè dubio Quesnellus charitatem perfectam, atque justificantem, ut patet ex

ex Prop.44. iisque, quæ tum illic toto c.1. tum alibi passim in reliquarum Propositionum confutatione dicta sunt: ergo in præsenti damnato articulo intelligitur à Quesnello charitas perfecta, atque justificans.

Et nisi veram, bonam, uno verbo, salutarem fidem ex charitate justificante nasci debere supponat, quomodo [in Prop.27.] asserit *fidem esse primam gratiam*, & rursum [in Prop.28.] *primam gratiam, quam Deus concedit peccatori, esse peccatorum remissionem*? Nonne enim hinc evidenter sequitur, eamdem primam gratiam simul esse fidem, & remissionem peccatorum, adeòque fidem indivisam à charitate justificante?

Eadem Quesnelli doctrina prodit se in *observatione* ejus ad Matth.13. v.32. ubi ait: „ Quid sunt ferè primæ
„ impressiones gratiæ, primi motus fidei in corde, nisi
„ parva scintilla, quæ illic charitatis ignem accendit?„
Dicit *ferè*, quia ab hac lege excipiendi sunt motus fidei Dæmonum, cui Quesnelliana *Protestatio* pag.197. informem viatorum fidem æquiparat. Cæterum relata observatio satis insinuat, primam gratiæ impressionem, quæ peccatorem ad credendum movet, [efficaciter utique; cùm omnis gratia Novatori efficax sit per Prop 2. & seqq.] esse parvam scintillam, quæ in ejus corde ignem charitatis accendit, adeòque justificat: unde rursus inferas, *primam gratiam* simul esse *fidem*, & *remissionem peccatorum*, juxta Propositiones 27. & 28. His adde dicta ad Prop.40. c.1. n.6.

Dum Jansenianus *Collator* tam frivola interpretatione tegere studet Quesnelli errorem, speravit sinè dubio, neminem deprehensurum erroris fontem in Jansenio, clarè asserenti (tomo 3. l.5. c.5.) *nullam esse veram Religionem, aut cultum Dei; sed simulationem tantùm, & larvam ejus, nisi Deus sincerè, & castè, hoc est, gratis, & propter se ipsum ex VERA CHARITATE diligatur.*

CAPUT III.

Satisfit objectionibus desumptis ex S. Scriptura. Col.788.

I. OBjicitur 1. ex Matth.22. *In his duobus præceptis* (dilectionis Dei, & proximi) *universa lex pendet, & Prophetæ.*

R. cum S. Thoma: *Quia .... finis præcepti est charitas, ideò ab istis dependent omnia alia, & hæc est expositio S. Augustini.* Igitur quia quidquid in lege, & Prophetis præcipitur, eò à Deo ordinatur, ut ipsi, & proximo propter ipsum per charitatem uniamur, ideo dicuntur omnia à duplici isto dilectionis præcepto pendêre; non verò quia nulla sit vera legis obedientia sinè charitate, quod in Bajana 16. damnatum est.

II. Objicitur 2. ex 1. Joan.4. *Deus charitas est: qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.*

R. ex eo quod Deus maneat, sive habitet in nobis per charitatem diffusam in cordibus nostris, hinc non sequitur, non esse in nobis Deum, id est, Divinam fidem, spem, aliosque salutares actus sinè charitate.

III. Objicitur 3. ex 1. Cor.13. *Si linguis hominum &c.*

R. veram hujus loci expositionem ex S. Thoma traditam esse ad Prop.50. c.5. n.3.

IV. Objicitur 4. ex ep. ad Rom. c.13. *Plenitudo ergo legis est dilectio.*

R. etiam huic textui satisfactum esse ad Prop.47. c.2. num.6.

V. Objicitur 5. ex ep. Jacobi c.1. v.27. *Religio munda, & immaculata apud Deum, & Patrem hæc est, visitare pupillos, & viduas in tribulatione eorum, & immaculatum se custodire ab hoc sæculo.*

R. hic Religionem à S. Jacobo accipi pro ipsâ religiosa, seu christiana vitâ, omnia christiani hominis officia, inter quæ eminent opera misericordiæ, complectente: hæc autem munda, & immaculata non est sinè immaculata conscientia, adeòque sinè habitu charitatis: sed hinc nunquam concludes, singulos actus ad cultum Dei pertinentes esse immundos, aut maculatos, nisi oriantur ex charitate sive actuali, sive habituali.

VI. Objicitur 6. ex 1. Joannis c.4. v.8. *Qui non diligit, non novit Deum, quia Deus charitas est.*

R. cum S. Thoma ita hunc locum, & verba immediate præcuntia commentante: „ *Omnis qui diligit*, scilicet
„ ex charitate, *ex Deo natus est* per adoptionem gratiæ . .
„ . . . *Et cognoscit Deum* notitiâ familiaritatis vel experi-
„ mentalis cognitionis, quia necessariò docet eos . . . .
„ Sed contra *qui non diligit . . . non novit Deum* notitiâ
„ experimentali, quia bonum hujusmodi cognitione
„ cognosci non potest, nisi diligatur: quia in malevo-
„ lam animam non introibit sapientia Dei, id est, ex-
„ perimentalis cognitio Dei. Dicitur enim sapientia,
„ quasi sapida scientia; non novit ergo sapientiâ expe-
„ rimentali, quantumcunque cognoscat notitiâ simplici.
„ *Quoniam Deus charitas est* increata, ad cujus noti-
„ tiam „ (experimentalem scilicet, vel familiarem, ut supra) „ non pervenitur, nisi per charitatem creatam,
„ ut tangit glossa: quia simile suo simili cognoscitur. „

Ex toto itaque hoc commentatio perspectum est, S. Jacobum non excludere à quibusvis peccatoribus omnem salutarem Dei notitiam; sed eam tantummodo, quam experiuntur filii Dei gustantes, & videntes, quàm suavis sit Dominus.

VII. Objicitur denique 7. ex ep. ad Ephes. c.2. v.12. *Gratis in illo tempore sinè Christo, & sinè Deo in hoc mundo.*

R. iterum juxta expositionem Angelici, Apostolum hic agere de christianis olim in gentilismo constitutis, quo tempore nec in Deum, nec in Christum credebant: sed inde perperam conficies, etiam christianos peccatores verâ, & divinâ fide carere.

CAPUT IV.

Expenduntur objectæ Patrum sententiæ. Col.794.

I. III. OPponuntur variа Augustini loca. Primò ex ep.140. num.45. „ *Ecce pietas est sapientia*
„ Porrò pietas cultus Dei est, nec colitur ille, nisi
„ amando. Summa igitur, & vera sapientia est in præ-
„ cepto illo primo *Diliges Dominum Deum tuum &c.*

Secundò ex ep.167. num.11. „ Quid autem est pietas,
„ nisi Dei cultus, & unde ille colitur, nisi charitate? „

Tertiò ex lib.10. de Civ. c.3. „ Ei sacrificamus hostiam
„ humilitatis, & laudis in ara cordis igne fervidæ cha-
„ ritatis . . . . Hic est Dei cultus, hæc vera religio, hæc
„ recta pietas, hæc tantùm Deo debita servitus. „ Locus, quem interjecta puncta omissum indicant, est longissima periodus, quæ dubitare non sinit, quin hic Augustinus per *charitatem* intelligat amorem sanctæ concupiscentiæ.

Quartò ex lib.12. de Trin. c.14. *Quis cultus ejus* [Dei] *nisi amor ejus* [Hic sistit Collator latinus, qui nobis id objicit: sequitur autem immediatè] *quo nunc desideramus eum videre, credimusque, & speramus, eum nos esse visuros.* Ergo non est religio, ubi non est charitas.

R.1. non probari ab Adversariis, quod tamen ante omnia probandum erat; in hoc quadruplici textu requiri ab Augustino charitatem, id est, amorem benevolum, qualem exigunt Novatores: imò contrarium patet ex 2. posterioribus locis.

R.2. S. Augustinum in his, aliisque testimoniis agere de laudatione, cultu, & religione perfecta, in qua scilicet non sola actio, sed vel maximè subjectum, seu homo ipse ratione justitiæ, & charitatis habitualia laudat, colitque Deum, & ejus servituti, ac nomini penitùs subditur, ac *consecratur*; Deum, ejusque mandata rebus omnibus, & propriæ etiam vitæ anteponens, quod est Deum ex toto corde diligere.

Hinc igitur liquet, nomen religionis subinde ab Augustino in arctiori significatione accipi, quàm vulgò soleat, & secundùm hanc facilè verificari quæcunque ex ipso proferuntur sententiæ, ubi ad religionem, Dei cultum &c. charitatem requirit: intelligendus enim est de perfectâ religionis specie, qua non qualiscunque *honor* seu *cultus legitimus Deo exhibetur tanquam*

rerum omnium principio; sed honor quidam, seu cultus præcipuus, consistens in perfecta servitute animæ, qua Deo per charitatem *religatur*, juxta illud ex lib. de quant. animæ c.36. ubi *religio vera* dicitur, *qua se uni Deo anima, unde se peccato velut abruperat, reconciliatione*, adeòque charitate *religat*.

At si religio juxta usitatam definitionem intelligatur, dubium non est, quin illa erga Deum exerceri possit etiam a peccatore per fidem, spem, timorem, orationem &c. non profectam à charitate.

Hinc illud S. Doctoris in Psal.149. *Nisi timore incipiat homo Deum COLERE, non pervenit ad amorem*. Et lib. de Sp. & lit. c.32. *Unde ista . . . dilectio, id est, charitas, per quam fides operatur, nisi unde illam fides ipsa impetravit*, utique per orationem ex Dei gratia fusam: ergo etiam apud Augustinum datur cultus Dei, datur oratio, adeòque verus religionis actus, qui non profluit ex charitate, quanquam ad reconciliationem, & charitatem paulatim disponat. [Plura vide ad Prop.56. c.1. num.3.] Et juxta vulgarem hanc religionis significationem negamus, *religionem non esse, ubi non est charitas*.

II. Opponitur 4. locus Augustini ex lib. de dono perseverantiæ c.16., quem explicuimus ad Prop.47. c. 5. num.6. 7.

V. Opponitur 5. ex Enchiridii c.5. *Nomine tenus invenitur Christus apud quoslibet hæreticos, qui se Christianos vocari volunt; re ipsa verò non est apud eos*. Ergo Christus seu Christi fides non est, ubi non est charitas.

R. negando consequentiam: ex eo enim quod vera Christi fides non sit apud hæreticos, ineptè concluditur, non esse apud ullos peccatores.

IV. Opponitur 6. S. Chrysologus serm.53. de Pace: *Charitas ex Deo est; sinè Deo ergo est, qui non habet charitatem*.

R. distinguendo consequens: sinè Deo inhabitante est, qui non habet charitatem C. Sinè Deo, id est, ut Quesnellus intelligit, sinè *salutari* Dei *notitia* est, qui non habet charitatem, N. consequentiam.

QUINQUAGESIMA NONA PROPOSITIO DAMNATA.

Oratio impiorum est novum peccatum, & quod Deus illis concedit, est novum in eos judicium. *Observ. Moral. Joan.*10. *vers.*25. *edit. anni* 1693.

CAPUT I.

Propositionis error impugnatur. Col. 800.

I. NOn diffitemur dari impios, *quibus ipsa etiam oratio vertitur in peccatum*, ut dicitur c.28. *Soliloquiorum animæ ad Deum* (qui liber an Augustini sit, dubitat Bellarminus.) *Execrabilem* etiam esse posse peccatoris orationem ait Angelicus 2. 2. q. 83. a.16. ad 1. *si intelligatur de peccatore, in quantum est peccator*: quod quid sit, explicuerat ibid. a.15. ad 2. hoc exemplo: *puta si petat à Deo complementum alicujus peccati*. Id ipsum confirmat ibid. a. 16. C. his verbis: *Si peccator orando aliquid petit, in quantum peccator, id est, secundùm desiderium peccati, in hoc à Deo non auditur ex misericordia, sed quandoque auditur ad vindictam*.

II. At quod Orthodoxos vehementer commovet, & miseros peccatores in desperationem agit, est, omnem impiorum orationem novo peccato, novo in eos judicio deputari; ut illimita Quesnelli propositio declarat, cujus fortè surculus est hæc 89. *Quartus decimus gradus conversionis peccatoris est, quòd, cùm sit jam reconciliatus, habet jus assistendi sacrificio Ecclesiæ*; nimirum jus illud non erat necdum reconciliato, ne tot sibi nova peccata, & judicia accerseret, quot orationibus, & oblationibus, quæ etiam assistentium nomine proferuntur, participaret.

Hoc dogma, ut ut absonum, & catholicis auribus penè inauditum, tamen cum palmaribus Quesnelli articulis necessariò connexum est: pluribus enim locis non tantùm bonam, aut fructuosam orationem quibusvis peccatoribus ante reconciliationem adimit, verùm etiam orationem omnem in novum ipsis peccatum, judiciumque convertit.

Probatur 1. ex Prop.1. *Quid aliud remanet animæ, quæ Deum, ejusque gratiam amisit, nisi peccatum, & peccati consecutiones, superba paupertas, & segnis indigentia; hoc est, generalis impotentia ad laborem, ad ORATIONEM, & ad omne opus bonum?* Nonne hic evidenter omnis bona Oratio peccatori eripitur, aut si quæ fiat, tanquam *peccati consecutio* reprobatur?

Probatur 2. oratio peccatoris vel fit ex fide, vel non: Si primum; jam reconciliatur, & peccator esse desinit per Prop.51. *Fides justificat, quando operatur*. Si secundum; ergo oratio ejus impura est, & indigna per Prop.42. *Sinè hoc* (Sacrificio fidei) *nihil nisi impuritas, nihil nisi indignitas*.

Probatur 3. per Prop.44. & 45. quidquid non fit ex amore Dei omnia agente propter Deum, & in corde regnante vitiosum est, corruptum est: atqui peccator, antequam reconcilietur, tali amore destituitur: ergo omnis ejus actio, adeòque & oratio peccato inficitur, & judicio obnoxia est.

Probatur 4. Peccatori, ante ipsam justificationem, nulla in Quesnelli systemate obtingit gratia: nam per Propos.28. *PRIMA gratio, quam Deus concedit peccatori, est peccatorum remissio*, qua ex peccatore fit justus: sed per Prop.38. *Peccator non est liber, nisi ad malum, sinè gratia liberatoris*; per Prop.39. *voluntas, quam gratia non prævenit nihil habet . . . virium nisi ad se unicerandum; est capax omnis mali, & incapax ad omne bonum*. Et per Prop.40. *Sinè gratia nihil amare possumus, nisi ad nostram condemnationem*: ergo in Quesnelli principiis quæcunque peccatoris, antequam justificetur, oratio ut est sinè gratia, ita est novum peccatum, novum in orantem judicium.

Probatur 5. oratio est actus religionis exhibens laudem, & honorem Deo: Quesnellus autem Jacobi 3.v.9. sic observat: *Deo horrori sunt laudes, quas charitas ei non affert*: aliunde verò c. Joan.3. v.9. ultrò cum catholicis fatetur, *nullum peccatum mortale cum charitate compatibile esse*. Hinc sic arguo: vel peccator orat ex charitate, vel non: si primum; jam peccator esse desinit: si secundum; Deus orationem ejus abhorret: ergo iterum peccatoris oratio, charitati, & justificationi prævia, est novum peccatum, novum in peccatorem judicium.

Imò, quod magis mirabile, & exoticum apparet, ex Quesnelliana 28. si cum Tridentino jungatur, sequitur, nullam in præsenti rerum ordine salutarem orationem ante peractam reconciliationem à peccatore fundi posse. Atque hoc pacto thesis superiùs posita

Probatur 6. Ex Trid. sess 6. can.3 constat, neminem salutiferè credere, proindeque orare posse sinè prævenientè Spiritùs Sancti inspiratione: sed per Prop.28. illa ipsa præveniens inspiratio, seu gratia peccatorem justificat: ergo qua necessitate salutarem orationem prævenit gratia, eàdem eam prævenit justificatio: ergo, si Tridentino jungas Quesnellianam 28., implicat in hoc rerum ordine, ut qui peccator est, salutariter oret.

IV. Sic ergo ad amussim verum erit, quod notat Quesnellus ad Marc.2. v.9. *UNICUM peccatorum solatium est, scire, Jesum Christum sic peccata posse remittere*.

Id verò Christus, ubi volet, præstabit ope primæ gratiæ, quam conferet; hæc enim, ut ex Prop.28. vidimus, erit ipsa remissio peccatorum; independens proinde ab omni peccatoris industria, conatione, & labore. Nemo non videt, quo hæc evadant.

Nos verò convertamur ad doctrinam Ecclesiæ, & testimoniis, quibus pestilentem errorem jam elisimus ad Prop.50. c.2.3. & 4. hic aliqua superaddamus.

V. VI. 3. Reg.8. v.38. *Si quis cognoverit plagam cordis sui, & expanderit manus suas in domo hac; tu exaudies in cælo, & repropitiaberis*: ergo non exaudies ad novum judicium.

2. Mac-

2\. Macch. 1. v. 5. *Exaudiat Dominus orationes vestras, & reconcilietur vobis*: peccator in Quesnelli principiis nunquam salutariter orat, ut reconcilietur; sed quia reconciliatus est: Vide dicta n. 3. Probatione 6.

S. Augustinus ferm. 161. num. 7. *Non illi* (Spiritui Sancto) *places malè agendo; templum ruinosum non inhabitat, templum sordidum non ingreditur: sed geme ad illum, ut mundet sibi locum: geme ad illum, ut ædificet templum sibi: Quod tu destruxisti, ipse construat; quod tu exterminasti, ipse reformet; quod tu dejecisti, ipse erigat: Clama ad Deum, clama interius, ubi audit; quia & ibi precas, ubi videt, ibi clamas, ubi audit.*

Idem ferm. 169. num. 11. „Justitia fit, sed ex gratia fit,
„ .... hanc prædicat Apostolus Paulus; à Deo tibi fit.
„ Geme, ut impetres; plora, ut impetres; CREDE,
„ ut impetres. *Qui*, inquit, *Invocaverit nomen Domini*
„ ... *salvus erit*, justus erit; quia non est opus sanis
„ medicus, sed malè habentibus, exposuit, cùm dixit;
„ *non veni vocare justos, sed peccatores*: „ Alios planè illustres ex Augustino locos habes ad Prop. 50. c. 4. n. 1. & c. 5. n. 1. ... 4. Clarissimos quoque Angelici textus dedimus ibidem c. 2. n. 4. & c. 4. n. 2.

S. Bonavent. in Specul. Discip. parte 1. c. 12. *Oratio est peccatoris refugium; iram Dei placat, veniam impetrat.*

Igitur oratio impiorum non est semper novum peccatum, nec quod Deus illis concedit, novum in eos judicium, seu nova condemnatio; Cùm è contrario Deus impios orantes, ut oportet, ad pœnitentiam, & justificationem promoveat; modò gratiis, quas ex conversionis desiderio petunt, & impetrant, obtemperare voluerint.

Sed supponamus etiam, peccatorem de conversione sua actu non cogitare: an is propterea toties novo peccato delinquet, quoties crucis signo se munit, aqua lustrali tingit, horas legit, manè orat, & vesperè, Sacrificio Missæ interest &c.? Si Quesnello fides est, non tantùm peccabit, sed graviter peccabit, quia toties sibi novum judicium, seu novam condemnationem accersit; unde hæc omnia in confessione enumerare tenebitur: Quæ verò schola, non dico catholica, sed etiam Janseniana Ethicæ rigorem eò usque perduxit?

CAPUT II.

Observationes Hexaplorum subdolæ refutantur. Col. 805.

OBservationes Hexaplorum, latini *Collatoris*, & Quesnelli hæc ferè reducuntur: 1. quòd Quesnellus tantùm intelligendus sit de oratione impiorum malevola, & perversa, qualis erat Judæorum, de quibus sermo præcesserat. 2. quòd agat de impiis, qui impietatem profitentur. 3. quòd Propositio ejus in posterioribus editionibus correcta fuerit in hunc modum: *Talis oratio impiorum &c.* 4. quòd aliis in locis *Observationum* suarum *Murulium* agnoscat orationem peccatoris bonam, & salutarem. 5. quòd adoptet doctrinam de oratione peccatoris traditam à Bellarmino in Psal. 108. & l. 1. *de bonis operibus in particulari* c. 6.

Ad 1. R. Quesnellum ipsum hanc sibi excusationem ademisse, quandoquidem Propositionem suam 59. lineolæ interjectæ repagulo ab antecedentibus dicemit. Adde, Novatori nihil familiarius esse, quàm ex casu particulari [qualis hic est perversa Judæorum oratio, de quibus apud S. Joannem est mentio] cudere universalis dogmata, ut tomo primo sæpissime observatum est.

Ad 2. R. vocem *impius* significare eum, qui culpæ mortalis reus est; sive interim impietatem profiteatur, sive non: & ita accipitur in Trid. ubi sess. 6. c. 7. quærit, *quæ sit justificatio IMPII &c.*? & iterum c. 8. *Quomodo intelligatur, IMPIUM per fidem justificari, & gratis?*

Ad 3. quid respondendum sit, colligitur ex dictis ad Propos. 2. c. 9. num. 24. & seqq. Quid enim? An mutatio facta in posterioribus editionibus tollebat omnem offensionem vel jam ortam, vel oriri natam ex innumeris priorum exemplaribus quaquaversum distractis, ut propterea CLEMENS XI. abstinere debuerit ab impii articuli proscriptione cum tot aliis Novatoris principiis indivulsè connexi, ut vidimus superiori capite n. 3.? Accedebat, quòd Quesnellus omnem operis sui correctionem haberet ut adiaphoram; imò & Em. Noailium, qui eam imperarat, quasi de superflua religione, & in promissis vacillatione sugillaret.

Ad 4. R. cætera, quæ producuntur, loca ad summum probare, quòd Quesnellus agnoscat orationem bonam in peccatore, ubi ea procedit ex charitate, atque adeo ubi peccator esse desinit: id manifestum est ex Propositione 44. & seqq. Vide etiam hic c. 1. n. 3.

Ad 5. R. non nisi fallaciter adoptari posse à Quesnello Bellarmini in hac materia doctrinam, cùm hic posteriore loco citato manifestè admittat peccatorem, *qui ex animo remittit injurias, & tamen in alio aliquo peccato VOLUNTARIE PERSEVERAT*, posse, *oratione* (Dominicâ) *aliquid impetrare*; si nempe *cupit sibi dari gratiam à Deo perfectæ conversionis, tamque sibi strictè postulat*: id verò cum Quesnelli principiis componi non posse, constat ex dictis capite præcedenti num. 3.

CAPUT III.

Observatio Collatoris, & Protestatio Quesnelli convincuntur de fide pessima. Col. 816.

VIde caput 2. præsertim in responsione ad 2.

CAPUT IV.

Fallaciter, & frustrà Quesnellus pro 59. Propositione implorat patrocinium Bellarmini. Col. 824.

VIde caput 2. in responsione ad 5.

CAPUT V.

Evertuntur reliqua Adversariorum argumenta. Col. 829.

I. OPponitur 1. Prov. 28. v. 9.: *Qui declinat aures suas, nè audiat legem, oratio ejus fiet execrabilis.*

R. hic agi de contumaciter impio, ut patet; non de eo, qui cum melioris vitæ desiderio Deo supplicat.

II. Opponitur 2. S. Augustinus in Psal. 108. ubi enarrans hæc verba: *Oratio ejus fiat in peccatum* sic ait: *Quoniam non est justa oratio nisi per Christum, quem vendidit* [Judas] *immanitate peccati. Oratio autem, quæ non fit per Christum, non solùm non potest delere peccatum; sed etiam ipsa fit peccatum.* R. hunc locum ad rem non facere: Oratio enim, quæ hic dicitur non fieri per Christum, est, quæ non procedit ex doctrina, & inspiratione Christi, sed ex affectione animi Christo, ejusque legi contrariâ: unde paulò infra subjicit: *Oratio ejus, inquit, fiat in peccatum illi, quia non fit per Christum, QUEM NOLUIT SEQUI, SED PERSEQUI*: talis oratio fuit Judæ pœnitentia desperationi conjuncta.

Cæterum potuisse Judam, utcunque *immanitate peccati* impium, & execrabilem, utiliter orare, satis ibidem insinuat Augustinus dicens: *posteaquam illum tradidit, cumque pœnituit, si per Christum oraret, indulgentiam rogaret; si indulgentiam rogaret, spem haberet; si spem haberet, misericordiam speraret; si misericordiam speraret, non sibi desperatione collum ligaret.* Hinc S. Leo ferm. 11. de Passione: *Pro omnibus impiis mortuo Domino, potuisset etiam hic* (Judas) *consequi remedium, si non festinasset ad inquem*: potuisset igitur salutari oratione peccati remedium impetrare.

III. Cætera, quæ hic objiciuntur, non probant, orationem impii esse *novum peccatum*; atque adeò frustrà sunt.

AP-

INDEX CAPITUM.

APPENDIX

Ad Propositiones de Charitate.

CAPUT I.

Fides pessima Quesnelli protestantis, se in Propositionibus de charitate non intelligere justificantem. Col.834.

Quidqnid in hac appendice tractatur, breviter expedivimus ad Prop.44. c.1.

CAPUT II.

De charitate habituali, & dominante Protestatio Quesnelli fraudulenta convincitur. Col.843.

CAPUT III.

Tentata frustrà à Protestante evasio. Col.855.

CAPUT IV.

Reprimitur Observationis Quesnellianæ temeritas contra Constitutionem Unigenitus, *& contra* 40. *Episcoporum acta Parisiensia.* Col.863.

SEXAGESIMA PROPOSITIO DAMNATA.

Si solus supplicii timor animat pœnitentiam, quò hæc est magis violenta, cò magis ducit ad desperationem. *Observ. Moral. Matth.*27. *vers.*5.

CAPUT I.

Unde ortus error: ejus perversitas convincitur authoritate Principum Scholasticorum, & ratione Theologicâ. Col.870.

I. Latinæ voci *pœnitentia* respondet in textu Gallico hæc altera, *le repentir*, quæ est pœnitentia generalissime sumpta, significans præcisè *dolorem alicujus de re d se commissa*: cùm autem Propositio in materia doctrinali, illimitata sit; de quocunque tali dolore, ot & de quocunque, & cujuscumque supplicii metu accipienda est; adeòque evidenter continet hanc: *Si solus supplicii, etiam à Deo immittendi timor excitet ad dolorem de peccatis, semper hic dolor ad desperationem ducit &c.*

Dum Quesnellus timorem supplicii *solum* appellat, intelligit præsertim, vel potiùs unicè separatum ab amore: hinc secundæ editionis Hexapla pag.126. *solum timorem* ita explicant: *la crainte toute seule, & sans amour*, id est *solus timor, & sinè amore*; & pag.105. §. tertio, quo damnatos de timore articulos vindicandos suscipiunt, hunc titulum imponunt: *Crainte sans amour*, hoc est, *Timor sinè amore*; scilicet in scenam reducitur Propositio 44. & sequentes suis locis satis, superque confutatæ, juxta quas nulla actio, aut volitio, nulla proinde pœnitentia bona est, imò omnia mala, & corrupta est, nisi nascatur ex amore bono, hoc est, ex charitate, seu amore Dei justificante. Vide quæ diximus ad Prop.44. n.7. præsertim quæstione 3.

Ex hoc erroneo principio nascitur duplex erronea Quesnelli observatio; altera Lucæ 24. v.47. *Vera pœnitentia, & remissio peccatorum inseparabiles sunt*: altera Joan.9. v.31. *Peccator pœnitens non est amplius peccator coram Deo*, quæ in proprio, realique sensu acceptæ conciliari nequeunt cum doctrina catholicâ de attritione non justificante, nisi accedat susceptio sacramenti: Illa enim vera pœnitentia est, & tamen à remissione peccatorum mortalium separabilis; imò semper separatur, donec sacramentum accedat. Præterea qui atteritur, pœnitens est; & tamen etiam *coram Deo* adhuc peccator, seu peccati maculâ infectus est, nisi sacramenti beneficio justificetur. At, cùm juxta Quesnellum nulla sit bona, veraque pœnitentia, nisi profecta ex charitate, seu amore justificante, hinc utraque ejus observatio ad principia ejus exactissima est.

Imò verò nec tantum ad justificationem requirit; cùm per Prop. ejus 28. etiam *prima gratia, quam Deus concedit peccatori, sit peccatorum remissio*; quæ proinde à peccatoris pœnitentia, omnique aliâ cooperatione liberâ non magis pendet, quàm ipsa prima gratia, quæ nobis inest sinè nobis; magno utique pœnitentiæ compendio, sed non minori, quibus illud in praxi placuerit, salutis dispendio.

Dices: Quesnellus protestatur, se, dum timorem *solum* vocat, intelligere eum, qui à spe sejunctus est.

R. primò eòdem redire, sive ad timorem, qui non ducat ad desperationem, requirat spem, sive amorem; nam præsenti, quam impetimus, Propositioni in *observationibus* ejus *moralibus* immediatè præmittitur Propositio 57. *Totum deest peccatori, quando ei deest spes; & non est spes in Deo, ubi non est AMOR DEI*; itaque requirendo spem, requirit etiam amorem Dei, sive charitatem, sinè qua per Prop.47. *non est nisi hypocrisis, aut falsa justitia*.

R. secundò, falsum esse, & doctrinæ Ecclesiæ contrarium, timorem Divinorum judiciorum, & incboatam inde pœnitentiam, etiam quando nondum adest actualis spes, ad desperationem ducere; sed è contrario ab ejusmodi timore, suppositâ fide, generatur spes: Et quid magis rationi consentaneum, quàm ut qui de peccatis, ob quæ æternis pœnis addicendus est, efficaciter dolet, media omnia circumspiciat, quibus quod timet, evadat: inter hæc autem primo loco occurrit Dei promissio, recipiendi peccatores, qui ad se convertuntur; occurrit frequentissima Dei invitatio peccatores ad se revocantis, quæ ut seria sit, supponit, non defuturam gratiam, quâ redire ad invitantem possint: hinc *spes veniæ consequendæ*, animique applicatio ad cæteras bonæ pœnitentiæ conditiones adimplendas, inter quas exclusio voluntatis peccandi, quæ ejusdem quoque gratiæ beneficio obtineri potest; licèt solus timor supplicii primum toti pœnitentiæ motum indiderit; atque ita pœnitentiam animarit.

Talem pœnitentiæ tenorem describit Tridentinum *sess.*6. *c.*6. ubi ait: „ Peccatores .... à Divinæ justitiæ timore, quo utiliter concutiuntur, ad considerandam „ Dei misericordiam se convertendo IN SPEM ERIGUNTUR „ &c. At, si Quesnello fides est, peccatores à Divinæ justitiæ timore, quo perniciosè concutiuntur, ad considerandum *Deum ... ut Dominum durum, imperiosum, injustum, intractabilem* se convertendo, in desperationem aguntur juxta hanc, & 67. Propositionem &c. jubent scilicet Novatores pœnitentiam à charitate ordiri, quo pacto eam reddunt moraliter impossibilem; cùm in hoc providentiæ ordine, ut seta filum; ita metus charitatem introducere debeat; [Vide c. sequens n.1.] Unde Aug. l. de catech. rud. c.5. *Rarissimè accidit, imò verò nunquam, ut quisquam veniat volens fieri Christianus, qui non sit aliquo timore Dei perculsus.*

At quid Quesnellus per pœnitentiam *violentam* intelligit? Vox illa vel *vehementem*, vel *tantam* significat.

Si

Si primum; adeò verum non est, ex vehementi pœnitentiâ desperationem eiei, ut illa potiùs aecommodatissima sit, ad peccatores ex fatali sceletum funum lethargo excitandos, & ad serlam resipiscentiam efficaciter addncendos: quò enim gratia poteutior est, eò salutarem effectum faeiliùs operatur; at supplicii æterni timorem esse gratiam, ambigere nefas est, postquam Alexander inter 31. damnavit hanc 14. *Timor gehennæ non est supernaturalis*. Saluberrimos vehementis timoris effectus recensebimus c.2. n.3. ex Authore de voeat. gent.

Sed dubitandum non est, quin Quesnello *violenta* pœnitentia sit *coacta*, & *non libera*: Id enim planè persuadent Jansenianæ principia, quibus imbutissimus est. Audiatur ergo Jansenius l.5. de grat. Christi c.29. versùs finem: ,, Cùm igitur omnis, qui purè ex timo- ,, re pœnæ præceptum facit, COGATUR, & omnis, ,, qui cogitur, essentialiter sit invitus, & nolit; im- ,, possibile est, ut ille, qui præceptum, aut pœniten- ,, riam e timore pœnæ facit, non sit invitus, non ani- ,, mo volenti, non repugnanti, & non mallet non fa- ,, cere, si impunè posset. ,, Ibid. præmiserat: Coactio ,, ... intrinsecè involvit, ut animus invitus, & pror- ,, sus repugnans, & iuvoluntarius, quasi obtorto collo ad ,, agendum pertrahatur, nolletque facere, si per metum ,, liceret. Et lib.7.c.3. in fine: sicut delectationi opponi- ,, tur tristitia, & complacentiæ displicentia, ita etiam ... ,, liberum coactio. ,, Ergo juxta Jansenium, & sectatorem ejus Quesnellum dolor de peccatis, qui in contritione imperfecta solo supplicii metu excitatur, seu animatur, violentus est; sive coactus, extortus, non liber, non voluntarius est: atqui id repugnat Tridentino: nam, ubi sess.14. c.4. contritionem imperfectam describerat, eique tanquam communia doloris motiva assignatat sub disjunctione *vel turpitudinis peccati considerationem, vel gehennæ, & pœnarum metum*; paulò post subjungit, quosdam *falsò* docere, *contritionem esse extortam, & coactam, non liberam, & voluntariam*.

Non inutilis hic erit Observatio Bellarmini l.2. de pœn. c.18. ,, Dubitari ,, inquit, ,, non potest, quin dolor ,, de peccato ex solo timore legis, & pœnarum profe- ,, ctus non sit ita liber, ac voluntarius, ut est ille, qui ,, oritur ex amore justitiæ, & Dei: simpliciter tamen ,, liber, & voluntarius est etiam ipse; cùm ex delibe- ,, rato consilio, & electione nascatur, & possit homo, ,, ut etiam multi re ipsa faciunt, malle peccando præ- ,, senti jucunditate frui, quàm non peccando futuras ,, pœnas evadere. Sed etiamsi dolor iste aliquo modo ,, extortus diei queat; non ideo tamen est malus, neque ,, peccatum auget; sed bonus est, & à peccato ,, (adeòque, & a desperatione) ,, retrahit; alioqnin ,, lex ipsa, quæ timorem incutit, esset mala; & Deus, ,, qui timorem illum inspirat, mali author esset. ,,

Addamus verbum de desperatione, ad quam pœnitentia ex solo supplicii timore progenita ducere perhibetur, & quidem semper ducere, cùm Propositio ab omni temporis differentia abstrahat; unde sequitur, quòd non tantùm *occasionaliter* (ut ait *Collator* latinus) sed per se eò adducat; quandoquidem quod semper fit, ex natura rei fieri censetur. Et quomodo non ex natura rei desperatio orietur, si, ut asserit Prop.67. *timor servilis non sibi repræsentat Deum, nisi ut Dominum durum, imperiosum, injustum, intractabilem*? Quid enim ab ejusmodi Deo expectes, aut speres; imò quid non desperes? Fructus scilicet ejusmodi timoris est, ut qui ex eo operantur, ita nihil à Deo sperent, ut teste Jansenio l.5. de grat. Christi c.30. *potiùs hostilis adversùs eum animum gerant*.

Jansenio, Quesnello, & utriusque gregalibus prævivit Kemnitius in Exam. Tridentini ad sess.14. can.5. ,, Contritio ,, inquit, ,, expavescens consideratione ,, iræ, & judicii Dei, si non oriatur ex dilectione Dei, ,, etiamsi accedat fides petens, & statuens remitti nobis ,, peccata propter Christum; tamen est non salutaris, ,, sed Judæ pœnitentia; proinde ad desperationem du- ,, cens, & interitum. ,,

Jansenii Discipulus in *Compendio Theologico*, quod Quesnellus post Romanam condemnationem defendendum suscepit, §.2. *de spe Theologica* impiæ sententiæ horrorem moderatur his verbis: *Dum pœnas times, & non amas, venialiter delinquis*.

II. Non ita sanè de timore, ortâque ab eo pœnitentiâ sensit Angelicus 3. p. q.85. a.5. dicens: ,, Alio modo ,, possumus loqui de pœnitentia, quantum ad actus, qui- ,, bus Deo operanti in pœnitentia cooperamur, quo- ,, rum actuum primum principium est Dei operatio convertentis cor ... Secundus actus est motus fidei: ter- ,, tius est motus timoris servilis, quo quis timore sup- ,, pliciorum à peccatis retrahitur ... Sic igitur patet, ,, quòd actus pœnitentiæ ab actu timoris servilis proce- ,, dit, sicut à primo motu affectûs ad hoc ordinato: à ti- ,, more autem filiali, sicut ab immediato, & proximo ,, principio ,, Ibid. ,, Ad 3. dicendum, quòd ipse etiam ,, motus timoris procedit ex actu Dei convertentis cor: ,, unde dicitur Deut.5. *Quis det, eos talem habere mentem, ut timeant me?* Et ideo per hoc quòd pœniten- ,, ria à timore procedit, non excluditur, quin proce- ,, dat ex actu Dei convertentis cor. ,, Timor itaque suppliciorum Divinitus immittendorum, & nata indè pœnitentia adeò non ducit ad desperationem, & peccatum, ut procedat ex actu Dei convertentis cor, & retrahat à peccatis; adeòque sit propriissimè supernaturalis, & disponens ad timorem filialem, perfectamque conversionem.

Iterum 1. 2. q.43. a.1. ad 1. *Qui timet puniri à Deo, servat mandata ejus, & sic incipit sperare, & spes introducit amorem*: ergo metus ultionis Divinæ, seu dolor de peccatis inde progenitus primò excludit voluntatem peccandi; hâc enim stante, mandata Dei servari non possunt: secundò inducit spem; per spem verò amorem. Quid magis Quesnellianæ assertioni contrarium?

III. ... V. Angelico concordat Seraphicus in opusc. *de grat. sanctif.* l.5. c.4. & S. Salesius l.2. *de amore Dei* c.4. &c. ut supra non semel vidimus.

S. Bernardus Serm.3. super *Salve Regina* post medium ad pœnitentiam ex solo metu gehennæ profectam hortatur his verbis: Time vermem rodentem, ignem tor- ,, rentem, fumum, & vaporem, & sulphur, & spiri- ,, tum procellarum; time tenebras exteriores, & di- ,, cito: Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis ,, fontem lacrymarum, & præveniam fletibus fletus, & ,, stridorem dentium, & manuum, pedumque dura vin- ,, cula, & pondus catenarum prementium, stringen- ,, tium, urentium, nec consumentium? Heu! mater ,, mea, cur me genuisti filium doloris, & amaritudinis, ,, indignationis, & plorationis? ,, Si vera dicant Novatores, necesse est, hanc pœnitentiæ formulam esse non leve desperationis incitamentum. Vide etiam infra ad Prop.61. c.6. n.2.

CAPUT II.

Refellitur error authoritate Patrum. *Col. 875.*

I. QUi apud Adversarios, & nos præcipuo loco est, Augustinum præmittimus. Is contra Advers. leg. & Proph. l.1. c.16. *SALUBRITER non solùm bonitatem, verùm etiam severitatem scriptura commendat: quoniam, & amatur Deus UTILITER, & timetur*. Tract.9. in Joan. *Timor Dei sic vulnerat, quomodo medici ferramentum putredinem tollit: opus est ergo, ut intret timor primò, per quem veniat charitas. Timor medicamentum, charitas sanitas*. An timor, qui ad desperationem ducit, *salubris* est, *utilis* est, *medicatur, charitatem* introducit? Vide etiam Prop.50. c.5.

Rursum ep.204. aliás 504. ad Nectatium n.9. sic habet: ,, Pœnitentia impetrat veniam, & purgat admissum; ,, sed illa, quæ in vera religione agitur, quæ futurum ,, Dei judicium cogitat; non illa, quæ ad horam homi- ,, nibus aut exhibetur, aut fingitur, non ut à delicto ,, anima purgetur in æternum; sed ut interim à præsenti ,, reatu molestiæ vita citò peritura liberetur; hinc Chri- ,, stianis confitentibus, atque deprecantibus, qui deli- ,, cto illo fuerant implicati, ... pœnitentiæ dolorem

„ fructuosum esse credimus, eisque ad correctionem sufficere existimavimus, quòd inest cordibus eorum fides, quâ considerare possent, quid de Divino judicio formidare deberent. „ Hic docet Augustinus, *dolorem* ex prævia fide conceptum per considerationem, & formidinem Divini judicii, non tantùm esse *fructuosum*, adeòque ab inducenda desperatione alienissimum; sed etiam ad Dei gratiam in sacramento pœnitentiæ impetrandum valde propinquè disponere; nam dicit, quòd *impetret veniam, animam purget in æternum, sufficiat ad correctionem confitentibus, atque deprecantibus*, id est, petentibus absolvi, *quos pœnitet, qui rogant, qui pedes complectuntur &c.*, ut in præcedenti epistola Nectarius loquitur.

II. III. Augustino cæteri Patres adhærent, & inter hos Clemens Alexandrinus l.2. Strom. *At prima quidem ad salutem inclinatio nobis fides apparet, post quam timor, ET SPES, & pœnitentia.* Et infra: *In timore Domini est, inquit, spes fortitudinis: deducit ergo talis metus ad pœnitentiam, & ad SPEM;* igitur non ad desperationem.

S. Greg. M. l.6. Registri ep.23. *Theotistæ, & Andreæ*, ait, quòd *perfecta compunctio formidinis trahat animum ad compunctionem dilectionis*: itaque à desperatione alienissima est.

At nulla ferè sententia omnes in hac materia errores feliciùs jugulat, quàm quæ traditur ab Authore operis de voc. gent. quod plerique S. Prospero, Quesnellus S. Leoni attribuit.

Illic in editione Duacena Anni 1577. l. 2. capiti 27. præfigitur hic titulus: *Consensum voluntatis per gratiam gigni, non solùm ex doctrina, & illustratione; sed etiam ex terrore, & metu*: capitis verò exordium est hujusmodi. „ Hunc autem consensum non solùm cohortatio prædicantium, & incitamenta doctrinæ, sed etiam metus gignit; propter quod scriptum est: *Principium sapientiæ timor Domini*: qui QUANTISLIBET TERRORIBUS inferatur, NON ALIUD AGIT, quàm ut quem fecerat timentem, faciat & volentem; nec solùm volentem, sed etiam sapientem: Unde, & illud scriptum est: *Beatus, cui donatum est, habere timorem Dei*: quid enim tam beatificum, quàm hic timor, qui genitor, eruditorque sapientiæ est? In cujus utique devotione, devota est & voluntas, quo authore, eodem proficit timore quo cœpit. Cùm ergo hic timor etiam per quamdam VIM MAGNI TERRORIS immittitur, non ibi ratio extinguitur, nec intellectus aufertur; sed illa potiùs, quæ mentem premebat, caligo discutitur; ut voluntas depravata priùs, atque captiva, recta efficiatur, & libera. „

Hinc discimus primò, falsum esse, quòd, ut in sequentibus articulis à Quesnello asseritur, timor solam manum cohibeat, & reum faciat, qui ex eo in agendo procedit; cùm è contrario, ut vidimus, bonum voluntatis consensum, aliosque effectus optimos operetur. Discimus secundò, timorem illum, etiam *quantislibet terroribus* illatum, *non aliud* agere, *quàm, ut, quem fecerat timentem, faciat, & volentem*: si *non aliud*, ergo minimè ad desperationem impellit: idem manifestè sequitur ex eo, quòd ejusmodi metus sit *genitor, eruditorque sapientiæ &c.* desperatio enim est teterrima amentia, rationem prope extinguit, intellectum aufert, caliginem mentis auget, non discutit, & depravatam voluntatem magìs depravat, arctiùsque Diabolo mancipat: cùm igitur, ut ex relato textu perspicuum est, contrarii planè effectus ex timore, etiam vehementi, qualis illic exprimitur, oriantur; necesse est, ut à tali timore, seu pœnitentiâ, quatenus ex eo conceptâ, non desperatio; sed spes, cæteraque perficiendæ pœnitentiæ requisita nascantur, quibus *voluntas . . . . recta efficiatur, & libera*.

CAPUT III.

Adversatur Propositio definitionibus Alexandri VIII. Concilii Tridentini, atque ipsis Scripturarum oraculis. Col.878.

I. CONfecutit enim t. artic.14. inter 31. à laudato Pontifice proscriptos. *Timor gehennæ non est supernaturalis*: item huic 15. *Attritio, quæ gehennæ, & pœnarum metu concipitur sinè dilectione benevolentiæ Dei, non est bonus motus ac supernaturalis*. Si timor gehennæ, & ex eo dimanans attritio sit bonus motus, sit supernaturalis, ergo est gratia, vel ex gratia: atqui gratia non inclinat, aut ducit ad peccatum, quale procul dubio est desperatio. ergo.

II. Adversatur huic Tridentini sanctioni sess.6. can.8. *Si quis dixerit, gehennæ metum, per quem ad misericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel à peccato abstinemus, peccatum esse, aut peccatores pejores facere, anathema sit*. Ad misericordiam Dei de peccatis dolendo confugere, est pœnitere: atqui peccator ad Dei misericordiam de peccatis dolendo confugit per solum gehennæ metum; neque enim Tridentinum aliud motivum hic memorat, per quod ad pœnitendum impellitur: ergo agit pœnitentiam solo timore animatam, seu excitatam: subsumo: atqui, teste Trid. metus ille, & proinde pœnitentia ex eo proveniens nec peccatum est, nec peccatorem pejorem facit; qualem certè faceret, si, ut vult Quesnellus, duceret ad desperationem, funestissimam peccati speciem; quod quantum à Sanctæ Synodi mente alienum sit, patet iterum ex his ejus verbis sess.6. c.6. *Peccatores . . . . à Divinæ justitiæ timore . . . . UTILITER concutiuntur*; quæ enim ex desperatione utilitas; imò quæ non pernicies?

Porrò quæ sit timoris utilitas docet sess.14. c.4. exemplo Ninivitarum: „ Hac enim [inquit] timore utiliter concussi Ninivitæ, ad Jonæ prædicationem plenam terroribus, pœnitentiam egerunt, & misericordiam à Domino impetrarunt: „ absit igitur ut ad desperationem impulsi sint.

IV. V. Plura ex Scripturis, Patribus, Bellarmino vide apud Authorem.

CAPUT IV.

Dissolvitur argumentum desumptum ex Scriptura. Col.884.

EX authoritatibus, quæ sive hìc, sive infra objiciuntur, solùm sequitur, timorem supplicii à Deo inferendi, ubi pusillanimitati, vel infidelitati conjungitur; vel rationis limites excedit, sinistros effectus habere; quorum causæ, ut timori illi extraneæ sunt, ita fundamentum non præbent concludendi cum Quesnello, quòd *si solus supplicii timor animat pœnitentiam, quò hæc est magìs violenta, eò magìs ducat ad desperationem*.

CAPUT V.

Gregorius Magnus ab Adversariis allegatus illis minimè favet. Col.887.

CAPUT VI.

Perperam ab Adversariis imploratur S. Bernardus. Col.891.

CAP.

CAPUT VII.

Institutio Moguntina præsentem articulum non defendit; sed totum Quesnelli systema de timore, charitate, gratiâ, voluntate Dei erga salutem hominum funditus subvertit. Col.895.

CAPUT VIII.

Expediuntur argumenta Adversariorum reliqua. Col.921.

I. NE ad 60. Propositionis desensionem murus sit Augustious, allegant Hexapla textom unicum ex serm.18. de diversis aliàs 33. c.r. cumque nec fideliter redditum, nec ad rem facientem; cùm illic nulla desperationis sit mentio, nullum vestigium.

II... IV. Resutando *Calstatori* latino sufficiunt dicta c.s.

SEXAGESIMA PRIMA PROPOSITIO DAMNATA.

Timor non nisi manum cohibet; cor autem tamdiu peccato addicitur, quamdiu ab amore justitiæ non ducitur. *Observ. Moral. Luc.20. v.19.*

CAPUT I.

Error è vitiatis fontibus fluens, rationis lumini manifestè contrarius. Col.925.

I. PRopositio duo asserit. Primum est: Timor nonquam cohibet peccandi voluntatem: alterum est: Qui agit ex timore, & non ex charitate, hoc ipso peccat, sin minùs externo opere, saltèm peccandi desiderio. Partim hìc recoquitur, ot patet, Quesnelliana 44. & sequentes, quarum origo est Bajana 38. ,, Omnis amor creaturæ rationalis aut vitiosa est cupiditaa, quâ mondus diligitur, quæ à Joanne prohibe- ,, tur; aut laudabilis illa charitas, quâ per Spiritum ,, Sanctom in corde diffusa Deua amatur. ,, Quesnellus itaque, exemplo Jansenii, *per justitiam*, intelligit *increatam*, & *amorem justitiæ* cum charitate coofundit joxta hanc alteram Jansenii parœmiam l.5. de grat. Christi c.6. *Justitia diligi non potest nisi vera, & propriè dicta charitate.*

II. Fontes errorum, qui ad timorem speciatim attinent, aperire cœpimus ad præcedentem Propos. c.r.. Sed quidquid huc spectat à Janseoio traditum invenies lia locia, quæ ex ipso retulimus ad Prop.44. c.r. n.5.

III. Præcipuum ejus in hac materia errandi fundamentum est, quòd cum superiorum temporom hæreticia opinetur, actionem omnem, etiam quæ à Deo sub interminatione æterni supplicii imperatur, natam ex timore annexum habere peccamioosum hunc, adeòque liberum voluntatis actom conditionatum: *nollem præceptum servare, si impunè possem*: quæ opinio sanè ebsurdissima est, ipsique rationi contraria. Nam qui efficaciter timet geheonam, id est, ita timet, ut toto conato vitare velit; si sciat, eam oon modò incurri externâ violatione præcepti, sed etiam conditionatâ violandi volontate; profectò hoc ipso quòd ex salutari gehennæ metu præceptum exteriùs servat, etiam servat interiùs, eoque eam voluntatem, quàm manom à peccato cohibet; nè alioqoi dicatur simul liberè nolle, & velle eo, quo dictum est, modo lorentatas à Deo pœnaa effugere, quod est contradictoriom.

IV. Neque vident Novatorea quod dicunt de timore, in spem retorqueri posse: pari enim jure, hoc est, nullo, contendam, eum, qoi ex spe æterni præmii Dei mandata custodit, hanc animo semper scelestam volootatem fovere: *Nollem præcepta servare, si nulla servantibus promissa esset retributia.* Sicut ergo motivum spei, ex qoo hic, & nuoc operor, non excludit motivum aliud V.G. amoris beoevoli, ex quo operari possem, si nullum præmium rectè agentibua constitutum esset; ita occ motivum timoris excludit alterius virtutia motivum, ex quo operari possem, si oulla pœna decreta esset Dei mandata violaotibus.

Sed jam sanctioribua armia error debellandus est.

CAPUT II.

Error convellitur Scripturis Sacris. Col.929.

SCripturarum textos suppeditabunt Patrum testimonia inferiùs producenda.

CAPUT III.

Veritatem catholicam errori damnato oppositam tradidit Augustinus. Col.933.

I. COncione 30. in Psal.118. ad illud: *Et à verbis tuis trepidavit cor meum* ita docet: ,, Habuerunt ,, quidem & illi (Tyranni) verba minacia *proscribo*, ,, *occide &c.* sed tua me potiùs verba terruerunt: *Nolite* ,, *timere eos, qui occidunt corpus; sed eum timete, qui po-* ,, *test & corpus, & animam perdere in gehennam*: ab ,, his verbis formidavit cor meum, & contempsi perse- ,, cutorem, & vici Diabolum. ,, Si vicit, ergo formido gehennæ non actum modò externom cohibuit, sed etiam internom, id est, voluntatis consensum, à quo tota pendet victoria.

II. Hinc in Psal.127. enarrans hæc verba, *Ubi vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur* ait: ,, Audiunt hæc homines; &, quia verè futura sunt impiis, ,, timent, & continent se à peccato: ,, imò, ut mox addit; sic *fit consuetudo justitiæ*. Et lib.2. de Gen. cootra Manich. c.28. ,, Nihil enim sic revocat homi- ,, nes à peccatis, quemadmodum immioentis mortis ,, cogitatio ,, quem locum Eckius Lothero quoque objecit. Peccatum propriè, & simpliciter dictum, est peccatum internum, & voluntatis: ergo timor ab eo noa *revocat, continet*; prodocitque actionea *justitiæ*, adeòque ex omni parte bonas.

III. Serm.13. de Verbis Apostoli. ,, Timor est servus ,, charitatis: Nè possideat Diabolos cor tuom, præce- ,, dat servus in corde tuo, & servet Dominæ venturæ ,, locum &c. ,, Non possidet Diabolus cor, oisi per cordis seu voluntaris consensum: sed timor, teste Augustino, efficere potest, *nè possideat Diabolus cor*, ergo etiam nè cor, seu voluntas consentiat. Hinc rorsus ep.120. ad Honoratum: ,, Præmissus timor in cor oo- ,, strom pellit INDE coosuetudioem malorum operum, ,, & servat charitati locum. ,, ergo non tantùm ex manibus, sed etiam ex corde pellit opera mala.

S. Doctor l.de grat.& lib. arb.c.18. ,, cavere debemos ,, inquit, ,, nè nos arbitremur non accepisse spiritum ,, TIMORIS DEI, quod sinè dubio magnum est Dei ,, donom .... non quo timore Petrus Christum negavit; ,, sed illius timoris spiritum accepimus, de quo dicit ,, ipse Christus, *Eum timete, qui habet potestatem, &* ,, *animam, & corpus perdere in gehennam*: ,, hic clarissimè distinguitur *timor Dei*, & *hominum*: quem verò singuli effectum habere possint, docetur serm.45. ex Sirmondianis, aliàs 22. n.9. ,, TIMOR HOMINUM ,, fortè CORPUS potest ab immunditia temperare; ANI- ,, MAM autem non nisi TIMOR DEI: ,, ergo timor Dei, seo gehennæ à Deo inferendæ temperare potest non solum corpos, sed & animam ab immunditia; quod qoid aliud est quàm cohibere animæ consensum in immunditiam, seu impedire, nè *cor peccato* immunditiæ *addicatur*; cujus contradictorium à Quesnello asseritur?

IV. L. de

IV. L. de catech. rudib. c.17. ,, Qui propter beatitudi-
,, nem sempiternam, & perpetuam requiem, quæ post
,, hanc vitam sanctis futura promittitur, vult fieri Chri-
,, stianus, ut non eat in ignem æternum cum Diabolo;
,, sed in regnum æternum intret cum Christo, verè ip-
,, se christianus est, cautus in omni tentatione &c. ,, er-
go timor gehennæ est motivum sufficientissimum repri-
mendæ omni tentationi, adeòque cohibendo volun-
tatis consensui in peccatum: quantùm verò talis
christianus adhuc absit ab amore Dei benevolo, seu
gratuito, videre licèt ex reliquo contextu sententiæ,
quam integram produximus ad Prop.44. c.13. n.19.

Neque dicas, in Augustini verbis non exprimi solum
motivum timoris, sed etiam desiderii *beatitudinis sem-
piternæ*: respondeo enim, desiderium illud virtualiter
involvi in timore seu fugâ gehennæ, saltèm quatenus
hæc tam sensûs, quàm damni pœnam complectitur:
unde nolle pœnam damni, & velle beatitudinem sem-
piternam si non idem, certè alterum alteri necessariò
connexum est. Adde, desiderium beatitudinis non
minùs, quàm timorem pœnæ Quesnello vitiosum esse,
cùm neutrum hic nascatur ex amore benevolo, sinè
quo omnis actio, & volitio mala est per Prop.44. &
seqq. Atque ita relatus textus, quomodocunque su-
matur, Novatori fatalis est.

CAPUT IV.

Sancti Basilius, Ambrosius, Hieronymus, Cyprianus proscripto articulo adversantur. Col.937.

I. SAnctus Basilius in Psal.33. ,, *Divites eguerunt*. Ti-
,, mor salutaris est, qui SANCTITATIS OPE-
,, RATORIUS. Vis enarrem, qualis sit? Si quando te
,, senseris ad unum aliquod rapi ac prosilire peccatum;
,, ad mentem revoca formidabile illud, nec ulli mor-
,, talium tolerabile Christi judicium... Hæc time, &
,, hoc timore eruditus ANIMAM à concupiscentia
,, ad hæc mala velut fræno quodam retide.,,

Ibidem paulò supra. ,, Quorum animum occupavit Dei
,, timor, OMNEM IMPORTUNITATEM, quæ ex
,, peccati affectione, ac perturbatione oritur, VITANT.
,, Timenti itaque non est inopia; hoc est, nihil illi ad
,, ullam virtutem deest, qui PER TIMOREM AB
,, OMNI PRAVA ACTIONE COHIBETUR.,, Quot
verba, tot spicula, quibus Quesnelli error configitur.

II. S. Ambrosius in Psal.118. serm.13. ,, Tunc cogno-
,, scitur Dominus, cùm timentium convertit affectus
,, gravis terrore judicii: ,, ergo terror judicii non tan-
tùm cohibet manum; sed etiam voluntatis affectum à
malo ad bonum convertit.

In eumdem Psal. serm.21. ,, Divini judicii terror ter-
,, rorem excludit humanum: ,, ergo etiam voluntatem
peccandi, quam terror humanus involvit.

Et in ejusdem Psalmi v.120. ,, Configat has carnes ti-
,, mor Domini, & judiciorum ejus, & SERVITUTI
,, REDIGAT..... qui configitur, mortificatur, ut
,, PECCATO DEFICIAT, ET DEO VIVAT.,,
Carnem servituti non redigit, peccato non deficit,
Deo non vivit, qui peccandi habet voluntatem, ut
clarum est.

III. S. Hieronymus ad Fabiolam Mansione 23. ,, Dum
,, tormenta formido, servavi gratiam, quam recepe-
,, ram: ,, hanc certè non servat, qui crimen desiderat.

Rursum in c.1. Malach. ,, Vult itaque primùm Deus, ut
,, filii ejus simus, & bonum voluntate faciamus: Si hoc
,, consequi nolumus, ut saltèm servos nos habeat, & à
,, malis per suppliciorum formidinem recedamus: ,,
inter peccata autem propriissimè mala sunt, quæ in-
terna sunt.

IV. Denique S. Cyprianus l.3. ad Quirinum c.20. asse-
rit, *fundamentum, & firmamentum fidei, ac spei esse
timorem*: hic ergo arcet peccata, quibus utraque vir-
tus debilitatur, nutat, evertitur.

CAPUT V.

Clarissima ubique est Gregorii Magni contra damnatum articulum sententia. Col.941.

PAuca delibamus: l.26. *Moral.* c.27. ita fatur: ,,
,, Sæpe qui jubentis verba non audiunt, ferien-
,, tis verberibus admonentur, ut AD BONA ÆTER-
,, NA SALTEM POENÆ TRAHANT, quos præmia
,, non invitant... sunt nonnulli, quos à perditis mo-
,, ribus, nec tormenta compescunt... fatuitas quippe
,, stultitiæ est, quòd illos sic iniquitas obligat, ut à
,, CULPA eos nec pœna compescat.,,

II... IV. Rursum hom.26. in Evang. ,, Hunc tanti ti-
,, moris judicem ante oculos ponite; hunc venturum ti-
,, mete, ut, cùm venerit, NON TIMIDI, SED SE-
,, CURI videatis. Timendus ergo est, nè timeatur.
,, Terror ejus nos ad usum BONÆ OPERATIONIS
,, exerceat; metus illius vitam nostram A PRAVI-
,, TATE compescat.,,

In duplicem hunc textum ita observo: *Culpa, & pravi-
tas*, seu peccati malitia sinè mala voluntate nulla est:
si ergo culpam, & pravitatem compescit timor, etiam
malam voluntatem coercet: Et, nisi id verum sit,
falsò Gregorius asserit, timorem ad bona æterna tra-
here, ad usum bonæ operationis exercere, & efficere,
ut Judicem non timidi, sed securi videamus: hæc
enim omnia cum mala voluntate cohærere non pos-
sunt.

CAPUT VI.

Damnato articulo infesti sunt S. Prosper, sive Author libri de vocatione gentium, *S. Bernardus, Hugo à S. Victore. Col.947.*

I. AUthorem opusculi *de voc. gent.* novæ de timore
Doctrinæ fatalem exhibuimus ad Prop.60. c.2.
num.3.

II. Non æquiorem esse S. Bernardum, sequentia testi-
monia declarant. Serm. *de diversis affectionibus animæ*
ita disserit: ,, jam verò secundo statu incipit homo
,, esse sub Domino, qui tanquam servus carcerem ti-
,, met, & meruit nè subigatur pœnis: in quo sanè statu
,, CONVERSIO EST, EXITUSQUE A SÆCULO,
,, ET INTROITUS VITÆ; unde & legis: *Principium
,, sapientiæ timor Domini*; & alius quidam Propheta,
,, *à timore*, inquit, *tuo concepimus, & parturivimus spi-
,, ritum salutis*.,, Et infra: ,, Ante omnia timor eis
,, necessarius est, quo nimirum peccata possint PRÆ-
,, TERITA DELERE, ET CAVERE FUTURA;
,, *timor* enim *Domini*, ut ait Scriptura, *expellit pecca-
,, tum*, sive quod jam admissum est; sive QUOD TEN-
,, TAT INTRARE: expellit sanè; illud quidem POE-
,, NITENDO, hoc, RESISTENDO: ,, Quid effica-
cius ad Quesnelli errores sexagesimum, 61. 62. & cæte-
ros plures retundendos?

Præterea Dominica 1. post oct. Epiph. serm.2. cùm tri-
plicem timorem distinxisset, quorum primus est,
nè cruciemur in gehenna; *secundus*, nè excludamur *vi-
sione Dei*; *tertius*..... *ne fortè deseramur à gratia*,
subjicit: *Et quidem omnis timor Domini sicut aqua ex-
tinguit ignem, sic extinguit peccati concupiscentiam*.
Quid est *peccati concupiscentia*, nisi peccati voluntas,
aut desiderium?

Rursum de Stat. virt. part.3. sic habet: ,, Est & alius ti-
,, mor respectum habens in Deum, quando videlicet Ip-
,, sum Dominum timemus propter potentiam ejus, quia
,, potest animam, & corpus mittere in gehennam.
,, Hunc autem Dominus jussit habere dicens: *Nolite ti-
,, mere eos, qui occidunt corpus.. sed timete eum qui &c.*
,, In hoc autem timore aliquantulum vis charitatis est,
,, in hoc quod ad Dominum respicit, & donum Dei est:
,, sed quia ex ejus potentia habetur, pœnam habet, &

,, *ser-*

„ *servilis* dicitur, & quòd initio suo bonus, sed non„ perfectus est, nec ad salutem sufficiens. Verumtamen „ per crescentes gradus melioratur, & adeò hominem corrigit, ut NEC ACTU, NEC VOLUNTATE PECCARE LIBEAT, etiamsi peccatis obligetur invincibilibus. „ Hic locus perspicuitate suâ ita lucet, ut talpâ cæciorem esse oporteat, qui eo Quesnellum jugulari non videat.

III. Æquè evidentia habet Hugo à S. Victore ob excellentiam ingenii, & doctrinæ *Alter Augustinus* dictus. Vide Morerium. Itaque l.1. Misc. tit.178. „ Cùm [inquit], ad delectationem præcipitem impellit desiderium culpæ, cohibet à delectatione timentem providentia pœnæ. In hoc enim quòd cernit, quod post culpam pœna sequitur sive in correctione, sive in damnatione, REFRÆNATUR A CULPA SIVE IN OPERE, SIVE IN DELECTATIONE. Timor ergo frænum; IPSE TIMOR COHIBET, ET STRINGIT EFFLUENTEM ANIMUM, & sistit ad tolerantiam, ostendens, faciliùs malam concupiscentiam vincere, quàm MALAM CONSCIENTIAM TOLERARE; & eligit durum, ut durius evadat. „ Si timor pœnæ refrænat à culpa sive in opere, sive in delectatione, si stringit, & cohibet effluentem animum, si efficit ut non toleremus malam conscientiam, necesse est ut peccandi voluntatem excludat.

IV. Plura ex eodem infra c.9.

CAPUT VII.

SS. Laurentius Justinianus, Thomas, Bonaventura, Salesius pro communi contra damnatum articulum stant sententiâ. Col.951.

I. SAnctus Laurentius Justin. tract. de timore c.2. „ Timor hominum peccandi differt facultatem„ & operationem; non autem aufert; sed retinet voluntatem, donec habeat opportunitatem, vel occasionem: unde & quos suspendit à crimine, avidiores „ reddit ad crimen, & æstuat animo, quousque perficiat, quod malum cogitat. Solus enim Dei „ [ponientis *æterna pœna, edaci flamma &c.*, ut præmittitur] „ timor est, qui nocentes corrigit, *FUGAT CRIMINA*, & perpetem confert *BENE AGENDI VOLUNTATEM*.... Nubes etiam *CARNALIUM COGITATIONUM, ET AFFECTIONUM FUGAT* ... nam sicut remissa securitas culpas admittit, ita„ DESIDERABILIS TIMOR DELICTA SEMPER „ EXCLUDIT, ET MENTEM CONSERVAT. „ Quot hic assertiones errori contradictoriæ! Similia„ habet idem S. Patriarcha c.5.

II. Angelicus 3. p. q.85. a.5. „ Tertius est motus timoris servilis, quo quis timore suppliciorum à peccatis „ retrahitur; „ *à peccatis*, inquam; quibuscunque scilicet tam internis, quàm externis.

Iterum 2.2. q.27. a.8. „ Aliquis introducitur ad amandum Deum per hoc, quòd timens à Deo puniri, cessat à peccato, ut Augustinus docet „ *Cessare à peccato* ex metu, est nullum peccatum committere, ob quod eam pœnam incurras, quam times; sed ob peccatum internum, & solius desiderii, pœna à Deo infligenda incurritur: ergo qui ex hujus metu cessat à peccato, cessat ab omni delicto interno quod formidatæ Dei vindictæ obnoxium sit. Vide„ prætetea Propos.60. e.r. num.2. [III.] Sed præclarissimos tum ex S. Thoma, tum ex S. Bonaventura„ locos reservamus capiti 9. [IV.] Sanctus quoque Salesius capite proximo opportuniùs audietur.

CAPUT VIII.

Concilium Tridentinum, Catechismus Romanus, Scholastici communissimè damnato articulo adversantur. Col.958.

I. ECclesia in Tridentino congregata sess.14. c.4. manifestè supponit, attritionem, quæ ex pœnarum metu concipitur, aliquando excludere voluntatem„ peccandi; ne alioqui non tam Lutherum ejusque sectatores, quàm aerem verberasse dicatur: & pro morum doctrina futilem, ineptamque sententiam filiis suis obtrusisse, ut sæpe ab aliis demonstratum est.

Non aliter sanè quàm nos, Sanctam Synodum intellexere Doctores catholici: hinc suavissimus morum Magister S. Franciscus Salesius l.11. de Amore Dei c.18. „ Christiana illa veritas „ (*Judicii, & inferni*, quæ immediatè præcedunt) „ summo pavore animum concutit... Ubi autem ille timoris sensus ita cor occupat, ut excludat, ejiciatque affectum, & voluntatem „ peccandi, QUEMADMODUM LOQUITUR S. „ SYNODUS TRIDENTINA; est indubiè magnopere salutaris. *A timore tuo, Domine, concepimus & „ parturivimus spiritum salutis*, inquit Isaias; quod significat: Irata facies tua contetruit nos, & concipere „ fecit, ac parturire spiritum pœnitentiæ, qui est spiritus salutis.... Dominus noster, licèt venerit, ut „ afferret legem amoris, non omittit tamen timorem „ illum inculcare: : *Timete*, ait, *illum, qui potest & animam, & corpus perdere in gehennam.* Pœnitentiam „ egerunt Ninivitæ ex comminatione subversionis suæ, „ & damnationis; eorumque pœnitentia Deo placuit: „ Denique timor ille unum est è septem donis Spiritûs „ Sancti, ut multi antiqui Patres annotarunt: At, si „ metus non excluserit voluntatem peccandi &c. „

II. Audiamus & Bellarminum Tridentini interpretem l.2. de pœn. c.18. „ Sciendum est præterea, [inquit], duos quasi gradus distingui posse in timore ser„ vili. Primus est, quando impedit opus peccati ex„ ternum; sed non voluntatem: & hic timor est bonus, „ & bonæ rei causa; quia bonum est, impediri opus ex„ ternum; sed quia conjunctus est cum mala volontate, „ non gignit contritionem, neque attritionem. Secun„ dus est; quando non solum opus externum peccati; „ sed etiam voluntatem peccandi coercet: SÆPE enim „ homines, etiamsi nondum toto corde Deum diligant, „ tamen consideratis malis effectibus peccati, & sup„ pliciis æternis, ad quæ ipsos perducit, simpliciter „ odium contra peccatum concipiunt, & SERIO AB„ JICIUNT PECCANDI VOLUNTATEM; & hic „ timor est melior, neque ex eo ullo modo crescit pec„ candi voluntas, & de eo loquuntur Theologi, cùm „ dicunt, attritionem ex timore conceptam, dispositio„ nem esse ad justificationem, &, sacramento accedente, „ revera justificare, ut PERSPICUUM EST EX „ CONC. TRID. sess.14. c.4., ubi legimus, attritio„ nem disponere ad justificationem, si voluntatem pec„ candi excludat. „

Denique clarissima Tridentini sententia extat sess.6. can.8. „ Si quis dixerit, gehennæ metum, per quem „ ... A PECCATO ABSTINEMUS, peccatum esse „ aut peccatores pejores facere, anathema sit. „ Concilium intelligendum est in sensu proprio: atqui peccatum propriè dictum est internum; cùm externum„ tantùm denominatione extrinseca peccatum sit: ergo, teste iterum Trid. Synodo, gehennæ metus peccandi voluntatem aliquando excludit.

III. Tridentino penitùs consonat Catechismus Romanus, illo jubente compositus parte 2.c.5. *suppliciorum acerbitate proposita ANIMUS à peccatis revocatur*: ergo timore non sola manus à peccando cohibetur.

IV. Prolixam Scholasticorum concorditer assentientium seriem; [V.] & nominatim Doctorum Lovaniensium, qui eidem doctrinæ circa ipsa Tridentini tempora firmissimè adhæserunt, citatis numeris apud Authorem recognosce.

CAPUT IX.

Prænotanda pro depulsione faciliore eorum, quæ contra Timorem pœnarum, vulgò servilem ab Adversariis opponuntur. Col.963.

OBjectiones, quæ fiunt ex Patribus, vel arguunt timorem legis veteris; vel omnem timorem servilem, idque ex duplici capite; vel quia timor servilis annexam habet voluntatem peccandi, vel quia charitas eum foràs mittit; adeòque videtur non posse subsistere in homine justo.

Huic triplici difficultatum generi occurremus triplici solutionum *fundamento*, non aliunde quàm ab ipsis scholarum Principibus accersito.

FUNDAMENTUM PRIMUM.

Pro explicandis Patribus reprehendentibus timorem legis veteris.

Ex Sancto Thoma.

I. ITa scribit S. Thomas in 3. sent. d.40. q.1. a.2. „ Coactio legis, secundùm Philosophum in fine Ethicorum, ad hoc necessaria est, ut illi, qui persuasionibus ad bonum non inclinantur, per pœnas cogantur. Unde cohibitio legis se extendit, quantum pœna inflicta per legem. Sicut autem lex vetus animis non nisi terrena promittebat; ita etiam pro peccatis temporalem pœnam infligebat, oculum pro oculo, dentem pro dente. Pœnæ autem temporales pro peccatis animi infligi non possunt, nisi quatenus in actum exteriorem prorumpant; aliàs enim ab homine de eis judicari non potest: & ideo lex vetus manum, & non animum cohibere dicebatur: lex autem nova, æterna promittit, & comminatur in præmium, & pœnam: Æterna autem pœna ab illo judice infligitur, qui est cordis scrutator: ET IDEO NON SOLUM MANUM, SED ETIAM ANIMUM COHIBET.

Hic locus, ut patet, è diametro opponitur Quesnellianæ assertioni: sed, quod hoc capite unicè spectatur, observatum velim, ex his Angelici verbis suppeditari responsionem ad plura Augustini testimonia, ubi agit de timore Judæorum, eumque reprehendit.

Hinc præterea solvitur quod Hexapla, & Collator latinus objiciunt ex ipso S. Thoma 1. 2. q.107. a.1. ad 2. „ Lex vetus dicitur cohibere manum, non animum; quia qui timore pœnæ ab aliquo peccato abstinet, non simpliciter ejus voluntas à peccato recedit, sicut recedit voluntas ejus, qui amore justitiæ abstinet à peccato; & propter hoc lex nova, quæ est lex amoris, dicitur cohibere animum. „ Adverte tantummodo, eum, qui ex timore gehennæ observat mandata, etiam hoc ipso implicitè amare justitiam; cùm observatio legis justitiam inferat, & *justitiæ* nomen non raro sortiatur.

Hic omittendum non est, licèt quamplurimi ex Judæis legem tantùm observarent metu pœnæ, vel spe præmii temporalis ab hominibus retribuendi; multos tamen ex eis illam citra ullum peccatum internum, vel externum observasse metu, vel spe rerum æternarum, quarum promissionem, vel comminationem etiam ad Judæos universim pertinuisse, & ut talem iis innotuisse, indubitatum est: Unde Tob.2. *Filii Sanctorum sumus, & vitam illam expectamus, quam daturus est Deus iis, qui fidem suam non mutant ab illo.* Sap.5. *Justi autem in perpetuum vivent.* Lucæ 18. Ita princeps Judæorum interrogat: *Magister quid faciens vitam æternam possidebo?* Isaiæ 33. *Quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis?* Denique Judith 16. *In die judicii visitabit illos; dabit ignem in carnes eorum, ut urantur, & sentiant usque in sempiternum.* Lex ergo vetus primariò *non nisi terrena promittebat*; secundariò verò etiam æterna, contra ac fit in lege novâ.

FUNDAMENTUM SECUNDUM.

Pro explicandis Patribus reprehendentibus timorem servilem ob annexam voluntatem peccandi.

Ex Hugone à S. Victore.

II. NOn eadem est apud omnes authores *timoris servilis* acceptio. Sic enim de hac & cæteris timoris speciebus disserit Hugo à S. Victore tomo 1. l.4. Allegoriarum in Lucam pag.164. ad hæc cantici verba: *MISERICORDIA EJUS IN PROGENIEM, ET PROGENIES TIMENTIBUS EUM: Quatuor timores sacra scriptura discernit, servilem, mundanum, initialem, filialem. SERVILIS timor est, pro evitanda pœna abstinere à malo, retenta voluntate mala. MUNDANUS timor est pro evitando pœna abstinere à bono retenta voluntate bona. INITIALIS timor est, pro evitanda pœna cum perverso opere etiam pravas cogitationes resecare. FILIALIS timor est, bono firmiter adhærere, quia istud amittere nolis. Ex his quatuor timoribus duo mali sunt, id est, servilis, & mundanus: duo verò boni, id est, initialis, & filialis. Servilis timor pœnam, quæ ab hominibus infertur, metuit, & idcirco ei sufficit cessare à malo opere; quia ad oculum famulatur, & reatum conscientiæ non metuit.... Initialis verò timor, quia eam, quam Deus comminatur, pœnam declinare satagit, nequaquam sibi sufficere videt, ut ab illicita se operatione contineat; quia ei, qui cor intuetur, non est satis ad probationem, si innocens fuerit actio; nisi etiam ipsa cordis cogitatio ante ejus oculos sincera, & impolluta appareat. Quia ergo illi displicere metuit, qui videt totum, ad perfectam innocentiam coram eo necesse esse considerat, ut mundet totum: & ideo ipse timor initialis dicitur, quia sub hoc PER BONAM VOLUNTATEM & virtus initium capit, & vitium finem: tum accedit charitas, & intrat per timorem istum.*

Rursum in Annotationibus in ep.ad Rom. pag.185. ad illud, *Non accepistis Spiritum servitutis iterum in timore, ita scribit: Timor servilis cohibet manum à malo opere timore pœnæ temporalis. Timor initialis COHIBET A MALO OPERE, ET A MALA VOLUNTATE TIMORE GEHENNÆ. Timor filialis cohibet ab omni malo, amore justitiæ .. Ille dicitur habere timorem SERVILEM qui timore pœnæ temporalis tantùm aliquid criminale non committit.* Quam clarè disertèque utcumque hæc sententia Quesnelli dogma confutat!

Sed, nè ab instituto divertar, notari tantùm hic cupio, timorem, qui ab aliis passim *servilis* vocatur, ab Hugone *initialem* appellari; *servilem* verò, qui ab aliis *humanus* dicitur: Unde, cùm ab aliquo vel Patre, vel scholastico timor servilis reprehenditur, ex adjunctis dispiciendum est, an usu loquendi nunc recepto *servilem* intelligat.

Ex S. Bernardo.

III. QUid, quòd subinde unus idemque S. Pater timorem servilem, & initialem aliter atque aliter accipit. Evidens hujus rei exemplum præbet S. Bernardus, qui de quadruplici timore ita loquitur Serm. *de Villico iniquitatis* Dom.10. post Pentec. in medio: „ *Quis poterit ex vobis habitare cum igne devorante?* aut *quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis?* Hæc audiens Villicus planè si timueris, nè miteris. Et notandum, quòd timor iste quadriformis est; scilicet mundanus, servilis, initialis, & filialis, sive castus. MUNDANUS, qui facit recedere à bono pro evitatione pœnæ. SERVILIS qui facit à malo abstinere pro evitatione pœnæ, mali retinens voluntatem. INITIALIS, timor gehennæ, de quo dicitur per Prophetam: *Initium sapientiæ timor Domini.* FILIALIS, de quo per eumdem dicitur: *Timor* „ *Do-*

,, *Domini Sanctus permanens in sæculum sæculi*. In dua-
,, bus his ,, (posterioribus) ,, formis utilis est homini-
,, bus semper, in aliis minimè. In initiali formaliter
,, frendens, ut modò dictum est, ad Villicum venit,
,, propter quod ait: *Scio quid faciam, ut, cùm amotus*
,, *fuero &c.*

Ex hac oppositione timoris initialis cum servili, patet denuo clarissimè, timorem gehennæ posse excludere voluntatem peccandi: unde iterum ruit Quesnelliana 61., & 62.

IV. Cæterùm timorem eodem modo hic dividit, & singula divisionis membra intelligit Mellifluus, quo Hugo à S. Victore. At *libro de modo bene vivendi* ad Sororem Serm.4. circa medium; item *de Stat.virt.*part.3. timorem *servilem* in eadem significatione usurpat, in qua passim Scholastici; estque is ipse timor, quem in recitata proximè sententia *initialem* vocat. Utrumque locum dedimus partim hic supra c.6.num.2., partim ad Prop.51. c.7. num.3.

Totam ferè de timore servili materiam breviter, lucideque tractarunt Angelicus, & Seraphicus: unde me non leve operæ pretium facturum existimo, si doctrinæ eorum hic quasi nucleum exhibeam; quo fiat, ut nulla in Augustini, cæterorumque Patrum testimoniis difficultas supersit. Ordimur autem à Seraphico, ut hic nos ad Angelicum manuducat.

Ex S. Bonaventura.

V. SAnctus Bonaventura in 3. sent. dist.34. agit *de 7. Donis Spiritus Sancti*, & articulo 3. præmittit, ac resolvit dubia quædam circa textum Magistri, ut facere jam cœperat initio *distinctionis*: *dubio* autem 4. versùs finem sic habet: *Dicendum, quòd seu differentiæ timoris habent distingui secundùm differentiarum suorum originum. Timor enim aut est ex natura; aut ex libidine, sive concupiscentia; aut ex gratia. Si est ex natura, tunc est timor naturalis. Si est ex concupiscentia; hoc est dupliciter: aut est ex nimio amore sui; sic est humanus: aut ex nimio amore suorum; sic est mundanus. Si verò ex gratia gratis data, sic est servilis: aut ex gratia gratum faciente inchoata, & sic est initialis: aut ex gratia perfecta, & sic est filialis. Et sic patet, quòd seu sunt differentiæ timoris secundùm suam generalem divisionem ex parte suæ originis. Ad illud ergo quod abjicitur, quòd Magister est insufficiens, quia non ponit nisi quatuor; dicendum, quòd Magister cùm intendit hic agere de timore DONO, non dividit timorem nisi eatenus, quatenus ad propositum suum spectat. Timor autem donum quadrupliciter habet considerari, aut per comparationem ad suum oppositum, quod expellit, & hic est timor malus, qui opponitur dono Spiritus Sancti, ut mundanus, & humanus... Aut per comparationem ad objectum minùs principale, & hoc quidem est malum pœnæ: & sic est timor servilis. Aut per comparationem ad objectum magis principale, quod quidem est malum culpæ sive offensæ: & sic est timor initialis. Aut per comparationem ad objectum maximè principale, quod quidem est excellentia Majestatis Divinæ: & quantum ad hoc est timor filialis......*

Articulum 3. ita inchoat.: *Ad intelligentiam hujus partis, in qua quidem agitur de dono timoris, incidit hìc quæstio circa dua. Primò enim quæritur de timore INFORMI, SIVE SERVILI. Secundò quæritur de timore gratuito, qui datur cum Spiritu Sancto....*

Ex his patet, timorem servilem, propriè loquendo, importare, vel supponere statum peccati in eo, qui timet; sive esse timorem supplicii à Deo infligendi, qui conjungitur cum servitute peccati habituali, & qui consequenter *pœnam habet* seu *tormentum conscientiæ*, ut explicat S. Thomas in 1. Can. Joannis c.4. v.18.: unde mirum non est, si, ut ait S. Joannes, timorem illum Charitas foràs mittat, sive quoad servilitatem, quemadmodum infra videbimus ex eodem Angelico; sive quoad tormentum conscientiæ, qui posterior effectus charitati, præsertim perfectæ, id est, provectæ, vel intensæ proprius est.

VI. Sed redeamus ad Seraphicum. Articulum 3. in tres quæstiones dividit: quæstionis primæ hæc est conclusio: *Timor servilis est donum Spiritus Sancti, quamquam non sit donum cum Spiritu Sancto*. Proponit primò argumenta *pro* & *contra*; & inter alia:

.... *Sed contra ... sicut aliquis dimittit transgredi mandata Dei propter timorem pœnarum æternarum; sic latro dimittit transgredi edictum Regis propter timorem furcarum: sed timor, quo latro timet furari, nè suspendatur, non ponitur esse donum Spiritus Sancti; Ergo.....* Sequitur S. Doctoris resolutio.

.... *Respondeo. Dicendum, quòd absque dubio timor servilis est donum Spiritus Sancti. Et ratio hujus est: quoniam, sicut donum Dei est, nosse sive credere pœnas futuras pro ea, quòd ibi est quædam cordis illuminatio, & directio; sic donum Dei est, illas pœnas æternas refugere, & timere pro eo, quòd ex tali dono est quædam cordis emollitio, & fluxus concupiscentialis restrictio, & in hoc quædam rectificatio. Quòd enim ibi sit emollitio, satis innuit Jerem. Propheta, cùm dicit:* indurasti cor nostrum, ut non timeremus te. *Quòd ibi sit fluxus concupiscentialis restrictio, innuit Propheta in Psalm. cùm dicit.* Confige timore tuo carnes meas: *quod quidem fit non solùm timore casto, sed etiam servili, quo timentur æterna supplicia, & timetur Divina justitia. Et propter illorum timorem cessat homo à peccatorum perpetratione; licèt non omnino cesset à voluntate, sicut dicit glossa: quod totum est ex Divino munere.* Quo sensu non omnino cesset a voluntate, qui est cardo controversiæ, docet quæst.2. ut mox videbitur.

VII. .... Ad illud quod abjicitur de latrone, qui timet furari propter suspendium, dicendum, quòd non est simile; quia naturali cognitione, & æstimatione latro cognoscit illud supplicium, & illud reformidat: non autem sic est de supplicio infernali, imò oportet, quòd timeat per fidem; & ampliùs, quòd cor quodammodo mollificetur, ut exhorreat illa supplicia ad fidei instinctum...

VIII. Quæstionis secundæ hæc est conclusio. *Timor servilis licèt non sit bonus bonitate meriti; est tamen bonus bonitate præparante ad meritum*. Proponit primò argumenta *pro* & *contra*, & inter alia:

,, ...Sed contra: super illud Psalm.: *Confige timore*
,, *tuo carnes meas* glossa ex August. Timor servilis car-
,, nem non crucifigit, quia vivit in eo peccandi volun-
,, tas, & sequeretur opus, si speraretur impunitas:
,, mallet enim licere, & dolet non licere, quod lex ve-
,, tat: sed omnis talis motus est directè contra justitiam,
,, quia vellet justitiam non esse: omnis verò motus con-
,, tra justitiam est malus: ergo & actus, & usus timoris
,, servilis est malus. Item. Gregorius in Moral. Cùm
,, pœna timetur, & Dei facies non amatur, timor ex
,, tumore est, non ex amore: sed omnis actus, qui pro-
,, cedit ex radice tumoris & superbiæ, est actus malus
,, & damnabilis: ergo usus timoris servilis non est bo-
,, nus, sed damnabilis. Item. Nullus actus incompos-
,, sibilis charitati, est bonus; sed timere serviliter est
,, actus incompossibilis charitati: ergo timere serviliter
,, non est bonum. Major manifesta est: quia charitas bo-
,, no non repugnat, sed malo. Minor etiam manifesta
,, est secundùm verba Augustini, & Apostoli; quia
,, spiritus servitutis non stat cum spiritu adoptio-
,, nis.... ,,

In his continetur quidquid ferè ex Patribus contra Ecclesiæ doctrinam à Novatoribus proferri solet. Horum ergo solutione difflabitur longa illa objectionum series, quæ sive ad præsentem, sive ad sequentes Quesnelli Propositiones defensandas undequaque conquisitæ sunt. Pergamus igitur audire Seraphicum.

,, IX. Respondeo. Ad prædictorum intelligentiam est
,, notandum, quòd, cùm dico timorem servilem, duo
,, dico; videlicet ipsum habitum, quo anima disponi-
,, tur ad timendum Deum, ut punientem eos, qui præ-
,, varicantur; & ulteriùs nomine servitutis importatur
,, deformitas peccati ,, (habitualis scilicet) ,, quæ an-
,, nexa est illi habitui in eodem homine, ratione cujus
,, ille homo dicitur esse servus peccati, & timor in eo
,, existens dicitur esse timor servilis. Per hunc etiam
,, modum cùm dico aliquem timere serviliter, duo di-
,, co; videlicet actum ab illo habitu egredientem, &

,, voluntatis servilitatem, sive deformitatem concomitantem. Sed attendendum, quòd hoc potest esse dupliciter; aut ita, quòd deformitas illa voluntatis concomitetur quantùm ad habitum, aut quantùm ad actum. Si concomitatur solùm quantùm ad habitum, sic POTEST ESSE, QUOD ALIQUIS SERVILITER TIMEAT, ET TAMEN METU ILLO NON PECCABIT: QUIA SI EX RECOGITATIONE POENARUM ALIQUIS ABHORRET OFFENDERE DEUM, HOC POTEST ESSE PRÆTER OMNE PECCATUM. Si autem concomitatur in actu, quamvis ipsum timere de se non sit malum, tamen ratione deformitatis actualiter annexæ depravatur: sicut aliquis, qui timet pœnas, & timendo dolet, quòd tales pœnæ infliguntur pro culpa, & actu etiam concupiscit peccare, si non esset illa pœna: & hoc modo timere serviliter est peccatum, & malum: HOC AUTEM NON EST SEMPER, CUM QUIS MOVETUR TIMORE SERVILI; alioquin per usum illius doni magis se homo à gratia elongaret, quàm præpararet, quod planè falsum est. Et ideo concedendum est, quòd usus timoris servilis potest esse bonus, licèt non sit bonus bonitate meriti; sed magis bonitate præparante, vel ordinante ad meritum, quæ simul stat cum peccato...

X. ,, Ad illud verò, quod primò objicitur in contrarium, quòd in timore servili vivit voluntas peccandi, & quod dolet de eo, quod lex vetat. Dicendum, quòd illud verbum Augustini non intelligitur, quòd semper, quando timet, doleat actu; & similiter, quòd voluntas peccandi semper sit in actu; sed hoc dicit, quia manet in HABITU, & RADICE. Licèt autem voluntas sit per peccatum ,, (habituale) ,, deformata, & regnet in ea malus amor ,, (habitualis;) ,, potest tamen aliquando moveri ad aliqua bona opera in genere, vel ex circumstantia per aliquam gratiam gratia datam, NON COMMITTENDO CULPAM, sicut patet per multa exempla; & sic potest esse in parte ista; ,, scilicet in timore servili.

XI. ,, Ad illud, quod objicitur, quòd timere serviliter est ex tumore [sicut dicit Greg.] non ex amore: Dicendum, quòd ex non dicit ibi causam, sed concomitantiam: & cùm dicit concomitantiam in actu, tunc deformat actum timoris servilis: cùm dicit concomitantiam in habitu, non oportet, quòd deformet; sed tamen facit ipsum deficere à meriti perfectione. Ad illud, quod objicitur, quòd actus incompossibilia charitati est malus. Dicendum, quòd aliquis actus potest esse incompossibilia alicui ratione circumstantiæ propriæ, quam habet ex proprio habitu, vel ratione alicujus annexi. Cùm ergo dicitur, quòd actus timoris servilis est incompossibilis charitati, hoc non est ratione ipsius actûs per se, & secundùm se; quia HABENS CHARITATEM POTEST BENE TIMERE DEUM RATIONE POENÆ: sed hoc intelligitur ratione annexi ,, (peccati habitualis) quod facit ipsum deficere à merito charitatis: & ideo ex hoc non sequitur, quòd actus timoris servilis sit malus: sed vel est malus; vel est in homine secundùm statum malum, & conclusio est vera ratione alterius partis.,,

Ex S. Thoma.

IN qua significatione timorem servilem accipit S. Bonaventura, in eadem ferè etiam S. Thomas, & quoad rem magnâ consensione de eo differunt, & ad objecta respondent. Verùm ut posterioris sententia meliùs intelligatur,

XII. Notandum 1., in peccato habituali præter reatum pœnæ spectari posse informitatem, & servilitatem: nam juxta S. Doctorem 1. 2. q. 109. a. 7. ,, incurrit homo triplex detrimentum peccando...; scilicet maculam, corruptionem naturalis boni, & reatum pœnæ. Maculam quidem incurrit, in quantum privatur decôre gratiæ ex deformitate peccati. Bonum autem naturæ corrumpitur, in quantum natura hominis deordinatur, voluntate hominis Deo non subjectâ; hoc enim sublato, consequens est, ut tota natura hominis inordinata remaneat.,, Macula illa, seu privatio gratiæ sanctificantis, & charitatis, est informitas; inordinatio vero *naturæ* est servilitas; natura enim illa formaliter inordinata est, quæ diligit naturale bonum tanquam finem ultimum, & consequenter timet pœnam bono illi contrariam tanquam principale, seu summum malum, in quo servilitatem reponit S. Thomas 2. 2. q. 19. a. 4. in C. ut infra constabit. Cæterùm hæc inordinatio, sive servilitas tamdiu habitualiter *remanet*, quamdiu peccator non transit à servitute peccati ad libertatem filiorum Dei; hoc est, quamdiu peccatum non condonatur.

Notandum 2., servilitatem [habitualem] accidere habitui timoris pœnæ, & duplicem in eo effectum sortiri. Primus est, quòd, quamvis, quò minùs habitus timoris, & actus indè progeniti ordinentur ad vitandam pœnam; impediat tamen, nè fuga pœnæ *ordinetur* ulteriùs *in Deum sicut in finem*, seu in fruitionem Dei: servilitas enim, & informitas, seu privatio charitatis necessariò connexæ sunt; sinè charitate autem ut nullum est meritum, ita *nec* ordinatio, saltèm immediata, ad fruitionem Dei, seu vitam æternam.

Obiter observa, quòd ex necessaria connexione servilitatis, & informitatis fiat, ut timor pœnæ, qui est in peccatore, interdum *servilis sive informis* promiscuè appelletur, ut videre est apud S. Bonaventuram relatum supra n. 5. in fine.

Alter, isque propriissimus servilitatis effectus est, peccatorem, qui agit ex habitu timoris pœnæ, inclinare ad hanc, vel similem volitionem conditionatam: *vellem præceptum omittere, si pœna non esset*, ut colligitur ex S. Thoma in 3. sent. dist. 34. q. 2. a. 2. & 3. utrobique qq. 1. in *solutione*. Et hæc quidem *inclinatio* est, quæ in operante causat indeliberatam quamdam tristitiam, displicentiam, repugnantiam, vel coactionem latè dictam; *latè dictam*, inquam, quia ei & resisti potest, & re ipsa resistitur, quoties metus gehennæ v. g. efficax est, quemadmodum supra c. 5. demonstratum est. Vide etiam quæ ex Bellarmino retulimus ad Prop. 60. c. 1. num. 1.

Notandum 3., servilitatem à S. Thoma variis nominibus significari: modò enim vocat *privationem voluntatis justitiæ*; modò generaliter *deordinationem*; modò explicat per hoc, quod *homo affectum suum non vult subjicere jugo justitiæ per amorem*, ut infra videbitur: quæ appellationes, ut ex dictis patet, omnes, & singulæ conveniunt servilitati; sive spectetur in actu, sive in habitu; hoc tamen discrimine, quòd, si tantùm habitualis sit, actum timoris non magis vitiet, quam informitas habitualis actum fidei informem. Ex triplici hac annotatione tota Angelici doctrina de timore servili ubique plana est. Tradit eam duplici præsertim loco.

a. 2. quæstio 19. est *de DONO timoris in 12. articulis divisa*. Porrò *dona Spiritus Sancti*, ut definit a. 9. in C. *sunt quædam HABITUALES perfectiones potentiarum animæ, quibus redduntur bene mobiles à Spiritu Sancto*: atque ita in hac quæstione timorem maximè secundùm habitum considerat, & inter varias illius species, etiam servilem, quamvis hìc, juxta S. Doctorem, non sit donum strictè dictum: nam l. c. sic habet: ,, Timor servilis non est numerandus inter septem dona Spiritûs Sancti, licèt sit à Spiritu Sancto; quia, ut Augustinus dicit lib. de nat. & gr. [c. 57.] POTEST habere annexam voluntatem peccandi: Dona autem Spiritûs Sancti non possunt esse cum voluntate peccandi; quia non sunt sinè charitate.,, Idem docet in 3. sent. dist. 34. q. 2. a. 2., ut num. 15. referemus; & catenus differe à Seraphico, cujus verba habes num. 6.; quanquam hoc discrimen non tam videatur esse rei, quàm nominis.

XIII. Tandem 2. 2. q. 19. a. 4. quærit Angelicus *Utrum timor servilis sit malus*? & sic resolvit: ,, Dicendum, quòd timor servilis ex parte servilitatis habet, quòd sit malus; servitus enim libertati opponitur.... Timor servilis, in quantum servilis est, charitati contrariatur... sed prædicta servilitas non pertinet ad speciem timoris servilis, sicut nec informitas ad speciem

,, fidei

fidei informis; species enim moralis habitûs, vel actûs ex objecto accipitur. Objectum autem timoris servilis est pœna, cui accidit, quòd bonum, cui contrariatur pœna, AMETUR TANQUAM FINIS ULTIMUS; & per consequens pœna timeatur tanquam PRINCIPALE malum, quod contingit in non habente charitatem: vel quòd ordinetur in Deum sicut in finem; & per consequens pœna non timeatur tanquam principale malum, quod contingit in habente charitatem. Non enim tollitur species habitûs per hoc, quòd ejus objectum, vel finis ordinatur ad ulteriorem finem: & ideo timor servilis secundùm suam substantiam bonus est; sed servilitas ejus mala est; ,, planè sicut fides informis secundùm suam substantiam bona est; sed informitas ejus mala est.

XIV. Respondet dein ad duo loca; Augustini alterum, Gregorii alterum. Primus refertur ex Enchir. c. 110. *Qui timore aliquid facit, etsi bonum sit, quod facit, non tamen bene facit.*

Alter legitur l.4. Moral. c.28. *Cùm ex peccato præsens pœna metuitur, & amissi Dei facies non amatur, timor ex tumore est, non ex humilitate*: ex duplici hoc testimonio infertur: *ergo timor servilis malus est.*

Audiamus solutiones Angelici: ,, Ad primum ergo dicendum, quòd verbum illud Augustini intelligendum est de eo, qui facit aliquid timore servili, IN QUANTUM servilis est; ut scilicet non amet justitiam, sed solùm pœnam timeat; ,, adeò, ut in fuga pœnæ finem ultimum, saltèm partialiter, actu constituat, velletque peccare, si pœna non esset; quod est propriè non amare justitiam, seu nolle observationem legis, sed solùm pœnam metuere. Pergit S. Doctor:

,, Ad secundum dicendum, quòd timor servilis secundùm suam substantiam non oritur ex tumore; sed ejus servilitas ex tumore nascitur: IN QUANTUM scilicet homo affectum suum non vult subjicere jugo justitiæ per amorem. ,, Eòdem recidit responsio S. Bonaventuræ relata num. 11.

XV. Sententiam suam de timore servili præclarè confirmat S. Thomas in 3. sent. dist.34. q.2. a.2. Articulus hic subdividitur in tres quæstiunculas: in prima quæritur: *Utrum timor servilis sit à Spiritu Sancto?* in secunda: *Utrum actus timoris servilis sit bonus?* In prima spectatur timor secundùm habitum; in altera secundùm actum.

Ad primam respondet: ,, servilitas est accidens timoris, & non intrat essentiam ejus; & ideo essentia ejus bona est; quia refugere pœnas æternas non est nisi bonum: unde servilis timor secundùm essentiam suam est à Spiritu Sancto; non tamen donum Spiritûs Sancti, nisi communiter loquendo, ut dicimus, *omne quod à Spiritu Sancto datur, donum ejus esse*; sic autem non loquimur de donis: sed illa servilitatis conditio, quæ includit privationem voluntaria justitiæ, non est à Spiritu Sancto.

Tum Gregorii testimonium num. 14. recensitum ita exponit: ,, Ad tertium dicendum, quòd Gregorius loquitur de timore ratione servilitatis; IN QUANTUM scilicet peccatum voluntate retinet: quod patet ex hoc, quòd præmissis verbis subjungit: *Superbit quippe, qui peccatum, si liceat non puniri, non deserit*; ,, unde iterum mirum non est, quòd talis timor *ex tumore* nascatur, cùm includat actualem peccandi voluntatem.

XVI. Secundam quæstiunculam ita expedit: ,, Ad secundam quæstionem dicendum, quòd quidquid est de substantia habitûs, oportet, quòd in actu ejus eluceseat; eo quòd *quales sunt habitus, tales actus reddunt*, ut dicitur in 2. Ethic. Non autem oportet, quòd omne, quod accidit alicui habitui, semper in actu ejus manifestetur; sicut fidei informi accidit habere aliquid charitati repugnans; non tamen oportet, quòd semper in actu ejus charitati repugnans aliquid inveniatur. Cùm igitur servilitas timoris habitui accidat ex imperfectione subjecti, ut ex dictis patet; NON OPORTET, QUOD ACTUS EJUS SEMPER CONDITIONES SERVILITATIS IN SE HABEAT; sed poterit habere bonitatem proportionatam substantiæ sui habitûs; non scilicet meritoriam, sicut nec habitus habet bonitatem gratuitam ,, [id est, bonitatem, *quæ justitiam, vel gratiam habitualem consequitur*, ut in hunc locum notat P. Nicolai, ac per se manifestum est.] Et quia habitus perfectam rationem bonitatis non habet, ideo defectus alicujus debitæ bonitatis in actu, sive deordinatio aliqua non repugnat substantiæ habitûs, sicut repugnat omnis actus inordinatus habitui virtutis, qui habet bonitatem perfectam: & propter hoc virtutis usus semper est bonus; peccati semper est malus; sed timoris servilis actus potest esse & bonus, & malus; ,, prout scilicet *conditiones servilitatis*, sive *deordinationem* in se vel habet, vel non habet; quanquam utroque casu cum habitu timoris, utpote imperfecto, possit consistere; secus ac fit in habitu virtutis: cùm enim Angelico *nulla sit simpliciter vera virtus sinè charitate*, [ut docet 2. 2. q.23. a.7. in c.] patet, actum inordinatum non minùs repugnare habitui virtutis, quàm ipsi charitati. Cæterùm ex relato textu compertissimum est, actum timoris servilis carere posse conditionibus servilitatis, adeòque esse simpliciter bonum.

Respondet deinde S. Doctor ad Augustini sententiam num.14. allegatam: ,, Ad primum ergo dicendum, quòd Augustinus loquitur, quando aliquid fit timore servili ratione suæ servilitatis; ,, ita nempe ut conditiones servilitatis includat.

Ex aliis Scholasticis.

XVII. EAmdem difficilia Patrum testimonia explicandi methodum, quam huc usque ex SS. Thoma, & Bonaventura declaravimus, sequuntur primariæ notæ Scholastici; ut Gonetus in *Clypeo Theologiæ Thomisticæ* tomo 5. disp.7. art.3. §.5. Diedo *Tract. de Captiv. & Redempt. generis humani* pag.107. & 108. Thomistæ Salmanticenses tomo 12. de Pœn. edito An.1713. tract.24. Disp.7. *de Contrit.* Dub.1. §.5. aliique tam veteres, quàm recentiores, quos longa referre mora est. Vide in ipso Opere Prop.62. c.6.

FUNDAMENTUM TERTIUM

Pro explicatione eorum locorum, quibus indicatur, timorem servilem non consistere cum charitate, seu justitiâ habituali.

Ex SS. Thoma, & Bonaventura.

XVIII. SAnctus Thomas 2.2. q.19. a.6. quærit, *Utrum timor servilis remaneat cum charitate?* & more solito adducit argumenta in contrarium. ,, Ad sextum, (inquit), sic proceditur: videtur, quòd timor servilis non remaneat cum charitate: dicit enim Augustinus super 1. Canonicam Joannis, quòd cùm cœperit charitas habitare, pellitur timor, qui ei præparaverat locum &c. ,, Dein ita resolvit:

Respondeo. Dicendum quòd .... timor pœnæ includitur uno modo in charitate: nam separari à Deo est, quædam pœna, quam charitas maximè refugit: unde hoc pertinet ad timorem castum. Alio autem modo contrariatur charitati, secundùm quòd aliquis refugit pœnam contrariam bono suo naturali, sicut PRINCIPALE mali contrarium bono, quod diligitur UT FINIS: & sic timor pœnæ non est cum charitate. Alio modo timor pœnæ distinguitur quidem secundùm substantiam à timore casto; quia scilicet homo timet malum pœnale non ratione separationis à Deo; sed inquantum est nocivum proprii boni; nec tamen in illo bono constituitur ejus finis; unde nec illud malum formidat tanquam principale malum. Et talis timor pœnæ potest esse cum charitate; sed iste timor pœnæ non dicitur esse servilis, nisi quando pœna formidatur sicut principale malum, ut ex dictis patet. [Vide n.9.] *Et ideo timor, inquantum servilis, non manet cum charitate; sed SUBSTANTIA TIMORIS SERVILIS CUM CHARITATE MANERE POTEST, sicut amor servi manere potest cum charitate.*

INDEX CAPITUM

Ad primum ergo dicendum, quòd Augustinus ibi loquitur de timore, in quantum servilis est, &c.

Idem docere Seraphicum, jam supra vidimus oom.8.; sed eam feotentiam ex instituto tractat in 3. sent. d.34. a.3. q.3. & Angelico qnoad rem planè coucordat.

XIX. Tota ergo hæc doctrina re ipsà bue redit, quòd timor pœoæ nou mancat cum charitate, quatenus cnnjungitur peccato lethifero, sive actuali, sive habituali; eatenns enim importat actualem vel babitualem formidioem pœnæ tanquam priocipalis mali repugnantis bono proprio naturali, qood diligitur ut finis; quâ præposterâ dilectione, & formidine Disboli servi cnustituimur. Vide n.12.

Sibi ad amussim constat S. Tbomas ibid. a.9. nbi quærit: *Utrum crescente tharitate, diminuatur timor?* & inter alia resolvit: „ Timor servilis quantùm ad servilitatem totaliter tollitur, charitate adveniente; REMA„ NET tamen SECUNDUM SUBSTANTIAM TI„ MOR POENÆ, ut dictum est. Et iste timor dimi„ noitur, charitate crescente, maximè quantùm ad „ actum; qoia, quantò aliquis magis diligit Deum, „ tantò mioùs timet pœnam: primò quidem, quia mi„ nùs attendit ad proprium bonum, cui contrarietur „ pœna; secundò, quia firmiùs iohærens Deo, magis „ confidir de præmio, & per consequens minùs timet „ pœnam. „

Rursum in 3. seot. dist.34. q.2. a.3. qq.2. in *solutione* sic bsbet: „ Timere pœnas æternas non est actus ti„ moris initialis; sed COMPATITUR secum istum „ actum, sicut & timnr castus. „

Ex dictis itaque manifestum est, timorem pœoæ, licèt crescente charitate decrescar, optimè tamen etiam cum cbaritate consistere; imo & ipsis Martyribus utilissimum esse, jam jam probaturi sumus

Ex SS. Patribus.

XX. SAnctus Cyprianus de laude Martyrii: „ Nos ad „ hunc gloriæ titulom metus excitat futuro„ rum; eteoim quibus magna promissa sunt; magis ma„ gna sunt, quæ metueoda ipsis videantur.

S. Augustinus in Psal.123. circa finem: „ Qnomodo, si „ videas avem veluti jam cadere in muscipulam, fscis „ majorem strepitum, & volat de muscipola: sic & „ Martyrum jam fortè aliqui ipsorum inteodebant col„ lom in dulcedinem vitæ bujus; Dominus, qui erat in „ illis, fecit strepitum gehennarum, & ernens est passer „ de mnscipulâ venantium.

Quesnellns oon erutum passerem, sed æternis Diaboli laqneis mancipatum assereret, eùm timor gehennæ non aoimum, sed solam manum à vitæ dulcedine fidel posthabendâ cohibeat.

XXI. Sed nè à præsenti scopo deflectam, alia Patrum testimonia subjicio, quæ quibuscunque justis, partim incipieotibus; partim in cbaritate provectis pœnarnm metum, ut perquam salubrem, adeôque à gignenda peccandi volnntate alienissimum commendant:

S. Basilios in Psal.33. „ Nisi timor iustitoeodæ vitæ no„ stræ rudimenta jaciat, impossibile fuerit, castitatem, „ saoctimoniamque legitimè observari. „

S. Hieronymus ad Fabiolam mansione 3. „ Dum tormen„ ta formido, servavi gratiam, quam receperam.

S. Isidorus l.2. Synonymurum c.5. „ Sic spera miseri„ cordiam, ut justitiam metnas; sic spes indulgentiæ „ erigat, ut metus gehennæ SEMPER affligat. „ Tum c.6. sic orditur: „ Timor eoim SEMPER emendat: „ timor expellit peccatum, timor reprimit vitium: ti„ mor facit hominem doctum esse, atque solicitum.

S. Augustinus in Psal.68. „ Præmisit Deus: *Nolite timere &c.* Majore timore minora contemnimus; & ma„ jore æternitatis cupiditate omoia temporalia fastidi„ mus: osm & hic deliciæ temporales dulces sunt, & „ tribulationes temporales amaræ sunt. Sed quis non „ bibat tribulationis poculum, metucns ignes gehen„ narom? Et quis non cootemnat dulcedinem sæculi, „ inbians dulcedini vitæ æternæ?

S. Beroardus *super Cantica* serm.29. circa finem. „ Vi„ de ergo si non prudenter sagittari, & impugnari salu„ briter postulat SANCTUS, cùm dicit in oratione: „ *Confige timore tuo carnes meas*. Optima timor ipse sa„ gitta, qui configit, & interficit carnis desideria, ut „ spiritus salvus sit.

Idem *de modo bene vivendi ad Sororem* serm.67. in fine. „ Igitur, soror charissima, sicut jam dixi tibi, per ora„ tiones puras, & vigilias sanctas poteris superare ten„ tationes Diaboli. Sed si adhuc seotis molestias carnis, „ si tangeris stimulis carnis, si memoria libidinis adhuc „ titillat animum tuum, si caro tua adhuc te impugnat, „ si te luxuria teotat, si te libido ad peccandum invitat; „ objice tibi memoriam mortis tuæ, propone tibi futu„ rum judicium, reduc ad memoriam futura tormenta, „ propone tibi æteroa supplicia, & etiam propone ante „ oculos tuos perpetnos ignes iofernorum, propone ti„ bi horribiles pœoas gehennæ. Memoria ardoris ge„ hennæ extinguat io te ardorem lnxuriæ.

Denique Christus ipse Lucæ 12. postquam v.4. præmisit *Dico vobis AMICIS meis*, addit v.5.: *ostendam autem vobis quem timeatis: timete eum, qui, postquam occiderit, habet potestatem mittere in gebennam. Ita, dico vobis, hunc timete.* Ergo & Amici Dei otiliter timent gehennam, & hoc metu tam externas actiones, quàm interoa desideria coerceot; nè alioqui luadeatur à Christo timor, quo ex Amicis inimici fiunt.

Quæ toto hoc capite disseruimus, sufficieotissima sunt enodandis difficilibus quibusdam sententiis, quæ sive ex Scripturis, sive ex Patribus, sive aliunde contra timorem pœnarum divinitus immitteodarum opponi solent: uode objectionibus sigillatim recensendis, & refellendis in hac *Synopsi* tutò supersedebimos.

CAPUT X.

Nihil præsidii Adversariis est in Scriptura Sacra. Col.972.

CAPUT XI.

Augustinus damnato dogmati minimè suffragatur. Col.975.

CAPUT XII.

Corollarium ex præcedentibus. Col.991.

SEXAGESIMA SECUNDA PROPOSITIO DAMNATA.

Qui à malo non abstinet, nisi timore pœnæ, illud committit in corde suo, & jam est reus coram Deo. *Observ. Mor. Matth.21. vers.46.*

CAPUT I.

Damnatus error convellitur scripturâ Sacrâ. Col.1002.

FIeri posse, & fieri non tarò, ut qui à malo non abstinet, nisi timore pœnæ, illud committat in corde suo, & jam sit reus coram Deo, theologi omnes consentiunt: at id semper eveoire, ut indicat dogmatica, atque adeò illimitata Quesoelli Propositio, catholici unanimiter pernegant, quemadmodum omnia geoeris anthoritate, imò & ratione evictum est in confutatione superioris articuli, qua etiam præsentem ruere omnino oecesse est: si enim timor supplicii, aliquando saltèm, oon solùm manum, sed & animum à pec-

peccato cohibeat, ac proinde non tamdiu addicatur animus peccato, quamdiu ab amore justitiæ non ducitur, ut l.c. copiosissimè demonstratum est; evidenter sequitur, non omnem eum, qui à peccato, seu malo abstinet solùm timore pœnæ, illud committere in corde suo, & jam coram Deo reum esse.

Nobis igitur satis erit, lectorem pro veritatis hujus demonstratione remittere ad octo priora capita contra primam Propositionem stabilita; & pro objectionum solutione indicare ibidem caput 9., ubi triplici *fundamento* omnem in contrarium difficultatem antevertimus. Tantum onto, ex Prop. 62. consequi totidem quempiam peccata in corde committere, à quot sibi non nisi timore pœnæ abstinendum duxerit: si igitur ab omnibus ex ejusmodi timore abstinet, hoc ipso omnia in corde committit.

CAPUT II.

Propositio impugnatur traditione Patrum usque ad seculum quintum. *Col.*1010.

CAPUT III.

Seculi quinti traditio damnatum articulum subvertit. *Col.*1019.

CAPUT IV.

Sequentium quoque seculorum Patres à damnato articulo alieni sunt. *Col.*1031.

CAPUT V.

Doctrinam proscripto articulo contrariam stabilivere cum Tridentino Concilio Scholastici. *Col.*1042.

CAPUT VI.

Objectiones pridem ab hæreticis ex Augustino, & aliis Patribus collectæ, à recentioribus nostris adversariis adoptatæ, à catholicis Theologis dissolutæ, ac partim præoccupatæ. *Col.*1058.

CAPUT VII.

Sanctus Bonaventura invictissimè confirmat nostras Augustiniani sensûs vindicias, & viam adversariis præcludit obtinendi qualiscunque à Sanctis reliquis patrocinii. *Col.*1072.

PROPOSITIONUM TRIUM POSTERIORUM

Iterata ab adversariis defensio examinatur.

CAPUT I.

Hexaplorum observatio expenditur. *Col.*1076.

CAPUT II.

Proponitur subdola Quesnelli protestatio. *Col.* 1082.

CAPUT III.

Relata Protestatio expenditur. *Col.*1086.

CAPUT IV.

Protestationis fraudes, præsertim circa Tridentinum ampliùs deteguntur. *Col.*1101.

FINIS SYNOPSEOS.

Errata in SYNOPSI Tomi primi sic corrige.

Monitum. Vitandæ confusionis gratiâ, numeri Romani, qui contextui immiscentur, duplici parenthesi [ ] à contextu separentur, ut factum est in SYNOPSI tomi secundi.

Propositio 2.	cap.5. num. IX.	lin.2. Cancellarii *lege* memorati Cancellarii
	cap.7. oom. XX. l. XXVII.	lio.1. quintò l. sextò
	cap.10. oum.XII.	lin.9. etiam c.9. l. etiam c.8.
Propositio 6. & 7.	cap. 2. num.XIII.	lin.8. agnoscat l. S. Doctor agnuscat
Propositio 10.	cap. 5.	lin.6. oomine l. nominis
Propositio 14.	cap.1. num.II.	lin.1. oportet l. *oportet*
	Ibid.	lin.28. poterit l. potuerit
		lin.13. ut confidenter l. ot ut confidenter
Propositio 19.	cap.1.	lin.11. *nos* l. *non*
Propositio 21.	cap 3.	lin.5. quas l. quasi
Propositio 23.	cap.2.	lin. 1. ex fida l. ex fide
Propositio 26. & 27.	cap.8.	lin.7. originali l. originali expedire
Propositio 28.	cap.3. num.XIII.	lin.12. deperiebant l. deperibant
Propositio 30.	cap.2. oum. VIII. IX.	lin.3. est: teste l. est, teste
	cap.4. oum. III.	
	post CAPUT X. sequitur CAPUT II. lege	CAPUT XI.
Propositio 32.	cap.3. onm.VIII. IX.	lin.1. multo l. multa
	cap.6.	lin.8. per Prop.6. l. per Prop.1.
Propositio 37.	cap.1. oum. XVII.	lin.5. exararet liber l. exararet librum

Errata in SYNOPSI tomi Secundi sic corrige.

Propositio 38.	cap.1. num.V.	lin.12. Nobis sufficiunt aliqua. l. sufficit nobis, aliqua saltèm legis *naturaliter* fieri posse.
Propositio 41.	cap.5. num. II.	lin.11. ot mentibus, ita & voce l. ut mente, ita & vocibus.
Propositio 44.	cap.13. oum. XII.	lin.3. ot subjecta l. ut iterum subjecta
	Ibid. *ante num.*XV. *immediatè præcedere debent sequentia.*	Denique quantopere amor æternorum bonorum, quæ oobis promittuntur in cœlis, novi testamenti sit proprios, docet in Psal. 149. num.1. „ *Cantate Domino canticum novum*. Vetus homo „ vetus canticum; novus homo, novum canticum: Vetus testamentum, vetus „ canticum; novum Testamentum, novum canticum. In veteri testamento PRO- „ MISSIONES sunt temporales, & terrenæ. Quisquis terrena diligit, vetus can- „ ticum cantat: qui vult cantare canticum oovum, DILIGAT ÆTERNA. „
	Ibid. num.XIX. lin.1.	Hanc qoæstionem l. Haoc Animadversionem
	cap.14. num.1.	lin.10. *foventem* l. *fruentem*
	Ibid.	lin.22. *quæstione* l. *Animadversione*
Propositin 46.	cap-2. num.II. . . . IV.	lin.32. *misericordiæ* l. *miseriæ*
Propositio 49.	cap.1. onm.II.	lin.5, aut ex amore l. adeòque ex amore
Propositio 50.	cap.2. num.IX.X.	lin.2. Patrem, dicere l. Patrem, & dicere
Propositio 51.	cap.6.	lin.40. Vitiatorum l. Viatorum
Propositio 52.	cap. 7.	lin.8. tum interoa, quàm l. tam interna, quàm
Propositio 56.	cap.2. num.VI.	lin.6. etiam qoæ ooo l. quæ non
Propositio 57.	cap.1. num.IV. . . VII.	lin.22. *quamvis* l. *quam quis*
	cap 4. num.III. IV.	lin.14. sensu l. sensum
Propositio 58.	cap.3. oum.VII.	lin.2. *Gratis* l. *Eratis*
Propositio 60.	cap.1. num.I.	lin.10. *ducit &c.* l. *ducit, eò majorem, quò is fuerit violentior.*
	Ibid.	lin.108. Alexander l. Alexander VIII.
Propositio 61.	cap-9. num.XII.	lin.25. quamvis l. quamvis non obstet,

R E G E S T U M.

a b

A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z.

Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm Nn Oo Pp Qq Rr Sf Tt Vv Xx Yy Zz.

Aaa Bbb Ccc Ddd Eee Fff Ggg Hhh Iii Kkk Lll Mmm Nnn Ooo Ppp Qqq Rrr Sss Ttt Vvv Xxx Yyy Zzz.

A a a a

a b c d e f g h i k l m n o p q r s t v x

Omnes sunt Duerniones. Index autem Capitum, & Doctrinæ Synopsis, quæ minoribus typis excusa, huic secundo tomo subnectitur, constat 21. *foliis simplicibus.*